BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXI
H
32

XI
I
2

Digitized by Google

Commentarii ad Tit. Digeſt.

DE VERBORVM SIGNIFICATIONE,

Trium illuſtrium Iuris interpretum,

ALCIATI, BRECHÆI, FORNERII.

Quibus ea quæ ad hanc materiam ſpectant, accuratiſſime tractantur, atque explicantur.

Acceſſit Index rerum ac verborum locupletiſſimus.

NIHIL ABEST,



SI SIT PRVDENTIA.

LVGDVNI
Apud Franciſcum Fabrum.

M.D.LXXXIX.

NAPOLI

AND. ALCIATI IVRISCONSVLTI PRÆSTANTISSIMI IN SVOS DE VERBOrum Significatione Commentarios Præfatio.

EXTABANT *inter legales noſtras exercitationes commentarij ab auditoribus meis excepti, qui ſiue quod ab authore ipſo ſupremam adhuc manum non accepiſſent, ſiue quod per librorum traduces vitiarentur, non poterant diutius abſque nominis mei nota inemendati agere. Eos (quod interpellantium me ſcholaſticorum voces amplius ferre non poſſem) vt publicum acciperent editurus, in manus rurſus aſſumpſi correctioreſque factos non mediocri auctario locupletaui. Cum enim in Significatione verborum mentíſque coniectura lites ferè omnes verſentur, extricandum hoc argumentum aſſumpſi, quod veterum nullus condigne tractarat. Non me latet patrum noſtrorum memoria, Bartholomæum Veronenſem, cui à cepis cognomentum, neſcio quid hac in re compoſuiſſe, ſed eius dictata ad manus meas minimè peruenerunt, quod hi penes quos eſſe dicantur ceu theſauros ea cuſtodiant: at fortè theſauri (vt in prouerbio eſt) carbones erant. Mihi non libet temerè de illecto opere ferre ſententiam: ſed tamen res ipſa planè oſtendit, rectè hunc tractatum ab eo percipi non poſſe, qui ab humanioribus ſtudiis abhorreat, ſicut nec vice verſa qui haſce ſolas litteras profiteatur, niſi idem iuris quoque ciuilis diſciplina præcellat: oleum & operam hiſce in reſponſis interpretandis perdit. Quod non eo à me dicitur quod impenſe humaniorum litterarum profeſſioni non faueam, earúmque cultores pro dignitate ſuſpiciendos colendóſque non arbitrer: ſed quod vnaquæque ars ſuos habet fines, & intra quos conſiſtat cancellos, vt minimè de altera in alteram deſultare facilè quis poſſit. Conuenit Iureconſulto oratoriæ artis ſcientia, faciliorémque ad ius Quiritium aditum præſtat: non tamen corpus efficit, ſolam eius ſuperficiem colorat. Fuerunt maximi Iureconſulti Accurſius, Bartolus, & id genus alij, qui etiam apud illos veteres locum ſuum tenere potuiſſent, quos tamen conſtat, ne ſummis quidem labijs alias artes attigiſſe: Quo fit vt eorum ineptam cenſuram, non poſſim non admirari qui grauiſſimo ſupercilio & fluentiſona (vt Lucretius ait) ſcaturigine hoc ſolum nomine in eos inuehuntur, quod bonarum litterarum fuerint rudes: quaſi quiſquam ſanus ideo minoris excellentem aſtrologum faciat quod muſicam ignoret, Galenum medicum præſtantiſſimum damnet quod geometræ Euclidis circinum nunquam in manus ſumpſerit. Vix alium in vniuerſa legum ſylua tractatum offendes cui explicando adeò ſint humanitatis ſtudia neceſſaria: hic (fateor) abſque eorum notione intelligi perfectè nequit. Quapropter ſuarum virium conſcius Bartolus, quique poſt eum per manus hanc noſtram doctrinam tradiderunt, quod ad hæc reſponſa attinet nihil ferè ſcriptum poſteris reliquere. Hunc ego aggreſſus, cum pro viribus meis aliquandiu elaboraſſem ad vmbilicúmque perueniſſem, cognoui pro rei magnitudine adhuc non ſatis à me factum eſſe. Nec*

enim ſola Iureconſultorum quæ hanc ſub rubricam congeruntur reſponſa , omnem rem de-
clarant. Neceſſario igitur manum rurſus tabulæ admoui, & quatuor hoſce libros ſumma
celeritate & memet in horas præueniens (quod facere conſueuerunt , quum paululum tan-
tummodo deeſſe conficiendo negotio induſtrij artifices exiſtimant)compoſui.Qui qualeſcuni-
que ſint ingens afferunt vniuerſo Quiritium iuri lumen , vt non dubitem etiam ſi quicquam
à me idque humanitus erroris aliquid commiſſum ſit , à facili iuſtóque lectore veniam pro-
meriturum:quam & impetratu digniorem id facere debet , quod bibliotheca mea ob belli-
cas calamitates Mediolani derelicta , cùm huc conceſſiſſem , cõmodatitijs libris hiſque pau-
cis tantum mihi negotium aggrediendum fuit. Erunt fortè qui maiorem elegantiam requi-
rent, & ob Latinæ maieſtatis condignam à me rationem non habitam , diem mihi dicent:
quod nimis plana humiliſque noſtra oratio non ſchematis ornetur , non dictionibus ex anti-
quitate repetitis abundet,non Ciceronianorum verborum maieſtate refulgeat. Sed hi velim
ſciant hæc ab eo minimè expetenda eſſe qui manibus quotidie Bartolos, Baldos, Alexan-
dros huiúſque farinæ authores verſet,quíque humanitatis ſtudia non ex profeſſo , ſed obiter
quandoque & aliud agens interuiſat. Ad hæc ſcenæ me ſeruire neceſſarium fuit: quotus e-
nim quiſque ex legalibus myſtis noſtra legeret , ſi præter anxiam legum ſcrutationem,Cor-
nu quoque copiæ in manibus habendum illi eſſet,vnde & antiqua vocabula addiſcere, &
figuratos loquendi modos percipere neceſſe haberet? Vix eorum conuitia ferre poſſum, quo-
tidiéque cum eis mihi iurgandum eſt , qui qualemcunque hanc meam dictionem tanquam
obſcuram calumniantur,illúdque à vulgo exclamant,indoctius loquare ſed apertius. Quid
hi quæſo facerent , ſi paulo elegantiore ſtylo noſtratia hæc conſtarent ? Abijcerent manibus
tanquam ænigmata,& inter Heracliti & Lycophronis tenebras connumerarent.Nec im-
merito quidem id mihi accideret , qui cum Vlpiani aut Pauli planiſſimos & abſque vllo
ſermonis ſcrupulo compoſitos commẽtarios declaraturum me profiterer, obſcuriora ipſis au-
thoribus tradidiſſem , interpretéque ipſe vel potius natatore aliquo Delio indigerem. Satis
igitur nobis fuit Latinè vtcunque ſcripſiſſe : elegantiam ſermonis oratoribus permittimus
quanquam & ipſorum non modica laus ſit perſpicuitas. Sed cum quælibet ars ſua habeat
vocabula, nobis neceſſario noſtris vtendum , quæ tametſi aliquibus barbara & incondita
videantur,non idcirco tamen noua effingi oportuit,quæ nemo intelligeret. Verùm quid ego
diutius pro me verba faciam, qui huiuſmodi accuſatoribus non magis ſcribo quam Perſio
& Scipioni Lucillius,cuius exemplum imitatus veteranorúmque iudiciũ reformidans ſolos
tyrones ad diſciplinã voco,quibus hæc in præſentia non aliã præſertim ob cauſam exhibẽda
duxi,quam vt fidem meam aliqua ex parte liberarem. Pollicitus quandoque fueram reſe-
ctis tot interpretum ſuperfluis opinionibus iuris ciuilis prudentiam per quadraginta , & eo
amplius maxima volumina diſperſam in vnum corpus colligere, & contextus veterum le-
gum annexis gloſſematis illuſtrare. Ad quod opus componendum me velis remíſque (quod
dicitur)properantem,neceſſitas ipſa cui ne dij quidem,vt ille ait,reſiſtunt,retinuit:properan-
tíque iniecit manum. Bellica enim clade cenſu afflicto,ſubire aduocationes reſponſáque con-
ſulentibus dare coactus, cum alioquin ope mea cenſeri non poſſem, ad alias curas animum
traduxi. Verum ne omnino conturbaſſe promiſſionis meæ rationes viderer , id contracti a-
lieni æris in præſentia parte aliqua diſſoluere conſtitui. Solent autem duri exactores æquo
animo id omne ab his qui foro ceſſerint, tametſi modicum , accipere, & quicquid datur lu-
cro reputare.

PRÆFATIO

IOANNIS BRECHAEI

IN SVOS COMMENTARIOS,

De verborum & rerum ſignificatione.

QVI vitæ hominum ſortem conditionémque aliquando ſunt commentati, illi ſemper proculdubio iudicauerunt beatiores eſſe eos, quorum inſtitutum, aut in rerum diuinarum contemplatione poſitum eſſet, aut in Republica, rectè atque ordine conſtituenda: alterum quidem, ad Philoſophiam: alterum autem, ad Iuriſprudentiam pertinens. Eſt enim longè omnium poſtremum, atque à ſumma animi dignitate & virtute alienum, negotiatoriis ſe ſtudiis & quæſtoriis totum tribuere. Nam quantò præſtantior eſt corpore animus, hoc magis expetendi ſunt fructus hi qui ab excelſa animi dignitate proficiſcuntur, quàm à viliſſimi corporis actionibus. Potior itaque habenda fuerit animi cura quàm corporis, quem quidem animum alimento refici & recreari maximè oportet. Eſt ſiquidem (vt cum Cicerone loquar) animorum ingeniorúmque naturale quaſi quoddam pabulum, conſideratio contemplatióque naturæ. Vnde Eurillus Zenonis auditor, ſummum bonum in rerum cognitione & ſcientia collocabat. Quod Eretriatici in mente & mentis acie, qua verum cerneretur, poſitum aſſeuerabant. At quamuis naturâ generata ſit vis hominis, vt ad omnem virtutem nata factáque eſſe videatur, vnde parui virtutum quaſi quibuſdam ſimulachris ſine doctrina mouentur: veruntamen, quoniam illa quidem & cum Deo, & cum brutis animalibus communionem habet, niſi literis & ſtudiis ingenuarum artium excolatur ipſe animus, velut ignis quidam erroris atque ignorantiæ cinere ſopitus ac ſepultus, deſinet tandem homo in brutum: quando id longè à ſe poſuit, quod illi cum Deo potiſſimum commune eſt. Scitè igitur ac præclarè à Diogene & Demoſthene dictum: quorum alter ignaros & indoctos quantumlibet Fortunæ copiis inſtructiſſimos, oues aureo vellere onuſtas appellabat: alter eos dicebat ſimiles eſſe ficis ar-

boribus in præruptis locis ſtantibus, quarum fructus, non homines, ſed coruos & graculos carpere ſæpius contingeret. Qua ratione, qui ſumma ope & vigiliis laborarunt, vt hanc mentis & intellectus exactam conſtitutionem, quam ſapientiam vocamus, conſequerentur, & liberalium artium conſummatam cognitionem, non ſolùm cum ſummis hominibus comparandi ſunt, ſed diis quoque ſimillimos eos cenſeri fas eſt. Et quid, rogo, his artibus eſt præſtantius, quæ non ſolùm ad ſummi Dei, ſuíque ipſius cognitionem, ſed & etiam ad immortalitatis gloriã viam homini faciunt? At quid turpius eſt quàm ſpretis iiſdem artibus ingenuis, ſolo diuitiarum & rei faciendæ ſtudio teneri? Quæ inquam, vita beata eſſe poteſt, imò potius immanis & fera, quæ bonarum literarum humanitate, quaſi ſale mercuriali, cõdita non ſit, nec communi prudentia perpolita? Quæ cũ bono cuique, tum vel maximè Iuriſprudentiam profeſſo, quantùm expetenda & perdiſcenda ſunt, nemo eſt aliqua iudicij parte præditus, qui apertè non videat & ſentiat. Quid enim (ſi Marco Tullio credimus) aliud eſt Iuriſconſulti domus, quàm oraculum ciuitatis? Neceſſe eſt igitur Iuris periros, qui (vt Papinianus ait) in conſilium Principum aſſumpti ſunt, & circa eorum latus agunt, id eſt adminiſtrandæ Reipub. præfecti, bonarum artium & Philoſophiæ eſſe calentiſſimos. Quibus, vt omnia ſoluta & libera, ſic in reſpondendo & dicendo iure prompta & expedita eſſe debent. Sed nunc (proh ſcelus indignum) res eò rediit, vt qui iudicandi munus ambiunt, potiùs quàm obeunt, maxima ex parte ac pauciſſimis exceptis, [illegible] ſint prorſus, & illiterati: Quo fit, vt cùm ineundum eſt illis de cauſa inſtructa conſilium, quò ſe vertant, aut quid agant omnino neſciant: & cùm interim ſuæ ſortis & muneris non meminerint, iura omnia, prece & precio, ſimul etiam gratiâ exæquare non dubitant. O peſtem teterrimam, & maximam toti Reipub. internicionem adferentem! hæc facit ignorantia, non prohibet auaritia. Poſſum ego ſanè cum M. Cicerone, ſed id tamen ægrè, nunc dicere, quod inueterauit iam opinio pernicioſa Reipubl. & omnibus pericoloſa, quæ non modò in Gallia, ſed apud exteras nationes omnium ſermone percrebruit, his iudiciis quæ nunc ſunt, pecunioſum hominem, quamuis ſit nocens, neminem poſſe damnari. Eſt enim pecunia ſceleratis, in corrumpendis iudiciis, maximum auxilium, nihílque tam ſanctum eſſe credas, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecuniâ poſſit. Porrò, ſceleratæ cognitorum pragmaticorúmque mentes, miris incautos litigãtes technis ac modis pelliciunt, & velut naphtha ignem ad ſeſe attrahunt, tum demum prædam inhiantis inſtar Crocodili exhauſtis, ac propemodum exuctis loculis, hos quadam veluti tabe confectos, præuaricatores iniquiſſimi, potentioribus aduerſariis tradunt, noctem peccatis ſuis & nubem fraudibus offundentes, dum omnia ex Aduocatorum conſilio, & bonâ illorum veniâ agere ſe prætexunt. Quare, illi quidem [illegible] apponunt ſibi [illegible] patronos, frigidos ſanè & infantes, ſed tamen qui do-

ctrinæ

ctrinæ & eruditionis ſimulachris ſuperbi, & ementita Iuriſprudentia, callida iſtorum Cognitorum commendatione & ambitioſa, auras populares aucupari frequentiùs ſoleant. Dum verò ad cauſas agendas accedunt, nihil amplius nec aptius, quàm χειρονομῶν & mirandas gladiatorum θαυμασίας præferre norunt. Quid enim aut didicerunt, aut ſcire potuerunt, qui antè ad agendum quàm ad cognoſcendum venerunt? Itaque, plus illi authoritate & opinione hominum in reſpondendo iure, quàm ingenio, doctrina, & æquitate valent. Iſthac autem arte conantur doctorum bonorúmque luminibus obſtruere. Quæ, malum! res indigna animũ meum eò vſque contorſit & exulcerauit, vt iam penè conſtituerim τῶν πραγμάτων καὶ τῶν δικαστηρίων ἀφίστασθαι. Iam verò cùm morbo huic dudum obfirmato obſiſti à me nequit, cur ego tantoperè in ea re laboro, támque ſtudioſè, ac veluti ambitioſè? Ergo pernicie hac omni valere iuſſa, conſolor me ipſe bonarum diſciplinarum ſtudiis, & his artibus in quibus non vtilitas quæritur neceſſaria, ſed animi libera quædam oblectatio. Potior namque mihi videtur exercitatio pecuniæ contemnendæ, quàm rei faciendæ & augendæ. At quamuis patrociniis & officiis forenſibus aliquatenus diſtringor, ſucciſiua tamen tempora occurrũt, quæ ego perire non patior. Itaque ὑποτεμνοῦμαι νύκτας τε καὶ ἤματα πάντα, dum ad optatum ſtudiorum meorum curſum contendo. Quo fit, vt hos in titulum, DE RERVM ET VERBORVM SIGNIFICATIONE, Commentarios ſcribendos ſuſceperim, tum vt ad rem propoſitam vtiliſſima ratione exercitarem, & ad ſenij obliuionem, vt inquit Plato, tum vt ſi qua mihi literarum cognitio eſſet & diſciplinarum, in quibus me non inficior mediocriter eſſe verſatum, veri Iuris ſtudioſos labore meo & induſtria adiuuarem. Quid, quæſo? Tantúmne mihi temerarius arrogo, vt ſupra magni illius Alciati vires & conatus egregios moliri aliquid me poſſe putem? Et profectò non ea fuit vnquam animi mei intentio, neque inſtitutum. Multa etenim ac eadem luculenter ſcripſit Alciatus, ſed non ita quidem omnino abſoluta, vt poſt eum quædam adhuc inueniri non potuerint, quæ vel ipſe forſan conſultò prætermiſit, vel ſcribendo memoria exciderant, quæ tamen ad rem maximè pertinerent. Ea ego pro ingenij mei quantumlibet exigui captu ſtudioſis vt traderem, obnixè elaboraui. At cùm amicorum rogatu ſuaſúque edere propoſuiſſem, priuſquàm obtrectatorum inuidiæ obiectum dem me præcipitem, bonos & prudentes, eoſdémque doctiſſimos viros in conſilium editionis aſſumpſi, vt admonerer ſi quid me, velut meum fallit. Probauerunt illi ſupramodùm, & lectione atque auribus eruditorum dignum cenſuerunt. Quibus gratulatus ſum me, & rectè & amicè admonentibus. Sed tamen nonnihil ab ipſis ea in re diſcedo. Proponunt autem mihi Alciatum, & Duarenum, quorum exemplo, vt quia ſunt duo veluti Reipublicæ literariæ lumina λαμπρότατα, commoueri aliquando debueram. At propoſiti mei rationem quando illis probaui, nullo mecum negotio conuenerunt. Proferam quippe ex aduerſo ma-

*. iiij.

gnum illum And. Tiraquellum, Zaſium, Franciſc. Connannum, Conradum Lagum, Corraſium, Oldemdorp. Carolum Molinæum, ac propemodum alios innumeros excellenti ingenio doctrináque ſcriptores, quos enumerare immenſi eſſet operis, noſtra tempeſtate eximios, quorum ego ſi veſtigiis hæreo, aberraſſe non credam. Quod reliquum eſt, Latini ſermonis puritatem, quoad fieri potuit, diligenter obſeruaui. Si quæ autem parum Romana καὶ ἄκυρα deprehendat delicatiſſimus lector, id de induſtria factum à me fuiſſe credat. Sunt enim in ea, qua verſamur, arena, voces aliquot receptiores quàm vt loco moueri poſſint: niſi planè obſcurus haberi velim, cùm tamen interim & docere, & interpretem agere inſtituiſſem. Plus igitur in ſcribendo induſtriæ ponendum fuiſſet, ſi aut res ſerias grauiter tractarem, aut doctis tantùm non omnibus ſcriberem, aut ad ingenij commendationem aliquid commentarer. Hos ſiquidem Commentarios ſcripſi, non vt quidam magiſter atque artifex, ſed quaſi vnus è Togatorum numero, atque ex forenſi vſu homo mediocris, neque omnino rudis videar ipſe aliquid non à me prompſiſſe, ſed omnia ex authorum abdytis deſumpſiſſe.

INDEX LEGVM AC PARAGRAPHORVM

quæ in his Commentariis DE VERBORVM SIGNIFICATIONE *continentur.*

Prior numerus legem, poſterior paginam indicat.

A

ABſentem accipere. 199.430
Actionis verbo. 34.95
Ædificio Romæ. 139.318
Ager eſt locus. 27.77
§. Stipendium. 1.78
Alienationis. 28.79
§. Oratio quæ. 1.83
Alienatum. 67.166
Aliud eſt capere. 71.176
Aliud fraus eſt. 131.299
Aliud eſt promittere. 174.375
Anniculus non ſtatim. 134.310
Anniculus amittitur. 131.305
Apud Labeonem. 246.529
§. Reſtituit. 1.529
§. Prædia dicimus. 1.223
Appellatione parentis. 51.137
Appellatione rei. 72.178
Armorum appellatio. 41.118
Aſſignare libertum. 107.252

B

Bonæ fidei emptor. 109.254
Bona ciuitatis. 15.43
Bonorum appellatio. 49.134
Bonorum appellatio. 208.454
Boues magis. 88.209

C

Carbonũ appellatione. 167.365
Cæterorũ & reliquorũ. 160.352
Cedere diem. 213.461
§. Ad alienum. 1.464
§. Lata culpa. 2.464
Cenſeri eſt. 111.258
Cepiſſe quis intelligitur. 140.320
Cognoſcere inſtruméta. 56.149
Collegarũ appellatione. 173.373
Commodare. 186.399
Conditionales. 54.145
Coniunctionem. 28.84
Coram Titio. 209.456
Creditorum. 11.31
Creditor autem. 55.146
Creditores. 10.28
Cui præcipua. 57.150
§. Perſequi. 1.152
Cum biſſextus. 98.225
Cum in teſtamento. 202.435
Cum præter. 81.195
Cum quærebatur. 240.518
Cum ſtipulamur. 97.224

D

Debitor intelligitur. 108.252
Dediſſe intelligendus. 76.182
Delata hæreditas. 151.338
Derogatur legi. 102.245
Deteſtatio eſt. 40.109
§. Serui appellatione. 1.117
§. Familiæ. 2.117
§. Vnicus. 3.118
Dimiſſoriæ literæ. 106.251
Duobus negatiuis. 237.507

E

Et cætera. 44.106
Etiam ea mulier. 141.321
Etiam aureos. 159.349
Eum qui vectigal. 16.45

F

Facere oportere. 189.405
Faciendi verbo. 175.376
Familiæ appellatione. 196.425
Ferri propriè. 235.502
§. Fabrca. 1.503
Filij appellatione. 84.198
Frugem pro reditu. 77.184
Fugitiuus. 225.486
Fundi appellatione. 211.459

G

Generi appellatione. 136.315

H

Habere duobus modis. 188.402
Hæredis. 65.164
Hæredis appellatione. 170.370
Hæreditatis appellatio. 119.271
Hæreditatis appellatione 138.317
Hæc enuntiatio. 231.494
Hæc ſtipulatio. 200.433
Hæc adiectio. 192.418
Hæc verba cui rei. 69.172
Hæc verba. 73.179
Hæc verba ille aut ille. 124 282
Hæc verba quanti. 193.415
Hominis appellatione. 152.340
Hoſtes hi ſunt. 118.269

I

Id apud ſe quis. 143.327
Illa verba. 68.170
Illa verba optimus. 163.356
Impenſæ neceſſariæ. 79.188
§. Vtiles impenſas. 1.191
Iudicaſſe. 197.426
In conuentionibus. 219.474
In generali. 80.194
In itinere. 3.11
§. Eius qui. 1.13
In lege Cenſoria. 203.441
In ratis cæſis. 241.519
In ſtratum. 45.127
In vſu iuris. 158.348
In vulgari ſubſtitutione. 162.354
Inde tabernacula. 184.393
Intelligendus eſt. 153.341
Interdum proprietatem. 78.187
Inter diuortium. 191.410
Inter donum & munus. 194.415
Inter hæc verba. 179.385
Inter illam. 217.471
§. Item ita. 1.472
Inter publica. 17.47
§. Publica. 1.48
Inter ſtuprum. 101.237
Inteſtatus. 64.162
Inſtructam autem. 185.399
Is qui natus. 210.458
Iuſta interpretatione. 201.434

L

Labeo. 14.40
§. Rem amiſiſſe. 1.42
Labeo libro primo. 18.54
Latæ culpæ. 223.482
§. Amicos. 2.483
Lege obuenire. 130.297
Liberationis. 47.131
Liberorum appellatione. 220.475
Liberti appellatione. 172.372
Libro memoralium. 144.328
Licet capitalis. 103.247
Licet inter. 58.153
§. Paternos. 1.154
Littus eſt quouſque. 96.222
Littus publicum. 112.260
Litis nomen. 36.97
Locus eſt non. 60.156

M

Magna negligentia. 226.488
Malum nauis. 242.520
Maiore parte anni. 156.345
Marcellus. 9.26
Meorum & tuorum. 91.215
Mercis appellatio. 66.165
Mercis appellatione. 207.452
Mille paſſus. 154.342
Minus ſolutam. 32.93
Modeſtinus reſpondit. 105.250
Morbus ſentiens. 113.261
Mouentium item. 93.218
Mulieris. 13.35
§. Res abeſſe. 1.36
§. Deſinere autem. 2.39
§. Abeſt & ea. 3.39
Municipij. 228.490
Munus tribus. 17.53
Munus proprio. 214 465

N

Nam quem ſine. 149 335
Natorum appellatio. 104 249
Natura cauillationis. 177.377
Nepos proculo. 125.284
Neratius Priſcus. 85.200
Nihil eſt aliud. 24.64
Nomen filiarum. 164 357

Nominis. 6.19
§. Verbum. 1.20
Non eſt pupillus. 161.353
Non eſt ſine liberis. 148.334
Non poteſt videri. 217.268
Non tantum in. 169.369
Notionem accipere. 99.228
§. Continentes prouincias. 2.230
§. Inſtrumentorum appellatione. 2.232
Nurus appellatio. 50.136

O

Oſtentum. 38.102

P

Palam eſt. 33.94
Pali & pertica. 263.368
Paries eſt ſiue murus. 257.345
Partum non eſſe. 26.75
Paterfamilias liber. 282.590
Patroni appellatione. 52.158
Paulus reſpondit. 221 479
Pecuniæ. 4.14.& 15
Pecuniæ nomine. 222.481
Pecuniæ verbum. 178.380
Penes te. 63.762
Perueniſſe ad te. 171.371
Plebs eſt. 238.508
§. Deteſtatum. 1.509
Plus eſt in. 22.61
Portus appellatus. 59.154
Poteſt reliquorum. 95.220
Poteſtatis. 215.466
Pratum eſt. 31.92
Præuaricatores. 212.460
Princeps. 20.59
Probrum &. 42.120
Pronuntiatio ſermonis. 195.417
Pronuntiatum &. 46.129
Prouinciales eos. 190.408
Propriè bona. 83.197
Proximus eſt. 92.217
Proximi appellatione. 155.344
Pueris appellatio. 204.446
Pupillus eſt. 239.510
§. Seruorum appellatio. 1.511
§. Incola. 2.511
§. Munus publicum. 3.513
§. Aduena. 4.514
§. Decuriones quidam. 5.514
§. Vrbs ab vrbe. 6.515
§. Oppidum ab ope. 7.516
§. Territorium eſt. 8.516

Q

Quæret aliquis. 135.313
Quæſtio eſt. 105.264
Qui in continentibus. 147.333
Qui fundum. 205.449
Qui mortui naſcuntur. 229.294
Qui venenum dicit. 236.503
§. Glandis appellatione. 2.506
Qui vti optimæ. 90.214
Quid aliud ſint. 86.205
Quiſquis mihi. 110.266
Quod dicimus. 231.493
Quos nos hoſtes. 234.499
§. Locuples eſt. 1.501
§. Verbum viuere. 2.502

R

Recte dicimus. 25.69
§. Quintus. 2.73
Rei appellatio. 5.16
§. Opere. 8.17
Rei appellatione. 22.62
Reſtituere is. 75.182
Reſtituri. 55.96

S

Satiſdationis. 61.158
Sæpe ita comparatum. 53.140
§. Item dubitatum. 1.144
Scæuola reſpondit. 243.524
Sciendum eſt. 70.172
Sequeſter dicitur. 110.256
Seruus ſit. 122.277
Si caluitur. 232.495
§. Poſt Kalendas. 1.496
§. Telum vulgo. 2.497
Si cui. 12.31
Si qua pœna. 244.525
Si cum fundum tibi. 126.287
Signatorius anulus. 74.180
Si ita à te ſtipulatus. 250.336
Si quis ſic dixerit. 133.309
Soceri ſocrus. 146.332
Soluendo nemo. 124.262
Solutionis verbo. 176.376
Solutum non. 48.132
Spadonum generalis. 128.290
Specioſas perſonas. 100.234
Sponſio. 7.22
Statuæ adfixæ. 245.527
Subſignatum. 39.105
§. Bona intelliguntur. 1.107
§. Atteſtare. 2.108
§. Incertus. 3.209
Sylua cædua. 30.86
§. Stipula illecta. 1.89
§. Noualis. 2.90
§. Integra autem. 3 90
§. Glans caduca. 4.91
§. Paſcus ſylua. 5.92

T

Tabernæ appellatio. 183 392
Tantum quiſque. 87.208
Ter enixa videtur. 137.316
Tigni appellatione. 62.160
Tranſacta. 229.491
Triplici modo. 242.522
Tugurij appellatione. 180.386

V

Veniſſe ad hæredem. 165.360
Verbum Amplius. 82.196
Verbum erit. 123.279
Verbum exactæ pecuniæ. 187.401
Verbum facere. 218.473
2. Verbum hoc. 2 4
Verbum illud permittere. 181.388
Verbum oportebit. 8.24
§. Actionis. 1 25
Verbum oportere. 37.99
Verbum reddendi. 94.219
Verbum ſuum. 9.517
Verbo victus. 43.123
Verba contraxerunt. 19.58
Verbis legis. 120.272
Veſtis appellatione. 127.288
Verum eſt. 216.469
Vinaria vaſa. 206.450
Vinculorum appellatione. 224.484
Virilis appellatione. 245.331
Vrbana familia. 166.361
Vrbana prædia. 198.427
Vrbis appellatio. 2.6
Vt Alphenus ait. 86.207
Vt ſunt. 230.492
Vſura pecuniæ. 121.274

FINIS.

DIONYSIVS GOTHOFREDVS I.C.
Ad Lectorem.

QVÆ ad huius Tituli commendationem attinent (amice Lector) pluribus commemorare nihil nunc neceſſe eſt: nam vel ipſa tituli nuda proſcriptio eius vtilitatem prodit ſatis. Quid enim frequentiùs inter homines quàm verba? ſiue pacta, conuenta, tranſactiones & contractus, ſiue iudicia ac teſtamenta: cæteras denique omnium rerum & actionum voces ſpectes? quibus (ſi qua re alia) vti ſolent inter ſe homines quàm maximè. Quæ vt ſunt in hac hominum ſocietate vſitata per ſe, tum verò dubitationes ſummas nobis pariunt: quòd non vna ſimplex, atque eadem verborum etiam eorundem ſit interpretatio, ſed multiplex nonnunquam variáque: his nimirum præduram, ſtrictam, propriam præfractámque interpretationem adferentibus: illis impropriam, æquam & benignam, ſed quæ ad voluntatem mentémque loquentis accedat propiùs. Hinc litium ſi verum amamus, noſtrarum ſanè pars quàm maxima, hinc controuerſiarum forenſium origo eſt: vt ea re, nihil penè in toto Iure vtilius Iuris ſtudioſo videatur, quàm verborum vtriuſque notę, (hoc eſt, proprias & improprias notas habere ſignificationes.) His enim verbis inquam & vocibus (vt litteris ſyllabæ) conſtant formulæ, clauſulæque noſtræ, quarum vſum præcipuum eſſe in contractibus, teſtamentis, iudiciis, & ſimilibus forenſes noſtri, hoc eſt, practici liberè pronunciare ac fateri ſolent. His fit vt in toto genere interpretum Iuris noſtri, ij demum operam bonam nauaſſe intelligantur, qui titulum hunc iuris amplexi VERBORVM IVRIS SIGNIFICATIONES, non tantum ex iuris authoribus ad id quod ſcire interſit, ſed & ex ſelectioribus aliis, ad honeſtas animi voluptates poſteris tradidere. Hoc numero, ALCIATVS, BRECHÆVS, FORNERIVS, æquo Iure ſunt cenſendi, quorum induſtriæ atque vigiliis, hos COMMENTARIOS omni genere eruditionis refertos, acceptos ferimus. Qui cum ſinguli ſuam per ſe vtilitatem Iuris ſtudioſo præbeant, iuncti, vnà inquam iuncti multò maiorem eidem adferant neceſſe eſt. Nam & facilior ita eſt horum Commentariorum lectori decurſu, & quàm inter eos authores interſit, iniri multò facilius poteſt ratio. Quæ vtà nobis tuo commodo (Lector) præſtita, ita bonus boni conſules, Vale. Ex Muſæo xxiiij. Auguſti, M.D.LXXXIX.

IN VTILISSIMAM TRIVM IVRISCONSVLT. CONIVNCTIONEM,

à Dn. Dionyſio Gothofredo V.C. contextam,

EPIGRAMMA.

HOs quibus aſſimilem, clariſſima lumina iuris,
ALCIATVM, BRECHÆVM, *téque* FORNERI *comes?*
Tres ſunt Mercurij, quos IVSTINIANVS *ab alto*
Miſit, Cæſareus Iuppiter ille, polo:
Vt ſua verba egeant poſthac interprete nullo,
Et nemo in dubium iura ſacrata vocet.
Quas verò grates tibi GOTHOFREDE *feramus,*
Hos qui diuiſos iunxeris? ecce, manet
Te mentes apud haud ingratas gloria, laúſque
Excellens, vllo non peritura die.

P. B. C. G. I. C.

COMMENTARIVS AD TIT. DIGESTORVM

DE VERBORVM SIGNIFICATIONE:

Trium præſtantiſs. Iuriſconſultorum

Alciati, Brechæi, Fornerij.

¶ Ad rubricam huius Tituli, ALCIATVS.

DE VERBORVM. ¶Cùm inuenta ſint verba vt dicentis intentionē exprimant, meritò eius voluntas in primis ſpectanda eſt. Cognoſcitur autem ex eo, quod verba ipſa indicant. ¶Ea quatuor modis accipiuntur: ex proprietate, ex vſu, ex abuſione, & per interpretationem. Prima ſpecies ita intelligitur vt in quacunque materia, etiam pœnali, verba eatenus capiantur, quatenus proprietas ſermonis ferre poteſt, *l. cum lege. ſuprà de teſtam.* niſi non ita voluiſſe autorem, præſumamus: tunc enim ex coniectura reſtringuntur. Ea variis ex cauſis aſſumitur. Ex re. Quid enim ſi de re tam modica vel leui agatur, vt operæpretium non ſit diſpoſitionem legis generaliter in ea ſeruari? Ex perſona, vt cum lex imponit certam pœnam delicto, & iniquum eſſet, ſi ampliſſimi gradus homines ea coercerentur. *Rom. epiſt. §. de vero l. ſi vero ṡ. ſolut. matr.* nam ex amicitia, adfinitate, odio, paupertate, maxima excellentia, multa conſtituta ſunt quibus à generalibus regulis receſſum eſt. Ex negotij qualitate, vt ſi neceſſitas ſuadeat, vel periculum ſit in mora, vel abſurdum aliquid conſequatur, réſve ad eum caſum deueniat, quem maximè autor abominetur, & ſi qua ſimilia. ¶ In hac parte etiam continentur, quæ figuratè dicuntur: quoniam figuræ ad ornatum orationis pertinent & proprietati cohærent: poſſémque ferè omnium tam quæ à Grammaticis, quàm quæ ab oratoribus traduntur exempla, apud Iuriſconſultos reperiri, ſed ſatis ſit, pauca admonendi cauſa in medium attuliſſe. Et in primis latiſſima ea eſt ſpecies, quæ per tranſlationem fit: vt cùm domus pro familia, ciuitas pro ciuibus, venter pro eo qui adhuc in vtero eſt, ponitur. Parricida non qui patrem ſolùm occiderit, ſed & qui cæteros coniunctos, quorum lex Pompeia meminit, intelligitur. Cuſtodia pro ipſis cuſtoditis, ſeu carcere incluſis accipitur. *l. cuſtodias. ṡ. de publ. iud.* Sic cùm lex noxium in ære puniri mandat, in bonis patrimoniôve exercendā vltionem interpretamur. Sic & ſi is qui apud ſe fugitiuum receperit, plecti mandetur, *l. 1. §. ṡ. de ſer. fugit.* non de eo qui iuxta ſe tenuerit, ſimpliciter accipimus, ſed qui refugium præſtiterit in domo ſua, vel aliena, idq; occultandi cauſa. ¶ Ad hanc cognitionem etiam pertinent alia figurarum genera, vt quod affectionem vocamus: veluti cùm in lege quandoque, adulter, fur, aleator dicitur, qui hæc crimina affectat, quamuis non perfecerit. Et fugitiuus, qui conſilium fugiendi habuit, *l. fugitiuus. j. eod.* licet adhuc fugam non arripuerit. ¶ Huic non abſimilis eſt anticipatio ſeu prolepſis, cum id nomen quod poſterius res ſumpſit, ante tempus deſcribitur. Qua ratione litem quandoque appellamus antequam conteſtetur, tametſi propriè poſt iudicium acceptum hoc nomen habeat. Sic & pecuniam mutuam dicimus quæ adhuc mutuò non data eſt, *l. malum. §. 2. j. eod.* ſed ea deſtinatione habetur, vt mutuetur. Huic figuræ ea eloquutio contraria eſt, qua rem ea appellatione ſignificamus, quam olim habuit, licet in præſentia non habeat: vt cùm Proculus inſulam appellauit eum agrum, qui olim inſula fuit, licet hodie propter alienationem deſierit. Sic & in inſtrumentis, *l. eius qui. ṡ. ſi cert. pet.* etiam Titio mortuo aliquis ſe filium Titij appellat: ſúntque plurima id genus ſimilia. ¶ Adſcribi ſchematis quoque poteſt, cùm verbum actus ſignificatiuum de potentia intelligimus: vt lege xij. Tab. ſi aqua pluuia nocet, id eſt, nocere poterit. Et apud Labeonem, *l. Labeo. de ſtatu lib.* ſi rationes tractaſſe videbitur, id eſt, videri poterit. ¶ Eſt & frequens in iure ſubauditio, vt cùm dicimus, Iuriſdictio eſt iudicis dandi licentia, pro in licentia. *l. imperium. ṡ. de iuriſdict. omn. iud.* Sic & quandoque taxatiuam dictionem ſubaudimus, quandoque è conuerſo augmentatiuam maximè: quandoque dictionem reiicimus, vt cùm duplex negatio pro vnica ponitur, qui duodecimus eſt ſolœciſmi modus: quandoque vnam coniunctionem pro alia addimus. Sed in his omnibus id generaliter traditum ſit, vt quoties figura vel ornatus, vel neceſſitatis vel emphaſeos cauſa apponitur, ſemper de ea cenſeamus, quod & de proprietate iudicandum eſt: alioquin ad abuſum potiùs vel interpretationem pertineat, de quibus inferiùs dicetur. Sicque explicitus ſit primus tractatus. ¶ Sequens articulus de communi loquendi vſu erit: is etiam

proprietate potentior eſt.*l.anniculus.l.in vſu.ꝟ.eod.* Tametſi quod ex prudentium conſuetudine obtinuit, non dubitem propter eorum authoritatem propriè dici, alioquin tyrannus impropriè de malo principe diceretur, cùm olim ſui natura qualemcunque ſignificaret. quod de religioſo, & deuoto dicendum eſſet, cùm olim hæ voces in malam partem ſolùm acciperentur: at hodie ſolùm in bonam. ¶Is vſus variè accipitur. In teſtamentis patrisfamilias conſuetudo ſpectanda: in contractib. ipſorum contrahentium: in priuilegiis eius qui concedit: præſumitúrq; ſecundum eum vſum, qui communiter in ciuitate obſeruatur, quemlibet agere niſi de contraria obſeruatione probatum ſit, vt ille vſus nuper & citra decennium inualuerit: nec enim veriſimile eſt, tam citò omnes in eius obſeruātiam conſenſiſſe. Per abuſum verba regulariter non accipiuntur, niſi aliter actus vel periret, *l.cum filio.ꝟ.de leg.* vel eluſorius redderetur. Idem & ſi eadem ratio nos inducat, vt quod ex proprio ſenſu dictum eſt, ad improprium trahamus: nam ex præſumpta mente diſponentis huiuſmodi, etiam in ſtatutis & correctoriis diſpoſitionibus admittetur. Hocq; caſu nihil nos deterrebit, quò minus perſonam de vniuerſitate dicamus, teſtamētum de codicillis, curatorem pro furore, *Alex.l.2.ꝟ.de lega.1.* Idem & tunc dicendum erit, cum aliter verba legis captarentur, frauſve illi fieret. Quapropter ſi lege municipali triticum extra territorium abſportare nemini liceat, *c.ciuitas.de ſent.exc.* nec farinam deferri conceſſum erit. ¶Ex interpretatione quæ admittuntur, ſi extra vim verborum veniant, ſolique menti innitantur, nec in contractibus, nec in teſtamentis obſeruātur: *l.quidam cum filium.ꝟ.de hære.inſt.* quoniam in eis licet primum locum mens obtineat, attamen eam oportet aliquo modo verbis ſaltem impropriis exprimi. Non ita eſt in legibus, quoniam vel ſola mens legis obligatus: quapropter in eis argumentum de ſimilibus ad ſimilia paſſim ſeruatur: & (ſi eadem ratio ſubſit) vna lex ad aliam trahitur: *c.certum.de regul.iur.in 6.* niſi correctiones vel pœnalia, odioſáve aliqua inducerentur. Quæ non ita generaliter in contractibus & teſtamentis locum habent, ſi verba aliquo modo non patiantur, niſi vel natura rei, vel cōſuetudo adiuuet. Idem ſi aliqua alia ratione ſuadeatur. Et ad hanc ſpeciem pertinent plura argumentorū genera, vt quod à contrario ſenſu dicitur, & quod à connexis: itéq; per interpretationem, vt quod commune eſt, dicatur meum, vt verbum maioris ſummę ſignificatiuum minorem contineat, vt quod per me non poſſum, per alios facere prohibeat: vt in vno capite dicta, in ſequens repetita videantur, vt in ſimplicibus mixtum contineatur: aliáque quàm plurima argumenta, quorum exempla in Topicis Cicero refert.

Rervm. ¶Verba ſignificant, res ſignificantur, tametſi & res quandoq; etiam ſignificent, vt hieroglyphica apud Horum, & Chęremonem cuius argumenti & nos carmine libellum compoſuimus, cui titulus eſt, Emblemata. Sed & ex certis ſignis præſumptiones oriuntur. verùm hæc minimè ad hunc tractatum pertinent. Capitur hîc ergo ſignificatio & in actionis & in paſſionis ſenſu, ſicut & teſtamenti factio. *l.filiusfam.ꝟ.de teſtam.* Poteſt & hic locus ex dialecticorū traditionib. interpretationem aſſumere, qui (vt Fortunatianus tradit) hanc differētiam inter verbum, dictionē, & rem conſtituunt, vt verbum ſit quod ex ſe & materialiter (vt vulgò loquimur) prolatum eſt: dictio, verbi ipſius ſenſum habet, qui in proferentis animo cùm latuiſſet, per verbi expreſſionem exiit: ſic verbum cum ſenſu dictio eſt. Res eſt, quæ exprimitur, & ex verbo dictionéque declaratur: vt ſi interrogem, verbum Si quis, quid comprehendit? Si quis quatenus nudam pronuntiationem propter ſe reſpicit, verbum eſt: quatenus ſenſum habet, quem ego antè animo concepi, dictio eſt: maſculi verò & fœminæ ex eo verbo ſignificati, res ſunt. Quam rem ſic Vergilius explicuit.

Litera rem geſtam loquitur, res ipſa medullam
Verbi, quam viuax mens videt, intus habet.

Sanè in antiquis codicibus aliqui negant verbum, rervm, reperiri, ſimpliciterque ſcriptam rubricam, De verborum ſignificatione.

Significatione. ¶Sumitur hęc ſignificatio variis modis: nunc habito reſpectu ad ipſum proferētem, vt ſi vir imperitus ſit, craſſa minerua accipiantur verba: nunc conſiderata eius perſona, ad quem verba diriguntur: plerunq; & ſecundum naturam eius rei de qua ſermo habetur, vel quæ in contractum deducitur: accipitúrq; huiuſmodi declaratio, etiam ſi præciſa, indefinita, generalia verba ſint: quoniā nihil impedit, quin ad habilem veriſimilémq; caſum retrahātur, & boni viri arbitratu intelligantur, qui conſuetudini loquentis multum tribuit: & proximis clauſulis mentem coniectabit, quandoq; & diſtantium rationē ducet, interpretabimúrq;, vt cum effectu prolata ſint, vt ſecundùm dubium ordinem, vt actus potius ſuſtineatur, quàm pereat, *l.quoties.2.ꝟ.de reb.dub.* vt non ſuperuacua ſint, ſed aliquid operentur, vt in potiorem ſenſum diſponant, vt ad ampliationem inducta non diminuant, ad liberationem non obligent, ad fauorem non noceant, vt naturalem ſenſum potius quàm ciuilem admittant, vt ſimpliciter prolata, prima vice officio ſuo fungantur, vt ad id quod principaliter geſtum eſt, potius referantur, quàm ad acceſſoria, vel demonſtratiua, vt captioſa non proſint, vt clara non offuſcentur, vt ſuperflua non noceant, vt mitiora velint, odioſa abhorreant, poſſibilia inducant, vt ad maiora expreſſis non trahantur.

Brechævs.

Cvm omne ius quo vtimur (inquit Paulus iureconſul.) aut ad perſonas pertineat, aut ad res aut ad actiones, atque circa hæc quidem ſæpè exiſtant permulta perplexa, ſinuoſa & ambagioſa in verborum ac rerum interpretatione ſignificationéq; cenſenda: ſed & quæ diſceptationis ſunt minimè expeditæ & iuris ambigui: certè non ſine cauſa collocatus eſt hic ſuo ordine titulus de verborvm et rervm significatione. Verba etenim ideò recepta ſunt, quibus cōceptum animi homines aperirent, proferréntque *Bal.in l.ſi non conuicy.C.de iniuriis.* ¶Qua ratione debent vt plurimùm menti conuenire, & ad eius intentionem adæquari. *l. Labeo.§.idem Tubero.de ſuppellect.leg. & l.librorum.§.quod tamen Caſſius. de leg.3. tex.eſt in cap.ſi requiras.in prin.extrà de appella.not.* Bald.in

rub.Si

rub. Si cert. pet. ff. quapropter non verborum ratio tantùm attẽdi debet, ſed mens ipſa, animiq́; voluntas. l. ſcire oportet. §. ſi aliud in fi. de excuſa. tut. No. in l. in venditione. C. commu. præd. Sed nec tam verborum habenda erit ratio quàm mentis: cùm nunquã tanta ſit verborũ, quàm ſenſus ac mẽtis ipſius facultas: potiſſimùm autẽ in ſupremis hominum mandatis & vltimis voluntatibus, in quib. cùm dubia ancépsq́; fuerit verborum ſignificatio, mens magis voluntáſq́; teſtatoris conſeruanda eſt, quàm verba, tex. in l. cùm virum. C. de fideicom. & in eundem locum Albet. ſcribit, verba nunquam ipſo ſenſu atque intellectu potentiora cenſeri, ſecun. l. iij. C. de libe. prætert. & Ange. conſil. 27.

¶Quando autem propriæ verborum ſignificationi adhærendum ſit, quando verò non, videbis apud Vlpia. in l. 1. §. ſed ſi ſciente. ff. de exercit. vbi gl. & docto. Bald. in d. l. cùm virum. C. de fideicom. & in l. fi. C. de codicil. in l. non dubium. C. de legibus. in l. ſi quis ſeruo. C. de furt. & ſor. in l. voluntatis in princ. C. de fideicom. Bartol. & docto. in l. non aliter. de leg. iij. ¶ Sanè verba propriam ſignificationem accipiunt à vulgari & communi loquendi vſu. Solent enim verba plerunque ætatis lapſu mutari, & alia renouari. Quod eleganter Horatius in arte poet. docuit his verſibus.

Vt ſylua foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: Ita verborum vetus interit ætas,
Et Iuuenum ritu florent modò nata, vigéntque. Et paulò poſt,
Multa renaſcentur quæ iam cecidere, cadéntque.
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet vſus,
Quem penes arbitrium eſt, & vis & norma loquendi.

¶Propterea admonet Quintilia. lib. 1. vtẽdum eſſe verbo, vt nummo cui publica forma ſit. Vnde fit, vt a propria verbi ſignificatione recedendum eſſe contendant noſtri doctores propter vulgarem loquendi vſum. Quæ eſt opinio Iacob. But. in authent. ſacramenta. C. ſi aduerſ. vend. & in l. 1. ff. de fid. inſtru. Cuius quidem opinionem citat Ant. eámque ſequitur in procem. Gregoria. atque huic conuenit quod ſcribit Bart. in l. 1. C. de iuram. calum. & in d. l. Labeo. de ſuppel. leg. ¶Qua ratione eleganter dicit Bal. in tit. de pace conſtan. §. ſententia. extraneum nothúmq́; eum eſſe intellectum, qui vulgi auribus & captui minime conuenit. Citat in hanc rem cap. ex literis. de conſtitu. Idem quoque ſentit Ioan. And. in Nouell. cap. fundamenta. de elect. in vj. Et Bar. in rub. de noui ope. nuncia. & l. j. de ſuis & legi. glo. ſingu. in l. ſtipulatio iſta. §. hoc quoque. de verb. oblig. quo loco Bar. ſcribit, verbum à teſte prolatum accipi debere ſecundum communem loquendi modum. Quod ipſum etiam ſentit Inno. in c. cùm cauſam. & in cap. cùm clamor. in fi. de teſtib. ¶ Sed & ſolus loquendi vſus, omni regulæ, omni item conſtitutioni derogat in exaudiendis ſermonibus. ¶Quia cùm magis ſit facti, nulla iuris ratione poteſt mutari. Glo. aurea in l. librorum. §. quod tamen Caſſius. de leg. 3. Bar. in l. omnes populi. ver. iuxta prædicta quæro. de iuſti. & iur. Cõuenit l. cùm de lanionis. §. aſinam. de fun. inſtru. & ibid. Bartol. qui equidem Bart. multùm expendit. d. §. quod tamen Caſſius. atq́; rectè conuenire interpretandis ſtatutorum verbis, maximè verò ambiguis, & ancipitis variæque ſignificationis: vt ſecundùm vulgarem ſermonem ac cõmunem loquendi vſum debeant interpretari. cap. & literis. de ſponſa. glo. in ca. ſtatutum. §. omnium autem. de reg. iur. lib. 6. & Ancha. in rub. de offi. delega. ¶Sed quid? An vulgaris hic loquendi vſus, de vulgari ſermone vernaculóque idiomate cenſeri debeat? Cum rude hominum vulgus de verborũ exactiori interpretatione & ſignificatione non magnopere laborare ſoleat. Glo. & Bal. in l. quod ſi nepotes. de teſta. tute. reſpondent cenſeri. Non enim rude vulgus, legum capit verba, neque differentias ambagioſas. Nihilominus tamen in cõtraria eſt ſententia. ipſe Bal. in l. 2. C. de ſucceſ. edic. quo loco de communi & vulgari, Prætori ſermone & loquendi vſu intelligendum cenſet: propterea quòd vulgaris loquendi vſus eorum qui ſunt omnino ἀγράμματοι, ἀπαίδευτοι, καὶ ἄμουσοι, ſeu literatum expertes non ſoleat ad ſtatutum transferri & protendi. De hac re videto Panor. conſ. 75. inci. Primò eſt videndum. & conſi. 79. cuius initium eſt illud de iure quæritur, &c. ¶Tu interea animaduerte verba ſtatutorum, & diſpoſitionis ciuiliter eſſe intelligenda, ſic vt iniqua conditione non cenſeantur, néve iniquitatem videantur continere. l. pen. de exhibit. reo. l. ſi cui. de ſeruit. l. nã & abſurdũ. de bo. lib. ff. glo. in l. damni infecti ſtipulatio. §. ſi is qui vicinas. in verb. Pompo. de dam. infec. quam legem in hanc rem citat Bal. in l. quinque. C. de ſer. fugi. Quid de verbis pactorum ac contractuum? ſanè ſunt ſemper diſtinctione adiuuãda, ne forſan in varietatem captus, ac controuerſi facti, iuriſq́; ambigui formales, inconſultò incidant cõtrahentes partes. Bat. in l. ſi. §. item quæſitum eſt. de cond. ind. Ang. in l. eum debere. de ſeruit. vrb. præd. Albert. in l. fin. C. de in ius vocan. Cy. & Bal. in l. cùm facta. C. de iuris & fa. igno. vnde Alex. conſ. 186. & 198. & 98. in ij. vol. Ang. conſi. 225. inci. Reperitur. Paul. Caſt. conſi. 155. inci. in præſenti cauſa. Saly. in l. cùm precum. C. de libe. cauſ. Bal. in l. ſcriptura. C. de fi. inſtru. Bat. in l. de ætate. ff. de mino. in l. Labeo. de ſuppel. leg. ¶Iam verò naturæ contractuum potius verba ſeruiunt, quàm natura verbis ipſis. hoc Bal. in l. 2. C. commodati. vbi citat literam. in l. inſulam. de præſcrip. verb. Singula igitur contractus verba diligenter ſunt expendenda ac diſcutienda. ¶Noſtrum enim non eſt neq́; addere, neq́; detrahere. l. fideiuſſores. §. Pro Aurelio. de fideiuſ. & l. ſancimus. ad fi. C. e. l. ſi ita ſtipulatus. §. Chryſogonus. in fi. de ver. oblig. Bald. in l. lecta. ſi cert. pet. in l. ſi duo. §. ſi quis iurauerit. de iureiur. c. cum olim. Abb. in fi. de offi. del. Inn. in c. cùm clamor. de teſt. ¶ Quorum autem verborum ſignificatio vel ambigua eſt, vel quæ omnino captum hominum fugit, & in ciuitate aliqua non cõprehenditur, accipienda quidẽ erit ſecundũ vicinarum ciuitatũ intelligentiã & ſenſum. Glo. in c. certificari. de ſepult. Sic obſcurũ Principis reſcriptũ, à reſcripto principis alterius interpretationem debet accipere. Bal. in rub. de reſcrip. Ad hãc rẽ facit gl. in c. ex parte. in verb. Fedrũ. de iur. prætor. quo loco explicat illud, Fedrũ, vulgari & idiomatico Lõgobardorũ ſermone: quãuis Angliæ epiſc. Papa ibid. videatur ſcribere. ¶Sed ad Etymologiæ auxiliũ cõfugimus, quando cunq́; ſignificãdi modus nõ erit à iure traditus. Nã à verbi etymo, plerunq́; propriã ſignificationẽ ducimus. Bal. in c. adhæc. de poſt. præl. Verbũ quippe ſemper debet agere, atq́; aliquid operari in ea, qua ſitũ erit, materia: oportet enim ſermones reb. ipſis, qua

rum gratia reperti confictiq; ſunt, cognatos eſſe. Bar. *in l.1.§.poteſtatis de peti.* Bald. *in c. cauſam quæ de reſcri.* Neque verò abſurdum fuerit, vt verba ſecundum loci mores & conſuetudinem interpretationem accipiant etiam aduerſus proprium & germanū ſignificatum. Panor. citans Inno. & Bal. *in c. certificari in prin. de ſepult.* Verba autē ſtatuti, de repetitis & frequentatis (vt noſtri doc. loquuntur) actibus ſunt intelligenda. *l. quod autem.* & ibid. Bar. *de iur. dot.* & ſecundū quod hactenus obſeruatum fuit. Bal. *in l. rem non nouã. §. Patroni per glo. ibid. C. de iud. & in Authen. omnes peregrini. verſ. ſed pone. C. commu. de ſuc.* ſic quoq; teſtatoris verba accipimus, vt frequētior ac potior illi mens fuerit & magis communis intellectus: cui ſtandum erit. Bar. *in l. heredes mei. §. cum proponeretur. ad Treb.* Bar. *in l. ſuus quoque. §. ſed iam mortuo. de here. inſti.* Vnde ſcribit Bal. *in l. precibus. C. de impub. & aliis ſubſti.* rationi eſſe conſentaneum, verba ad cogitatum referri. Eodē fere pertinet, vt in legum capitibus interpretandis verborum argutias non ita ἀκριβῶς & exactè expendamus, quin verum earum ſenſum rectè conſideremus. Non enim ſub ſunt inta vocabulis. *l. omne verbum. C. commu. de leg.* Bal. *in authen. defuncto. C. ad Tertul.* Quare ſolet dici ſcire leges, non eſſe illatum verba tenere. Vnde iureconſultus dixit longè τὸ ῥητὸν τῆς διανοίας, verbum ſ. à ſententia diſtare. ¶Cùm igitur compertiſſimum ſit his duobus, re ſcil. & verbis obligationes omnes, pacta, & cōtractus, contrahi, actioneſq; concipi, operæprecium erat poſt infinita iuriſprudentum reſponſa, illi etiam ingenti Pandectarum moli huoc titulum, DE RERVM ET VERBORVM SIGNIFICATIONE adiicere: quo quidem titulo interprete, & veluti natatore aliquo Delio, quæ in his iuriſprudentum reſponſis ambigua forent, perſpicua ſtudioſis redderētur. ¶Et profectò multùm intereſt quātùm exactè quis teneat nomina & appellationes cuiuſq; diſciplinæ. Quando aliter Terminum iureconſultus accipit, i. limitem vicinum agrum diſterminantem: aliter Dialecticus, eum ſcil. in quem reſoluitur oratio. Traditur quippe non aliter Labeonem iureconſultus vetos enucleaſſe, quam vocum verborúmq; interpretatione. Chryſippus (vt author eſt Gellius) *lib. 11. c. 12.* dicebat omne verbum ambiguum natura eſſe, quoniam duo vel plura ex eodē accipi poſſent. Diodorus autem, cui cognomētum Crono fuit, nullum aſſerebat eſſe verbum ambiguum, debere aliud dici. Nec debere aliud videri dici, quā quod ſe dicere ſentit is qui dicit. Aduertere igitur oportet animū obuiæ ſpeciei entū quę varia ſignificatione ſub voce æquiuoca efferuntur, ac etiam conſiderare quid vna quæque loquentis dictio & quomodo ſignificet. Si quis enim verbum aliquod aliter quam pro animi noſtri mentiſq; captu pronunciet, ipſumq; ſermonem reprehendimus, non illum ſanè qui dicit (ſi re vera id fateri velimus) reprehendiſſe videbimur, ſed noſtram potius ſuſpitionem opinionémve. Quę quidem verba ſunt Gal. *in lib. 1. Aphoriſ. Hip. Aphoriſ. 14.* περιέχειν νῦν χρὴ τὰς ὁμωνυμίας καὶ σκοπεῖσθαί τι ποτὲ σημαίνει λέξις ἑκάστοτε βούλεται τοῦ λέγοντος. εἰ γὰρ ἐκείνου καθ' ἕτερον σημαινομένου τοὔνομα φέροντος, ἡμεῖς αὐτὸ ἑτέρως δεξάμενοι τὸν λόγον ἐνδειξόμεθα, οὐ τὸν εἰρηκότα δ' ἄν τις κατὰ γε τὴν ἀλήθειαν αὐτὴν ἐξελέγχοιμεν, ἀλλὰ τὴν ἡμετέραν ὑπόληψιν. SIGNIFICATIONE. ¶Quia verba ſignificādis rebus inuenta ſunt, oportet ipſum ſignificare, id eſſe quod rei ipſius eſſentiā, veluti picta quadam in tabella ἀκριβῶς exprimit, & ponit ob oculos. hoc Græci σημαίνειν, καὶ προσσημαίνειν & προσσημαντικὸν ſignificatiuum. vt ῥῆμα ἐστὶ μέρος λόγου χρόνων διαφόρων προσσημαντικόν, i. verbum eſt pars orationis cum actione etiam tēporum ſignificatiua. προσσημαίνειν etiam Bud. teſte, ſignificat dare ſignum & rem oculis obiicere. Significare igitur eſt rem, de qua quæſtio eſt, repræſentare. Sed id quidem variis modis. Nam modò ſtrictius, modò latiùs, nunc propriè, nunc autem impropriè & καταχρηστικῶς res ipſa ſignificatur, ac ſecūdum ſubiectam materiam, *vt in l. certum. Si cert. pet. Feli. c. 1. de ſumma trin. Alciat. in d. l. certum.* ¶Iam verò quandocunque de verbi ſignific. inter iurecōſultos agitur, de propria ſolet intelligi: niſi aliud teſtatorem ſenſiſſe deprehendamus. Vt ſi Titius veſtē legauerit, da veſte nondum texta ſanſiſſe non putandū eſt, niſi quoq; nō textam nuncupatis & expreſſis verbis adiecerit. ſic qui libros ſuos ſtudioſo alicui legauit, chartas puras legaſſe nō cenſebitur, qui & chartas puras, & libros ſcriptos, aut typis excuſos ſimul in ſcriniis haberet reconditos. h. e. *in l. librorū. §. quod tamen Caſſius. de leg. 3.* Eſt etiam SIGNIFICARE, aliquando iudicare & prædicere aliquid venturum, vt cum dicimus de ſignis pluuiam, vel ventos, vel quid aliud ſignificantibus. Cic. *in orat. pro Sex. roſcio Amer.* Anſeribus (inquit) cibaria publicè locantur, & canes aluntur in capitolio, vt ſignificent ſi fures venerint, & fures internoſcere non poſſunt, ſignificant tamen &c. Sed & ſignificare, prętter ſummum principis ſignificationis caput eſt aliquid demonſtrare & repræſentare. ¶Qua ratione, dicuntur verba conſignificare, quando præter ipſorum verborum naturam & actum, tempus etiam verbi indicant. *l. in dilectis. §. ſi extraneus. de nox. act.* ¶Dicitur etiam conſignificare verbum, quando confirmationis gratia cùm alio ſignificat. *vt l. Aurelius. §. teſtamento. de lib. leg.* Quàm variè SIGNIFICARE apud iureconſ. accipiatur, eleganter hîc Alcia. tractat. Sed hîc admonitum te velim, vt ſi Latinus loqui velis, ad ſignificare potius quàm conſignificare (quod Barbarum eſt) dicas. hoc Græci etiam προσσημαίνειν dicunt.

LEX I. VLPIANVS lib. j. ad Edictum.

VERBVM hoc, SI QVIS, tam maſculos, quàm fœminas complectitur.

ALCIATVS.

VERBVM. ¶Quia articulus hic refertur ad hominem, quæ dictio eſt cōmunis, meritò etiam ex ſermonis proprietate fœminas comprehendit: alioquin maſculina appellatiua, vt Alius, cubicularius, equus, adoptiuus, non propriè eas comprehenderant, ſed per extenſionem eámque cōmuni vſu approbatam, vt Baldus ſcripſit *in cap. ad audientiam de reſcri.* vel vt Ancharano viſum eſt) per expoſitionem ex legis mente deductam. *Anch. conſ. 112.* ¶Quod verò conformis nominis non eſt, vt frater, non niſi ex interpretatione ad ſororē traheretur: *Cypru conſ. 62.* qua ratione nec auunculi appellatio ad materteram, ſicut nec patris ad matrem pertinebit, *Corn. cōſ. 271. in 4.* idq; vſus probat licet alij contrà, *Deci. l. fœmina. ſ. col. 1.* prætetquàm cum in numero plurali quis de fratribus dixerit: nam & ſoror eor

ror eorum,hac appellatione veniet. *Paul.in l.tres fratres de pactis.*

Maſculos. ¶Vnde ſi expreſſa mentio facta eſt de maſculis, fœminæ excludentur. Idem, ſi de viro: nam & id nomen nullo modo poteſt ad fœminas pertinere.

Complectitur.¶Niſi aliter ſenſiſſe auctoré appareat, *l. Lucius.§.quæſitũ.ꝫ.de leg.3.* vel ex coniecturis, vt cum ſeparatim de vtroque ſexu actum eſt, *l.ſi ita. de lib. & poſthu.* vel quia diſpoſitio non benè fœminis conueniat. Quid enim, ſi teſtator filios tutores, vel etiam executores conſtituat ſi lex propinquorum conſilium requirat? Certè hæc fœminis non conueniunt. Quid ſi filiis feudum acquiratur? ab his enim fœminæ excluduntur. Quid ſi hæreditatem relinquat, a qua fœminæ ex lege municipali,exiſtentibus maſculis reiiciuntur? *l.ſi quis id quod.ꝫ.de iuriſd.omn.iudicum.* Quid ſi ei qui primus naſcetur, caſtrum dono promiſſum ſit? non enim conſueuere hæc donari fœminis. *Guido Pap. quæſt.*305. Idem & ſi lex perquàm dura ſimúlque pœnalis ſit, *l.quiſquis.C.ad l.Iul.maieſt.* vel teſtatoris diſpoſitio odioſa eſt,vt cùm filium ſuum exhæredat. *l.1.§.quare.ꝫ. de vent.in poſ.mit.*¶Idẽ & in contractibus,vt ſi pater ſibi & filiis aliquid acquirat: ſibi enim imputet qui legem apertiùs non dixit. Et id cõmuni conſenſu traditũ eſt,quod mihi nunquã placuit.¶Satis enim manifeſtè loquitur,qui iuris regulã ſequutus eſt:quæ ſi in edicto prætoris pœnali locũ habet, quantò magis in contractib.ſeruanda eſt?quapropter & in lege municipali ſeruabitur:niſi correctoria ſit,vel odioſa, vel niſi rarũ ſit,vt in ea ad literam verba accipiantur,quod Baldus & Cornæus exiſtimant. *Bal.conſil.* 460. *in 5.Cor.14.in 2.* Sanè & cum pater filiis tanquam hæredibus ſtipulatus ſit, tunc dubio procul etiam fœminæ admittentur,nec communis ſententia(vt ego arbitror)reclamabit,quod & aliqui hic dixerunt.

BRECHÆVS.

VERBVM. ¶Non apud iureconſultos tantùm,maſculinum enunciatum,fœmininum complectitur, *vt l.ait Prætor.§.hæc verba.ff de neg.geſt.l.1.§.ait Prætor.ff.de conſti.pec.* verumetiam apud antiquos Poëtas & Oratores, ac Comicos,tum Græcos tum etiam Latinos. Quod videre eſt apud Plautum *in vidularia.* Dic mihi(inquit) ſi audes,quis ea eſt quam vis ducere vxorem? Et apud Terentium *in Eunucho.* hunc oculis ſuis noſtrorum nunquam quiſquam vidit Phædria. Quæ quidem antiqua locutio eſt & *ἀρχαϊσμός*,teſte Donato. *Et* Ouid.

Si quis in hoc artem populo non nouit amandi,
Me legat,& lecto carmine,doctus amet.

¶Hic per hoc verbum, SI QVIS,tam fœminas quàm viros intelligi voluit:cum veriſimile ſit ipſum Ouidium,ſexus vtriuſque lectoribus ſcripſiſſe,& conſulere voluiſſe. Iam verò quod hic dicitur maſculinũ cõmplecti & cõprehendere fœmininum,accipiendum erit vt generaliter & regulariter id cõcipiatur,ſicuti colligimus *ex l. pronũciatio.ꝫ eo.* In qua cõtinetur,pronunciationẽ ſermonis ad vtrunque ſexum plerunq; porrigi.Quo loco verbum,PLERVNQVE,interpretatur regulariter,vt *§.fi. Inſti.de legit.patrono.tute.& glo.ibid.Tex.in l.cum virum.& ibidem etiam gloſ.C.de fideicom.in l.3.verſi.quia plerunque.de offic.præfec.vrb.* Not.Sal.*in l.poſt ſententiam.C.de ſenten.& interloc.om.iud.* ¶Ego quidem dixerim,plerunq;,ſignificare id,quod non ſemper. Vt cum Galenus *in lib.1.Aphoriſ.* Hippocratis dicit maiorem ἐς τὰ πλεῖστα cõmitti errorẽ in victu tenui,quem *ἀκριβέστερον διαίτην*, hoc ipſum ἐς τὰ πλεῖστα id eſt,vt plurimùm & plerunque,nõ ſemper intellexit:quoniã non omnino nec ſemper victus tenuis, id eſt,*λεπτὴ καὶ ἀκριβὴς δίαιτα* ægrotantibus nocet,ſed è contrario nonnunquam prodeſt. At verò regulariter eſt periculoſus victus tenuis magis quàm paulò plenior,ſeu *ἁδρὰ τροφή*, vt Galeni verbis vtar. ¶ Sic maſculinũ plerunq;, i.non ſemper neq; paſſim complectitur fœmininum:non enim ſemper habet locum hęc regula:maximè in pœnalib.& odioſis:niſi delictum ſit *ἀδιάφορον*,& quod perinde poſſit à fœmina atque à viro perpetrari.de qua re diffuſius Bart.hic,& Iaſ.*in l.à iudice.C.de iudi.* Nã ſi aliam eſſe pronunciantis mentem captúmq; animi compertum ſit,fallet hęc regula. *vt l.Lucius.§. quæſitum. de leg.3.Text.cum glo.in c.hac imago.xxxiij. cauſ.qõ.v.in verb.in homine. c.intelligentia. de ver.ſig.extrà.* Innumeras alias huius reg.limita.diffuſe videbis apud Bar.Cy.& reliquos doc. quas immenſe propemodum eſſet operis hîc reponere:& Accur.nonnihil hoc loco exequitur. ¶Concludemus igitur verbum hoc,SI QVIS,tam maſculos, quàm fœminas complecti, nõ ex ſermonis proprietate,ſed *καταχρηστικῶς*,aut tranſlatitia legis interpretatione. De hac re aliquid videbis apud Bald.*in auth. quicunq. C.de epiſc. & cler.per tex.in l.quicunq.de ſer.fugit.* vbi quoq; Bald.uo. & Inno.*in cap. Grauo. de ſenten. excom.*quib.locis ſcribitur verbum quicunq;,tam maſculinum quàm fœmininum cõpræhendere. At è contrario, turpiſſimum eſt fœmineo vocabulo maſculos cõtineri,ait Pomponius *in l.ſi ita ſcriptum. de leg.3.* cuius quidem rei eam eſſe rationem Accur.tradit, ꝙ minus dignum dignius ad ſe non attrahat:quam ſententiam Accurſij probat Alciatus, ſed eam extra captũ mentémq; Pomponij iureconſ. eſſe contendit, ac ipſius verba aliud ſignificare. Sciendum eſt, (inquit *lib.2. παρέργων*) veteres ſolitos fuiſſe, quoties aliquem tanquam mollem & effœminatum carperent, fœminino eum vocabulo irriſionis gratia appellare. Quod Ariſtophanes in nubib.oſtendit Soſtratum Cleonymúmque mordicus carpens, atque etiam Amyniam *ὁρᾷς γυναῖκα τὴν ἀμυνίαν καλεῖς.* Cui reſpondet Strepſiades *οὐκοῦν δικαίως ἥτις οὐ στρατεύεται*).Fœminámne vides quam Amyniam dicis?Rectè ſanè quiſquis non militet.

FORNERIVS.

VERBVM. ¶In legibus,edictis,ſenatuſconſultis,conſtitutionib.principum,plebiſcitis,teſtamẽtis, codicillis, iudicũ & arbitrorum ſententiis & interlocutionibus,negotiiſq; cõtrahendis,alia virorum, ac fœminarum ratio habetur. *l.9.in multis.ꝫ.de ſtat.ho.l.2. de regu.iur.* interdum marium quoque deterior eſt conditio, *l.5.C.ad leg.Iul.maieſt.* Vocouia lex mulieres ab hæreditatibus excludebat: Salica à regni & feudorum ſucceſſione. ¶Sed quoniam appellatione virorum mulieres continentur his verbis SI QVIS, *quicunque*, vtrúmque ſexum ſignificari receptum eſt, vt in edicto

Prætoris quod cum eo qui in alterius poteſtate eſſet negotium geſtum erit, *De eo* loquitur Prætor, non *de ea*: ſed tamen & ob eam quæ eſt fœminini ſexus dabitur ex hoc edicto actio, vt in ancillas & filiasfamilias, ſi qua forte ſarcinatrix aut textrix erit, aut aliquid vulgare artificium exercebit. *l.1.l.27. Et ancillarum. De pecul.* In Traiani beneficio. *Quicunque profeſſus fuerit.* QVICVNQVE accipere debemus, tam maſculum quàm fœminam. Nam fœminis quoque, quamuis delationibus prohibentur, tamen deferre ſe permiſſum eſt, *l.16.ait, De iure fiſc.* Cicero in Cluentiana. QVI VENENVM MALVM FECIT, FECERIT: Et ſi, inquit, *apertum eſt: tamen lex ipſa docet: Vbi enim omneis mortaleis alligat, ita loquitur,* QVI VENENVM MALVM FECIT FECERIT, *omnes viri mulieres, liberi in iudicium vocantur.* Ait Prætor, SI QVIS *negotia alterius, ſiue quis negotia, quæ euiuſq; cum is moritur, fuerint, geſſerit, iudicium eo nomine dabo.* Subiungit Vlpianus, *hæc verba* SI QVIS, *ſic accipienda ſunt, ſiue qua. Nã & mulieres negotiorum geſtorum agere poſſe & conueniri non dubitatur.* Et pòſt, ALTERIVS, inquit, *& hoc ad vtrumque ſexum refertur, ſiue maris, ſiue fœminæ negotia geſta ſint. l.3.l.14. ſi filiafamilias, de negot. geſt.* Inde adeò hominis appellatione fœminæ quoque continetur. *l.152. hominis, ĵ.h.t.* Nomine fratris ſoror intelligitur. *l.35. tres fratres, De pact. l.88. Lucius. 2.§. matre, de legat. 2.* Calpurnius Flaccus, *declamat. 43.* Iofamis frater in furorem virginem, occiſus eſt à patre indemnatorum lege: Sic exorditur pater: *Dilexerunt ſe mutuo fratres vltra meum votũ. O fortuna crudelis, abſtuliſti filium, relinque vel filiam.* ¶Ex eodem & illud fonte eſt, ſeruis legatis, ancillas deberi, quia commune nomen vtrumque ſexum contineat: ſerua legata non contrà. Neque enim ancillarum appellatione ſeruos venire: exemplo turpe eſſe maſculos fœminino vocabulo contineri. *l.101. inter ſtuprum, ĵ.h.t. l.48. ſi ita ſcriptum, de legat. 2.* Filiorum appellatione, filias comprehendi, non contrà. *l. ſeruis, de legat. 3.* Itaque Demoſthenes contra Stephanum teſtem, cum iure Attico cuique liceret bona ſua, niſi filios haberet, cuicunque vellet, dare: Solonis legem ita interpretatur: vt ad filias quoque producat. Hic de ornamentis virilibus ac muliebribus, & vtrique ſexui communibus, nihil hoc tempore adiiciam: De Androgynis inferiùs quoq; diſſerendi dabitur locus. Ait, TAM MASCVLOS QVAM FOEMINAS. ¶Quis vnquam de hoc, niſi amens dubitauerit? Cur non potiùs ita ſcriptum eſt, *tam fœminas, quàm maſculos?* Hyſterologiam agnoſcimus, vt *in d.l.16. ait.* Quam figuram à iuris auctoribus vſurpatam aliquoties deprehendimus, *l.1. ſi ager vectigal. l.7. iuriſgentium, de pactis, non minus ex verbis, quàm ex mente conuenientium æſtimandum eſt.* Perperàm Haloander *non nimis, pro non minus,* contra veteres codices, emandarat. Occurret aliud exemplum. *l.8. verbum oportebit. ĵ.h.t.*

II. PAVLVS lib. j. ad Edictum.

VRBIS appellatio muris, Romæ autem continentibus ædificiis finitur: quod latiùs patet.

ALCIATVS.

VRBES. ¶Idem in ciuitate, caſtro, villa, oppido. *c. ſi ciuitas, de ſent. exc. in 6.* Nã hæ dictiones id propriè ſignificant, quod ambitu murorum continetur. Quod tamen nó admittitur, vbi aliam mentem proferentis cóiiceremus, vt ſi diſpoſitio eluſoria redderetur. Sed & in beneficiis principum tam anguſta interpretatio minimè eſſet admittenda. *l.1.§. cum vrbem. ƺ. de off. præfect. vrb.* Quinetiam ſi quis caſtrum vendat, de omni iuriſdictione actum intelligetur, quatenus in eius agro exerceri conſueuit. *l. ſi quando. C. de bo. vac. lib.10.* ¶Sed & ciuitas quandoque non pro loco, ſed pro ciuibus accipitur: vt cùm quis ciuitati vel ciuibus aliquid mandat. ¶Et tunc etiam eos comprehendi, qui ex vicis, oppidiſve eius vrbis ſint, Bartol. credidit. *l. qui ex vico. ƺ. ad municip.* Alexander diſſentit, ſi de ciuibus dictum ſit: quoniam vicani non propriè ciues ſint. *§. ſi quis igitur. in authen. quib. mo. nat. eff. ſui.* Id ego non probo: cùm latiorem plerunque habeat ſignificationem quod de ciuibus dicitur, quam de ciuitate. *l.1.§. procul. C. de lat. lib. toll.* Vnde in Hiſpania, Gallia, cæteriſque prouinciis erant pleraque oppida, quorum incolæ ciues Romani dicebantur, vt eſt apud Liuium, Pliniúmque, & Strabonem, qui tamen ipſi in Italiam nunquam venerant, nec idcircò vrbs ſua Romana dicebatur. ¶Quapropter communem ſententiam ſequor, *Alex. in rubri. ſol. matr.* vt nihil interſit, ſiue de ciuitate, ſiue de ciuibus agatur. Et in priuilegiis ſimiliſque argumenti actibus, incolæ tantùm ciuitatis ſuburbiorúmque continebuntur ciuium appellatione: alioquin etiam vicani admittentur, niſi fortè vel vſus loquendi, vel qualitas negocij aliud indicent.

Roma. ¶Quid ſi dictum ſit vrbis Romanæ? & aiunt idem ac ſi Romæ, quoniam vrbs de Roma accipitur. Et ideo videtur adiectio ampliationis cauſa facta. In quo diſſentio, cùm veriſimilius ſit propter declarationem acceſſiſſe. Nec enim vrbs propriè de Roma ſolùm dicitur, ſed per ſubauditionem, vel potiùs *κατ' ἐξοχὴν. §.2. Inſtit. de iure nat.* Quid item ſi dixerim, in ciuitate Peruſina? & traditur id tantùm contineri, quod muris clauditur: ſi verò è cõuerſo, Peruſinam ciuitatem appellauerim, etiam de continentibus ædificiis agi: vt id ſit obſeruandum quod priore loco fuerit pronunciatum. *l. ſi ſeruus communis. de ſtip. ſer.* ¶Quod ipſe nequaquam probo, cùm adiectiuum demonſtrationis loco ſubſtantiuo accedere grammatici fateantur. Quapropter ſi vrbs Roma dictum ſit, cùm nullum adiectiuum hic proponatur, perinde habebitur, ac ſi Roma ſimpliciter dictum eſſet. *l. nam quod. in fi. de pe. l.* ¶Sanè patriæ quoque lata ſignificatio eſt, nec ſolis mœnibus terminatur: *l. tutorem. §. legauerat. de leg. 3.* quin & quandoque patriam de prouincia dicimus, *vt* Bald. probat *in authent. ſed omnino. C. ne vxor pro ma.* ¶Quod ergo hic de Roma dicitur, id & in cæteris vrbibus obſeruandum eſt, ſi continentia quoque ædificia habeant, quamuis ferè omnes abſque ſuburbiis ſint, & murotenus claudantur. *d.l. nam quod.*

¶ *Finitur.* ¶Quid ſi ampliora mœnia maioriſque ambitus nuper constructa fuerint? Et quod eis

contineb

continebitur, vrbs erit. Nec refert, vt Bartolus ſentit, hic dubitare, poſsintne populi ſua ſponte ciuitatem condere: quia etiam ſi non poſſint (quod tamen iure gentium falſum eſt) iam códitam ampliorem munitioremque reddere non prohibentur.

BRECHÆVS.

VRBIS. Vrbis appellationem quàm Romæ non tam latè patere docet hic Paulus Iureconſ. in vrbe autem eſſe dicuntur, qui intra murorum ambitum agunt: qui verò in ſuburbanis & vrbi adhærentibus ædificiis, Romæ. Vnde & centuriata comitia, teſte Liuio, non in vrbe haberi dicebantur, ſed Romæ: propterea quòd nephas erat intra vrbem procinctum eſſe exercitum. Sed & in ſortitione magiſtratuum, ratio haberi ſolebat eorum tantùm qui in vrbe erant. Vrbis ſiquidem appellatio, per excellentiam ſeu κατ' ἐξοχὴν, Romam complectebatur. Vnde ſi quis ius ciuile ἁπλῶς atq; abſolute enunciaſſet, ius ciuile Romanorum intelligebatur. vt *Inſtit. de iur. natu. gen. & ciuil. §. 2.* ¶Qualiter autem accipiatur Romam primùm fuiſſe quadratam, & vt dicit Plutarchus, ῥώμην τετράγωνον, atque etiam πρὸς τὴν ἰσονομίαν id eſt, ad æquilibritatem, compoſitam, eleganter Petrus Crinitus *lib. 4.* declarat. At verò quæ ſit vrbis ſignificatio, *quid villa*, & quàm varia, atq; vnde dicta, quid item villa, luculenter ſcripſimus in noſtris Commentariis ad ſtatuta municipalia Turonenſis præfecturæ: quod diligenter animaduertiſſe, minimè pœnitebit.

¶Eſt igitur Romæ latior appellatio, & ſignificatio, quàm vrbis. Vnde ſi legauero quodcunq; in vrbe habeo, videbor ſenſiſſe tãtum de his bonis quæ intra vrbis mœnia ſita ſunt. *l. Nam quod liquidè. §. ſi ita. verſ. Et quidem vrbem. de pœnu lega. & l. vt Alphenus. ꝫ. eo.* ſed in ea re, teſtatoris mẽtem captumque vt diſcutiamus atque expendamus oportet. Ecce enim ſi de loco ſenſiſſe tãtum comperiatur, accipienda ſanè ſunt ea ſolum quæ intra mœnia vrbis ac murorum ambitum tempore legali habebat: vt iurib. ſuprà citatis. Sed ſi rei legatæ qualitas attendatur, videndum erit, nunquid ea etiam extra vrbem porrigatur. Vt quia dixerit Titius, vrbanam meam omnem ſuppellectilem do lego: cenſebitur dixiſſe de omni ea ſupellectile quam & in ciuitate, & in ſuburbiis, & vſque ad centeſimum lapidem habet. *Tex. eſt in l. j. §. cùm vrbem. de offi. præfec. vrb.* Nam qualitas ſupellectilis ea eſt, vt & ruri & in ciuitate haberi poſſit. Quòd ſi bona, quæ vrbis habitationi tantùm commoda & deſtinata ſunt, quis legauerit, non ad ea quidem quæ extra vrbis mœnia ſunt, protrahentur: cum id qualitas rei legatæ nõ patiatur, quæ rem ipſam, veluti vmbra corpus, quocunque ingrediatur loco, ſequitur *not. glo. in l. Frater à Fratre. de condic. indeb. & argu. l. Iulianus. §. ſed & ſi quis. & quæ ibidẽ no. ad exhiben. cum ſimilibus.*

¶ Sanè eadem cauſa cenſetur caſtrum, villa, & metrocomia, qua & vrbs. Quæ ſententia eſt Bartoli hic *per l. quicunque. de fund. limitro. libr. xj. C. & cap. ſi ciuitas. de ſenten. excom. lib. vj.* itaque per loca inſigniora, eorum quoque appendices intelligemus.

FORNERIVS.

VRBIS. Hic traditur differẽtia vrbis, & Romæ. Roma latiùs patet. Vrbs (quia ab vrbo ſeu vruo: id eſt aratro nomen inuenit) ciuitatem mœnibus cinctam ſignificat. Nam in vrbe condenda aratrum circunducebatur, vt murorum ſpatia definirentur. *l. 239. pupillus. ꝫ. hic.* & in delenda inducebatur *l. 21. ſi vſusfructus. ſuprà quib. mod. vſusfr. amitt.* Vtrúmque ritum M. Manilius legiſlatorum genituram deſcribens expreſſit:

Vrbibus augebit terras, iunctiſque iuuencis
Mœnia ſubcinctus curuo deſcribet aratro.
Aut ſternet poſitas vrbes, inq; arua reducet
Oppida, & in domibus maturas reddet ariſtas.

Cicero *lib. 1. de republ. Quam cum locis manúque ſepſiſſent, eiuſmodi coniunctionem tectorum, oppidum vel vrbem appellarunt: diſtinctam ſpatiiſq; communibus. Pro Seſtio, tum domicilia coniuncta quas vrbes dicimus, inuento & diuino iure & humano mœnibus ſepſerunt.* Primigenius ſulcus, Feſto auctore, dicitur qui in cõdenda noua vrbe, tauro & vacca deſignationis causâ imprimitur. ¶Vrbs igitur ſpatio murorum circũſcribitur: Roma verò latiùs patet. Qui legat, quæ in vrbe habet, ea quæ intra mœnia ſunt, legat. *l. 4. ꝫ. De pen. leg.* Si verò quæ Romæ habet, leget, videbitur & ea quæ in ſuburbiis ſunt ſita, legaſſe, *l. 87. vt Alphenus. ꝫ. hoc tit.* imò ea etiam quæ cuſtodiæ cauſa in horreis extra vrbem repoſita, debebuntur. *l. 84. Cui quæ. De legat. 3.* in quo tamen legandi genere, tum qualitas, quæ rem legatam perpetuò notat & afficit, tum præcipuus ipſius rei vſus ſpectabitur. *l. 9. Iulianus, ꝫ. ad exhibend. gloſſ. l. frater. de cond. indeb.* Nec enim legata vrbana, vel ruſtica ſupellex, tam loco, quàm vſu & qualitate æſtimabitur: nec toga ſenatoria, quæ fortè ruri eſt, vrbana cẽſebitur, vel cõtrà, venabula retia, ligna ad extruendam villam deſtinata, quamuis in vrbe inuenta, legato rerum vrbanarum continebuntur. *arg. l. 1. §. cùm vrbem. De offic. præf. vrb. l. vrbana. 1. 2. h. t. l. 4. §. ſtabula. ꝫ. in quib. cauſ. pig. vel hyp. t. l. 4. & l. antep. de ſupel. legat. l. 99. ſeruis. ꝫ. de legat. 3.* ¶Maximè enim quale vnum quidque ſit, & cuius potiſſimùm conditionis, & quo iure cenſeri debeat, ea ipſius vſu, fine, & cauſa arguitur: Idq; vel in eo, quod hic quæri ac tractari ſolet, verum ſuburbia eodem iure ſint, quo & vrbs: vt quod de hac ſtatuitur, idem in illis quoq; valere oporteat: quòd non tam facilè ſemel in vniuerſum, quàm ea ſingulari cuiuſque hypotheſeos circunſtantia definias. ¶Vt plurimùm in negotiis quibus fauor ineſt eodem cenſeri iure ſuburbia quo & vrbes Bartholus ait *per l. quicunque. de fund. limitroph. lib. 11. C.* Vnde conſules, ædiles, decuriones, & magiſtratus nõ minùs ex ſuburbiis, aut vicis, quàm ex oppido ipſo legi poſſe, ſenatui placuiſſe *Ioan. Pap. lib. 6. tit. 1. ſcribit:* quod humanius eſt, pluribus dignitatum patere aditum, *arg. l. 8. ad remp. de mun. & hono. l. 30. qui ex vico. ꝫ. ad municip.* Et quia fideicommiſſa fauore proſequimur, ſi teſtator quicquid in patria Gadibus poſſidebat, legauerit: ſuburbanam adiacẽtem poſſeſſionem ex cauſa fideicommiſſi deberi reſpondit *Scæuola l. 41. vxori. §. legauerat, de legat. 3.* ob eandémque cauſam Latinus libertus, qui ad

qui ædificio Romæ perfecto ius Quiritium adipiſcitur:perfeciſſe videtur, ſi in cõtinentibus extruxerit,ita vt vſui eſſe poſſit,*Vlpian. Fragm.lib.3.l.139.ædificia.ĩ.h.tit.* Nam illud fauore libertatis admiſſum,vt in continentibus ædificiis natus,perinde ciuis Romanus habeatur. *l.147.in continentibus.ĩ.h.tit.*Cõtinentia Græci Baſilicôn interpretes *τὰ περίοικα* vertũt:Iuſtinianus *πόλεως περάματα.Nou.14.* ¶Prædia minorum ruſtica & ſuburbana Seueri oratione alienari prohibentur.*l.1.de reb.eo.l.8.prædia.l.16.ſi prædium.C.de præd.min.* De vrbanis ſenatuſconſulto nihil cautum:quaſi diſtrahi poſſent vt pecunia,in qua veteres ſummum patrimonij præſidium collocabant,in vſuras conferretur : donec reprobato poſteà nimio fœnerandi ſtudio placuit,vrbanas quoque ædeis non alienari ſine decreto.*l.25.lex quæ tutores.C.de administrat.tuto.l.24.tutoris.2.C.de præd.& al.reb.min.*¶Huc referri quoque & illud de magiſtratuum Rom.aſſiduitate ac frequentia poſſit, nempe *Præfectum vrbi,cum terminos vrbis exierit,poteſtatem nõ habere,Proconſulem portam Romæ ingreſſum imperium amittere.l.vlt.ĩ.de offic.præf.vrb.l.vlt.ĩ.de off.procons.& leg.*Tribunis plebis nullum diem abeſſe Roma licuiſſe,*Dion.lib.37.*de Metello Nepote,qui ſe ad Pompeium vrbe relicta contulerat,*καί τοι μηδ' ἡμέραν αὐτῷ νύκτα ἀπολειφθῆναι ἐκ τῆς πόλεως ἐξόν.Gellius lib.3.cap.2.*cum poſt mediam noctem proficiſcebantur, & poſt primam facem,ante meridiem ſequentem reuertebantur, non dicebantur abfuiſſe vnum diem:quãdo ante horam noctis ſextam regreſſi partem aliquam illius in vrbe Roma eſſent. *l.166.vrbana.§.pernoctare.ĩ.h.tit.T.Liuius lib.36.*edictũ à conſule refert, *Qui ſenatores eſſent, quibúſue in ſenatu ſententiam dicere liceret,quiq; minores magiſtratus eſſent,ne quis eorum lõgiùs ab vrbe abiret,vnde eò redire poſſit.*Flaminibus quoq; pluſquam trinoctio vrbe abeſſe prohibitum Plutarchus problematis cõmemorat : M.Cicero 2.*Philippic.* pluſquam decem dies Prætori ab vrbe abeſſe non licuiſſe innuit. ¶Denique Martianus , illud obſeruandum ait , *ne qui prouinciam regit fineis eius excedat : niſi voti ſoluendi cauſa: dum tamen et abnoctare non liceat.l.15.illud.ĩ.de offic.præſid.*Cuiuſquidem inſtituti ea videtur fuiſſe ratio,tum ne quis, abſente magiſtratu,cui poteſtas,iuriſdictio & coercitio in ciues eſſet,motus in populo excitaretur.Erant ſeditioſi atque ad ciendas turbas propenſiores.Theophilactus *in Euangelium Lucæ cap.20.* στρατηγοὶ τῆς εὐταξίας ἐπιμελούμενοι. ἐπίστευον γὰρ οἱ Ῥωμαῖοι τῷ λαῷ τινας, ὡς ἂν μὴ ταράττηται. στασιώδεις γὰρ ἦσαν.Tum quòd ſuo quemq; munere ſedulò defungi, & aſſiduum eſſe deceat. Vnde abſenti epiſcopo nihil ſumptuum & viatici nomine præſtat Oeconomus , *Nouell.67.* Philoſophi, medici,milites,aduocati,clerici inertes & infrequentes noſtro iure improbantur.*l.9.necquicquam.§.obſeruare.ĩ.de offic.proconſ.l.8.in honoribus.§.philoſophis.ĩ.de vacat.& excuſ.mun.auth.ne clerici vices ſuas.*Equo vehi flamini Diali,nõ licebat, ne ſi longiùs digrederetur, ſacra negligerentur, inquit Feſtus. Sed hæc fortaſſe longiùs, iam ad penſum reuertamur.

§. j. Cuiuſque diei maior pars eſt horarum ſeptem primarum diei non ſupremarum.

ALCIATVS.

CVIVSQVE diei. ¶Tribus modis dies accipitur. Primò ſecundum Romanæ Eccleſiæ morem, *c.1.de feriis.* qui & Athenienſium fuit, vt ab occaſu ſolis incipiat,& in ſequentẽ occaſum finiat: & hoc vulgò vtimur.Eſt & dies ciuilis,*l.more.ĩ.de fer.*qui à media nocte incipit,& ſequentis noctis media finitur. is in præſentia apud Gallos,Germanóſq; pleriſque in locis eſt in vſu. Eſt etiam naturalis ab ortu ad occaſum ſolis,vt Cenſorinus author eſt. Is vulgò ſemper horarum duodecim erat, *l.1.ĩ.de manumiſ.* quæ cum ipſa luce vel augebantur , vel minuebãtur, cuius horologij rationem lib.vlt.explicat M.Vitruuius. ¶Quapropter huiuſmodi horæ *καιρικαὶ*,ſiue (ſi malis) *ὡριαῖαι*,id eſt,temporales vulgaréſve appellatæ ſunt.Huius meminere Palladius rei ruſticæ autor,Aſconiúſque Pedianus, & Plautus cum horam æſtiuam pro longa dixit.Sic & Vergilius tardos menſes appellauit Iunium,& Iulium.quòd horæ tunc ſint longiſſimæ. Hinc & in Euangelio habetur, Nónne duodecim ſunt horæ diei?De hoc à Iuriſconſulto hic agi plerique crediderunt : quamuis de eo intelligi quoque poſſit,qui imparibus ſit horis, quas Græci *ἰσημερινὰς* vocant : nam & in Italia & in prouinciis, maximus dies eſt quindecim horarum,quod ex Ptolemæo, Proclique in ſphæram commentariis facilè dignoſci poteſt: vt meritò ſequens pars,licet longior tamen minor à Iuriſcõſulto exiſtimata ſit, quòd veſperè non ita vegeti promptíque ſient manè ſimus. Vergilius,nono,

Nunc adeo melior,quoniam pars acta diei.

¶Heſiodus quoque,qui maturius manè operetur,tertiam partem operis conficere ait:

Ἠὼς γὰρ τ' ἔργοιο τρίτην ἀπομείρεται αἶσαν.

¶Qui ergo à meridie ad occaſum opus faciet , dimidiam operam præſtitiſſe non dicetur , nec diurnæ mercedis dimidium meritò conſequetur. Sanè Martialis quodam epigrammate de vulgaribus horis loquens,prima diei parte ſolitos Romanos feriis rebus vacare oſtendit, reliquum verò palæſtræ, toto , conuiuiis iociſque tribui : meritò Iuriſconſultus maiorem partem diei eſſe primarum ſeptem dicat, quo feriis negotiis incumbebant, non poſtremarum,quo tempore iocis & conuiuiis operam dabant.Carmen poetæ hoc eſt:

Prima ſalutantes atque altera continet hora,
Exercet raucos tertia cauſidicos.
In quinta varios exercet Roma labores,
Sexta quies laſſis,ſeptima finis erit.

& quæ ſequuntur.Extat etiam Græcè ſimilis argumenti diſtichon,

Ἓξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται, αἱ δὲ μετ' αὐτὰς
Γράμμασι δεικνύμεναι ζῆθι λέγουσι βροτοῖς.

In ſext

In ſextam labor vſque horam, nam quæ inde notantur
Litterulis, vita commoda habere iubent.

¶ Cuius epigrammatis ratio eſt, quoniam ſeptima hora per Z ſignificatur, ſicut octaua per H, nona per Θ, decima per Iota. Quæ literæ coniunctæ ζῆθι conficiunt, quod eſt, veſci, vt viuas. Sanè Victorinus in Rhetorica Ciceronis primum Trimegiſtum diem in duodecim horas diuiſiſſe tradit, cùm ſacrum Serapidi animal duodecies vrinam feciſſe quadam die obſeruaſſet, pari ſemper tempore interpoſito: id animal Hurus Cynocephalum eſſe commentariis prodidit.

Brechævs.

CVIVSQVE DIEI. ¶ Diem D. Baſilius Magnus *in hexæmero*, dixit illum eſſe aërem quem Sol illuminet, cùm eſt in eo dimidio globo, qui ſuper terram eſt collocatus. Ariſtoteles autem ſcripſit eſſe Solis excurſum ab Oriente in Occaſum. ¶ Variè autem diei etymon autores claſſici diſcutiunt. ¶ Quidam enim dixerunt ἀπὸ τοῦ διὸς diem dictum, quòd Iupiter diei ſit Dominus & rector. Alij verò quòd Dei opus ſit, dici exiſtimant. Nonnulli à dio tractum volunt, quod lumen ſub cælo eſſe dicimus. Vt ſub dio eſſe, id eſt ſub tegmine cœli. Sed M. Varro diem ex Deo dictum aſſerit. Græci ἡμέραν appellant, quam nos, diem propterea quòd (vt autor eſt Plato) ἱμείρουσι, id eſt, lumen è tenebris emicuit hominibus ſummoperè deſiderantibus ac congratulantibus. ¶ Qua de cauſa prius veteres (ait ipſe Plato) ἱμέραν ſcripſerunt. Poſteritas autem ἑμέραν ac tãdem ἡμέραν, nonnulli verò quaſi ἥμερον, id eſt, manſuetam dici crediderunt. ¶ Dierum ſanè rationem atque ordinem à ſeptem vagis errantibúſque ſtellis, quos Planetas appellamus, Gentes dixerunt: quod etiam ab Indis obſeruatum Philoſtra. in vitam Apollonij Tyanæi tradit, Iarcham ſcilicet ſeptem annulos Apollonio dediſſe ſtellarum ſeptem nominibus cognominatos: quorum ſingulos diebus ſingulis geſtabat Apollonius. Quod & recitat & ridet Euſebius Pamphil. *in libris* παρασκευῆς εὐαγγελικῆς. Hos ipſum etiam Dion *hiſto. lib.* 7. *&* 30. & ex ipſo Dione Io. Xiphilinus *in vitam Pompey* tradit & proſequitur, referens eam, quę à Gręcis διὰ τεσσάρων appellatur, harmoniam, qua Muſices totius rationem ac firmamentum contineri antiqui crediderunt, ad eas ſtellas, quibus vniuerſus cœli ornatus & compoſitio diſtinguitur, & ad eum ordinem quo earum ſingulæ feruntur, ſumpto deinde principio ab extremo orbe Saturni, proximis duobus relictis quarti orbis principem enumerans, poſt duobus aliis prætermiſſis, ad ſeptimum perueniendo, ſicque has ipſas ſtellas earúmque principes deos in orbem recenſendo, ad dies adaptat adæquátque: vnde eos dies cum muſica ratione quodammodo conuenire aſſerit. Hoc autem inuentum Ægyptiorum eſſe creditur. ¶ Dies ſiquidem diuerſis appellationibus, à rerum effectis cognominarunt veteres. Nam quoſdam nominabant interciſos, alios, ſtatos, profeſtos, feſtos, quos Plutarchus ἀποφράδας dicit: quemadmodum à Suida αἱ πρὸς πράξεις ἀνεπιτήδειοι ad actiones minimè idonei & conuenientes, Prœliares, Communicarios, pandiculares, nundinarum, intercalares, luſtricos, & quos Medici κρισίμους καὶ κριτικοὺς appellant, id eſt, decretorios & iudicatorios: & iuſtos à decemuiris, qui numero triginta dabantur iudicatis confeſſi æris ac debiti conquirendæ pecuniæ cauſa, quam diſſoluerent: erátque veluti quoddam iuſtitium, id eſt iuris inter eos ceſſatio quædam: quibus diebus nihil cum his iure agi poſſet, vt teſtatur Gellius *lib.* 20. magnum quoque diem appellamus qui finem longis laboribus imponit. Quod Alc. latius diſſit *lib.* 8. *Parerg. c.* 8. *& lib.* 4. *c.* 11. eoſdem etiam in naturales & artificiales diuidebant: de quo paulò pòſt dicemus.

MAXIMA PARS HORARVM. ¶ Scribit Plinius, & poſt illum Cenſorinus, horarum vſum noménque diuturnis temporibus latuiſſe apud Romanos: & id quidem ccc. & eo amplius annis: nec vſquam xij. Tab. leges, de horis feciſſe mentionem. At primùm quidem Ægyptios pòſt deinde Gręcos horologia compoſuiſſe tradunt: quæ etiam ab antiquis Solatia dicta ſunt καὶ σκιοθήρια & horaria atque horographia. Vocauerunt etiam hydrologia, & Clepſydras, ob id quòd ex aquæ commenſuratione aliquando componerentur. Plinius quoque horoſcopa vaſa appellauit. Fabulantur poëtę horas ſummi Iouis & Themidis eſſe filias. Quod Orpheus in hymno docet his verbis, ὧραι θυγατέρες θέμιδος καὶ Ζηνὸς ἄνακτος εὐνομίη τε, δίκη τε, καὶ εἰρήνη πολύολβε, εἴρηται, &c. ¶ Sed Homerus ſcripſit horas cœli foribus pręſidere, quem imitatus Ouid. *lib.* 1. *Faſtorum*, cum ipſis horis dixit Ianum cœleſtibus Ianuis pręeſſe.

Præſideo, inquit, *Foribus cœli cum mitibus horis.*

¶ Fuere itaque horæ ab antiquis pro deabus cultæ: templáque, teſte Pauſania, in earum honorem à Gentilibus conſtructæ. Qua ratione Heſiodi Scholiaſtes dixit horas ἀπὸ τοῦ ὠρεύειν dictas, quòd & Iouis cuſtodes ſint, & hominum obſeruare acta ſoleant. Nam ὠρὸς cuſtodem ſignificat. Et (ait Etymologicus author) λέγεται παρὰ τὸ ὠρῶ τὸ φυλάττω. καὶ γὰρ ὥραν ἐφύλαττον οἱ ἀρχαῖοι ἐν ταῖς νυξίν. ἢ ἀπὸ τοῦ διορίζειν τὰ διαστήματα τῆς ἡμέρας. Plato *in Cratylo* teſtatur horas attica priſcáq; voce appellandas διὰ τοῦ ὁρίζειν, quia finiunt hyemis & æſtatis tempora, & flatus, & eos fructus qui ex terra obueniunt. Nam etiam hora hoc temporis punctum ſignificat, quo omnia conſiſtunt, & ſunt ἐν τῇ ἀκμῇ, id eſt in ſummo, & vigore proprio, Suida authore. Vnde Claud. Gal. *lib.* 2. *de alim. facult.* ſcribit ὥραν Græcos appellare eam anni partem, & tempus, in cuius medio caniculam exoriri contingit. Hinc ὡραίους fructus dicunt tempeſtiuè collectos. Galenus igitur fructum ὡραῖον dixit, quod nos fructum maturum. & ſua tempeſtate collectum τελέως ἁδρότερον. Ad hęc videtur hora dici à pulchritudine & elegantia. Nam ὡραῖος formoſum pulchrúmque ſignificat: & ὡραιότης formæ elegantiam ὥρα (inquit Etymolog.) σημαίνει τὴν μορφὴν καὶ τὸ κάλλος. Qua ratione conijcio horam apud Latinos iuuentutis deam dictam, & Quirini vxorem. ¶ Quod reliquum eſt, rectè quidem arbitramur horas à Sole dici, hac mehercule de cauſa, quòd Sol ab Ægyptiis, ὧρος dictus ſit ἀπὸ τοῦ τὰς ὥρας κραίνειν, cuius motu horarum temporúmque diſtinguantur interualla: vt qui non temporum modò, ſed & terrarum etiam, ac ſyderum cœlique totius rector ſit & moderator, quem ideò adorabant Ægyptij.

¶ Iam verò vt ad interpretationem huius §. deueniamus, vbi Paulus dixit, cuiuſque diei maximam partem eſſe horarum ſeptem primarum diei non ſupremarum, primùm quidem operæ precium fuerit non ignoraſſe a Mathematicis diem dupliciter diuidi, in naturalem ſcil. & artificialem ſeu ciuilem. ¶ Naturalem appellarunt, quando motu rapto Sol mouetur & circumagitur primo mobili: quod quidem fit in dies ſingulos, ab ortu ipſius Solis in ſequentem ortum, cum particula illa æquatoris quæ coaſcendit particulæ Zodiaci, quam Sol interea perficit: & eius diei naturalis horas ἰσημερινάς, id eſt, æquinoctiales appellant & æquidiales: quæ quidem vbique terrarum æquales feruntur. ¶ Artificialis autem ſeu ciuilis dies nihil aliud eſt quam mora Solis ſupra horizontem: quo mouetur ab ortu in occaſum. Huius diei ὧραι καιρικαί vocantur à Græcis: nos verò temporales & vulgares appellamus. Hic autem dies artificialis, perficitur in æquinoctio horis xij. quibus Sol moratur ſupra horizontem, totidémque ſub horizonte: vnde nox efficitur. Itaque cum xij. horarum ſpatio is circumſcribatur dies, conſequitur ſane vt aſſeramus maiorem eius diei partem, eſſe horarum ſeptem. ¶ Hoc ſemper apud veteres obſeruatum fuit, vt dies xij. horis terminaretur. Quod videre eſt ea Euang. Ioannis. Nónne xij. ſunt horę diei? Bona igitur ratione videtur Paul. iureconſ. dixiſſe, maximam cuiuſque diei partem, vij. horarum eſſe. Sed mirum eſt quòd indefinita oratione ſit vſus, ſc. *cuiuſcunque*, quæ vniuerſali ęquipollet. Et ſic tam de naturali quam ciuili die ſenſiſſe videtur: cùm tamen lõge diſpar ipſorum dierum ſit ratio. Nam dies naturalis xxiiij. horarum eſt æqualium. Artificialis xij. tantùm horas continet, eaſque inæquales, vt prędiximus. Quo fit vt diei naturalis maxima pars ſeptem horarum non ſit. ¶ Hunc facilè nodum diſſoluas, vbi antiquam horarum rationem intellexeris. Iuriſconſultus enim horas ſecundum antiquorum morem hic accepit. Antiqui autem vj. ab ortu Solis horam meridiem dicebãt, cu Sol iam incaleſceret: *vt l. Titius. §. Lucius Titius, de lib. et poſt. hæ.* Vnde tertia hora in Act. Apoſt. 2. D. Petro Apoſtolo matutina fuit: conſequens eſt ſextam, in meridiem inclinaſſe. Propterea coniectare licet Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum hora ſexta crucifixum fuiſſe, hoc eſt ipſo meridie: nam bonam diei partem Iudæi actionib. & accuſationibus, tum etiam contentionib. exegerant ante quàm morti Ieſum traderent. Quod ſine controuerſia eſt comperttiſſimum. Etenim quantò maior eſt paralleli cuiuſcunq; latitudo ab Æquatore, tantò maior eſt dierum noctiúmque in vniuerſum æqualitas. Quod ſi hora nona, qua expiraſſe animam viij. Cal. April. Chriſtus dicitur, périnde, vt hoc tempore à nobis à meridie enumerari ſolet, acciperetur, vmbra illa exorta ſuper terra ex Solis deliquio, naturalis quidem, ac extra miraculum fuiſſet. Atqui admirationi omnibus hoc fuit, quòd præter temporis rationem, Sole ſcilicet vmbilicum cœli occupante, id accidiſſet: & deliquium ſecundum naturalem ſyderum curſum minime obligaſſet. Tum enim Luna, decima quinta, hoc eſt plena, erat, atque ea diametro Soli oppoſita: nec impedimento erat vmbra terræ, quę diuerſum ſemper & oppoſitum viæ Solis ſemicirculum occupat. Hora igitur nona tum erat, quam nos à meridie tertiam nunc enumeramus: quo tempore æquinoctij Sol non ita profundè eſt occiduus. Quod Ioachimus Vadianus Mathematicus peritiſſimus eleganter annotauit. Media itaque diei pars, ſextâ horâ, à Solis ortu, erat: ſeptima igitur hora, maiorem diei partem diſtinguebat. Vnde cenſebant veteres Romani eum bonam diei partem obeundis negotiis conſumpſiſſe, qui ad ſextam vſque horam laboraſſet, quæ melior pars diei erat. Quod ipſum Virgil. oſtendit hoc verſu:

Nunc adeò melior quoniam pars acta diei.

¶ Quapropter, inquit Paulus, horarum primarum, vt accipies non ab horarum numero abſolutè & ſimpliciter, ſed ab ea diei parte, quæ tractandis oportuna rebus, & conficiendis negotiis incipit eſſe: poſtquàm humentem vmbram polo dimouit aurora. Sed quare addidit, non ſupremarum? An non ſat erat dixiſſe, horarum primarum? Certè cùm horæ diebus ſeruiant, & ſinguli Planetæ diebus & horis ſingulis (vt teſtantur Aſtrologi) dominari dicantur, oportet à dierum ipſorum poteſtate & nomine, horas denominationem recipere. Quando igitur ſupremos dies appellamus, licebit etiam ipſorum ſupremorum dierum horas ſupremas appellare. ¶ Dies autẽ ſupremos à Sole ſupremo vocant Aſtrologi. Sole ſcilicet exiſtente in Cancro, in Leone Solſtitio: cúmque Sol ipſe aſcendit ſummum Zodiaci, & eſt curſus eius ἐν τῇ ἀκμῇ. Quo tempore ſeptem horæ maximam diei partem non conficerent. Tunc enim quatuordecim horarum numero maior eſt dies. ¶ Quandoquidem æſtiuo Solſtitio, ſunt horæ tertia parte productiores, vincúntque hibernas duabus quartis: Iunio ſcilicet & Iulio menſibus, quibus horæ diei ſunt longiſſimæ. Quod videtur innuere Virgil. *in Buccolic.* his verbis:

--Sæpe ego longos.

Cantando puerum memini me condere Soles.

¶ Non ſupremæ item horæ dicuntur exiſtere, Sole ingreſſo Capricornum, & exiſtente in Aquario, piſcibus, & fine Sagittarij. Sed vt tandem totam rem ἀναλυτικῶς concludamus, dicendum arbitror Paulum iureconſ. hic de quocunque die, ſeu naturali, ſeu artificiali intellexiſſe: idque ſecundum veterum morem qui cuiuſcunque temporis diem xij. horarum ſpatio terminabant: non autem de eo die qui à media nocte incipit, & noctis ſequentis media parte finit, *vt l. more Romano. de fer. ff.* qua ratione in conficiendis atque obeundis tum familiaribus & priuatis negotiis, tum etiam forenſibus vel publicis, diem eum horarum duodecim accipiemus, quem pulſis aurora tenebris aperit, & veſper concludit occiduus: ſecũdum hymnum illum Prudentij qui quotidie in templis ab eccleſiaſticis canitur.

Qui manè iunctum veſperi,
Diem vocari præcipis, &c.

¶ Sic operas nemo, niſi diu, præſtare tenebitur: cùm opera, diurnum ſit officium. *l. 1. ff. de oper. lib.* Continuus enim nec debet, nec poteſt eſſe ſtipulantis actus, vt quis dies noctéſque ſimul teneatur laborando exigere. *l. continuus. §. cùm ita. de verb. oblig.* Aliter autem interpretabimur hoc verbum, non

ſuprem

ſupremarum, vt dicamus iuriſconſultum ſenſiſſe, de his horis quæ à meridie ad veſperum trahuntur. Quapropter dixit, non ſupremarum, id eſt poſtremarum: vt diem ſupremum mortis & ſuprema mandata ſolemus dicere. Maxima namque diei pars, quæ eſt ab ortu Solis ad meridiem, eſt magis opportuna peragendis rebus & conficiendis negotiis ſicuti ſuperius diximus: & hîc Alciatus eleganter docet.

FORNERIVS.

CVIVSQVE. ¶ Serius Romæ horologiis vti contigiſſe, aij. tabulis ortum & occaſum nominari, poſt aliquot annos adiectum eſſe & meridiem prodit Plin. *lib.7.c.6.* ¶ Ipſum autem diem alia aliorum obſeruatione definitum, Babylonij inter duos ſolis exortus: Athenienſes inter duos occaſus: Vmbri à meridie in meridiem: Vulgus omne, à luce ad tenebras. Sacerdotes Romani, & qui diem definiere ciuilem, item Ægyptij & Hipparchus à media nocte in mediam. Plin. *lib.2.c.77.* A. Gel. *lib.3. c.2.* & Cenſorinus de die natali: *More Romano diem à media nocte incipere, & ſequentis noctis media parte finiri.* Paul. ait, *Itaque quicquid in his viginti quatuor horis, id eſt duabus dimidiatis noctibus & luce media actum eſt, perinde eſſe quaſi quauis hora lucis actum eſſet. l. antep. de fer. & dilat.* ¶Ergo dies ciuilia à ſexta noctis hora incipit. Harmenop. paulò ſecius *lib.6. Epitomes tit. vlt.* diem ab ſeptima noctis hora incipere: & ſequentis ſextam deſinere tradit: ἡ ἡμέρα ἀπὸ τῆς ἑβδόμης ὥρας τῆς νυκτὸς ἄρχεται, καὶ τελευτᾷ εἰς ἕκτην ὥραν τῆς ἐπιούσης νυκτός. Quod quo pacto ſit intelligendum, malim ab A. Gellio, ac Macrobio *lib. 1.c.3.* & Paul. Manutij in M. Cic. *Quinctianam commentarius* repeti, quàm à me fuſiùs exponi: Sed & multa ab Anton. Auguſtino de horarum diurnarum ac nocturnarum apud veteres ratione diſſeruntur *lib.4. emendationum. c.13.* vnde & hic locus cum aliis non paucis iuriſconſultorum reſponſis mutuatur lucem. *l.1. de manum. l.5. qui teſt. fac. poſ. l.6. l.7. de vſurp. & vſuc. l.2. de an. leg. l.15. Titius. §. Lucius. de lib. & poſt. l.20. non minorem. C. de tranſact.*

SEPTEM. ¶ Maiorem diei partem, qui conſtat xij. horis, ſeptem horæ procul dubio efficiunt ſuperſunt enim tantùm quinque: Sed hoc à duodecima noctis ad octauam diei, non à quinta ad duodecimam, inquit Auguſtinus. Sex autem horæ non efficiunt maiorem partem: vnde & liberto, qui ſex horis duntaxat antemeridianis patrono apparuiſſet, liberationem eius diei contingere Pōponius negat *l.3. de oper. lib.*

PRIMARVM *diei non ſupremarum.* ¶ Vt quæque res eſt grauior magiſque ſeria, ita commodiùs manè, quàm à prandio geritur. Ideóque Heſiodus admonet vt ſub auroram accingamur operi, ἀείςων ὅως γινομένης ἐπὶ ὁδῷ, ἐπὶ δ' ἔργα. Inde tortum in eos prouerbium, qui prouecta ætate ſeſe ad artium ſtudia conferrent, vel opus aggrederentur, quòd *in meridie Philoſophari*, aut *ædificare*, id eſt ſerò inciperent. Synesius, ἐν μεσημβρίᾳ τοῦ βίου φιλοσοφεῖν. Deiotaro extrema iam ſenectute nouam vrbem molienti obiectum, ὦ βασιλεῦ δ' ἀδ ὠκάτης ὥρας οἰκοδομεῖν ἄρχῃ. Quod Plutarchus *in Craſſo*, & Appianus *in Parthico* tradiderunt. Perſius *ſatyr.1. His mane edictum*, id eſt res ſerias. *poſt prandia Callirhoen do*, id eſt fabulas. Quo in loco Cornutus, Nonarias dictas meretrices annotat, quia apud veteres ab hora nona proſtabant, ne manè omiſſa exercitatione, illò irent adoleſcentes. ¶ Plane iucunditum ac nugatorium eſt, quod hîc apud Accurſium, Martinus & Azo de difficilliore Solis adſcenſu, & proniore deſcenſu fabulantur. Illud numerò placet, cum artificibus cæteriſque diurnarum operarum debitoribus non vſque adeò duriter & inîquè agendum, vt nulla ab opere recreandarum ac reficiendarum virium gratià relaxatio concedatur: hoc eſt, *vt adquieſcere eos meridiano tempore*, (merienne t,) *& valetudinis & honeſtatis ſua rationem habere ſinamus, l.26. medicus. l.pen. ff. de oper. lib.* Nec enim aſſiduis & ſine vlla remiſſione hominibus labores obeundi ſunt. *l.18. ſi quid venditor. ff. de æd. ed.* Sidonius Apollinaris, *lib.4 epiſtola* 18. quæ incipit, *Principem ſenatus*: Theodoſius *Nouel.8. ad ſenatum Conſtantinopolitanum, Et ſi vos*, inquit, *frui otio quodam tempore patiamur, ne labore videamus fatigari continuo &c.* Seneca *lib.2. epiſtol.15. neque te iubeo ſemper imminere libro aut pugillaribus, dandum & aliquod interuallum animo. ita tamen vt non reſoluatur, ſed vt remittatur.* Auguſtus ſtatuerat, ne Septembri vel Octobri menſe, neceſſe eſſet venire in ſenatum: auctor Suetonius.

III. VLPIANVS lib.ij. ad Edictum.

IN ITINERE faciendo viginti millia paſſuum in dies ſingulos peragenda, ſic ſunt accipienda, vt ſi poſt hanc dinumerationem minus quàm viginti millia ſuperſint, integrum diem occupent. Veluti viginti vnum millia ſunt paſſus, biduum eis attribuetur: quæ dinumeratio ita demùm facienda erit, ſi de die non conueniat.

ALCIATVS.

IN ITINERE. ¶ Quid ſi nauigandum eſt? & Bart. *in tract. de inſul.* 50. milliaria minus eſſe iuſta diei nauigationε arbitratus eſt. Ego nihil certū propter ventorū & mollitiei incertitudinē cōſtitui poſſe

cenſeo

cenſeo: ſed bonus vir arbitrabitur. Hinc Cato, quò pedibus contendi poſſit, mari minimè eundum cenſuit: quod etiam iuriſconſulti probant. *l. 2. §. pen. ſupra ſi quis cau.*

Viginti. ¶ Atqui & hoc videtur arbitrio boni viri relinquendum: *l. continuus. §. cùm ita. de verb. oblig.* quod verum eſt, cum certa milliaria conſtituta non ſunt, alioquin hæc copulatio ſeruabitur: vt in eo qui abſens in ius vocatus eſt: *l. 1. ff. ſi quis caut.* vt in tutore qui ſe excuſat, & vltra centeſimum lapidem abeſt: *§. qui autem. de excuſ. tut.* vt in eo qui ad præſidem tendit bonorum poſſeſſionem ſibi decerni poſtulaturus. *l. 2. §. pen. quis ord.* Sed & ſi lex non ipſum iter, ſed certam menſuram reſpiciat, intercapedo non per millia paſſuum humi menſura accipitur, ſed ex aëre, ratione Aſtrologis peculiari idque pleriſque viſum eſt, cùm municipes conſtituiſſent, ne qui per quinquaginta milliaria vicinus eſſet, Prætor deſignaretur. Sed hoc Paulus Caſtrenſis, Alexander & Iaſon non admiſerunt, *in d. l. 1.* cùm vſus repugnet, conditióque ipſa homines reſpiciat, qui ipſi minimè per aëra volitant: quod & nos probamus: cùm enim de paſſuum numero agatur, quid hic ad rem facit aëris menſura?

Paſſum. ¶ Per eam ſcilicet viam, per quam iter fieri conſueuit, *l. 1. §. 1. de his qui deiec.* ſi varia eſt conſuetudo, præferetur quæ in planitie, etiam ſi alia breuior reperiretur. *Archid. c. ſtatutum. de reſcri. in 6.* quapropter Bononienſis Romam vocatus, per Flaminiam & Picenum ibit, licet per Hetruriam citius peruenire poſſit. Idem ſi longiore itinere tutius quis iter faciat, nam id potiſſimum deligendum eſt. *l. fin. §. cùm enim. C. de iure delib.*

Integrum diem. ¶ Singulis tamen ſeptem diebus vnum habebit in quo requieſcat, iſque erit dominicus dies, quod pleriq; crediderunt: *Felin. cap. cùm olim. de exc.* nos iure non probari id ſcimus, nec vſquam lectum eſt prohiberi quenquam eo die iter facere.

Conuenıat. ¶ Nam tunc ſeruanda eſt fides. Idem ſi vt certo die adſis, principis edicto, vel legis iuſſu compellaris: tunc enim minimè ad hanc computationem recurrendum eſt. *Imol. d. §. cùm ita.*

Brechævs.

IN ITINERE. ¶ Conuenit maximoperè hæc lex nodo ancipiti explicando diſſoluendóque: videlicet cùm quis in iudicium vocatus, tenetur ad decem dies ſiſtere ſe, aut alicui alij negotio adeſſe, ſponſione in hanc rem facta, ac vt deſerti vadimonij excuſationem iuſtam ac legitimam, defendendi ſui gratia obiiciat, longam itineris viarúmque difficultatem prætexit: vnde oriatur quæſtio, Quantum quiſque iuſti itineris ſingulis diebus conficere debeat: hic Vlpianus iureconſultus rei controuerſæ & diſceptatæ nodum aperit, tradens in itinere faciendo peragenda eſſe 20. millia paſſuum in ſingulos dies. Quod tamẽ ſic accipiendum fuerit, vt ſi in ipſa dinumeratione vicies mille paſſuum. aliquid vel excurrat, vel etiam deſideretur, vt pote vnum miliare, id diei vnius integri rationem ineat. Exempli gratia. Si vnum & viginti millia conficienda ſunt & peragenda, biduò ſanè id ipſum attribuendum erit. Quæ tandem locum obinent, ſi de die non fuerit conuentum: & lis ſeu controuerſia iudicio explicanda ſit. ¶ Et hæc ſanè iudicis arbitrio relinquenda ſunt, qui ex æquo & bono æſtimabit quantum quiſque itineris in ſingulos dies peragere potuerit: vnde habenda erit ratio ſexus, ætatis, conſuetudinis, & valetudinis. *vt l. continuus. §. cùm ita. de verborum obligat.* quo loco Alberic. de Roſ. dicit per hunc §. limitari *hanc l. 3. & l. 1. ſi quis cautio.* Sed in contractibus bonæ fidei idem dicendum exiſtimo. ¶ Quod in pacto expreſſo locum non habebit: quando quis conuenit vt diem horámque obiret, videlicet iiij. cal. Maias, aut non April. ſiue ad alium certum ſtatum, expreſſúmque adeſſet diem. Tunc enim hęc paſſuum dinumerationis ratio non habebitur: ſed penſitabitur quanti interfuerit ſtipulatoris, alterum ſtipulantem diem, non obiiſſe. Nihilominus tamen Petrus de Bella perti. ſicuti recitat Barto. hic, *& in l. 1. ff. ſi quis cautio. & in l. d. §. cùm ita. in d. l. continuus,* aſſerit hanc ſe neſcire differentiam: atque idem in pactis & contractibus quod in iudiciis, de huiuſmodi paſſuum ratione eſſe ſentiendum. ¶ Sed præſcribas oportet opinionem Petri de Bella pertica, vt circumſcripta limitatáque ſint ipſa miliaria, videlicet quantùm quiſque diebus ſingulis conficiat. At verò quia in d. §. continuus, non eſt præſcripta paſſuum huiuſmodi dinumeratio, ea de cauſa iudicis ſtandum erit arbitrio. Quæ ſolutio Cæpolæ non placet: nec, mea quoque ſententia, ſatis apta viſa eſt. Non enim apud omnes peræquè gentes miliarium & paſſuum menſura circumſcribitur: diuerſáque eſt ipſius menſuræ ratio. Nam leucæ (vt vulgus noſtrum loquitur) in Francia longè breuiores & expeditiores habentur, quàm vel in Aruernia, Vaſconia, & in multis aliis regionibus.

Fornerivs.

IN ITINERE. ¶ Hoc Vlpiani reſponſum ſcriptum eſt ad edictum Prętoris, ni fallor, *Si quis caut.* idque eruditi viri quidam ſuſpicantur. Quod non auſim equidem pro certo confirmare. Coniecturam tamen facit *l. 1. ꝫ. eo. ti.* quę eſt eiuſdem argumenti ac ſententię. Cum dictum eſt, quo die ſiſtatur in iudicio litigator, vicena millia paſſuum in ſingulos dies numerari Prætor iubet, præter eum diem, quo cautum promittitur, & in quem ſiſtere iudicio oportet. Nam, inquit Caius, *talis itineris dinumeratio neutri litigatorum onerosa eſt.* Vulgò circunfertur, diem termini non computari in termino, totúmque illum diem in quem quid conſertur, cedere. *d. l. 1.* ¶ An verò & cœptus pro completo habeatur, controuerti ſolet. *l. 49. ſi cui. de leg. 1. l. 74. qui filium. ꝫ. ad Sc. Treb. l. 1. ꝫ. de manumiſſ. l. pen. C. quand. dies leg. ced. l. 3. §. minorem. ꝫ. de min.* quod poſthàc ſuo loco commodiùs, vti ſpero, diſputabitur. *l. anniculus. ꝫ. eo. tit.*

¶ Poteſt & ad proponendarum à munere tutelæ excuſationum tempus referri. *l. 101. cùm lex. ꝫ. tit. prox. Pauli lib. ſingulari de cognitionib.* vt reliqua eiuſdem libri capita in eodem ferè argumento verſantur. *l. 42. planè. l. vlt. ꝫ. de excuſ. tut. vlt. ꝫ. de tut. & curat. dat. ab his.* Quibus de tutelis ſeu tempore excuſationum à tutela curáue in trigeſimum diem proponendarum differitur. Quod iure ita conſtitutum eſt, vt qui in ciuitate eſt, vbi creatur, intra centeſimum ab vrbe lapidem. Ab Herennio Mode-

ſtino ἐπὶ τῇ ἰδίᾳ ἡμέρων προςεθημένῃ διαιδήμενος, aliàs τῷ ἰδίῳ ποσαρῶν ἡμέρων. *l.13. εἰδὶ ἵναι. ff. de excuſ. tut.* Sanè alia in militari itinere obſeruatio adhibetur. Flau. Vegetius *lib.3. de re milit.* decem tantùm milliaria in ſingulos dies homini armato permittit. Idémque *lib.1. c.8.* ad gradum militarem & curſum ſaltúmque exercendos Tyrones docens, ſic definit, [Militari gradu xx. millia paſſuum horis quinque duntaxat æſtiuis conficienda ſunt. Pleno autem gradu, qui citatior eſt, totidem horis xxiiij. millia peragenda ſunt. quicquid addideris, curſus eſt. *& c.vlt. eiuſdem lib.* Decem millia paſſuum armari inſtructique omnibus telis pedites militari gradu ire ac redire iubebantur in caſtra.] Quam itineris ex caſtrenſi diſciplina agendi dimenſionem, ſi fortè hoc ſeculo militibus narres, ſurdis canas fabulam, qui ſtatim conſcripti lentius teſtudine ad caſtra incedentes, impunè crudeliter & auarè populantur agros, omnia quà ſacrum quà profanum diripiunt, latronum hoſtiúmue quàm militum nomine digniores. Quorum innocentem tranſitum iubet Iuſtinianus *Nouel. 130.* περὶ παρόδου ϛρατιωτῶν. Procopius de Beliſario duce *lib. 4. de bell. Vandalic.* Caſſiodorus *lib.5. epiſt.26. lib.7. epiſt.5.*

Ita demum. ¶ Quid ſi aduerſa valetudine præpeditus itineri ſe dare, aut iter ingreſſus ad diem ſe ſiſtere nequierit? morbo excuſabitur. *l.38. ſi cui. ff. quib. ex cau. maior. d. l.13. εἰδὶ ἵναι.* ¶ Verùm vt in cæteris rebus, ita hic modum tenere decet: ne nimia vel feſtinatio exigatur, vel lentior mora excuſetur. ¶ Semper enim moderatio in iuris auctoribus plurimùm commendatur. *l.25. ſi ſeruus. ff. de pign. act. l.137. continuus. de verb. obl. l.7. inter qui repert. §.1. ff. de adm. tut. l.6. nec ſupina. ff. de iur. & fact. ign. d. l.8. de diu. ver. moderate.*

Si de die non conueniat. ¶ Conuentioni ſtabitur. *d. l.8. de die. l.1. l.7. oratione. ff. de fer.* Nam quod inter litigantes conuenerit, id ſequetur iudex. *l.26. ſi conuenerit. ff. de re iud. l.26. & pute. ff. fam. erc. l.21. iudicem. ff. com. diuid. l.2. l. antep. ff. de iudic. l.28. inter. ff. ad municip.* Id igitur tempus ſeruabitur, de quo actum erit. Sin minus id in poteſtate ſtipulantis, moderato à iudice ſpatio ſtatuendo. Nec enim ſolutum ac liberum creditori permittitur arbitrium. *d. l.8. de die.* Ne quid durius iniquiúſue ius quo ipſe nollet vti, in aduerſarium ſtatuiſſe videatur.

§. j. EIVS qui apud hoſtes deceſſit, dici hæreditas non poteſt: quia ſeruus deceſſit.

ALCIATVS.

EIVS QVI. ¶ Non poteſt. Ex ſummo iure, vt Accurſius ſentit: nam ex bono & æquo aliter lex Cornelia conſtituit, quæ antequam caperetur, mortuum fingit. *l. lex Cornelia. ff. de vulg.* quæ interpretatio vt vera ſit, vniuerſali tamen negatiuæ non conuenit. Ego generaliter dixerim, hæreditatem eius, qui apud hoſtes deceſſit, nullo modò poſſe dici, licet ex lege Cornelia hereditatem eius qui captus eſt, dicere poſſimus, quoniam hæc captura in ea lege vicem mortis ſucceſſit.

Seruus. ¶ Nam hæreditas eſt ſucceſſio in ius defuncti: at ſerui nullum ius habent. In his verò caſibus cum lex pro liberis eos habet, hæreditas eorum rectè dicetur. *l. pen. C. de his quib.* vt cùm ideo non fuit aliquis manumiſſus, quia tabulæ teſtamenti, quibus libertas relinquebatur, ex S.C. Sylleiano aperiri non potuerunt. Sunt & alij caſus quos enumerare operæpretium non eſt. *l. ſeruus. C. commun. de ſucceſſ.*

BRECHÆVS.

EIVS QVI. ¶ Propterea quòd ſeruorum nulla erat omnino hæreditas, *vt l. ſeruus. C. com. de ſuc.* Serui autem efficiuntur qui in bello ab hoſtibus capti ſunt, conſequens eſt vt qui in bello captus apud hoſtes deceſſerit è vita, eius hæreditas nulla dici debeat. Sed ex æquo & bono lex Cornelia aliter ſtatuit. Non enim adimit poteſtatem iúſque cernendæ hæreditatis eorum qui apud hoſtes deceſſerunt. *l. lex Cornelia. de vulg. & pup. ſubſtit.* Sed iure duriore exactioréque hæc noſtra lex vtitur. Qua ratione conciliãda erit hæc antinomia.

FORNERIVS.

EIVS QVI. ¶ Nullum cum ſeruis iuris ciuilis commercium intercedit: hæreditas verò ac teſtamenti factio eſt publici iuris. Nec enim admittendum, quod Theophilus cenſet, ἰδιωτικοῦ νομίμου τὴν διάθεσιν συγχωρεῖσθαι. *l.3. ff. qui teſtam. fac. poſſ.* nulla igitur eorum bona, nulla familia, patrimonium nullum intelligitur. *§. item vobis. Inſtit. per quas perſon. l.182. paterfamilias. ff. h. tit.* Ipſe enim qui alterius poteſtati ſubiicitur, ſuum habere nihil poteſt. *l.10. acquiruntur. ff. de acq. rer. dom.* Quare nulla ſeruorum ſucceſſio, nullus heres. *l.4. C. com. de ſucceſ.* ob candémque cauſam qui in ſeruitute eſt non vſucapit, nec dum apud hoſtes agit, cœptam adimplet vſucapionem. *l.23. ait prætor. §.1. ff. quib. ex cau. maior.* Nam cum ipſe poſſideatur, non videtur poſſidere: vt nec ille quenquam habere in poteſtate, qui non eſt ſuæ poteſtatis. *l.54. homo. ff. de acq. rer. domin. l.118. qui in ſeruitute. ff. ſit. ſeq. l.21. ſic eueniet. ff. ad leg. Iul. de adult. l.23. cum heredes. ff. de acq. poſſ.* Seneca *libr.4. controuerſiar.* [Quomodò ciuis iura habeat, qui liberi hominis non habet?] Eſt autem iuris ciuilis beneficium, & inuentum vſucapio. Cicero *pro Cæcinna. l.1. ff. de vſuc. l. vlt. ff. pro ſuo.* ¶ Verùm duplex in captiuis vna poſtliminij, altera legis Corneliæ fictio admiſſa efficit, vt à ſummo illo iure recedatur, & captiuus ſi reuertatur priſtina iura recipiat. *ſuprà, de captiuis & poſtliminio reuerſis.* Cicero *in Topic.* Eiúſque qui apud hoſteis deceſſerit, ſucceſſor bonorum poſſeſſionem petere poſſit. *l.3. ſuprà. de bonorum poſſeſſion.* Et in ipſius teſtamento exercetur falcidia. Nam vt ait Paulus, [Fictio legis Corneliæ & hæreditatem & hæredem facit.] *l.18. plus familias. ſuprà, ad legem falcidiam.*

Seruus. ¶ Priuati videlicet, cuius deterior erat quàm publicorum ſeu reip. vel vniuerſitatis ſeruorum conditio. Namque hi & matrimonium contrahere, & patriam habere poteſtatem poterant. *l.2. §.de ſeru.reip.manumit.* Publica conficiebant acta, apud eos cautiones interponebantur. *l.18. non alter.§.de adopt.l.vlt.§.quod cuiuſq.vniuer.* (antequàm ſeruili conditioni obnoxios à publicis chartis ſummouiſſet Arcadius. *l.3. C.de tabular.*) Sed & pro dimidia parte teſtamenti faciendi ius habebant. *Vlpian.fragment.titul.*20.vti ſerui principis agebant & conueniebantur.*l. vlt.C.vbi cauſ.fiſc.* Denique Leo Imper.propriis ſeruis liberam rerum ſuarum adminiſtrationem permiſit: exemploque perhumano cæteris prælucens tum magiſtratibus, tum priuatis, vt idem ipſi ſuis indulgerent, auctor fuit. *Nouel.* 38. *οὐδ᾽ ἐπὶ τοῖς ἐμοῖς οἰκέταις συγχωρήζω κεῖσθαι τὸ δόγμα, πᾶσαν δὲ εἶναι παρεχόμενον ἀεὶ τῆς τῶν πραγμάτων διοικήσεως τούτοις παρέχομαι.* Quod imitatus Philippus Valeſius Francorum rex, cuius legem ex antiquis Aurelianenſ. deſcriptam monumentis conditam ſeruo. Sed & eiuſdem principis conſtitutione, denegata veteris legis ſubtilitate captiuis teſtamenti factio in ſolatium periculorum, laborúmque & calamitatum lenimentum reſtituitur, deletis velut vnâ liturâ eius argumenti legibus, *Leon.Nouel.*40.Vt iam otioſæ ſint quæſtiones quæ tractantur, *in l.12.lege.§.qui teſtam.facere poſſunt. l.10.pater.ll.ſeq.l.18.in omnibus.l.22.bona.§.de capt.l.vltim. C.quib.ex cauſ.maior.d.l.18.filiusfamil.l.4.§.1. de bon.liber.*& ſi quæ aliæ ſint generis eiuſdem: Ætiologia denique, quæ hic ſubnectitur, abrogatur.

Qui ſeruus. ¶ Superioris ſententiæ reddita ratio varie ſcribitur, Florent. *qui.* in quibuſdam libris, *quia*, in manuſcriptis, *quoniam*. Id inde ortum, quòd vtrobique eadem propè, (ſi temonem ſuſtuleris) literarum figura cernitur, quæ alios fortaſſe locos deprauauit. *l.67.illa.de verb.obl.l.44.cum poſtulaſſem.ſi.de damn.infect.l.34.præſides.ver.qui perpetui ſunt, pro quoniam.§.ſi cer.pet.*

IIII. PAVLVS lib.ij. ad Edictum.

PECVNIÆ appellatione rem ſignificari Proculus ait.

ALCIATVS.

PECVNIÆ. ¶ Rem, id eſt, ſubſtantiam: nec enim eſt veriſimile Proculum, cùm dixit, generaliter rem accepiſſe, ſed in eum tantummodo ſenſum, quo facultates cenſúſque ſignificentur. nam pecuniam antiqui à pecore deduxerunt, quod vniuerſa eorum facultas in pecorum fructu eſſet, vt Grammatici aiunt, qua ratione, & peculium dictum quod quis ſua induſtria acquirit, vt Valla exiſtimat.

BRECHÆVS.

PECVNIÆ. ¶ Hic docet Vlpianus quid appellatione pecuniæ contineatur. Quod vt facilius cognoſcamus, idem ipſe Vlpianus ſequenti lege dixit rei appellationem latius patere, quàm pecuniæ. Nam rei nomen pecuniam continet, ſed non è contrario, pecunia rem ſignificat. ¶ Qua ratione, rei nomen generalius eſt quàm pecuniæ. *l.1.ad finem. ff. ſi certum petatur.* ſed forſan obiicias, quare igitur dixerit Vlpianus, pecuniæ appellatione rem ſignificari? Ego quidem reſpondebo pecuniæ verbum rem ſignificare, ſicut ſpecies ſignificat ſuum genus. Dicimus enim hominem eſſe animal: ſed generalius eſt animalis nomen quàm hominis: vt quia & ratione prædita *καὶ ἄλογα*, ſeu ratione carentia animalia ſimul contineat: homo tantùm de pluribus numero differentibus & indiuiduis prædicari ſoleat. Sic quia rei appellatio pecuniam inter cætera, & alia multa etiam continet, dicemus pecuniam rem ſignificare. Vt ſi quis dixerit, rem meam Martino meo do lego, pecuniam quoque cum reliqua patrimonij ſubſtantia legaſſe cenſebitur. Si verò pecuniam legauerit, pecuniam numeratam & æs ſignatum forma publica tantùm legaſſe dicetur. Re enim in genere legata, teſtator cenſetur reliquiſſe non ſolùm ſubſtantiam quæ in patrimonio ſit, vt vaſa aurea, argentea, & ænea, ſed & ſignatam pecuniam. ¶ Argento autem auróve legato, ſignatam pecuniam legati nomine non contineri Vlpianus cenſuit. *l. cùm aurum vel argentum. de auro & argento legato.* ¶ Quod ſi quis rem legauerit, proprietatem quoque eius rei legaſſe probabitur, & vſum. *l. ſpecies auri. eodem titulo de auro & argento legato.* Eſt autem pecunia, quæ à Græcis *τὸ χρῆμα* dicitur, *καὶ ἀργύριον* omne æs publica forma ſignatum, quo vel commutandis, vel vendendis emendíſque rebus & mercimoniis comparandis gentes inter ſeſe vti ſolent: quod precium rei emptæ & venditæ appellatur. ¶ Quia in permutatione, nullum eſt precium. Vnde rectè dixit Proculus permutationem ſpeciem eſſe ab emptione & venditione ſeparatam. Nam ante inuentam pecuniam vtebantur homines permutatione, res ſcilicet cum rebus commutabant: vt ex Homero vij. Iliad. videre licet.

Ἔνθεν ἄρ᾽ οἰνίζοντο καρηκομόωντες ἀχαιοί.
ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ᾽ αἴθωνι σιδήρῳ
ἄλλοι δ᾽ ἂν ῥινοῖς, ἄλλοι δ᾽ αὐτῇσι βόεσσιν
ἄλλοι δ᾽ ἂν δραπόδεσσι τίθεντο δὲ δαῖτα θάλειαν.

Hinc

Hinc ſibi certatim Gentis de more comatæ
Vinum parant Graij ære dato, fulgentéque ferro
Tergoribus bobúſque, ſed & ipſis mancipijsq́;.

Hunc locum D. Budæus ita vertit.

Cæſarie inſignes redimunt hinc vinum Pelaſgi.
Pars dedit æs nitidum, ferrum pars altera: bubus
Tergora direptis hic protulit, ille vigit ipſos
Ad naueis tauros: hic bello corpora capta.

¶ Dicta eſt à peculio, vel pecu pecunia: ſcribitque Plin. *lib. 13. natur. hiſtor. c. 3.* pecuniam à nota pecudis nomen accepiſſe, eò quòd pecudis nota primùm æs ſignatum fuit. Et Columella *libr. 6. in præfat.* nomen pecuniæ tractum à peculio vel pecore. Bonam enim diuitiarum ſuarum partem veteres in pecudum grege numeroſo collocabant. *c. totum quicquid. 1. q. 3.* Notat Franciſc. Zabarel. *in clem. 1. §. porrò. de verb. ſign.* ¶ Quid autem appellatione pecuniæ contineatur, vide per gloſſ. *in c. putant. 13. q. 3. gloſſ. in l. 2. ad fi. C. de conſt. pecun. in auth. vt omnes obed. iud. prouinc. §. 1. in verb. pecuniarum. & in d. c. totum quicquid. & in l. 2. §. item Mutuum. in verb. pecuniam. ff. ſi cert. pet. & in l. quiſquis. de leg. 3. l. liber homo. §. 1. de ſtipul. ſeruor. l. litigatores. §. quod ait. de arbitr. l. 1. C. ob chirograph. pecun.* Quo loco Iacob. Butrig. cenſet accipiendam eſſe pecuniæ appellationem de re quacunque, quæ vel in patrimonio noſtro ſit, vel eſſe poteſt.

FORNERIVS.

PECVNIÆ. ¶ Hanc quidem peruulgatam tum calamo exaratorum, tum æneis formis excuſorum codicum ſcripturam plerique ſequuntur, adeò non deſunt qui repertis frugibus etiam glandibus veſcantur. At Florentina profectò ſcitior editio, *nominis appell.* vel ſuffragante, ex Baſilicôn ſynopſei verſione Græcorum, τῷ ὀνόματι τῶν χρεωστῶν τὸ κεχειρογραφημένον πρᾶγμα σημαίνεται. Inter cætera autem τὸ χρεωστῶν nomen debitorum ſiue ſingrapham ſignificare, ex Græcorum quoque interpretatione conſtat, *c. 6. ĵ. h. tit.* ¶ Nominis ergo appellatione debita res intelligitur, ſicut legato debitoris cheirographo, vel inſtrumento emptionis donato, actiones & iura quæcunque his continentur legari ac donari intelliguntur. *l. 59. qui chirographum. ſ. de leg. 3. l. 1. C. de don.* & quanquam actio id eſt perſequendi debitoris facultas, ius definiatur à Celſo. *l. 50. nihil. de obl. & act.* necnon incorporeis rebus interitus expertibus. Caius adnumeret. *l. 1. de rer. diuiſ.* Tamen actiones fiſco competentes ſuo tempore non motas cremari iubet Conſtantinus, id eſt tabulas actionum, figuratè ſcilicet debitoribus fieri negotium non oportere remiſſúmque debitum ſignificans. *l. 6. iuſtas. Cod. de iure fiſci.* ¶ Quædam enim apud veteres negotia ſymbolis & ritu ſolenni adhibito tranſigebantur. Veluti, (vt cætera nunc mittam, quæ huc aggerere non lubet) cum reliqua tributorum fiſco debitorum Imperatores prouincialibus indulgebant, *Nouel. 147. 163.* edicto Iuſtini περὶ συγχωρήσεως τῶν λοιπάδων: tabulas iubebant publicè concremari. Iulianus Iudæorum τῷ κατασβεσθῆναι παρ' ἑαυτοῖς τὰ βρέβια τὰ καθ' ὑμῶν, ἐν τοῖς ἡμετέροις σκρινίοις ἀποκείμενα. combuſtione breuium [*Roolles*] ſe vectigalium exactionem & collationem prohibuiſſe innuit. Vt & apud Cedrenum Anaſtaſius, Chryſargiri tributum, tabulis illius incenſis ſuſtuliſſe dicitur. Ex eo inſtituto ſunt illa Arcadij & Honorij verba, *Et veterum monumenta chartarum in deſertis & ſqualidis locis habere dignoſcitur, hiſdem prouincialibus conceſſimus, & chartas ſuperflua deſcriptionis cremari cenſemus. l. 2. de indulgentiis reliquorum lib. 11. C. Th. titul. 28.* Apertius eum morem eorundem Impp. reſcriptum indicat: *Atque vt ipſa reliquorum memoria intercidat, chartas omnes, quas tabularij viuentium habent, quibus & debitorum nomina, & debita continentur, vndique in medium congregatis palàm flammis iubemus aboleri. l. 3. eodem titulo.* publicè ſcilicet in conſpectu populi eiuſmodi libri cremabantur, vt eiuſdem *libr. 11. titul. 20. de collatione donatar. vel releuat. poſſeſſ. l. 4. oſtenditur. Ipſum enim codicem cauſa concuſſionis & fraudis & vniuerſa ſcripturarum genera tali connexa negotio, ne veſtigia timoris poſthac vlla remaneant, in conſpectu prouincialium flammis iubemus exuri.* Idipſum luculenter Auſonius Panegyrico, Gratiano pro conſulatu gratias agens expreſſit. [Tu, inquit, argumenta omnia flagitandi publicitùs ardere iuſſiſti. Videre in ſuis quæque foris omnes ciuitates conflagrationem ſalubris incendij: Ardebant ſtirpes fraudum veterum, ardebant ſeminaria furtorum. Iam ſe cum puluere fauilla miſcuerat, iam nubibus fumus inuoluerat, & adhuc obnoxij in paginis concrematis ductus apicum & ſeſtertiorum notas cum iuuantia de ratione cernebant: quod meminerant lectum, legi poſſe & verentes.] hæc ille: ¶ Verùm vt ad inſtitutum redeamus, Nomen pro re in obligationem deducta ſumitur: Inde quod apud Papinianum [In priuatis quoque cauſis & hominibus] Florentiæ legitur, non abs re ab eruditis viris emendatum [nominibus,] temerè reſpuitur à Contio. Sequitur enim [Sub fideiuſſore factis.] Facere dicimus non homines, ſed nomina, id eſt obligationes, cautiones. *l. a. in fin. ſ. de cuſtod. reor.* vt [totam fortunam in nominibus habere,] id eſt cautionibus. *l. antep. ſ. de ſtatu lib.* [Nomen pignori dare] *l. 13. grege. ſ. de pign.* ¶ Quod quum fit, non dubium eſt, inſtrumentis emptionis agrorum pignori oppoſitis, de agris quoque ipſis obligandis eſſe cogitatum. *l. 2. l. 4. C. quæ res pign.* Quo argumento liceat diſceptatam apud Amphictyonas de Alexandri donatione centum talentorum Theſſalis facta controuerſiam dirimere: De qua Fab. Quinctilianus *lib. 5. cap. 10.* peracutè diſſeruit.

V. IDEM lib.ij. ad Edictum.

REI appellatio latior eſt quàm pecuniæ: qua etiam ea quæ extra computationem patrimonij noſtri ſunt, continet: cum pecuniæ appellatio ad ea referatur, quæ in patrimonio ſunt.

ALCIATVS.

REI. ¶ Rei appellatio latiſſima eſt, & corporalia incorporaliáque complectitur, & ad omnem obligationem contractúmque pertinet. Hinc æquitatem neceſſitatémve aliquando ſignificat, quandoque & veritatem, plerunque & adminiſtrationem: ſed & pro iudicio, controuerſia, ſententia, accipitur: habet etiam negotij ſignificatum. pro rei quoque ipſius æſtimatione nunc accipitur, nunc pro eo quod intereſt: homines quoque rerum appellatione contineri dubium non eſt. *l. omnia. in fi. de leg. 2.* ſicut & delicta cæteráq; quæ in facto conſiſtunt: ſed & officia res appellantur. [Res quoque vtilitatem ſignificat, quo ſignificatu vſus eſt Vlpianus *l. 1. de reb. cred.* ff. Voluptatem quandoque ſonat, quale eſt apud Terentium *in Andr.* His rebus finem præſcripſi pater, ſæpiſſimè litem: Res apud Prætorem agitur.] reſtringitur autem ex ſubiecta materia, quod alibi diſſeram.

EXTRA COMPVTATIONEM.

¶ Accurſius quatuor interpretationes affert, vt vel de his, quæ in patrimonio noſtro non ſunt, ſed eſſe poſſint, accipiamus: vt hæreditas iacens: vel de ſeruitutibus, quæ nec in noſtro patrimonio, nec extra habentur. *l. 1. de vſufruct. leg.* vel de actionibus quaſi hæ pecuniæ appellatione non comprehendantur: vel de rebus ſacris, quoniam in nullius bonis ſint: & hanc probat, cùm ſacra vendi & in pecuniam redigi non poſſint, quod in alijs rebus eſt. ¶ Sed profectò iuriſconſultus haud ita ſenſit, ſed latius accipi rem, quàm pecuniam ait, cùm res mea dicetur, etiam quæ in patrimonio non computetur: vt ſi de filio vel conſanguineo ſentiens commendem tibi res meas, vel cùm de capite periclitans dicam rem meam agi, quod minimè ei ſignificationi conuenit, quàm habet pecunia. Auſonius poëta,

Imperium, litem, venerem, cur vna notat res? Horatius.
Nam tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

& Plaut. in Pœnulo, *Tenetis rem? Vix quidem hercle: nam ita pauxilla eſt, digitulis primoribus,* &c.

BRECHÆVS.

REI. ¶ At verò rei nomen latiſſimè patet. Nam quandoque *τὴν ἀρχὴν*, id eſt imperium & poteſtatem ſignificat, vt apud Virgilium libro tertio Æneid.

Poſtquam res Aſiæ Priamique euertere gentem.

¶ Significat & *οὐσίαν* ſeu ſubſtantiam totam patrimonij. Prætereà & nomina debitorum, & actiones. *l. 1. in fin. ſi certum petatur. l. cogi. in princip. & l. ſi legatus. §. ſi quis bona ſua. ff. ad Trebellian.* Cyn. & Bald. *in l. 1. de ſtatu homin.* Vnde Latini dicunt rem ſuam augere, pro eo quod eſt ditiorem fieri. Cicero *in Oratione pro Rabirio Poſthumo*, Rem (inquit) bonis & honeſtis rationibus auxit. Item *libro ſecundo de Officiis*, Non eſſe duo hominum millia qui rem habeant: id eſt, qui diuites ſint. Terentius *in Eunucho.* Eius frater eſt aliquantulùm ad rem auidior. Vide ro de hac rei ſignificatione amplius infrà *in l. res appellatione.*

QVIA *& quæ extra computationem, &c.* ¶ Qualiter id accipi debeat, Accurſius hoc loco ſcribit, profertque quatuor interpretationes. Et Alciatus nomihil de hac re dicit. Harum autem quatuor interpretationum Accurſius aſſerit primam eſſe maximè veram, & cum eo conueniunt in ſententia reliqui Doctores.

FORNERIVS.

REI. ¶ Duæ hic voces comparantur. RES & PECVNIA, vti ſuprà, *vrbs, & Roma. l. 2. hoc titulo.* hæc illâ anguſtior eſt. ¶ Nam rei nomine omnia cum corporea, tum incorporea, contractus, obligationes, iura & cauſæ continentur. *l. 23. res. infrà hoc titulo.* quin & homines ipſi. *l. 32. omnia. de legat. 2.* niſi per adiectionem, ſingularémque notam aliquam latior ipſius ſignificatio contrahatur, veluti quum in rem agimus, certámque ſpeciem, vt lancem vel veſtem vindicamus. *l. 1. l. 6. ſi in rem.* ff. *de rei vind.* In illo verſu legis xij. Tabularum, VTI LEGASSIT REI SVÆ ITA IVS ESTO, latiſſima poteſtas tributa dicitur, *l. 120. verbis.* ff. *h. tit.* Falcidius primo legis ſuæ capite vtrumque coniunxerat, VT EAM PECVNIAM EASQVE RES QVIBVSQVE DARE LEGARE VOLET. *l. 1.* ff. *ad leg. Falcid.* vt ea quoque quæ *extra patrimonium* eſſent, complecteretur: non quæ *in patrimonio* tantùm. Id eſt, in bonis, in dominio, *δεσποτείᾳ ἢ κυριείᾳ*, vt interpretatur Theophilus §. 1. *de rer. diuiſ.* etiamſi aliunde quàm à patre obuenerit, patrimonium eſt nihilominus. ¶ Sed quemadmodum ex iis quæ vt plurimùm accidunt, iura conſtitui ſolent. *l. 3. 4. 5. & 6.* ff. *de legib.* ita nomina rebus à maiore cauſâ dignioréque imponuntur, Plato Cratylo. Vt hermaphroditus vtriuſque ſexus particeps, ab eo qui præualet, cenſetur *l. 10. quæritur.* ff. *de ſtat. hom.* & vinum dilutum, licet plus inſit aquæ quàm vini: tamen eiuſmodi *κρᾶσις* vini nomen retinet. Sic patrimonium

monium dicitur, quamnis vxor plus fortè quàm vir in commune contulerit, Plutarchus ἐν γαμικοῖς παραγγέλ.

Extra patrimonium.] ¶ Græcorum paraphraſis hic, καὶ τὰ ἔξω τῆς ψιλῆς τῆς οὐσίας ἡμῶν ὄντα. Vt actiones populares, ante litem conteſtatam. *l.12. ſi cui. ʃ. h.t. l. antepenult. & penult. ṡ. de pop. actio.* Vt actio iniuriarum, quæ vindictæ magis, quàm pecuniæ habet perſecutionem. *l.2. ṡ. de collatio. bonor.* Vt ſeruitutes prædiorum. *l.1. ṡ. de vſuſruct.* Sed verius eſt eas bonis noſtris annumerandas, quoniam vindicantur. *§. aquè. de act. & ius. ṡ. ſi ſer. vind. l.52. rem in bonis. ṡ. de acq. rer. dom. l.49. bona. ʃ. h. tit.* & pignori dantur. *l.12. ſed an. l.15. & qua. §. quod dicitur. ṡ. de pignor.* Nec verò Paulus ſeruitutes in bonis haberi negauit vnquam: ſed aliurſum verba ipſius accipi oportere commentario tertio ſelectionum oſtendimus. ¶ Portò veteribus idem quod nunc patrimonium ſignificauit pecunia: vt eo legis decemuiralis verſu, IN EO PECVNIAQVE EIVS. item illo, PECVNIA TVTELAVE SVA. Celſus, *Pecunia ſiue peculio res fragilis. l. ſi chorus. de legat.3.* A pecudibus nomen duxit, vt Varroni, Plinio, Gellio, Feſto & Iſidoro placet: ſiue quòd primùm cudendis numis pecudis figuram impreſſerint, ſiue quòd in vellere, aut pelle ouis auri faciendi rationem Medæa docuerit. Sudas in χρυσάμμος, ſiue quòd primæ hominum facultates potiſſimùm in paſcuis ac pecudibus eſſent poſitæ, Quod ex ſacris literis cognoſcitur, & Græcis πολύμηλος pro diuite vſurpatur, & Corydon Virgilianus ſuas oſtentans opes,

Quàm diues pecoris niuei, quàm lactis abundans,
Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ,
Lac mihi non æſtate nouum nec frigore deſit.

¶ Sed hoc iterum ſub incudem reuocabitur *in l.178. pecuniæ. & l.222. pecuniæ. ʃ. h. tit.*

§.j. OPERE locato conducto: his verbis Labeo ſignificari ait id opus, quod Græci ἀποτέλεσμα vocant, non ἔργον, id eſt ex opere facto corpus aliquod perfectum.

ALCIATVS.

OPERE LEGATO. ¶ Alij codices habent locato, vtrumque rectè: cùm enim de opere dicimus, de eo intelligimus, quòd veri operis formam habeat: quæ quidem forma non niſi ea conſummatione contingit. *l. ſi is qui. 400. §.1. ad leg. Falcid.* quapropter qui opus debet, partem faciendo, nihil agit. & hæc eſt ratio cur facti obligatio indiuidua ſit, *l. in execu. ver. 2. de verb. oblig.* licet alij aliter ſenſerint. ¶ Sanè mens loquentis quandoque aliud ſuadet, vt cùm quis argentum factum legat. nam & id veniet, quod elaborari cœptum ſit, licet adhuc non perfectum. *l. & ſi. §. quid ergo. de auro leg.* non enim in obligatione ipſum facere hoc caſu vertitur, ſed res ipſa præſtatur. Qua ratione & ſi quis partem parietis, foueæ, vel maceriei fecerit, opus illi nouum nunciari poterit. *l. ſtipulat. §. opus. ṡ. de oper. noui nunciat.* quia non debet damnum alicui, neque ea parte idem operis inferri. Idem & cum de opere certam formam non habente loquimur, vt paries, fouea, maceries, & ſimilia. nam etiam ſi ſolum incœpta ſint, dicitur opus factum eſſe: ſecus, ſi certi termini, vel menſura addita proponatur. *l. ſtipulat. non diuiduntur. ṡ. de verb. obl.*

Græci ἀποτέλεσμα. ¶ Nomen id à perfectione, abſolutioneque deducitur: qua ratione Homerus quandoque τετελεσμένον ἔργον dixit eodem ſenſu. ¶ Sed & ἀποτελέσματα mathematicorum reſponſa dicuntur. ediditque hoc titulo Ptolemæus librum, qui vulgo Quadripartitus appellatur: meminit etiam huius ſignificationis Euſtathius in Iliados primo, vbi Genethliacorum curioſitatem damnat, qui omnia ſubiecerint planetarum poteſtati, & proculdubio ridiculum eſt, reſponſa ſua hoc nomine eos appellare, quibus nihil imperfectius, vanius, ſtultitius excogitari poteſt: ars enim illa ab Aſtrologis conficta fuit, vt cùm ſua profeſſione nihil lucrarentur, à curioſis rerum futurarum principibus, hoc nomine pecunias æruſcarent: & ideo antiquis. ſapientioribuſque Philoſophis damnata, Chriſtianæ legi contraria, ab Imperatoribus etiam capitali vltione coërcita. *l.3. & 5. Cod. de maleſic. & mathematic.* aduerſus quam M. Cicero, Origenes, Phauorinus, & nouiſſimè Ioannes Picus 12. *libris* decertauit. ¶ Quòd ſi quis eorum (quanquam hæc rara auis (qualis Thraſyllus aut Aſcletarion quandoque vera prædixerit, id non aſtrorum ſcientia, ſed cacodæmonum aliquo impellente, vel falsò prædicta ad euentum perducente, factum eſt, quorum maximè intereſt, huic impoſturæ fidem omnino non abrogari: vt mirum ſit cur domini rerum, qui Chriſtianis imperant, impunè doceri diuulgarique huiuſmodi apoteleſmata permittant, quibus, ſingulis annis, ipſi efferuntur, bellaque, tumultus, & rerum mutationes: adhæc diluuia, grandines, terræ motus, huiuſmodique terriculamenta portenduntur, ſicque nocentium animos, vel in ſpem alicuius facinoris incitant, vel innocentium metu, & deſperatione comminuunt, in cauſáque ſunt, vt à malis geniis multa mala in homines inuehantur, ne mentiri videri poſſint.

BRECHÆVS.

OPERE LEGATO. ¶ Alij ſcribunt & legunt, opera locato: vtrumque rectè dici Alciatus hîc cenſet. Opere legato, Labeo id opus eſſe opinatur, quod omnibus ſuis partibus conſtat, éſtque perfectum: non autem quod eſt incœptum tantùm. Neque verò perfectum dici opus poterit, cui aliquid agẽdum reſtat. *l. penultima. C. de his quibus vt indignis.* Sed perfectum dicitur, quando ita conſummatum eſt, vt iam in vſu eſſe poſſit. *l. ædificia. §. perfeciſſe. infra eodem. l. is qui. §. quædam. ff. ad legem Falcidiam.* ¶ Quando autem certa ac definita forma circumſcribitur opus, ſufficiet ſecundum præ-

ſcriptam formam conſummatum eſſe. *l.eum qui ades.ff.de vſucapion.& dicta l.ſi qui.§.quadam.* ¶ At verò quando inceptum habeatur pro completo, vide *in l.furtum.§.& ſi non totam.ff.arborum furtim caſarum* Fauore igitur legati,legatum opus,erit quod Græci ἀποτέλεσμα vocant τοῦτ' ἔστι παντελές, id eſt omnino abſolutum perfectúmque. ¶ Nam ἀποτέλεσμα deſcendit à verbo ἀποτελεῖν,quod perficio & abſoluo ſignificat. Quemadmodum συντέλεια à Græcis Theologis frequenter pro conſummatione ſeculi vſurpatur. ¶ Quæ autem Mathematici ἀποτελέσματα appellant, hîc ſatis abundè ſcribit Alciatus. Et de genethliacis,Baſilius Magnus *in Hexaeme homilia ſexta.* Cicero *libro ſecundo de Diuinat.* Etiámne (inquit) vrbis Romæ natalis dies ad vim ſtellarum & Lunæ pertinebat? Fac in puero referre ex qua affectione cœli, primum ſpiritum duxerit: num hoc in latere aut in cæmento,ex quibus vrbs effecta eſt, potuit valere? Hic effectionem Cicero dixit, quod Græci ἀποτέλεσμα teſte Budæo. Vnde ἀποτελεσματικοὺς ipſi dixere inquit Euſtatius.

FORNERIVS.

OPERE. ¶ Rectius legitur in Florentino exemplari *locato*, quàm vulgatibus *legato*. Facta ſunt naturalia, Natura nihil patitur imperfectum: opus ἔργον non inchoatum & affectum: ſed confectum ſuiſque numeris impletum ſignificat. Imago quę tantum ex parte dimidia videtur,non viſum ac ſpectatorem delectat: & itineris labor inanis quidem,niſi ad ſtatutum perueniat locum,quo viator præſcripſit: & currentes in ſtadiis vno ſæpe tantùm gradu deficientes à palma excidunt. Baſilius ad Iullitam Martyrem ita ratiocinatur. ¶ Et noſtris auctoribus facti appellatione, conſummatum opus intelligitur. *Nihil enim videtur actum,ſi quid ſupereſt,quod agatur.l.vlt.C.ad Sc.Syllan.* Æs quod conflatur adhuc nondum verè ſtatuam, nec dum fœtum in vtero conceptum hominem dicimus. Simplicius *in Epictetum*, καὶ ἀνδριάντα τὸν χωνευόμενον χαλκὸν, ἀπὸ ἐσχάτου λέγομεν, καὶ τὸ ἔμβρυον, ἄνθρωπον. Quemadmodum & Nummus formari cœptus, nondum eſt nummus. *l.19.qui falſam.ff. ad leg.Corn.de falſ.* Domus inchoata,non impoſito faſtigio,non eſt domus, *Nouell.131.* Imo eſt luctuoſa,Homerus *in catalogo.*, τοῦ δὲ καὶ ἀμφιδρυφὴς ἄλοχος Φυλάκῃ ἐλέλειπτο,

καὶ δόμος ἡμιτελής. Lucianus in Dialogo Proteſilai, ἀνύμφευτον ἡμιτελῆ τε δόμον χήραν τε τὴν νεόγαμον γυναῖκα καταλιπών. ¶ Operis faciundi obligatio indiuidua eſt: nec pro parte facienti liberatio contingit, *l.2.l.4.l.72.ſtipulationes non diuid.l.85.in executione.§.ſecunda.ff.de verb.ob.* Et quod imperfectum fieri cœpit, factum non videtur, ſed operis initium. *l.11.fideicommiſſa fin.de legat 3.* qui promiſit facere is & perficere & abſoluere debet, nec pro rata operis mercedem conſequetur. ¶ Quæ ratio vſui eſſe poterit in architectos, foſſores, aut redemptores mancipéſque operum, conductores cæteróſq; artifices, qui quid faciendum locauerint: eodémque ipſi iure, & in eos qui conduxerint, vtentur. hic *ver.locato,cōducto.* Hoc pertinet quod de Ergolabis,& operũ ſuſceptorib. in monopoliũ coeuntib. Leonis Nouella cauetur, quæ apud Harmenop. exſtat *lib.3.ti.8.l.vn.C.de monop.arg.l.autep.§.mandans.ff.loc.cond.* & antiqua Corinthiorum lex apud Victruuium *præfat.lib.x.* de qua dudum nos *lib.3.* Select. egimus. Sanè in operum legibus hęc ferè clauſula ſubiici ſolebat, OPERE PERFECTO PROBATÓQVE. Cic. *in C.Verrem.* ¶ Verùm *opus* an *opera* locetur, nonnihil intereſt. In operis conductione fortuito caſu, vel naturali terræ motu ædificio concuſſo periculum locatoris eſſe Iaboleno videtur. *l. 59. Marius.ff.locat.* auerſione locatum opus, & ſuſceptum periculum. *l.15.& ideò.ff.de verb.ob.* pars inſulæ factæ incendio conſumpta eſt, integrum tempus dabitur, &c. In ſtipulationibus in quibus opus faciendum promittitur, tempus cedit ex die ſtipulationis. *l.quoties.ff.de op.lib.* niſi pars inchoati operis caſu abſumatur, & ſit redintegrandum opus, promiſſori tempus cedet ex die operis redintegrandi. *d.l.15.& ideo.*

EX OPERE FACTO *corpus aliquod perfectum.* ¶ In rebus perfectionem ſignificantibus non admittitur plus minúſue: nec videtur exacto quidquam exactius, nec rectius recto poſſe reperiri: aut rectâ lineâ rectior dari, vt Euclidi Mathematicorum principi placet. Ob eámque cauſam officium exactum, ſignificat exactiſſimum. *l.ſi ve. Cod. mandati.* & diligens cuſtodia, diligentiſſimam. *l.5.ff.commodati.* & diligens paterfamilias, diligentiſſimum. *l.heredes.§.non tantùm.ff.famil.erciſc.* Diligentiæ nomine (*l.23.contractus.ff.tit.prox.d.l.5.*) exactiſſima diligentia intelligitur, quam Conſtantinus Harmenopulus μεγάλην ἐπιμέλειαν vocat: id eſt magnam diligentiam, vel, Caius exactiſſimam diligẽtiam. *l.1.§.1.ſi quoque.ff.de ob.& act.* quam exactam tantùm vocat Iuſtinianus *§.Item ſi, quib.mod.re contr.ob.* Sanè vtrumque idem. Cum non rarò comparationum gradus permiſceantur inuicem. *minus* pro *non*, *ſimplicius* pro *ſimpliciter*, & vt alio oſtendemus loco, confundantur.

PERFECTVM. ¶ Si quis igitur honoris causâ opus factorum ſe in aliqua ciuitate promiſerit: ad perficiendam tam ipſe, quàm heres obligabitur: ſin minus, quinta aut decima patrimonij pars, ſecundum traditam à Modeſtino Pomponióque diſtinctionem debebitur. *l.9.ex pollicitatione.l.pen.de pollic.* Imò illud amplius ab Iuſtinianum conſtitutum eſt, vt qui ſemel nouum oratorium extruere, vel vetus inſtaurare cœperit, compellatur omninò ipſe ſi ſuperſit, vel eo mortuo ipſius heres inſtitutum opus conſummare. *d.Nouell.131.* ὁ δὲ ἀπαρξάμενος ἢ νέον κτίζειν εὐκτήριον ἢ παλαιὸν ἀνανεοῦν, πάντως αὐτὸν ἀναγκαζέσθω τὸ ἀρχθὲν ἔργον πληροῦν. ¶ Cum igitur de operum factorúmque locatione ius ita ſit, palam eſt, cætera quæ vel de rebus, vel delictis obiicerentur, ab hac diſputatione eſſe aliena. Imprimis quòd argentum fabricari cœptum, nondum perfectum facti magis, quàm infecti appellatione contineatur. *l.19.cum aurum.§.infectis.ff.de aur.& arg.leg.* Nec enim illic de opere factóue quærebatur, ſed de rei materia & qualitate diſſerebat Vlpianus. Deinde nec illud ad rem pertinet, quod occurret poſtea. Perfeciſſe eum videri ædes, qui ita parauerit, vt iam vſui eſſe poſſint. *l.139.ædificia.ff.h.tit.* quoniam non de Ergolaborum qui opus faciundum redemerint, conuentione agitur, ſed priuilegio Latini liberti, qui ædificio Romæ exſtructo ius ciuitatis conſequebatur. *Vlpian.Fragm.tit.3.* ¶ Poſtremò illud

illa lex Solonis ac Draconis lege ſumptum, adulteros in rebus venereis, hoc eſt ἐν τῷ ἔργῳ deprehēſos impune occidi *l. 23. quod ait. §. ad leg. Iul. de adult. et minus negotij facis*, quòd in atrocioribus criminib. exitus modò, ſed conatus etiam & initium caſtigetur *l. 5. C. de episc. & cler.* Quod commodiùs *ad l. 225. ff. ... simus. §. h. t. diſputabitur.*

VI. Vlpianvs lib. iij. ad Edictum.

NOMINIS & REI appellatio ad omnem contractum & obligationem pertinet.

Alciatvs.

NOMINIS. ¶ Nomen hîc pro obligatione debitoria accipitur, ſicut cùm dicimus, vendo nomen, ego, obligo, do in ſolutum, alioquin & alias ſignificationes habet: ſic enim cauſam, ſic accepti expenſique titulum, *l. pen. & fi. C. de conue. fiſ. deb. lib.* 10. ſic ſingula in conficiendis rationibus negotia appellamus. Sed & in S.C. dicitur incertis nominibus pecuniam à Macedone filiisfamil. credi ſolitam. *l. 1. ad Macedon.* Sic & Horatius epiſt. lib. 11.

Cautos nominibus certis expendere nummos.

Qoandoque & agnationem ſignificat, vt cùm prohibemus fundum de nomine noſtro exire. *l. is qui. de legat. 3.*

Res. ¶ Licet hæc vox generaliter intelligatur, quandoque tamen ſpeciali ſignificatione accipienda eſt: vt cùm in rem quis agit: ſpecies enim deſignari tunc debet *l. ſi in rem. §. de rei vend.* nam & iura non vendicantur *l. vendicatio. eod. tit.* Idem ſi res omnes legauero: iura enim non continētur, quia nec poſſidentur: pronomen autem meas, poſſeſſiuum eſt: atque ita Baldus ſenſit, *l. 1. de ſtat. hom.* quod ego non probo, cùm grammatici in eam ſignificationem poſſeſſiuum non accipiant, in quam Baldus exiſtimauit: quapropter & cùm rem alienam dicimus etiam de iuribus intelligimus. *cap. fin. de præſcript.* Verius ergo eſt id legatum per illam adiectionem ſolùm ad ea coarctari, quæ in dominio noſtro habemus. *l. Quintus. § arg. & aur. leg.* Sanè & cùm res, quas in illo fundo habeo, tibi promittam, iura non debentur quoniam eo loco non continentur. *l. Casus. de leg. 1.* Dubium autē non eſt, quin verba etiam generaliſſima per adiectionem reſtringantur. Sed finge, princeps mihi vniuerſiſq; rebus meis pleniſſimam immunitatem conceſſit, an ſubditi quoque immunes ſint? & eſſe reſponſum eſt: ſed quoniam ob mei fauorem hæc conceſſio facta eſt, non poterunt in domini damnum ea vti: & ad me pertinebit declaratio, quos velim immunes eſſe, vt belliſſimè Andr. Siculus reſpondit. *conſil. 26. in 2.* ¶ Sanè poſſumus & genitiuum hoc etiam à reo, id eſt, obligato inflectere, vt reus debendi dicatur, ex quocunque contractu, vel obligatione quis debeat. Nam & veteres (vt Cic. *lib. 1. de Oratore* inquit) reos appellabant non eos modò qui arguuntur, ſed omnes quorum de re diſceptatur. Hincque eſt, quòd reus non ſolùm debendi dicitur, ſed etiam credendi, & ipſe quoque per acceptilationem à nexu liberari cenſetur: oblatam enim pecuniam non poteſt non accipere. *l. fideicommiſſa. § ſi rem. de leg. 3.* ¶ Dicitur & reus voti is qui diis in euentum conditionis promittit: at vbi conditio euenit, tum etiam damnatus eſt voti: quod oſtendit T. Liuius *lib. 7. de bello Punico*, & Vergil.

Damnabis tu quoque votis. quod & Seruius ſentit: vt non parum mirer, cum Macrobius voti damnatos interpretetur, qui vota ſoluerint, & non potius idcirco obligatos ad obſeruationem voti, quia quod petierant impetrauiſſent. In qua re Nonij quoque Marcelli diligentiam non ſatis probo, tametſi ſciam ex recentioribus pleroſque Macrobium ſequi.

Brechævs.

NOMINIS. ¶ Nomen eſt titulus qualitatis ſeu rei, ſeu perſonæ, quod Græci ὄνομα, dicunt, παρὰ τὸ νέμω ἢ μερίζω: Latini autem à re vel perſona nominanda atque appellāda, cùm perſona vel res ipſa ſecundum ſubſtātiam & qualitatem ſolet deſignari: & tam eorum quidem quæ ad virtutem gloriámque pertinent, quam quæ ad contumeliam, & vitium. ¶ Olim apud Athenienſes (vt author eſt Gellius *lib. 9. cap. 11.*) lege ſancitum erat, vt fortiſſimorum & virtute ac meritis præſtantiſſimorum hominum nomina ſeruis atque hominibus ſpurcis indere non liceret: quoniam nephas ducerent nomina libertati patriæ deuota & ad Reipublicæ ac bonorum gloriam pertinētia, ſeruili contagio pollui. Sed aliter Vlpianus hoc loco nomen accipit: videlicet pro debitoris obligatione. Quod & etiam Satyricus poëta ſignificare voluit his verbis.

Cùm venis ad dubium grandi cum codice nomen.

¶ Quo loco codex ſignificat librum ſeu calendarium, in quo expenſi acceptíque ratio perſcribi ſolet. Columella *lib. 1. rei ruſti.* Nec rurſus (inquit) in totum remittendum, quoniam vel optima nomina non appellando fieri mala fœnerator Alphius dixiſſe veriſſimè fertur. Et apud Senecam: Nunquam magis nomina facio, quàm cùm dono: id eſt, nō potiùs debitores creare ſoleo, quàm liberalitate. Vnde T. Liuius nomina impeditiora vocat malos debitores. Variè autem hæc lex intelligitur. Quidam enim aſſerunt hæc verba, Nomen, & Res, ſeorſum intelligenda: alij verò vnico complexu accipienda eſſe, vt ad omnem contractum & obligationem pertineant, & pro debito & debitore ponantur. Quæ fuit ſententia Alberici de Roſa. *hoc loco.* ¶ Eſt autem nomen ipſa actio, vel ius quod mihi aduerſus meos debitores competit. *glo. in l. nominis. C. de hæred. vel actio. vend.* Si quis igitur mihi legauerit nomina debitorum ſuorum, cenſebitur complecti voluiſſe omnes debitores ex quocunque contractu, & ex quacunque obligatione, ſiue naturali, ſiue ciuili. Quod permultis exemplis hic tradit Accurſius, *& l. 1. ad finem. ff. ſi cert. pet.* Sed aduerſatur *d. l. Quintus Mutius. § argento. ff. de aur. & arg. lega.* vbi res legata non protenditur ad res mihi obligatas, ſiue ex contractu debitas. Qualiter, rogo, concilianda fuerit

fuerit antinomia? Et puto poſteriorem ſententiam præualere.

Fornerivs.

Nominis. ¶ Propriam vocum ſignificationem ſuperiùs,& aliquot deinceps capitibus prudentum interpretatione auctam animaduertimus. ¶ Vt ecce Nomen propriè quidem ad rerum creditarum obligationem refertur: vt pecunia filioſ. mutuo data incertis nominibus creditur. *l.1.ſ. ad Se. Maced.* & cum fœneratore Alphius diceret, *Bona nomina non appellando fieri mala*, id eſt defecta, nō idonea. *l.11. Caius.ſ. de vſur.* vana cheirographa, inanes tabulæ, vnde nihil liceat exigere. *l.28. annunculo.ſ. de mort. cauſ. don. l.27. qui tabulas. ſ. de fur.* Iuuenal. *ſatyr. vlt. Vana ſupervacui ridens cheirographa ligni.* Cicero 6 *in Verrem*, inaneis ſyngraphas nominauit. ¶ Olim nominibus obligationem contrahi ſolitam, Iuſtinianus ait, id eſt certa typicorum verborum formula. Quo pacto conciperetur, docet Theophilus, *tit. de liter. obl.* Cúmque debitorum mutuam vel ex arca ſeu domo creditorum vel argentariorum menſa pecuniam ſumentium nomina ſcriberentur, obtinuit, nomen pro cautione ſeu cheirographo vſurpari: Inde facere & conficere nomina. *l.2.ſ. de proxenet.* Cicero pro Flacco, *Cum ciuitate mihi res eſt acerrima, & conficientiſſima literarum: in qua nullus poteſt moueri nummus, ſine quinque prætoribus, tribus quæſtoribus, quatuor menſariis.* ¶ Senſim autem ex vſu inualuit, vt nomen pro quolibet debito omníque obligationis genere ſumeretur. *l.34. nomen.ſ. de leg. 3. l.6.ſ. de iur. fiſc.* Nomen emere, vendere. *l.4. l.14. qui filiofam. l.17. nomina.ſ. de hered. vel act. vend. l.10. ſi dubitat. l.36. cum is.ſ. de fideiuſſ. l.4.§. quod ſi is. de dol. excep. in ſolutum, in dotem dare. l.2. l.6. C. de obl. & act.* pignori dare, in cauſam iudicati capere, diſtrahere, probare, agnoſcere, ſuſcipere. *l.4. C. quæ res pign. l. ſi conuenerit. ſ. de pign. act. l.15. à diuo. de re iud. l.36. cum quæritur. l.44. qui nominibus. l.58. qui negotiationem. §. pupillo. de adminiſt. tut. l. antep. ad munic.* *Res.* ¶ Quamuis enim quædam obligationes propriè re contrahantur, mutuum, depoſitum, commodatum pignus. *l.1. de ob. & act. in. quib. mod. re contr. ob.* eò quòd non niſi traditione rei, & quatenus res interuenerit, ſubſtantiam capiat eiuſmodi obligatio. *l.17. ſi tibi. ſ. de pact. l.11. rogaſti. §. ſi tibi. ſi cert. pet.* Tamen rei nomen ad omnes obligationes porrigitur: idque tanquam generale prætor cum de rebus creditis ediceret elegit. *l.1. ſi. ſi cert. pet.* Quare non eſt, quod quiſquam iam teneat, *Res* verò à *reo* id eſt debitore genitum ſit: cum hęc perſpicua Græcorum verſio à *re* tractum arguat: ἀπὸ τοῦ χρήματος, ἢ τοῦ πράγματος προσηγορία εἰς πᾶν συνάλλαγμα ἢ ἐνοχὴν ἐρρέϊ.

§.j. Verbvm ex legibvs, ſic accipiendum eſt, tam ex legum ſententia, quàm ex verbis.

Alciatvs.

Verbvm ex legibvs. ¶ Quod mens vna cum verbis legis poſſunt, id ſola eius mens poteſt, dum de ea conſtet. ¶ Dum ergo certa eſt legis ſententia, etiam ſi verba eam non exprimant, expreſſus à lege is caſus dici poteſt. *l. prætor. de oper. no. nun.* & propterea nihil refert, etiam ſi materia pœnalis vel odioſa ſit, *cùm mulier. in 1. ſol. matr.* cùm non per extenſionem, ſed per expreſſionem caſus cenſeatur explicatus. ¶ Tunc autem mens dicitur certa, cùm vel in lege exprimitur, vel vnica tantùm ratione (ita quòd nulla alia adduci poſſit) colligitur. *gl. in l. quamuis. de fideic.* vel per argomentum neceſſariò & euidentiſſimè concludens, ita ſenſiſſe legiſlatorem infertur. *Felin. c. in noſtra. de reſcript.* Et in his caſibus actio in lege directa oritur. ¶ Quòd ſi de mente non conſtet, ſed per interpretationem Iuriſconſultorum lex ad eum caſum porrigatur, rem taciè deciſam dicitur, túncque potiſſimum de legum extenſione tractamus. Hoc autem caſu actio quæ conceditur, non directa, ſed vtilis eſt. *l. curatoris. C. de neg. geſt.* quoniam ex mente legis præſumpta propter vtilitatem recipitur. Sed & ſi de aliquo caſu nihil actum ſit, cùm veriſimile eſt legiſlatorem, ſi de eo cogitaſſet, idem quod de alio ſimili diſpoſiturum, vtiliter ex ea lege agetur. *l. ſi ale. in fin. de pact.*

Sententia. ¶ Eadem videtur eſſe mens, ſeu ſententia, & ratio legis, vt plerique omnes aiunt: aliqua tamen differentia eſt, quia ex ratione deducitur ſententia, & propterea nunquam legis deciſionem protrahimus, vbi non æquè tanta ratio ſit: quo fit, vt ſi ex duabus rationibus aliquid ſit introductum, ſi altera tantum adferri poſſit, diſpoſitio locum ſibi non vendicet. *l. ſi idem. ſ. de iur. omn.* niſi clarè conſtet ex mente legis vel alteram ſufficere. *§. adfinitatis. de nupt.* qua ratione & tunc ad caſum ſimilem, ſi mens hoc velit, fiet extenſio, tametſi non æquè tanta ratio ea fieri ſuadeat, quod Socinus adnotauit. *l.25. §. ex his. ſ. de verb. obl.* Hinc etiam eſt, quòd correcta legis ratione lex ſublata cenſetur. *l. vn. de leg. iur.* ſi tamen huiuſmodi ratio concludens, non autem impulſiua ſit. *§. fœmina. inſt. de nupt.*

Verbis. ¶ Ea tamen præſumitur legis ſententia, quam verba oſtendunt. *l. proſpexit. ſ. qui & à quibus.* quapropter temerè ab eis non eſt recedendum: quoniam plerunque fallimur, dum legis rationem per coniecturas nos adſecutos credimus, quòd ſi de ea conſtet, non eſt dubium quin & inde coarctatio inducatur, & ſi ita ſuadet extenſio, quod alias admonui. Quapropter non tanta eſt verborum vis, vt ſi quis aduerſus ſententiam legis faciat, quamuis in eius verba non committat, poſſit idcirco euadere. atqui eodem punietur modo, *l. non dubium. C. de legibus.* ac ſi verba quoque violaſſet. quapropter qui triticum vel oleum filiofamilias credit, in S.C. Macedonianum incidet. *l. ſed Iulianus. §. mutui. ſ. ad Maced.* & mulier cùm intercedere pro alio vellet, ſi principaliter in ſe obligationem ſuſceperit, ex S.C. Velleiano iuuabitur. *l. quamuis. §. ſi cùm. ſ. ad Velleianum.* Idem cùm prohibitus donare, vili pretio vendat, vel interpoſita per fiduciam amico donet. *Din. cap. fin. de regulis iuris.* ¶ Non ita in eo eſt, qui aduerſus verba committit, ſententiam ſequatur: nam id impune licet.

BRECHÆVS.

VERBVM EX LEGIBVS. ¶ Cùm verba non aliò verſum inuenta ſint quam vt dicentis mentem ſenſúmque aperiant & præferant, certè non verba legis tantùm ſpectanda ſunt, ſed mens ipſa legis, vt ſuprà enarrauimus. ¶ Cùm igitur obſcuris & ambiguis verbis lex ſcripta conceptáque erit, tunc ſententiæ non verborum habendam eſſe rationem dicit Vlpianus, & legem eſſe interpretandam tam ex legis ipſius mente & ſenſu, quàm ex vi & ſignificatione verborum. Eadem enim eſt ratio, aliquid contra verba & ſententiam legum fieri, vel contra ſententiam tantùm. ¶ Quandoquidem licebit aliquando legis verba negligere, ſi modò legis mens & ſententia obſeruetur. *l. non dubium. C. de legibus. not. gloſſ. in l. contra legem. ff. eodem. l. ſcire leges. ff. eodem. l. ſcire oportet. §. ſed & ſi maximè. ff. de excuſation. tutorum.*

FORNERIVS.

VERBVM. ¶ Negotiorum humanorum in quibus diiudicandis tanquam ſubiectâ materiâ ius ciuile verſatur, infinitior numerus, maiórque varietas cernitur, quàm vt facilè certis præceptis includatur μηδ᾽ ὁμίαν φήσειν τῶν ἀπείρων ἐπιστήμην docet Plato. ¶ Ideóque leges indefinitè ferri neceſſe eſt, cum actiones ſunt ſingulares: Ariſtoteles *lib. 2. cap. 6. Politic.* καθόλου γὰρ ἀναγκαῖον γράφεσθαι νόμους, αἱ δ᾽ αἱ πράξεις περὶ τῶν καθ᾽ ἕκαστόν εἰσι. ¶ In quas cum non cadat ſcientia. *l. 2. de iur. & fact. ign.* leges ita ſcribi nequeunt, vt omneis caſus qui quandoque inciderint ſingillatim comprehendant: ſed ſufficit ea quæ plerunque accidunt contineri: quorum argumento pòſt ſimilia negotia definiantur. *l. 10. neque ll. ſeqq.* ff. *de legib.* in iiſque quorum eadem ratio videbitur, idem quoque ius conſtituatur. Veluti cum de damno à pluribus ſeruis dato quæritur, vtrùm plures pœnæ pendantur, an verò vna ſufficiat: à furto ducitur argumentum, in quo vnica pœna eſt, ne ex vno delicto dominus tota familia careat. *l. 1. ſi famil. furt. fec. dic.* Eáque ratio ſimiliter & in actione damni iniuriæ interueniat, ſequitur vt idem debeat æſtimari. *l. 32. illud. ad leg. Aquil.* Et cum Solonis lege βλάβης ἐκ τῶν τετραπόδων actio, de damno à quadrupede tantùm illato daretur: placuit actionem quoque & vtilem, & ſi non quadrupes, ſed aliud animal pauperiem fecerit, competere. *l. pen. ſi quadrup. paup. fec. dic.* Cur enim idem & de aue, aut bipede non reſpondeatur, ratio reddi non poteſt, arg. *l. 108. à Titio. de verb. obl.* ¶ Edicto Prætoris *Vnde vi* tenebatur, qui ingreſſum in fundi poſſeſſionem dominum vi armata deieciſſet: cúmque negaret Eburius ſe Cecinnam deieciſſe, ſed oppoſitis hominibus armatis obſtitiſſe, ac ne ingrederetur prohibuiſſe fateretur, à Cicerone ita audit, *Tu qui tam diligenter & tam callidè verbis controuerſias, non æquitate diiudicas, & iura non vtilitate communi, ſed literis exprimis, poteríſne,* &c. Affine eſt, de eo qui magiſtratus album nódum propoſitum dolo corruperit, ne pœnam quinquaginta aureorum effugiat: Edicti quidem verba ceſſabunt, ſententia autem edicto ad eum quoque porrigetur. *l. 7. ſi quis id.* ff. *de iuriſd.* Cuius eadem quæ & huius capitis inſcriptio eſt. ¶ Scientia legum non in verbis conſectandis, ſed in ipſarum vi ac poteſtate poſita eſt: calumniari iura non oportet, & prudentium virorum auctoritatem ad inſidias & verborum tendiculas inflectere. *l. 17. ſcire. ſuprà de legibus. l. penult. ad exhibend.* Cicero pro Cecinna, *Quæ lex, quod ſenatuſconſultum, quod magiſtratus edictum, quod fœdus aut pactio, quod, vt ad res priuatas redeam, teſtamentum, quæ iudicia aut ſtipulationes, aut pacti & conuenti formula non infirmari aut conuelli poteſt: ſi ad verba rem deflectere velimus, conſilium autem eorum qui ſcripſerunt & rationem & auctoritatem relinquamus.* ¶ Exemplis vti licet aliis. In edicto Prætoris de cædendis arboribus, nulla de noxiis radicibus in vicina domus fundamenta ſurrepentibus erat mentio. *l. 1.* ff. *de arb. cæd.* Tamen vtile interdictum earum ſuccidendarum gratia comparatur: quia ſubeſt eadem ratio. *l. 1. C. de interd.* Nam quod dicitur prætorum edicta ſtricti iuris: & verbis ſeruiendum eſſe, nec temerè quod à lege prætermiſſum ſit, diſtinguendum. *l. 3. §. hæc verba ſi.* ff. *de neg. geſt. l. 8. de pretio. de pub. in rem act. l. 71. ſi ſeruum. §. non dixit.* ff. *de acq. her.* nec à forma conſtituta recedendum. *l. 24. conſtitutionibus, ad municip.* nihil ſubaudiendum, nihil ſupplendum, nec interpretatione adiuuandum. *c. is qui. de ſent. excom. 6.* Cum pudor ſit, nos quicquam non prolatis legibus aſſerere. *Nouell. 18.* quaſi ſic liceat colligere, nulla hac de re lex, nulla conſtitutio, nihil cautum, nihil expreſſum, ius ergo non eſt. *l. 8. in venditionem. §. de tempore. de reb. auct. iud. poſſ.* vel ſic, hoc nec vſquam relatū eſt, nec vnquam receptum. *l. 1.* ff. *de ſenatorib. l. antep. C. de collat. Nouel. 2. l. 64. ſi verò. §. de viro.* ff. *ſolut. matr.* Id ita callidè ac veteratoriè accipiendum non eſt: vt nimia iuris durities humanitate non temperetur: legis ſententiam ac mentem amplectendo. *l. 47. cum mulier.* ff. *ſolut. matr.* ¶ Quoties legibus vnū aut alterum introductum eſt, bona occaſio eſt, cætera quæ tendunt ad eādem vtilitatem, interpretatione vel iuriſdictione ſupplere. *l. 13. nam vt ait.* ff. *de legib.* Lege xij. Tab. fundi vſucapio auctoritas biennij erat, de ædib. verbum nullum, quas tamen eodem ſpatio vſucapi conuenit: *Valeat æquitas, quæ paribus in cauſis paria iura deſiderat.* Tullius Topic. Seneca *lib. 9. controuerſ. 4.* Præclarè Menander,

καλὸν μὲν οἱ νόμοι σφόδρ᾽ ἐστὶν, ἀλλ᾽ ὁρῶν
τοὺς νόμους λίαν ἀκριβῶς, συκοφάντης φαίνεται.

¶ Sermo familiaris & quotidianus non cohæreret, ſi verba inter nos aucuparemur: imperiū domeſticum nullum eſſet, ſi ſeruulis hoc concederemus vt ad verba nobis obedirent, non ad id quod ex verbis intelligi poſſit, obtemperarent. Sed hoc ita niſi verba legum perſpicua ſint, itáque cum ſententia congruant, vt nullus dubitationi locus relinquatur. Nam in apertis nec interpretatione vtimur: Nec voluntas coniecturis exquirenda, ſi verba manifeſta ſunt. *l. 25. ille. de leg. 3. l. 137. continuus. de verb. ob.* Caſſiodorus *lib. 3. epiſt. 16.* Interdum *plus valere ſcripturam, quàm quod actum ſit,* reſpondit Modeſtinus. *l. 19. ſi alij. de vſuf. leg.* Iudex hoc non ſibi ſumet, vt legem apertam, quæ acerbior videatur, interpretatione leniat. Vlpianus, *Quod quidem perquàm durum eſt: ſed ita lex ſcripta eſt. l. 12. proſpexit, qui & quib. man.* Victruuius *lib. 10. proœmio. Lex vetuſta à maioribus dura conditione, ſed iure non inique*

conſtitu

conſtituta. ¶ Alioqui Cum *Ex legibus* dicimus non minùs meotem, quàm verba intelligimus: actiones non tantum directæ ex ipſis tractæ verbis, ſed etiam vtiles, quæ ex mente, & ratione ductæ competunt, vtilia interdicta: Id eſt, ex æquitate *d.l.13. Nam.* Quæ eſt finis legom. Solius vtilitatis cioium ſcopum vnum legiſlatoribus propoſitum, ait Plato Thæteto: Theophilus ius ciuile τὸ χρειῶδες, Lactantius vtilitatem vocat. quam violat, qui verbis inhærens, mentem legis circumuenit. *l.5.C.de legib.l.fraus.ſ.de leg.*

VII. Pavlvs lib.ij. ad Edictum.

Sponsio appellatur non ſolùm quæ per ſponſus interrogationem fit, ſed omnis ſtipulatio, promiſſióque.

Alciatvs.

Sponsio. ¶ Sponſio videtur ſolùm de ſtipulatione dici: quod ea eo probatur, cùm promiſſum lex ait accipi, quod nuda promiſſione, vel pollicitatione, vel ſponſione debetur. *l.ſciendum. ſ.de ædil.edict.* ¶ Hinc & ſponſalia dicta, *l. 2. de ſponſ.* quòd veteribus moris fuerit per ſtipulationem ea contrahere. quapropter cùm lex ait, *l.1.C.de ſuffrag.* eos obligati qoi ſponſione propter ſuffragium contraxerint, de ſtipulatione ego iotellexerim, vt qui mihi apud principem ſuffragatus ſit, vt diſpenſationem aliquam obtinerem, non tamen ad promiſſum ſibi pacto nudo præmium agere poſſit: licet oostrates Iuriſconſulti eam legem non intelligentes contraria opinentur: cuius etiam *lib.22.* Ammianus Marcellinus mentionem facit. Nec quicquam nos mouet quòd hic dicitur, omnis ſtipulatio promiſſioque: quaſi hoc ſenſu alterum ſuperflueret: nam coniunctiua oſtendit pro maiore declaratione id à Iuriſconſulto dictum, quòd dubitari potuit, oe ſtipulatio de ſola interrogatione diceretur. *gloſ. in l.1.de verb.* ¶ Sane & alio ſignificato, ſponſio accipitur, nimirum cum quis, interpoſita ſtipulatione, certam pecuniam promittebat ni ita eſſet, ſicut adfirmabat: quo ſenſu Ciceroni, Quintiliano, Valerio Maximo, cæteriſque veteribus vbique capitur, nec ex Iuriſconſultis quidem abſtinuere. *l.ſi rem.ſ. de præſcr.ver.* Hinc & ſponſor dicitor: quamuis Accurſius ſponſorem eum tantummodo dici crediderit, qui ſponte à oemine rogatus pro aliena obligatione intercedat. *glo.in rub.in authen.de fid.*

Sponſi. ¶ Quidam interpretantur, id eſt, promiſſi: quod non conuenit, cùm promiſſionis interrogatio non fiat, ſed ideo interrogemus, vt promittatur: verius ergo eſt vt de ſponſalia contrahente intelligamus. cùm igitur exemplum hoc Iuriſconſultus adducat, apertè oſtendit ſponſionem tantummodo de ſtipulatione dici, alioquin, ſi qoamlibet pactionem ſponſionis appellatiooe compreheodi (prout communis eſt ſententia) voluiſſet, nõ erat de vna ſpecie ſtipulationis ſolum hic exempli cauſa loquendum. ¶ Nec obſtat, *l.iuriſgentium. §.quod ferè.de pact.* quod ſi in nouiſſima parte pactorum ſcriptum ſit, Titius rogauit, ſpopondit Mæuius, hæc verba non tantùm pactionis loco accipiuntur, ſed etiam ſtipulationis, quia pacti vim habent, non ex verbo, ſpopondit, ſed quia iam in modum pacti promiſſio præceſſerat, & ideo lex in nouiſſima pactorum parte ita ſcriptum ait.

Promiſſióque. ¶ In ſcriptura promiſſio videtur pro ſtipulatione accipi, *l.1.C.de uſur. l.Titia.§.pen. ſ. de verb. oblig.* quod tamen in teſtimoniis noo eſt, qooniam verba teſtium ambigua aduerſus eum, qui produxit, interpretatur: id autem verbum ambiguum eſſe certum eſt, cùm etiam ſimplex pactio promiſſio dici poſſit.

Brechævs.

Sponsio. ¶ Sponſionem hîc Alciatus de ſtipolatione tantùm dici contendit aduerſus vulgarem doctorum ſententiam. Ego verò ab eius ſententia recedo: ac vulgari opinioni aſſentior. Intelligit enim hic Paulus, Sponſionem non ſolùm ad eam ſtipulatiooem promiſſiooémque pertrahi quæ ſolemni verborum interrogatione fieri conſueuit, ſed & ad quamcunque aliam promiſſionem. ¶ Nam olim aliud erat ſponſionis genus, quod ſcilicet abſque interrogatione fiebat: ſed depoſitis pignoribus: quæ ſponſio ludicra erat, ſicuti docet Bodæus *in annotat. ad l.2.de origine iuris.* De hoc ſponſionis geoere habetur *in l.ſi rem tibi. §. ſi quis ſponſionis cauſa. ff.de præſcriptis verb. & in fact. actio.* ¶ Erat autem olim apud Athenienſes ſpooſio actionis genos, qua qui experiri volebant, pecuniam deponebant, ac intercedebat ſtipulatio pecuniæ, quam perdebat qui ſponſione vinceretur: & coram iudice aut recuperatoribos diſceptabatur. Deponebant autem litigantes partes apud acta decimam partem æſtimationis litis. In cauſis priuatis: in publicis verò, quintam apud Græcos, authore Iulio Polluce, τοῦτ' ἐστι τὸ ἐπιδέκατα τοῦ τιμήματος τῆς δίκης, pœnam temerè litigantis. Atque hoc ipſum actionis genus παρακαταβολὴ dicebatur. Qui ſponſione prouocabat, ita dicebat. Spondeo me taotam pecuniam daturum, ni, &c. Prouocatus autem reſtipulabatur. Hoc diffusè & copiosè docet ipſe Budæus *in Commentariis linguæ Græcæ.* Sponſio igitur erat mulcta ſeu pœoa, quam quis promittebat alteri ſtipulanti coram arbitris, niſi &c. ¶ Vnde dicebant antiqui ſponſione conteodere, & laceſſere, & ſponſionem facere in ſummam cauſæ: pro eo quod nunc dicimus ſub pœna vel ad pœnam aliquid promittere. Quæ quidem ſont verba antiquæ formulæ. Et ſpõſio compromiſſoria: & commiſſa ſponſio, quod nunc, pœna compromiſſa in arbitrium, & pœna commiſſa. Et ſponſores, cautiones. ¶ Sponſio etiam in interdictis erat actio, quando non proprietatis, ſed poſſeſſionis tantùm erat controuerſia. Cuius ſponſionis exemplum eſt apud Cic. *in orat. pro Aulo Cecin.* Et Quintilianus *lib.7.* ¶ Aliquando etiam ſponſio erat interdicti appẽdicula & acceſſio. Vt cùm iudex edixit de poſſeſſione deiectum inprimis reſtituendum, & reus quidem contendat ſe omnia quæ oportuit, adimpleſſe, actor verò inficiatur planè ſe reſtitutum, liticula qoædam ſuboritur, quę ſponſio dicebatur. Qui ea actione experiri volebat, ex ſponſo agere dicebator, & veluti προκαλεῖσθαι διατιτθέναι. ¶ Spondere etiam ad nuptiarom leges pertinebat. Nam ſpondere dicebatur pater filię: deſpoodere autem, pater adoleſcentis.

Vnde

Vnde ſponſus,& ſponſa dicitur:quæ verba ab antiquis retinemus. Terentius in Andria.

Vltrò ad me venit, vnicam gnatam ſuam
Cum dote ſumma filio vt daret.
Placuit,deſpondi,&c.

¶ Sponſalia (inquit Vlpianus. *l.2. ff.de ſponſalibus.*) dicta ſunt à ſpondendo: nam moris fuit ſtipulari & ſpondere ſibi vxores futuras. Seruius Sulpitius *in libro quem de dotibus ſcripſit*, vt teſtis eſt Gellius *libro quarto.cap.4.* tradit quòd qui vxorem ducturus erat, ab eo,vnde ducenda erat,ſtipulabatur eam in matrimonium ductum iri:qui daturus erat, itidem ſpondebat. Is contractus ſtipulationum ſponſionúmque dicebatur, ſponſalia. ¶ Sed ſi poſt eas ſtipulationes vxor non dabatur, aut non ducebatur,qui ſtipulabatur,ea ſponſu agebat: iudices agnoſcebant.His ego rationibus nullo negotio adducor,vt credam falſum hic Alciatum:& ſponſionis verbum,latius quàm ad ſtipulationem, ſimpliciter perduci:ſed&ad omnem contractum,& promiſſionem.Eſt enim ſponſio generale enunciatum ad ſtipulationem & nudam promiſſionem:quod annotauit Bald.*in l.1.C.de ſuffrag.* Puto equidem ſponſionem a ſponte dici:quod qui ſpódet,ſponte promittere ſeu pollicitari dicatur.Solebat olim fieri ſtipulatio per verba,Spondes,ſpondeo,promittis,promitto,&c.quæ quidem erant ſolennia. ¶ Sed hodie quibuſcunque verbis fiat,non refert,ſi modò ſtipulationi conueniant, vt *inſtitu.de verb.ob.ad princip.* ¶ Cùm igitur ſponſio ſit genus ad nudam pollicitationem , & promiſſionem, atque ad omnem ſtipulationem quæ nulla fiat interrogatione,per quoſcunque contrahentes, *vt l.ſciendum.§.dictum.cum gl.in verb.ad ſponſionem.de ædil.edic.& no.Bal.in d.l.1.C.de ſuffrag.* non erit hercule ferenda Alciati opinio,qui exiſtimauit ſponſionem de ſtipulatione tantùm dici. Nam ſimpliciter & abſolutè enunciata ſtipulatio , vt hic ab ipſo Alciato, de ea quæ per interrogationem fit promiſſione cenſetur dici. Sed ſponſio dicitur etiam ſine interrogatione promiſſio. ¶ Vnde ſponſores dicti,qui ſponte nullóq; rogante , pro alio intercedunt: quique vltrò pro aliis debitores ſe conſtituunt.*Gloſſ.notab.in authen. de fideiuſſor.§.ſi quis.* & his mandati actio competit,*l.qui pro te.ff.mandati.* Hoc autem à fideiuſſoribus differunt, quòd & ante obligationem, & poſt obligationem accipi fideiuſſores ſoleant, vt *inſtitut.de fideiuſſorib.§.2.*

FORNERIVS.

SPONSIO. ¶ Heîc quoque ac proximè ſequentibus capp. ſingularis nominum vis ac proprietas ad generaliorem vſum producitur. ¶ Sponſalia futurarum nuptiarum repromiſſio eſt , quæ per ſtipulationem contrahebatur.*l.1.l.2.ff.de ſponſal.* Euſtratius *in lib.9. Ariſtotel.Ethic.* τὰ κήδη definit, contractum,qui ante nuptias fieri conſueuerit. ¶ Sponſum Vlpianus,eum qui nondum eſt maritus. *l.1.pro dote.* Sponſalia pro iuſto matrimonio non habentur ex Theodoſij conſtitutione *ex libris iuris oriental.* ἀεὶ μνηστείας μὴ ἀρκούσης ἀντὶ τοῦ τελείου γάμου. Pontificiis per verba de præſenti contracta,nihil à nuptiis differunt.Nec enim concubitu nuptię ſed cõſenſu fiunt.*l.30.nuptias.iu.ſeq.l.32.cùm hic.§.ſi mulier.ff.de don.inter vir.& vx. Nouell.22.* τὸν γάμον ὁ διάθεσις ἀμοιβαία ποιεῖ.*l.15.ſi cui.de cond.& dem.* Alexij Comneni *Nouella,Nomocan.tit.13.cap.2.*futuræ nuptiæ,ſperatæ,pactæ,ſponſalia ſunt. ¶ Sperata,pacta,puella,ſponſa intelligitur.Symmachus *lib.7.epiſt.20.lib.9.epiſtol.40.lib.10.epiſt.47.* Arnobius *lib.4. habent ſperatas,habent pactas,habent interpoſitas ſtipulationibus ſponſas.*Iſidorus *Etymol.lib.5. Sponſus,inquit,à ſpondendo vocatus.Nam ante vſum tabularum matrimonij,cautiones ſibi inuicem emittebãt.in quib. ſpondebant ſe inuicem conſentire in iura matrimonij,& fideiuſſores dabant.* Quod totidem verbis Seruius in illud 10.*Æneidos.gremiis abducere pactas* annotauit. ¶ In ſponſalibus autem contrahendis,& ritu quo mulier in viri manum conueniebat. decem teſteis adhiberi ſolitos ex veterum monumentis obſeruauit D.Ambroſius *lib.ad virginem lapſam cap.5. Si inter decem teſtes,inquit,confectis ſponſalibus nuptiis conſummatis quauis fœmina viro coniuncta mortali , ſine magno periculo adulterium, &c.* Vlpianus *fragment.tit.9.Farre conueniunt in manum certis verbis & teſtibus decem præſentibus.*

Sponſi interrogationem. ¶ Vulgò quidem ita ſcribitur , Florentiæ verò *ſponſus* , & quidem melius: vnde ea ſponſu agere Varro *lib.5 de lingua Latin.* A. Gellius *lib.4.cap.4.*Si poſt eas ſtipulationes vxor non dabatur,aut non ducebatur qui ſtipulabatur,ea ſponſu agebat,iudices cognoſcebant.Porrò & ſi non idem omninò hæc olim valebant, Sponſio,dictum,promiſſio,pronunciatio,ſtipulatio,fideiuſſio, Promiſcuè tamen poſtea non rarò vſurpata ſcimus. *l.24.Stichus.de ſtatulib. l.vn.C.de ſuffrag.l.19.ſciendum.§.dictum.de æd.ed.*Quintilianus *declam.247. Audeo dicere Ind.promiſit. Neque vnum promittendi genus eſt. Voluntas hominum non tantùm voce ſignata eſt. An verò ſi manu promiſiſſet , an vultu annuiſſet dediſſe fidem,& confirmaſſe ſpem puella videretur,qua,&c.* Lucanus *lib.1. Quęcunque ad bella vocaret, promiſere manus.* χειρῶν ἐπαρὶ,de quo aliàs me agere memini,

Interrogationem. ¶ Creditor enim rogabat, promiſſor ſpondebat. *l.1.l.126.ſi ita.de verb.obl.* Idque in vſu poſitum ex formula apparet,quæ ferè nouiſſima pactorum parte inſerebatur. ROGAVIT TITIVS, SPOPONDIT MÆVIVS.*l.7.Iuriſgentium.§.quod ferè.ff.de pact.*Feſtus. [Præs eſt is,qui populo ſe obligat,interrogatúſque à Magiſtratu,SI PRÆS SIT,ille reſpondet,PRÆS,] Inde fideiuſſor qui interrogabatur, [fideiubes,] vel [Spondes] reſpondebat, [ſpondeo,] ſponſor dicebatur.*§.in hac. de verb.ob.* vt illa veteri lege,de qua Fab.Quinctilian.*declam.*273. [Aduerſus ſponſorem ſit actio,quæ aduerſus debitorem, quod debitor non ſoluerit ſponſor ſoluat.] Id eſt fideiuſſor. *§.1.de fideiuſſ.* Nam & per ſtipulationem fideiuſſor accipitur *.l.12.Blanditus.C.de fideiuſſ.* Ideóque ſi in inſtrumento ſcriptum ſit, quem ſpopondiſſe vel fideiuſſiſſe , omnia ſolenniter acta id eſt, rogatione præcedente & ſequuta ſponſione creduntur. *§.ſi ſcriptum.Inſtitut.de verb.obl.§.vlt.de fideiuſſ.* Ferè enim quæcunque annexa quaſique rei innata ſunt & inſita ineſſe præſumuntur faciliùs , quàm ea, quæ extrinſecus adſumuntur.*l.30.ſciendum.de verb.obl.l.13.quæcunque,de public.in rem act.*Quòd ſi quando legimus ex ſtipulatu

pulatu

pulatu agi,ex cheirographo,vel epiſtola, non eò minos ſtipulatio rirè verbis contracta videri debet: licet poſteà faciliotis probationis ergò in ſcripta redigator.*l.57.ea qua.ꝟ.de don.inter vir.& vx.l.135.ſi ita quis.§.ea lege.de verb.obl.l.vlt.de dol.mal.& met.except.l.1.C.de contr.& com.ſtip.*

Promiſſióque. ¶ Quod paulò eſt ſtipulatione amplios, vt ex ſupràſcripto Quinctiliani exemplo patet: & Græcorum conuerſiooe, ἡ σὺν δίκῃ πᾶσα ἐπερώτησις καὶ ὁμολογία δηλοῖ. ¶ Denique, ſponſio eſt παρακαταβολή,pignus certaminis,A.Gellius,Aſcon.Pædian. *l.17.ſi gratuitam vulg.l.18.ſi rem ſin.de praſcrip.verb.* ¶ Ac oe quid omittam, Iuſiurandum Regi præſtitum appellatur ſponſio. Caſſiodorus *lib.3.epiſt.8.& 9.*

VIII. IDEM lib.xj. ad Edictum.

VERBVM OPORTEBIT tam præſens,quàm futurum tempus ſignificat.

ALCIATVS.

VERBVM OPORTEBIT. ¶ Exemplum legis eſt,cùm qois promittit,quicquid dare,facere oportebit: nam etiam ex vi ſermonis præſens compreheoditur, cùm qoi dare facere debet tempore contractus,etiam poſt cootractum dare facere teoeatur:oec enim per eum cootractum extinguitur præſens obligatio.

Praſens. ¶ Tempus præſens ad præteritum non refertur, oiſi adiunctum participium id ſuadeat, *l.verbum erit.ꝟ.eo.*vt cùm dicimus,Troia capta eſt:aut cùm id præteritum etiam nunc durat.*l.ſi quis in puteum.§.ait.ꝟ.quod vi.* Qua ratione futurum quoque non comprehendit, *l.ſi ſtipulatus fuerim.§.cùm ſtipulamur.ꝟ.de verb.obl.*oiſi natura actus aliud inducatur:vt cùm lex punit eum, qui delinquit:futuris enim negotiis lex prouidet. ¶Idem io teſtatore qni dixerit,quas pecunias legaui,vel lego,ſine diei appoſitiooe,deberi annua,bima,trima die volo:referetur enim hæc clauſula etiam ad ea legata, quæ deinde vel in codicillis faciet,*l.talis.de leg.1.* nam hæc voluntas durare præſumitur. ¶ Sed & diſpoſitio de re præſenti facta,ad futuram actionem trahetur.*l.fin.§.fin.de lib.lega.* Quapropter & qui res ad ſe pertinentes pignori ſuppoſuerit, de acquirendis quoque egiſſe videbitur,quoniam, cùm obligario doret,cenſetur acqnirenda ex præſumpta cootrahentium voluntate loco acceſſionis cæterorum bonorom eſſe, *l.fi. C.quæ res pign.l.ſi quis ſocietatem.in fi.pro ſoc.* licet aliam rationem Bartolus adduxerit. ¶Cæterùm & ſi præſeoti tempori addita ſint verba habentia tractum,non eſt dubium,quin futorum compreheodant.*l.ſi ita quis.de leg.1.*Idem & ſi de futuris actum eſſe alia ratione præſumamus.

Futurum. ¶ Id tempus regulariter oec ad præſens neque ad præteritum refertur: niſi diſpoſitio tractum habeat,vt quia io futurum quoque duret:veluti ſi promittam,qnòd dolus malos aberit,*l.noniſſima.ꝟ.iudic.ſol.*intelligitur etiam vt in præſenti oon adſit:cùm,qui hodie dolus abeſt,etiam in poſterum perſeueret: & qui confirmat qood in codicillis ſcriptom erit, etiam quod codicillis iam factis legauit,cooſirmaſſe creditur.*l.Plotiana.ꝟ.de iure cod.*Sed & cùm materia ita ſuadet, præſens pro futuro,& futurum pro præſeoti ſumitur.*32.q.5.ſi Paulus.*

BRECHÆVS.

VERBVM OPORTEBIT. ¶ Hæc lex ſcripta eſt, vt futurum de præſenti aliquaodo iotelligamus.Ecce enim qoi promittit facturum ſe qood oportebit,ceoſetur voluiſſe quoqne promittere,quod tempore promiſſi iam oportet. Sic cũ do. noſter IESVS CHRISTVS dicit beato Petro,dabo tibi claues regni cœlorum,intelligitur quòd tunc,cùm hæc diceret,dederit.*glo.eſt ordi.in c.ſi Paulus.32.cauſ.quæſt.5.in verb.non eſt.& cap.in Chriſto.de conſecra.diſt.2.* Et hoc quidem verum eſt, niſi vel pactum, vel ſtipulatio, vel actus natora aliud ſuaderet: vt in ſtipulatione iudicatum ſolui, & dolum malnm abfuturum. Non enim hæc ad præſens,nec præteritum protrahuntur,ſed ad futurom tantùm. Quod ſanè hîc ſpeciale eſt. *l.nouiſſima.ff.iudic.ſol.* Sed quod dicimus verbnm Oportebit, ad tempus præſentis temporis referri,id ex propria ſigoificatiooe accipiendnm eſt, non per interpretationem.Qua ratiooe generalior erit ſignificatio. ¶ Et forſan quæras, an verbum præſentis temporis aliquando ad futurum referatur? Et referri certiſſimum eſt, habitu ſcilicet vel potentia. Vt cùm Papa mandat, Tibi qui in regeſto vel Archiuis noſtris deſcribis, &c. tametſi nondum ille aliquid perſcripſiſſet,ius tamen illi ſcribendi erat,intelligitor tandiu mandatum à Papa foiſſe illi, quandiu ſcribendi poteſtatem habuerit, licet re ipſa non ſcripſerit, ſed in habitu eſt, vt oot.*in cap.cum in illis.per illum tex.§.illis.de præben.lib.6.*Qnod etiam locum habet in mandatis ſopremis,quando verba à mente teſtatoris dependent.Bartol.*l.ſi ita.de auro & argent.lega.sext.in l.2.*vbi uot.idem Bart.*de alimen.& ciba.leg.*vide in hanc rem quæ ſcripſi *ꝟ.in l.verbum erit.*

FORNERIVS.

VERBVM. ¶ Nemo non videt hîc quoqoe à propria verborum ſignificatione recedi, vt oratio futuri temporis figuram præ ſe ferens,ad præſens etiam referatur. ¶Nam quòd nónulli OPORTAT, quàm OPORTEBIT legere maluot,videant ne cùm Florentinæ editiouis auctoritate, tum Græcorum quam ſubiiciam verſione refellantur.Τὸ ΟΠΟΡΤΕ'ΒΙΤ καὶ τὸν ἐνεστῶτα καὶ τὸν μέλλοντα χρόνον δηλοῖ. Agooſcimus ſanè interdum Hyſterologia vſos eſſe noſtros. Vlpia. [Non minus in mari, quàm in villa per latrunculos inquietamur.] *l.3.§.Labeo.de incend.naufr.ruin.*id eſt nõ minus in villa,quàm in mari. Idem, [Vtrum autem io rem,an in perſonam pactom factum eſt, nó minus ex verbis,quàm ex meore conuenientium æſtimandum eſt.] *l.7.Iuriſgentium.§.pactorum,de pact.*Modeſtinus, [Longæ poſſeſſionis præſcriptiooem tam in prædiis, quàm mancipiis locum habere,] vice verſa, [tam in mancipiis,quàm prædiis,] ſcriptum oportuit.*l.3.de diuerſ.temp.præſc.*Iuſtinian.*tit.de leg.Aquil.* [non minus ex dolo,quàm ex culpa quemq; teneri,*pro* noo minus ex culpa,qoàm ex dolo.] Seneca *de tranquilita*

*quilitate vita lib.1.cap.*8. Dioo elegantee dicebat. [Non minus moleſtum eſſe caluis, quàm comatis pilos velli.] id eſt, vt ſententia poſtulare videtur: non minus comatis, quàm caluis. ¶ Verùm ne quid ego hîc mutem, cum omnium exemplarium fide, cum græcorum interpretatione impedior: ſed Iuriſconſultorum teſtimonio multò magis. Paulus, [Cum enim ſtipulamur, quicquid te dare facere oportet, id quod præſenti die duntaxat debetur in ſtipulationem deducitur: non (vt in iudiciis) etiam futurum. Et ideò in ſtipulatione adiicitur verbum OPORTEBIT, vel ita PRÆSENS INDIEMVE. Hoc ideò fit, quia qui ſtipulatur, quicquid te dare oportet, demonſtrat eam pecuniam, quæ iam debetur: Quòd ſi totam demonſtrare vult, dicit OPORTEBITVE. vel ita, PRÆSENS INDIEMVE. *Idem*, Si ſtipulatus fuerit quicquid te dare facere oportet: Non amplius in ſtipulationem deducitur, quàm quod iam dari oportet. Si autem adiiciatur OPORTEBITVE, etiam futura obligatio deducitur. *Idem*, Cum ſtipulamur quicquid te dare facere oportet. nihil aliud in ſtipulationem deducitur, quàm quod præſenti die debetur: hoc enim ſolùm hæc ſtipulatio demonſtrat.] *l.76.ſi ſtipulatus.l.89. ſi a colono.l.125.cum ſtipulamur, de verb.ob.* ideóque qui cautiùs contrahebant. vtrumque tempus coniungebant: vt in ea acceptilatione, cuius formulam Gall. Aquilius compoſuiſſe dicitur, QVICQVID TE MIHI EX QVACVNQVE CAVSA DARE FACERE OPORTET, OPORTEBIT PRÆSENS INDIEMVE, &c. *§.item per acceptilationem, quib.mod.toll.ob.l.18. & vno.ſ.de acceptilation.* Sed & in concipiendis legibus, decretis, fœderibus veteres pariter vtrumque dixiſſe conſtat. Quod opportuniùs à nobis & an leges in præteritum trahantur, pluribus inferiùs explanabitur, *ad l. 123.verbum* ERIT. *ſ.hs.*

§.J. ACTIONIS verbo non continetur exceptio.

ALCIATVS.

ACTIONIS. ¶ Actionis verbo impropriè accepto contineri exceptionem dubium nõ eſt, *l.1.ſ.de excep.* quia excipiens agere dicitur: quod tanto magis procedit, cùm de eo excipitur quod in formam actionis duci potuiſſet: vt ſi quis compenſet: ſed Bart. huiuſmodi exceptionẽ propriẹ actionis verbo contineri credidit, cui nõ aſſentio: quia lex videri eum agere dixit, *l.amplius. in fi.ſ.rem rat.* & proptérea cùm cui factis interdictũ ſit, licet agere prohibeatur, compenſare tamen poſſe exiſtimo: *c.cùm inter.de exce.* quæ ſententia humanior eſt. Cæterùm & is prouocator, cui iudex ex officio ſuccurrit, non propriè agere dicetur, ſicut nec reus eo caſu excipere, quod plerique omnes ſentiunt: *in l. 1.ſ.de iuriſ.om.iud.* qui verò replicationem obiicit, actionem intendere procul dubio dicitur. *Inſtit.de repl.in princ.*

Exceptio. ¶ Eius enim deſcriptio repugnat: cùm exceptio ſit actionis excluſio, tametſi dilatoriæ & ſolius intentionis excluſiones, propriè quoque exceptiones dicantur, *Abb.rub. extra de excep.* verbum enim generale eſt, idémque quod preſcriptio ſignificat. Fortunatianus tamen rhetor, Præſcriptio, inquit actionem excludit, tranſlatio differe.

BRECHÆVS.

VERBO ACTIONIS. ¶ Latinæ linguæ authores claſſici, maximè verò hiſtorici, quales fuere T. Liuius, Cæſar, Saluſtius, cum tela atque impetum hoſtium, hoſtes ſuſtinere & ſubire volunt ſignificare, id eleganter, excipere, dicunt, quod Græcis quoque ἐπέχειν aliquando inter cætera ſignificata ſignificat. Cice. *in Verr.* Aut hoc contendat nunquam eſſe factum, aut omnia tela excipiat, neceſſe eſt. Idem *de prouinciis conſula.* Qui me amor & ſubuenire olim impendentibus periculis maximis cum dimicatione capitis: & rurſum, cùm omnia tela vndeq; eſſe intenta in patriam viderem, ſubire coëgit atq; excipere vnum pro vniuerſis, &c. ¶ Vnde ego quidem arbitror à noſtris iureconſultis exceptionis verbum μεταφορικῶς vſurpatum. Quemadmodum enim hoſtes ſuorum aduerſariorum impetum & tela excipere dicuntur, ſic & in forenſi militia reus actoris intentionem cenſetur excipere, id eſt, depellere & ſummouere. Si quidem petitor actionem intendit, reus excipit, & exceptione ſummouet. quod Græci παραγράφεσθαι dicunt, i. præſcribere, & exceptione ſummouere petitionem. Et παραγραφὴ exceptio & præſcriptio: quæ à Quintil. intentionis depulſio appellatur. Vt nõ feci, aut iure feci: dicitur etiam ab ipſo Quintil. & à Cic. tranſlatio & tranſlatiua conſtitutio, cùm cauſa ex eo pendet, quòd non is agere videtur quem oportet, aut non cum eo quicum oportet, aut nõ apud quos: quo tẽpore, qua lege, quo crimine, qua pœna oportet, quod ſic Græcè dici poſſe Bud. volt. τὸ μὴ τοῦτον προσήκειν, ἢ χρόνῳ, ἢ δίκας, ἢ ἀλλ' ἄλλα αἰτίας τινὸς ἕνεκα, ἐξεῖναι παραγράφεσθαι. Præſcribere etiam, perſcribere, ſubſcribere verba ſunt propria fori & iudiciaria, ait ipſe Bud. vnde hoc verbũ vtraque lingua tractũ eſt. Quintilia. *lib.7.* de quæſtione actionis loquens. Eſt enim (inquit) duplex eius diſceptationis conditio, quòd aut intentio, aut præſcriptio habet controuerſiam: ac fuerunt qui præſcriptionis ſtatum facerent, tanquam non iiſdem quibus cæteræ leges, quæſtionibus contineretur. ¶ Cùm ex præſcriptione lis pendet, de ipſa re quæri nõ eſt neceſſe. Ignominioſo patri filius præſcribit: de eo ſolo iudicatio eſt, an liceat. ἐὰν τῷ πατρὶ, ὁ υἱὸς τῷ ἀτιμωθέντι παραγράψηται, περὶ τούτου μόνου κρίνεται, εἰ ἔξεστι, Actionis quæſtionem eo loco, Præſcriptionis litem Quintilianus appellat, quam *tertio lib.* tranſlationem aliàs vocauerat, hic παραγραφικὸς ἀγὼν eſt litis conteſtatio ſuper tranſlatione, & ſuper exceptione, quam teſte Budæo, vocat Cicero *lib.2.Rhetoric.* tranſlatiuam cauſæ conſtitutionem. Cuiuſmodi controuerſia eſt apud Demoſthenem. πρὸς Παντάινετον, & πρὸς φορμίωνα. ¶ Sed vt ad rem veniamus. Dicit hoc loco Paulus actionis verbo exceptionem minimè contineri. Nam cùm omnis controuerſia ex intentione & depulſione conſtituatur, actoris autem ſit intentio, rei verò, depulſio, id eſt, exceptio, non videtur ſanè propriè dici exceptio actoris. huic tamen ſententiæ non ſemper locus eſt: & quandoque

exceptionem ad actorem pertinere dicimus, ſed *καταχρηστικῶς*. ¶ Quandoquidem in familiæ herciſcundæ iudicio, & bonorum petitione, cùm vterque ſit actor, vterque etiam reus cenſeatur. *l. in tribus. de iudiciis.* conſequens eſt vt viciſſim *παραγράφεσθαι καὶ ἀντιπαραγράφειν παραγραφὰς* vtrique liberum eſſe debeat, & exceptionem intendere: quod Cicero agendi dari poteſtatem, appellat. Ea autem exceptio, quam tum reo, tum actori, proferre licebat ad inhibendam litis conteſtationem, iudiciſque conſtitutionem ſuper hæreditatis petitione, vocatur à Demoſthene *διαμαρτυρία*: hoc eſt (ait Budæus) *ἐγίγνετο ἡ διαμαρτυρία ἐπὶ τῷ μὴ εἰσάγεσθαι τὴν δίκην τὴν εὐθεῖαν ὑπὸ τοῦ παρακαταβάλλοντος.* ¶ Iam verò, quid dicimus? reum aliquando actoris munus excipiendo obire, *vt l. 1. ff. de exceptio. ſeu præſcrip. & l. 1. C. de iur. & facti igno.* Id quidem accipimus, quandocunque reus ipſe in exceptione proponenda, argumenta thematica atque articuloſas facti commemorationes ad coniecturam pertinentes edit, ac ſuſcipit probandas. *glo. in d. l. 1. & l. in exceptionibus. ff. de proba.* Sed Accurſ. *in d. l. in exceptionibus*, contendit reum ex propria verbi ſignificatione non debere dici agere, ſed ex interpretatione potius. Quod etiam aſſeruit Bar. in *d. l. 1. de exceptio.* Vnde ſi ſtatuti præſcripto denegatur actio, non videri exceptionem denegari, idem Bart. cenſet: cùm ſtatuta ex vera & propria ſignificatione ſint accipienda. *l. 3. § hac verba. de nego. geſt.* Creditor quoque, qui à debitore ſuo rem creditam vi atque authoritate propria exegit & extorſit, actionem perdit, exceptionem non perdit. *vt not. in l. ſi pœna. ad princip. de condit. indebit.* Calliſtratus, *& ibi not. in l. iuxta. Quod met. cauſ. not. in l. ſi quis in tantam. C. vnde vi.* ¶ Quapropter diſtinguendum erit: ſcilicet aut de re fauorabili agitur, aut de odioſa. Si de re fauorem ſpectante agatur, certè actionis nomine continetur exceptio: & tunc reum excipiendo agere dicemus: *vt in d. l. 1. de excep. & in l. 1. §. ait prætor. ff. de dolo malo.* Si verò in materia odioſa verſandum ſit, tunc actione denegata non denegatur exceptio. Odioſum etenim id eſſet, & cum naturali æquitate pugnans. ¶ Sed cùm dicimus actorem probare debere, intelligemus tam de eo qui prior actionem intendit, quàm de reo aduerſus quem ea intenditur actio: quando videlicet ipſe reus ad confirmandam exceptionem ac defenſionem capita thematica edidit quæ autoritate egeant. Concludemus igitur hic Pauli ſententiam non ex improprio & abuſu, ſed ſecundum veram propriámque verbi interpretationem accipiendam eſſe. ¶ Cæterùm, ne aliquid conſultò prætereamus, admonitum te velim, verbum excipere, præter eam, quam diximus, ſignificationem, eſſe in medicamentorum compoſitionibus vſurpatum: cùm res contuſæ aliquo liquore coguntur. Celſus *lib. 5.* hæc excipiuntur cerato è roſa facto. hoc Græci *ἐκλαμβάνειν*, ſicut *ἀναλαμβάνειν*, dicunt, teſte Budæo *in Commentariis linguæ Græcæ.*

FORNERIVS.

ACTIONIS. ¶ Quorum enim diuerſa vis ac definitio eſt, ea quoque diuerſa cenſentur. ¶ Actio perſecutio iuris eſt. *l. 34. actionis. ff. h. t. l. 50. nihil. ff. de obl. & act.* Exceptio verò, depulſio fuga, excluſio actionis: ratio denique eorum cum quibus agitur defendendorum gratiâ comparata. *§. 1. Inſtit. de except. l. 2. ff. de excep. Actor ὁ διώκων, Reus ὁ φεύγων*, pars fugiens. *l. 11. properandũ. C. de iudic. l. 2. C. de iureiur. prop. calum.* Hinc illa per manus tradita iuris enunciata, differentiam vtriuſque indicantia dimanarunt. ¶ Cui damus actionem, eidem multò faciliùs & exceptionem concedi. *l. 1. ff. de ſuperfic. l. 156. inuitus. ff. t. ſeq.* Annalia vel temporalia ad agendum, eadem ad excipiendum perpetua. *l. 2. C. de conſt. pecun. l. 5. C. de except. l. 5. fin. ff. de dol. except.* Ex quibus cauſis annua interdicta ſunt, ea his de eo, quod ad eum peruenit, poſt annum iudicium dari. *l. 2. ff. de interd.* ¶ Quoties plures eiuſdem rei nomine actiones competunt, vna tantùm experiundum: at pluribus exceptionibus vti reo licere: *l. 43. nemo ex his. ff. in ſeq. l. 5. ff. de exception.* Quamuis diuerſis: non tamen contrariis ac repugnantibus: vt Accurſianis videtur *l. 8. nemo. ff. de except.* Actionem de dolo, quoties alia ſupereſt, nõ dari. *l. 1. & 7. ſeqq. ff. de dol.* In exceptione ſecus eſſe. ¶ Nam & quædam crimina per accuſationem obiicere non licere, quæ per exceptionem. *l. 5. C. ad leg. Corn. de falſ.* Mitiora enim & humaniora haberi, quæ defenſionis iure nituntur, quàm quæ accuſationis odio laborant. *c. 1. extr. de except. c. etſi Chriſtus de iureiu.* Denique cum ſit in poteſtate actoris, quando experiatur, non rei, quando conueniatur. *l. 5. fi. ff. de dol. except.* dilationem ad reſcriptum ſibi conceſſum proponendum non habet, imò reus, qui inſtructus eſſe non potuit, quum præter ſpem ad iudicium traheretur. *l. 3. C. de dilat.* Macrobius *lib. 1. Saturn. cap. 16. ex Varronis libris Augurum.* [Viros vocare feriis non oportere: ſi vocauit, piaculum eſto. Sciendum eſt tamen eligendi ad pugnandum diem Romanis tunc fuiſſe licentiam, ſi ipſi inferrent bellum. At cum exciperent, nullum obſtitiſſe diem, quominus vel ſalutem ſuam, vel publicam defenderent. Quis enim obſeruationi locus, cum eligendi facultas non ſupereſſit.] Eadem ferè ratio redditur *in l. vlt. C. quand. lic. vnicuique ſine iud. ſe vind.* ¶ Quæ cum ita ſint, actionis nomine non ſignificatur exceptio. Nec quod Vlpianus ait, [Agere etiam eum videri, qui exceptione vtitur: Nam reum in exceptione actorem eſſe.] *l. 1. de except.* eam habet ſententiam, quaſi vtriuſque litigantium munia confundantur: ſed vt idem exponit, [reos in exceptionibus actorum partibus fungi, exceptionem velut intentionem implendo.] Vt non minus reo *ἀντιλογίας* ſeu exceptionis, quam actori intentionis probandæ onus incumbat. *l. 19. in exceptionibus. ff. de probat.* Neq; id mirum, cum interdum [agere *pro* probare] ſumptum notauerim. *l. 15. ſi prius. ff. de non. op. nunc. l. 45. ſi ædificatum. ff. de damn. inf.*

IX. VLPIANVS lib. v. ad Edictum.

MARCELLVS apud Iulianum notat, verbo PERIISSE & ſciſſum & fractum contineri, & vi raptum.

ALCIAT

ALCIATVS.

MARCELLVS RAPVISSE. ¶ Hoc clariùs locum ſibi vendicat, cùm quis ſcindit, frangitve vi adhibita, vel eo animo, vt ſi prohibeatur, vim adhibeat, *l.3.§.non ſolùm.* ff*.de incend.* alioquin rapere, eſt etiam de manibus auferre: *l.4.* ff*.ne quis eum.qui.* & qui verbis puellam ſeducit, eam rapuiſſe dicitur. *cap.ſi.36.q.1.* Sed & furari rapere eſt, *l.ſi quis ex domo.* ff*.de fur.* improbior tamen fure, quamuis manifeſtò eſt raptor. ¶ Quòd cùm ita ſit, cur leuius punitur? manifeſtarius enim fur quadruplum cùm rem ablatam infert, damnatur: raptor triplum: *§.ex maleficiis.de act.Inſtit.* an quod fur potuit dominum latere, raptor minimè, vnde ex furto potuit maius damnum domino inferri, qui nisi noxium deprehendiſſet, neſciuiſſet aduerſus quem ius ſuum perſequeretur? Quapropter cùm vterque manifeſtus ſit, grauius fur, quàm raptor plectitur: alij tamen aliter ſentiunt.

Sciſſum. ¶ Laceratum, fractum, quaſſatum. Sanè & verbo corrupiſſe, ſciſſum, fractúmque contineri in lege Aquilia dicitur: quapropter ſunt, qui hîc ropiſſe legant, nõ rapuiſſe. Subdit huius reſpõſi argumento Dinus, ſi lex municipalis certa pœna mulctet eum, qui de domo vicini aliquid rapuerit, *Alex.conſ.108.in 1.* qui vel ſolas fores effregerit, contineri. Quid ſi igne adhibito corruperit? & idem dici poſſe ego exiſtimauerim.

BRECHÆVS.

MARCELLVS. ¶ Hæc lex eò pertinet, vt ſi quis furandi animo & conſilio, aut virginem rapiendi & abducendi, fores domus effregerit, parietéſve demolitus ſit, quamuis tamen nihil eorum fecerit, id eſt, non rapuerit, & virginem non abduxerit, is nihilominus, furtum feciſſe, & virginem rapuiſſe dicetur: Quinimò, perinde atque raptor & fur, pœna plectendus venit. Non tantum enim admiſſum crimen ſanciendum eſt, ſed & animus & conſilium patrandi delicti. *l.1.§.diuus.* & *l.3.§.1.*ff*.ad leg.Corn.de ſica.* Not. *in l.diuus Adrianus.eod.tit.l.qui iniuriæ.*ff*.de fur.facit l.ſi conuicij.*ff*.de iniur.l.ſi quis non dicam.C.de epiſc.* & *cler.* ¶ Sed & ſi quis volentem conſentientémque filiam inuitis parentibus abſtraxerit, rapuiſſe cenſebitur. *l.1.C.de raptu virg.vbi doc.* Quid, ſi quis filiamfamiliâs inuitis parẽtibus duxerit, an rapuiſſe dicetur? Et raptus crimen admiſſum eſſe indubitati iuris eſt. Quod ego latiſſimè in Commentatiis ad conſuetudines Turonenſes diſſerui. Quódq; ibidem animaduertiſſe minimè pigebit. ¶ Si quis igitur mulieri obuius, eam ipſam abducere, & conſtuprare conatus ſit, ipſius autem mulieris ſeu virginis effugientis & renitentis veſtem lacerauerit, rapuiſſe mulierem ſeu virginem, dicendus erit: ſicut ex Vlpiani mente hîc colligimus: & no. Bal. *in l.1.ſed eximendi.*ff*.ne quis eum qui in ius voc.vi exim.* & *gloſ.ibid.* Rapere præterea & furari parùm τῷ ἔργῳ differunt: atq; alterum pro altero promiſcuè frequenter accipimus. Niſi quod rapere, eſt vi auferre: furari verò, eſt rem inuito domino & ignorante ſubtrahere. Et Paulus *lib.18.ad edictum.in l.duobus.§.ſi quis.de iureiu.* contendit aliud eſſe rapuiſſe, aliud item furtum feciſſe. Sed in *§.1.Inſtit.vi bo.rap.* ſcribitur raptum & furtum idem ſignificare. hanc quidem antinomiam (ſi qua ſit) ſoluit Accur. *in d.§.ſi quis.* vt intelligatur iuriſconſ. voluiſſe ſentire his verbis, aliud eſſe rapuiſſe, aliud item poſſe. Quæ mihi ieiuna quidem & frigida videtur ſolutio. Ego ſanè verius exiſtimarem, furti & raptus differẽtiam, ex vi & proprietate verborum oriri. Multùm ſiquidem intereſt quis rem de manibus poſſidentis vi abſtulerit, id eſt, rapuerit, an verò clam & ignoranti domino: quod furari propriè appellandum eſt. ¶ Dicuntur autem immobilia inuadi: mobilia verò, rapi. *§.penult.Inſtit.vi bon.rap.* & *gloſſ.in l.1.de condi.trit.ca.*

FORNERIVS.

MARCELLVS. ¶ Ex notis Marcelli in Iulianum editis ſuperſunt adhuc reliquiæ. *l.14.interdum.de in rem verſ.l.23.ſi quis ſeruum.de act.empt.l.20.non dubitamus.de cond.* & *demonſt.l.80.is qui ſolas de leg.1.l.5.de her.inſt.* denique hocce fragmentum, quo quid verbum PERIISSE valeat, annotauit. ¶ Fruſtrà in tot diſſidentium exemplarium varietate, [rupiſſe, rapuiſſe,] oſtenſo Florentinæ editionis lumine hæreamus: cui Græcorum conuerſio adſtipulatur, τῷ ῥήματι τοῦ ἀπολέσθαι, καὶ τὸ χυθῆναι, καὶ τὸ κλασθῆναι, καὶ τὸ διαρραγῆναι δηλοῦται. Qua varietate æſtuans Accurſius, velut Tantalus ſaxum voluens, nec hilum profecit: nec ad quam potiſſimùm iuris partem hæc interpretatio, quæ latiùs patet, quam vt vnius ſpeciei argumento contineatur, referatur, conſtituit. Pertinere enim poteſt ad rei vindicationem, hereditatis petitionem, locationem, commodatum, fideicommiſſum, legem Aquiliam, cæteráque id genus, quibus de rei reſtituendæ exhibendæue periculo & æſtimatione controuertitur. ¶ Ac propriè quidem periiſſe id intelligitur, cui eiuſmodi clades accidit, vt in rerum natura funditùs eſſe deſierit. *l.1.C.de iur.emph.l.21.deperditum.*ff*.de her.pet.* ¶ Latiùs verò interdum ſumitur, quùm ſubſtantia etiam manet, ſublatâ rei formâ, ipſiúſue deprauatâ, mutatâ, imminutâ, læsâ, depretiatâ dignitate: Alia enim quodammodo res videtur, quæ deterior, corruptiórque exhibetur, vel redditur. *l.14. Labeo.*ff*.h.t.l.9.Iulianus.*ff*.ad exhib.l.7.exhibitionis.C.eod.l.3.§.ſi redditu.*ff*.commod.* Niſi fortè ad abuſum detrimentum, periculúmque comparetur: vt in vſufructu nauis ad naufragij periculum expoſitæ: vt in veſtis ipſo vſu atterendæ commodato: vel equi in longius iter conceſſi, quo conficiendo ſtrigoſior euaderet. Nec enim tum penitus res perit, cum id conſultò vt abuti liceat, agitur. *l.12.arboribus.§.nauis.l.15.ſed ſi quid.§.etſi veſtimentorum.*ff*.de vſufr.l.10.cum qui.l.vlt.*ff*.commod.*

Sciſſum & fractum. ¶ Diuiſio quæuis totius rei vitium afferens, corruptio veriùs & interitus cenſenda eſt, ideóque fugienda. *l.2.C.quand.* & *quib.quart.pars deb.gloſſ.l.19.arbor.*ff*.comm.diuid.l.penult. ſuprà pro ſoc.l.55.ligni.§.idem.de legat.3.* Imò & ſeparatio eorum quæ deſiuncta vſum & commodum amittunt ſuum, moleſta: vti quadrigæ, vt ſymphoniacorum puerorum, vt fratrum geminorum. *l.22.proinde.*ff*.ad legem Aquiliam.l.34.cum eiuſdem.l.ſeq.l.28.ædiles.* & *ſeqq.*ff*.de ædil.edict.*

Plinius de M. Antonio. *lib. 7. cap. 12.* Multò magis ſciſſum vel fractum periiſſe dicemus. Hinc Q. Fabij Labaonis damnatur aſtutia: qui quum à rege Antiocho, quem bello ſuperauerat, ex fœdere icto dimidiam partem nauium accipere deberet, medias naueis ſecuit, vt eum tota claſſe priuaret. Val. Maximus *lib. 7. cap. 3.* Quantò prudentius Aul. Caſcelius (de quo Fab. Quintilian. *lib. 6. cap. de Riſu.* Macrobius *lib. 2. Saturnal. cap. 6.*) mercatori quomodo nauem cum ſocio diuideret interroganti, *nauem, inquit, ſi diuidis, nec tu, nec ſocius habebitis.* Caſcelij ſcripta iam Pōponij ætate non extabant, niſi vnus Benedictorum liber. *l. 2. §. fuit. de orig. iur.* Benedicta, vt hoc ubiter, acute dicta: cuius generis Modeſtinus εὑρήματα vel εὑρηματικὰ reliquit, Id eſt interpr. Heſych. θυλώματα, reſponſa conſiliorib. data.

Vi raptum. ¶ Cum pro cuiuſque flagitij grauitate pœnæ modus æſtimetur: Raptor autem fur improbior ſit. *l. 1. vi bon. rapt. l. 14. ſi cum. §. qui vim. ff. quod met. cauſ.* Illiberale quidem furtum, ſed rapina odio digna maiore. *§. 1. vi bon. rapt.* Plato de legib. *lib. 12.* κλοπὴ μὲν χρημάτων ἀνελεύθερον, ἁρπαγὴ δὲ ἀναίσχυντον: Quæſitum & à pleriſque tractatum ſcio, cur cum manifeſto fure durius, quàm raptore agatur, hic in triplum tantùm, ille in quadruplum teneatur. ¶ Sed verius eſt, non ideò leuiore hunc, quàm illum pœna affici: ſi rem exacte κατὰ λεπτὸν expendamus. Fur enim ita demùm, ſi deprehendatur, quadruplum pendit: At raptor indiſtinctè, quamuis non deprehendatur, ſemper eandem tripli pœnam ſubit nihilominus. Et hac ratione non poteſt videri, cum eo mitius agi: καὶ κατὰ τοῦτο δοκεῖ ἢ πλεῖόν τι ἔχειν ἢ ἐλαττοῦσθαι inquit Theophilus. Adde quod vni quadrupli pœnæ obnoxius ſit fur: raptor pluribus *§. item lex Iulia de vi. de pub. iud.* Præterquàm quòd cū in actoris poteſtate ſit, vtra actione, furti manifeſti an vi bonorum rapto. experiatur: ſibi imputet ipſe, quòd triplo cōtentus, manifeſtarij vindictā exſequi noluerit. *l. 80. ſi vendidero. §. cum raptor. l. 89. ſi quis egerit. ff. de fur. l. 1. l. 2. §. cæterum. vi bon. rapt.* Aliis forte aliud videatur: ſed non iuuat alienis opinionib. refellēdis, ingenioſi gloriam captare.

X. Idem lib. vj. ad Edictum.

Creditores accipiendos eſſe conſtat eos, quibus debetur ex quacunque actione, vel perſecutione, vel iure ciuili, ſine vlla exceptionis perpetuæ remotione, vel honorario vel extraordinario, ſiue purè, ſiue in diem, vel ſub conditione.

Qvod ſi natura debeatur, non ſunt loco creditorum.

Sed etsi non ſit mutua pecunia, ſed contractus: creditores accipiuntur.

Alciatvs.

Creditores actione. ¶ Non tamen reali, cùm qui rei vendicatione conuenitur impropriè debitor dicatur, vt Accurſius & cæteri exiſtimant, *Inſt. de act. in princ.* & *§. 1.* quod ego non probo: quia negari non poteſt, qui rem meam poſſideat, reſtituere eam mihi debere: nec nos mouet, quòd lex cū nullo iure teneri dicat, *§. omnium. Inſtit. de act.* quia & ex additione pronominis: & ex narrationis argumento apparet nullo iure perſonam ipſam obligari: ſed non ideo conſequens eſt, rationem rei debitorem non eſſe.

Perſequutione. ¶ Quam vulgò officium iudicis merum appellamus, ea cauſæ omnes mixti imperij abſoluuntur. *l. l. per. §. 1. ff. eod.*

Iure ciuili. ¶ Hoc iure ſtipulatio inuenta eſt, & emphyteoſis, literarúmque obligatio, & quæ ex ſponſalitia largitate, vel tutela prouenit: nā & hæc xij. Tab. verbis inuēta eſt. Sane & iure ciuili debetur, Quod ex iuris gentiū contractib. debetur. id enim ius Quirites approbauêre. *l. iuriſgentiū. ff. de pac.*

Sine vlla. ¶ Qui ergo ipſo iure tenetur, ſi exceptione perpetua, puta pacti de non petendo, tutus ſit, debitor non eſt: nec quid ipſo iure ſit, curamus, ſed quid in effectu.

Extraordinaria. ¶ Cùm deficiente ciuili actione ſuggerente æquitate in cauſis iuriſdictionis officium ſuum prætor impertit, vt cùm filiumfa. tuetur, qui viaticū ſuum alteri mutuauerit, *l. cùm filius. ff. ſi cert. pet.* & quoſdam caſus ſuprà habemus ſub rubr. *de var. & extraord. cogn.*

Sub conditione. ¶ Si omnino ſit exitura, dubiū non eſt, vt Pomp. ait *in l. 1. ff. ſi cert. pet.* eſſe creditorē. Si verò incerta ſit, non eſt creditor, niſi ex larga ſignificatione: at vbi euenerit etiam retro, videbitur propriè fuiſſe creditor, *l. is cui. ff. de act. & obligat.* quod in legatis non eſt, nec enim in eis regulariter conditiones trahuntur retrò. *l. 1. §. ſerui ad Syllan.*

Natura. ¶ De naturali obligatione quam lex ciuilis fouet, hic non agitur: quia de ea ſuperius actū eſt: cùm de iure ciuili dixit, *l. legitima. de pact.* multo minus verò de ea intelligendum eſt, quam lex ciuilis reprobat: quoniam hoc caſu creditor dici non poteſt. Supereſt ergo, vt de ſimplici naturali obligatione loquamur, quam ius noſtrum nec tuetur, nec infirmat. ¶ Ea duplex eſt: *Bart. l. ex hoc. ff. de iuſt. & iur.* altera iure naturę efficax, quæ ideo actionem non parit, quoniam iuris ciuilis ſunt actiones: exceptionī verò ſufficit, & compenſationi & pignoris retentioni, quoniam id non eſt alium impetere, ſed ſe tueri, quæ naturalis defenſionis ſpecies eſt. In hac creditor propriè non dicitur, quia actionem hac ex cauſa nullam habet: largius tamen accepto ſermone dici creditor poterit, & ideo fideiuſſor illi accedit. *l. fideiuſſ. obligat. §. 2. ff. de fideiuſſ.* Altera verò quæ ad antidora, id eſt, remunerationem pertinet: nec eo quidem iure ex ſe efficax eſt. Quapropter ex ea debitor nullo modo dicitur: iuncta tamen alij actui plurimum poteſt. ¶ Hinc eſt, quòd remuneratoria donatio inſinuatione nō indiget: ex ingratitudine, vel filiis deinde natis, non reuocatur: inter virum & vxorem permittitur: quapropter cauſam ſufficientem contractui pręſtat: in bono viro præſumitur: alienationēm rei ad Eccleſiam, vel minoris pertinentis, alioquin reuocabilem, confirmat. *Iaſ. in d. l. ex hoc.*

Sed

Sed contractus. ¶ Subaudi quilibet alius. ipſe caſtigatius in antiquo codice ſcriptum inueni, ſeu contractus, quod magis placet.

BRECHÆVS.

CREDITORES. ¶ Creditores qui pecuniam alicui crediderunt, & vtendam dederunt, qui à Græcis οἱ κιχράντες dicuntur: & κιχράμενοι qui vtendum rogauerunt, teſte Budæo, eo modo quo ſolet dici δανείζων & δανειζόμενοι. ¶ Nam χρῆσαι non ſolùm cõmodare ſignificat, ſed & etiam mutuare καὶ δανείζειν. Vnde τὰ χρηθέντα tam res cõmodatas, quàm pecunias mutuatas ſignificant: ſicut apud noſtros, creditum, & debitum. ¶ Verbum igitur credere, vnde creditores, refertur ad fidem eius cui vtendum datur. ¶ Nam (inquit Donatus in Teren.) Creditores dicuntur ipſi qui dant: fides, eſt eorum quibus datur. Terent. *in Phormio.*

Cuius tu fidem in pecunia perſpexeris,
Verere verba ei credere?

¶ Sententioſè (ait ipſe Donatus) dixit: quaſi in omnibus credendũ ſit ſeruaturum fidem eſſe eum, qui in pecunia ſeruauerit. Vnde etiam dicimus, Credere alicui verba, & credere arcanos ſenſus, eleganter pro eo quod dicitur, habere fidem alicui, ſeu fidere ſe alicui, cõmittere ſecretum ſuum. Sic qui pecuniam alicui credit, i. creditor intelligitur commodaſſe, pacta fide. Nam cuicunque rei aſſentimur alienã fidẽ ſecuti, mox recepturi quid ex hoc cõtractu, credere dicimur (ait Vlpia.) *in l. 1. §. na cuicunque. de reb. cred. ſi cert. pet.* Generaliter creditores accipiuntur pro his omnibus qui ex quacunque cauſa pecuniam aliis ſolent erogare. Cic. *lib. 1. Epiſt. familia. Epiſt. 1.* Res agitur per eoſdem creditores, per quos cùm tu aderas, agebatur. hic quidẽ intelligit Cicero fuiſſe Rabirium regiæ pecuniæ erogatorẽ.

Ex quacunque actione. ¶ Nam credere, & creditores, verba ſunt generalia, ſicuti diximus, & habetur *in l. ſi cui. §. penult. in authen. de fide inſtrumen.* not. gloſſ. *in dicta l. 1. ſi certum petatur.* Quapropter dixit, ex quacunque actione, vel perſecutione, vel iure ciuili, vel prætorio, vel officio iudicis, &c. ¶ Sed an ex obligatione quæ ex delicto deſcendit, creditor dici poſſit? Primum quidem, videtur poſſe. vt *l. ſi cui ex empto. ff. eod.* Quæ diſceptatio ſuo loco patebit.

Perſecutione. ¶ Perſecutione, id eſt, mero iudicis officio, quandocunque poſtulatur bonorum ſeparatio ab heredibus, vt *l. 1. ff. de ſeparatio.* Aut cùm datam in fraudem creditorum libertatem contendimus *l. in fraudem. la 1. & 2. ff. qui & à quib.*

Vel iure ciuili. ¶ Iure ciuili, etiam iure gentium & iure xij. Tabul. Vt ex ſtipulatu, actione tutelæ, literarum obligatione & ſimilibus.

Sine vlla exceptione. perpe. remot. ¶ Hic reſtringit ac præſcribit, ſeu limitat præcedentia: ac ſi diceret, ſi modò perpetua aliqua exceptio non interceſſerit. Nam perpetuæ exceptiones actionem omnino inducunt & perimunt. vt ſi creditor cum debitore ſuo conuenerit debitũ nunquam ſe petiturum.

Vel honorario. ¶ Id eſt Prætorio, ſeu ex edictis prætorum. Quæ autem erant prætorum edicta, videre eſt *in §. prætorum. Inſtit. de iur. natu. gent. & ciuil.* Cicero *in actio.* in Verrem ſcribit edictum prætoris legem annuam fuiſſe, quæ Calend. Ianuariis incipiebat, ac demum Calend. Ianuariis ceſſabat. Poſtmodùm autem hoc edictum ex annuo, factum eſt perpetuum.

Extraordinario. ¶ Id eſt, perſecutione, vt ſuperius diximus. Cuiuſmodi eſt ſatiſdatio legatorum: damni infecti, & reliquę id genus perſecutiones, quæ iuris ordinarij via exequi non ſolent, ſed officio iudicis mero & extraordinario. Hodie tamen actione perſequuntur. *vt l. 2. C. commu. de leg.* Intellige igitur Extraordinario iure, quandocunque merum iudicis officium ſolet implorari. Text. cum gloſſ. *in l. cum filiusfamiliàs viaticum. Si certum petatur. & capit. inquiſitionis. extrà de accuſ.* Not. gloſ. *Capit. quoniam contra. de probationib.* Text. cum gloſſ. *in l. 1. in verbo extraordinem. de adminiſtra. tuto.* ¶ In ſumma extraordinem quærere, eſt diſceptatione cõpendiaria & litis imagine potius quàm lite, rem tranſigere, ſeu procedere ſummariè, & ſine ſtrepitu & figura iudicij.

Vel ſub conditione. ¶ Is cui ſub conditione debetur καταχρηστικῶς, & impropriè creditor dicendus erit. Qui enim ſub conditione obligatur, nõ dicitur propriè obligatus, quandiu pendet conditio: nam tandiu ea pendet obligatio. *l. quod ſi. de condi. indebit. l. decem. de verb. oblig.* Sed diſtinguendum erit, de certa, an verò de incerta conditione fuerit quæſtio. ¶ Quòd ſi certa fuerit conditio, velùti, cùm moriemur, ſpem obligationis ad hæredes tranſmittimus. Pendente igitur conditione creditor, eſt in ſpe creditor. *l. ſi cui. de collatio. bono.* Sed hoc quidem impropriè, ſecundum Alberi. & Dyn. hoc loco. Nam quoniam is cui ſub conditione debetur, petere non poteſt, propriè creditor cenſendus non erit. Quæ ſententia eſt Barto. *in d. l. 1. ſi certum petatur.* ¶ Quo loco ſcribit huiuſcemodi creditorem non comprehendi in ſtatuto de creditore mentionem faciente. Sic & ab his qui natura ſunt debitores, exigi debitum nequit: neque verò ſi quibus natura debetur, erunt creditorum loco annumerãdi, niſi competat illis quoque actio, vt *l. Naturales. de actio. & oblig.* Quod hoc loco ſentit Barto. Nam ſi debitum ſine obligatione ſit, ex qua quidem oriri poſſit actio & perſecutio, debitum propriè dicendum non erit. Veluti in eo qui ab homine liberaliſſimo munificentiſſimóque beneficium accepit: is non modò de habenda, verùm etiam de referenda gratia tenetur naturali quadam obligatione. Fidei enim conducit in loco debitum retribuere. Illic voluntas propenſa comprobatur: illic memoria animi collaudatur. Quod ſi ea (inquit Cicero) quæ acceperis vtenda, maiore menſura (ſi modò poſſis) iubet reddere Heſiodus.

Αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώιον, αἴ κε δύνηαι.

¶ Quidnam beneficio prouocati, facere debemus? An non imitari agros fertiles, qui multò plus afferunt, quàm acceperunt? hoc tamen debitum exigi ab eo qui beneficium cõtulit, non poteſt, neq; ab

eo qui accepit. Quare neutrum, neque creditorem, neque debitorem appellauerimus.

Sed et si non mutua sit, &c. ¶ Neq; verò mutuata pecunia creditores efficiuntur tantùm, ſed & ſi ex contractu debeatur. Vt ſi decem a te ſtipulatus ſim mihi dari Calend. Ianuariis. Præterea & ex contractu emptionis & venditionis, quo precij ſolutio in diem certum confertur. Hac quidem cauſa Creditores efficiuntur: licetque illis actione legitima hoc tandem debitum perſequi.

Fornerius.

Creditores. ¶ Creditum ſumitur ſpecialiter pro mutuo. *l. 4. l. 15. ſingularia. ff. ſi cer. pet. l. incendium. C. l. 1. verſ. crederet. l. 3. §. is autem. l. 4. 5. l. 7. item ſi. §. mutui. ff. de ſenat. Maced.* vt contrahendi verbum ad omnem obligationem pertinet: vt vbicunque quis obligetur, cõtrahi videatur, quamuis non ex crediti cauſa debeatur. *l. 20. omnem. ff. de Iudic.* ita credere generalius dicimur, cum cuicunque rei aſſentimur, alienam fidem ſecuti, mox recepturi quid ex hoc contractu. *l. 1. l. 2. §. creditum. ff. ſi cert. pet.* vt ſtipulatio hac conditione concepta [Si in cœlum non aſcenderis,] vtilis præſens dicitur, & creditam, id eſt debitam pecuniam continere. *l. 7. de verb. ob.* Quinctilian. *lib. 4. cap. 2.* [Satis eſt, inquit, dixiſſe certam creditam pecuniam peto, ex ſtipulatu, legatum peto ex teſtamento.] ¶ Imò amplius, eum debitorem quacunque ex cauſa habemus, credentes ſumus: ſi quid nobis delinquendo damni dederit, vel iniuriam fecerit. *l. 12. ff. h. t.* Credere enim & debere, debitor ac creditor ſunt τῶν πρός τι: quorum vno poſito, alterum ſequi, altero ſublato, & alterum ex relatorum lege, tolli neceſſe eſt. At debitor eſt à quo inuito exigi pecunia poteſt. *l. 108. debitor. ff. h. t.* creditor igitur & qui ius ex delicto admiſſo exigendi habet. Nam quod definitur, *Cuicunque rei aſſentimur*, facile intelligitur ex ſubiecta materia, ad verum creditum. id eſt, contractuum obligationem propriè referri oportere. *d. l. 1. l. 2. §. creditum.* Nec Bartoli, qui inter credere & creditum, aliquid intereſſe cenſet, admittenda diſtinctio videtur: quæ locu a coniugatis ducto ex Dialecticorum regula ſubuertitur.

Actione, vel persecutione. ¶ Actio quid amplius, perſecutio minus: quædam actione non conſequimur, quæ perſecutione poſſumus: vt fideicommiſſa: quæ non habuerunt iuris ordinarij perſecutionem, nec per formulam, vti legata petebantur. Vlpian. *frag. tit. 25. inſt. tit. de fideicommiſſ. §. 1.* exponetur latiùs, quum peruentum erit, *ad l. 34. actionis. l. 49 bonorum. l. 178. pecuniæ. ff. h. t.*

Iure civili. ¶ Vt legata, vt cætera quæ iure ordinario petuntur. Accurſiani *in l. 5. de Iuſtic. & iure*, quatuor contractus tantùm ſtatuunt eſſe iuris ciuilis, reliquos iuriſgentium. Stipulationem, literarum obligationem, ſponſalitiam largitatem, & emphyteuſim. De ſtipulatione etiamnùm controuertunt. *§. de conſtituta. de action. inſt.* de emphyteuſi nõ minus. Quod quamuis in aliud tempus diſputandum diſtulerim: obiter nunc admonebo, veteribus latinis, græcorum ſententiam congruere, qui & nouationem & emphyteuſim à iure ciuili introductam tradunt. *lib. 2. tit. 1.* Synopſeos Baſilicôn. *τινὰ δὲ καὶ ἐκ πολιτικοῦ ἴσχυρον, ὡς τὴν ἀγωγὴν τὴν μεταθεῖσαν παλαιὸν χρέος εἰς καινὸν, καὶ τὴν ἐμφυτευτικήν.*

Sine vlla exceptionis perpetua remotione. ¶ Græci, *χωρὶς δυνάμεως παραγραφῆς χρονίου μόνιμος.* Non debet, quiſquis ſe legitima exceptione tueri poteſt: nec contrà creditor is habetur, qui poteſt exceptione perpetua ſummoueri. *l. 55. creditor. ff. h. t.* Verùm nullá omninò, an eiuſmodi actioné, quæ excludi poſſit, habeas, parú intereſt. *l. 112. nihil intereſt. ff. tit. ſeq.* Verba cum effectu accipiẽda ſunt. *l. 1. ff. quod quiſ. iur. l. 13. ſi Barſatoram. C. de fideiuſſ.* Vnde ſolutum, tanquam indebitum condicetur, quod debebatur, ſi per aliquam exceptionem peti non poterat. *l. 26. ſi non ſortem. ff. de cond. ind.* ait *aliquam*: Cuiuſmodi eſt exceptio iuriſiurandi, doli mali, metus, rei iudicatæ, ſatisfactionis, ſolutionis, pacti de non petendo, cæteræque, quæ quòd litem perimant, vulgò peremptoriæ nominantur. Qui autem temporalem tantùm exceptionem timet, conditionali creditori comparatur, id eſt vero creditori. *l. 54. conditionales. ff. h. tit.* Sufficitque ſi, verùm temporalis, an perpetua ſit exceptio, dubitetur. *l. 56. ſufficit, de cond. ind.* Sanè ſi debitor cum ſe exceptione tutum ſciret, vltrò ſoluerit, condictio denegabitur. *d. l. 26. ſi non ſortem. §. indebitum.* Vel niſi odioſa ſit exceptio, qualis ea quę ex Sc. Macedoniano conceditur. *l. 40. qui exceptionem. ff. de cond. ind.* Quamuis incerto nomine id eſt inutiliter creditum intelligatur. *l. 1. ff. de Sc. Maced.* Lucanorum lege, quiſquis perdituro fœnerabatur, iure crediti cadebat. *ἐὰν δέ τις ἀσώτῳ δανείσῃ χρέος ἐλέγχθη, στέρεται αὐτοῦ.*

Vel honorario, vel extraordinario. Dempto remone, pro [*extraordinario.*] *l. 17. pecuniæ. ff. h. tit. l. 1. de conſtitut. pec.* Vlpianus *fragm. tit. 25.* vt ſunt reſtitutiones & cognitiones prætoriæ, inter dicta. *l. 16. in cauſa. l. 24. quod ſi ſi. de min. §. vltim. de interd.* vt eum nutricium, ſalarium, honorarium petere. *l. 1. ff. de var. extr. cogn.* vt ſunt in factum actiones quibus ex æquitate præter iuris ordinarij vſum accommodatis ſubuenitur. *l. 11. in factum. ff. de ob. & act. l. antep. ff. de neg. geſt. l. 18. ſi longius. l. 53. vix. ff. de iud. l. 17. cum filiusfam. ff. ſi cert. pet.*

Sine purè, ſiue in diem, ſiue ſub conditione. ¶ Longa tamen inter hæc tria differentia. Pura obligatio eſt præſens: in diem vel ſub conditione futuro ſuſpenditur euentu. *l. credere. ff. h. t.* Is cui quid ſub conditione debetur, creditor non eſt: cum nondum vere debeatur: ſed ſpes tantùm debitum iri *ff. ex conditionali. de verb. obl. l. 108. debitor. ff. h. t. l. 42. is cui. ff. de ob. & act.* ¶ Sed varie creditor pro ſubiecta materia accipitur. Et verùm eſt non deberi antè conditionis euentum: ſed propter ſpem tamen creditores haberi in quibuſdam caſibus *l. 8. cum is. ff. qui à quib. man. l. 4. ff. de ſeparat. l. 6. in poſſeſſionem. l. ſeq. l. pen. ff. quib. ex cauſ. in poſſ. eat.* De quibus ſingillatim, poſthàc exactius paulò. Ecquid conditionale legatum a ſtipulatione diſcrepet: & an debitum purum per ſtipulationem conditionalem nouetur: & diſſidentia iureconſultorum reſponſa examinabimus *l. 54. conditionales. ff. h. t.*

Quod ſi. ¶ Nuda ſimpléxque conuentio in meris pacti finibus conſiſtens, vix eſt vt ſatis ad inducendam obligationem momenti habeat. *l. 7. iuriſgentium. ff. de pact.* Etſi naturalis æquitas contrahentes ad tuendam fidem adhortetur. *l. 1. de pact. l. 1. de conſt. pec.* Seneca *lib. 5. de Beneficiis.* [Multa, inquit, legem

legem non habent, nec actionem, ad quæ conſuetudo vitæ humanæ, lege omni valentior dat aditum. Quæ lex ad id præſtandum nos, quod alicui promiſimus, alligat? Nulla: querar tamen cum eo, & fidem datam, nec ſeruatam indignor.] Is enim naturâ debet, quem iure gentium dare oportet: cuius fidem ſequuti ſumus *l.84.cum amplius.ȷ̃.ei.ſeq.* Graue eſt fidem fallere, quàm ſeruari naturâ æquum eſt. *l.1.ſ.de pact.l.1.ſ.de conſt.pec.* Quę notio non pœnitendos etiam fructus parit. Vt conſtitui poſſit debitum ſaltem naturâ. Vt nouari poſſit obligatio naturalis, vt compenſari: vt ad excipiendum, ad ſoluti condictionem inhibendam valeat: & ad fideiuſſionis acceſſionem ſatis idonea ſit. *l.1.§.debitum.de conſt.pecu.l.6.etiam.ſ.de compenſ.l.1.ſ.illud ſ.de nouat.* indebitum planè non eſt, quod naturaliter debetur, nec ſoluti condictio eſt *l.13.naturaliter.l.19.ſi pœna. l.38.frater.l.64.ſi id quod.ſ.de cond.indeb.* Fideiuſſor accedens naturali obligationi ciuiliter obſtringitur, ab eóque peti poteſt. Iulianus cùm dixiſſet. [Fideiuſſorem accipi poſſe, quoties eſt aliqua obligatio ciuilis, vel naturalis cui applicetur: *mox ſubiungens,* Naturales, inquit, obligationes non eo ſolo æſtimantur, ſi actio aliqua eorum nomine competit: Verùm etiam cum ſoluta pecunia repeti non poteſt. Nam licet minus propriè debere dicantur naturales debitores, per abuſionem intelligi poſſunt debitores: & qui ab his pecuniam recipiunt, debitum ſibi recepiſſe.] *l.16.fideiuſſor.ſ.de fideiuſſorib.* Et quia natura fons iuris, & æquitatis nec ſidem falli, nec quenquam aliena fraude diteſcere patitur, non ſunt naturalis obligationis adeò imbecilles & effœtæ vires, vt nihil efficiant. Nec abſurdum eſt fideiuſſorem teneri, cùm ab reo nihil exigatur: nec acceſſiones in duriorem cauſam, quàm principalis obligentur. *l.8.gracè.§.illud.de fideiuſ.* Quia id ipſum agitur, eáque princeps fideiuſſorum accipiendorum cauſa, vt quod minùs efficaciter ac pudore, tantùm naturæ deberetur, vinculo intercesſionis fiat certius nomen. *§.1.de fideiuſſ.§.pen.de replicat.*

Sed & ſi. ¶ Occurrit tacitæ obiectioni: ac ſi diceret, creditum non eſt tantùm in mutui datione, ſed vbicunque alienam fidem ſequuti contrahimus. *l.1.l.2.ſ.ſi cert.petat.* Non deeſt, qui ſe in vetuſto exemplari ſcriptum reperiſſe aſtruat. [Seu contractus,] idque magis placere: mihi minùs vt arrideat facit & idoneior ſenſus, & Græcorum paraphraſis, *οὐ γὰρ μόνον οἱ δανείσαντες δανεισταί, ἀλλὰ καὶ πάντες οἱ ἐκ συναλλάγματος ἢ ἁμαρτήματος χρεωστούμενοι.*

XI. CAIVS lib.j. ad Edictum prouinciale.

CREDITORVM appellatione non hi tantùm accipiuntur, qui pecuniam crediderunt: ſed omnes, quibus ex qualibet cauſa debetur.

ALCIATVS.

CREDITORVM PECVNIAM. ¶ Videbatur enim ita tantùm accipiendum, cùm credere dicamur, cuicunque rei aſſentiamus, alterius fidem ſecuti: ſed tamen communis vſus peritorum creditorem generalius accipit, quacunque ex cauſa quicquam debeatur: meritò ergò vſum magis quam etymologiam attendemus. Quamuis tamen de creditore ita dicamus, non idem erit de verbo credere, vel nomine creditum: hæc enim ſolum indicant, qui alterius fidem ſequutus ſit, vt Bartol. ſenſit: atque alij plerique. Tenent Salicetus, Fulgoſius, Pontanos contrà *l.1.ſ.ſi cert.pet.*

Cauſa. ¶ Puta delicto, vt ait Accurſius. Sed hic ego generaliter malim quacunque ex cauſa, non ſolùm contractu, ſed etiam quaſi contractu. Qua ratione & ceſſionarium propriè creditorem eſſe cæteris conſenſerim *in d.l.1.*

BRECHÆVS.

CREDITORVM. ¶ Quoniam ex propria verbi ſignificatione creditorem dicere ſolemus eum qui pecuniam credidit: ne tamen ſtrictior exactiórue hæc videatur interpretatio iureconſ. Caius hic ad ſignificationem latius ſe proferentem traduxit: vnde cenſet creditores non eos eſſe tantùm, qui pecuniam alicui crediderunt: ſed quibus ex quacunque debetur cauſa, creditores eos dici oportere contendit. Sed & quibus actione ex delicto debetur, creditores quoque cenſendi erunt. Nam quemadmodum ex contractu mutui, atque emptionis & venditionis naſci ſolet naturalis obligatio, ſic quoque ex delictis. *Gloſſ.in §.præterea debitor. inſtit.de excep.Gloſſ.in l.inde Neratius. §.ſi quis hominem.ff.ad l.Aquil gloſſ.in l.ſi tibi.§.quadam.de pactis.* Sic qui ex delicto eſt obligatus, debitor per *ἀναφορὰν* dicitur. Bartol. *in l.fin.ad fin.de iniur.Gloſſ.in l.reſcriptum.in verb.Hypothecas.de pact.* Quam quidem gloſſ. ipſe Bart. in hanc rem citat. Sed aſſerit hoc ex improprio accipiendum. Vnde ſi ſtatuto de creditoribus aliquid fuerit cautum, ſeu de debitoribus, creditores debitoréſue ex delictis non comprehenduntur: cùm ſtatuta quæ ſtricti ſunt iuris, ſecundum veram propriámque & germanam verbi ſignificationem interpretanda ſint: non autem in caſu ficto, & improprio *d.l.1.§.is qui nauem.de exercit. act.l.3 §.hæc verba.de neg.geſt.* Quippe quod ex delicto debetur, propria rei creditæ appellatione non comprehendi Alciatus ſcribit *in l.1.ſi certum pet.* is enim cui debetur, delinquentis fidem ſequutus non eſt: quamuis ea communi loquendi vſu creditorem eum dicendum Butrigar. cenſuerit *in l.creditores.ſ.eod.* ¶ Sed quæras forſan, an ceſſionarius creditoris appellatione in ſtatuto veniat? Et ſanè diſtinguendum erit: ſcilicet, aut ceſſa eſt & actio & obligatio ſimul: *vt l.Si eius.ad princip.ff.ad Trebellian.* Tunc quidem ceſſionarium complectitur ſtatutum. Quandoquidem per ſucceſſionem obligationis creditor efficitur. In qua ſententia eſt Bald. *in l.1.C.de action.& obligat.* Si verò actio tantùm abſque obligatione ceſſa ſit, ſtatuto minimè continetur ceſſionarius. Idem erit & ſi ceſſio facta ſit ceſſionarij gratia tantùm: & agit vtiliter nomine proprio: non enim ſtatutum ſub creditoribus rationibus comprehendet: ſecundum *l.aliquando.ff.ad Velleian.*

FORN

FORNERIVS.

CREDITORVM. ¶ Eadem omninò quæ extremo ſuperior. cap. ſententia inculcatur: Ex quauis cauſa creditorem fieri. Quoniam creditor ac debitor inuicem relata ſunt: multis autem ex cauſis debitor, ex totidem creditor cenſetur: ſiue ex empto, vel quouis alio contractu, imò ex delicto etiam ac populari actione, vt mox ſequitur.

XII. VLPIANVS lib. vj. ad Edictum.

SI CVI ex empto, vel ex locato, vel ex alio vllo debetur. Sed etſi ex delicto debeatur, mihi videtur poſſe creditoris loco accipi.

QVOD ſi ex populari cauſa, ante litis conteſtationem, rectè dicetur creditoris loco non eſſe, poſtea eſſe.

ALCIATVS.

SI CVI EX DELICTO. ¶ Id dubium erat, cùm delinquentis fidem ſequutus videri non poſſit creditor: tamen idem quod in cæteris cauſis eſt, quoniam delinquens videtur pœnę ſemet obligaſſe. Idémq; eſt in eo, cui quid ex legato fideiue commiſſo debeatur. nam heres adeundo illi promittere cenſetur. *l. apud Iul. §. fin. quib. ex cau. in poſſ. eat.* ¶ Propriè ergo creditores hi propter vſum auctoritatémque prudentium dicentur, quamuis huic ſignificationi legis fictio cauſam dederit. Hinc eſt, quòd hîc dicitur, creditoris loco eſſe: & alibi, legatum quaſi æs alienum ſolui. *l. 1. C. de bon. aut iud.* alibique lex non ſolùm creditoribus, ſed etiam legatariis prouidere ſe dicit. *l. fin. §. licentiam. C. de iure deliberand.*

Ex populari. ¶ Intellige in actione, qua principaliter iniuriam publicam, ſeu ius populi proſequimur. nam ante litem conteſtatam locupletiores non ſumus. *l. pe. ff. de pop. act.* nec fideiuſſor nobis obligatur, ſed ſi principaliter aliquis ſit læſus, puta quia violatum eius ſepulchrum, videtur etiam ante litis conteſtationem creditoris loco eſſe. *l. ſi quis pro. in fi. de fid.* quapropter & tunc procuratorem conſtituit *l. licet. de procurat.* & alius nemo admittitur, ſi ipſe agere velit. *l. 3. ff. de ſepulch. violat.* & hoc Accurſius probat.

BRECHÆVS.

SI CVI. ¶ Mihi ſanè viſum fuit ſemper hanc legem παραδειγματικῶς ſcriptam ab Vlpiano eſſe: vt ſcilicet aliis demum quàm ſuperioribus exemplis doceret, qui creditores dici deberent. Si cui (inquit) ex empto, vel ex locato, vel ex vllo alio debetur contractu. Hoc mehercule bona ratione dictum videtur. Nam quicunque fidem alienam ſequutus rem ſuam vendendam alteri credit, is cenſebitur creditor; ſicuti ſuperius docuimus. Si quis igitur rei emptæ precium emptori credit, præſtituta die, emptor ſiquidem efficitur debitor: conſequens erit, vt venditor, per relationem ad aliquid, creditor cenſeatur. Idem etiam de locato dicendum erit.

Ex populari cauſa. ¶ Actionem popularem intendens ante litis conteſtationem creditor minimè dicetur. Nondum enim eius intereſt, nec res agitur ſua. not. Ioan. And. *in addit. ad Specul. tit. de ceſſion. action. ad rub.* At verò ſtatim à lite conteſtata, cùm iam res priuati tractari incipiunt, & mulcta ipſi priuato actori addicitur, tunc creditoris ius nomenque obire aſſeremus cum Accurſ. *in l. ſi quis id quod. in verb. quingentorum aureorum. de iur. omn. iud. l. 3. de ſepulc. viol. Bal. in d. l. ſi quis id quod.* vbi ſcribit d. glo. eſſe not. Et hoc verum eſſe fatendum erit, niſi lex nominatis verbis aliud ſuaderet: vt cum promiſcuè & indiſtinctè Prætor dimidiam partem centum aureorum ex bonis damnati pollicetur ei: cuius opera diligentiáque reus peractus ſeu conuictus fuit delatus, ac reliquam mediam partem fiſco: ſicut habetur in *l. lege Cornelia. §. ex hoc edicto. ver. palam eſt. ff. ad Syllan.* idem ſentit Bartol. *in d. l. ſi quis id quod. §. in ſeruos.* Eſt text. ſecundum mentem Bart. *in l. 1. §. 1. ſi quis ius dic. non obtemp.* vide eundem Bart. *in l. agraria. de term. mot.* ¶ Cùm dicimus mulctam ἀδιαφόρως fiſco addici debere, hoc accipiendum eſt, ſi ea mulcta reo irrogaretur in gratiam eius qui iniuriam accepit: vt quia reus vim alicui intulit, ſeu fuſte, aut lapide ceciderit, aut damnum aliquod ipſi priuato attulerit, tunc quæ iniuriæ factæ nomine mulcta dicta fuerit, priuato quæri ſolet. Quæ videtur eſſe mens & opin. Accur. hic, *per l. in eum. & l. quicunque. de in ius voc.*

FORNERIVS.

SI CVI. ¶ Qui deliquit debitor eſt: è regione is cui damnum datur, aut fit iniuria creditoris loco habetur. Crimen, fraudem, delictum, malum contrahere dicimur. *l. 7. fraudati. ff. de publ. l. 15. poſt l. 31. donationes. ff. de donat. l. 52. ſi rerum. ff. de re iudic. l. 2. C. ad leg. Iul. de adult. l. 2. ff. de condict. ob turp. cauſ.* ¶ Et quoniam qui furtum, cædem, rapinámue faciunt, quique patiuntur, minimè conſentiunt: nec illi ſe obligandi, nec hi credendi animum habent: eleganter maleficia Ariſtoteles adactos contractus & inuoluntarios, ἀκούσια: ſpontaneos verò ἑκούσια συναλλάγματα nominauit. *lib. 5. ethic. cap. 2.* ¶ Sed hoc imprimis animaduertendum eſt Fiſcum reorum ex crimine creditorem in pœnæ perſecutione, in bonis damnatorum, cæteris poſtponi creditoribus. *titul. Cod. pœn. fiſcal. l. 37. quod placuit. ſuprà, de iur. fiſc.* Iul. Pollux *libr. viij. Onomaſtic.* Arpocration in ἐπίσκημμα. Tum illud, quæſitam ſemel contracto ſcelere actionem vix amitti: nec facilè pœnitentiâ delinquentis pœnam euitari. *l. penultim. ff. vt bon*

ff. vi bonor. rapt. Seneca *libr. iiij. controuerſia* 4. [Non teneor lege, quia, inquit, repoſui arma. Tam teneris herclè, quàm qui vulnerauit aliquem: quàm qui ſurripuit aliquid, licet deprehenſus reddiderit.] *l. 65. qui ea. ff. de furt. l. 64. cùm fructuarius. ſi l. ſeq. ff. de vſufr.*

Quod ſi. ¶ Popularia iudicia, interdicta & actiones populares ſunt, quarum executio ob publicam cauſam, non priuato tantùm, ſed cuiuis de populo competit. [Pupillari] pro [populari,] legiſſe videntur Græci, quippe qui, ὀρφανικὰς interpretantur. Sed mendioſè: δημοτικαὶ ἀγωγαί Zonaræ: quarum aliæ ſolùm populi ius, ac libertatem perſequuntur: aliæ cum priuatorum etiam vtilitate coniunguntur. ¶ Prioris generis pœna quinquaginta aureorum in eum, qui edictum Prætoris publicæ iuriſdictionis cauſa in albo propoſitum corruperit. *l. 7. ſi quis id. ff. de iuriſd.* Et interdicta ne quid in loco publico vel itinere fiat, vel in flumine, quo ſtatio deterior, iterue nauigatio fiat: Quolibet poſtulante de his interdicitur. *l. 1. de locis & itin. pub. l. 2. ne quid in loc. pub. l. vnic. ne quid in flum. pub.* Item leges agrariæ de finibus motis: cæteræque eiuſdem notæ, in quibus cùm præcipue ius populi & communis ciuium vtilitas ſpectetur. *l. 1. ff. de popul. act.* meritò in bonis noſtris non numerantur: neque qui eas habet locupletior eſſe intelligitur. *l. pen. eod. tit.* Ideoque quanuis pro actione furti & admiſſo in legem Aquiliam, quòd de priuati damno ſarciendo agatur, fideiuſſor accipi poſſit: Liceátque litigatoribus de omni controuerſia relicto iudicum tribunali, adire arbitros: diuerſa tamen popularium actionum ratio eſt: in quibus fideiuſſor non interuenit *l. 56. ſi quis pro. ff. de fideiuſſ.* nec arbiter ex compromiſſo ſumptus ſententiam dicere compellitur: Quia fauor publicæ cauſæ maiores iudices flagitat. *l. 32. non diſtinguemus. §. de liberali. ff. de arbit.* Idem ius eſt, quoties pietas, religio, & morum diſciplina vertitur. *l. 1. de ſuſp. tut. l. antep. ſi. ad Sc. Syllan. Nouell. 131.* [Si epiſcopus diſtulerit, &c. Licitum eſto Metropolitano exigere: Sed & cuiuis alij licentia erit, ea de re quæſtionem mouere, dare que operam, vt omnibus modis id genus piæ cauſæ exſequantur.] Apud Photium *tit. 13. c. 29.* Nomocan. fragmentum Nouellæ de aleatoribus extat, qua permittitur cuicunque volenti, aleâ amiſſum repetere, ἐπὶ γὰρ δ̓ιλοιπον ἀναλαμβάνειν, ὁ θέλων ἀπαιτεῖ. ¶ Poſterioris generis ſunt, cùm ita de publico agitur, vt & priuatum commodum defendatur: vt de via publica, vel vi (περὶ βίας δημοσίας) vel ſepulchro violato: Et tunc ab eo ad quem ea res pertinet, procuratorem dari nihil vetat. *l. 42. licet. l. 45. non cogendum. ff. de procur. l. 5. de popul. act.* Illud vtriuſque generis commune eſt, vt ſi de cæde, vulnere ſepulchro, deiecto vel effuſo, plures deſiderent agere: is præferatur cæteris, cuius maximè interſit, vel affinitate vel cognatione occiſum contingat: qui familiæ dignitatem tueatur, violatámque ſepulcrorum auitorum religionem vindicet. *l. 5. §. hæc autem. ff. de iis qui deiec. vel effud. l. 3. l. 6. ſepulcri. ff. de ſepulcr. viol.* Semper enim is cuius intereſt præferetur. *l. 3. ſi. ff. de popul. act.* ¶ Quinetiam delectus perſonarum habebitur: & (vt in accuſationibus inſtituendis aſſolet) prætor idoneiorem eliget ad agendum. *l. 2. de pop. act. l. 16. ſi plures. ff. de accuſ.* Quod iudicij genus græcis ἀνάκρισις, latinis [Diuinatio] vocabatur: quoties videlicet pluribus ad eandem accuſationem actionémue inſtituendam contendentibus, quis potiſſimùm admitteretur, ambigebatur: Fortunatianus *in Chriis*, Aſcon. Pædianus *in Verrin. Ciceron.* A. Gellius *lib. 2. c. 4.* Sed nonniſi integræ perſonæ, cuique per edictum poſtulare liceret, hæc actio permittebatur. *l. 4. de pop. act.* Et quia præmium actori, delatori, accuſatori proponebatur, quo plures ad eiuſmodi actiones inſtituendas, nec facilè deſerendas excitarentur: placuit neminem in populari actione, ante iudicium acceptum, creditorem intelligi: verſ. [ante litis conteſtationem] hic. Meritò Quoniam litis conteſtationis beneficio actionum conditio mutatur: pœnales tranſeunt ad heredes, temporales perpetuantur. *l. vlt. ff. de fideiuſ. & nom. tut. l. 9. nam. §. ſi is. ff. de iureiur. l. 58. ſciendum. ff. de ob. & action. §. pen. de perp. & temp. act. l. pen. C. de praeſcr. xxx. vel xl. ann. l. 139. omnes pœnales. l. 164. pœnalia. ff. tit. ſeq.* Melior fit conditio eius qui litem conteſtatur *l. 86. non ſolet. ff. tit. 1.* ne diligentia ſua ipſi actori noceat. *l. 8. in compenſationem. ff. de comp.* Itaque actiones pœnales lite conteſtata in bonis eſſe incipiunt. *l. 13. iniuriarum. de iniur.* ¶ Actio deniq; popularis ad priuati qui litem conteſtatus ſit, vtilitatem reducitur. vt hic. quia propter delationis præmium eius intereſt. *l. 3. de pop. act. l. 32. pœnales. ff. ad leg. Falc.* Vt ecce, Lege Cornelia pœna in centum aureos ex bonis defuncti oſtenditur: & inde partem dimidiam ei, cuius opera conuictus erit, præmij nomine ſe daturum Prætor pollicetur, partem in publicum redacturum. *l. antepen. ff. ad Sc. Syllan.* Lege Agraria pœna 50. aureorum in eos qui fineis mouiſſent, conſtituebatur: & eius actionem petitionem ei qui volet, eſſe iubebat *l. vlt. ff. de term. mot.* Ecquid de præmio? Lege Mamilia, Roſcia, Peducea, Fauia, Allena cautum fuit: vt ex hiſce reliquiis quæ apud auctores de limitib. agrorum ſuperſunt, perſpicitur, [Quotieſcunque fecerit H. S. dare damnas eſto pecuniæque, qui volet, petitio hac lege eſto. *& aliquantò poſt*, Eiuſque pecuniæ quod receptum erit, partem dimidiam ei, cuius vnius opera maximè is condemnatus erit: partem dimidiam in publicum redigito] *d. l. vlt.* ¶ Denique Attica lege, Si quis oleam lucri faciendi cauſa, effodiſſet: ærario in ſingulas oleas centum drachmas & Mineruæ decimam partem inferebat: Accuſatori verò qui reum detuliſſet ac damnaſſet, centum in ſingulas oleas drachmas pendebat, vt Demoſthenes, contra Macartatum ſcribit: Ὀφειλέτω δὲ καὶ τῷ ἰδιώτῃ τῷ ἐπεξελθόντι ἑκατὸν δραχμὰς καθ᾽ ἑκάστην ἐλαίαν.

§. j. MINVS ſoluit, qui tardius ſoluit: Nam & tempore minus ſoluitur.

ALCIATVS.

MINVS SOLVIT. ¶ Id eſt, ſoluere vult, Iacob. Bart. & Alber. interpretantur: nam ſi creditor (quamuis poſt tempus ſolutionem recepiſſet) non poſſet amplius illam acceſſionem, quę ex mora orta

ta orta eſt, petere. *l.4 C.depoſ.* Ipſe hanc expoſitionem non probo: quia quamuis creditor amplius petere non poſſit. non tamen ſequitur, quin minus ſit ſolutum, licet ideò non petat, quia recipiendo ſine proteſtatione videtur remiſiſſe. faciliterque remiſſio huius acceſſionis præſumitur, cùm non niſi iudicis officio debeatur. ¶ Quapropter ſi creditor nolit recipere, & debitor debitam ſummam ſine temporis acceſſione deponat, obſignétque, non liberatur: quod omnes hic probant. *l. obligatione. & ibi nota. C. de ſolut.*

Tempore. ¶ Eadem ratione dicitur etiam quis plus tempore petere, quando ante tempus petit, & propterea in pœnam duplicantur illi induciæ. *§. plus. de act. inſt.* ¶ Sed nunquid cùm vſuræ hodie omnino ſint prohibitæ, locum habeat hæc lex? etſi creditoris nihil interſit eſſe tardius ſolutum, vt quia non eſt mercator, nec qui propter hanc moram quicquam damni ſubiuerit, non procedere, mihi videtur verius.

BRECHÆVS.

MINVS SOLVIT. ¶ Vulgari paræmia ſolet dici, qui citò dat, bis dat. Et à Græcis χάρις βραδὺς ἄχαρις, vel ἁ χάρις ἁ βραδύνοισ᾽ ἄχαρις χάρις. Quod Auſonius his verſibus eſt imitatus.

Gratia quæ tarda eſt, ingrata eſt gratia: namque
Cùm fieri properat gratia, grata magis.

Et iterum idem Auſonius.

Si bene quid facias, facias citò: nam citò factum
Gratum erit: ingratum gratia tarda facit.

Et in Græcis Epigrammat. niſi mea me memoria fefellerit, in hæc verba ſcriptum arbitror.

Ὠκεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι· ἢν δὲ βραδύνῃ,
Πᾶσα χάρις ἄχαρις. &c.

¶ Qui igitur tardius, quàm oportet, ſoluit, is minus ſoluiſſe dicetur. Calliſtratus *in l. ſolidum. ff. de ſolutio. & libera.* ſolidum, inquit, non ſoluitur non minus quantitate quàm die. Quod enim ſtata præſtitutáq; die & tempore minimè ſoluit, tantundem attulit fraudis ſuo creditori. cuius maximè interfuit pecunia ſibi debita tandiu caruiſſe. Qua ratione qui minus tempore ſoluit, tenebitur dependere æſtimationem damni à creditore accepti, & quanti eius interfuit, ſecundum *not. in l. mora. de vſur.* Nam qui ex pecuniæ ſuæ vſu commercióque magnam ſolet rebus ſuis acceſſionem facere, & veluti pecuniam pecunia parere, ſeu multiplicare, fraudi ac captioni erit hoc illi, quòd debitam ſibi pecuniam à debitore nequeat impetrare. *not. in l. 1. C. de ſenten. quæ pro eo quod inter. profe. in l. 3. §. fin. de eo quod cer. loco.* eſt gloſſ. not. & tex. *in l. procurator. ff. rem rat. hab.* ¶ Accurſius hoc loco ſcribit minus ſoluere idem eſſe quod nihil ſoluere: quemadmodum videtur qui minus tribuere, etiamſi nihil omnino ab eo tributum ſit. *l. illud. §. ſi cuius dolo. de tribut. act. l. 1. §. hæc verba. ff. ſi cui plus quàm.* Bartol. *in l. ſi ſeruus. §. ſi ita. de lega. 1.* itaque qui debitum creditori ſuo minus tempore non exoluerit, is dicetur debitum non ſoluiſſe. Sed quorſum hæc? Nempe vt dicamus debitorem qui ad diem non ſoluit, pendere debere, id quanti creditoris interfuerit pecunia ſua tanto tempore caruiſſe. ¶ Quid autem ſi venditor rem non tradat, ſe tradere ſe paratum profiteatur, emptor verò precij moratur ſolutionem, tenebitúrne emptor ad vſuras ipſi venditori præſtandas? Et non teneri certiſſimum eſt: vt quia res vendita, tradita illi non fuerit, nec ea vti frui licuerit. ¶ Atqui quandocunque eſt iure cautum emptorem rei venditæ precium ſoluere denegantem, aut moratum, ad vſuras teneri, id quidem accipiendum cenſent doct. omnes poſt rem traditam, ac nominatim à die traditionis. *l. libertates. §. 1. de vſuris. l. ſecunda. C. eodem. l. Iulianus. §. offerri. de actione empt. l. euictis. §. poſt traditam. de euict. l. curabit. C. de act. empt.* Iam verò qui minus quàm iuſto precio rem emit à venditore egeno, atque etiam à diuerſo. qui propter emptoris inopiam ſupra iuſtum rei precium vendidit, non eſt ſine fœnoris ſuſpicione, ſed & arguendus erit ac criminandus. Quod ipſum vide diffuſius apud Carolum Molinæum *in tractatu de vſuris num. 416. & ſeq.*

FORNERIVS.

MINVS. ¶ Maxima in temporis ratione plerunque vtilitas vertitur: Plus debet, qui purè, quàm qui in diem debet: pro reo ſub conditione in diémue, purè acceptus fideiuſſor in duriorem cauſam accedere intelligitur. *§. fideiuſſores, ver.* [non ſolum.] *de fideiuſ. Inſt. l. 8. græcè. §. illud. ver.* [item accepto.] *ī. de fideic.* Vti enim qui ante diem ſoluit, plus quàm debet, præſtat. *l. 15. Iabolenus. de ann. leg.* Quique præmaturè petit. plus petere dicitur *l. vn. C. de plus pet. §. plus. de act. inſt.* Ita qui tardius ſoluit, ὁ βραδύτερον καταβάλλων minus ſoluit: id eſt interdum nihil. *l. 32. minus. ī. h. t.* Solidum non re aut quantitate, ſed tempore quoque ſolui. nec quandiu qui quod deſideretur ſupereſt, intelligitur. *l. 27. etiam. l. 85. ſolidum. ī. de ſol.* ¶ Quod tum in fideiuſſionibus, quibus non debet acceſſionis, quàm rei prototypi durior eſſe conditio, obſeruabitur. *l. 8. græcè. §. illud. ī. de fideiuſſ. §. pen. inſt. eo. tit.* Tum in iis obligationibus, quibus ſolidum ſolui oportet. *l. 3. C. locat. dicemus. ī. h. t. d. l. 32.* ¶ Denique, in mora debitoris, medij temporis interuſurium creditor conſequetur: Interuallo enim ſpatij, minor fit quantitas. *l. 66. circa. ad leg. Falcid. l. 9. ſed ſi damnum. ī. de pecul. l. 82. debitor. de leg. 2.* ¶ Dies eſt pars obligationis. Accurſ. *l. 8. cum hi. ī. de tranſ.* Claudianus.

------ Omne futurum
Deſpicitur, ſuadéntque ſibi præſentia fructum.

XIII. IDEM lib. vij. ad Edictum.

MVLIERIS appellatione etiam virgo viripotens continetur.

ALCIATVS.

MVLIERIS viri potens. ¶ Et hoc ſi verba propriè accipiantur, alioquin ex lata interpretatione etiam non viri potens mulier eſt, nimirum quia muliebris eſt ſexus: nec etymologia repugnat, cùm à mollitie dicatur, vt Varro, & Lactantius aiunt. *l. argumento. §. muliebria. ff. de aur. & argen. legat.* ¶ Sanè ſi fœminam empturo venditor dixerit non eſſe mulierem, de corrupta intelligemus. *l. alioquin. de contrahen. emp.* nec enim de ſexu veriſimile eſt tunc fuiſſe dubitatum. *l. quaritur. §. mulierem. de ædil.* Et M. Cicero, cùm obiurgaretur, quòd virginem ſenex vxorem duxiſſet, cras, inquit, mulierem reddam.

BRECHÆVS.

MVLIERIS. ¶ Lactantius Firmianus in libro de *opificio Dei, cap. 12.* mulierem à mollicie dici exiſtimat. Mulier (inquit) vt Varro interpretatur, à mollicie dicta eſt, veluti mollier detracta mutatáque litera. Quæ etiam opinio fuit M. Varronis in *libro de lingua Latina:* quemadmodum Cicero, virtutem à viro dictam contendit. Mulier à Græcis γυνὴ παρὰ τὸ γῶ, ἢ παρὰ τὸ γείνω γίνεται γονή. vnde Plato exiſtimat γυνὴ quaſi γονὴ dici, quòd in ea generetur ſemen & fœtus hominis, mutata æolicè, υ, in, ο, vt eſt in Ætymologico. ¶ Qua ratione mulieris appellatione generali, non tantùm corrupta & quæ iam nupſit mulier, intelligitur, ſed & etiam virgo annorum duodecim, quo tempore viripotens cenſetur eſſe: vt *institut. ciuilibus quibus modis tuto. fi. ad princ.* ſi quis igitur legauerit muliebrem veſtem non corruptæ mulieris ſolùm, ſed & puellæ: & virginis legatam veſtem Vlpianus ſcribit. *l. argumento. §. mulieri. de auro & argento legato. & l. ſeruis legatis. §. mulieribus. de leg. 3.* ¶ Terentius in *Adelphis Actu 4. Scæn. 5.* virginem pro muliere ἀρχαϊσμῷ dixit Donato teſte. Virgo (inquit) eſt cum matre. Et idem paulò poſt. *actu 4. Scæn. 7.* Virginem vocauit, quæ etiam cum viro fuit. Illinc (ait) huc transfertur virgo, hìc virginẽ (vt author eſt Donatus) pro muliere corrupta poſuit, vt apud Virgilium, Ah virgo infœlix, &c. Sic Athenis Erechthæi Regis filias Cicero lib. 5. de finibus bonorum & malorum per quandam exochen παρθένους, hoc eſt, virgines appellatas fuiſſe ſcribit, quæ pro patriæ ſalute mortem feruntur contempſiſſe. Hæ inquam virgines Hyacinthides cognominabantur, quæ quidem numero ſex fuêre: Protogenia ſcilicet, Pandora, Procris, Creuſa, Orithya, Chthonia, & quamuis virgines appellatæ ſint, non abſtinuêre tamen virorum concubitu. Nam fabulãtur quidam Iouem ex Apolline & Creuſa genitum. Mineruam etiam antiqui virginis vocabulo ſignificari volebant. Sæpius tamen pro nupta muliere vſurpamus. Cicero in Topicis, vbi de differentia tractat. Eiua (inquit) generis hęc ſunt, non quemadmodum quod mulieri debeas, rectè ipſi mulieri ſine tutore authore ſoluas: ita quod pupillo aut pupillæ debeas, rectè poſſis eodẽ modo ſoluere. Quippe etiam ſexcentis aliis in locis ipſe Cicero, ac reliqui probatiſſimi authores Latinæ linguæ, mulieres pro meretricibus acceperunt. Saluſtius in Iugurtha. Quum interim (inquit) Hiempſal reperitur occultans ſe in tugurio mulieris ancillæ, quò initio pauidus & ignarus loci profugerat. ¶ Iam verò in ſtatutis, quæ ad propriam tantùm verbi ſignificationem referri debent, mulieris appellatione, de muliere nupta corruptáque, non de virgine intelligi debet: *vt l. ſcribit Quintus. ad princip. de auro & argento legato, in verb. mulieri nõ debetur:* niſi forſan alicui indiuiduo adiiciatur. Vt ſi teſtatur dixerit, Mulierem Seiam do, lego: quæ quidem Seia ſit virgo.

FORNERIVS.

MVLIERIS. ¶ Virgo viripotens, quæ exceſſit pubertatem, ἰσαχμος, ἴσανδρος vetere gloſſario, vel vt Græci hic vertunt, ἴσηλιξ παρθένος, mulieris nomine ſignificatur. Virgo autem quaſi viragos ¶ Fulgentius epiſt. 3. *ad Probam, de virginitate.* [Virginis, inquit, ſi quis velit diligenter conſiderare vocabulum etiam ad mulierem pertinere inueniet.] Varro *lib. 11. de re ruſtica, cap. 10.* [in Illyrico, inquit, Virgines ibi appellant nonumquam viginti annorum: Quibus mos eorum non denegauit, vt ante tempus nuptiarum ſuccumberent, quib. vellent: & incomitatis vagari liceret, & filios habere.] Seruius in illud Virgilianum. *eclog. 6.* [Ah virgo infœlix tu nunc in montibus erras.] Paſiphaen quę tres ſuſtulerat liberos virginem vocat. [Virgo] inquit à viridiore ętate. Nam iam mater fuerat Phędrę, Ariadnes & Androgęi. D. Auguſtinus *lib. de conſenſu Euangeliſtarum cap. 28. & in Matthæi cap. 9.* Duodecim annorum puellam mulierem appellat, Hebræo more. [Nam & aliis, inquit, ſcripturarum locis hoc inuenitur, Non eas tantum quæ virum paſſæ fuerant, ſed etiam fœminas intactas & integras mulieres appellari.] ¶ Veruntamen ab ea ſignificatione vulgi vſu receſſum eſt: nempe vt Virgo pro muliere incorrupta diceretur. *l. 2. ex empto. §. ſi quis virginem. ſ. de act. empt. l. 14. quaritur. §. mulierem. de æd. ed.* D. Hieronymus illud Oſeæ. [Sponſabo te mihi, exponens. Vide, inquit, quid interſit inter Dei coniunctionem & hominum. Homo cum vxorem accipit, de virgine mulierem facit. Deus etiam meretricibus copulatus mutat eas in virgines.] Virgo igitur corruptæ mulieri opponitur. *l. 11. alioquin. ſ. de con. em.* Gręci τὴν παρθένον, eam quę non ſit virum paſſa definiunt: Νύμφην verò quæ experta quidem, at ex eo non deperit: γυναῖκα autem quæ peperit: Sed χαλῶ, effœtam, quæ iam parere deſierit. Thezea *in Lycophronis Caſſandram.* Cleobulos *apud Diog. Laertium lib. 1.* cenſebat filias nuptui locari oportere ętate Virgines, ſed prudentia mulieres: δεῖν συνοικίζειν τὰς θυγατέρας παρθένους μὲν τὴν ἡλικίαν, τῷ φρονεῖν δὲ γυναῖκας. Euſtathius *Vliſſea lib. 1.* tradit, τὴν παρθένον deduci à παρὰ & θεῖναι, quod admotum vberibus infantem lactare nequeat, παρθένος ἡ ἐστερημένη τοῦ δύνασθαι θηλάζειν δυνᾶσθαι εἰς παλαιοί. [Maximum enim ac præcipuum munus fœminarum eſt, inquit Vlpianus, accipere ac tueri partum.] *l. 14. quaritur. ſ. de æd. ed.* Nec abludit Etymologici auctor, γυνὴ γὰρ παρὰ τὸ γῶ. Id eſt, λαμ-

βανει

ζώνη κ̓ δίζομαι. Vel γυνὴ Æolica ε in υ mutatione quaſi γονή: ἡ τῶ σπέρματος ὑποδεκτική. Vnde reiicitur inſerta nuptiis contrahendis eiuſmodi conditio, SI LIBERI NON NASCANTVR. *c.vlt.extr.de cond.appoſ.* D.Auguſtinus, *de bono coniugali cap.* 7. *& lib.*19.*contra Fauſtum.* & ob frigus ac ſterilitatem nuptias diſſolui nemo neſcit:& male audiiſſe mulieres ſteriles,tanquam meretrices,quaſi libidinis cauſa malis veneni abortiuo procurarent. Virgo non appellatur,quæ viro coniuncta eſt. Epiphanius contra *hæreſes lib.*1.*tom.*2. Theodoretus *in Hierem. cap.*18. & à muliere diſtinguitur, ac pluris fit. *l.*15. *item apud.*§.*ſi quis virgines.*ff. *de iniur.l.*61.*dote.l.*63.*præfectus.*ff. *de ritu nupt.* Lucilius ni fallor,apud Nonium, [Virgo ſum,non didici verba nupta dicere.] Sed quod ad ſexum attinet,mulieris appellatione,etiam virgo continetur,vt hic & *l.*25.*argento.*§.*muliebri.*ff.*de aur.& arg.leg.d.l.*2.*alioquin.* Non committam vt tacitus hoc loco præteream,clauſtrum pudicitiæ,& ſignatas virgines olim dici ſolere. Non.Marcellus illud ex Lucilio proferens, [Primum Chryſcum negat ſignatam reddere,] Signatam,inquit, integram virginem vetuſtas voluit dicere.Apud Horatium veteres gloſſularij *lib.*2.*Epiſt.*legunt.[Signo læſæ non inſanire Lacæne:] Itaque interpretatur: [ſigno læſo] id eſt,violata virginitate. Quo ſenſu Nonnus *ἄψαυστον σφραγῖδα*,illibatum,intactum ſignum dixiſſe videtur,*lib.*2.*Dionyſiacῶν.*

χεῖλος δ' ἱερὸν ἄρνες, ἀκινδύνῳ δ' ἱερμὸς ἑρμῆς,
λυσαμένη δ' ἄψαυστον ἑῆς σφραγῖδα κορείης.

¶ Et quia nuptias non concubitus,ſed conſenſus facit *l.*15.*ſi cui.de cond.& dem.* fieri poteſt vt aliqua virgo & dotem & de dote habeat actionem, veluti ſi nupta & intacta adhuc virum abſentem amiſerit. *l.*6.*denique.l.ſeq.*ff.*de ritu nupt.* Non enim coitus matrimonium facit, ſed maritalis affectio. *l.*32. *cùm hic.*§.*ſi mulier.*ff.*de ritu nupt.*

§.j. RES abeſſe videntur, vt Sabinus ait, & Pedius probat, etiam eæ quarum corpus manet, & forma mutata eſt. Et ideò ſi corruptæ redditæ ſint, vel transfiguratæ,videri abeſſe:Quoniam plerunque plus eſt in manus pretio, quàm in re.

ALCIATVS.

RES ABESSE. ¶ Et propterea non videtur exhiberi, quod mutata forma, exhibetur, *l.Iul.*§.*ſi quis.*ff.*ad exhib.*nec commodatam,depoſitúmue reddi,niſi in eadem cauſa reddatur.*l.*3.§ *ſi reddita.*ff.*commod.*

Forma. ¶ Ex forma enim res ipſa nomen aſſumit.Quapropter & vbi ea deeſt,rei quoque nomen deficit, niſi quid minimum de forma mutatum proponatur. *l.*1.*in fin.*ff.*de vent.inſp.* ¶ Sane materia, ſubſtantia,forma, ſolennitas, ſimul differunt. Materia eſt vnde quid conficitur, vt in ſcypho metallum,in contractu conſenſus.Subſtantia eſt,per quam materia in certam ſpeciem deducitur, vt in vaſis vel veſtibus artificium, in emptionis contractu pretium. Forma eſt, quæ certæ illi ſpeciei nomen dat. In iuribus verò pro forma id requiri dicitur,quod ordinem reſpicit,vt in ſtipulatione quod præcedat interrogatio, incontinenti reſponſio ſequatur. *Bald.in c.*1.*de no.forma fidelit.* Solennitas actui perfecto extrinſecus accedit,vt authoritas tutoris in pupillorum agnati conſenſus in mulierum contractibus.Promiſcuè tamen hæc doct.quandoque accipiunt. *l.in venditionibus.de contrahend.emption.* ſubſtantiaq; generaliter definitur, quæ ad rei eſſentiam neceſſariò requiritur:quapropter materiam, formam,ſolennitatémque comprehendit.

Videri abeſſe. ¶ Et propterea res ipſa rurſus ſimpliciter petetur, tanquam ſi nihil reſtitutum ſit. *l.etiam.*ff.*de ſol.*Secus ſi ideo petatur,quia aliquid illi extrinſecus deſit: puta cùm quis dedit fundum, nec de euictione cauit. non enim ſimpliciter fundum petet,ſed addita cauſa, vt de euictione caueatur.*l.Iulianus.*§.1.ff.*de verb.oblig.*

In manus pretio,id eſt,artis. Verg.

Artificúmque manus inter ſe,operúmque labores
Miratur.

Iulius Solinus: Ea ædes manus Dædali oſtendebat. ¶ Sed quid, ſi per huiuſmodi mutationem res facta ſit pretioſior? Et ratio Iuriſconſulti oſtendit tunc rem non abeſſe: non poterit tamen is qui reſtituit expenſas repetere. §.*ſi quis in aliena.Inſtit.de rer.diuiſ.*quia ſibi non licuit in re, quam alienam ſciebat, eſſe tam ingenioſum.

BRECHÆVS.

RES ABESSE. ¶ Si quis aduerſum te ad exhibendum actione experiri conatur, exceptione ſummouere poteris,quòd ſcilicet,ea res quam exhiberi à te petit,tibi abeſt.Nemo enim id quod apud ſe non eſt,quódque dolo non deſiit habere, exhibere tenebitur. Qua ratione,& ſi vas eleganti artificis celatum manu & emblemmate circumtectum, tandem conflatum ſit,& forma in maſſam mutata, ac veluti in aliud corpus tranſlata, abeſſe videbitur. Si quis autem eam maſſam exhibeat,rem ipſam ſeu vas ipſum minimè exhibuerit. ¶ Mutatâ enim formâ, propè interimi ſubſtantiam rei Marcellus ſcribit *l.Iulianus.*§.*ſi quis rem ad exhib.* ¶ Sic quoque res legata abeſſe cẽſebitur, quæ in ſua ſpecie non permanſerit, ſed vel eius forma perierit,vel mutata ſit. Vt cùm Titius ſcyphos argenteos Seio legauit,poſteà verò eoſdem in aliam formam mutauit,vel auro ac gemmis circumtextos precioſiores effecit, tunc ſcyphi illi abeſſe dicuntur, nec eos præſtare legatario tenebitur Titij hæres. Cùm enim in ſua ſpecie non permanſerit, quod teſtamento dabatur,& id quodam modo extinctum ſit,videtur etiam diſſolutione tali,voluntas teſtatoris diſſoluta permutatáque,*l.Seia.de aur.*

& arg

& arg. leg. l. item legato. §. penult. de legat. 3. Idem qooque dicas in re commodata, qoæ deterior reddita ſit. Sic nanqoe propriè non dicetur reddita. *l. ſed mihi. §. ſi reddita. ff. commod. & l. 1. §. ſi res. ff. depoſiti.* ¶ Quæ igitur res ſunt corruptæ vel transfiguratæ, ita vt artificis opera perierit, & deſtructa ſit, & materia ſioe forma figuráqoe reddita, eam quidem videri abeſſe Vlpianus hîc cenſet: quooiam (inquit) plerunque plus eſt in manos precio, quàm in re: id eſt, ſæpe fit vt artificia opus, materiam ipſam precio longè ſuperet: ſicut de Regia Solis, Ouidius *lib. 2. Metamorph.* dicit his verbis:

Regia Solis erat ſublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flammaſq; imitante Pyropo.
Cuius ebur nitidum faſtigia ſumma tegebat.
Argenti bifores radiabant lumine valua:
Materiam ſuperabat opus. Nam Mulciber illic
Æquora cælarat medias cingentia terras.

¶ Optima ſiqoidem ratione hîc cenſet Vlpianos videri eam rem abeſſe, cuius fórma corrupta vel mutata ſit, quòd plerunque plus ſit io manus & artificij precio poſitum, quàm in re, id eſt, materia, ex qua forma & figura, artificis manu celata fabricatáque eſt. ¶ Nam hoc loco, Maoum, pro arte, artificióve artificis poſuit Vlpiaous: idque μετωνυμικῶς: vt cùm pro regno, ſceptrum dicimus: ſignum, pro ſignato: Cererem, pro paoe: togam, pro pace. Hic eſt Agous Dei, id eſt, victima. Quæ ſanè potiùs ἀλληγορία eſt. Vt cùm Iuriſcoofultus gladiú dixit pro iure animaduertendi in facinoroſos homines. Quod *in Commentariis noſtris ad conſuetudines Turonenſes* ſumus aliquando perſequuti. Sic & in ſacris literis manos Dei Patris Filius eius accipitur, eò quòd per ipſum omnia facta ſunt. Aliter verò (ait beatus Hieronymus in tractatu *de eſſentia Trinitatis*) poteſtas Dei intelligitur. De qua quidem poteſtate eſt apud Hieremiam *cap.* 18. ſcriptom bis verbis: Sicut lutum in manu figuli, ita vos io manu mea domus Iſraël. Propteteà κατὰ λόγον nec ſine ratione hîc Vlpianus, manum, pro artificis & operarij ipſius artificio vſurpaſſe videtur per μετωνυμίαν aut ἀλληγορίαν, quoniam manuum ipſarum miniſterio perficiuntur opera omoia ingenio quantumlibet arguto excogitata atque adinuenta. Rectè igitur commentatos eſt, qui rationis ac ſapientiæ miniſtras manus appellauit. Quid enim manus non efficiant, vt eſt in Græco prouerbio; τί δ' ἔστι χεῖρες ὧν ἂν ἐργασαίατο; ¶ Vnde fit vt Chirurgia non modò eam medicinæ partem, quæ manuom operationem reſpicit, ſignificet, ſed & reliquarum omnium artium tractationem. Quapropter apud Anaxandriden (vt autbor eſt Athenæus) ζωγραφία καλὴ χειρουργία dicitur. Manos quæ à Græcis χείρ, ἐλλιπτικῶς ἐτυμολογεῖται παρὰ τὸ ῥᾶον χεῖσθαι, ἢ διὰ χρηῖσθαι, ἢ διὰ χέειν. apod Etymologiæ autorem. dicitur & παρὰ τὸ ἔχειν τὸ κράτος, propterea quòd ipſa manu faciliùs & capiamus, & teneamus. Sed noſtri à manando manus dictas volunt: ideò quòd à brachiis manare videantur, vel qoòd ex his manent digiti. Sed magis propria videtur Græcorum & ſignificatio & etymologia: quoniam eas manus oatura corpori humano effinxit ac coaptauit, quibus ad capiendum, tenendúmque vteremur. Vnde apod nos manus aliquando & μεταφορικῶς vſurpantur pro harpagonibus ferreis, quibus committuntur & retinentur oaues, vbi vtrinque confligendum eſt. Cæſar *lib. 1. Comment. de bel. ciuili.* Erat (inquit) multò inferior nomero nauium Brutus, ſed electos ex omnibus legiooibus fortiſſimos viros, Anteſignanos, Centurioo es, Cæſar ei claſſi attribuerat, qui ſibi id muneris depopoſcerant: hi manus ferreas atque barpagones parauerant, magnóque numero pilorum, tragularum, reliquorúmque telorum ſe inſtruxerant. ¶ Multas quoque alias ſignificationes manus habet, quas Grammaticis diſcutiendas ounc relinquimus. Sufficiet enim eam, quæ ad rem pertinet, ſignificationem tractare. Non abs re igitur Vlpianus hic contendit eam rem abeſſe videri, cuius corpus manet, forma mutata: forma ioquam vel ſubſtaotiali, vel materiali. Subſtantialis enim forma eſt quæ rei ipſi eſſentiam præſtat, háncque perficit. *d. l. Iulianus. §. ſi quis rem. ad exhibendum.* Dicitur autem forma ſubſtantialis mutari, quandocunque immutatur formæ ipſius ſubſtantia: veluti ſi ex calce & arena cæmentum fiat: aut ex vino & melle, mulſum, & melicraton: aut ex auro & argento, electrum: id eſt, (vt Plinius *lib. 33. cap. 4.* ait) vbicunque quinta argenti portio eſt. Quo quidem electro, ære, auro, argento, & ebore Meoelai Regiam vt Iouis iotus olympij aulam fulgere tradit Homerus *libro Odyſſ. quarto.*

Φράζεο Νεστορίδη τῷ ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ
Χαλκοῦ τε στεροπὴν κὰδ δώματα ἠχήεντα
Χρυσοῦ τ' ἠλέκτρου, καὶ ἀργύρου ἠδ' ἐλέφαντος
Ζηνός που τοιήδε γ' Ὀλυμπίου ἔνδοθεν αὐλή.

¶ Qua quidem ratione liquet lapſum Accurſium in §. *ſed ſi diuerſæ. Inſtitut. de rerum diuiſ.* quo loco arbitratus eſt electrum eſſe geoos vaſis: perperam quoque intellexiſſe *l. pediculis. §. Neratius. de auro & argento legato.* De forma triplici aliquid diximus in ooſtris Aphoriſmis Iuriſprud. ¶ Ego ſanè conuenire nequeo cum his qui exiſtimant formam ſubſtantialem & materialem diuerſa eſſe. Nihil eſt enim aliud materia, quàm ipſius rei ſubſtantia, ex qoa forma fit. Vt lapides, ligna, calx, arena: materia ex qua domus fabricatur. Aurum, argentum, materia ex qua vas, aut ſtatua ioformatione efficitur. Eſt autem ipſa materia, ſubſtantia formæ, id eſt, ex qua forma ipſa ſubſiſtit. Niſi ſubſtantiam pro ipſa natora & rerum priocipiis forſitan accipias: vt M. Cicero, qui (vt teſtis eſt D. Budæus) nonquam ſubſtantiæ verbum vſurpauit: ſed pro eo, naturam dixit. ¶ Eam Græci modò ὑπόστασιν modò οὐσίαν vocant: aliquando tamen vtrunque pro eodem accipiont: vt ſubſtantia, & eſſentia apud Latinos. ¶ Horum autē duorū verborū differentiā tradit Damaſcenus poſt Baſiliū, dicēs aliud eſſe οὐσίαν, aliud itē ὑπόστασιν. οὐσία μὲν, τὸ κοινὸν, καὶ περιληπτικὸν εἶδος τῶν ὁμοειδῶν ὑποστάσεων σημαίνει, οἷον θεὸς, ἄνθρωπος. ἡ δὲ ὑπόστασις

ἄθμον δηλοῖ: ὡς πατέρα, υἱὸν, πνεῦμα ἅγιον, πέτρον, παῦλον. Οὐσία (inquit) ſpeciem ac formam ſignificat, quæ hypoſtaſeis ſeu perſonas forma ſimiles vnà comprehendit: vt Deus, homo. ὑπόστασις autem indiuiduum: vt Pater, Filius, Spiritus ſanctus. Nam Theologi in diuinitate vnam ſubſtantiam naturámq; ponunt, & treis hypoſtaſeis. Quo loco hypoſtaſeis perſonas indiuiduas intelligũt, Græci quoq; οὐσίαν, quemadmodum & nos aliquando ſubſtantiam, pro patrimonio vſurpant. Vt apud D. Lucam *in Euangelio c.15.* πάτερ, δός μοι τὸ ἐπιβάλλον μέρος τῆς οὐσίας. Pater, da mihi eam ſubſtãtiæ ſeu patrimonij partem quæ mihi obuenit. Et paulò pòſt. καὶ ἐκεῖ διεσκόρπισε τὴν οὐσίαν αὐτοῦ ζῶν ἀσώτως. Sic Demoſth. *in Orat. aduerſ. Leocharem.* ἐνεργαζόμενοι καὶ ἐμποιούμενοι τῇ τοῦ ἀρχιάδου οὐσίᾳ. id eſt, ex patrimonio Archiadæ alimenta fructúſq; percipiẽtes perpetuos. Iam verò ſubſtantiã hoc loco accipio, pro eo ſcilicet quod à Græcis ὕλη dicitur, id eſt, materia, ex qua, ſubſtantiæ ratio, ſeu forma conſtat. ¶Quandocunque igitur vas aureum, vel argenteum, excellenti arte fabrefactũ, furſum fuerit & in maſſam redactum, quoniam forma, id eſt, precioſa illa ars cęlaturæ aut emblematis corrupta eſt, fuſo illo ære precioſo, dicitur ea res abeſſe. Quandoquidẽ vaſis materia, id eſt, argenti aurīq; ſubſtantia ex qua forma, videlicet cælatura & emblemata vaſis informata ſunt, confuſa, neceſſe fuit formam corrumpi: vt quæ antea vas aureum vel argenteum diceretur, confuſa quidem, rudis maſſa & materia iterum appellanda ſit. Idem quoq; ſi mutabitur forma: veluti ſi ex vaſe aureo, Herculis Gallici aut Diui alicuius ſtatua conflata cælatáve ſit. Tunc etiam res, id eſt, vas ipſum aureum dicetur abeſſe: vt quia transfiguratum ſit, & in aliam formam mutatum. Etenim quamuis eadem ſit materia ſeu maſſa aurea ex qua quidem vas antea factum, poſtea verò in ſtatuam herculeam cõflatum, nihilominus tamen vas aureum exhiberi non poterit. Et ſic abeſſe cenſebitur. Quoniam plus eſt in manus precio, quàm in re, id eſt, plus precij in arte quàm in ære. Precia nanque rerum huiuſcemodi, non ex materia, ſed ex precio artis ſtatuebantur olim, vt tradit Budæus *lib.2. de aſſe.* inde illud Plinij dictum, *lib.34.* Quondam (inquit) æs confuſè auro argentóq; miſcebatur: & tamen ars precioſior erat. Per multa quidem, atque ea elegantiſſima in hanc rem ſcribit Franc. Coonanus *lib.3. Comment. iur. ciuil. cap.6.* vbi tractat, quomodo res acceſſione quærantur.

Fornerivs.

Res abesse. ¶ Solent in quaque re duo præcipuè ſpectari, corpus & ſpecies, ſeu materia & forma: Vtriuſque æſtimatio conſiderari, ſed figuræ potiorem haberi cauſam Vlpianus ait, ſcholam Sabinianorum ſequutus: Quos plus formæ, quàm materiæ tribuiſſe, vel ex notata à Iuſtiniano Proculianorum & Sabinianorum diſſenſione arguitur. *§. cum ex aliena. de rer. diuiſ.* ¶Cuius etiamnum aliquot ſuperſunt veſtigia in *l. ſeq. 14. Labeo. ꝟ. h. t. sum l.9. qua ratione. ꝟ. de acq. rer. dom. l.20. in rem. §. ſed & id quod. ꝟ. de rei vind.* Ait, [Corpus manet, ſed forma mutata eſt.] ¶ Rei mutatione rea quodãmodò interit, detracta forma: quæ dat eſſe rei. *l.5. ꝟ. quib. mod. vſuſf. amit.* Lucret. *de rer. natur. lib.11.*

Nam quodcunque ſuis mutatum finibus exit,
Continuò hoc mors eſt, illius quod fuit antè.

¶Transfiguratum non idem cenſetur: Veluti linea vnionum legata, & in aliam mutata formam, diſſolutáve, poſteà eadem ſi veſti inſuatur vel detrahatur, legatum extinguitur. *l.6. Seia, de aur. & arg. leg.* Si ex ſcypho maſſa fiat, quanquam maſſam exhibeas, quia in aliud corpus res tranſlata eſt, ad exhibendum teneberis. [Nam mutata forma propè interimit ſubſtantiam rei.] *l.9. Iulianus. §. ſi quis rem. ꝟ. ad exhib.* [propè,] quia quum totum mutatur, nec quidquã quod ſub ſenſum cadat, manet, verè perimitur. Ariſtot. *lib.1. de ortu & interitu c.4.* Verumtamen formæ ademptio efficit, vt res minus eadem exiſtimetur: vnde accidit vſumfructum extingui. *d. l.5. repeti. §. rei. l.10. quid tamen. ꝟ. quib. mod. vſuſf. amitt.* Imò etiam ſi ſcyphorum vſusfructus legetur, deinde in maſſam cõflentur: ac iterũ ſcyphi fiant, licet priſtina ſcyphorum qualitas reſtituatur, non tamen illi ſunt, quorum vſusfructus legatus eſt. *l.36. qui vſumfructum. ꝟ. de vſufr.* Non modò ſi res corrumpatur deteriórve fiat. *l.3. §. ſi reddita. ꝟ. comm. l.33. qui ſibi. ꝟ. de ſolut.* Verumetiam ſi, quod fortè mireris, mutetur in meliorem ſtatum: Nam hoc ipſo eadem eſſe deſinit. *§. huic. Inſt. de act.* Nec enim fructuario permittitur ædes ampliare, nec vtile deponere, quamuis melius repoſiturus ſit: nec tectorium imponendo parietibus excolendo ædificium, meliorem domini cauſam facere. *l.7. vſufr. in fi. l. ſeq. l.36. qui vſumfr. l.44. vſufructuarius nouum. ꝟ. de vſuf.* E conuerſo domino proprietatis vſuarię rei ſpeciem cõmutare ius non eſt. [Fieret enim (inquit Paulus) vſuarij cauſa deterior, etiam in meliorem ſtatum commutata.] *l. vlt. de vſu & hab.* ¶ Quid? quod ſeruus libertate donatus, propter ſtatus mutationẽ, non idem, ſed alius quodãmodo homo videatur? *l.27. ſeruus. ꝟ. de adim. leg. l.98. qui res. §. aream. ꝟ. de ſolut.* Quaſi manumiſſio morti cõparetur. *l.46. inter. ꝟ. de furt. l. pen. C. ad Sc. Vellcian.* [Quoniam] ¶Rectè ſic non, vt quidam admonuit, [quanquam] reponendum cenſeo. Ætiologia eſt, ducta ex ſchola Sabinianorum: qui pluris formam faciebant: Plúſque eſſe in manipretio, & artificis induſtria, quàm ipſa materia ſtatuebant. Cenſorinus initio *lib. de die natali ad Q. Carellium.* [Munera ex auro, vel quæ ex argẽto nitent, cœlato opere, quã materia cariora.] Ouidius regiam Solis deſcribẽs, [materiam, inquit, ſuperabat opus.] Pacatus Panegyr. Theodoſio de artificum operibus, [Hęc ebore, inquit, reddantur, hęc marmore, hęc in coloribus viuant, hæc in ære moueantur, hæc gemmis augeant pretium.] ¶Manuſpretium, an manipretium legas, parũ referre arbitror, cum vtrumque vſurpetur. Cicero *in Piſonem & in Verrem. l. ſi inſulam. §. qui adem. ꝟ. loc.* expoitúrq; in vetere gloſſario, χειροδόσιον, & χειρῶν μισθὸς, *la façon, l'ouurage.* Victruuius *lib.9. c.3.* auream coronam votiuam ponendam manipretio locauit faciendam, & aurum ad ſacomam appendit redemptori: Sic enim emendo, quod vulgò corruptum, [immani pretio:] pro [manipretio.] Sed eadem obiter opera quid vetat mendum ab eodem auctore tollere? *lib.6. c.2.* [ad manum ſpecies eſſe videtur:] pro [ad manum adſpicere.] Sic ipſe idem locutus Proœmio *lib.3.* ac Plinius *lib.35. cap.10.*

§. ij. DESINERE autem abeſſe res tunc videtur, cum ſic rediit in poteſtatem, ne amittere eius poſſeſſionem poſſimus, ob hoc quòd furto pridem ſubtracta eſt.

ALCIATVS.

DESINERE. ¶ Lex Attinia furtiuam rem vſucapi prohibebat. *l. ſequitur. §. quod autem. ff. de vſucap.* niſi ea in poteſtatem domini reuerſa eſſet, deſiiſſetque res abeſſe. ¶ Declarat Iuriſconſultus deſiiſſe abeſſe, ſi in domini poteſtatem libera eſſet reuerſa: quod intellige, dummodo dominus, qui ſciuit rem fuiſſe ſibi ſubtractam, ſciat etiam reuerſam. *l. qui fundum. §. pen. ſupr. ſi pro empt.* nam & tunc, ſi rurſus contrectetur, noua actio furti dabitur. *l. inter omnes in fin. ff. de furt.* ¶ Verba eius legis hæc à Gellio commemorantur libro 17. [Quod ſubreptum erit, eius rei æterna authoritas eſto:] id eſt, æternum tempus ad vſucapiendum, vt alibi declarabimus.

Poſſimus. ¶ Sed & quomodo dominus poſſeſſionem rei ſuæ amittere poteſt: & ſi ipſe eam per vim recuperauerit, dubium non eſt, poſſe ab eo auferri, quoniam in interdicto recuperandæ exceptio dominij reiicitur. *l. ſi plus. C. ad l. Iul. de vi publ. vel pri.* Sed & ſi non furi, ſed ſucceſſori eius particulari abſtulerit, etiam per triticariam condictionem reſtituere poſſeſſionem compelli poteſt, vt Accurſius ait. *l. 2. in fin. ff. de tri.* Idémque eſt, ſi dominus ſponte rem habuerit ab eo, qui violenter à poſſeſſore rapuerit: nam ſi dominus hoc ſciebat, ex æquitate iuris canonici poſſeſſori ſuccurritur. *c. ſæpe. de reſtit. ſpol.* cui nec lex ciuilis aduerſatur, vt aliqui ſentiunt. *l. ſi colons. C. de agr. & cen. lib. 10.* Sed & illud expeditum eſt, redintegrandæ poſſeſſionis beneficio huic prouiſum eſſe. *3. q. 1. c. redintegranda.* quod ex communi ſententia etiam malè fidei poſſeſſori competit aduerſus eum, qui vel titulo poſſideat. *l. rem, quæ nobis. ff. de acquir poſſ.* quoniam recens hæc poſſeſſio clandeſtina & vitioſa præſumitur. *c. licet. extra de prob.* vbicunque ergo aliquo huiuſmodi interdicto abſtrahi à domino poſſeſſio poſſet, res non deſinere abeſſe videtur.

BRECHÆVS.

DESINERE AVTEM ABESSE. ¶ Poſtquàm Vlpianus Iureconſ. dixit de his rebus quæ abeſſe ita videantur, vt quis eas non tueatur exhibere, ſequente paragraph. dicit quando eæ res abeſſe deſinant. ¶ Abeſſe autem deſinunt ac ceſſant eædem res, cùm in Domini ſui poteſtatem ſic è furto redierint, vt earundem poſſeſſionem Dominus iam non poſſit amittere: & ſublato in totum furti vitio, furtiua quoq; condictio inde tollatur. Si enim rem mihi furto ſubreptam, cùm meam eſſe ignorarem, emam, reuerſa ad me non cenſebitur. *l. ſequitur. §. nunc in poteſtatem. de vſuca.* Sed & ſi furtiua res ad dominum redit, atque iterum illi ſurripiatur, alia furti actio iterum competit. *l. inter omnes. §. ſi. de fur.* Neque etiam videtur furtiua res, aut vi poſſeſſa, in domini ſui poſſeſſionem reuerſa, quæ ad dominum ignorantem redierit. *l. ſi ad dominum. eo. tit. de furt.* quod ſequenti capite tractatum eſt. At vt nihil omittamus: ¶ Deſinere verbum ſignificat eius rei, quam habuimus, priuationem, aut eius, quod incœpimus, negotij ceſſationem: éſtque quod ſolemus dicere, priuatio præſupponit habitum. Deſiiſſe enim non videtur (inquit Paulus in *l. Titio vſufructus. de cond. & demonſt.*) quod nec incœpit. Hoc Græci καταλύειν. Vt πλεῖν καταλύων nauigare deſij, apud Demoſth. Idem quoque ſignificat quod παύομαι. vt παύομαι τῆς ἀσχολίας ταύτης, ceſſo ab hoc negotio, & quieſco: id eſt, hoc deſino negocium. Virgilius *lib. 4. Æneid.* *Deſine méque tuis incendere téque querelis.*

FORNERIVS.

DESINERE. ¶ Vt enim non amiſit rem, qui eius perſequendæ gratia aliquam habet actionem: cuive prætor reſtitutionem pollicetur. *l. 52. rem in bonis. de acq. rer. dom. l. 5. de in int. reſt.* & qui vi de fundo deiectus, recuperandæ poſſeſſionis interdictum habet, perinde habetur, ac ſi poſſideret. *l. 1. ff. vnd. vi.* ¶ Sic nec poſſeſſionem videtur adeptus, qui ita nactus eſt, vt eam retinere non poſſit. *l. 22. non videtur. de acq. poſſ.* nec noſtrum eſt, quod euinci, quod auferri poteſt: vt nec id cœpiſſe, id eſt, acquiſiſſe intelligimur, quod noſtrum non manet: quódve alij reſtituere cogimur. *l. 13. non videtur cœpiſſe. l. 51 non videtur quiſquã. l. 190. quod euincitur. ff. tit. ſeq.* Quare quod vſucaptum de hereditate exiit deminutum intelligitur. *l. 21. deperditum. ff. de hered. pet.* ¶ Quod verò hic de re furto ſubtracta dicitur, pertinet ad legem Attiniam, quæ rem furtiuam (cuius lege xij. Tab. æterna auctoritas erat) in poteſtatem domini reuerſam, quaſi purgato vitio, vſucapi permittebat. *l. 4. §. quod autem. & ſeqq. ff. de vſucap. l. 215. poteſtatis. ff. tit. ſeq.*

§. iij. ABEST & ea res, quæ in rebus humanis non eſt.

ALCIATVS.

ABEST. ¶ Abeſſe verbum plurifariam in iure accipitur. In ſtipulationibus abſentes ſunt, qui inuicem ſe exaudire nequeunt. in præſcriptionibus. *glo. inſt. de vſucap. in prin.* qui in eadem prouincia, ſeu territorio non ſunt. In iudiciis abſens eſt, qui ad eum de quo quæritur, actum non eſt citatus. *l. ant qui. ff. quod vi.* vel quamuis citatus, non adeſt. *l. 4. §. prætor. verſ. abeſſe. ff. de damn. inf.* Idem & in eo, quem citare difficile eſt. In legum diſpoſitione abſens eſt, qui longè abeſt vt cenſuit Bald. *l. fin. §. vbi autem. C. de bo. quæ lib.* ſi verò propriè ſit, non videtur abſens, ſed expectari debet. ¶ Illud dubium non eſt, qui mortui ſunt, abſentes eſſe, vel quia mortui non ſunt, vt Atticus apud Cicer. *in Tuſcul. diſputat.* vel (quod verius eſt) quia reuerti & adeſſe amplius non poſſunt [ſaltem quantum ad actus humanos gerendos.] Hinc iudex datus donec præſes abſit. *cap. ſi delegatus. de offic. delegat. in 6.* procedet etiam eo mortuo, quia non ſolùm abeſt, qui ad tempus, ſed & qui perpetuò abſens eſt.

Cum ergo hæc dictio varijs modis accipiatur, prudens iudex ex ſubiecta materia quæ interpretatio capienda ſit, diiudicare debebit.

BRECHÆVS.

ABEST. ¶ Verbum, abeſſe, vna atque altera ſignificatione, & pro re nata accipi ſolet. Nam qui extra territorij fines agit, is abeſſe dicitur: éſtque programmate publico citandus, vt quia ſit *dumno.l.dies cautioni.§.prætor ait.verſic.abeſſe.de dam.infec.* ¶ Sic cui aliquid humanitùs contigit, & in rebus humanis non eſt, id eſt, qui e vita deceſſit, abeſſe dicetur propria verbi ſignificatione, *vt eſt text.& glo.in cap.ſuſceptum.de reſcrip.lib.6.not.glo.in cap.ſi delegatus.in verb.abeſſe, de offic.deleg.eod.lib.6.* De hac re latius poſthac diſſeremus.

FORNERIVS.

ABEST. ¶ Si cum corpus formâ ſublatâ manet, rem nihilominus peremptam interpretamor, quantò magis cum non extat ampliùs, abeſſe fatebimur? Mortui abeſſe dicuntur, & inter homines eſſe deſinere, ab hominibus eripi.*l.56.quod principi.l.ſeq.de leg.2.* iu veteri lapide QVANDO ESSE DESIERO. [Abſentes.] ἄποντες, pro mortuis. Contrà ſupereſſe, præſentem eſſe, pro viuere. *l.vlt.C.de teſtib.l.7.et qui.C.quod cum eo.l.41.raptores.§.ſin autem.C.de epiſc. & cler.* Theophilus *§.1.de excuſ.tut.* περιόντας παῖδας & ζῶντας, & περιεῖναι ſuperſtites & ſupereſſe viuere vertit, & Suidas prolato Agathiæ loco, περιόντας interpretatur ζῶντας. vnde & ſuperſtites ſeu præſentes, id eſt, teſtes, qui cum res gereretur præſentes adfuerát: [Superſtitibus] (inquit Feſtus) [præſentibus vindicias dari.] Iſidorus *lib.5.cap.25.*

XIIII. PAVLVS lib.vij.ad Edictum.

LABEO & Sabinus exiſtimant, ſi veſtimentum ſciſſum reddatur, vel res corrupta reddita ſit, veluti ſcyphi colliſi, aut tabula raſa pictura, videri rẽ abeſſe: Quoniam earum rerum pretiũ non in ſubſtantia, ſed in arte ſit poſitum.

ITEM ſi dominus rem, quæ ſibi furto aberat, ignorans emerit, rectè dicetur res abeſſe: etiam ſi poſteà id ita eſſe ſcierit: Quia videtur res ei abeſſe, cui pretium abeſt.

ALCIATVS.

LABEO ET SABINVS. ¶ Videri rem abeſſe. Et propterea adhuc res petetur, nec ideo aliquis liberatur, quòd ita ſoluerit. Qoamuis ergo ſolutione eius, quod debetur, liberationem conſequamur, non tamen generaliter hoc verum eſt. Nam & ſi res ſoluta poteſt auferri, vt quia alteri pignorata.*l.ſi rem.l.qui res.ff.de ſolut.* vel ſub conditione legata.*l.non quocunq.ff.de leg.1.* non videtur ſoluta. Idem ſi aliquod ius extrinſecus deficiat, vt quia de euictione cautũ non ſit.*l.Iulianus.§.qui fundum.de verb.obl.* Sed & ſi non eo titulo habuerim, quo mihi debebatur, ſed pretiũ præſtiterim, abeſſe videtur. ¶ Sanè in noſtro caſu, ſi rei debitæ forma immutata non eſt, & pretium in ſubſtantia, non in arte poſitum ſit, quale eſt in vulgaribus indumentis, videretur rem peti non poſſe, ſed in id, quod intereſt rem non fuiſſe diminutam, agendum. *l.exhibitionis.C.ad exhib.* in qua tamen re aliter ſolet diſtingui, vt in contractibus bonæ fidei actione prima ad rem ipſam agatur.*l.3.§.ſi reddita.ff.commod.* idémque in actione ex teſtamento, quæ bonę fidei naturam imitatur.*l.Mauius.§.in fundo.ff.de leg.1.* in ſtricti verò iuris contractibus actione de dolo agi in id quod intereſt, oporteret. *l.& eleganter.§.non ſolùm.ff.de dolo.*

Ignorans. ¶ Quid ſi ſciens? & ſi ab alio emat, idem eſt: quia non ideo videtur furem liberaſſe. quin ab eo rẽ petere poſſit. Si verò ab ipſo fure emat, hic videtur probari tunc rem nõ abeſſe, quod probo. ¶ Sed quid ſi huiuſmodi res ſibi pure legata eſſet, nunquid eam ab herede emendo cenſeretur legato renuntiare. *Bart.in §.duo fratres.in 12.quæſt.l.qui Romæ.de verb.obl.* quapropter & hoc caſu res videretur abeſſe: ſed contra Bart. crebrior eſt ſententia.

Emerit. ¶ De facto: nam iure rei ſuæ ſiue ſciens, ſiue ignorans, emptor nemo eſt.*l.ſuæ.ff.de cõtr.emp.* licet pretium ſolus repetat, qoi ignorans emit. Et hinc colligitur ſi quis Titio prædia leget præter ea, quæ a Semproni o emit, tametſi emptio ipſo iore nulla fuerit, excepta tamen videri. Licet enim in effectu emptio nulla non ſit emptio, appellatiooem tamen iſtam de facto ſortitur, idque ſatis eſt.

Quia videtur. ¶ Et ſic pretium loco rei ſuccedit, quod in vniuerſalibus verũ eſt. *l.imper.§.fin.ff.de leg.2.* vt in hereditate vel dote.*l.res in dotem.ff.de iur.dot.* in particularibus minimè.*l.venditor.ff.de her.vend.* niſi cum quis ideo conuenitur, quia locupletior ſit factus.*l.ſi ipſa.quod met.cauſ.* nõ enim minus locuples eſt, qui pretium, quàm qui rem habet: niſi item cõtra eum agatur, qui debuit id agere vt rem actor ſiue precij alicuius ſolutione haberet: nam ſi id nõ fecerit, pretium quod actori abeſt reſtituet, vt hic in fure, & alibi in herede, qui rem legatam ſoluere debuit.*l.planè.§.quod ſi rem.de leg.1.*

Cui pretium abeſt. ¶ Si a fure ipſo ignorans emerim, rem ipſam ab eo petam, vel etiam ipſum pretium, ſi ita mihi magis placeat: nam qui rem ab eo emit, qui abſq; pretio dare tenetur, vel ipſam rem rurſus petit, vel pretium quod ſibi adeſt.*l.ſi filio.§.1.l.illud.ff.de don.cauſ.mort.* idque crebriore calculo receptum eſt, licet alij rem in obligatione æſtimationem in ſolutione eſſe crediderint.*d.§.quod ſi rem.* ¶ Sed quid ſi ab alio ignorans emerim? Et non videretur rem abeſſe, quia tunc pretium non abeſt: cum enim rei meæ emptio non valuerit, pretium repetam. Nec dicitur ei abeſſe pretium, qui ad illud conſequendum actionem habet: ſed cùm electionem domini eſſe ſuprà dixerim, ſi contra furem agere maluerit, verius eſt videri rem abeſſe: & ita Iuriſconſultus hic intelligi debet.

BREC

BRECHÆVS.

LABEO ET SABINVS. ¶ Superiori capite Vlpianus dixerat res corruptas vel transfiguratas videri abeſſe, quoniam plerunque plus ſit in manus precio, quàm in re: hîc autem Paulus eandem ferè ſententiam perſequitur. Scilicet, ſi quis veſtimentum, aut ſcyphos apud aliquem depoſuerit, aut commodato tradiderit, poſteà verò idem veſtimentum tritum lacerúmve, ac diſciſſum, atque etiam ipſos ſcyphos colliſos ſeu attritos (quemadmodum ſcyphi Homerici à Nerone, cùm iam penitus deploratam vitam ſuam conſpiceret) ſimiliter & tabulam raſâ picturâ & expunctâ, receperit à depoſitario, ſeu commodatario, ea omnia videri illi abeſſe: maximè ſi rerũ earum opus & artificium, ſubſtantiam, id eſt, materiam operis, precij dignitate longè ſuperet. Propterea non liberabitur depoſitarius, aut commodatarius.

VESTIMENTVM. ¶ Veſtimenti appellatio generalis eſt: nam & virilem & muliebrem veſtem vna ſignificatione complectitur: ſed togam quoque, ac tunicam, cæteráſque veſtimentorum ſpecies & figuras continet. Quod ex Plutarcho *in Tiberio* Baifius eleganter annotauit. Cæterùm, in actionibus bonæ fidei, contractibus ſtricti iuris, de dolo, quando ad id quod intereſt agitur, hæc lex habet locum. Nam ſi res vendita poſteà euincatur emptori, ea dicetur illi abeſſe.

SCYPHI COLLISI. ¶ Scyphum Græci σκύφον & σκύπφον teſte Athenæo *lib.* 11. & apud Heſiodum: quo fit vt ſcribant Latinorum aliqui, ſcyphum. Eſt autem ſcyphus, vas potorium, quo veteres tum in ſacrificiis, tum etiam in conuiuiis ſolebant vti. Hoc ipſum Herculi propriè attributum, ſicut Baccho cantharus. Propterea Bœotij ſcyphi, qui & Heracleutici dicuntur, mirum in modum laudati ſunt, quòd his primus in expeditionibus Hercules ſit vſus. Auorum ſcyphos modũ Archetypa Martialis, modò etiam numiſmata appellat. Plutarchus in Antonio in ipſo ſtatim principio σκύφον pro eo vaſe, quod noſtrate lingua Baſſinum appellamus, accepiſſe videtur, ſicuti teſtatur Baifius. Τὸ δὲ σκύφον ἰδ ... ,&c. At verò quod Latini peluim, hoc Græci πύελον ... dicunt: ſic vt Latina dictio, à Græca, tanquam à matre, aut ab ipſo fonte ſcaturiiſſe videatur. Notat Iulius Pollux, πύελον in tragœdiis, pro eo vaſe, in quo abluantur pedes, poni. Scyphus, & ſcyphum vtroque genere maſculino ſcilicet, & neutro, accipitur. Scyphium etiam apud Steſichorum inueniſſe ſe teſtatur Cælius *lect. antiq. lib.* 27. *cap.* 27. quo loco ſcribit, ſcyphos quaſi ſcythos, à Scythis, quibus ebrietas nimio plus frequens eſt, dici. Vnde ſcythiſſare, inebriari eſt. ¶ Qui igitur vel depoſito, vel commodato acceperit argenteos ſcyphos affabrè celatos, quales fuêre duo hi, in quibus Oreſtis iudiciũ, & Areopagitas Zopyrus celauit, qui & pondo duodecim æſtimati ſunt, Plinio ſecundo authore *lib.* 33. *natur. hiſtor. c.* 12. aut quos Mentoris artificis manu ſculptos & fabrefactos L. Craſſus Orator, ſeſtertiis centum emptos habuit, ac tum demum eoſdem colliſos, id eſt, attritos, & concuſſos (non autem raſos, vt hallucinatus eſt Accurſius) reſtituit, minus reſtituiſſe cenſebitur: nimirum cùm artificij operiſve precium, decuplo materiam argenti excedat: idcirco tunc abeſſe cenſentur. ¶ Idem quoque erit dicendum de tabula, ab Apelle aliquo, ſeu Protogene eleganter depicta. In qua caragrapha, & variæ corporum imagines mirè exprimantur: veluti ea quæ Rhodi Plinij temporibus erat: in qua Zeuxis Meleagrum, Herculem, Perſea pinxit, quæ ter fulmine ambuſta, obliterata tamen non fuit. Si ea tabula, raſa quidem picturâ, id eſt, antiquatâ & expunctâ reddatur, abeſſe nihilominus domino ſuo videbitur. ¶ Sed qua demum actione experiaris ad rem tuam? Sanè (ait Pomponius in *l. fin. ff. de praſcrip. verb.*) Si tibi ſcyphos dedero vt eoſdem mihi redderes, commodati actio eſt. ſi vt pondus argenti redderes quantum in illis eſſet tantundem ponderis, petitio eſt per actionem præſcriptis verbis tam boni argenti quam ſcyphi illi fuerunt. Sed ſi vt vel hos ſcyphos, vel vt eiuſdem ponderis argentum dares, conuenit, itidem dicendum eſt, vt ſcilicet præſcriptis verbis actio intendatur. *Gloſſ. in d. l. fi. Et Aad. Alc. lib. 2. Parad. c.* 19. Quo loco tradit commodatum dici tranſlato quantumuis dominio, ſi modò ita pactum ſit, vt eadem ſpecies redderetur.

ITEM SI DOMINVS. ¶ Hìc proſequitur Paulus Iurec. quando dicatur res abeſſe. Si (inquit) dominus rem ſuam quam, propterea quòd furto ſurrepta illi fuerat, habere deſierat, emit, neſciens tamen eam ipſam rem ad ſe pertinere, iure dicetur ea res abeſſe, propter exolutum à ſe precium. In ea enim adhuc reſidet furti vitium: nec etiam furtiua condictio ſublata eſt, qua precium rei poſſit iure quodam modo ſuo repetere. *l. ſeruum. de cond. indeb. l. ſua res. de contrah. empt. vbi gl. in ver. ignorant.* Et ratio eſt: quia nulla obligatio fuit. Sed hoc Bar. in *l. ſi aliquam rem. de acq. poſ.* præſcribit ſeu limitat, ſi rei dominiũ & proprietas, non ſi poſſeſſio tantùm ematur. Quo loco ipſe Bart. multa ſcribit in quæſt. An dominus rẽ ſuam ſciens emerit, dominiũ, poſſeſſionémq; perdat. Item quoq; ſi cõducat. Tũ demũ qualiter dignoſci poſſit, qualiter ignorem rem meam me poſſidere, illuc confuge, ac planè legito.

ET SI POSTEA. ¶ Quòd ſi poſtmodum rem ſuam emiſſe reſciuerit, nihilominus tamen res ipſa abeſſe illi non magis deſinet. Preciũ enim quod pro emptione ſoluit, illi abeſt. Et qua actione poterat rem ſuam conſequi, ſiue à fure condicere, ſeu vendicare, eadem, rei precium a ſe per errorẽ ſolutum repetet. Precium enim loco rei eſſe cenſetur. Quod quidem axioma ſpeciale hoc loco eſſe debet. Nam aliàs regulariter in particularibus preciũ nõ ſuccedit loco rei: ſcilicet in actione ſingulari, quæ non oritur ex contractu, vt in rei vendicatione, depoſito, & ſimilib. *Not. in l. mater. C. de rei vend.* Species facti notanda in *l. 1. §. fi. & in l. ſeq. ff. depoſ.* Not. Bart. & Doct. *in l. ſi cùm ſeruum. ſi cer. pet. l. venditor. de her. vel act. vend. l. ſi quis vxori. §. ſi Titius. & l. qui vas. §. fi. de furt.* vbi pecunia ex precio rei furtiuæ redacta furtiua non eſt: nec qui rem alienam vendiderit, preciúmq; ab emptore receperit, nummorum furtum feciſſe cenſendum Vlpianus aſſerit. ¶ Regulariter autem in iuribus vniuerſalibus, qualia ſunt, hereditatis petitio, & reſtitutio, quod metus cauſa: repetitio dotis (eſt enim dos ius vniuerſale ſecundum Bar. in *l. ſi cùm dotem. §. fin. ad fin. ſol. mat.*) in legato, peculio, & grege, precium ſuccedit loco rei. *l. Imperator. §. fi. de leg. 2. & l. ſeq. l. ſi grege. & l. grege. de leg.* 1.

Cvi precivm abest. ¶ His verbis Paulus explicat ἀναλυτικῶς, quod ſuperiùs dixerat, rem abeſſe ſuo domino, qui ignorans eam emerat: proptarea quòd precium rei illi quoque abeſt. Nam cui (inquit) precium abeſt, res ipſa etiam abeſſe videtur. Quod quidem intelligendum erit, ſi nulla illi ad ipſum precium reperendum iam competat actio. Cùm enim libera ſit patènſque illi ad precium rei emptæ reperendum via, res non videtur abeſſe. Quandoquidem illa ipſa re non caret: quinimò illam apud ſe habet, vt quæ à venditore tradita illi fuerit. At verò cùm ea venditio minimè valeat, ob idque venditor acceptum precium reſtituere teneatur, fit ſanè vt res ipſa abeſſe illi minimè cenſeatur.

Fornerivs.

Labeo. ¶ Expoſita ſuperiore capite Sabinianorum ſententia hic quoque attingitur: quódque illic [Corpus] dixerat Vlpianus, [Subſtantiam] hîc Paulus, quod ille [Formam,] hic autem nominat: iiſdem alibi nominibus promiſcuè vſi. *l.9. in venditionibus. l.11. quid tamen. de contr. empt. l.21. ſi ſterilis. § quamuis. de act. empt. l.22. ſi id quod. de verb. obl.* Sed & verſiculus [Quoniam,] eandem vtrobique Sabinianorum ſententiæ rationem inculcans ſuadet, nequid mutandum, neque, quod non nemini placet, [quanquam] pro [quoniam,] ſubſtituandum videatur. ¶ Porrò quod ruptum, ſciſſum, colliſum fractum, corruptum, imminutum eſſe dicetur, iis actionibus, perſecutionibus, interdictiſque quibus de damno ſarciendo, aut rei peremptæ æſtimatione agitur, vindicabitur. *l.9. Marcellus, ſ. h. t. l.4. §. loquitur, verſ.* [amiſſa.] *vi bon. rapt. l.30. qui inſulam. §. qui mulas. ſ. locat. l.70. ſi heres. §.1. ad Sc. Treb. l.27. ſi ſeruus. §. rupiſſe. ad leg. Aquil.* In legibus xij. Tab. [rupitias,] vel vt alij malunt, [rupitiones ſarcito,] Feſtus ſcriptum fuiſſe teſtatur.

Item si. ¶ Cuiuſque rei dignitas & æſtimatio pretium eſt: quod ſi pro re ſua dominus dederit, quamuis rem habeat: Tamen quia pretio redēpta eſt, iuris interpretatione abeſſe fingitur. [Ignorans,] Imprudens: Tunc enim non tanquam propria, ſed vt aliena in poteſtatem eius redit. *§. deſinere. ſ. l.13. h. t.* Nec ideò emptio valebit, ſed pretium condicetur. *l.16. ſua. & ll. ſeqq. l.34. ſi in emptione. §. rei ſua. ſ. de contr. empt.* vbi exceptio adfertur. [Pretium abeſt] ¶ Quod interdum ſuccedit loco rei, vt in actione quod metus cauſa. *l.18. ſi ipſa. ſ. quod met. cauſ.* Petitione hereditatis. *l.22. ſi & rem. ſ. de her. pet.* In hereditatis reſtitutione *l.70. imperator ſi l. ſeq. de leg. 2.* In re in dotem data. *l.42. res in dotem. ſ. de iur. dot.* In re legata empta. *§. ſi res. de legat. Inſt. l.34. planè. §. quod ſi rem. de leg. 1.* Sed hunc controuerſi iuris articulum excutiemus in *l.88. propemodum. j. h. t.*

§. j. Rem amiſiſſe videtur, qui aduerſus nullum eius perſequendæ actionem habet.

Alciatvs.

Rem amisissa videtvr. ¶ Hoc verbum proprietatem hic denotat: ſi enim annulus mihi in mare elapſus ſit, non ſolùm iuris interpretatione, ſed etiam verè eum dicor amiſiſſe.

Actionem. ¶ Nam qui actionem habet, rem habere videtur. Ergo quod nos alteri dare, vel perſonali actione cogimur. *l. ſi quis mandato Titij. ſuprà de neg. geſt.* abeſſe à nobis dicitur: & hoc iuris interpretatione verum eſt, alioquin in executione facti aliud eſt, tum propter litis fruſtrationes, & dubios euentus, tum quia tutius eſt rei incumbere. quapropter lex municipalis quæ in rei ſuæ venditore aliquid corrigat, in eo non ſeruaretur, qui ſibi debitam rem venderet. *Doct. in l. Gallus. §. videndum. ſuprà de lib. & poſth.* & ideo minus eſt actionē habere quàm rem, vt in regula iuris habetur.

Brechævs.

Rem amisisse. ¶ Verbum, amittere, præterquàm quòd longè à ſe mittere & dimittere, atque auferre ſignificat, propria quidem ſignificatione pro eo accipitur quòd Græci dicunt ἀποβάλλειν. Eſt autem ἀποβάλλειν perdere aliquid inuito & repugnanti animo. Nam aliquando lubens perdere dicor: vt cùm reſpuo ſeu reiicio aliquid, floccifacio & deſpicor: quod quidem ἀποβάλλομαι ſignificat Budæo teſte *in Comment. ling. Græc.* Lucianus de Philoſophis mentionem faciens, εὑρήσεις γὰρ τοὺς ἀποβαλλομένους τὴν δόξαν, αὐτῆς ἕνεκα πάντα ποιοῦντας: qui floccifacere ſe gloriam atque à ſe ſummouere dictitabant. Quod ergo amitto, inuitus perdere dicor, ſiue id ipſum furto ablatum mihi fuerit, ſeu elapſum à me neſciente, & incauto: ſed propria & germana ſignificatione, quod meū, mihiq; proprium ſit. Nam quod meum nec eſt, nec fuit vnquam, quódque non habui, non videbor amiſiſſe. *l. non videtur. de reg. iur. j.* Facit in argumen. *l. Titio vſusfructus. de cond. & demonſtr.* Quo loco ſcribit Paulus id deſiiſſe non videri, quod nunquam cœptum fuerat. ¶ Quandoque tamen amiſiſſe videmur, quod noſtrum non fuit vnquam. *vt l. ſi ſic conſtituta. quemadm. ſer. amit. & 17. diſtin. cap. concilia. & 13. diſtin. cap. quorundam.* quibus locis glo. idem notat. *& l.1. §. vſque adeò. quib. mod. vſuſr. amit.* ſed multùm intereſt amittamus quod non habemus, an verò qualiter id non habemus. In ſumma, id amiſſum deperditúmque eſſe cenſetur, quod in rerum natura deſiit eſſe. *l. deperditum. de petit. hered.* Sed cui ad rem conſequendam competit actio, rem ipſam videtur habere: itaque non eam amiſiſſe, vulga. regul. iuris. Vnde ego aliquando ad propoſitam quæſtionem reſpondi. ¶ Debitor quidam ita erat in ære alieno, vt cuperet eiurare, ſi quiſquam recepiſſet. Is capite & fortunis cauerat: animámq; ſtygiis nexibus pigneratam orco etiam deuouerat. Obuenit interea à maioribus hereditas: quam ne inuaderet dura creditorum turba, abnuit, iúſque eius cernendæ eiurauit. Vocatus tandem in iudicium a creditoribus debitor ἀναστρεφομένως & tergiuerſabundus, controuerſo hominem ingenio ſibi appunit, & in forenſi paleſtra litigatorem exercitatiſſimum, qui cùm ſocietatem iniuit ad litis ludibrium, & creditorum iudicio circunueniendorum gratia. Lite demum cum creditoribus conſtituta, excipit debitor vi ſe de poſſeſſione hereditatis deiectum: nec iam ſe pro herede poſſidere. Itaque maluiſſe

luiſſe hereditate auita omnino carere atque abſtinere, quàm cum homine litium alumno conflictari. Creditores autem qui debitorem ſuum appellarant, vehementer extimeſcentes hanc συγκακουργίαν & præuaricationem, ſeu colluſionẽ, quam tamen comprobare & manifeſtã facere illis integrum non eſſet. de hac re me interrogauerunt. Ego verò ad ea quæ proponerentur reſpondi, hac præuaricatione valere quidem iuſſa, liberum eſſe illis in hæreditatem agere. Quamuis enim deturbatum ſe de poſſeſſione auitæ hereditatis contenderet ipſe debitor, non eam proinde amiſiſſe, vt qui actionem ad rem & hereditatem ipſam haberet, *d.l. qui actionem habet. de reg. iur. & l. quòd ſi in diem. §. Iulianus ſcribit. de petit. hered. Specu. tit. de interroga. quæ fiunt ante lit. conteſta. §. nunc de interrogationis effectu. verſic. ſed ecce reus. Bald. & Angel. in d. §. Iulianus ſcribit. l. ſcribit. ad princip. de auro & argen. lega.* ¶ Qua de cauſa, cogendum eſſe ipſum debitorem qui actionibus cedat. Quo quidem tranſcriptitio iure fas ſit ipſis creditoribus aduerſus turbatorẽ experiri, ſeu interdicto vnde vi, aut iuſta quauis alia actione *d. §. Iulianus ſcribit.* & ibidem Bald. & Ang. ſic conſultum volunt eſſe creditoribus. Quod eſt notatu digniſſimum.

FORNERIVS.

REM AMISISSE. ¶ Nam ſi quam rei per actionem vel reſtitutionem recuperandæ ſpem haberet: non planè re excluſus videretur. *l. 15. qui actionem. ȷ̃ tit. ſeq. l. 5. ȷ̃. de reſt. in integ.* Quod & ſuperiùs attigimus, & non negligenter pòſt ſuo loco ruſſus exponemus.

XV. VLPIANVS lib. x. ad Edictum.

BONA ciuitatis abuſiuè publica dicta ſunt: Sola enim publica ſunt, quæ populi Romani ſunt.

ALCIATVS.

BONA CIVITATIS. ¶ Ius imperij Romani ad populum pertinebat, *l. 1. ȷ̃. de conſtit. princ.* donec per legem Rhemniam populus in Auguſtum Cæſarem ius omne tranſtulit: meritò ergo quæ ad rempubl. Romanam pertinebant, publica dicta ſunt, quaſi populica. Ad Romanorum tamen ſimilitudinem, & quæ in aliis ciuitatibus communia vniuerſorum erant, publica dici cœpta ſunt: ſemper enim apud quaſcunque nationes ius ſupremum populi fuit, idque vel legis diuinæ inſtituto oſtẽditur. ¶ Nam cùm hominem creauit Deus, illi in cætera quidem animantia ius, & dominium conceſſit, hominum autem vt alteri alter ſeruiret, non indixit. Vnde principio rerum non diuina iuſſione, ſed ex populi conſenſu Reges adſumpti ſunt: quod & poſt Romani imperij occaſum ſeruatum fuit, cùm Carolus Magnus à populo Rom. Auguſtus electus eſt, & à pontifice Leone ſacro oleo inunctus, quod ius populi hodie Gregoriana lege, in ſeptem Germaniæ primates tranſlatum eſt. *c. venerabilem. de elect.* Sic & Franci Chilperico eiecto, quòd regno idoneus non eſſet, Pipinum συγκλητικῷ conſilio ſuſtituerunt. Et cùm Pipini proles à maioribus degeneraſſet, ruſſus Odonem, mox eius fratrem Robertum, & deinde Roberti nepotem Hugonem ad ſummum faſtigium euexerunt: is Hugo eſt, qui vulgò Capetus dicebatur, vnde oriundi ſunt qui etiamnum Francorum rebus moderantur, & quod de maximis hiſce regibus, nimirum Romano, & Franco dictum eſt, idem & in inferioribus obſeruatum fuiſſe, qui hiſtoricos legerit, deprendet, vt meritò cenſeam diuina lege eum iuſtum principem eſſe, qui ex populi conſenſu regnet, quod & Ariſt. tradit: qui verò inuitis dominetur, eum tyrannum eſſe, etiamſi Cæſar ſit, à Septemuiris electus, vel quaqua alia ratione ciuili iure potentiam ſuam tueatur. ¶ Vnde cùm magna regna non ex ſubditorum conſenſu, ſed per violentiam primò conſtituta ſint, meritò diuus Auguſtinus *lib. de ciuitate Dei. 4.* magna latrocinia eſſe dixit, adducto etiam piratæ cuiuſdam exemplo, qui comprenſus, & ante Alexandrum Magnum adductus, cùm interrogaretur, qua cauſa mare haberet infeſtum. Quid tibi, inquit, vt orbem terrarũ habeas infeſtum? ſed quia id ego exiguo nauigio facio, latro vocor: tu quia magna claſſe, Imperator.

BRECHÆVS.

BONA CIVITATIS. ¶ Floreſcente Romanorum repub. cúmque ea totius orbis teneret imperium, ſola vrbs Roma quæ (vt cœleſtibus viſum fuit) totius orbis terrarum caput erat, teſte Liuio, reipublicæ dignitate atque authoritate cenſeri poterat. Itaque cæteræ orbis ciuitates ac vrbes priuatorum loco haberi. Poteſtas autem in populo Romano erat: authoritas in ſenatu. ¶ Cum ergo ius Romani Imperij penes populum eſſet, vt eſt in *l. 1. de manda. princip.* fas quoque erat illi πολιτεύεσθαι, & rempub. regere. Hoc ius igitur, publicum appellabatur, quòd ſcilicet ad ſtatum reipub. Romanæ ſpectaret: quaſi populicum, & ad populum pertinens. Cõſiſtit autem in magiſtratibus & ſacris ſacerdotibus. ¶ Theophilus in *§. flumina. inſtit. de re. diuiſ.* flumina omnia & portus publica, id eſt populi Romani interpretatur ποταμοὶ δὲ (inquit) πάντες, καὶ λιμένες, δημόσιοί εἰσι, τοῦτ' ἔστι, τοῦ δήμου τοῦ ῥωμαϊκοῦ. Iam verò, quod Celſus iureconſultus, littora in quæ populus Romanus Imperium habet, populi Romani eſſe arbitratur *l. littora. ff. ne quid in loco publico.* ad iuriſdictionis poteſtatem cum Accurſio referri debere cenſeo: ſcilicet, vt pop. Rom. de his, quæ in ſuo littore geruntur & fiunt, iure quodammodo ſuo, & pro Imperij dignitate cognoſcat. Nam ſi de contractu, aut delicto aliquo in littore quod duabus ciuitatibus commune ſit, admiſſo, quæſtio ſit, viciniotis loci iudicẽ de ea re cognoſcere par erit. Quod ſi æquis inter ſe diſtent ſpatiis, præoccupationi locum eſſe, Aretinus, *in §. & quidem. inſtitut. de rerum diuiſ.* contendit. ¶ Iudicandi autem poteſtatem populum Romanum habuiſſe teſtatur Cicero multis in locis. Non enim (ait ipſe *in Oratione pro Cn. Plancio*) comitiis iudicat ſemper populus, ſed mouetur plerũque gratia: cedit precibus, facit eos à quibus eſt maximè ambitus: denique, ſi iudicat, non delectu aliquo aut ſapientia ducitur ad iudicandum: ſed impetu nonnunquam,

&

& quadam etiam temeritate. Non eſt enim conſilium in vulgo, non ratio, non diſcrimen, non diligentia: ſempérque ſapientes ea quæ populus feciſſet ferenda non ſemper laudanda duxerunt. Vnde & publicam cauſſam dixit Liuius, quæ apud pop. Rom. agitari ſolita eſſet de rebus imperij: & agrum publicum populi Rom. eſſe, vocatæ Tribus ad Scaptij orationem iudicauerũt. Sic publica iudicia dicimus, quibus id quod vel fiſco, vel Reip. debetur, perſequimur accuſationis via: ſed ea tantùm delicta quæ ea legibus publicorum iudiciorum deſcendunt, cuiuſmodi ſunt, Lex Iulia maieſtatis, Iulia de adulteriis: de qua Iuuenalis his verbis:

Vbi nunc lex Iulia, dormis?

Lex Cornelia, de ſicariis, & veneficis: Pompeia, de parricidis: Iulia peculatus: Cornelia de teſtamẽtis: Iulia de vi publica: Iulia de vi priuata: Iulia ambitus: Iulia repetũdarum: Iulia de annona. Quæ omnia annumerantur in *l. 1. ff. de pub. iudic.* Ex horum quidem publicorum iudiciorum admiſſis, non aliàs aduerſus heredes tranſeunt pœnæ bonorum ademptionis, quàm ſi primùm lis fuerit conteſtata: ac poſtmodùm ſequuta condemnatio. *l. Ex iudiciorum. ff. de accuſ.* Cætera autem delicta priuata ſunt: & actione, non etiam accuſatione perſequi ſolent. ¶ Ea quoque publica crimina dicuntur, quæ his publicorum iudiciorum legibus coërceri ſolent, quæ Græci *τὰ δημόσια ἀδικήματα* vocant. Hæc publica iudicia apud conſilium agitabantur, quos quidem iudices prætor ſortiebatur, ſubſortiebatúrque: qui peculiari nomine iudicis appellabantur, in decurias diſtributi: quorum iudicium antiqui forum nuncupabant. Quod Budæus annotauit. Eodem modo & Cicero 11. *Philipp.* bona Reip. authoritate capta, dicit publicè poſſeſſa: quod nos hodie in manu Regia poſita dicimus. Publicos equos appellabant (ve eſt apud Amianum Marcellinum, & Procopium *lib. 2. belli Perſici.*) Veredos: aliàs æris nũ multi: quales ſunt quos noſtri hoc tempore, Poſtas & equos poſtæ vocant. Vnde & Curſus publicus aut fiſcalis dictus, cum ab Imperatoribus certis locis & manſionibus equi præceleres deſtinabantur: quibus non vtebantur, niſi facultate impetrata quam vocant tractatoriam. Et publica pœnitentia: quæ cùm hodie paſſim exoleuerit, tamen Saxones in vrbe Alberſtadienſi, eius imaginem etiamnum ſeruare teſtatur Alciatus *lib. 9. Parergon, cap.* 12. cuius etiam meminit Gratianus, *cap. in cap. 50. diſtinct.* ¶ Itaque (vt ad rem redeamus) cùm publicum ius, cenſeatur ius ciuitatis & Imperij Romani, conſequens erit vt dicamus, bona ciuitatis Rom. propriè *καὶ κατ' ἐξοχὴν* publica: cæterarum verò ciuitatum abuſiuè, publica eſſe, ſoláque ea publica appellanda, quæ ad rem publicam imperiúmque Roman. ſpectant. Nam Reipublicæ nomen ad ciuitatem imperiúmque Romanum (ſicuti diximus) pertinet. gloſſ. *in l. ſed & ſi per Prætorem. §. item inquit Prætor. in verb. non abſit. ff. ex quibus cauſ. maio.*

Abusive. ¶ Abuſio quę à Gręcis *κατάχρησις*, eſt (Donato teſte) vſurpatio nominis alieni: vt cùm dicimus eum qui fratrem interfecit, parricidam: & piſcinam, quæ tamen careat piſcibus. Cicero *lib. 4. Rhetor. ad Heren.* Abuſionem dicit eſſe quæ verbo ſimili & propinquo, pro certo & proprio abutitur, hoc modo vires hominis breues ſunt aut parua ſtatura: aut longum in homine conſilium, aut oratio magna, aut vti pauco ſermone. Nam hîc facile eſt (ait) intellectu, finitiua verba rerum diſſimilium ratione abuſionis eſſe traducta. Et Quintilian. lib. 8. cap. 6. vbi de tropis agit. Eo magis (inquit) neceſſaria eſt *κατάχρησις*, quam rectè abuſionem dicimus, quæ non habentibus nomen ſuum accommodat quod in proximo eſt: ſic.

Equum diuina Palladis arte
Ædificant.

¶ Sic acetabula, quamuis vaſa ſignificent, & quicquid habet: ea tamen propriè apud Medicos *τὰς κοτυληδόνας* ſignificant, id eſt, rita illa & fines vaſorum in vterum penetrantium, atque eminentias ad eẽcanatum in cyrrhis polyporum partium ſimilitudinem innaſcenteis conceptionis tempore. ¶ Diſcernendum quippe eſt hoc tantùm à tranſlatione genus: quòd abuſio eſt, vbi nomen defuit: tranſlatio, vbi aliud fuit. Nam Poetæ ſolent etiam abuſiuè in his rebus quibus nomina ſua ſunt, vicinis potiùs vti, quod rarum in proſa eſt. Illas quoque, quidam *καταχρήσεις* eſſe volũt, cùm pro temeritate virtus, aut pro luxuria liberalitas dicitur. ¶ Qui iaculum emittit, is iaculari dicitur: ſic qui pilam & ſudem, quia appellatione ſibi priuatim aſſignata caret. Vnde (ait ipſe Quintilianus lib. 7. cap. 11.) abuſio quæ *κατάχρησις* dicitur, neceſſaria eſt. Abutimur (inquit Cicero) ſępe etiam verbo, non tam eleganter, quàm in transferendo, ſed etiam ſi licentiùs, tamen interdum non impudenter, vt quum grandem orationem pro magna, minutum animum, pro paruo dicimus. In ſumma dicimus Catachreſin licentiorem eſſe verbi tranſlationem, ſiue proprium verbum ſuppetat, ſeu deſit. Bona igitur ratione hic Vlpianus dixit bona ciuitatis abuſiuè, id eſt, per tranſlationem verbi, publica appellari, cùm hoc ſit populi Romani rebus propriè accommodatum, vt iam ſcripſimus. ¶ Ecce autem quamuis minus propriè naturalis obligationis debeant dici debitores, ſicuti paulò antè admonuimus, per abuſionem tamen intelligi poſſunt debitores. Textus eſt *in l. fideiuſſor. §. fideiuſſor accipi. de fideiuſſor.* Sic & licet iuuenis propriè is dicatur qui adoleſcentis exceſſit ætatem, id eſt vigintiquinq; annorum tempus, nihilominus tamen ſi teſtator omnes iuuenes legauerit, adoleſcentes quoque per abuſionem cenſebitur comprehendiſſe *l. non aliter. §. Titius codicillis. de legatis tertio.*

Fornerius.

Bona. ¶ Quamuis ciuitates, municipia, & reſpublicæ, priuatorum loco haberentur, & publica propriè dicantur populi Romani *l. ſeq.* Tamen quia ordinem, collegium, *τὴν βουλὴν*, & Buleutas, id eſt minorem ſenatum: habuerunt, ius conueniendi, decernendi. *tit. de colleg. illic. ſeruos publicos. l. 19. debitor. ff. de comp.*) paſcua publica, prata, ſaltus, ſyluas, portus, ſcripturam, publicanos, redemptores, agros vectigales, *l. 1. ſi ager vectig. l. 103. in lege. ff. h. t. l. 13. ſed & hi verſ.* [Si quis vectigal conductum à rep. cuiuſdam municipij habet.] *ff. de publican.* quãquam hoc minus propriè, & vt hic dicitur abuſiuè.

Com

Commune Siciliæ, Cice. in Verrem, commune Iudæorum, Iulianus epiſtol. 25. τὸ κοινὸν Theſſaliæ. *l. 37. ſi de vi. ff. de iudic. l. 5. ff. ad leg. Iul. de vi pub.* Acquirere poſſunt ſeruitutem, poſſidere, manumittere, agere, & conueniri. *l. 12. non dubito. de ſeruit. l. 2. de acq. poſſ. l. 7. ſigni. §. item municipes. ad exhib. l. 9. metum. §. animaduertendum, quod met. cauſ.* legatum fideicommiſſum & hereditatem capere. *l. 20. cum ſenatus de reb. dub. l. 16. omnibus. ad Sc. Treb. l. antep. C. her. inſt.* ¶ Et quia in tot hominum multitudine non facilè omnes in vnum idémque conſentiunt. *l. 2. §. quia difficile. de orig. iur. l. 17. item ſi vnus. §. principaliter. de arbitr.* Inuenta eſt ratio, vt quod vniuerſi rectè ipſi expedire non poſſunt, per alios quibus reip. cura demandaretur, exequerentur: cuiuſmodi ſunt, actores ciuitatis, ſyndici, curatores, ecdici, actores, & procuratores. *d. l. ſigni. l. 15. ſed & ex. de dol.* Quemadmodum vniuerſi non iurabant, ſed per procuratorem aut defenſorem ciuitatis. *l. 34. Iuſiurandum & ad. de iureiur. l. 96. municipibus. de cond. & dem.* ſicut monaſterium vniuerſum non iurabat, ſed monachi tres delecti nomine cæterorum iurabant, Harmenopul. *lib. 1. tit. 1. cap. de conſuetudine:* per procuratorem litigabant, & habebant arcam communem, vnde & ſumptus litium cæterorúmque negotiorum pub. ſuppeditarentur. *l. 1. quod cuiuſq. vniu.* in veterum lapidum monumentis ſtatuas benemeritis de publica pecunia poſitas legimus. In quo quod a maiore parte collegij, ſiue quibus reip. cura creditur, decernetur, ab omnibus conſtitutum videtur. *l. 14. municipes. l. 19. quod maior. ad municip.* ¶ Quid igitur, ſi quid debeat ciuitas vel ex contractu, vel ex delicto. *d. §. animaduertendum.* vel ex condemnatione, ſi in lite vincantur? Quia quod vniuerſitas debet, à ſingulis non debetur, *l. 6. §. vniuerſitatis. de rer. diuiſ.* ideoque actio iudicati, neque in ſingulos ciues dabitur, ac ne in ſyndicum quidem, ſed in vniuerſos, vt ex communi arca iudicatum fiat. *l. 2. l. 7. ſicut fin. quod cuiuſq. vniuerſ. l. 4. de re iud.* Quod ſi ærarium municipes nó habeant, aut fortè ſit exhauſtum: tum quia poſſe videtur, qui efficere poteſt vt poſſit. *l. 135. non poteſt. ff. tit. ſeq.* expediendæ ſolutionis gratiâ, collatio pecuniæ in ſingulos pro cuiuſque viribus indicetur, pro iugerum & capitum quæ poſſident, numero. *l. 10. omnes. C. de oper. pub. l. vlt. C. de immunit. nem. conced.* ¶ Nec dubium eſt, in cauſam iudicati vectigalia municipum, & ſi qua publica habeant, capi poſſe, exemplo priuatorum, quibus ciuitates exæquantur. *l. ſeq.*

XVI. CAIVS lib. iij. ad Edictum prouinciale.

EVM qui vectigal populi Romani conductum habet, publicanum appellamus: Nam publica appellatio in compluribus cauſis, ad populum Romanum reſpicit.

CIVITATES enim loco priuatorum habentur.

ALCIATVS.

EVM QVI. ¶ Vectigal eſt, quod pro rebus ciuitati inuectis, vel euectis publico ſoluitur: ea eſt octaua pars. *l. ex præſtatione. C. de vectig.* vnde Octauarij quandoque dicti exactores: ſicut & Vigeſimarij, & Ducenarij. ¶ Sunt & fundi vectigales, qui ciuitatum ſunt, & mancipibus ita locantur, vt certum vectigal Reipublicæ pendant, quod in Diſpunctionibus à me adnotatum eſt lib. 3. cap. 10.

Publicanum. ¶ Quod publicum redimat, ſimpliciter enim publicum accipitur pro vectigali. M. Cicer. Tranquillo. & Tacito. Iabolenus: Qui operas, inquit, in publico quod vectigalium cauſa locatum eſt dat, Reipublicæ cauſa non abeſt. *l. miles. §. 1. ff. ex quib. cauſ. ma.*

Ciuitates. ¶ Atqui regulariter quod iuris de fiſco ſtatuimus, etiam de priuatis conſtitutum cenſetur, & e conuerſo: *l. item veniunt. §. in priuatorum. ff. de pet. her.* quapropter licet verbum, publicè, propriè ad fiſcum pertineat, non tamen idcirco differētia iuris aliqua inducitur. ¶ Sunt tamen quidam caſus, quibus plus tributum eſt fiſco, quàm cæteris ciuitatibus, vt in lege Iulia peculatus, vt aliqui ſentiunt: item in redhibitione rei morboſæ, quæ ex ædilitio edicto fit. *l. 1. § illud. eod. tit.* Sunt & alij, cum ciuitatibus omnibus pluſquàm priuatis conceditur, vt in præſcriptione, vel vſucapione, quæ vel longiori tempore, *l. fin. C. de ſacroſanct. eccleſ.* vel nullo modo conceditur: *l. vſucapionem. ff. de vſucapio.* idem ſi mancipium furto illis ſit ſubtractum, *l. mancipia. C. de ſer. fug.* atque id genus multa ſimilia. *l. ciuitas. ff. ſi cert. pet.* Sed nunquid ciuitatibus concedenda ſit reſtitutio in integrum? & communiter cōcedi aiunt, *l. rempub. C. de iure reipubl. lib. 11.* quoniam cùm per adminiſtratores regantur, ſi in contractu vel iudicio læſæ ſint, iuſta eſt cauſa reſtitutionis: idémque in oppidis, huiuſmodíque vniuerſitatibus, *l. reſpub. C. [illegible] nib. ex cauſ. ma.* quod vel maximè procedit, ſi in eis ſint & pupilli, & furioſi, & viduæ, & id genus, qui aliàs iure communi reſtituuntur.

BRECHÆVS.

EVM QVI. ¶ Quia ſuperiori capite dictum eſt, verbum Publicum, ad populi reíque publicæ Romanæ ſtatum propriè pertinere, rectè quidem dicemus publicanum eum eſſe, qui publico fruatur, ſiue fiſco vectigal penſitet, ſiue etiam tributum conſequatur, atque inde nomen habere, ſcilicet, a publico. Præterea, & omnes qui quid à fiſco conducunt publicanos appellari Vlpianus ſcribit in *l. 1. de publica. §. his titulus.* ¶ Publicum autem, vnde publicani dicti, pro vectigali accipitur. Cicero ad Qu. fratrem. Hic te ita verſari, vt & publicanis ſatisfacias, præſertim publicis malè redemptis, &c. publicis, id eſt, vectigalibus. Quod eleganter Budæus annotauit, in *l. miles. §. qui operas. ex quibus cauſ. maio.* ¶ Publicani dicti ſunt Decumani, vt author eſt Aſconius Pædia. Veruntamen videtur Cicero in actio. 4. in Verrem appellare Decumanos principes, & quaſi Senatores Publicanorum, his verbis. Decumani, hoc eſt principes & quaſi Senatores Publicanorum, remouēdas de medio literas cenſuerunt

runt. Publicani ſunt qui à Græcis *δημόσιοι* appellantur, vt eſt in *l. deprecatio. ad legem Rhod. de iactu.* κύριε βασιλεῦ Ἀντωνῖνε, ναυάγιον ποιήσαντες ἐν τῇ Ἰκαρίᾳ διηρπάγημεν ὑπὸ τῶν δημοσίων τῶν τὰς Κυκλάδας νήσους οἰκούντων, &c. A publicanis Cycladarum incolis direpti. Sed apud Demoſth. legimus in *Oratione aduerſus Timocraten* (niſi longè falſa eſt memoria) *δημόσιον* publicum ciuitatis ſeruum. Item apud Etymolog. δημόσιος ὁ τῆς πόλεως δοῦλος. Οἱ ὑπηρετοῦντες τοῖς δικαστηρίοις καὶ τοῖς κοινοῖς ἔργοις. Quod ciuitatis ſeruum & publicorum operum miniſtrum ſignificat. Et *δημοσιεύειν*, τὸ τὰ δημόσια ὑπηρετεῖν. Cæterùm Publicanus à Græcis dicitur ὁ τελώνης. Τὰ τέλη γὰρ dicuntur vectigalia, ſicut *φόροι*, tributa authore Budæo. Vnde *τελωνεῖν* dictum καὶ τελωνῶν ῥῆμα, vectigalia redimo. *τελώνης* igitur publicanus & vectigalium redemptor dicitur. Nam *ὠνεῖσθαι* emere ſignificat. καὶ οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ φαρισαῖοι ἰδόντες αὐτὸν ἐσθίοντα μετὰ τῶν τελωνῶν καὶ ἁμαρτωλῶν, &c. Videntes eum Scribæ & Phariſæi comedentẽ cum publicanis & peccatoribus. ¶ Publicani quondam maximo in honore fuerint. Quandoquidem ſequeſtris ordinis principes publicani extitère: floſque equitum Romanorum publicanorum ordine continebatur. Quod ex Cicerone colligere poſſumus *in oratione pro Cn. Plancio.* Adiungam (inquit) ſi vis, id quod tu etiam obeſſe putas, patrem publicanum: qui ordo quanto adiumento ſit in honore, quis neſcit? Flos enim equitũ Rom. ornamentum ciuitatis, firmamentum Reipub. publicanorum ordine continetur. Quis eſt ergo qui neget eius ordinis ſtudium fuiſſe in honore Plancij ſingulare? neque iniuria: vel quòd erat pater is qui eſt princeps iamdiu publicanorum &c. Apud T. Liuium *lib. 5. deca. 3.* memini me legiſſe maximam Poſthumij Publicani, qui multis annis parem fraude auaritiáque neminem in ciuitate habuerat pręter Lucium Pomponium Veientanum fraudem factam in his rebus quæ portarentur ad exercitus, ementitis naufragiis, à Senatu animaduerſum minime fuiſſe, nec vllo Senatuſconſulto notatam: quia Patres ordinem publicanorum in tali tempore offenſum nolebant. Hos tamen omnibus odio fuiſſe palàm eſt: atque eorum nomen inuiſum vnicuique & contumelioſum. Vnde illud Euangelij: Sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus. Publicanos propria appellatione dicemus eos eſſe qui vectigal populi Rom. conductum habent. quos etiam mancipes vocat Cicero, qui quæſtus ſui cauſa, decumas redimunt, aut portoria, aut paſcua publica: quorum ratio Scriptura dicebatur. Hi enim exigẽda à ſociis ſuo periculo redimunt, & Reip. repræſentant: prouidentes etiam in illa redemptione commodis ſuis. Hæc Aſcon. Pædianus in *princ. Diuinat.* Impropriè autem & per abuſum, aliarum ciuitatum publicanos appellabimus. Sed hodie antiquata ſuperba illa Romanorũ Repub. atq; imperio, hęc quoq; ſignificatio antiquata eſt. Neq; verò in hac maxima luculentáq; Frãcorum Rep. idipſum admittitur, niſi in his quæ vel maximè ad res Regias ſpectant. Nullo enim in loco populus habetur: ſoláq; regẽdæ Reipubl. & Regni tuendi poteſtas ipſi Regi & Principi noſtro conceſſa eſt. Reliqui omnes priuati cenſentur.

Vectigal. ¶ Quæ pro importatis & exportatis penduntur τοῦτ' ἐστι τελωνεῖται vectigalis nomine cenſentur. Eſt itaque vectigal tributum, τὸ τέλος ſeu *φόρος*: vnde *τελώνης*, id eſt, publicanus, ſicuti ſuperiùs admonuimus, & vectigalium redemptor. Eſt autem redimere vectigalia, quod nos vulgò dicimus accipere ad firmam, tributum ſeu pedagium. Et redemptores publicorum vel priuatorum operum, quì opus aliquod faciendum à publico aut à priuato ſuſcipiunt. *l. cuicunque. §. Labeo. de inſtit. act. l. redemptores. de rei vend. l. ſi ventri. §. 1. de priuileg. credit. l. cùm in plures. §. lege locat. l. 1. in quib. cauſ. tac. pign. vel hyp. con.* Græci τὰς ἐργολαβίας. Nam propriè, inquit Budæus, ἐργολαβεῖν eſt redempturas facere, vt mancipes & conductores ſolent, quod & μισθοῦσθαι, καὶ ὠνεῖσθαι dicitur. φορολόγος collector talliarũ vulgò dicitur. Nam φορολογεῖν tallias colligere ſignificat: ſicut ἀργυρολόγος mulctarũ exactor & coactor, Budęo teſte. ¶ A vectigali, vectigales appellamus eos qui penſitandis vectigalibus addicuntur, id eſt, tributarij. Cicero in *3. lib. de offic.* Non igitur vtilis illa L. Philippi, Q. filij ſententia, quas ciuitates L. Sylla pecunia accepta ex Senatuſconſulto liberaſſet, vt hæ rurſus vectigales eſſent, neque his pecuniã, quam pro libertate dederant, redderemus. Ei Senatus eſt aſſenſus. Turpe fuit imperio. Piratarum enim melior fides quàm Senatus. Et aucta vectigalia ſunt: vtile igitur. Quouſque audebunt dicere quicquam vtile quod nõ honeſtum? Sed & vectigales equos Cicero *Philipp. 2.* dixit, pro his qui vectigalis nomine & iure deberentur. Acceſſit (inquit) vt Cæſare ignaro, cùm eſſet ille Alexandriæ beneficio amicorum eius, magiſter equitum conſtitueretur. Tum exiſtimauit ſe ſuo iure cum Hippia viuere, & equos vectigales Sergio Mimo tradere. Equos vectigales hoc loco dixit Cicero, ſtipendiarios & ex quorum lucro vectigal Sergio Mimo adferretur. ¶ Vnde colligimus vectigal nõ ſolùm accipi pro eo tributo quod ex publico debetur, ſed etiam ex rebus priuatorum, atque id eſſe quod vulgò dicimus rentam annuam. Paulus in *l. arbores. ad finem, de vſufruct.* Cæſæ (inquit) arundinis, vel pali compendium, ſi in eo quoque fundo vectigal eſſe conſueuit, ad fructuarium pertinet. Cicero *lib. 2. Offic.* Vt bona valetudo voluptati anteponatur, vires celeritati, externorum autem gloria diuitiis, vt vectigalia vrbana ruſticis ædibus & mercibus &c. Et alio in loco. Non intelligunt homines quàm magnum vectigal ſit parſimonia. ¶ Quamobrem ſicut fiſci & publici vectigalis redemptores, Publicanos appellabant veteres, vt in *l. in honoribus. §. non alios. de vac. & excuſ. mun.* Ita & nos his temporibus priuatarũ Rerum & prædialium redemptores, publicanos, quos vulgò fermerios nuncupamus. Nam vectigal à vehendo dictum Latini volunt, quòd ſcilicet ex prædiis ruſticis in vrbem fruges aduehebantur. ¶ Cæterùm, redemptores etiam appellamus eos prævaricatores, qui data pecunia alienas actiones redimunt, ſuſque aliorum ſubeunt, *vt l. per diuerſos. C. mandati.* Sed hæc quidem ſpuria videtur eſſe ſignificatio, & à Romani eloquij candore aliena. Vide quæ eleganter in *hanc l. ſcribit Connanus, libro quarto Commẽtar. ciuilis. cap. 16. ad principium.*

FORNERIVS.

EVM QVI. ¶ Publicani qui publica vectigalia cõduxerunt, redemerũt, qui publico fruuntur. *l. 1. l. 12.*

quanta

quantæ fin.l.ſeq.de publican.l.33.vt in.pro ſoc. vel vt Iſidorus *lib.* 10. *Etymol.* qui vectigalia publica exigunt. Telonarij *l.3.C.Theod.de indulgent.trib.* id eſt, finiente Moſchopulo, οἱ τὰ τέλη ἀγοράζοντες οἷοι εἰσὶν οἱ τὰ τῶν ἀτελῶν, καὶ τὰ τῶν ἀντιπαλῶν διαπραγματευόμενοι. Telonei canon Caſſiod.*lib.5.* Cicero *pro lege Manilia, & de prouinc.conſular.* Victruuius *lib.8.cap.7.*[Vectigalia tueotur per publicanos.]

Publica appellatio. ¶Sic paſſim, at vitioſè, pro *publico*: Publicum, vnde & publicani nomen inuenere, τὸ δημόσιον, *La doüane.* pro vectigali, apud C.Suetonium, & Quinctilian. *declam.340.& 341.* Seneca *lib. 21.epiſt.vlt.* [Parauetam fiſcos, circumſpiciebam in quod me mate negotiaturus immitterem, quod quod publicum agitarem, quas accerſerem merces.] *l.13.iniuriarum.* ff.*de iniur.* [Conductori veteres interdictum dederunt; ſi fortè publicè hoc conduxerit.] Perperàm Florentinus codex, pro [publicum,] edidit. Vlpianus, [Publicani ſunt, inquit qui publico fruuntur: nam inde nomen habent, ſiue fiſco vectigal pendant, vel tributum conſequantur, & omnes qui quid à fiſco conducunt rectè appellantur Publicani.] *d. l.1.* ff.*de publica.* Cenſorinus *de die natali*, ex accurata Lod. Carrionis eruditi viri emendatione, de Pontificibus, quorũ arbitrio intercalandi ratio permittebatur, [Horum, inquit, pleriq; ob odium vel gratiam, quo quis magiſtratu citius abiret, diutiúſve fungeretur; aut publici redemptor ex anni magnitudine in lucro damnóve eſſet, rem ſibi ad corrigendum mandatam vltrò deprauarunt.]

Ciuitates. ¶Ciuitates priuatorum iure cenſas, cùm multa alia, tum hęc potiſſimùm arguunt. Municipales magiſtratus, neque de crimine, neque de liberali cauſa cognoſcunt. *l.12.magiſtratibus.* ff.*de Iuriſd.l.pen.C.ne de ſtat.def.* Actiones ædilitiæ, quæ in cauſis fiſcalibus ceſſant, in reip. venditionibus obtinent. *l.1.§.illud.de ad.ed.* Fiſcus in haſtarum addictionibus adiectionis tẽpora habet, ciuitas minimè. *l.21. Lucius ſi. ad municip.l.1. C.de vend.rer.ciu.l.pen.C.de omn.agr.deſ.l.4.C.de iur.haſt.fiſ.* ¶ Fiſcus in bonis debitorum ſingulare priuilegium habet, ciuitates neutiquam. *l.46.auferrur.§ fiſcus.* ff. *de iur.fiſ.l.1.l.2.C.in quibus cauſ.pign.vel hyp.l.10.ſimile.ad Municip.l.2.C.de iur.reip.* In pecuniæ municipalis ſurreptione furtum fit, non peculatus, niſi ex Traiani & Adriani conſtitutione. *l. 31.ſed & ſi mag.ſi. l.83.ob rem.* ff.*de furt.l.4.* ff.*ad leg.Iul.pecul.* In res fiſci non cadit vſucapio. *l.2.C. comm.de vſuc.l.18.quãuis.de vſucap.* Idem & in ciuitatum fortè rebus. *l.9.vſucapionem.de vſucap.* Sed eas tamen longi temporis præſcriptione acquiri verius eſt. *l.1.ſi.C.de præſcr.long.temp.* Paulus ſentẽt. *lib.5.tit.*11. Vectigalia fiſci aut populi Rom. non vſucapiuntur. *l.12.cùm ſponſus.de public.in rem act.* [Si tamẽ ciuitates & municipes] (ſic enim rectiùs Florentiæ, quàm quod alij malunt [mancipes,]) non cauerint, dominium per longum tempus acquiretur.] *l.15.ſi finita.§.ſi de vectigalibus.de damn.inf.* ¶ Denique quod de municipibus & rep. Cirtenſium Seuerus & Antoninus reſcripſerant, Paulus & in quolibet priuato obſeruandum reſpondit. *l.pen.de iur.& fact.ign.* In ſumma ciuitates priuatorum habentur loco, niſi à principe priuilegium impetrarint. *l.10.l.vlt.C.de vectig.l.2.C.vectig.non.inſt.non poſſ.* Nec quod Iuſtinianus *extremo Nouel.*160. ſe ex æquo oportere ciuitatum ac rerum fiſci curæ ſtudere ait, ἡμᾶς τε ἐν ἴσῳ τοῖς δημοσίοις καὶ τῶν χρεῶν, καὶ τῶν πόλεων, id nequaquam in vniuerſum, ſed ex ſubiecto rei argumento, de vſuris ſcilicet pecuniæ à ciuitatibus creditæ ac reditibus annuis accipiendum exiſtimo.

XVII. VLPIANVS lib.x.ad Edictum.

INTER Publica habemus non ſacra, nec religioſa: nec quæ publicis vſibus deſtinata ſunt: ſed ſi qua ſint ciuitatium velut bona: ſed peculia ſeruorum ciuitatium proculdubio publica habentur.

ALCIATVS.

INTER PVBLICA. ¶Publicæ res proprio ſermone ſunt, quæ populi Romani ſunt. Sed & quæ ciuitatum in vſu publico dicuntur: *l.ſed Celſus.* ff.*de contrah.emp.* latiſſima verò ſignificatione, etiam ſi in publico vſu non ſint, ita tamen appellantur: *l.in tantum.§.vniuerſitatis. de rer. diuiſ.* quem ſenſum iuriſconſultus hìc ſequutus eſt, & propterea non publica hæc eſſe, ſed inter publica haberi ait. ¶ Sanè & quæ iure naturali communia ſunt, eorum vſus iure gentium eſt publicus, §.1.*de rer.diuiſ. Inſtit.* & occupanti conceditur: quod non eſt in his, quæ iure ciuili publica ſunt, de quibus hìc agitur.

BRECHÆVS.

INTER PVBLICA. ¶ Publica ea eſſe diximus quæ populi vſibus ſunt accommodata, & quibus populus ſuo iure vti poteſt: qualia ſunt Theatra, ſtadia, forum, vitæ baſilicæ, & ſimilia, quę propria verbi ſignificatione publica ſunt. Sed καταχρηστικῶς & impropriè publica cenſeri debere hoc capite Vlpianus ſcribit, quæ propria ciuitatum ſunt, & velut in earum patrimonio ſita. ¶ Iam verò quod ad communis & publici appellationem attinet, meminiſſe te velim, lector optime, nihil eſſe inter vtrũq; diſcriminis: atque alterum pro altero, & promiſcuè ſæpiſſimè vſurpari. Quemadmodum ius naturale pro iure gentium aliquando dicimus, id eſt, ex naturali ratione deriuatum. Nam publicum, dicitur quod iure gentium ad publicum vſum ſecundum dominia diſtincta pertinet. Communis verò quod hoc iure naturali omnibus æquè exponitur. Vt aër, aqua profluens, &c. Ouidius in *lib. Metamorphoſ.*

Quid prohibetis aquas? vſus communis aquarum eſt:
Nec Solem proprium natura, nec aera fecit.

¶ Sacra autem, & religioſa, & quæ publicis vſibus ſunt deſtinata, inter publica non habentur, quia in nullius bonis ſunt. §.*ſancta. inſtit.de rer.diuiſ.* & poſſideri non poſſunt, nec in cuiuſquam patrimonium redigi.

FORN

FORNERIVS.

INTER PVBLICA. ¶ Publici verbo hoc loco, non ea quorum vſus populi communis eſt, forum, theatrum, baſilicæ, ſignificantur. *l. 5. de rer. diuiſ. §. flumina. §. riparum. eod. tit. inſtit. l. 30. ergo. de acq. rer. dom.* ſed vectigalia, de quibus hoc capite agi Græcorũ indicat paraphraſis, καὶ ὃν τρόπον τῶν κεφαλαίων ἰδίως … ἰδιωτικῶν φησι. vt peculia ſeruorum. ¶ Vt enim priuatorum ſerui dominis ſtipulantur, poſſident & acquirunt. *tit. per quas perſon. C. & Inſt. tit. de ſtip. ſeru. l. 1. l. 2. de acq. poſſ. l. 15. ſi is qui, de vſucap.* Ita & vniuerſitati per ſeruum publicum quæritur. *l. 9. fine ſi. de publ. in rem act.* Vniuerſitati, inquam, non ſingulis ciuibus: Nec enim ſingulorum eſt municipum ſeruus, ſed vniuerſorum. *l. 6. in tantum. §. 1. de rer. diu. l. 1. §. ſeruum. de quæſt. l. 10. ſed ſi. §. qui manumittitur. de in ius voc.* Seruus inſtrumentum animatum, inſtrumentum ſeruus inanimatus eleganter nominatur, ὁ γὰρ δοῦλος ἔμψυχον ὄργανον, τὸ δ᾽ ὄργανον ἄψυχος δοῦλος. Ariſtoteli. *lib. 8. Ethic. c. 12. quæſitum. de inſtruct. vel inſtrum. leg.* Varro *lib. 1. cap. 7. de re ruſtic.*

§. j. PVBLICA vectigalia intelligere debemus, ex quibus vectigal fiſcus capit: quale eſt vectigal, portus, vel venalium rerum; Item ſalinarum, & metallorum, & picariarum.

ALCIATVS.

FISCVS. ¶ Ærarium populi erat, fiſcus principis, donec omnia princeps in fiſcum ſuum tranſtulit. ¶ Conſtat autem (vt Pedianus ait) canone, indictione, oblatione. Canon ordinarius principũ reditus ſignificat, vt portoria & eiuſmodi, quæ in vrbium exitu, vel ingreſſu ſoluuntur. Oblatio nomen ſumpſit, quòd à popularibus olim oblarum principi id munus ſit: ea continetur octaua, vel vigeſima, vel quicquid ex conſuetudine de rebus promercalibus ſolat pendi, quarum mentio hic habetur. Indictio eſt quod edicto principis ſubditis indicitur, quod vt plurimùm certam quantitatem nõ complectitur. Sed hæc quomodo in iure aliter diſtinguantur, infra diſſeram.

Venalium. ¶ Hæc eſt octaua pars, ſicut metallorũ decima. *l. cunctis. C. de metal. lib.* 11. In ſalinis verò ea eſt vectigalis natura, vt ſoli mancipes. *l. ſi quis. de vectig.* hoc eſt, qui à fiſco hoc ius emerũt, ſal vendant: idque principis monopolium eſt, quod antiquis quoque inſtitutum fuit: quapropter Liuius Salinator dictus. idémque in piſcariis, ſecundum regionum quarundam morem obſeruatum eſt.

BRECHÆVS.

PVBLICA VECTIGALIA. ¶ Superiùs dictum eſt publicanum eum eſſe, qui vectigal populi Rom. conductum habet. Nunc verò quæ ſint vectigalia publica abſoluit. ¶ Publica autem vectigalia ea eſſe dicit Vlpian. ex quibus vectigal fiſcus capit: id eſt, ex quibus prouentum, vtilitatem ac fructum fiſcus conſequitur. ¶ Solebat autem antiquitus prædiorum pars viceſima fiſco perſolui, ſicut Oſilius tradit. Et Cornel. Tacitus ſcriptum reliquit viceſimam partem rei, tributi loco, vel vectigalium nomine exactam fuiſſe, hócque inuentum publicanorum. Sed Plinius in Panægyrico ſummoperè Traianum Imperatorem commendat, quòd viceſimarum vectigal ſuſtulerit. ¶ Mutata autem ſæpe fuit hæc vectigalis penſitandi ratio, cùm ſcilicet, nunc centeſima, nunc ducenteſima pars exigeretur. Item etiam octaua, à qua neque militaris ordinis, nec cuiuſuis alterius conditionis homines Imperator immunes eſſe voluit, vt eſt *in l. ex præſtatione. & l. ſeq. C. de vectig. & com.* Vnde qui id ipſum vectigal cogebat, Octauarij dicebantur. ¶ Decimæ quoque partis vectigal aliquando fuit. Scribit Appianus Alex. *lib.* 1. bello ciuilium, ſub principium lib. Rom. colonis dediſſe colendos agros, quos bello ſibi quæſierant, eóſq; graſſantis belli iniuria, incultos relictos: ex quibus quidem agris vectigalia annua publicè pendebant coloni: partem ſcilicet decimam ſeminũ, fructuum verò omnium quos ex arboribus percepiſſent, quintam. Pecorum vectigalium rationem quandam etiam præſcripſerant. Hoc autem vectigal ſtipendiarium dicebatur, id eſt, certum: vt author eſt Cicero *Actio. 5. in Verrem.* Inter Siciliam (inquit) ceteráſq; prouincias, iudices, in agrorum vectigalium rationibus hoc intereſt, quòd cæteris aut impoſitum vectigal eſt certum, quod ſtipendiarium dicitur, vt Hiſpanis, & pleriſq; Pœnorum, quaſi victoriæ præmium ac pœna belli, aut cenſoria locatio conſtituta eſt, vt Aſię, lege Semptonia. Siciliæ ciuitates ſic in amicitiam fidémque recepimus, vt eodem iure eſſent, quo fuiſſent, eadem conditione Populo Romano parerent, qua ſuis antea paruiſſent. Perpaucæ Siciliæ ciuitates ſunt bello à maioribus ſubactæ, quarum ager cùm eſſet publicus Pop. Rom. factus, tamen illis eſt redditus. is ager à Cenſoribus locari ſolet. Fœderatæ ciuitates duæ ſunt, quarum Decumę venire non ſoleant: Mamertina, & Taurominitana: quinq; præterea ſine fœdere immunes ciuitates ac liberæ, Centuripina, Haleſina, Segeſtana, Halicyenſis, Panormitana. Præterea omnis ager Siciliæ ciuitatum Decumanus eſt: itémq; ante imperiũ pop. R. ipſorum Siculorum voluntate & inſtitutus fuit. Videte nunc maiorum ſapientiam, qui cùm Siciliam tam opportunum ſubſidium belli atq; pacis ad Remp. adiunxiſſent, tanta cura Siculos tueri & retinere voluerunt, vt non modò eorũ agris vectigal nouum nullum imponerent, ſed ne legem quidem venditionis Decumarũ, néve vendundis aut tempus, aut locũ cõmutarent, vt certo tempore anni, vt ibidem in Sicilia, deniq; vt lege Hieronica venderent. Hoc Ciceronis loco ampliſſimo docemur qualiter à Rom. ex publico vectigal exigeretur, & ſubditos Po. Ro. agros modò vectigales, modò Decumanos eſſe: id eſt, ex quorum fructibus pars decima Po. R. ſolueretur, vt idẽ ipſe Cic. in eodem loco, paulò inferiùs teſtatur his verbis. L. Octauio, & C. Cottæ conſulib. Senatus permiſit, vt vini & olei Decumas, & frugum minutarum quas ante re quæſtores in Sicilia vendere conſueſſent, Romę venderent, legémq; his rebus, quàm ipſis videretur, edicerent, &c. Decumas, decimã partem intelligit. ¶ Neq; verò agris ſolùm impoſita fuêre à Rom. vectigalia, ſed & etiam corporibus virorum & mulierum. Hoc autẽ factum fuiſſe tradit Appianus

piauus Alex. in *bello Libyco*, vbi primum Rom.potiti ſunt rerum Carthaginenſium, pactáque ab his victoria. Fuit aliquando tempus cùm Romani ducenteſimam partem vectigalium nomine exigerent : quam quidem Caligula initio Imperij ſui remiſit, vt author eſt C.Suetonius Tranq. in Calig. *cap.16.* Sed tandem cùm ab ea pietate prorſus degeneraſſet,noua vectigalia atque inaudita, primum per publicanos,deinde quia lucrum exuberabat (ait ipſe Tranq.) per Centuriones Tribunóſq; prætorianos exercuit,nullo rerum aut hominum genere omiſſo, cui non tributi aliquid imponeret. Pro eduliis quæ tota vrbe venirent,certum ſtatúmque exigebatur.Pro litibus atque iudiciis vbicunque conceptis , quadrageſima ſummæ,de qua litigaretur : nec ſine pœna ſi quis compoſuiſſe vel donaſſe negotium conuinceretur.Ex gerulorum diurnis quæſtibus , pars 8.ex capturis proſtitutarum quantum vno quæque concubitu meret. Additúmque ad caput legis,vt tenerentur publico , & quæ meretricium,quæve lenocinium feciſſent:necnon & matrimonia obnoxia eſſent.Hic publicum Tranq. pro vectigali poſuit.De quo ſuperius diximus.

Fiſcus capit. .¶ Multifariam fiſcus & varia ſignificatione accipitur. Primum quidem à ruſticæ rei ſcriptoribus fiſcus pro qualo oleario ponitur , qui ceruici torcularis ſupponitur , ne fraces in lacum cùm oleo defluant : vel etiam pro qualo in quo ponuntur oliuæ, cum prælo ſupponuntur, vt amurca exudet,& per vimina perfluat. Vlpia.*in l.ſed addes.§.illud nobis.ff.locat.*fiſcus autem (inquit) quibus ad premendam oleam vtimur, colonum ſibi præparare debere Neratius ſcripſit. In hunc etiam ſenſum interpretatur Budæus *in d.§.illud nobis.*Fiſcos etiam ſeu fiſcellas appellant calathos viminibus intextos.Vergil.Ægloga ſeptima. *Dum ſedet,& gracili fiſcellam texit hibiſco.*

Et Columella *lib.12.cap.*18.Si ager amplius,aut vineta, aut arbuſta grandia ſunt, perennæ fabricandæ ſunt decimodiæ, & trimodiæ, & fiſcellæ texendæ & picandæ. Et paulò poſt.Funiculi quoque fiſcellia aptandi ſunt,& loca trimodiis : tum lacus vinarij,& torcularij,& fora,omnéque vaſa,ſi vicinum eſt mare,aqua marina,ſi minus,dulci eluende ſunt & cómundanda,& diligenter aſſicanda,ne humorem habeant. ¶ Fiſci(ait Aſc.Pæd.*act.*2.in Verr.)fiſcinæ,fiſcellæ,ſpartea ſunt vtenſilia ad maioris ſummæ pecunias capiendas. Vnde quia maior eſt ſumma pecuniæ publicæ quam priuatæ , vt pro cenſu priuato,Ærarium dicitur,pro loculis & arca theſaurus:ita pro ſacello,fiſcus. Vnde fiſcus, pecunia publica.& confiſcare dici ſolet.Hæc ille. Suetonius *in Tyberio.cap.*101. Nam & confiſcatam ſemper repoſitámque habuerat:Et alibi *in Augu.*Et quos metus magis quàm voluntas contineret,facultate L.Antonij ducis præbita, detegentur ; deuictíſque his & confiſcatis,promiſſa veteranis præmia ſoluerentur.Confiſcatis,id eſt,in ærarium publicum redectis. Ab hoc verbo confiſcare, confiſcationem nunc vſurpauimus,quando damnatorum bona Regi & Principi noſtro addicuntur. Quamuis autem hoc loci Vlp.pro pecunia publica fiſcum accipiat, propria tamen ſignificatione Principis fiſcum dicimus: Ærarium verò populi & Reip.Iuuenalis *Sat.*4. *Quicquid conſpicuum pulchrúmque eſt æquore toto*
Res fiſci eſt vbicunque natat.

Plin.Secundus *ad Traianum in Panegyr.* At fortaſſe non eadem ſeueritate fiſcum cohibes, imo tanto maiore, quantò plus tibi licere de tuo,quàm de publico credis. Dicitur actori atque etiam procuratori tuo,in ius veni,ſequere ad tribunal: nam tribunal quoque excogitarum cruciatu eſt par cæteris,niſi illud litigatoris amplitudine metiaris. Sors & vrna fiſco iudicem aſſignat, licet reiicere,licet exclamare,hunc nolo:timidus eſt,& bone ſeculi parum intelligit:illum volo qui Cæſarem fortiter amat.Eodem foro vtuntur principatus & libertas. Quæ præcipue tua gloria eſt,ſæpius vincitur fiſcus, cuius mala cauſa nunquam eſt , niſi ſub bono principe. Suet.in Auguſto circe finem, vbi de Auguſti teſtam ento agit. Tertiò inquit breuiarium totius Imperij,quantum militum ſub ſignis vbique eſſet, quantum pecuniæ in ærario & fiſcis,& vectigaliorum reſiduis. ¶ Iam verò quantum ab ærario diſter fiſcus,Dion etiam in vita Traiani commemorat.Ærarium (ait Budæus)dixerunt pecuniam publicam & Imperij:fiſcum verò pecuniam Imperatoris,quem Domanium dicimus. Quod autem ſolebant antiqui pecunias publicas(propterea quod,vt diximus numeroſiores eſſent priuatis) fiſcis condere,hoc ipſum his noſtris temporibus obſeruari videmus.Quandoquidem quæſtores & coactores,fiſcis pecuniam publicam,id eſt, Regiam differunt,binos fiſcos clitellariis equis imponentes. ¶ Ad fiſcum igitur ſpectant hæ res quæ in Principis patrimonio eſſe cenſentur:quæ fiſcales ab Vlpian. dicuntur *in l. Prætor ait. §.hoc interdictum.*Ne quid in loco pub.Res(inquit)fiſcales quaſi propriæ & priuatæ principis ſunt.Idem quoque Firmicus ſentire videtur his verbis. Faciet(inquit) Imperatorum exactores,& qui annuas fiſcatiorum præſtationes reperát:& qui diſcuſſiones rationales tractare conſueuerint.Fiſcarij ab ipſo dicuntur qui fiſcum redimunt,& fiſci redemptores:ſicut & vectigaliarij qui vectigalia, apud eundem Firmicum. Erunt,inquit,aut publicani,aut vectigaliarij curioſi,&c. Et curſus fiſcalis dicebatur publicus: vt ſuperius annotauimus. Similiter & vſuræ fiſcales,quæ fiſco,i.Imperatori debentur:vt eſt *in l.1.de vſur.fiſc.li.*10.*C.* Sic hodie procuratorē fiſcalē dicimus eum, cui cura eorum quæ ad Regis & principis iura pertinent,demandatata eſt. Eum autem Cognitorem Regium Bud.appellat, quem vulgò procuratorem Regium generalem dicunt. Cui quidem ſoli in agitendis quæſtionib.ſeu publica ſint,ſeu priuata iudicia,& ſtipulatori publico, licet reus pœnam iure ſuo,ſuppliciúmq; irrogare libello.Quod & mulctem dicere appellabant antiqui,Græci τίμημα ἐπιγράφειν.Cætere vide *in Forenſ.*Qui verò in præfecturis Regiis funguntur hoc magiſtratu,non cognitores Regij,ſed procognitoribus ſunt,vel ſubcognitores:vulgò ſubſtitutos dicimus,eod.Bud.authore. Procurator fiſcalis ſeu fiſci procurator,nihil aliud fuiſſe arbitror, quam quod etiam nuncupabant procuratorem Cæſaris,quem Iulius Capitolinus in Maximino videtur rationalem etiam appellaſſe. Quæ fuit Alc.quoq; ſententia in *in l.de fun.reip.priua.lib.*11.*C.* ſed hoc aduerſus iuriſc. recentiorum opinionem *in l.1.de off.procurat. Cæſaris.* Niſi dixeris rationalis verbum generale eſſe , quod & fiſci , & Cæſaris procuratorem complectitur. ¶ Cæſaris autem procurator is eſt qui in exequendis atque obeundis Cæſaris negotiis,

ipſum Cæſarem refert & repræſentat, perinde atque quiuis alius procurator in priuatorum rebus: quæque ab eo acta geſtáque ſunt, ita comprobantur, ac ſi Cæſar ipſe agendis rebus & interfuiſſet & præfuiſſet. *d.l.1.ff.de offic.proc.Cæſ.* Non poteſt tamen Præſidis prouinciæ partes agere: ſed nec deſertæ accuſationis pœnam, quæ quinque librarum auri erat, *vt l.3.ad fi.ff.de præuar.* exigere poterat. *l.procurator meus. C.vbi cauſ.fiſcal.* Cognoſcebat nihilominus inter fiſcum & priuatum: item etiam inter duos priuatos, quandocumque eorum alter Cæſaris res conducto acceperat, *l.ad fiſcum.& l.ſeq.C.eo. tit. Vbi cauſ.fiſc.* Quo loco videre eſt (ſic enim ducit coniectura) Procuratorem Cæſaris ſuperiorem dignitate fiſci procuratorem fuiſſe. Hodie promiſcua eſt vtriuſque appellatio: & frequenter fiſcum pro ipſo Rege dicimus. At cùm hic Vlpianus dicit publica vectigalia eſſe ex quibus prouentum fiſcus conſequitur, aut ille pro ærario populi fiſcum indiſtinctè atque ἀδιαφόρως accepiſſe videtur, aut καταχρηστικῶς poſuiſſe. Nam propriè, Ærarium publicam pecuniam appellabant & Imperij: quod in *Saturni* Saturni æde recondi ſolebat. Tradunt enim Valerium Publicolam, qui Saturni ædem conſtruxit, loci opportunitate ductum, cum omni aditu perſepto, vndique præruptus, & ab acceſſu munitus locus foret, eandem Saturni ædem, æris publici, legúmque & ſenatuſconſultorum, ac tabularum publicarum & ſignorum militarium ſacrarium eſſe voluiſſe. De qua re videbis diffuſius apud Alexandrum ab Alex. *genialium dierum libro ſecundo.c.2.* ¶ Redeundum iam nobis eſt ad rem. Publica igitur vectigalia, hic intelligere videtur Vlp. eas res quæ in Pop. Rom. patrimonio eſſe cenſentur. Etenim (vt iam diximus) aliud erat pecunia principis, aliud autem pecunia Po. Ro. Ad fiſcum ſcilicet, extraordinarij reditus & prouentus dicuntur pertinere. At verò Ærarium populi continebatur tributis & vectigalibus: quæ, vt Cicer. tradit *in Oration. pro lege Manilia*, erant triplicis generis, videlicet ex agricolatione, mercibus exportatis vel importatis, quæ & exagogica & iſagogica dicebantur: præterea & ex agris paſcuis. Primum: decimas complectitur: ſecundum, Portorium. Tertium nomen fit ſcriptura. Ad hæc fuit quoque Salinarum vectigal. Sed ſi quæ res adeſpotæ eſſent, id eſt, nullius dominio mancipatę, in Cęſaris patrimonium recidebant. Quamobrem erat in Ægypto, poſtquàm in prouincię formam redacta fuit, magiſtratus, qui Strab. authore ἴδιος λόγος dicebatur, i. priuata ratio, ὃς τῶν ἀδεσπότων, καὶ τῶν εἰς Καίσαρα πίπτειν ὀφειλόντων ἐξεταστής ἐστι, id eſt, earum rerum indagator atque explorator quæ aſſertorem nullum haberent, quæque Cæſari deberentur & in eum reciderent: hoc eſt quæ in fiſcum, non in ęrarium populi reponerentur. ¶ Earum quidem rerum quæ ad Po. Rom. pertinebant, prouentus & reditus, Stipendiarij dicebantur, ſicut ſuperius ex Cicerone annotauimus: propterea quòd Stipes ἔρανον, ſiue collationem ſignificet, authore Theophilo *in §.traditio. Inſt. de rer. diuiſ.* & argenti aliarúmque rerum collectionem. ὅτι στίπες ἐστὶν ὁ ἔρανος, καὶ κατὰ μικρὸν γινομένη τοῦ ἀργύρου, καὶ τῶν ἄλλων συλλογή. Etenim ἐρανίζειν Budæo interprete ſignificat colligere, corrogare & emendicare, atque etiam conferre inter ſeſe καὶ ἐρανίζομαι, ἀντὶ τοῦ ἔρανον αἰτῶ καὶ συνάγω. Significat etiam quæſtum facere & capturas factitare, ipſo Bud. authore. Et quidem Etymolog. ἔρανος τὸ ἐκ συνεισφορᾶς ἄριστον, ἢ ἐν τελεῖ, ἢ συλλογὴ ἢ εἰσφορά. Nam εἰσφέρω tributum pendo ſignificat: quod Plinius *in Panegyrico* Græcorum more, inferre tributum dixit. Vnde εἰσφορά, tributum, & collatio: & ἀνεισφορία immunitas ab hoc tributo & collatione. Sic φορολόγος καὶ φορολογεῖν: quod ſuprà annotauimus. Qualiter autem hæc quondam fiſci & Ærarij facta fuerit diuiſio, videre licet apud Conſtant. Harmenopol. *lib.1. Epitomes iuris ciuilis.* Τὸ παλαιὸν (inquit) ἐν τῇ παλαιᾷ ῥώμῃ βασιλεύς τις γεγονὼς ἀνδρειότατος, ὃ πάσης κρατήσας γῆς, διεῖλε τὰς ἐπαρχίας, καὶ τὰς μὲν παρεκράτησεν ἑαυτῷ. τὰς δὲ ἀφώρισε τῷ δήμῳ τῶν ῥωμαίων ἐπὶ τῷ τὰ ἐκεῖθεν συναγόμενα, καὶ ἀπαιτούμενα, δαπανᾶν εἰς οἰκείας χρείας καὶ τροφάς. τὰ δὲ προσελθόντα τῷ ῥωμαϊκῷ παντὶ δήμῳ, ἐλέγοντο κυρίως καὶ κατ' ἀκρίβειαν ἐκαλεῖτο ἤτοι δημόσια: καὶ διέφερον τῷ δήμῳ δεσποτικῶς καὶ ἐξουσιαστικῶς παρ' αὐτῷ κατὰ πάντα τρόπον ἐκ πειθοῦς. εἶχον ὡσαύτως τὸ παλαιὸν καὶ ἑκάστη πόλις πράγματα ἴδια: οἷον ἐάν τις καταλείψῃ τῇ δεῖνι πόλει α. ι. ε. εἰς τὸ κτισθῆναι βαλανεῖον, καὶ τὴν εἴσοδον τούτου ἔχειν τὴν πόλιν εἰς ἐξόδους οἰκείας. ἢ ἐὰν δωρήσηται τῇ πόλει τις ἀγροὺς ἀξιεπαίνους, καὶ ἔχουσιν αὐτοὺς τῆς πόλεως κάτοικοι πάντες. &c. Id eſt, in antiqua Roma Rex quidam, deuicto terrarum orbe cum victore præſtantiſſimus eſſet, prouincias diuiſit: ac quaſdam ſibi retinuit, quaſdam etiam Pop. Rom. deſignauit: vt quod ex his colligere & reperire poſſet, id in vſus ſuos atque alimenta inſumeret. Quæ autem toti Pop. Rom. diuiſa ſunt, propriè & exactiore iuris ciuilis vocabulo, fiſcalia dixerunt: id eſt, δημόσια: & iure dominij populo delata ſunt, ipſa quidem alienabantur qualicumque alienatione, ac omni alienandi genere habebat etiam vna quæque ciuitas quondam res ſibi proprias: cùm videlicet quiſpiam moriens, ad balneum fabricandum ciuitati illi mille reliquiſſet: vt quod ex balneum intrantibus penſitaretur, idipſum in prouentus proprios ciuitas reponeret: ſiue quis agros luculentos ciuitati donaſſet, his omnes ciuitatis incolæ vterentur ac fruerentur. ¶ Et paulò infrà *ſub fin.tit.* καὶ ἐκαλοῦντο γὰρ αὐτὰ δημόσια πλὴν οὐ κυρίως δὲ κατ' ἀκρίβειαν, ἀλλὰ καταχρηστικῶς. μόνα γὰρ δημόσια κυρίως ὅτι φισκάλια εἰσὶ, τὰ τοῦ ῥωμαϊκοῦ δήμου. Hæc ipſa enim publica vocabantur, cæterum non propriè quidem, neque exactiore iuris ciuilis appellatione: ſed per abuſionem. Sola namque publica propriè ſeu fiſcalia ea ſunt, quæ Pop. Rom. ſunt. Hæc omnia legis noſtræ interpretationi maximè conueniunt: nóſque ſatis admonent quæ principis, quæque populi ſint propria. ¶ Sed hodie in hac Regni Francorum monarchia, omnia Regis eſſe cenſentur: nec quicquam ad populum peculiariter pertinere. Quod ſi quid proprij ciuitates habeant, id ex principali priuilegio & gratia ſibi conceſſum habēt. Sed tamen hi reditus, ac nummi qui ex portoriis & vectigalibus & præclariſſimæ ciuitati noſtræ Turonenſi, reliquiſque aliis Regni huius ciuitatibus penſitantur, peculia & propria earum ciuitatum cenſeri ſolent: ac vulgò vocantur denarij communes: qui muniendis illis vrbibus, reficiendis itineribus, pontibus, & ciuitatum rebus neceſſariis impendi conſueuerunt. Eos tamen aliquando Princeps, quandocunque viſum eſt illi, in ſuos vſus traducit. ¶ Cæterū, Alc. hic ex Aſco. Pæd. annotauit triplicem pendēdi vectigalis ſpeciē Canonē, ſ. Oblationē, & indictionē. Canonē Bud. ſcribit eſſe, quod Domanium principis dicitur: vt portoria, vectigalia & huiuſmodi. Oblationē, ea quę nūc auxilia dicimus: vt octaua vini

hemin

heminatim diuenditi, & viceſima eius quod cuppatim culcatímque venit, reliquatúmque mercium, quæque à ſolidariis negotiatoribus venduntur, quos groſſarios appellant: quæque à minutariis & venditoribus, qui & propolæ dicuntur, hoc eſt, non ſua vendentes, ſed a negotiatoribus emptitata, pluris poſtea venditantes. Indictio, eſt quam Taleam vocamus: antiqui collationem vocabant. Cicero etiam Collectam dicit. Græci *ἔρανον*, & *συμβολὴν* dicunt.

Vectigal portus. ¶ Fiſco etiam debetur id vectigal, quod pendere ſolent mercatores pro rebus quę in portum inuehuntur, indéque exportantur: quæ quidem Regalia vocitantur, *c.1.tit. Quæ ſint reg. in vſib feud.*

Venalium rerum. ¶ Octauam partem rerum venalium Octauarij exigebant: à quo vectigali nullus ordinis cuiuſcunque, immunem ſe aſſerere poterat. *l.ex præſtatione. & l.ſeq. C. de vect. & commiſ.* Iam verò de aliis rebus quàm quæ vænum expoſitæ ſint, fiſco nihil vectigalis nomine debetur: veluti pro his rebus quæ vel ad victum vſúmque proprium & familiæ deſtinatæ ſunt, ſeu colendi ruris gratià vehuntur in portum: *Tex. in l. vniuerſi. d. tit. de vect. C. idem quoque ſentit gloſſ. in c. ſup quibuſdam. §. præterea. in verb. Padagia. extr. de ver. ſig.*

Salinarum. ¶ Quòd inter res promercales quæ in portus conuehuntur, fiſcus id eſt Rex noſter, his temporibus exigat ex Salinariis tributum ac vectigal, nihil ſane mirum eſt. Id enim à veterib. Rom. iamdudum inſtitutum fuit. Et quidem Ancus Martius Rom. Rex terrius ſalis modios ſexies mille in congiario dedit populo, & Salinas primus omnium inſtituit, vt tradit Plinius *lib. nat. hiſtoria 31. c. 7.* Et Titus Liuius *libro primo Dec. 1.* ſcribit, ipſum Regem conſtituiſſe Salinas ad Hoſtiam vrbem in ore Tyberis conditam. Et idem *lib. 7. Dec. 1.* circa Salinas Romanas depopulatum agrum bello hetruſco commemorat. Præterea & vectigal Salinarum Romanis fuiſſe, ipſe Liuius *Dec. 1. lib. 2.* author eſt. Multa (inquit) blandimenta plebi per id tempus ab Senatu data. Annonæ in primis habita cura, & ad frumentum comparandum miſſi: alij in Volſcos, alij Cumas. Salis quoque vendendi arbitrium, quia impenſo precio vænibat in publicum, omni ſumptu ademptum priuatis portoriis quoque, & tributo, plebe liberata, vt diuites conferrent, qui oneri ferendo eſſent. Et rurſus *lib. 11. Dec. 3.* Viam è foro Boario ad Veneris, & circa foros publicos, & ædem Matris Magnæ in palatio faciendam locauerunt. Vectigal etiam nouum ex Salaria annona ſtatuerunt: ſextante Sal, & Romæ, & per totam Italiam erat. Romę precio eodem, pluris in foris & conciliabulis, & alio alibi precio præbendum locauerunt. Id vectigal commentum alterum ex cenſoribus, ſatis credebant, populo iratum, quòd iniquo iudicio quondam damnatus eſſet: & in precio ſalis maximè oneratas tribus, quarum opera damnatus erat, credebant. ¶ Inde Salinatori Liuio inditum cognomen: ingentia ſanè nobis commoda ex ſalis vſu obueniunt. Neque verò ſine Sale vita humanior, Plinio teſte, poteſt vnquam degere: adeóque neceſſarium elementum eſt, vt tranſierit intellectus ad voluptates animi quoque. Nam ita Sales appellantur: omníſque vitæ lepos & ſumma hilaritas, laborúmque requies non alio magis vocabulo conſtat. Honoribus etiam militiæque interponitur, Salariis inde dictis, magna apud antiquos authoritate, ſicut apparet ex nomine Salariæ viæ: quoniam illà Sal in Sabinos portari conſueuerat. Quin & Thracibus peculiare eſſe ſcribit Alexander, Sale coëmpta habere mancipia, ſicut Lemnius vino mercari. Sed & Homerus Salem diuinum appellauit. Plerique verò *χάριτα*, i. gratiam, quòd pluribus interſitus guſtui ſapida reddat & grata. Permultæ quidem & hæ luculentæ ſunt Salinæ in hoc florentiſſimo Francorum Regno: quas hic commemorare, vanum mehercule fuerit. Non præteribo tamen Salinas vberrimas, & argentifodinas in Saxonia eſſe, ab Othone primùm inuentas. Apud eam Burgundionum vrbem quæ inde Salinarum nomen habet, duo ſunt fontes, alter dulci profluente aqua, alter autem vnde Sal igne denſatum conficiunt: illúdq; inſigniter candidum. Maximum quippe huius gentis vectigal cenſetur. Cæterum, de natura & generibus Salis, quis ſit eius vſus quantáq; vtilitas tum in prophanis rebus tum etiam in ſacrificiis, diffusè videbis apud Cælium Rhodigi *lect. antiqua. lib. 7. c. 2.* & Plinium *naturalis hiſt. lib. 31. cap. 7. 8. 9. 10.* ¶ Ærarium igitur Romanum (vt ſupra commemorauimus) conſtabat, quemadmodum & hodie noſtrum teſte Budæo lib. 3. de aſſe, vectigalibus & tributis. Vectigalia trium generum fuere ex agrorum cultu, ex mercium traiectu, & ex paſcuis. Primum quidem, decimæ, alterum, portorium: tertium, ſcriptura appellabatur: & præter hæc, Salarium, i. Salinarum vectigal: de qua hic agitur. Cicero de Imperio Pompeij loquens. Nam (inquit) cùm hoſtium copiæ non longè abſunt, etiam ſi irruptio nulla facta ſit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deſeritur, mercatorum nauigatio conquieſcit. Ita neque ex portu, neque ex decimis, neque ex ſcriptura vectigal conſeruari poteſt. Quo tandem animo eſſe exiſtimatis, aut eos qui vectigal vobis penſitant, aut eos qui exercent atque exigunt, cùm duo Reges cum maximis copiis prope adſint? cùm vna excurſio equitatus perbreui tempore totius anni vectigal auferre poſſit? cum publicani familias quas in Salinis habent, quas in agris, quas in portubus atq; cuſtodiis magno periculo ſe habere arbitrantur? Hoc loco Cicero non de fiſco, ſed de Ærario populi inteligit. Quo fit vt, ego quidem arbitter, Vlpianum hoc c. fiſcum impropriè pro ærario dixiſſe. Sed his noſtris temporib. in hac præclariſſima Francorum Monarchia, vectigalia, tributáq; omnia quę publicè penſitantur, ſoliuс ſunt Principis ſeu Regis: nec cuiquam priuato homini impunè licet, & abſque grauiſſimo ſupplicio, ſimul etiam bonorum publicatione, ius Salinarum vſurpare, ac Sal venui proponere, ſeu vulgò, ſeu clam & latenter. Sed & ſi quæ ſunt in priuatorum prędiis Salinæ, in cenſum deferendæ ſunt. Etenim (ſicuti iam diximus) ipſa Salaria, regaliorum iure cenſentur. vt *c. 1. quæ ſint regal. in vſibus feud. Eſt textus in l. forma. §. Salinæ. ff. de cenſib.* Permultę ſunt in hanc rem, Regum noſtrorum conſtitutiones, reſcripta atque edicta propoſita, quibus ſancitæ ſunt pœnæ in præuaricatores. *Metallorum.* ¶ Ex metallorum mercatura, vectigal quoque publicum debebatur, ſcilicet ex aurifodinis, argentifodinis, ærifodinis, alumniæ, ſulphuræ, aliiſque id genus mineralibus. Polybius argentifodinas commemorans quæ ſunt circa

Carthaginem nouam,ab vrbe vigini fermè ſtadiis diſtantes,qoatuot decurias operantium hominom fuiſſe ait,qui tunc in dies ſingulos vicena quina drachmarum millia populo Romano teferrét. Nos, inquit Budæos *lib.4.de Aſſe*,25.millia dracimarum aureis noſtris æſtimare inſtituimos, duobus millibus, & quingentis. Verba ſunt Strabonis ex Polybio, quo quidem authore ipſe Strabo vſus eſt, ὄντα τέτταρας μυριάδας ἀνθρώπων μένειν τῶν ἐργαζομένων, ἀναφερόντων τότε τῷ δήμῳ τῶν Ῥωμαίων καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν δισμυρίας καὶ πεντακισχιλίας δραχμάς. Tradit etiam Strabo ex Poſſidonio M.Marcellum exegiſſe metallorum tributum ex Celtiberia ad talenta ſexcenta. Quod reliquum eſt,metalli pœna,erat damnari in ſulphurariam vel calcariam *l.aut damna.§.in calcariam.ff.de pœnis.* ¶ Sed forſan quæras,an metallorum appellatione,lapicidinæ quoque veniant. Et venire Vlpianus videtur velle, in *l.ſed ſi pecunia.§.ſi.ff.de reb.eo.qui ſub tutel.vel cura.* Si lapidicinas,inquit, vel quæ alia metalla pupillus habuerit συ-πλειας,&c.Ibi verbom,alia,implicat,facitq; eiuſdem qualitatis relationem.De qua quidem dictionu implicatiua ſatis abundè ſcripſimus in Aph.iuriſprudẽtię.*Aph.6.*Not.etiã in *l.ſi fugitiui.C.de ſer.fug.*

Piſcariarum. ¶ Piſcariam Græci vocant ἰχθυοπωλεῖον locum ſcilicet vbi venduntur piſces:forſan piſcinarum voluit dicere.*Martial.lib.12.* *Quales marinæ miſit aura piſcinæ.*

Quare arbitror piſcarias intellexiſſe eum locum quo piſcari ſolent piſcatores: qood noſtrate lingua hodie dicimus,*Peſcheries*,verbum Latinũ mutuati:quod aliàs quoque Piſeinam dicunt. M.Varro in *libro quem de Agricultura* ſcripſit, Marcum Catonem,qui poſtea Vticæ periit, cum Luculli teſtamento heres relictus eſſet, piſces de piſcina eius, quadraginta millibus vendidiſſe tradit. Hodie principalibus & regiis conſtitutionibus,videlicet Philip.Pulchri,anno 1332.*cap.4.*Ioannis,anno 1350. Franciſci primi,anno 1516.*c.89.*& Caroli ſeptimi, præſcriptus eſt piſcatoribus certus piſcationis modus:quem qui offendat,mulcta grauiſſima irrogatur: videlicet ne euerriculo vtantur Piſcatores,eóq; retia genere quod noſtri verbo vulgari,*traiſneau*,vocant,Latini(vt arbitror)plagas,rariſſimis maculis cõtextas,vel Sagenam.Quod genus retia in mare demiſſum omneis omnis generis piſces colligit.

Fornerivs.

Vectigal portvs. ¶ *l.203.in lege.ſ.h.t.*Portitores Nonio,& Donato,Telonarij,qui portum obſidentes omnia ſciſcitantur. Quinctilian.*declam.*361. Cic.*lib.4.de rep.* [Nolo eundem populum Imperatorem & portitorem eſſe terrarum. Optimum autem & in priuatis familiis & in rep.vectigal duco eſſe parſimoniam.] Herodian.*li.2.de Pertinace* [illegible].

Venalium rerum. ¶ Omnium rerom negotiationis cauſâ vectarum vectigal penditur *l.6.C.de vectig.tit.C.de mun.nem.conc.*maximè pro mercibus peregrinia,quæ enumerantur. *l.vltim.ſ.de publican.* Suetonius *in Iulio.* Excipiuntur vecta iu vſum priuatorum & iu agrum colendum parata. *l.4.de publican.l.5.C.de vectig.*nihil à fiſco,nihil à militibus, à minoribus, penditur *l.9.locatio.§.res.§.vlt.de public.l.7.ex præſtatione.C.de vectig.l.ſi ex cauſa ſi.de min.*nihil à nauiculariis, qui fabricandis nauibus operam dabant *d.l.9.l.3. de vac.mun.l.5.de iur.immu.Vlpian.fragm.tit.*111.Denique nihil à ſtudioſis,nam & his Fridericus immunitatem tribuit.*C.ne fil.pro patr.*

Salinarum. ¶ Quatum fuit vectigal etiam priuatorum hominum. *l.4.ſ.de cenſib.l.5.de reb.cor.l.32.generali.de vſuf.leg.*ſed publicum maximè:mancipes Salinarum,pro publicanis.Symmacho *lib.10.epiſt.*58. Cicero pro lege Manilia, [Cùm publicani familias maximas, quas in Salinis habent, quas in agris,quas in portubus.] Quo in loco iis qui pro [Salinis,] reponendum [Syluis,] coniiciunt, minimè aſſentior. Fuit autem ſal etiam metallicum id eſt,foſſitium,Straboni ἁλόρυκτον lib.5.Plin.*lib.18.cap.11.* Dioſcorid.*lib.5.cap.123.* Varro *lib.1.cap.7.* vtriuſque meminit, [Salem nec foſſitium,nec maritimum haberent, ſed ex quibuſdam lignis combuſtis carbonibus ſalſis pro eo vterentur.] Ad Salinarum opus damnatos fuiſſe reos vt ad gypſum,alij annotarunt. [Metallorum.] auri,argenti,æris,ſalis,ſulphoris,aluminis,marmoris,cretæ, cæterorúmque quæ fodiendo terra eruuntur. Metallum quaſi μετ᾽ ἄλλο, quod vnum in fodinis, alterum mox ſequitur, ac ſubinde renaſcitur, vt eſt à Plinio proditum *lib.33.cap.11.* & Vlpiano de marmore, [niſi tale ſit,vt lapis ibi renaſcatur, quales ſunt in Gallia & in Aſia.] *l.7.fructus.§.ſi vir.ſolut.matrim.* Sed in Æthalia exhauſta effoſionibus loca temporibus rurſus repleta,ſicut Rhodi Platamonibus, & de Pario marmore, & apud Indos de Salinis refert Strabo *lib.5.Geograp.* τὰ ὀρύγματα ἀναπληροῦσθαι πάλιν τῷ χρόνῳ τὰ μεταλλευθέντα, καθάπερ τοὺς πλαταμῶνάς φασι τοὺς ἐν Ῥόδῳ, καὶ τὴν ἐν Πάρῳ πέτραν τὴν μάρμαρον, καὶ τὰς ἐν Ἰνδοῖς ἅλας. M.Cato de Hiſpanis Alpinis, [Sunt io his, inquit, regionibus ferrariæ, argenti fodinæ pulcherrimæ: mons ex ſale mero magnus, quantum demas tantum adcreſcit. A.Gellius *lib.2.cap.22.* Metallorum comes in Illyrio,vt ex Imperij Rom.notitia liquet: Foit enim io Illyrio frequens metallorum commercium.*l.3.l.8.C.Th.de metal.& metallar.lib.10.tit.19.*marmor metallis adnumeratur.*l.1.l.2.eod.tit.* Fuit Athenis inſcripti & non profeſſi metalli actio,id eſt Sudæ,ἀγράφου μετάλλου δίκη. De argentifodinis Carthaginenſibus, Polybius meminit:& Plinius legis Cenſoriæ, qua quot homines publicani in fodinis opus facientes haberent, cauebatur. Et [picariarum] aliàs [piſcariarum] id eſt piſcationum, quæ fiſci iuribus annumerantur, non ſolùm Friderici conſtitutione.*lib.2.feud.tit.56.Rand.lib.4.cap.5.de geſt.Frideric.*ſed etiam veteris Romæ inſtituto erant inter publica & piſcationes, & in vectigalibus publicis laus Lucrinus primos locabatur emendus,boni ominis gratia,nam à lucro Lucrinus auctore Feſto. Sed hæc lectio,quanuis triuialibus afferta libris non arridet:è quibus vti è vitioſis ſeminibus frugum infœlicitas,corrupta ſententia prodiit.Florentina longè caſtior, [Picariarum.] ¶ Pix enim foſſilis metallis adſcribitur,qualem in Apolloniatarum agro inueniri Plinius ſcribit *lib.16.cap.11.* & in Tuſcia Strabo *lib.5.* [illegible] &pôſt [illegible]:Baſilicôn *lib.9.tit.42.*ſcholiaſtes inter cætera illicitarum mercium genera. *(ex l.1.ſ.de iis quæ vt indig.)* recenſet,ne quis hoſtibus arma vendat aut picem.

XVIII. Pavlvs lib. ix. ad Edictum.

MVnvs tribus modis dicitur: vno donum, & inde munera dici, dari, mittíue: altero onus, quod cùm remittatur, vacationem militiæ munerísque præſtat. inde immunitatem appellari. Tertiò officium, vnde munera militaria, & quoſdam milites munificos vocari. Igitur municipes dici, quòd munera ciuilia capiant.

Alciatvs.

MVnvs donvm. ¶ Cùm munus pro largitione accipitur, tanquam ſpecies doni eſt, ſignificátque quod ex aliqua cauſa fit donum: cùm verò, non habito ad largitionem reſpectu, ſumitur, tunc generaliter quælibet munera comprehendit: atque ita hîc accipiendum eſt.

Altero onus. ¶ Et hoc ſenſu tripliciter accipitur: eſt enim munus patrimoniale, quod ideo ſic dicitur, quia cùm ſumptu fit, patrimoniúmque diminuit. id quandoque perſonæ imponitur, nulla facultatum ratione habita, vt eſt capitatio. quandoque ſecundum fortunam ſoluentis imponitur, vt quam collectam dicimus, vel indictum, ſuperindictúmue: aliquando nullo perſonæ reſpectu rei ipſi incumbit, vt tributum, & cenſus: ſubitúrque vel in ipſa re, vt cùm hoſpitem recipimus: vel ex re, vt cùm certam partem fructuum pendimus: vel propter rem, vt ſi pecuniam pro cenſu præſtamus. Eſt & munus perſonale, id nunc dignitati adnectitur, & honor appellatur: nunc ſordidum eſt, vt calcem coquere, arenam fodere: nunc nec honorificum, nec vtile aliquid in ſe habet, vt cùm ſubire curam publicę pecuniæ aliquis compellitur. Eſt & munus mixtum, vt decaprotiæ. *l. 1. ff. de munerib.* id eſt, decemprimatus: erant enim Decemprimi ex decurionibus exactores tributorum, qui fiſcalia detrimenta de ſuo ipſi reſarciebant, publicanis mancipibúſve non multum abſimiles. Ex his aliqua ordinaria ſunt, aliqua extraordinaria: quæ ordinaria ſunt, ſic definiri Bart. ait, *in l. 1. C. de munerib. & honorib. non conti. lib.* 10. vt ea ſint quæ à lege, principéve impoſita ſunt, & certam formam habent.

Immunitatem. ¶ Ea à patrimonialib. munerib. nunquam conceſſa videtur *l. his onerib. ff. de muner.* nec qui à perſonalibus immunis eſt, ab honore excuſatus cenſetur, *l. cui muneris. ff. ille tit.* ſed et ſi immunitas per ampliſſima verba cuiquam conceſſa ſit, non trahetur ad onus ex improuiſo, inopinatóq; caſu impoſitum: vt ſi bellum ſuperuenerit: publicè enim intereſt huiuſmodi conceſſiones tunc negligi. *Doct. in l. ſi ex tot. ff. de leg.* 1.

Munifices. ¶ Munera militaria ſunt excubiæ, angariæ, geſtationes in vſum belli, decurſio campi, erectio valli, atque id genus ſimilia: qui ab his muneribus immunes erant, beneficiarij dicebantur: qui ſubibant, munifices. Feſtus autor eſt.

Municipes. ¶ Qui ſint, infrà latius oſtendetur. *ff. eod. l. municeps.*

Brechævs.

MVnvs. ¶ Trifariam hoc loco munus ſignificari Paulus ſcribit, ſed non aliòuerſum quàm vt doceat, qui & vnde dicantur municipes, & municipia: quorum quidem verborum eſt frequens in iure noſtro mentio. ¶ Primùm igitur munus pro dono, quod à mera donantis liberalitate proficiſcitur, accipimus ab eo dictum: quòd mutuo animo qui ſunt, dant officij cauſa: vt ſcribit Varro *lib. de lingua latina.* Vnde illud Ouidij.

Munera, crede mihi, placant hominéſque deóſque:
Placatur donis Iuppiter ipſe datis.
Et Hieronymi Haugetiani.
Munera ſi nequeo tibi mittere magna, libellum
Hunc paruum, & nugas hinc tibi mitto meas.

Item apud Macedones, Chlamys & Apex aureus, munera fuere regia. Sic & xenia quæ exterarum gentium legatis dono mittebantur, munera appellabant, atq; etiam alio nomine, Lautiam, vt T. Liuius author eſt. *lib.* 2. de bello punico, & *libr.* 8. & 5. de bello Macedonico. Hoc etiam notat Budæus *in Comment. lingua Græcæ*, atque etiam in annot. ad Pand. Quantum autem munus à dono differat eleganter notat Alciatus *lib. 3. diſpunct. cap.* 13. Quo circa nihil eſt quod hoc ipſum repetam. ¶ Sed & etiam munus ſignificat onus quod imponitur tum perſonis, tum verò rebus & prædiis, quæ quidem munera, ciuilia appellantur. Ea autem omnia annumerantur. *in l. 1. & l. fi. de munerib. & honor. ff.* Iam verò qui id genus muneribus onerantur, id eſt quibus publica functio incumbit, immunitatis gratiam, pecuniæ auctoramento impetrare nequeunt. *l. Æſtimationem. ff. e. l. illud. C. de excuſ. muner. lib.* 11. ab hac muneris ſignificatione dicta eſt immunitas. Sed munifices milites ſunt, qui propter munera, militiam facere coguntur. vt teſtis eſt Vegetius *lib. 1. de re mil.* Sicut candidatos milites, principales dici idem Vegetius author eſt, qui priuilegiis muniuntur. Qui igitur munera faciunt milites, munifices (vt repoſuit Budæus) non munificos Paulus vult appellari. Sic & munificum prædium dicitur *in l. 2. de præd. & om. reb. nauicula. libr.* 11. C. τὸ λειτουργεῖν καὶ συντελὲς ait Budæus, id eſt publicæ functioni & vectigalis collationi ſubditum: ſic quoque munificum intelligit Paul. iureconſult. *in l. ſi publicani. ad finem. l. ff. de publicanis & vectigalibus.* ¶ Tertiò, munus officium τοῦ ἴσως καθῆκον: vnde municipes. Sunt autem municipes, qui ex eodem municipio nati ſunt. *vt l. municipes. infrà eodem.* Municipes Gellius ſcribit *libr. 16. Noct. Atticar. capit.* 13. eſſe ciues Romanos ex municipiis, ſuo iure,

& legibus ſuis vtentes, muneris tantùm cum pop. Rom. honorarij participes: à quo munere capeſſendo appellati videntur, nullis alijs neceſſitatibus, neque vlla pop. Rom. lege aſtricti: cum nunquam po. Rom. eorum fundus factus eſſet. Primos autem municipes ſine ſuffragij iure, Cerites factus accepimus: conceſſúmque illis vt ciuitatis Romanæ honorem quidem caperent, ſed negotiis tamen atque oneribus vacarent, pro ſacris bello Gallico receptis cuſtoditiſque. hæc ille. Non igitur erant municipes pop. Rom. ſubditi, niſi eatenus quatenus dignitatibus & honoribus afficerentur. Etenim cum Romanis ciuibus ius ſuffragiorum, munerúque ac Magiſtratus participabant. ¶ Cæterùm, hi pop. Rom. fundus facti erant, qui bello victi fuerât, & quorum prædia publico ærario addicta victoriæ lege, aut populo diuidebantur, ſecundum legem Agrariam, aut veteranis militibus meritorum penſandorum gratia diuidebantur. Nam qui fœderati pop. Rom. non erant, hi fundus populus dicebantur po. Rom. facti, vt videre eſt ex Cic. *in orat. pro L. Cornelio Balbo.* Quid enim, inquit, potuit dici imperitius quàm fœderatos populos fieri fundos oportere? Quid autem ſit municipium, quantúmque differat à coloniis, videbis apud Alex. ab Alex. *lib. 4. genial. dier. c. 10.* Factum eſt tandem vt cenſeretur iam vnuſquiſque ſuæ ciuitatis municeps: quod tamen dignitatis atque honoris in ciuitatibus nomen eſſe non deſiit. Cic. *Philip. iij.* Quis autem illo maledico impurior? Ignobilitatem obiicit C. Cæſaris filio, cuius etiam naturalis pater, ſi vita ſuppeditaſſet, Conſul factus eſſet. Aricina mater, Tralliana, aut Epheſinam potes dicere? Videte quam deſpiciamur omnes qui ſumus è municipiis, id eſt omnes plani: quotus enim quiſque non eſt. Quod autem municipium non contemnit is, qui Aricinum tantopere deſpicit vetuſtate antiquiſſimum, iure fœderatum, propinquitate penè infinitum, ſplendore municipum honeſtiſſimum? Hinc Voconiæ, hinc Scatiniæ leges, &c. Plin. *2. lib. Epiſt.* Municeps, inquit, tu meus & condiſcipulus, & ineunte ætate contubernalis, &c. Hic ſuum municipem, ſuum ciuem appellat (Latinè enim dici non poteſt concinis, ſed ciuis meus) & ex eodem municipio. ¶ De municipibus & iure municipij, & quibus modis fiebant municipes latius videbis apud Alc. ꝫ. *h. t. in l. municipes. & lib. 3. diſpunct. c. 5. & l. 1. & tot. tit. ff. ad mun. & de incol. & l. 2. & 3. C. eod.*

Fornerivs.

Mvnvs. ¶ Munus nomen eſt generis multiplicem ſub ſe ſpeciem continens. ¶ Primò donum, vt eſt natalicium, nuptalicium. *l. 194. inter. ꝫ. h. t. l. 13. inter. §. nec nuptiale. ꝫ. de adm. tut. l. 1. de tutel. & rat. diſtr. l. 31. ſed ſi vir. §. pen. de don. int. vir. & vx.* quale mittebant clientes patronis, item liberti, Macrob. Saturnal. *l. vlt. de lib. cau. l. 6. §. ſi quis abſentis. de confeſ. Quinctil. declam.* 388. [Auia teſtis.] Inde legem Cinciam muneralem à Plauto vocati notat Feſtus, quæ cauebat, ne quis ob cauſam orandam donum munúſue caperet. T. Liuius *lib. 34.* Ad eandem legem inſcribitur *l. 29. contra. ꝫ. de legib.* Modeſtinus plebiſcito cautum fuiſſe ſcribit, [Ne quis præſidum munus donum caperet.] *l. 18. plebiſcito. de off. præſid.* ¶ Deinde onus, id eſt λειτουργία. Demoſthenes *contra Leptinem:* vnde immunis, ἀτελής. & immunitas ἀτέλεια. Iſid. *lib. x. Etymol.* [immunis, minimè munificus, vt eſt in prouerbio veteri, *Immunem ciues odere ſui.*] Item immunis, qui non facit munia. *tit. de vac. & excuſ. mun. tit. de iur. immun. tit. C. de im. nem. conc.* ¶ Tertiò officium, vt munera militaria, & munifices. Iſid. *eod. lib.* definitur munificus, qui munus ſuum id eſt, officium quod debet adimplet. Fl. Vegetius *lib. 2. de re mil. c. 7.* poſt enumeratos tribunos, aquiliferos, metatores, cornicines: [hi ſunt, inquit, milites principales, qui priuilegiis muniuntur: reliqui munifices appellantur quia munera facere coguntur.] Feſtus, [Beneficiatij dicebantur milites, qui vacabant muneris officio: è contrario munifices vocabantur, qui non vacabant, ſed munus reip. faciebant.] ¶ Quartò ludus gladiatorius, & munus dicitur. *l. 122. cuius. vſibus. de leg. 1. l. 36. Publius. de cond. & dem.* Victruuius proœm. *lib. x.* [Nec ſolum id vitium in ædificiis, ſed etiam muneribus, quæ à magiſtratibus, foro gladiatorum ſceniſque ludorum dantur.] Seneca de Benefic. *lib. 1. c. 12.* [Nemo tam ſtultus eſt, vt monendus ſit, ne cui gladiatores, aut venationem, iam munere edito mittat.] *l. vn. ad leg. Fab. c. t.* [Seruus vel libertate donatus beſtiis primo quoque munere obiiciatur.] Vnde ductum Munerariorum nomen, (quo primùm vſum Auguſtum teſtatur Quinctilian. *lib. 8. c. 3.*) qui beſtiarios, & arenarios cum beſtiis certatoros edunt. Seneca *lib. 4. declam.* [Quod munerarij ſoleor facere, ad expectationem populi detinendam noua paria per omnes dies diſpenſant.] Chromatius *declam. in 5. cap. Matth.* [Vice agonothetæ vel munerarij certantibus in hoc ſtadio ſpiritali præmium grande proponit.] Apud Modeſtinum extat exemplum pecuniæ in præmia certantium promiſſæ. *l. 10. Seiptitia. de pollic.* ¶ Denique apud Iul. Frontinum *lib. de aquaduct. priore,* rariore ſignificatu vſurpatur. [Quantum, inquit, publicis operibus, quantum muneribus, ita enim cultiores appellantur.] Idem *lib. poſteriore,* [Commoda publicæ familiæ ex ærario dantur: quod impendium exoneratur vectigalium reditu, ad ius aquarum pertinentium. Ea conſtat ex hortis, ædificiiſque quæ ſunt circa ductus, aut caſtella, aut munera, aut lacus.] ¶ Hæc quidem nunc: reliqua ex aſſe perſoluemus, *in e. 194. inter. ꝫ. h. t.*

XVIIII. Vlpianvs lib. xj. ad Edictum.

Labeo libro primo prætoris vrbani definit, quòd quædam agantur, quædam gerantur, quædam contrahantur. Et actum quidem generale verbum eſſe, ſiue verbis, ſiue re quid agatur: vt in ſtipulatione, vel numeratione.

Alciatvs.

Labeo prætoris vrbani. ¶ Sic aliquem ex libris ſuis inſcripſit Labeo.

Actum. ¶ Hinc ergo apparet, ſtipulationem propriè contractum non eſſe: licet in ea tàm reus

credend

credendi,quàm debendi dicatur *l.5.ff.de verb.obl.* ſicut nec donationem,neque liberationem,aut pactum refutatorium,idque genus remiſſionis,contractuúmque diſſolutiones:nam in his viciſſim obligatio non oritur: quapropter, ſi lex municipalis de contractu verba faciat, hi minimè continebuntur:idque receptius eſt, *l.fine apud.C.de tranſ.* niſi eadem ratio quæ in cæteris contractibus procedit, in his quoque locum habeat: nam cùm ex lata ſignificatione etiam hi contractus dicantur, *l. ſi donationis.C.de iis,qua vi met.cau.* quamuis diſpoſitio odioſa ſit,à ratione interpretationem ſumet. Quapropter,ſi lex vetat ſine agnati conſenſu ea contractu mulierem obligari,nec debitorem liberare poterit. *Bart.§.pactus ne peteret.l.ſi vnus.ff.de pact.* conſtitutum enim ita eſt,vt mulieris imbecilli conſilio ſuccurratur:at tunc vel maximè ſuccurrendum eſt,cùm donare,vel debitorem liberare mulier cupit. ¶ Sed nunquid hereditatem adire prohibetur?& aiunt communiter prohiberi *l.more.ff.de acqu.hered.* aditio enim hereditatis etiam ea lata ſignificatione contractus non continetur,licet lex interpretetur eum, qui adeat, quaſi contrahere cum creditoribus hereditariis. Nam quamuis diſpoſitio de contractu loquens,etiam de diſtractu intelligatur *l.ſi ad reſoluendam.C.de præd.minor.* tamen hoc ita accipitur, ſi verè geſtus eſt ille quaſi contractus, non ſi fictè. *l.de eo.ff.de iudic.* vt in propoſita eſt quæſtione.Plerunque enim lex,non obſeruatis verbis,ex aliqua ratione,idem iuris conſtituit de quibuſcunque obligationibus,quod de contractibus *l.omnem.ff.de iudic.* ſed non ideo conſequens eſt,vt in municipalibus ſtatutis, quæ non, niſi ex vi verborum, ductam interpretationem accipiunt, idem obſeruetur.

BRECHÆVS.

LABEO. ¶ Is,arbitror,fuit Labeo Antiſtius,legum morúmque pop.Rom. peritiſſimus,& in iure ciuili apprimè doctus: qui conſulentibus de iure reſponſitauit, cæterarúmque bonarum literarum & artium non expers fuit: quique in Grammaticam ac Dialecticam literáſque antiquiores altioréſque penetrarat.Latinarum etiam vocum origines,ac rationes percalluerat:ſed ea potiſſimum ſcientia quæ ad extricandos iuris gryphos & nodos valebat, vtebatur. De hoc plura apud Aul.Gell. *lib.13. c.10. vel 12.* Ex hoc c.ſeu l.conſiciamus oportet libros ab ipſo Labeone ſcriptos de prætore vrbano fuiſſe,& editos.

Quædam agantur. ¶ Vt oſtenderet Vlpianus quid propria ſignificatione, verbum contrahere, & contractus,in iuris diſciplina referret, poſuit hoc loco quantum ſit diſcriminis inter ea quæ agãtur, gerantur,& contrahantur. Primùm autem verbum,agere, non vna quidem ſignificatione profertur: à quo actio,actus,& actum deſcendunt.Nam agere propriè eſt quod Græci *πράττειν* dicunt:generaliter autem agere pertinet ad ea omnia quæcunque inter homines,& ab hominibus variis reſpectibus fiunt. Videlicet,ire, rixari,ſcribere, viuere:nam & vitam agere dicimus: & Ariſtot. *lib.1.polit. βίον εἶν πρᾶξιν* dixit,id eſt,vitam actionem eſſe. Præterea & agere ducere *ἄγειν*, vnde & *ξεναγεῖν, καὶ ξεναγωγὸς, καὶ παραγωγὸς*: & actor aſelli hinc.Actus à iureconſultis, locus quo poſſit vnuſquiſque vel pedes, vel eques tutò commeare:vel ius agendi vel vehendi iumentum,vel vehiculum. Vlpia. *in l.1.ff.de ſeruitu. ruſtico.præd.* Modeſtinus autem *in l.inter actum.eod.tit.* ſcribit actum ab itinere hoc differre, quòd actus ſit, vbi & armenta trahere,& vehiculum ducere liceat. Iter eſſe quo quis vel pedes vel eques commeare poteſt. Dicitur etiam actus(vt omnia,ſi liceat, perſequamur)ſpatium in agro, quòd in eo boues agerentur.cùm araretur vno impetu iuſto,ſicut Plinus *lib.naturalis hiſt.18.cap.3.* ſcribit,duplicatum autem in longitudinem iugerum facere. Legimus apud Varronem & Columellam, *rei ruſtica lib.5.cap.1.* actum quadratum(triplicem enim facit,minimum,quadratum,& quadratum duplicatum) vndique centum viginti pedibus terminari, hunc quidam Pletrum dicunt. Nam duo Pletra iugeribus ſingulis tributa ſunt.Sed hæc omnia ad rem noſtram non faciunt.Redeamus igitur.

Actum quidem. ¶ Hoc diſtare à contractu actum hîc Vlp. dicit, quòd Actus ſit contractu generalius verbum.Siquidem generaliter porrigitur ad ea quæcunque agantur ſeu re,ſeu verbis,vt in ſtipulatione,numeratione.Contractum autem ad vltrò citróque obligationem extendi tantùm. ¶ Acta ſunt commentarij earum rerum quæ memoratu digniſſimæ ſunt. Diarium veteres appellabant: nos hodie vulgari lingua Iornale. Mos namque apud antiquos erat, vt non tantùm ea quæ ad publicum pertinebant,in acta referrentur, ſed vt quiſque domeſticam totius vitæ ſuæ rationem diebus ſingulis adnotaret.Maximi ſemper duxit pop.Rom. & id quidem ad ſuam dignitatẽ pertinere exiſtimauit, res præclaras annalibus mandare: quotidianas autem & domeſticas, diurnis actis. Vnde Cæſar, in conſulatu diurna acta Senatus,& Populi publico committi mandauit,quę vel lætum aliquid,vel triſte ac funeſtum teſtarentur.Cicero *Philip.1.*an(inquit)in commentariolis & Chirographis & libellis ſe vno authore prolatis,acta Cæſaris firma erunt? Quibus verbis Cicero (Budæo teſte) ſignificat acta debere eſſe memoria publica teſtata. Plinius in Panegyrico. Sed quid (inquit) ſingula conſector & colligo? Quaſi verò aut oratione complecti, aut memoria conſequi poſſim, quæ vos P. C. ne qua interciperet obliuio, & in acta publica mittenda, & in ære incidenda cenſuiſtis. Sed rerum ſumma & cura,id eſt, *τῶν πραγμάτων ἐπιστασία καὶ ἐπιμέλεια*, actus rerum vocatur, ſecundum G.Budæi ſententiam *in Comment.ling. Græc.* Sueton. *in Auguſto,cap.32.* Ne quod autem maleficium negotiúmve impunitate vel mora elaberetur, triginta amplius dies, qui honorariis ludis occupabantur, actui rerum accommodauit.At verò *αἱ πράξεις τῶν ἀποστόλων*,non minus actus,quàm acta dici poſſunt Budæo & Valla teſtibus.Sed Vallam reprehendit Budæus quòd in verbo,acta,lapſus ſit, cùm de actis Cæſaris loquitur. Non enim Cicero, cum dicit *Philip.1.* An acta Cæſaris firma erunt,acta rerum priuatarum & familiarium Cæſaris confirmanda à Senatu cenſuit, ſed ad rempub. pertinentia. ¶ Præterea hic Vlpianus inter geſta & acta differentiam ponit: quòd geſtum (ait) rem ſignificet ſine verbis factam. Ipſe quidem Laurent.Vallenſis, inter acta & geſta hoc differentiæ aſſignat, quòd geſta ſint in

adminiſt

adminiſtratione magiſtratus, & in rebus maioribus, & ad rem publicam, vel ad plurimos ſpectantibus. Vt geſta Alexandri, geſta Pompeij, geſta Cæſaris, & ſimilia. Acta verò etiam rerum priuatarum & familiarium Cicero Pub. Lentulo. Quæ gerantur, accipies ex Pollione, qui omnibus negotiis non interfuit ſolùm, ſed etiam præfuit. Idem *lib. 5. Epiſt. M. Lucinio* ſcribens. Quæ ſint acta, quæq; agantur, domeſticorum tibi literis declarari puto. Sed hæc differentia confunditur a iureconſ. Nam actionem negotiorum geſtorum ipſi, & totum titulum de nego. geſtis in Pandectis, ad res priuatas & familiares traducunt. Quapropter hic Alciatus rectè cenſuit, geſtu, ex ſubiecto argumento, ſiue ex contractu, ſiue aliter quid factum ſit, accipi. Geſtionem Lauren. Vallen. dicit parum in vſu eſſe: ſignificare tamen adminiſtrationem & actionem.

FORNERIVS.

LABEO. ¶ Trium verborum differentiam explicat Vlpianus: Quorum primum generale eſt, [Agere] ſiue verbis, ſiue re. Nam & hæc tanquam diuerſa conſtituens Paulus reſpondit non tantùm verbis ratum haberi poſſe, ſed etiam actu *l. 5. rem rat. hab.* Varro *lib. 5. de lingua latina* eorum errorem notat, qui propter agendi, & faciendi & gerendi ſimilitudinem vnum idemque putant. Inter factum & geſtum ſubtilem quandam differentiam inſuper haberi, nihilque abuſiue inter vtrúmque intereſſe ait Caius: quod quò referatur, aperiemus. *l. 58. licet. ꝫ. h. t.* ait [Stipulatione.] Ergo propriè non eſt contractus, ſed verborum conceptio tantùm ac formula certa contractibus appoſita. *l. 5. de verb. oblig.* quæ pactionum conuentionúmque quib. adhæret, ingenium imitatur. *l. 4. ꝫ. de vſur. l. 10. ſi eum. §. qui iniuriarum. ſi quis caut.* Ex quo fit, vt ſtipulatio interdum nomine contractus appelletur. *l. 1. ꝫ. de pact. §. vlt. de oblig. Inſtit.* [Numeratione] *l. 19. non omnis. ſi cert. pet.*

CONTRACTVM autem vltrò citróque obligationem, quod Græci *συνάλλαγμα* vocant. Veluti emptionem, venditionem, locationem conductionem, ſocietatem.

ALCIATVS.

CONTRACTVM. ¶ Quod Græci *συνάλλαγμα* vocant. Sic dicitur, cùm vltra verba contractus, aliquid vtrinque agitur. quapropter alibi Vlpianus, *l. iuriſgentium. ꝫ. de pact.* Iulianum, inquit, puto rectè à Mauritiano reprenſum in hoc, dedi tibi Stichum, vt Pamphilum manumittas, manumiſiſti, euictus eſt Stichus: Iulianus ſcribit in factum actionem à prætore dandam, ille ait ciuilem incertam actionem, *incerti in Pand. Flor.* id eſt, præſcriptis verbis ſufficere: eſſe enim contractum Ariſto. adiicit *συνάλλαγμα*, vnde hæc naſcitur actio, ita enim repoſita in Tuſco codice eſt hæc dictio, hoc ſenſu: cùm præſcriptis verbis actio detur quoties ex vtriuſque parte aliquid factum eſt, quo vterque ſit obligatus: meritò in caſu noſtro ea cõpetet, quia viciſſim quædam quaſi permutatio Stichi, Pamphilique, vt manumitteretur, interuenit. Et hæc ratio eſt cur in contractu innominato, Si faciam, vt des, & poſteà quàm feci, ceſſas dare, præſcriptis verbis non agatur, ſed de dolo: *l. naturalis. §. quod ſi faciam. ſuprà de præſcriptis verbis.* nam hic non eſt *συνάλλαγμα*, id eſt, mutuum factum obligatorium: potuit enim factum ſuum explicari abſque meo, & ideo præſcriptis verbis non agitur: quod non eſt in contractu, Do vt facias, vel do vt des, cùm dare ſit dominium transferre, quod non niſi in conſentientem transferri poteſt. cùm ergo tibi dederim, & conſequenter vtriuſque factum interuenerit: mei transferentis, & tui dominium acceptantis, meritò præſcriptis verbis agetur. ¶ Dixerit aliquis: Si ratio hæc vera eſſet, cùm traderem, vt des (traditio enim facta eſt) de dolo agi non poſſet: non enim tradere poſſum, quin tu accipias, ſed & ſi facerem, vt faceres, de dolo agendum eſſet. *l. cùm proponas. C. de dolo.* quod præter Iuriſconſulti mentem videtur eſſe. Cui ego reſponderim: cùm traditionem acceptans, nullum ius acquirat, merum id factum lex tradenti potiùs imputat, in cuius facti executionem venit: in contractu verò, Cùm facio, vt facias, ideo ſemper præſcriptis verbis agitur, quia vltra promiſſionem videtur vtrioq; interpoſitum mandatum. & ſecundum hanc declarationem accipienda ſunt quæ Paradoxorum *lib. 5. cap. 7.* latius diſſerui. ¶ Sanè *συνάλλαγμα* Græcè à *σὺν*, quod eſt ſimul, & *ἀλλήλως*, viciſſim, & verbo *ἀλλάττω* deſcendit, quod mutare vulgò ſignificat, ſed eius origo eſt ab *ἄττω* verbo antiquo eodémq; polyſemo, quod deducitur ab *ἀίσσω* & Atticè *ἀΐττω*. Significat autem *ἄττω*, impello, conuenio, tracto, qua ratione & cõtractum dici probabile eſt, quaſi contra, ſeu viciſſim actum: id enim hæc vox ſignificat. Vnde Vergilius Homericum illud, *τὸν δ᾽ ἀπαμειβόμενος*: tranſtulit, quem contra ſic & contrahere, erit viciſſim & mutuò trahere. Eſt & *ἄλλαγμα* pro pretio & munere, quod ab aliquo capitur, vt interpretatur Hieronymus 11. in prophetam Amos commentario. *ἀντάλλαγμα* quoque in Euangelio Matthæi *cap. 16.* pro re accipitur, quæ iuxta veterum commercia in permutationem datur. Interpres retributionem vertit: Quam dabit homo retributionem, &c. vulgatiore vocabulo Græci contractum *συμβόλαιον* vocant.

Obligationem. ¶ Ex contractu enim oritur obligatio, ex obligatione actio: *l. licet. ꝫ. de procur.* Quapropter ex contractu actionem dari, ex obligatione naſci dicimus. Sanè & quædam eſt obligatio, quæ ex contractu non naſcitur, ſed ex quadam æquitate datur: ex ea non actione, ſed officio iudicis ſuccurritur. *l. qui per colluſionem. ꝫ. de act. empt. in fin.* Planè & obligationis verbum generale eſt, & tam ciuilem quàm naturalem continet. Quapropter mulier, quę obligare ſe prohibetur ſine agnati conſenſu, neque pactum facere debitori de non petendo poterit: *Bar. d. §. pactus ne peteret.* quoniam ex eo naturaliter non petere obligaretur. Sed nunquid ſimpliciter liberare poſſit? & ex verbis dicendum eſt poſſe, niſi ratio legis aliud induceret. *Bal. in rub. C. de pact.* vt ſuprà dixi.

BREC

BRECHÆVS.

CONTRACTVM AVTEM. ¶ Contrahere verbum variè, & pro rei argumento accipitur. Dicimus enim aliquando rem totá paucis contrahere:& neruorum contractionem,id eſt τείνειν. Sed propriè à iureconſultis noſtris contrahere eſt commercia exercere, permutare τοῦτ' ἐστι συναλλάττειν. Cic. *lib. 3. officio.* Tollendum (inquit) eſt igitur ex rebus contrahendis omne mendacium: non licitatorem venditor, nec qui contra liceatur emptor apponet: vterque ſi ad loquendum venerit, non plus quàm ſemel eloquatur. Quo loco ipſe Cicero ſcribit dolum malum in vendendis & permutandis rebus ſemper abeſſe debere. Ab hoc igitur verbo contrahere, id eſt συναλλάττειν, Contractus deſcendit, quem Græci συνάλλαγμα vocant: veluti emptio, venditio, locatio, &c. Eſt autem συναλλάττω, vnde συνάλλαγμα, paciſcor, contractus conuentáque in eo: quod Græci etiam συμβάλλειν dicunt, authore magno illo Budæo. Vnde & συμβόλαια, id eſt pacta & conuenta. Sic quoque ἀσυνάλλακτος dicitur homo moroſus vel improbus, cum quo contrahi, vel commercium haberi non poteſt: & cui nihil eſt cũ vita ciuili cõmercij, quales decet eſſe τοὺς μοναχούς. Sed & συμβολαίας δίκη, dicitur controuerſia & iudicium de pacto & contractu. Eſt quidem συνάλλαγμα, cõpoſitum à σὺν quod cum, & ſimul ſignificat, & verbo ἀλλάττομαι, permuto, vendo, & emo. Vnde ἀλλαγὴ commercium cõtractum. Similiter & ἀνταλλάττομαι permutare & mutare ſignificat Demoſtheni. Rectè igitur cõtractum omnem permutationis & venditionis συνάλλαγμα appellauerunt. Nam ex illa rerum commutatione qua ſola vtebantur veteres, teſte Homero, χρύσεα χαλκείων ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων, factum eſt, vt συνάλλαγμα, pro omni cõtractu accipiatur, antè quàm pecuniæ vſus eſſet. Obligationẽ itaq; quæ vtrinq; inter parteis contrahentes concipitur, contractũ propriè dici Vlp. hoc loco intelligit. Vnde in ſtatutis quæ ſecundum propriam verborum ſignificationẽ accipienda ſunt, cõtractus nomine, non veniet donatio: cum propriè donatio ea ſit, quæ ex mera donantis liberalitate proficiſcatur: contractũ verò vltrò citróq; obligatorium eſſe oporteat. Nec mouere nos debet quod habetur in *l. Iubemus nulli. §. verum. C. de ſacr. eccl.* res Cõſtantinopolitanæ eccleſiæ alienari non poſſe, ſeu contractu venditionis, ſiue donationis, vt dicamus hic donationem, contractum eſſe: Eſt enim κατάχρησις, & latiſſima ſignificatione contractũ donationis dixit Imperator. Similiter & *in l. donationis. C. quod met. cauſ. quamuis ibid.* not. Bal. donationem eſſe contractum, abuſiuè tamen id eſſe acceptum literæ ſenſus edocet: quemadmodum *in l. ſi quis. C. de preſcri. 30. vel 40. an.* dixit enim Bar. *in d. l. ſi donationis*, ꝙ cùm ex donatione non oriatur vltro citróque obligatio, impropriè eam contractum dici. Eſt quoq; Baldi ſententia in *authent. Sacramenta puberum, C. ſi aduerſ. vend.* quo loco ſcribit iuſiurandum non parere ciuilem obligationem in pactis: ſecus verò in iudiciis fauore deciſionis litis: maximè quidem vbicunq; deficit intrinſeca ſolemnitas, vt *l. ſi quis pro eo. de fideiuſſor.* Sed hoc ipſum ſpeciale eſt hoc loco fauore libertatis. Etenim quamuis iuriſiurandi religione confirmata ſit donatio, non propterea dicetur contractus vltrò citróque obligatorius. Quare ſi pecunia, vel quiduis aliud donationis cauſa promiſſum ſit, nullas ob moram ſolutionis vſuras deberi Modeſtinus reſpondit in *l. eum qui. de donat.* in eadem eſt etiam opinione Bar. *in l. in ædibus. ff. eo. & in d. l. eum qui.* vbi cõfirmat donationem non eſſe contractum bonæ fidei, ſed ſtricti iuris. Ergo non eſt propriè contractus vltrò citróq; obligatorius. Præterea & arbitrium ſeu cõpromiſſum, tametſi tranſactionis vim retineat, non eſt tamen propriè contractus. Neque verò in ſtatutis de contractu mentionem facientibus, comprehenderetur. Id ſentit Bal. *in rub. de rerum permut. C. & Io. de Ime. in cap. ſi quando. de offi. deleg.* videto Bar. *latiſſimè in l. ſtipulationes. de verb. oblig.*

FORNERIVS.

CONTRACTVM. ¶ Contractus duorum conſenſum deſiderat, vt quæuis cõuentio in eandem ſententiam placitum & concurſum. *l. 1. ff. de pact. l. 3. de pollic.* ad conſtituendam obligationem, & vt alter alteri fiat obnoxius. Theophilus *tit. de oblig. §. vlt.* συνάλλαγμα δέ ἐστι δύο, ἢ καὶ πλειόνων εἰς τὸ αὐτὸ συνδρομή τε καὶ συναίνεσις, ἐπὶ τῷ συστῆσαι ἐνοχὴν, καὶ τὸν ἕτερον τῷ ἑτέρῳ ποιῆσαι ὑπεύθυνον. Non enim rectè ex his verbis, [vltrò citróq;] colligitur, neceſſe eſſe in contractu, vtrumque pariter obligari, ſed alterum tantùm certè vtrumq; conſentire, conuenireque: vt in mutuo, ac donatione *d. l. 19. non omnis. l. 1. ff. de dona.* nec eò minus contractus nomen retinent. *l. 9. certi. §. quoniam. ſi cer. pet. d. §. vl. l. 16. cõtractus. verb.* [Donationum] *C. de fid. inſtru.* Quid, quod in ſtipulatione is qui rogatur ac ſpondet ſolus obligatur? & tamen ſtipulationem eſſe contractum nemo inficias ierit. *d. l. 1. in fi. ff. de pact.* cùm ex cõtractu obligationes fiant, re, verbis, literis, conſenſu. *d. §. vlt. l. 1. de oblig. & act.* ¶ Sed ne in iis quidem contractibus reciprocis, vnde mutuæ obligationes oriuntur, ſemper vterq; obligatur, ſed alter tãtùm: vt in ea emptione, quam cum minore pupillus non auctore tutore contrahit. ex vno latere conſtat contractus: & emptor quidem obligatur, pupillus verò minimè. *l. 14. Iulianus. §. ſi quis à pupillo. de actio. empt.* vt in mandato, cuius fineis procurator egreditur, in mandatarium domino tantùm, non contra, mandati iudicium dabitur *l. 41. poteſt. ff. mand.* ¶ Deniq; in contractibus innominatis, antequam cauſa, i. datio vel factum ſubſit, nulla naſcitur obligatio. *l. 7. iuris gentium. §. ſed cum nulla. de pact.* Ac ne tum quidem vterque, ſed is modò qui nondum ex ſua parte fidem impleuerit, obligatur. *l. 3. l. vlt. C. de rer. permu. & tit. ff. de cond. cauſ. dat.* Et quamuis, emptionis, locationis, ſocietatis hic exempla proponuntur: tamen nihil minuunt quod intendimus: vt ambos contrahentes pariter obligari oporteat, ſed alterum tantùm alteri obnoxium fieri ſufficiat. *l. 3. ff. de obl. & act.* & vt ait Theophilus. τὸν ἕτερον τῷ ἑτέρῳ ποιῆσαι ὑπεύθυνον. & vtriuſq; conſenſum ad ineundum obligationis nexum intercedere. *d. l. 1. de pact. l. 3. de poll.* Obligationes enim omnes ex conſenſu perficiuntur. *l. 31. ſi mihi. ſi cert. pet.* ¶ Qua ex definitione cum multa alia, tum hæc efficiuntur. ¶ Imprimis quoties non vtriuſq; ſed alterius tantùm conſenſus adhibatur, non propriè ex contractu oriri, ſed quaſi ex contractu obligatio videatur: vt in aditione hereditatis, negotiorum geſtione, rerum communione accidit. *l. 3. l. 4. ex quib. cauſ. in poſſ. eat. l. 1. de negot.*

geſt

geſt.§.1.§.ſi inter.de obl.qua ex quaſ.contr. ¶ Deinde, qooniam nihil tam conſeuſui contrarium, quàm error. *l.15 ſi per errorem.de iuriſd.l.2.de iudic.* ſi in contrahendis negotiis, error aut diſſenſus verſatur, vt aliud ſentiat emptor, aliud veoditor, nihil valet quod agitur, *l.52.in omnibus. de ob.& act.* ¶ Tertio quom contractus doorum voluntate ab initio conſtet, alterius tantùm arbitrio non diſſoluetur. *l.5. C.de ob.& act.l.17. in commodato. §.ſicut.de ob. & act.* ſed io diſtrahendo. negotio conſenſus vtriuſque requiritur. *l.28.ab emptione. de pact.* Cætera effecta mox com teſtamentorum & cootractuum diſcrimen exequemur, afferemos. *l.ſeq.ꝟ.h.t.*

GESTVM rem ſignificare ſine verbis geſtam.

ALCIATVS.

GESTVM. ¶ Cùm tem ſine verbis factam ſignificet, ad extra iudicialia tantùm trahi Accurſios credidit: reprobántque inde quidam eam petitionem, qua quis in iodicio geſſiſſe negotia alicuius ſe adſerebat. Sed hæc meritò non recipiuntur, cùm ex ſubiecto argumento, geſtum etiam accipiatur, ſiue ex contractu, ſiue aliter qoid factum ſit. *l.aut prætor.ꝟ.de mi.* Caios etiam infrà tanquam leuem banc differentiam inter geſta & facta oegligit. Nec dubium ex communi loqueodi vſu nihil hęc differre, quod Bartulus aduotauit. *l.t.de offic.proc.Caſ.*

FORNERIVS.

GESTVM. ¶ Varro *lib.5.de ling.lat.* [Imperator qoi dicitur tes gerere, in eo, neque agit, neque facit, ſed gerit, id eſt ſuſtinet: tranſlatum ab bis qui ooera gerunt, quod ſuſtioent.] Noſtri latiùs acceperuot: vt gerere negotia, negotiorom geſtio, & geſtor *l.5.de ob.& act.tit.ꝟ.& C.de neg.geſt.geſtio tutela.tit.de adminiſt.tut.* Etiam ſi verba non adbibeantur, vt geſtione, ſeu (*vt apud Vlpian.fragm. tit.22.*) geritiooe pro herede. *l.20.pro herede.l.88.gerit. de acq.her.d.l.58.licet.ꝟ.h.t.* Vnde impendio placet illud qood dici ſolet, [magis quid geſtum, quàm qoid dictum ſit ſpectari oportere.] *l.6.de contr. empt.l.6.de præſcr.verb.* [magis tes, quàm verba intuenda.] *l.41.promittendo.de iur.dot.* Lucianos Toxari ſiue de amicitia, τὰ ἔργα τοὺς λόγους ὑπερφθέγγεσθαι, geſta factáq;, magis quàm verba exaudiri. ¶ Cùm Modeſtioos ita ſcripſiſſet, [In bello qui tem à duce probibitam fecit aut mandata oon ſeruauit, capite punitur: etiamſi res benè geſſerit. *l.3.de re mil.* ſententiâ apertâ quidem, iiſque quæ de Manlianis imperiis à Val, Max. *lib.4. & Gellio lib.1.cap.13.* diſſeruotur, conſentaneâ: G.Budæus τὸ *geſſerit*, quod omnia exemplaria expreſſerunt, commutat in [ceſſerit.] Græcorum interpretatione refragante cap. legum militarium Iuſtiniani XXVII. εἰ καὶ καλῶς τὸ πρᾶγμα διῴκησεν. Paul. [Factarum impenſarum ratio habetur, etſi res malè geſta eſt.] *l.4.de imp.in res dot.fact.*

XX. IDEM lib.xij. ad Edictum.

VERBA contraxerunt, geſſerunt, non pertinent ad teſtandi ius.

ALCIATVS.

VERBA CONTRAXERVNT. ¶ Si minor teſtamentom condat, adoerſus eius confectionem teſtitui noo poteſt: quoniam edictum prætoris de eo quod geſtom eſt, loquitor: *ad l.aut prætor.* quæ verba teſtamentum non comprendunt: atque boc omnes probant. *l.t.§.fuit.ꝟ.ad Trebel.* ſi tamen dolo fuit inductus, ſuccorretur legitimis heredibus per actionem de dolo. *l.Lucius.§.Sempronia. de legat. 2.l.non eſt enim.de inoff.teſt.* ¶ Eadē ratione adoleſcens, qui curatorem habeat, contrabendo res ſuas immobiles ſine decteto alieoare prohibetur, & tamen teſtando ooo ſolùm ipſe poteſt, ſed & concedere cui velit vt alienet. *Bal.l.2.C.quando decr.* ¶ Eodē modo lex qoæ contractus minorum propter iotiſiutandi religionem corrobotat, in eotum teſtamentis locum non haber. *Doctor.in authent.ſacramenta. C.ſi aduer. vend.* ¶ Hinc & cooſtitutio quæ à filio deportari antè patris reſtitotionem geſta confirmat, in teſtamento non intelligitor: *l.fin.C.de ſent.paſſ.* ſuotq; id genus plura ſimilia. *Iaſ.in l.quæ delegato.ꝟ.de leg.1.* Quandoque tamen videtur io lege receptum, vt pro cuntractu etiam teſtamentum accipiatur: quod ideo eſt, quoniam olim per imaginariam quaodam venditionē teſtamenta concipiebaotur, qood ex Caij Inſtitotiooibus in Topica Ciceronis Boetius explicat. Sunt eoim & qoædam ſucceſſiones in contractuom locum ſubtogatæ, vt bonorum poſſeſſ. in boois liberti, qoam imago ſocietatis induxit. *l.1.ꝟ.de bon.liber.* Nam & de contractibos ad teſtamenta pleronque argumentamut, idque argumentum valet, niſi rationis dioerſitas aliud ſuadeat. Ea colligitor pluribus caoſis, tum quòd teſtamenta fauorabiliorem interpretationem recipiunt, tum qoòd ambulatoria à teſtatoris voluntate pendent, tum quòd in eis oon facilè qois vel falſus vel fallendi cooſilium babuiſſe præſumitur, *Bart.l.ſi is qui.de vulg.* tum quòd eorum robur ab aditiuoe heredis incipit. ¶ Cæterùm & in teſtamentis conttahi poſſe dubium non eſt. Quapropter & ab berede ſtipulari legatario in teſtamento quis poteſt: *l.ſina.C.de fideicommiſ.* & ſatis erit ſi duobus teſtibus hoc probetur, vt plerique ſentiunt. cùm verò ex teſtamento hereditas aditur, noo ipſe teſtatot, ſed heres quaſi cootrahere cum creditoribus hereditariis ceoſeror. *l.ſi.ꝟ.ex quib.cau.in poſſ.* atque id Albericus probat. oam ita proxima contractuum naturæ eſt vltima voluntas, vt de donatione cauſa mortis dubitatum ſit, vtri magis aſſimiletur, & eſſe contractum & ſimilem donationi ſimplicī omnes fatentur: *gloſſ.1.ꝟ.de dot.præleg.* quantum verò ad efficaciam effectúmve, vltimæ voluntatis oaturam imitari. *Doc.l.2.ꝟ.de leg.1.* Sed cùm ita ſit, mirum eſt cur, conſentiente patte, filiusfamil. teſtari nequeat, & tameu cauſa mortis donare poſſit. *l.tam is.ꝟ.de dona.cau.mort.*

BRECHÆVS.

VERBA. ¶ Cùm in condendis teſtamentis nulla ſit teſtatoris obligatio, ex qua naſcatur aduerſus eum actio, certè teſtamenti nomine, contractus non compræhenditur: cùm ambulatoria ſit hominis voluntas ad extremum vſque vitæ ſpiritum. Itaque ſtatuta ius nouum inuehentia, maximè autem pœnalia, de contractibus ad teſtamenta non transferuntur, ſeu extenduntur. Bald. *in l. teſtamenta. C. de teſtamen.* Quo loco ſentit cum gloſſ. *Bal. in d. l. teſtamenta*, nomine contractus non contineri teſtamentum: citátque in eam rem *hanc l. verba contraxerunt*. Quod Barbatias not. pro quæſtio. An veniat donatio cauſa mortis contractus appellatione: quam ſoluit *gloſſ. in l. contractus. C. de fideiuſſor.* dicens donationem & tranſactionem impropriè contractum appellari.

FORNERIVS.

VERBA. ¶ In teſtamentis non contrahimus. Inde illæ differentiæ ſequuntur. Quod omnes obligationes mutuo duorum conſenſu conſtant: *l. 31. ſi mihi. ſi cert. pet.* Teſtamentum ab vnius teſtatoris pendet: nec in alienum arbitrium confertur. *l. 1. de leg. 2. l. 7. vtrum, de reb. dub. l. 11. fideicommiſſa. de leg. 3.* Contractum ſemel initum inuito altero diſſoluere non licet. *l. 5. C. de obl. & act.* Teſtatorum ſoluta voluntas ac libera & ad mortem vſque ambulatoria eſt. *l. 4. de adim. leg. §. poſteriore. quib. mod. teſt. infir.* Cõtractus impoſſibilis vel turpis conditionis adiectione vitiatur, quòd ludere potius, quàm quid ſerium agere paciſcentes videantur: *l. 7. de verb. ob. §. ſi ſub impoſſibili. de inut. ſtip. l. 31. non ſolum. de obl. & act.* In teſtamentis eiuſmodi conditiones quibus vel natura vel lex impedimento eſt, quominus exiſtant, pro non adſcriptis habentur. *l. 3. l. 20. de cond. & dem. l. 4. l. 15. filius. de cond. inſt. §. impoſſibiles. de her. inſt.* Et cum ius accreſcendi teſtamentorum ſit proprium, ne paterfamilias pro parte teſtatus, & pro parte inteſtatus decedat. *l. 7. ius noſtrum. de reg. iur. l. vn. C. de cad. toll. & tit. quando non pet. part.* ſequitur ne in contractibus locum habeat. *l. 110. ſi mihi. de verb. ob.* Aliud inter teſtamenta & contractus diſcrimen huius capitis argumento notauit Scholiaſtes Baſilicôn lib. 60. *tit. 54. in verſ. pignori obligari.* Nos quoque nonnihil, quod ad conciliationem conferat antinomiæ. *l. 5. de dol. mal. & met. except. cum l. 36. pecuniam. ſ. ſi cert. pet. de qua 6. ſelectionum commentario diſputare inſtitus.*

XXI. PAVLVS lib. xj. ad Edictum.

PRINCEPS bona concedendo videtur etiam obligationes concedere.

ALCIATVS.

PRINCEPS OBLIGATIONES. ¶ Id dubium non eſt, cùm is, cui bona conceduntur, etiam petere poſſit, quæ alius debet: actiones enim in bonis ſunt. Sed quid ſi ſuper illis bonis aliquid alteri debeatur? & idem eſſe Accurſius ex hoc reſponſo exiſtimauit, rationémque adſert, quoniam in beneficiis Principum ſit pleniſſima interpretatio: *l. ſi quando. C. de bo. vac. lib.* 10. quę ratio mihi non placet: ſit enim pleniſſima interpretatio in eius fauorem, cui princeps aliquid indulget: Sed in propoſita quæſtione damnum eſt impetrantis, vt obligationes ſuſcipere compellatur. quare ipſe ita exiſtimauerim, bonorum appellatione ære alieno deducto, intelligendam, idque ex ſermonis proprietate. ¶ Ea mente tamen diſponentis aliter quãdoque cenſendum: ea ſic præſumitur, cùm alias aliquid abſurdum induceretur, *l. ſi quis ſeruo. §. ſi. de leg. 2.* veluti quòd quis pro parte tantùm eſſet heres, *l. 3. ſ. de bon. poſſ.* vel quòd omnia onera ad aliquem pertinerent, ad alium verò omne lucrum. *l. cegi. ad Trebel.* Idem eſt in reſtitutione facta à Principe, qua omnia bona alicui cõcedit. ¶ Intelligitur etiam de obligationibus: quia aliàs is, qui reſtituitur, melioris fieret conditionis, quàm prius eſſet. *l. 3. C. de ſenten. paſſ.* Idem & ſi publicata bona alicui donat, nec enim veriſimile eſt voluiſſe eum in hoc ærarium ſuum aggrauare, vt æs alienum ſoluat, omni lucro ad alium ſpectante. ¶ Sed pone publicatis alicuius bonis, indicta & exacta à principe eſt aliqua pecuniaria collectio, deinde ad bona ſua cauſ reſtitutus eſt, nunquid in eorum reſtitutione deducẽdum eſt, quod ex ea indictione ad eum ſoluere pertinuiſſet? Et Albert. deducendum ait. Idem & ipſe ſentio, ſi ad fructus quoq; interim perceptos ſit reſtituturus: quod in dubio non dicendum: *auth. idem. C. de heret.* nam ſi fructus non ſint reſtituti, non debemus à proprietate verborum recedere, quum ſatis ſit, ſi interim fiſcus fructus ipſos lucratus eſt.

BRECHÆVS.

PRINCEPS. ¶ Quemadmodum Græci ἄρχοντα, ἀπὸ τ' ἀρχῆς, vel παρὰ τὸ ἄρχειν, id eſt, τυραννεῖν καὶ δυναστεύειν, ſic Latini principem à principio, quòd primus omnium dominetur, quodq; præſit, dixerunt. ¶ Cæterùm principes in caſtris dicebantur, qui in principiis collocati militabant. Erant enim principia loca in caſtris, in quibus qui collocati erant, principes dicebantur. Hi quidem ἀκμάζοντες viribúſque & ętate fortiores erant, qui haſtatos in acie ſequebantur in xv. manipulos diſtincti: quique non continenter iuncti erãt, ſed modicis ſpatiis diſcreti, ac veluti in ſubſidiis poſiti, vt ſi prælio commiſſo haſtati pedem aliquando referrẽt, ad ipſos principes, veluti grauioris militiæ viros tutò confugerent. Poſt principes, triarij pluribus vexillis ordine diſpoſiti erant. T. Liuius *lib. 8. Decad. 1.* Prima (inquit) acies, haſtati erant manipuli quindecim, diſtantes inter ſe modicum ſpatium. Manipulus, leues vicenos milites, aliam turbam Scutatorum habebat. Leues autem qui haſtam tantùm gæſáque gererent, vocabantur. Hæc prima frons in acie florem iuuenum pubeſcentium ad militiam habebat. Robuſtior inde ætas totidem manipulorum, quibus principibus eſt nomẽ, &c. Inde caſtrorum principalia, & principalis porta dicebatur, vbi principes ordines diſponunt, authore Feſto. T. Liuius *lib. 4 Decad. 1.* Intentos (inquit) deinde hoſtes in vallum, egreſſus de porta principali, cum Triariis repentè inuadit. De principiis idem Liuius eodem *lib. 8. Decad. 1.* ſic ſcribit. Vbi (ait) Triarij conſurrexerunt integri, refulgentibus armis, noua ex improuiſo exorta acies, receptis in interualla ordinum

Antepilanis,clamore ſoblaro principia Latinorum perturbāt. Martian. *in l.officium.§.officium.ad ſi.ff. de re mil.* Officium(inquit) Tribuuorum,vel eorū qui exercitui præſuut,principiis frequēter inteteſſe.Cuius quidem verbi ſignificationem Accurſius ignorauit:vt qui in linguæ Latinæ archana nō ita profundè penertarat : homo alioqui ingenio acuto & ſubtili. ¶ Quod ad rem attinet,Princeps dicitur qui primas,& principatum in repub.tenet:quemadmodum in capite tanquam in arce, vt ait poſt Platonem Cicero *lib.1.Tuſculanarum quæſtio.* τὸ ἡγεμονικὸν τῆς ψυχῆς, & Galen. *lib.13.* θεραπευτικῆς dixit. Cicero *Philip.9.ad finem.* O dij immortales, quàm magnum eſt perſonam in republic.tueri principis, quę non animis ſolùm debet,ſed oculis ſeruire ciuium ! Alio item loco M.Tullius ſcribit principem, ſummi Dei rationem eſſe : & noſtri iureconſulti,legem animatam in terris. ¶ Conſtat autem Imperatores quondam principes appellatos : ſicut colligimus *ex titu.de mand. princip. l.1.§. & quod principi.* Quod principi (ait Vlpianus) placuit,legis habet vigorem. *& l.princeps.ff.de legibus & ſena.* vbi principem legibus non teneti ſcriptum eſt. Hic priocipem pro Imperatore poſitum,ſatis apertè docemur ex *l.penult.d.titu.de conſtitu.princip.* quo loco traditur beneficium Imperatoris latiſſimè interpretandum : cùm tamen hæc l. *ſub d.tit.de conſtitu.princip.* ſita ſit. Re vera Romano Imperio ad monarchiam deducto,Imperatores,qui antea in militari dignitate id nominis ſortiti erant,poſtea principes appellati ſunt (nam Regium nomen inuiſum erat pop. Ro.) & purpura,pro inſigni Imperatorio,induebantur : vt ſcribit Iul. Capitolinus in Maximinis, & in Gordiano. ¶ Erat etiam apud Romanos, vnus in ſenatu, qui princeps ſenatus dicebatur, teſte Budæo *in annota.ad Pand.* Quod genus honoris iis tantùm deferri conſueuerat,qui authoritatem & gloriam, maximis in rempub.meritis, præſtantiſſimiſque rebus geſtis eſſent conſecuti,aut bote Plutarcho,Senatus prioceps à cenſoribus legebatur. T. Liuius *lib.7. Decad.tertiæ.* Senatus lectionem contentio inter cēſores de priocipe legendo tenuit. Sempronij lectio erat. Cæterùm , Cornelius morem traditum à patribus ſequendum aiebat , vt qui primus cenſor ex his qui viuerent,fuiſſet,eum priocipem legerent. Et paulò poſt. Cùm diu certatum eſſet verbis,coocedente collega,lectus à Sempronio princeps in Senatu Q. Fabius Maximus Cos. Inde alius lectus Senatus octo præteritis, inter quos L. Cæcilius Merellus infamis author deſerendæ Italiæ poſt Cannenſem cladem.

Bona concedendo. ¶ Quotieſcunque bona ob delictum confiſcata princeps alicui concedit , videtur etiam ea omnia quæ appellatione bonorum continentur , conceſſiſſe. Obligationes itaque & actiones pertinent ad eum cui publicata booa damnati addita ſunt. Vlpianus *in l.ſi conſtante.§.ſi bona. ſolut.matr.* vbi publicatis damnatæ mulieris bonis, quæ illi pro dote cōpetebat actio,in fiſcum transfertur. Quid autem Bonorum appellatione veniat,infrà ſuo loco abundè dicemus.

FORNERIVS.

PRINCEPS BONA. ¶ Tribus ferè modis quid priuatis concedit princeps , aut beneficij iure , aut indulgentiæ,aut reſtitutionis causâ. ¶ Ac de beneficiis quidem ita cauetur,vt (quoniam principes,quos CHRISTVS εὐεργέτας vocat,liberalitas decet, *c.6.extr.de dona.*) quàm latiſſimè interpretentur:vt ſunt cōgiaria,annonæ,ῥόγαι,prædia militibus aſſignata, ςρατιωτικὰ κτήματα,vt præmia muros primùm aſcenſuto propoſita : cæteráque,quæ à mera eorum beneficentia proficiſcuntor. *l.ben.de conſt.princ.* Niſi tribus caſibus. ¶ Primùm ſi fortè dubiretur , vtrùm quod viuo dediſſet princeps , id eius etiam heredibus conceſſum velit:Nam adeundus,& qualem ipſa beneficij ſui modum ſtatuerit, conſulendus. *l.Neratius v. ī. tit.ſeq.* ¶ Deinde ſi eiuſmodi conceſſio , cum priuati alterius fraude & iniuria coniungeretur. Nec enim in cuiuſquam priuati præiudicium reſcribere præſumitur. *l.pen.C.de prec.imp.off.* aut beneficio ſuo nocere,& de alieno largiendo ſibi debitorem quærere. *l.2.ne quid in loc. pub.* aliena cōmoda lædere, ius alteri quæſitum tollere, leges velle euertere. *l.3.C.de reſc. vend.tutul.ſi nupt.ex reſcr.pet.l.16.cauſas.C.de tranſ.l.10.ſi teſtamentum.C.de teſta.l.2.l.nec filio.l.pen.ī.de nat.reſt.l.4. C.ſi cont.ius.* ¶ Poſtremò niſi immenſa dooatio penitus ærarium principis exhaurieos , ad aliquem modum cohibenda & coarctanda videretur. *tit.de bon.petit. ſublat.* ¶ Nam etſi principes ſoluti legibus, vix ſuæ liberalitati dici modum aut freoum iniici patiantur:Tamen inſanas eorum donationes, ſi minus ex aſſe reſciſſas, certè aliquatenus, modò dextante, modò ſemiſſe delibatas legimus. Corn. Tacitus *lib. Annalium* XVII. [Proxima pecuniæ cura, & cuncta ſcrutantibus, iuſtiſſimum viſum eſt, inde repeti , vbi inopiæ cauſa erat. Bis & vicies mille ſeſtertium dooationibus Nero effuderat. Appellari ſingulos iuſſit , decuma parte liberalitatis apud quemque eorum relicta.] Auctore Suetonio, Galba liberalitates Neronis noo ampliùs decimis conceſſis per quinquaginta equites Romanos, [ea conditione reuocandas curauit , exigendáſque : vt & ſi quid Scenici aut Xyſtici dooatum olim vendidiſſent , auferretur emptoribus , quando illi abſumpto pretio ſoluere nequiteot.] Refert Georgius Cedrinus , cum Michaeli profuſione exinanitum eſſet ærarium , placuiſſe , eos qui malis rationibus pecunias accepiſſent reſtituere : at dimidium tantùm reddi iuſſiſſe Baſilium. ψῆφος δὲ παρὰ πάντων ἐδέδοτο. ἐκείνους τοὺς κακῶς ταῦτα λαβόντας ἀντιςρέψαι τὰ ληφθέντα πρὸς τὸ δημόσιον: ὁ βασιλεὺς τοῦ ἄγαν ὑπενδιδοὺς, τὰ ἡμίση ὧν ἕκαςος ἔλαβεν ἀντιςρέψαι πρὸς τὸ βασιλικὸν ταμεῖον ἐκέλευσε. ¶ In indulgentia autem vel reſtitutione in integrum (de qua hic locus accipiendus videtur) multum refert, vtrùm generaliter omnes deportati , an M.Tullius exilio damnatus reuocetur : illis nec bona adempta , fiſco ſemel quæſita,conceduntur:Huic omnia reſtituentur patria,dignitas,familia,poteſtas in liberos. *l.1.l.3.l.5.l. vlt.C.de ſent.paſſ.* Iulian.Imp.Zenonem medicum religionis cauſa exulantē reuocans ait, κάτιθι τοίνυν ἐπίτιμος, καὶ τὸ πρότερον ἔχων ἀξίωμα. Caſſiodorus *lib.3. epiſt.46.lib.4. epiſt.41.* Amm. Marcellinus *lib.29.* [Illi verò exilio,& pecuniariis afflicti diſpendiis, paulò poſtea reddita ſibi mulcta , ſunt reuocati dignitatibus integris,& ſplendore.] ¶ Princeps igitur quibus bona id eſt res concedit,eiſdem obligationes quoque & actiones indulget. Græci, ὁ βασιλεὺς παραχωρῶν τὰ πράγματα, καὶ τὰς ἀγωγὰς παραχωρεῖ.

Conced

Concedere,eſt remittere,indulgere rei.Sacramentum cõcedere abſenti,pro gratiam iotiſiurandi fa-
cere,*l.2.fi.C.de iureiur.propt.cal.*Suetonius de Nerone, [Profeſſis apud ſe obſcenitatem,cætera quoq;
conceſſiſſe delicta:] id eſt ignouiſſe. Quamuis enim huius loci ſententia referri poſſit ad principem
hereditatis venditorem,ne poſſit ab hereditatis creditoribus conoeniri,vel com bona vacantia , *ὲ-*
δίκαιο& alicui concedit.*l.1.C.de her.vel act.vend.l.41.eum.ff.de iur.fiſc.* Propius tamẽ eſt,vt de reorum
damnatorum reſtitutiooe eaaudiatur: quam actiones eis & in eos competentes ſequuntur: Non mo
dò qoòd rerum appellatione,cauſæ & iura contineantur,*l.23.res.j.h.t.* Verùm etiam, quòd reſtitutio
non vni impetranti,ſed omnibus qoibuſcum negotium illi fuit,proſit. *l.1. C.de repud.l.25.quod ſi mi-*
nor.§.reſtitutio.ff.de min.l.7.tutelas.fi.ff.de capit.min. Quod ſi ad partem tantùm facultatum reus, non
ad omnia bona reſtituatur,oon recidet in credirorum obligationem. *l.29.ſeruus effectus.ff.de obl. &*
act.l.41.ſi cum ſi.ff.de furt.

XXII. Caivs lib. iiij. ad Edictum prouinciale.

Plvs eſt in reſtitutione, quàm in exhibitione. Nam exhibere eſt præſen-
tiam corporis præbere. Reſtituere eſt etiam poſſeſſorem facere fructúſ-
que reddere.Pleraque prætereà reſtitutionis verbo continentur.

Alciatvs.

Plvs est *in reſtitutione.* ¶ Exhibere rem dicitur, qui in præſentiam affert : *l.2. ad exhibendu*
quapropter actio ad exhibendum, vendicationes prægreditor, mobiliáque priùs exhibentur,
deinde à domino vendicantur. Hinc & dicta ſunt interdicta exhibitoria,vt quum prætor,niſi ta-
bulæ teſtamenti,vel liber homo,vel liberi exhibeantur,interdicit:*l.deinde.de lib.exhib.* quod intelli-
gitur,vt videri,tangi,agnoſciqne poſſint *l.quod & lex.§.ait prætor.de liber.ho.ex.*
¶ *Reſtituere* eſt generalius verbum,qnod etiam ad fructus refertur,qnod accipiunt Old.& Alber.
quum verbũ id à lege proferrnt,*l.in cõdemnatione.j.tit.1.*alioquio ſi ab homine,fructus nõ contineri:
*l.qui excubias.ff.de re mil.*quod defeodi poteſt,ſi alia ratio ſit in fructib.quã in re ipſa.Ego diſtinguen
du putauerim,ſi fructus bona fide ſint percepti,nec reſtitutionis cauſa retrò inferat, tũc nõ reſtituã-
tur:*l.& ex diuerſo.§.1.ff.de rei vend.* quam ob cauſam,ſi prioceps deportatom de damnatis eximit,&
ex indulgentia bona ei mandat reſtitui,interim acquiſiti fructus non reſtituentur: *auth.idem.C.de bo-*
*nis.*ſi verò mala fide percepti ſint,dubium noo ſit,qnin reſtitui debeant. Idem , ſi reſtitutionis cauſa
repetita die aſſumatur,vt cùm quis in fraudem creditorum alienat : prætor enim eum contractum
periode ab ipſo principio irritum eſſe vult,ac ſi nihil alienatum foret. *l.videamus.ff.de vſur.* ¶ Sanè
& à principe reſtitutio facta alteri damnum afferre non debet : Quapropter ad ea bona non exten-
detur,quæ interim alienata ſunt,*c.quamuis.de reſcript.in 6.* niſi de apertiſſima principis mente coo-
ſtet,vt cùm condemnationem,publicationémque pro infecta haberi velit,*Car.cap.quia diligentia.de*
elect. Idem ſi publicæ vtilitatis ratio hoc ſuadeat , vel ſi ideo quis reſtitutus ſit , quia iniuſte ſit con-
demnatus:*l.quod ſi minor.§.Scæuola.ff.de minor.* nam in his caſibus damnum afferre alteri princeps nõ
dicitur,cùm pretinm reſtitnere illi debeat: ea facto enim ſoo ſecuta eſt euictio : & ideo non priùs re-
ſtitui bona exiſtimarim,quàm pretium emptori redditum fuerit : nimis enim graue illi eſſet,rem cu-
ius poſſeſſioni incumbebat reſtituere,deinde aduerſum fiſcum experiri.
Reſtitutionis verbo. ¶ Nam non ſolùm fructus continentor,ſed etiam cauſa vſucapionis: *l.reſtitue-*
re.j.eod. habétque ex iuris interpretatione hæc vox amplam ſignificationem. *l.fin.infrà eod.* Sanè &
reſtituere princeps dicitnr cùm ordini & dignitati reſtituit *l.1.C.de ſent.paſſ.* itémque famæ , *l.1.§.de*
qua.de poſtulat. vt cùm quis infamia notatus hoc ex principali indulgentia impetrat , qno caſu ioſa-
mia facti non abolerur,nec eius effectos,non enim poteſt princeps facere,quominus alicuius opinio
apud graues bonúſque viros ootata ſit:*Fel.c.teſtimonium.de teſtib.*reſtituuntur,& natalibus qui ſerui
nati ſunt,ingenuitatiſque iura acquirunt. Reſtituuntur & in integrum minores , & qui ioſtam cau-
ſam,vnde reſtitui eos æquum ſit,prætori probauerunt. Reſtituitur & dos ſoluto matrimonio. Reſti-
tuitur ex S.C.Trebelliano hereditas.Reſtituitur poſſeſſio ex iorerdictis.

Brechævs.

Plvs est. ¶ Qui ſententia Iudicis rem reſtituere damnatus , eam ipſam tantùm exhibuerit,
ſententiæ minùs paroiſſe cenſebitur. At qui eam reſtitnerit , cùm tamen exhibere teneretur ſo-
lùm,plus eum feciſſe dicemus. Nam exhibere hoc tantùm dicimus , cuius poteſtatem in publicũ
facimus,aut apud prætorẽ edimus,vt experiundi ſit copia,& facultas ei qui ad exhibendũ egit,poſt-
quam rem ſibi exhibitam viderit & cognouerit,*l.2.ff.ad exhibend.l.docum.§.hoc interdictum.de tab.ex-*
*hib.*Reſtituere autẽ,eſt non rei copiam tãtùm facere, ſed ipſam quoq; domino trade, quàm poſſidere
rurſus ei liceat.Vnde ſi quis conueniatur,vt rem reſtitnat,ſiquidẽ eam apud ſe habet, nõ liberabitur
cùm eiuſdẽ rei precium & æſtimationẽ reſtituere paratum ſe profeſſus fuerit : equidẽ qui poſſit ad i-
pſam rem reſtituendam præciſè (vt dicunt) cõpelli.Ita opinatur Bart.*in l.vnicam. §. æſtimatio. de æſti-*
*mat.act.& in l.qui reſtituere. de rei vend.*vbi eſt etiam litera dicens manu militari officio iudicis poſſe
cogi. Sed forſan quæras , An is qui publicata bona damnati à fiſco emit , ſi poſtea reuocetur ab exi-
lio qui damnatus erat,& reſtituatur à principe,bona publicata à fiſco empta reſtitoere teneatur? Pri-
mùm quidam videtur ooo teneri,vt *l.bene à Zenone. C.de quadrien.præſcr.* Etenim illa legitimè emit.

f Sed

Sed qui ab exilio reuocatus eſt, poterit fiſcum, vt reſtituat, cõgere. Ea eſt Bartoli ſententia in *l. fin. C. de ſententiam paſſ. Eſt text. in l. fin. C. de repud. heredit. & ibidem doctor.* Quo loco, ſi ſuus heres cernendæ hereditatis ius eiurauerit, ſiquidem poſt repudiatam hereditatem, bona hereditaria vęnierint, ea ipſa reuocare ac repetere non licebit, niſi minoris ætatis beneficio.

Fructuſque reddere. ¶ Quamuis iudex in ſua ſententia debeat nominatim de reſtituendis fructibus cauere, ſi tamen hoc ipſum prætermiſerit, ſed ſolùm & ſimpliciter rem reſtitui iuſſerit, fructuum quoque reſtitutio ſubintelligenda venit. *l. videamus. §. in fantana. de vſur.* Et id quidem præſcribendum fuerit, ſi iure fructus reſtituendi veniant: alias enim dicendum eſſet hoc, locum non obtinere. In hanc ſententiam ſcribit Bald. *in rubric. de fructibus & litium expenſis. C.* Quod ſanè notandum erit, ad præſcribenda atque intelligenda ea quæ ſcribit Innocen. *in cap. grauis. de reſtitutione ſpoliat.* quod ſcilicet ſi non petantur nominatim fructus, nihil de his iudex pronunciare debet, vt *l. item ſciendum. de aedilitio edicto*, niſi ob multas rationes quas ibidem tradit Innocentius, quem in hanc rem videto ſi lubet. & Bald. *in l. cùm propria. C. ſi quis alter. vel ſibi.* ¶ Reſtituere igitur, cùm verbum ſit generalius, eſt & rem exhibere, ſimúlque eam ipſam tradere poſſidendam cum eiuſdem rei fructibus, *vt l. ſtipulatus. de vſuris. Alexand. in l. ex diuerſo. §. primo. ff. de rei vendic. l. in condemnatione. §. 1. de regulis iuris. ff. Alciatus in l. cùm fundus. de reb. credit. ſi certum pet.*

Reſtitutionis verbo. ¶ Pleraque etiam alia ſignificata habet verbum Reſtituere. Nam & *ἀποδοῦναι*, id eſt, reddere ſignificat, vt ante diximus: quod ipſum reddere, eſt veluti ſimilem efficere. Vt cùm dicimus reddi parentum ſimilitudines poſt plures partus. Plinius *libro ſeptimo natur. hiſtoria, cap. 12.* Suræ quidem (inquit) proconſulis etiam rictum in loquẽdo, contractionémque linguæ, & ſermonis tumultum, non imaginem modò, piſcator quidam in Sicilia reddidit. Item & reſtituere domum, pro reficere & reparare: & natalibus, & priſtinæ integritati reſtituere: & multa alia vide ꝫ *in l. verbum reddendi.*

FORNERIVS.

PLVS EST. ¶ Integri reſtitutio eſt redintegrandæ rei vel cauſæ actio; Quæ ſex ferè cauſis à Prætore ſolet captis lapsiſve tribui: metu, dolo, capitis minutione, ſeu ſtatus mutatione, iuſto errore, abſentia legitima, ætatis infirmitate: Paulus *lib. 1. ſentent. tit. 7. l. 2. ꝫ. de in integ. reſt.* Verbum autem reſtitutionis latiſſimè patet: nec tantùm rei corporiſque exhibitionem, ſed & cauſam omnem, fructus & acceſſiones cõplectitur. *l. 35. reſtituere. l. vlt. ꝫ. h. t.* Quo eùm omnis actoris vtilitas continea tur; quoties damnum reſtitui oportet, lucri quoque erepti & amiſſi detrimentum ſarciendum eſt. *l. 81. cùm prætor. ꝫ. h. t. l. 173. in condemnatione, tit. ſeq.* Tantum reſtitutio adfert, quantum læſio circumſcriptióque abſtulit, nec ei modò qui reſtitui poſtulauerit, ſed ei quoque aduerſus quem reſtitutio fuerit impetrata. *l. 24. quod ſi minor. §. reſtitutio. ꝫ. de min. l. vn. C. de reput.* Adeò vt reſciſſa metu facta venditione, emptori quamuis prædoni pretium reddatur. *l. 1. C. de reſc. vend. l. 3. l. 4. C. quod met. cauſ.* Ideóque euenit aliquando, vt beneficio reſtitutionis abſtinere ſatius ſit. *l. 41. ſi index. ꝫ. de min.* Pendente autem reſtitutionis iudicio, nihil temere eſt innouandum. *l. vn. C. in integ. reſt. poſt.* Quo ſi quæ fraudis ſuſpicio oriatur, cautione de fructibus à victore reſtituendis præſtita, ſententiam exſequetur iudex. *ca. 6. extr. de in integr. reſt.* Quo remedio contra ſuſpectos aſſiduè vtimur. *l. 9. ſi in fraudem. C. de legat. l. pen. ꝫ. de pet. her. l. 57. ſi à quo. de rei vin. l. 5. vt lega. nom. l. 7. prætor. de dam. inf.* Minus quiddam eſt exhibere, id eſt rei tangendæ, corporiſque adprehendendi copiam facere, ſiue ad res, ſiue ad tabulas, ſiue ad homines referatur. *l. 2. ꝫ. ad exhib. l. 1. l. 3. de tab. exhib. l. 1. l. 2. l. 3. de lib. hom. exhib. tit. de lib. er. exhib.* id eſt rei cõ ſtitueſæ præſentiam præſtare. Græci hic [illegible]. Quod nõ ſufficit, cùm rei de reſtitutione agitur, niſi pariter omnis cauſa, poſſeſſio, conditio rei & fructus contineantur. *l. vlt. ꝫ. h. t. l. 20. præterea. ꝫ. de rei vind.*

XXIII. VLPIANVS lib. xiiij. ad Edictum.

REI appellatione & cauſæ & iura continentur.

ALCIATVS.

REI APPELLATIONE. ¶ Accurſius ita intelligit, vt qui rei mentionem facit, etiam de eius cauſis iuribuſque intellexiſſe credatur, veluti cùm quis generaliter res ſuas petat: quod exemplum in ſupplicatione principi porrecta procedere poteſt: item in libello qui in iudicio vniuerſali generalive datus ſit, vt in petitione hereditatis, tutelæ, vel pro ſocio actione, *gloſſ. l. 1. ꝫ. de eden.* alioquin in particulari iudicio libellus generalis, parte opponente, non valet. Nunquid ergo ſi fundum petierim, ei quoque debitas ſeruitutes petiiſſe videar? & ſi petitus ſit cùm his quæ ad eum pertinent, dubium non eſt etiam de ſeruitutibus actum, & de his omnibus quæ ex conſuetudine rei emptæ ſolent accedere. *Innocent. in cap. cùm ad ſedem. de reſt. ſpoliat.* Si verò ſimpliciter fundus petitus eſt aut per actionem perſonalem, & ſeruitutes non debentur: cùm enim ius id in re ſit, actione perſonali conſequi illud non poſſumus. Aut per rei vẽdicationem, & verius eſt deberi. *l. via. §. ſi fundum. ꝫ. de ſer. ruſtic.* Aut non cõſtat quæ actio ſit intentata, & humanius eſt etiá de ſeruitutibus actũ intelligi, vt hic habetur, nec diſſentit Bal. *l. 2. de cond. inſtit.* Nã & rẽ vẽdens, eá cum ſeruitute impoſita diſtraxiſſe exiſtimatur: *ſi aqua. de cẽt. emp.* & rei præſcriptio ad ſeruitutes quoq; huiuſmodiq; acceſſiones

trabitur

trahitur, *l. ſi aliena. §. hoc iure. de vſucap.* quod & de eius interruptione dicendum eſt. *l. fin. C. de ann. exc.* ¶ Alij hanc legem aliter interpretantur, vt appellatione rei contineantur cauſæ, id eſt, dominia, vt ſi quis rem legat, eius dominium legaſſe videatur, ſi eſt dominus, alioquin id ius quod in re habet: *l. ſi domus. in fin. ſ. de leg.* 1. quem ſenſum ſi reciperemus, naturam ſuam coniunctiua non ſeruaret.

BRECHÆVS.

RE 1. ¶ Rei nomen in ſignificatione multiplex eſt. Nam & tam res corporales, quàm quæ incorporales ſunt, complectitur. ¶ Significat equidem res modò negotium: vt cùm dicimus nihil nobis rei eſſe cum aliquo: modò congreſſum venereum *τὴν συνουσίαν*, vt frequenter apud Terẽtium. Præterea & facti atrocitatem: vnde reus (quoniam à re dicitur) capitis damnatus. De quo late videbis apud Alciatum *lib. 2. Parerg. cap.* 10. Iudicium quoq; res ſignificat: & rem ſubire dicimus, id eſt, iudicium: & rem iudicatam, & compereudinatam: & è re mea eſſe, pro ad meam vtilitatem pertinere: & hominem ad rem auidiorem, id eſt, *χρηματιστὴν* apud Terentium. Auſonius vnico verſu, rei ſignificationem decantat his verbis:

Iudicium, venerem, litem, cur vna notat res?

Horatius quoque *lib. 1. Epiſtolarum. Epiſt. 1. ad Mæcenat.* dixit rem facere, pro augere patrimonium, & diuitiis ſtudere his verbis.

Iſne tibi melius ſuadet qui vt rem facias, rem
Si poſſis rectè: ſi non quocunque modo rem.
Et idem paulò pòſt,
Multis occulto creſcit res fœnore, &c.
Et idem *lib. 2. Sermonum, Sat. 6.*
Si neque maiorem feci ratione mala rem.
Nec ſum facturus, &c.

¶ Ad hæc rem pro loco aliquando accipimus. Vt in rem præſentem aduerſarium perducere, id eſt in eum locum de quo controuerſia eſt inter litigatores. Liuius *lib. 34.* Reſponderi (inquit) legatis vtriuſque partis placuit, miſſuros ſe in Aphricam, qui inter populum Carthaginienſem & Regem in re præſenti diſceptarent. Plura alia exempla huius ſignificati profert Laur. *Vallenſ. li. 3. c. 23.* Quod etiam Budæus eleganter annotauit. ¶ Eſt ergo generalis rei appellatio, vt quæ & ad cauſas ſecundas ſeu cauſatas protendatur, atque etiam ad iura. *l. 1. de reb. cred. ſi cer. pet.* Ad cauſas ſcilicet, ipſius rei, vt fructus: ad iura, id eſt, ad ſeruitutes ipſi rei debitas, vt explicat Accurſ. Ecce enim ſi apud Prætorem peto res meas mihi reſtitui, cenſebor & fructus rei, & ſeruitutes rei debitas petiiſſe. Alciat. *in d. l. cùm fundus. de reb. cred. ſi cert. pet. & iuribus ſ. alleg.* Sed id quidem in rei vendicatione locum non habet, ne obſcurior ſit petitio & libellus actoris. *l. ſi in rem. ff. eod. cap. 2. & ibidem gloſſ. in verb. ſignificantibus. de libel. oblat.* At verò in actione perſonali, ſi res ſimpliciter petita ſit, cenſebor rem totam, quæque ipſi rei cedunt, petiiſſe, *vt l. ſi defenſor. §. qui interrogatus. ff. de interrogato. act. ſecundum Panor. & Imo. ſententiam.* Quid ſi rem conducam ab aliquo, dubium ſit autem, de poſſeſſione, an verò de proprietate rei contractum ſit, qualiter ancipitem iuris quæſtionem explicaueris? Et ſanè de proprietate tantùm intelligi omnes conſentiunt, maximè Bart. *in l. ſi aliquam rem. ff. de acquir. poſſ. Eſt tex. in l. ſi duo. ad finem. vti poſſidetis.* Quid item ſi teſtator res ſuas legauerit? Totam quidem hereditatem legatam Bartolus reſpondit in *l. licet. C. de pactis. textus in d. l. licet.* Ad extremum re legata iura & actiones legatas tam ea hac lege, quàm ex *l. res appellatio. ſ. eodem*, colligemus, quæ etiam eſt Baldi ſententia in *l. ex legato. C. de legatis.* Quid ſi fundus clientelaris præhendatur, an omnes ipſius fundi acceſſiones, ſeu corporalia, ſeu incorporalia iura, id eſt (vt dicitur) omnes pertinentiæ annexæ & dependentes quæ ſunt de proprietate vel iuribus feudi, quia non ſeparatur à ſuo principali, ſed ſunt vnum idémque integrum, in eiuſmodi præhenſione veniant? Et venire dubium non eſt. Quandoquidem rei appellatio abſoluta, complectitur etiam ea quæcunque ipſi rei iure ſuo accedunt, neque id in quibuslibet diſpoſitionibus tantùm, ſed & in contractibus. Celſus in *l. ſi venditor. ad finem cum l. ſequenti. ff. de action. empt. l. ſi aquæductus. cum duabus legib. ſeq. l. fiſtulas. ad princip. ibi.* vt id quoque accederet, licet ſcriptura non contineretur. *l. qui fundum. §. primo. ff. de contrahenda emption. & vendit.* habet id quoque locum in extremis mandatis & vltimis voluntatibus *l. teſtatrix. §. finali. ff. ſi ſeruit. vendic.* Item in conceſſionibus & beneficis principum. *l. ſi quando. C. de bonis vacantib. libro* 10. Et in eum quidem ſenſum hanc l. intellexit Carolus Molinæus in *Commentarius ad conſuetudines Pariſienſes. §. primo. titulo, De materia feudale.*

FORNERIVS.

RE 1. ¶ Non dubito quin hoc quoque caput ad idem reſtitutionum argumentum pertineat. ¶ Rei quidem nomen generale eſt, latiúſque quàm pecuniæ patet. *l. 5. ſ. h. t.* Namque cauſæ, & iura rei reſtitutionem ſequuntur, ancillarum partus, fructus, ſeruitutes, & appendicea, quicquid denique habiturus erat, actor, ſi maturè, ante ſcilicet iudicium acceptum, rem fuiſſet à reo conſequutus. *d. l. 20. præterea. l. 40. illud. de pet. her. l. 31. cum fundus. ſi cert. pet.* Quæque res cum ſua cauſa ſuóq; onere tranſire dicitur *l. 67. alienatio. ſ. de cont. empt.*

XXIIII. CAIVS lib. vj. ad Edictum prouinciale.

NIHIL eſt aliud hereditas, quàm ſucceſſio in vniuerſum ius, quod defunctus habuit.

ALCIATVS.

NIHIL. ¶ Refertur hîc hereditatis definitio, quam ita plerique intellexerunt, vt poſt defuncti mortem ante aditam hereditatem quoddam ius interim ſubrogari exiſtimarint, quod loco defuncti ſuccedit, eúmque repræſentat, id hereditatem appellari. *Bart. rub. de acq. her.* ¶ Exponitur itaque hîc ſucceſſio, id eſt, ius ſuccedens. ¶ Sed vix eſt vt hanc ego interpretationem ſimpliciter approbem: dictio enim verbalis, ſucceſſio rem ipſam in vim nominis ſignificat: non autem ad participium refertur quod vim verbi aſſumit, vt Grammatici tradiderunt. Etymologia quoque huic ſententiæ repugnat: cùm enim heres idem ſit quod dominus ſequitur, §. *fin. Inſt. de hered. qualit.* vt hereditas rerum ipſarum dominium, non autem ius ſuccedens. Idem etiam ex eo confirmatur, quòd hereditas per quotas partes in rebus diuiſionem recipit, *l. ſeruum. §. fin. de hered. inſt.* quæ vix eſt, vt cóngruè iuri huic ſuccedenti quadrare poſſit: cùm enim diuiſio illa de re ipſa dicatur, conſequens eſt, vt & quod integrum eſt, ad eam rem referatur. Nam & ſi ius hoc ſuccederet, non in multis, ſed generaliter hereditas perſonam defuncti ſuſtinere deberet, *l. hereditas de acquir. rer. domin.* & tamen in his quæ facti ſunt, non ſuſtinet, nempe quia quæ facti ſunt. *l. vſufruct. de ſtip. ſer.* Ad res igitur potiùs referenda eſt definitio. ¶ Accedit huc, quòd Iuriſconſultus, *l. 3. de bonor. poſſeſſ.* cùm de hereditate ad bonorum poſſeſſionem argumentatus eſſet, bonáque definiret, ſucceſſionem dixit eſſe vniuerſalem in ius mortui. Vnde credendum non eſt eadem verba hîc de iure ſuccedente, alibi de rebus ipſis intelligi. Nam & veteres Iuriſconſulti hereditatem in rebus ipſis intellexerunt, quod ea ex finitione apparet, quam M. Cicero ad Trebatium in Topicis refert: Hereditas (inquit) eſt pecunia quæ morte alicuius ad quempiam iure peruenit, nec ea aut teſtamento legata, aut poſſeſſione detenta confecta eſt. ¶ Meritò igitur ſciendum eſt, quoties paterfamilias moritur, omnia eius bona itémque iura ſine domino remanere: ea ſimul iuncta quadam vniuerſitate compenſa, id ius conſtituunt, quod hereditas dicitur, id defunctum repræſentat, & vbi per heredem acquiſitum fuerit, *l. heres quoque. de acq. hered.* fictione legis abuſque principio in eius bonis fuiſſe cenſetur. Quapropter rectè Bartolus quandoque docuit dum ſucceſſionem hanc pro ipſo patrimonio interpretatus eſt, quod de vniuerſali iurium nominúmque collectione, non de particulari intelligendum eſt. Vnde cùm lex municipalis, matrifamiliâr bonorũ mobilium immobiliúmque alienationem interdiceret, reſponſum eſt, poſſe nihilominus eam teſtari, *Corn. conſil. 103. in 2.* & extraneum heredem inſtituere. Cùm enim hereditas ſit ſucceſſio in vniuerſum ius, & a bonis differat, non videtur durum huiuſmodi legem ad hunc caſum protrahendam: iure igitur hoc caſu heres vniuerſali in iure ſuccedet, licet particulariter mobilia vel immobilia conſequi nequeat, ſed tamen non ideo minùs heres erit, *l. hereditas. de petit. hered.* tum quia etiam abſque corporibus hereditariis hereditas ſibi conſtat, tum quia iura & debitorum nomina conſequetur, quæ legis prohibitione non comprenduntur. ¶ Ex ea hac definitione apparet, propriè hereditatem dici, cùm adhuc adita non eſt: alioquin vbi ab herede agnita fuerit, non ampliùs hereditas ſed heredis patrimonium eſt. *l. ſed ſi plures. § filio. de vulg.* Quamobrem cùm plebiſcito municipali, extantibus maſculis, fœmina ab hereditate patris excluderetur, & frater poſt patris agnitam hereditatem ſtatim deceſſiſſet, crebriùs reſpõſum eſt, ſororem non excludi, cùm non ampliùs patris hereditas, ſed fratris patrimonium eſſet. *l. 1. §. veteres. de acquir. poſſeſſ.* Idémque traditum fuit, cùm filia patris hereditati renunciaſſet, vt ad hanc fraternam extendi abdicatio illa non debeat. *Soc. conſil. 75. in 5.* ¶ Sed tamen ſcrupuloſa ea eſt ſententia, videmúſque plerunque hereditatem appellari quæ adita ſit. Vnde lex Falcidia, quæ de hereditate quartam partem deducit, *l. filiusfam. ad l. Falcid.* de adita intelligitur: imò etiam in peculio locum ſibi vendicat, quod a ſubſtituto tanquam hereditas accipitur. Sic & in Senatuſconſulto Tertulliano hereditatem ex vi nominis dici Iuriſconſultus ait, *l. 1. §. ſi quis adita. ad Tertul.* quæ adita ſemel fuit, licet deinde in integrum heres reſtitutus fuerit. Idem & in plurimis legibus probatur, quibus hereditatem vendi, cedi, reſtitui dicitur, & de adita intelliguntur, abſurdúmque eſſet toties impropriè loquutos Iuriſconſultos credere. Ciceronis quoque definitio, etiam ſi adita ſit hereditas, locum ſibi videtur vendicare. ¶ Sed ego à crebertima noſtratium ſententia recedendum non arbitror, quæ tamen quibuſdam caſibus declaranda ſit. ¶ Et in primis plerunque in iure hereditas appellatur [illegible], ad id quod fuit, *arg. l. item prætor. §. 1. de ſuis & legitimis.* licet amplius non ſit: quod autem per relationem dicitur, figuratè dicitur, nec figura omnino à proprietate diſſidet. Sic & quandoque inſulam dicimus, *l. inſula. de acquiren. rer. dom.* quæ non eſt, ſed quæ inſula fuit. Item propter adiunctum grauamen, vt poſſit de eo ſecundum legis diſpoſitionem prouideri, adita hereditas nomen hereditatis ſeruat, quod in ſuprascripto legis Falcidiæ exemplo apparet. Rurſus quoties de hereditate ipſa diſponendum eſt, vel iuſſu legis, vel quod ita ex vſu ſit, *Baldus conſil. 393. in 5.* de adita intelligemus: antè enim, quàm adeatur, de ea diſponere heres non poteſt. Quapropter quum Mediolani ſit lex ne vlla mulier cum hereditate extra territorium nubat, de adita intelligetur, alioquin non cùm hereditatem nuberet, ſed cùm adeundi iure: *Doctor. d. §. veteres. in l. 1. de pecul.* præpoſitio enim illa, Cùm, de habente intelligitur. Adde quòd ratio legis hoc ſuadet, ne facultates ciuium in alienigenas transferantur, quum & alioquin faciliſſime eluderetur lex, ſi ante aditam hereditatem nubere non poſſet. *cap. ſi ciuitas. de ſentent. excomm.* ¶ Atqui contrarium ex vi verborum videretur dicendum, ante aditam ſcilicet nubere non prohiberi: verba enim legis cùm hereditate dicunt, non cum iure adeundi. *Socinus dicto conſilio 75. in 3.* ¶ Sed tamen & hoc caſu legi locum eſſe vero propius eſt, tum ex vulgari loquendi vſu, quo eam habere hereditatem dicimus, quam adire, quoties

quoties velit,poteſt,quu idē exiſtimetur,ſiue quis habeat,*Ang.l.itē.§.petitū.de pe.her.*ſiue habere ſtatim poſſit : tū quia ius adeūdi modus eſt per quē beredıtas acquiritur:vnde prohibito effectu, modus quoq; vetitus cēſeri debet *l.oratione.de tit.*¶Et binc ſumitur etiā alia declaratio,vt,ſcilicet,ex cōmuni vſu loqoendi hereditatē dicamus, etiam quæ adita ſit. Sunt qui idē exiſtimēt,etiā ſi adita ſit,dum tamen rerum hereditariarum poſſeſſio adhuc non fuerit apprenſa : propriè enim tum hereditatem dici,idque eo argumento,quòd lex hereditatis petitionem tum aduerſus poſſeſſores concedat. *l.2.vbi Bart.de fid.hered.pet.*Qua ratione proditum eſt,eam formolam oon competere ei, qui ſemel poſſeſſiooem apprenderit,ſicut nec ei quorum booorum interdicto prætorem ſuccurrere. *Alex.conſil.93. in 2.* Sed ipſe non arbitror rerum apprenſione ſignificationem hereditatis variari , cùm per ſolam aditionem patrimonio heredis accreſcat, dominiùmque ſtatim transferatur. *d.§.filio.l.cùm heredes. de acquirend. poſſeſ.* Illud generaliter fatendum , quoties conıectura aliqua ſuadeat, de adita actum eſſe,ſemper eam ioterpretationem accipiendam,dum titulo bereditario acquiſita ſit:quod ln propoſita ſpecie exiſtimaui.Legauerat teſtator omnem hereditatem patris,& matris ſibi obueotam:reſponderat Decius,*conſil.69.*de ea quoque actum cenſeri,quam in ſolutum à fratre acceperat. Ego contrà, cùm titulo hereditario eam non acceperit, *l.2.§.fiens.de hered.vendit. Aret.conſil.148. Ang.30.* ſed ex contractu. ¶ Ex eadem quoque definitione creditur iuris ciuilis hereditatem eſſe , cùm hoc à lege inductum ſit,vt id ius ipſi defuncto ſuccedere cenſeatur. Sunt tamen qui potiùs iuris geotium ſucceſſiones eſſe exiſtiment,cùm in Biblıis & apud Diogenem Laërtium appareat vſum teſtamentorum apud alias gentes,quàm Romanos fuiſſe,& ex eis hereditates deferri ſolitas. ¶Sed eò deuentum eſt, vt exiſtimemus origıoe quidem tam teſtamenta quàm hereditates gentium iuris fuiſſe , *l. teſtamenti factio. de teſtam.* naturalique ratione , & æquitate inductas. Sed cùm deiode Quiritium legibus alia teſtamentorum forma conſtituta ſit,aliúſque hereditatū defereodarum modus, iuris ciuilis eſſe cœperunt.Quapropter qui iura cioilia amittunt,vt deportati,oullam teſtamenti factionem habent. *l.1. C.de hered.inſtit.*Hincque conſequens eſt,vt legibus municipalibus & dari, & adimi hereditates poſſint,& quoquo modo legiſlatoribus placuerit,immutari : quooiam ea quæ iuris cioilis ſunt , contrario municipum iure eorum arbitrato ſuberti poſſunt. *Alexand.conſil.2.in 2. in fin.* Qua ratione cùm ſupremus prioceps ſpuriom filium inſtituiſſet, reſpondit Bald. *conſil.* 162.iure ei bereditatem deferri, quoniam prohibitio ſucceſſionis in ſpurio iuris ciuilis eſt,quæ à principe potuit conuelli. Quòd ſi is princeps legibus ſolutus oon eſſet, *Bal.conſil.361.in 5.*aliud diceodum fuerat. ¶ Eadem ratione & illud receptius eſt,poſſe legem municipalēm filiis, vel parentibus legitimam ex Iuſtiniani conſtitutione debitam auferre,qooniam inſtitutionis titulo pręſtatur,& hereditatis pars eſt: vſque verò ad alimentorum ſummam non poſſe, *Docto. e.Raynutius. de teſtamen.* cùm iure naturæ ea debeantur, quòd ciuilibus ſanctionibus immutari nequit.Quocirca etiam deportato alimeota relinqueoda ſuot: ea enim in poblicationem bonorum noo rediguntur.*l.legatum.de cap.dim.* Hinc quoque à pleriſque illud deducitur,in foro,quod conſcientiæ vocant,beredem tametſi inuentarium non confecerit, vltra vires hereditarias non obligari:iure enim ciuili obligatur,quia perſonam defuncti repræſentat : *l.fin. C.de iure deliber.*at iure naturali,vel diuino heres non ideò tenetur,quòd autoris perſonam ſuſtineat, ſed quia ad eū bona peruenerūt,meritò eatenus ſolùm obligabitur,quatenus peruenerint : *in d. Rub.* quę ſenteotia receptiſſima eſt.Eum enim qui repertoriū oō fecerit,idcircò lex inſolidū obligat,quòd ſubtraxiſſe hereditarias res præſumit:at in foro conſcientiæ præſumptiooes huiuſmodi legum nullius momenti ſunt, ſolaque veritas obſeruatur. Qoapropter ſi conſtet legatarios, creditoréſve veritatis huius conſcios eſſe,eo in foro non vltrà cooſequeotur,quàm ad heredem peruenerit.

BRECHÆVS.

NIHIL. ¶ Quam nos Latinè hereditatem appellamus, Græci κληρονομίαν. ἐκ τῆς κληρονομία, ἢ κληρονομεῖν τὸ ἐκ τῆς κληρονόμος. τὸ ἐκ τοῦ κλῆρος καὶ νόμος. Vnde & apud Græcos vetuſtiſſimos κληρόνομοι dicebantur heredes teſte Alc. *lib.10.Parerg.* Sic apud Græcos ipſos videtur à ſorte & lege dicta, vel quod ſucceſſori poſt mortem lege,i.iure ciuili obuenitet, vnde iuſta hæreditas, id eſt,ius ſucceſſionis legimæ τοῦτ᾽ ἔστι κληρονομία κατὰ ἀγχιστείαν:nam ἀγχιστεύειν, eſt iure propinquitatis hereditatem cernere aut petere,ſicut Budæus *in annot.ad Pand.& in Comment.ling.Græc.*eleganter aonotauit : vel quòd νόμος,id eſt,diuiſio,erat,ſeu diuidi ſolebat in duodecim vncias,quas ſimul Aſſem dicebant. Qui igitur in vncia ioſtituiſſent aliquem,duodecimæ tantùm totios patrimonij partis heredem faciebant. At verò cùm in aſſem heredem ſcribebant,omnem quidem integrámque hereditatem in eom transferri volebant. Qui in ſextantem in duas totius aſſis vncias : io Quadrantem, in vncias treis, id eſt, in quartam partem totius bereditatis inſtituere dicebaotur.Propterea in Trieotem, id eſt in 4. vncias, quæ totius aſſis erat pars tertia.Quincunx quinque.Semis,ſex vncias,totius aſſis dimidium. Seſcūx, 7.Bes,à Græcis δίμοιρον 8.Dodrans,9. Dextans,10. Deunx,11.vncias continet.Cic.*in Orat.pro Aul.Cecinna.*Neqoe ita multò poſt,Aolo Cecinnæ nupſit : vt io pauca conferam, teſtamento facto mulier moritur : facit heredem ex Deunce,& Semuncia Cecinnam: ex duabus Sextulis M.Fulcinium libertum ſuperioris viri:Ebutio Sextulam aſpergit.*Iuuenal.Sat.* 1.

Vnciolam Proculeius habet,ſed Gillo Deuncem.

¶Iam verò hereditas tametſi in partes 12.diuideretur,vt ſuprà dictum eſt, & habetur in *l. Seruum.* §. *fin.de hered.inſtit.& §.hereditas.inſtit.eo.*& Theophil.ibid.diffuſè Alex. ab Alex. *Genial. dierum lib.* 1. *cap.*1.erit nihilominus teſtatori liberū,in tot,quot cōmodū erit, parteis diuidere, infinitóſq; heredes facere.§.*& vnū hominē.inſt.eod.*¶Arbitror inſuper Gręcos ſuam κληρονομίαν,i.hereditatē,ideò dixiſſe

f 3 quòd

quòd olim (quod & adhuc ab aliquibus hac tempeſtate ſolet) ſorte diuideretur hereditas. Nam & κλῆρος ſortem ſignificat. & κληρῶσθαι ſortito aliquid facere, & κληρωῶ ſortiri & ſorte legere: ac deinde νόμος ἀπὸ τοῦ νεμειᾶσθαι τὴν γῆν, vt ait Proclus Platonis interpres, quod diuidere ſignificat. κληρονόμος, & agri diuiſorem apud Ægyptios, ſicut luculenter docuimus in *Commentariis noſtris ad Statuta municipalia Turonenſis præfecturæ, ad rub. generalem.* Ad hæc ἀποκληρωῶ exhæredare, hinc ἀπόκληροι hereditatis exortes. Hac quoque voce B. Dionyſ. in *hierar.* vocauit diuini patrimonij exheredes. Eſt enim, (inquit Budæus) ἀποκληρῶσαι exheredare. Sed ipſe B. Dionyſ. de reſurrectione loquens, ſortem beatorum vocauit ἀποκλήρωσιν, καὶ λῆξιν. Vnde ſortem hereditatem dixerunt, vt 3. *Paralipomen.* Miſerúntque & ipſi ſortes contra fratres ſuos filios Aaron coram Dauid Rege. & Sadoch, & Abimelech, & principibus familiarum ſacerdotalium & Leuiticarum, tam maiores, quàm minores, omnes ſors æqualiter diuidebat. Et *Num.* 33. Quando transieritis Iordanem intrantes terram Chanaam, diſperdite cunctos habitatores terræ illius, confringite titulos, & ſtatuas comminuite, atque omnia excelſa vaſtate mundantes terram & habitantes in ea. Ego enim dedi vobis in poſſeſſionem, quam diuidetis vobis ſorte. Pluribus dabitis latiorem: & paucioribus, anguſtiorem: ſingulis, vt ſors ceciderit, ita tribuetur hereditas, per tribus, familias poſſeſſio, vt videtur. Et *Pſal.* 77. Et eiecit à facie eorum gentes, & ſorte diuiſit ei terram in funiculo diſtributionis. ¶ Sanè verbum hereditas, apud Hebræos in ſacris literis latiſſimè patet. Hereditatem etenim appellant terram diuiſam in populos per Ioſuam. Inde tranſlata vox eſt ad omnes donationes. Quandoquidem terra Chanaam, donata fuit abſolutè Populo Iſraël. Vnde & reliquas omneis poſſeſſiones, dona, ac proprietates rerum, hereditatem nominabant, quare *Pſal.* 119. ſcribitur his verbis, Lex tua eſt hereditas mea: hoc eſt, donum quod donaſti mihi. Sic hereditas, pars, calix, funiculi diſtributionis, ſors in ſacris literis, figura & tropo elegantiſſimo pro eodem vſurpantur. Præterea & hereditate aliquid vel conſequi, vel obtinere, frequens hebraiſmus eſt, pro eo quod dicimus poſſidere. Hinc Paulus *Galat.* 5. Regnum D E I non poſſidebunt, id eſt, Regni D E I heredes non erunt. Sors igitur, vel hereditatem, vel hereditatis partem ſignificat, vt ſcribit B. Hieronymus in epiſt. ad Nepotia. de vita cleric. Si enim (inquit) cleros Græcè, ſors Latinè appellatur, propterea vocantur clerici, vel quia de ſorte ſunt domini, vel quia dominus ipſe ſors, id eſt pars clericorum, eſt. Vnde *Pſal.* 77. Pars mea dominus. Et alibi, Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei, tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi. Et rurſus, Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hereditas præclara eſt mihi. His ego rationibus facillime adducor, vt coniiciam Græcos rectè κληρονομίαν, quam nos hereditatem, à ſorte, & diuidendo, appellaſſe: quia ſorte diuideretur hereditas: vel quòd ſortem veteres hereditatem dixerint. Sed & λῆξιν eos etiam dixiſſe teſtis eſt Alciatus *lib.* 10. *Parerg. cap.* 1. ἀπὸ τοῦ λήγειν, id eſt, à deſinendo, à quo puto etiam homagium ligium dictum, quòd ab vno in alterum deſinat: id eſt, vt Galli dicunt (inquit ipſe Alc.) In mortuis viui ſeſſitant. Vnde Lexiarchi dicebantur apud Athenienſes, qui ius de hereditatibus dicebant. beat. Dionyſius (vt iam diximus) de Reſurrectione loquens, λῆξιν appellauit ſortem beatorum, id eſt hereditatem Hebræo tropo. ἀθάνατόν τι καὶ μακαρίαν ἀπολήψεται λῆξιν. Eſt autem ληξιαρχικὸν (ſicut annotauit eleganter & ſcitè Budæus, vt erat Latinæ iuxta ac Græcæ linguæ peritiſſimus Mercurius) εἰς ὃ ἐνεγράφοντο οἱ ἐνδελεχοῦντες τῶν παίδων, οἷς ἐξῆν ἤδη τὰ πατρῷα οἰκονομεῖν. Album ſeu liber in quem puerorum nomina referebantur, qui iam tutelæ ſuæ facti erant, hoc eſt αὐτεξούσιοι ſui iuris, & qui de ſuis facultatibus ſtatuere poterant ἀπὸ τοῦ λήξεων ἄρχειν εἰρημένον, hoc eſt, τῶν κλήρων τῶν ἰδίων. ¶ Ego autem hereditatis verbum a noſtris Latinis ab hærendo dictum exiſtimo, quòd veluti hæreat futuro ſucceſſori, qui defuncto domino continuetur, cùm ſcilicet defuncti bona, heredi ſuperſtiti eidémque proximiori mancipata cenſentur eſſe, & ex mortuo in ſuperſtitem ſucceſſorem tranſit dominium & poſſeſſio. quod vulgo in generali Regni Franciæ conſtitutione, dicitur, mortuos ſeſſit viuum. Cuius quidem argumẽti, do. Andreas Tiraquellus (cui ego aliquot iam annos chariſſimum me ſanè profiteor) tractatum ampliſſimũ, doctiſſimúmque nuper ſcripſit ac edidit.

Quæ sit succeſſio. ¶ Succedere, verbum, multa ſignificat. Nam præter hoc quod à iureconſultis noſtris accipitur pro hæredem eſſe, ſignificat etiam ſubire locum aliquem & intrò ire: vt apud Virg. *lib.* 7. *Æneid.*

> *Ingredere, & noſtris ſuccede Penatibus hoſpes.*
> Et iterum *lib.* 4. *Æneid.*
> *Quis nouus hic noſtris ſucceſſit ſedibus hoſpes?*
> Et *lib. primo.*
> *Quare agite ô iuuenes, tectis ſuccedite noſtris.*
> Idem *lib.* 3. *Georg.*
> *Aut tecto aſſuetus coluber ſuccedere, & umbra,*
> *Peſtis acerba boum, pecorique aſpergere virus.*

Hîc ſuccedere tecto dixit, pro ſub tectum ire, & latêre: vt ex præcedentibus verſibus intelligimus.

> *Sæpe ſub immotis præſepibus, aut mala tactu*
> *Vipera deliduit, cælúmque exterrita fugit.*
> *Aut tecto aſſuetus coluber ſuccedere, &c.*

¶ Succedere item pro alio ſignificato accipiebãt veteres, cúmque ſucceſſum eſſe alicui dicebant, abrogatum ei Imperium eſſe ſignificabant. Et ſucceſſorem dare vel mittere, eſt magiſtratum abrogare: quod nunc vulgò, officium alicui auferre dicimus, Budæo teſte: id eſt ἐπαναστέλλειν τὸν διάδοχον. ¶ Sed apud noſtros Iureconſultos ſucceſſio modò hereditatis aditionẽ, modò etiam adeundæ ius hereditatis ſignificat. ¶ Vnde Succeſſor pro herede vſurpatur. Etenim qui ſe ſucceſſorẽ exiſtimat, in ea eſt conditione qua eſſe dicitur, qui ſe heredẽ exiſtimat: eandémq; heredis ac ſucceſſoris eſſe cauſam

Vlpianus reſpondit *l. item veniunt. §. licet autem. de petit. hered.* vbi Bart. idem ſentit. ¶ Dicitur quoque & is ſucceſſor qui vel ex donatione, vel commutatione aliquid, vel ex legato accipit ab aliquo. Non dicetur tamen ille iuris, ſed rei ſucceſſor. In eandem fermè ſententiam ſcribit Conſtantinus Harmenop. *lib. 5. Epitom. iur. cap. 8.* λέγεται γὰρ διάδοχος, καὶ ἀπὸ δωρεᾶς Πέτρου ὁ πράσινος ἀπὸ ἀνταλλαγῆς, ὁ ἀπὸ ληγάτου λαβὼν πρᾶγμα τοῦ Πέτρου, ἀλλ᾽ οὗτοι οὐ καὶ διάδοχοι λέγονται, ἀλλ᾽ οὐ λέγονται δικαίου διάδοχοι, ἀλλὰ πράγματος, &c. Sed illi quidem ſucceſſores, perſonalium actionum iura non ſubeunt. *l. ſi is qui. §. quod dicitur. de iure dot. l. ſi fideicom. §. tractatum. de iudic. l. 1. § ſi heres. ff. ad Trebel.* in quibus locis, alieni æris actio fundum non ſequitur, nec minuit. Sed quid dicas, interdicto locum eſſe aduerſus eum qui poſſider ab eo in cuius locum ſucceſſit, ſiue in rem, ſiue per vniuerſitatem ſit ſucceſſum: vt *l. 1. § illud tenendum. & §. ſeq. ff. quorum legato.* Reſpódet Accurſius hoc loco, ſpeciale idipſum eſſe, ſecúdum Ioan. vt perſonalis actio, ſucceſſorem rei ſequatur. ſed regulariter è contrario dicendum eſt, vt iuribus ſuprà citatis. ¶ Eſt itaque duplex ſuccedendi modus: per priuationem videlicet, & per tranſmiſſioné, vt not. Bald. *in l. ſi annis. de libe. præte. C.* Per tranſmiſſionem quidem ſucceſſor ex ſingulari voluntate dicitur, vt iure legati, donationis, vel commutationis: de quo eſt ſuperius à nobis dictum, eúmque perſonali actione non teneri: cùm in ſucceſſorem ſingularem non tranſmittatur actio perſonalis: vt *d. l. 1. §. ſi heres. ad Trebel.* cum aliis iuribus. Vnde fit vt ad penſionem emphyteuticam, præteritam quidem non exolutam, ſucceſſor per tráſmiſſionem ſeu ſingularis, nequaquam teneatur: vt quia ad eam agi, niſi perſonaliter non poſſit, vt not. per Ioan. Imo. in *cap. potuit. extra de locat. not. etiam in l. 2. & 3. C. de iure emphyt.* ¶ Quid autem de vectigali tributóve penſitando ex re vel donata, vel legata, vel commutata, an ſingularis ſucceſſor teneatur ad illud vectigal, ſeu præteritum non perſolutum, ſeu futurum. Et ſanè hoc ſpeciale eſt in vectigali tributóque, vt ſingularis ſucceſſor illud pendere teneatur *l. cùm poſſeſſor. §. fi. de cenſib.* ille nihilominus ab herede vniuerſali repetet præteritum, quod ſolus ſucceſſor vniuerſalis & heres ſubire tenebitur. *Eſt tex. in l. qui concubinam. §. qui ortos. de leg. 3. expreſſius cauetur in l. idem Iulianus ſcribit. §. heres. de leg. 1.* & hæc maximè locum habent, quandocunque actio rem ipſam ſequitur, quæ datur aduerſus heredem vniuerſalem. *l. ſi res. de leg. 1.* quæ fuit etiam Bartoli ſententia. Quid denique ſi tabulis vel inſtrumento ſcriptum cautúmque ſit, ipſum, ſucceſſorémve eius, eúmve ad quem res tum ab eo pertinebit, ánne ſucceſſorem ſingularem compræhendat? Et non compræhendere Bal. ſenſit in *l. emptorem. C. locati.* ac citat in hanc rem *l. quadam. §. is autem. ff. de eden. l. ſtipulatio iſta. de verb. oblig. Alex. in d. l. quadam. §. nihil.* quo loco præſcribit ſeu limitat hoc axioma, niſi ſcilicet in diſpoſitione additum eſſet, quibuſcunque ſucceſſoribus: tunc enim tam ſingulares ſucceſſores, vt legatarij, quàm cæteri vniuerſales complecti & compræhendi cenſerentur. ¶ Sic prælati & rectores ſacroſanctæ eccleſiæ, qui non eccleſiæ ſed ſuo ipſorum nomine contraxerint, quia ea quidem obligatio non in rem ſed in perſonam concipitur, ſucceſſores Prælatos & rectores nulla ratione obligant: neque tenentur ipſi ſucceſſores comprobare & præſtare factum ſuorum maiorum. Si verò eccleſiæ nomine vel contraxerint, vel res eccleſiaſticas locato tradiderint, aliud dicendum erit. De qua re vide quod ſcripſimus in *noſtris Aphoriſmis iuriſpruden. in verb. prælatus.* ¶ His rationibus iudicabimus de vitio authoris: ſiquidem reale ſit, ſucceſſorem comitari: vt res furtiua & vi poſſeſſa. *l. vitia poſſeſſionum. cum glo. ibidem. C. de acquir. poſſ. l. dolus. C. de reſcind. vend.* Quod ſi ſucceſſor vti velit authoris ſui acceſſione, vti quidem debet cum ſua cauſa & vitiis: *l. Pomponius. §. cùm quis. ff. de acquir. poſſeſſ.* ſi verò vitium perſonale ſit, ſucceſſorem non afficiet. *l. an vitium. & ibidem glo. de diuerſ. & temp. præſcrip.*

In vniuerſum ius, quod defunctus habuit. ¶ Rectè quidem Caius hìc definiuit hereditatem, ſucceſſionem eſſe. Etenim quamuis non vno quippe modo, ſucceſſionis verbum accipiatur, ſi tamen de ſucceſſore abſolutè, quæſtio ſit anceps & dubia, vniuerſalis ſucceſſor, ſeu heres intelligendus erit: idque ſecundum propriam interpretationem. Alexan. *in d. §. nihil. Bald. in l. 2. C. de petit. hered. Bartol. in l. pater. §. mater. de legat. 3. notat Paul. Caſtr. in d. §. is autem.* ¶ Oportet igitur diffinias heredem, vt ſit ſucceſſor in vniuerſum ius quod defunctus habuit: vt hìc: *& l. hereditas. ff. de reg. iur.* Idque ſiue ex teſtamento, ſiue ab inteſtato veniat ſucceſſor, eſt proculdubio accipiendum. Sed hæc oratio, in vniuerſum ius, non ita generalis eſt, vt diſtinctionem ac præſcriptionem aliquando nó recipiat. Nam quod defuncto ius competebat, aut reale eſt. & patrimonium ſuum reſpicit: & hoc quidem ius, ſeu actiuè, ſeu paſſiuè ad vniuerſalem ſucceſſorem & heredem omnino pertinet. Quod verò perſonę tantùm cohæret, veluti ex priuilegio, ſiue alio modo hoc ipſum ſubire heres nequaquam tenebitur: vt ſi ad pœnam obligatus erat defunctus: niſi cœptum eſſet iudicium. *l. vbi acceptum. de iudic. Paulus in l. pœnalia. de regul. iur. l. 1. & quæ ibidem not. glo. C. de iudic. auth. de litigioſis. §. ſi verò apud iudicem. col. 8. & glo. ibidem.* ¶ Similiter & actio iniuriarum quæ defuncto competebat, vnà cum ipſo defuncto moritur & ceſſat: nec heredibus competit, niſi conteſtata quoque lite: ac niſi eatenus quatenus ex delicto defuncti ad heredem peruenerit. *C. eod. l. 1. & d. l. pœnalia. & l. omnes pœnales. ff. de act. & oblig. l. ſortes. de regul. iur.* & Decius in eum locum. Idem de vſufructu dicendum erit, quod ius cùm perſonale ſit, cum defuncto etiam extinguitur. *l. 1. ff. de vſufr. l. 1. de ſeruitu. l. 3. §. vlt. ff. quib. mod. vſufr. amitt. §. finitur. inſtit. de vſufruct.* Reſtringitur itaque hæc dictio, vniuerſum, vt not. docto. *in l. cunctos populos. C. de ſumm. trinit. & fid. cathol.* de quo ampliſſimè ſcripſimus in *Comment. noſtris ad conſuetud. Turonen. ad rub. generalem. in verb. generales.* Quare quod ea de re hìc amplius dicam, nihil eſt. Cæterùm, quod Iureconſ. Caius hoc loco hereditatem diffinierit eſſe ſucceſſionem in vniuerſum ius, illum ſanè de ſucceſſione iuris intellexiſſe Bart. cenſuit, in *rubr. ff. de acquir. her.* Mortuo enim (inquit) teſtatore ſuccedit quoddam ius, quod vocatur hereditas: perſonámque defuncti complectitur in omnibus iuribus quæ defunctus habuit. *vt l. hereditas in multis. ff. de acquir. rer. dom. & l. mortuo. de fideicomiſſ. libert.* eſtque ius illud quod appellatur hereditas. *vt l. 2. §. fin. de rer. diuiſ.* quódque aditione nobis quærimus. ¶ Hunc

autem

autem verum & germanum huius l.intellectum eſſe Bart.confirmat in *d.rubr.* Quandoquidem per aditionem hereditaris omnia iura tranſeunt in heredem ſimul cum dominio rerum prædialium. *l.cum heres. ad princip. de acquir. poſſeſſ.* Ergo iure ciuili per aditionem hereditatis, hoc nubis ſucceſſionis beneficium prius competit,quàm noſtra dici poſſit hereditas *l.pretia rerum.ff.ad leg.Falcid.* Quapropter dicendum non fuerit hereditatem eſſe ios ſuccedendi ad nos ſpectans: ſequeretur enim quòd ante noſtra diceretur hereditas,quódq; nobis prius competeret,quàm iure nobis competeret: quod eſſer abſurdum.Sed iſta quidem ſuhtilia magis ſunt quàm vtilia. Videto in hanc legem Philipp.Decium *in d.l.hereditas.de reg.iur.* Bart *in d.rub.ff.de acquir.hered.*& Doct.nouiſſimè autem Petrum Loriot.Salinen.virum meo iudicio eruditum,*in Axiom.tit.de aditione & repud hered.* ¶Quoniam igitur hereditas eſt ius vniuerſum, conſeqoens eſt vt eam ipſam qui adit, integra onera hereditaria adire cenſeatur *l.penult.ad fin.de acquir.hered.* Sed quando ſucceſſor dicatur hereditatem adiiſſe,ſic vt iam creditorihus & legatariis teneatur? Sanè in cernenda hereditate,oportet & animo & re ipſa ſru facto,ſucceſſor heredem ſe prodat:honúſque prædialibus ſuo quodammodo iure vtatur fruatur,& (ve dicunt) ſe illis immiſceat: vt ſi à defuncti creditoribus pecuniam accipiat, aut qoid aliud agat quod cernendæ hereditati poſſit connenire *l.pro herede.§.Papinianus.de acquir.hered.* In hanc quoque ſententiam ſcrihit Ioan.Fab.& Doct.omnes io *l.1.C.ſi minor.ab hered.* Quo loco citat Dyn.*in l.ſi cùm decem.§.tranſgrediamur.ff ſol.matr.* Nam ſi quis in defoncti domo habitare depræhendatur, aut eam ipſam domum occupare, poſſideréque aliqua defuncti hona, ſi modò iuſta ſit illi quædam poſſidendi cauſa,nec quicquam præter cauſæ eiuſmodi ſeu tituli naturam aut rationem moliatur & agat,adiiſſe propterea minimè cenſehitur. *l.duo fratres.ff.de acquir.hered.* Bald.*in l.1.C.ſi vt ſe ab hered.abſt.* Nos quoque ſcripſimus *in noſtris Aphoriſmis iuriſprudentia,in verb.heres.Eſt text.in l gerit.d.tit.de acquir.hered* Quid ſi interrogatus aliquis,heredem ſe eſſe reſponderit, cùm tamen non eſſet, nec bonorum poſſeſſ. agnouiſſet cœpiſſétque, an dicatur adiiſſe, ideóque teneri cæteris creditorihus: Reſpondet Scæuola,eum ah his qui interrogaſſent,conueniri non poſſe:ſic neque adiiſſe,neque creditorihus obſtringi.*tex.eſt in l.ſi.ff.de interrog.act.* ſed neque is qui defuncti manibus parentauit,iuſtáque funehria perſoluit,dicetur ob hoc adiiſſe, nec pro herede gerere. *l.ſcriptus heres.ad prin.ff.de religioſ. & ſumpt.funer.* Cæterùm,appellatione hereditatis,neque legata,neque fideicommiſſa contineri Caius reſpondit,in *l.ſi Titius.ad fin.ff.de leg.3.*

Fornerivs.

NIHIL. ¶ Eadem ex Iuliano ſententia inculcatur, *cap. 62.* *proximo tit.* Io quo ſummum definieodi artificem M.Ciceronem à noſtris ſuperatum agnoſcimus. Ille ita, [Hereditas,inquit,eſt pecunia,qoæ morte alicuius ad qnempiam iure peruenit:Nec ea aut teſtamento legata,aut poſſeſſione detenta.] ¶ Qnod autem Alciatus hîc adiicit,[confecta eſt.]non pro definitionis parte,ſed perfectæ & omnibus numeris abſolutæ definitionis conclnſiooe habendum eſt. Nam quihuſdam libris,[confectum eſt,]legitor. Ait [pecunia.] Noſtri meliùs [ſucceſſionem in ius.] εἰς ὁλόκληρον δίκαιον. hereditas enim non pecunia,ant rebus,corporibúſve,ædibns prædiis,mancipiiſque conſiſtit: ſed iuris intellectu conſtat. *l.50.hereditas.* *de her.petit.* Iocorporale ius eſt.*§.vlt.de reb.corp. & incorp.* Nec ad rem pertinet, quòd in hereditate res corporales continentur. Nam ipſum ius ſucceſſioois incorporale eſt.*l.1.de rer.diuiſ.* Ex quo illud in primis efficitur venditorem hereditatis inanis, in qoa nulla inueniantur corpora,emptori euictionem non præſtare: quamuis ex eiuſmodi contractu regulariter etiam non promiſſa dehea tur.*l.1.l.6.C.de euict.* Ius quippe,non rem certam vendidit.Quod non ſatis expendens Seneca immerentes noſtros ſuggillauit *lib.6.de Beneficiis cap.5.* [Iureconſultorum,inqnit, iſtæ acutæ ineptiæ ſunt, qui hereditatem negant vſucapi poſſe, ſed ea quæ io hereditate ſunt: tanquam quicquam aliud ſit hereditas,quàm ea quæ in hereditate ſnnt.]Imò verò longa eſt differentia: Nec eoim furtum ſine poſſeſſionis interuerſione & contrectatione fit.*l.1.de furt. l.1. §. Scanela. ſi quis teſtam.lib.* Furtum in hereditate corporis experte non fit.*l.33.in eo,de acq.rer.dom.l.35.ſi homo.de vſucap.* Cicero *lib.7.ad Trebatium Iureconſultum Epiſtol.* [Illuſeras,] controuerſiæ meminit, *poſſetne heres.quòd furtum anteà factum eſſet,rectè furti agere?* Præterea hereditas ſæpe damnoſa eſt adeunti,propter æs alieoum.*l.119.hereditas.* *h.t.l.9.obligari.* *de auct.tut.* Nudum nomen heredis & hereditas ſine re. Ambroſius *lib.3.de officiis.cap.11. l.18.eum qui. de iis qua vt ind.l.43. ex facto.§.Iulianus, de vulg. & pup.ſubſt.* [In vniuerſum ius.] ¶ Neque enim in ſingularium tantùm rerum dominium ſuccedit heres,ſed in ius vniuerſum: εἰς ὁλόκληρον δίκαιον.Græci hîc *l.heres in omne.de acq.her.l.59.heredem.* *tit.prox.Nouell.*48.Nec intereſt in partem quis ao ex aſſe heres inſtitnatur:cum ex parte ſcriptus in partem iuris vniuerſi ſuccedat. *l.52.cum heres.* *de acq.her.* Non ſecus ac ſpecnli confracti minutiſſimæ quæque partes eundem præhendo vſum obiecti corporis ſpeciem, quamnis exiliorem, integram tamen referunt:ita ſinguli heredes in partem defuncti perſonam repræſentant. Aliter atqne ſi in certa re veluti Corneliano fundo inſtituerentur: non iuris, ſed corporis ſucceſſores exemplo legatarij haberentur *l.9.quedam.§.1.de acqui.her.* Cum igitur hereditas ſit quid voiuerſum,illud ſeqnitur primùm pro parte adiri,pro parte repudiari non poſſe.*l.1.l.2.l.10.ſi ex aſſe.de acquir.hered.* Cicero *lib.11.de Inuent.* [Etenim, inquit, vnius pecuniæ plures diſſimilihus de cauſis heredes eſſe non poſſunt: Nec vnquam factum eſt, vt eiuſdem pecuniæ alius teſtamento, alins lege heres eſſet.] Idem non poteſt pro parte teſtatus & inteſtatus decedere.*l.7.ius noſtrum.* *tit.ſeq.* Harmenop.*lib.5.tit.1.* ¶ Deinde nihil prohihet legatarium in eo teſtamento,vnde aliqoid capit,teſtem adhiheri: heredem ſecus: qood ille corporis,hic iuris vniuerſi ſucceſſor ſit.*§.teſtes.de teſtam.ord.l.9.quones heredes. de her.inſtit.l.9. quedam.§.1.de cond.& demen.* Ruſus cum heres perſonam defuncti ſuheat, quæcunque ei & in eum competebant,in hunc tranſeunt *l.ex contractibus.de obl.& act.tit.vt actiones ab hered.& in her.incip.l.*

veteris.C.de contr.& com.ſtip.l.viam.C.locat.l.9.ſi pactum.ff.de probat. Harmenop. lib.5.tit.6. Præterea cui hereditas competit, eidem & tutelæ incumbit onus. *l.73.quo tutela.ff.tit.prox.§.1.de legit.patr.tut.* Ad hæc ſingulares ſucceſſores, donatarij, legatarij, fideicommiſſarij ſingulares, emptores, cęteri, non obligantur æri alieno defuncti, vt heredes ſolent. *l.1.C.ſi cert.pet.l.15.æris. C.de donat.l.50.ſi fideicommiſſum.ff.de iudic.l.72.mulier.ff.de iur.dot.* ¶ Denique heres in ius vocatus ibi defendi debet, vbi domicilium defunctus habuit. *l.19.heres.l.34.ſi is qui.ff.de iudic.* Tranſit autem ius illud vniuerſum à die mortis, nedum ab adita hereditate. *l.138.omnis.l.193.omnia.ff.tit.ſeq.* Item rerum ſingulis legatarum ab hereditate delibatarum dominium rectà in heredem tranſit. *l.18.in omnibus.ff.de ſeruit.* Cætera adiicientur in *l.219.in conuentionibus.ff.h.t.* [Quod defunctus habuit.] ¶ Ergo in dominium. *l.11.in ſuis.de lib.& poſthu.* non in poſſeſſionem. *l.43.cum heredes.de acq.poſſ.* non in factum, priuilegium, crimen cæteráque, quæ ſingulari perſonæ iure continentur. Ex mortis autem demùm die cenſetur heres, hereditas, & teſtamentum. *l.1.ver.*[poſt mortem.]*ff.qui teſtam fac.poſſ.* Etſi enim legata viuo teſtatore præſtari poſſint. *l.Lucius.de leg.2.l.6.Seia.de aur.& arg.leg.l.11.filia.C.de legat.* exque viui bonis legata vſucapi poſſint. *l.5.l.ſeq.ff.pro legat.* Viuo tamen teſtatore acquiri nequeunt, ac ne libertas quidem teſtamento relicta debetur. *l.qui duos.ſi.ff.de man.teſt.* Et quoniam viui nec teſtamentum eſt, nec hereditas. *l.94.qui ſuperſtitis.de acquir.her.* nec in pactum ſtipulationémve deducitur. *l.61.ſtipulatio hoc.de verb.obl.l.4.C.de inut.ſtip.l.vlt.C.de pact.* ¶ Solebant priſci teſtatores ſupremo inſerere elogio clauſulam, [Quandocunque ex rebus humanis deceſſero, tum mihi ille heres eſto.] Quam in D.Remigij teſtamento nuper in lucem edito vſurpatam meminimus: ſed eam otioſam *lib.3.ad eccleſiam Catholicam,* deridet Saluianus Maſſilienſis epiſcopus.

XXV. PAVLVS lib. xxj. ad Edictum.

RECTE dicimus eum fundum totum noſtrum eſſe, etiam cum vſuſfructus alienus eſt: quia vſuſfructus, non dominij pars, ſed ſeruitutis ſit: vt via & iter. Nec falsò dici, totum meum eſſe, cuius non poteſt vlla pars dici alterius eſſe. Hoc & Iulianus, & eſt verius.

ALCIATVS.

RECTA. ¶ Duplicem eſſe vſumfructum noſtrates Doctores prodiderunt, eum, qui ſeruitus ſit, quem formalem appellant, iſque nullo modo ad dominum rei pertinet: quia cùm de ſeruitutum ſpecie ſit, ſeruire illi res ſua non poteſt. *l.vti frui.ff.ſi vſuſfruct.peta.* alium qui cauſam dominij habeat, vnde cauſalis dicitur, commoditas enim ea domini eſt, vt re ſua vtatur, fruatúrve. ¶ Sed ego hanc commoditatem nó memini in iure legiſſe propriè vſusfructus nomine appellari: quamuis enim lex eorum, qui fundum *l.qui vſumfructum.ff.de verb.oblig.* deinde vſumfructum ſtipulatus ſit ei ſimilem dicat, qui totum, deinde partem ſtipulatus eſt, non tamen de hoc vſufructu intelligi poteſt, qui non ſimilis parti, ſed verè domini pars eſt: vnde de ſeruitute accipiendum eſt, quæ in eo eſt ſimilis parti, quia integram vtilitatem non adfert, diuerſáque eſt ab eo fundo: ideóque ea ſtipulatio, vt aliqui exiſtimant, valet. *Raph.ibi* tametſi qui totum, deinde partem ſtipulatur, ſecunda ſtipulatione nihil agat. ¶ Non tamen negauerim aliquam ſimilitudinem inter hanc domini commoditatem, & vſumfructũ eſſe. Quapropter ſi tibi fundum, alteri eius fundi vſumfructum legauero, vſusfructus iſte communicabitur. *l.ſi alij.ff.de vſufruc.leg.* & tu fructuum dimidij fundi perceptionem, alter dimidij vſumfructum habebit. Eadem quoque ratione factum eſt, vt quandoque alter alteri accreſcat: vt ſi, liberis heredibus inſtitutis, vſumfructum fundi vxori cum liberis legauero: nam in liberorum perſona vſuſfructus tanquam ſeruitus non conſtabit: cùm enim ſint heredes & domini, illi res ſua non ſeruit: & tamen mortuis liberis accreſcet vſusfructus vxori, & econuerſo, mortua vxore, accreſcet filiis. *l.ſi mulieri.de vſu.ac.* ¶ Cùm ergo etiam dominus vſumfructum cauſæ ipſi, id eſt, domino cohærentem habere dicatur, plerunque accidit, vt vſusfructus appellationem de proprietate intelligamus: vt ſi, legato vſufructo, prohibeat teſtator alienationem. *l.Proculus.de vſufru.* nam de proprietate eum intellexiſſe prohibitio alienationis arguit. Idem, ſi is, cui vſusfruct. pecuniæ legatus eſt, grauetur alteri reſtituere: cùm enim ipſe, non heres reſtituere grauatus ſit, veriſimile eſt de proprietate actum. *l.fin de vſufr.ear.rer.* Idem ſi re legata, modus additus ſit, vt ea legatarius vti poſſit. *l.ſpecies.de aur.& arg.* quod & in donatione obſeruatur. *l.donationes.§.1.de donat.* cum enim res ad vſum donatur, non fit ea interpretatio, vt ab vſu proprietas ſeparata cenſeatur. Sed & ſi duo inſtrumenta exhibeantur, quorum altero habere proprietatem, altero vſumfructum dicat, non ideo inuicem aduerſantia produxiſſe exiſtimandus ſum: quoniam de vſufructu cauſali (vt Iaſon & Socinus exiſtimant. *d.l.qui vſumfructum.*) intelligi poteſt.

Domini. ¶ Si de cauſali acceperimus dubium non eſt eſſe partem, ſicut paries pars eſt domus: vſuſfructus enim hic vnà cum proprietate plenum dominij ius conſtituunt. Sed Iuris conſultus de formali hic intellexit, qui licet in ſe dominiũ habeat (fructuarius enim illius iuris dominus eſt. *d.l.vti frui*) nõ tamen quicquam habet commune cum eius rei dominio, in qua vſusfructus conſtitutus eſt, imò penitus ab eo differt: nec ſimul eſſe poſſunt. Quapropter ſi in libello actor ſe dominum dixerit, & de vſufructu tantum probet, obtinebit. *Alexan.§.nihil commune naturaliter.de acquir.poſſeſſ.* quia interpretabimur, eum de ipſius vſusfructus dominio intellexiſſe: ſed ſi fundi dominium dixerit, non obtinebit

nebit : quod pleriqua adſerunt : & ego generaliter verum eſſe probauerim: quoniam aliàs reus rectè certioratus non eſſet *l.1.de eden.*

Seruitutis. ¶ Quapropter qui fundum ſtipulatus vſumfructum accepto tulit, nihil agit. *l. & per iuſiurandum.de acceptil.* quoniam hæc acceptilatio de re, vel parte rei non eſt: quod & in qualibet alia ſeruitute procedit: differentia tamen eſt aliqua : quoniam vſusfructus portionis inſtar obtinet. *l. cum filius.§.dominus.de legat.2. l.Manius.§.fundo.eo.tit.* quod in cæteris ſeruitutibus non eſt : & ideo lex ait, in multis caſibus vſumfructum partem domini eſſe. *l. 4. de vſufruct.* quod intelligendum per interpretationem, non quod verè pars dominij ſit. fit autem hæc interpretatio ſuadente æquitate, vt in fideiuſſore pro eo vſumfructum promittente, qui proprietatem dare obligatus ſit. *l.ſi à reo.§.2.ſ.de fideiuſſ.* iniquum enim eſſet, deciperetúrque creditor, qui ſolius rei fidem ſequi noluit, ſi ex hac ſubtilitate fideiuſſoris obligatio nulla eſſet. ¶ Idem ſi alia ratione veriſimile ſit à partibus ad actum. *d. l. Manius.* vt vſusfructus pars dominij ſit.

BRECHÆVS.

RECTA DECIMVS. ¶ Tria equidem imprimis neceſſariò requiruntur, vt res noſtræ aſſerantur: dominium ſcilicet, poſſeſſio, & fruendi commoditas. Finis autem dominij & poſſeſſionis, in percipiendis fructibus verſatur. Itaque qui fundum dare promittit, non fundi dominium tantùm promiſiſſe cenſebitur, ſed & poſſeſſionem, & fructuum perceptionem, prætereaa fruendi commoditatem. *l.cum qui.§.qui proprietatem.& ibidem docto.de verb.oblig.* Vnde fit, vt ſi alij fundum, alij autem fundi eiuſdem vſumfructum teſtator legauerit, atque is quidem teſtatoris fuerit animus, ea item mens, ea voluntas, vt alter nudam fundi legati proprietatem, alter verò vſumfructum tantùm haberet, errore ſanè prorſus labatur. Oportuerat enim detracto nominatim vſufructu, fundum legatum eſſe. Alioqui vtrique eundem fundum, & fundi eiuſdem vſumfruct. coniunctim legaſſe cenſeretur: niſi aliud teſtatorem intellexiſſe probaretur. *l. ſi alij.de vſufruct.leg.* quo loco tradit Caius plus valere ſcripturam quàm quod actum ſit. ¶ Quare cùm fundi appellatio, vtrunque, proprietatem ſcilicet, & vſumfructum, contineat, ſi quidem fundum promiſeris, & fundum detracto vſufruct. tradideris, non videbere liberatus. Sicut regula communi traditum eſt, eum qui hominem, aut lancem, aut aliquod aliud vas in genere promiſerit, ſoluendo partem, nec in parte quidem ſoluta liberari. *l. ſi ſtipulatus.§.qui decem.ff.de ſolutio.l.ſi non ſortem. §.ſi decem. de cond. indeb.* licet enim incerti hominis petitio ſcindatur, ſolui tamen, niſi in ſolidum non poteſt. *l.in executione.§.pro parte.de verb.oblig.* Nam obligatio generis & diſiunctiua, ſolutiona diuiſionem non admittit. Alioqui in diuerſis hominibus rectè partes ſoluerentur: neque quod ſtipulatus eſt ſtipulator, conſequeretur. *d.§.pro parte.* ¶ Quod ad obligationem diſiunctiuam attinet, de qua Iuriſconſ. *in l.2.§.& harum. verſ.eiuſdem conditionis. de verb.obl.* Is qui diſiunctim Stichum, aut decem debet, partem Stichi ſoluendo minimè liberabitur. *d. §.ſi decem.* cùm eadem ſit obligationis generalis & diſiunctiuæ ratio: ſeu de introducenda obligatione agatur. *l.cùm is.§.vlt.de cond.indeb.* ſiue quis obligationis effectum, ſolutionem ſcilicet, reſpiciat. *d. §. pro parte.* Qui igitur fundum pleno iure ſtipulatur, is quidem proprietatem eiuſdem fundi vnà cum vſufructu ſtipulatus cenſebitur. Neque qui ſine vſufructu ſoluit proprietatem, nec è contrario, vſumfructum ſine proprietate, liberandus venit. *l.ſi ita ſtipulatus fuero ſi Titius.§.1.ad fi.de verb. oblig.* ¶ Quid, an obligatio fundi diuidua ſit necne? Et ſanè diſtinguendum eſt. Nam ſi de pleno iure fundi agatur, indiuidua eſt, *vt d.§.1.vt ſi quis dicat:* promitto Seio fundum meum : vel ſi quis ita ſtipuletur, fundum tuum. ô Fai, mihi dari promittis? Hæc adiecta pronomina meum, tuum, ſuum, efficiunt vt fundus pleno iure ſtipulatus ſit: ſignificat enim plenum ius dominij in fundo, id eſt, poſſeſſionem ſimul & fruendi commoditatem. Tunc quidem nec poſſeſſio, nec etiam vſusfructus, ſunt partes fundi: ſiue eas integrales dicas, ſiue legales. Nam partes dicuntur reſpectu totius. Complexæ enim, ſuum totum vnà perficiunt: ſed tamen ſui totius nomen non ſortiuntur: ac toto deſtructo, ipſas nihilominus partes manere contingit. Nam prius toto extiterunt, cùm ab iiſdem fabricatum ſit totum & compoſitum. Eſt ſanè compoſita fabricatáque domus cæmento, lapidibus, lateribus, ligno: ex quibus omnibus parietes, & tectum conſtant. Sunt autem partes domus, parietes, tectum, fundamentum, atque ex harum partium coniunctione, totum ipſius domus conſtituitur. Sic cùm fundus, vim totius habeat, qui eum fundum ſtipulatus eſt abſolutè, totum ſeu plenum videtur ſtipulatus, id eſt, ius omne ipſius fundi, videlicet proprietatem, poſſeſſionem, & fruendi commoditatem. Et ratione diceremus vſumfructum fundi eſſe partem: ac videri fundum in poſſeſſionem, dominium, & vſumfructum, velut in ſuas parteis diuidi. Nam, inquit Paulus, qui vſumfructum fundi ſtipulatur, deinde fundum, ſimilis eſt ei qui partem fundi ſtipulatur, deinde totum. Eſt in *l.qui vſumfructum.de verb.obl.* ſed vt omnem ἀπορίαν diſſoluamus, primùm quidem noſſe oportet. ¶ Totum multipliciter dici. Nam dicitur totum numeri, & partes eius dicimus, quotas, vel ſtipius, parteis vniuerſi. Vt ſi decem conſideres, partes totius, ſcilicet decem, ſunt prima, ſecunda, tertia, &c. Totum generis, quod in ſuas ſpecies diuiditur, vt animal in hominem & brutum, apud Dialecticos. Si nullum animal eſt, certè nullum hominem dicemus eſſe. Eſt enim genus ſuarum ſpecierum principium diffinitiuum. Fundus ſiquidem, totius rationem tenet, & generis nomen eſt. Eius ſpecies ſunt, arbuſtum, vinea, pratum, villa, hortus. Horum autem omnium principium eſt fundus, ſub quo continentur & complectuntur: quo quidem ſublato, reliqua quæ de eo dicuntur pereunt. Nam ſi fundus nullus eſt, vinea nulla, aut pratum nullum erit: vt perempto genere, pereat quoque eius ſpecies. Nonnunquam etiam peremptis ſpeciebus, perimitur genus. Vt ſi nullum riſibile, aut rationale nullum ſit, ſimul & nullum brutum, certè animal nullum eſſe poteſt, quod aut ratione ſit præditum, aut ſanè ἄλογον. Quod tamen καθόλου, & in totum

verum

verum non eſt. Nam eſt aliquando cum interemptis ſpeciebus, genera quoque vnà minimè perimantur, animo quidem & cogitatione. Vt ſi homo & brutum omnino perimantur, remanet nihilominus comprænſione animi, ſeu intellectu animal. Idem de fundo dicas, in quo licet nulla villa ſit, nullæ arbores, nulla vinea, nullum arbuſtum, nullum item pratum, ſed nec dominium nec poſſeſſio ſtat, nihilominus fundus, id eſt, ipſum ius fundi, quod intellectu comprænditur, tanquam principium, vnde effectæ ſunt ſpecies, & in quo inerant. ¶ At verò poſſeſſio & vſusfructus, quamuis ſint fundi partes, non eas tamen partes intelligemus deiunctas ſeu diſcretas: ſed coniunctas & continuas, atq; etiam coëſſentiales, quæ non quantitatem quidem, ſed ſubſtantiam vnam, ſeu totum eſſentiale conſtituunt. Vt lineæ partes communi eodémque puncto iunguntur. Linea eſt totum ſuarum partium, videlicet punctorum deiunctorum ſeu diſcretorum: quæ quidem puncta coniuncta, totum ipſius lineæ, vel integram lineam conſtituunt. Ego verò hoc ipſum intelligo, ſi lineam in puncta, intellectu ſolo, non re ipſa partiaris: ne deiunctæ ſeu diſcreta ſit quantitas: nam idipſum exempli gratia ponimus. Itaque ſi proprietatem & vſumfructum, vt iura incorporalia conſideremus. *vt l.1.ff.de rer.diuiſ.* fundum verò rem intellectu comprænſam, cui tanquam ſuo ſubiecto, naturali quadam ratione proprietas & vſusfruct. accedunt, ipſúmque ſequuntur, velut vmbra corpus, & calidum ignem, nulla quidem ratione, partes appellaueris, niſi καταχρηστικῶς, ac potius (vt dicit Iaſon) fictè. Ea videtur eſſe mens Bartoli explanantis gl. *in d.l.qui vſumfructum.* Quare vſumfructum, ipſius fundi proprium rectius, quam partem diximus. *Text.eſt in l.ſi à reo.§.ſi reo.ff.de fideiuſſ.* Zaſius dicit, vſumfructum & proprietatem parteis eſſe legales fundi: vt cum dicimus, iſte fundus meus eſt, quatenus ad proprietatem attinet: alter verò dicit, iſte fundus meus quatenus ad vſumfructum. Quas tamẽ ipſe Zaſius contendit parteis non eſſe, ſignificatione propria. Cui ego aſſentior. Qui fit enim, vt incorporeum poſſit in atomos & parteis diuidi? Rectè igitur dicemus totum fundum noſtrum detracto quantumlibet vſufructu. Ait enim Vlpian. *in l.1.ff.ad SC.Syllan.* domini appellatione contineri eum qui proprietatem habet: & ſi vſusfructus alienus ſit. Quum tamen poſſeſſionem atq; vſumfructum in facti ratione ponimus, à dominio diſcerni ſolent. Vt ſi de fundo meo vi deiectus ſum, poſſeſſione cado, vſúmq; eius amitto: dominium quippe, quia iuris eſt, retineo. Item ſi vſumfructum eius dedi, remanet apud me fundi totius dominium, quo ille fundus, mihi totus proprius eſſe dicitur. In hanc propemodum ſententiam eleganter ſcribit Franc. Connanus, vir omniũ calculis eruditiſſimus, *lib.4.Commen.iur.ciuil.* Atque is eſt verus & germanus huius noſtræ legis ſenſus.

Sed ſeruitutes. ¶ Dicit Paulus, vſumfructum non eſſe dominij partem, vt *l.& per iuſiurandum.§.illud.ff.de acceptil.* Nam partes (ſicuti iam diximus) non poſſunt eſſe, niſi ſeparatorum. Atqui ſeparata deiunctáque non ſunt, dominium & vſusfructus. Nec enim qui proprietatem habet, vtendi fruendi ius, id eſt, vſumfructum, ſeparatum habet. *l.vti frui.ff.ſi vſusfr.pet.* Vſusfructus enim & poſſeſſio, inſtar portionis cùm dominio habent: & naturali quadam ratione ipſi fundo dominióq; accedunt, vt viſus, auditus, & motus animali. Non ſunt tamen viſus, & auditus, partes animalis. Sic neque poſſeſſio, neque vſusfructus fundi. Cùm igitur fundum noſtrum dicimus, eum ad nos omnino & pleno iure pertinere intelligimus: videlicet eiuſdem fundi dominium, poſſeſſionẽ, & vſumfructum, ſeu vtendi commoditatem. Quia in his tribus (ait Franc. Connanus) conſiſtit plena & naturalis ſignificatio earum rerum quas noſtras aſſerimus. Quod ſi à fundo detrahatur ac ſeparetur vſusfructus, id vel ex pacto, vel alio quodam iure extrinſeco fit, & præter rei, id eſt, fundi naturam. In iure autem ſeruitutis, non item, éſtque longè alia ratio. Nam quæ debentur fundo ſeruitutes, eæ quidem nec iure, nec ex natura ipſius fundi debentur: ſed ex pacto, quo inter fundorum dominos conuenit, vt alter fundus, alteri fundo ſeruiat. Hoc hercule præter naturalem fundi rationem. Vnde qui fundum ἁπλῶς ſeu abſolutè ſtipulatur, nulla ſeruitutis mentione facta, non veniet in eam ſtipulationem ſeruitutis: quoniam in hæc verba ſtipulatio, quæ verborum obligatio eſt, concepta non fuit: cùm naturaliter non accedat fundo ſeruitus (Sunt enim naturali iuri contrariæ ſeruitutes) ſicut dominium, vſusfruct. & poſſeſſio: atque etiam vt euictio venditioni, quamuis in contractu verbis omiſſa ſit. Veniet tamen ſeruitus in obligationem ciuilem, propter vſumfructum qui ſeruitutis pars cẽſentur eſſe. Nam quemadmodum de animali homo dicitur, ſic vſusfructus de ſeruitute, tanquam ſpecies de ſuo genere. Meritò igitur hoc loco Accurſius ſeruitutis partem, ſpeciem eſt interpretatus. Ego verò intelligo ſpeciẽm quæ ſit ſui generis diuiſiua: quemadmodum homo & brutum, animalis. Dicimus enim animal diuidi in rationale & irrationale, hominem ſcilicet, & brutum. Sic ſeruitutes in reales & perſonales. Realis ſiquidem ſeruitus, eſt via, iter. Perſonalis autem, vſusfructus. *l.1.de ſeruit.* quandocunque vſumfructum ſeruitutis partem ſeu ſpeciem dicimus, intelligimus ius quoddam ab ipſa proprietate dominióq; ſeiunctum: non autem eum vſumfructum qui proprietati ipſi dominióve cohæret: de quo ſuperius tractatum eſt à nobis. Eum quippe Doctores noſtri formalem nominant. ¶ Celſus verò ſcribit eſſe ius in corpore, quo ſublato, ipſum quoque tolli neceſſe ſit. *l.2.ff.de vſufr.& quemadmo.quis vta.* Alteram vſufructus ſpeciẽ. Cauſalem dicunt: qui ſcilicet rei ipſi, id eſt, proprietati ac dominio cohæret & naturaliter accedit: quod quidem non in re aliena, ſed veluti in noſtra & propria habere dicimur. Quæ ſanè diuiſio quàm ridicula ſit, planè vident omnes. Ego verò vnum tantum vſumfructum exiſtimauerim eſſe: eum videlicet quem appellamus, Ius vtendi fruendi rebus alienis, ſalua rerum ſubſtantia. *l.1.ffeo d. Theophil.inſtit.iur.de rer.diuiſ.§.religioſum.* ſcribit vſumfruct. eſſe ius quoddam certis modis conſtitutum, in mentis animíque comprænſione, quod efficit, vt in alterius dominio vſum poteſtatémque fruendi habeam. *Οὐσούφρουκτος δέ ἐστι, δίκαιον φανερῶς, πρόσωπος συνιστάμενον τῷ καταλαμβανομένῳ, ὃ ποιεῖ με κατὰ τῆς ἑτέρου δεσποτείας ἔχειν χρῆσιν καὶ ἀπόλαυσιν.* ¶ Cùm igitur vſumfructum in re aliena eſſe Iureconſultis placuit, quæ ratio erit eum in re noſtra ac propria reponere? Si quis agros, villas, fundu q; habeat, eorúmq; omnium ſit dominus, dicemus propriè ius eſſe ipſi domino vti frui his omni-

bus.

bus,id eſt,ius eſſe illi poſſidenti,& omneis fructus percipiendi : vt facultatis potius idipſum ſit, quæ iuri dominij coniuncta eſt,quàm ſeparati diſtinctique iuris,ſecundum Fran.Connani ſententiã *lib.4.* Quæ ſanè fuit mens Iureconſ.cui tenebras offudere docto.noſtri ſua formalitate & cauſalitate.Quocirca,ſi noſtra in re & propria vſumfructum dicimus,id non es proprio, ἀλλὰ διὰ τὴν κατὰ χρῆσιν accipiendum erit. Nam cùm vſusfructus propriè ſit Seruitus.*d.l.1.de ſeruitut.*res autem propria cuiquam ſeruire non poſſit.*l.vti.& l.in re commum.ff.de ſeruit.vrb.præd.*dici ſanè nequit in re propria.Quod eleganter confirmat Ioan.Corraſius vir apprimè eruditus.*lib.5.Miſcell.iur.ciuil.c.3.*Grammatici quippe hoc diſcriminis inter vti,& frui,eſſe volunt,quòd alienis rebus vtamur:noſtris verò dicamur frui. Itaque(inquit Cicero *lib.1.Epiſt.famil.*)ſic omnibus rebus tuis fruor,vt meis.*Et eod.lib.1.* Aulo Trebonio qui in tua prouincia magna negotia & ampla & expedita habet , multos annos vtor valde familiariter. Fruor(ait Laurentius Valla)bonis meis.In ſumma,concludemus vſumfructum in alienis tantùm rebus dici: iiſque eſſe omnino à dominio ac proprietate (vt diximus) ſeparatum : atque ideo partem,ſeu ſpeciem eſſe Seruitutis.Eſt namque extra fundi & dominij naturam.Sed conſtituitur pacto,ſtipulatione,iudicio,relicto,& ipſo iure,& per obligationem,per adiudicationem Prætoris,hoc eſt,vbi primo is cui relictus eſt,alij reſtituere eſt iuſſus: Natura quippe vel tempore non cõſtituitur. Quod ſcribit Placentinus *lib.2.Inſtit.ciuil.* ¶ Non igitur falsò,nec abſque ratione aſſeram totum id meum eſſe , cùm nulla huius totius pars , natura nec ſeparari à ſuo toto poſſit , nec etiam poſſideri. Quæ fuit Iuliani Iureconſ. ſententia, eáque verior. Itaque cùm à fundo & proprietate , dominium, poſſeſſio,& fruendi commoditas(res enim ideò poſſidemus vt his vtamur fruamur)ſeparari non poſſint, quæ naturali quadam ratione ipſi fundo accedunt cohæréntque, ſi tamen pacto & ſtipulatione reliquiſque iam dictis modis vſusfructus ab ipſo fundo deinctus ſit , totum nihilominus fundum meum poſſum iure meo mihi aſſerere. Vide quæ ſcribam *in l.meorum.ꝰh.t.*

Rem pro indiuiſo. ¶ Forſitan hoc aliter legendum eſſet,vt literæ ſenſus magis conueniat. Sic autem legi debere exiſtimauerim. ¶ Nec falsò dictum eſt meum eſſe , cuius non poteſt dici vlla pars alterius eſſe,& hoc Iulianus ait.Et verius eſt quod Qu.Mutius ait partis appellatione rẽ pro indiuiſo ſignificari,&c. ¶Ego mehercule ſupramodũ admiror,hunc locũ Alciatũ minimè aduertiſſe:Alciatũ inquam,hominem tam emunctæ naris:quippe qui diſtinxerit nota paragraphes hæc verba.

Fornerivs.

Recte. ¶ Quot Dominiorum,totidem ſunt & vindicationum genera: Rectéque dicimus eum qui dominus ſit,poſſe vindicare, contráque qui vindicare rem poſſit, eum eſſe dominum.*l.25.actionum.§.in rem.de obl.& act.l.27. Quinctus,de aur.& arg.leg.l.9.ſi ego.de iur.dot.l.27.quicquid.de acq.rer.dom.* ¶ Porrò dominiorum formæ ſunt plures:videlicet poſſeſſionis.*l.1.de bon.poſſ.l.2.C.Th.de bon.mater.*Proprietatis.*l.4.C.de probat.l.5.ꝰ.de vſufr.*quale mulier in rebus dotalibus habet.*l.7.dotis.l.75.quamuis.de iur.dot.l.30.in rebus.C.eod.quale fiſcus,vel reſp.*in fundis tributariis, & vectigalib. *l.12.poſſeſſores.C.de fund.patr.l.1.ſi ager vectig.* Vſusfructus.*l.3.ſi.ſi vſusfr.pet.* quod temporale non proprium perpetuúmque eſt. Seruitutis denique. *l.15.ſemper.§.antep.quod vi aut clam.* Quare ſeruitutes, & vſusfructus proditis in rem actionibus vindicantur.*§.æquè.de act.tit.ſi ſeruit.vind.tit.ſi vſusfr.petat. ſed & hereditatis.tit.de her.pet.l.1. de rei vind.* ac inchoatum rei vſucapi cœptæ dominium prætoriam vindicationem parit. *l.1.de publ.in rem act.§.ſed iſtæ. de act.* Quin emphyteuticariis, ſuperficiariis, ac vectigalibus poſſeſſoribus,vmbram veriùs,quàm proprietatẽ dominij habentibus in rem actio competit.*l.73.in ſpeciali.l.ſeq.de rei vind.l.1.ſi ager vect.* Vnde Paulus duas quæſtiones,de nudæ proprietatis,cuius vſusfructus alienus eſt,& partis vindicatione,eleganter tractat. De priore diſpiciamus. Vt gregis,equitij,armenti noſtri,cui aliena capita miſta ſunt,vt ſtatuæ,candelabri,cui brachium,vel ſigillum alienum cohæreat,vindicatio inſtituitur.*l.1.in fi.3.4.5.l.23.in rem.l.55.ſi poſſeſſor.ꝰ.de rei vind.* Sic etiam fundum totum tanquam meum,cuius nuda modò proprietas detracto vſufructu mea ſit, vindicabo.*tex.hic.*Nam & id meum in quo quid alienum cernitur,non falsò dixerim.*l.5.l.6.de leg.1.l.46.illud.de ri.nupt.* [Non pars dominij.] ¶ Sed temporale ius,quod ſpes eſt finitum iri.*l.14.Iubemus fi.C.de ſacroſ.eccleſ.*vel conſolidatione,quam ἕνωσιν Theophilus vocat.*§.vlt.de vſufr.vel alia ratione.l.corruptionem.C.de vſufr.tot.tit.ꝰ.quib.mod.vſuf.amitt.*Dominantia verba κύρια ὀνόματα.propria dicuntur,quæ ſunt immutabilia.*l.4.de leg.1.* A.Gellius *lib.10.cap.4.*[Seruitutis] legendum [Seruitus.] vſusfructus enim eſt ſeruitus.*l.1.de ſeruit.l.57.dominus.de vſufr.* Id eſt impoſititia ad tempus fundo qualitas,& habitus quidam.*l.12.qui fundum.quemad.ſeru.amitt.l.86.quid aliud.ꝰh.t.* Quod quamuis fundi ius minuat,non tamen efficit,quominus proprietatis dominium maneat,ac vindicetur. Certum eſt, illud ipſum ius alienis rebus vtendi fruendi & ſi propriè pars dominij non ſit fundi. *l. 66. Manius. §. fundo.de leg.2.l.70.ſi à reo.§.ſi reo.de fideiuſſ. l.13. & per iuſiurandum. §. illud. de acceptil.* Nam nihil eſt fundi,niſi quod terra ſe tenet.*l.17.fundi.ꝰ.de act.empt.*At iura & ſeruitutes non continentur ſolo,nec ſubſtantiæ ſunt partes, ſed potius qualitates & accidentia. *§.ſi cui fundus. de legat.* Si eſſet vſusfructus fundi pars,fundus diceretur.*l.24.planè fi.de leg.1.*Ecquis vnquam vſumfructum fundum appellauit ? imò fructuarium dominum eſſe negant. *l. 43. falſus. de furt. l. 2. de cond.ſutiti.l.8.oſſa.de relig.& ſumpt.funer.*ita vt quotæ partis bonorum vſufructuarius æri alieno non obligetur. *l.32.generali ſin. l. vlt.de vſufruct. legat.* Mei ſerui ſunt , in quibus alienus aſt vſusfructus : mei non ſunt , in quo vſusfructus tantùm meus. *l. 73. ſuos. l. ſequent. de legat. 3.* Græci Baſilicon *lib. 44.* ὑμῶν τοὺς κατὰ χρῆσιν ἄλλῳ διαφέροντας. Sed tamen quia hæc qualitas omne fundi emolumentum continet , efficitur : vt partis iure cenſeatur. *l. 4. ꝰ.de vſufruct.* Legato fundo , ipſius quoque vſusfructus legatus intelligatur.

d.l.66

d.l.66. Manius.§.fundo l.76.cum filius.§.dominus.de leg.2. Obligato reo fundi nomine,fideiuſſor rectè in vſumfructum accedat. *d.§.ſi reo.* Cum fundus vni, alteri ipſius legatur vſusfructus, ambo in vſufructu concurrant *l.10.ſi tibi.de vſufr.accr.* Adbuc priore expoſita quæſtione,ad alteram tranſeamus.

§.j. QVINTVS Mutius ait,Partis appellatione rem pro indiuiſo ſignificari: Nam quod pro diuiſo noſtrum ſit, id non partem, ſed totum eſſe. Seruius non ineleganter partis appellatione vtrumque ſignificari.

ALCIATVS.

QVOD QVINTVS. ¶ Sententia Mutij fuit, vt qui pro diuiſo poſſideret,non partem poſſidere, ſed totum diceretur. Seruius etiam hoc caſu appellari partem poſſe dicit: quod dubium non eſt, ſi ad id tempus relatio habeatur,quo adhuc nihil diuiſum erat. *l.inſulam in fi.de acq.re.do.* Idem, ſi in re,cuius conſtitutio à domini voluntate pendeat, appareat eum velle,vt pars ſit, *l.Caius.de lega.2.* cuius rei exemplum in fundo accipi poteſt. Quapropter conſtat vnum fundum dici, qui pro diuiſo à pluribus poſſideatur,ſi ita ipſi velint. *Bart.l.ſtip.non diuiduu.1.quæſtio.de verb.oblig.* Idem in domo, vt ſi tu cœnacula omnia, ego inferiora poſſideam: erit enim vna domus. *Alex.conſil.24.in 4.* ¶ Sed dubitari poteſt,ſi ex lege municipali, qui partem domus habet, inconſulto ſocio vendere prohibeatur, an conſtructo pariete,partem ſuam ſeparare poſſit,vt non pars,ſed alia domus videatur? Et poſſe ego exiſtimauerim, nec in hoc Seruij ſententia nobis aduerſatur, quæ tunc non procedit, cùm partium voluntas reclamat, *l.magis.§.fin.de rebus cor.* legíſque ratio non repugnat. Sane & fundum, cuius pars pro indiuiſo ſit mea,fundum meum appellare poſſum, *l.pupillus in fine.ĵ.eod.* cùm iuris intellectu non diuiſione corporum in eo partes habeam. *d.l.Manius.§.duorum.*

BRECHÆVS.

QVOD QVINTVS MVTIVS AIT,&c. ¶ Eſt igitur ſic accipiendum: Eſt verius,id eſt verum eſt, (vt ſit comparatiuus pro poſitiuo: ſed ἱμφατικωτέρως,) quod Quint.Mutius ait. Vera quidem eſt Q.Mutij ſententia ſcribẽtis,partis appellatione,rem pro indiuiſo ſignificari: videlicet,cùm plures fundum aliquem,eúmque indiuiſum poſſident, ſinguli poſſunt totius huius fundi indiuiſi partem ſuam nominare. Exempli gratiâ. Si vndecim homines lineam aliquam poſſideant, eámque integram & continuam, quæ tamen in xj. puncta diuidi poſſit,nónne diuiſa & ſecta linea in xj.non re ipſa,ſed intellectu & compræhenſione mentis, debent dici vndecim huius lineæ partes? Sic ſi vniuerſum ius hæreditatis ad vndecim, plus minúſue ſpectet, ſinguli eorum poſſunt hæreditatem ſuam appellare: qua quidem appellatione ſignificantur partes vniuerſi, ſeu (vt dicunt) partes quotæ: videlicet, prima,ſecunda,tertia,&c.Itaque poterit quiſque eorum & ſingulorum dicere:Aſſero mihi tertiam,primam, quartam partem hereditatis pro indiuiſo. ¶ Quod ſi iam diuiſa ſit in parteis hereditas, ſingulæ partes efficiuntur totum diuiſæ partis.Ecce enim fundus Martinianus, qui iugeribus 50.continebatur, quinque heredibus obuenit, cùm eum pro indiuiſo poſſiderent, ſinguli eorum poterant meritò,& iure ſuo partem totius fundi Martiniani vindicare. At verò vbi primùm partitus fuit in partes quinque, ſingulæ partes diuiſæ & ſeparatæ à ſuo toto, effectæ ſunt vnum totum ſuo poſſeſſori & domino. Quia cùm nullum habeant totum,amplius non dicuntur partes. Non enim ſolent (ſicuti diximus) partes appellari,niſi propter ſuum totum. Quod itaque pro diuiſo noſtrum eſt, idipſum partem dicere non debemus,ſed totum.Et hanc arbitror Pauli fuiſſe mentem.Seruius autem cenſuit partem non ineleganter dici,non tantùm cùm pro indiuiſo res poſſidetur,ſed & etiam cùm pro diuiſo. ¶Quã quidem Seruij ſententiam Alciatus eò vſque v. [illegible]re contendit, ſi neque partium voluntas, nec legis ratio obſtet. Vt ſi paterfamiliâs vniuerſum fundum Seianum duobus diuiſim iuſta aliqua de cauſa locauit,quem poſtea moriens teſtamento Caio legauit,quærebatur,an is totus fundus ad Caium pertineret: Reſpondet Paulus, ſi teſtator fundum Seianum vno nomine vniuerſum poſſedit, quamuis eundem diuerſis partibus locauerat, vniuerſum eum ex cauſa fideicommiſſi præſtari oportere: niſi heres de qua parte teſtator ſenſerit,liquido docuerit,hoc eſt in *l. Caius.§.Titius.de leg.2.* Quo loco ex Paulo iureconſ.docemur quòd quamuis duo pro partibus fundum poſſideant,ſeu domum,ſeu quamlibet rem aliam, ſinguli tamen eorum cenſentur totum poſſidere: ſic partem pro diuiſo quandoque ſignificari:niſi aliam eſſe partium mentem depræhendatur,ac manifeſte probetur.Alioqui poſſidentes rem pro indiuiſo,lex voluit partem ſuam tantùm poſſe diſtrahere,aut pignori ſupponere. Quod ſi pro indiuiſo poſſidentium, alius ſocij partem vel vendiderit, vel creditori ſuo obligauerit, nullam neque venditionem, neque obligationem futuram iure traditum eſt. *l.ſi probatum. C.communi diuidundo. l. vnica. C.ſi communis res pignori data ſit.* Fiſco quidem totum rei communis atque indiuiſæ licet vendere: ſuæ tamen pretium partis ſolùm accipiet. Hoc autem ex priuilegio habet, *l.1.de vend. re.fiſca. com. cum priua. lib. 10. C.* ¶ Quid, quæſo, de ſeruitute dicas, an ſi à pluribus aut poſſideatur, aut debeatur, ſinguli eorum poſſint partem ſuam totius ſeruitutis pro indiuiſo aſſerere? Certè hoc ipſum eſt in ſeruitutibus ſpeciale, vt neque pro parte acceptari, neque etiam pro parte deberi poſſint. Sic itaque cum neceſſitate naturáque, ſed & iuris diſpoſitione ſint indiuiduæ, ſeu reales ſint, ſeu perſonales. *l.ſtipulationes non diuiduntur.de verb.oblig.præter vſumfructum. Doct.in d.l.*

ſtipulationes.l.1.§.item ſi vſusfructus.ad leg.Falc. fieri nequit,vt in parteis,ſingulorum iure diuidantur. Imprimis enim contractu indiuiduę ſunt:cùm ſeruitutis pars in contractum deduci non poſſit.*l.via.l.pro parte.de ſeruit.* Obligatione quoque indiuiduæ ſunt ſeruitutes, vt quæ ſtipulatoris heredibus in ſolidum dentur,& aduerſus promiſſoris heredes in ſolidum competant.*l.2.§.ex his.de verb.oblig.l.heredes.§.an ea.ff.famil.herciſcun.* Vnde & petitione non diuiduntur:cùm quilibet in ſolidum petat,& à quolibet ſeruitus in ſolidum exigatur. *d.l.via.de ſeruit.* Solutione præterea Seruitus non diuiditur: pars enim ſeruitutis,quam media pars curſus aut hominis iter faciat,nullum adfert ſtipulatori emolumentum.*l.ſi tam anguſti.de ſeruit.l.via conſtituta.de ſeruit.ruſtic.præd.*neque etiam media pars fundi aut ſeruire,aut ſeruitutis ius habere pro parte poſſit.*l.ſi quis duas.§.partem.ff.commu.præd.l.ſi mihi.de ſeruit.ruſtic.præd.*Sed & pœnæ reſpectu,ſeruitutes minimè diuiduntur:cùm vnius heredis indeuotio, aduerſus omneis pœnam inſolidum committat. *l.2.§.item ſi in facto.& l.4.§.Cato.de verbo.obligatio.* ¶ Concludimus hìc tandem, quòd cùm Paulus partis appellatione rem pro indiuiſo ſignificari ait, id in rebus corporalibus,& quæ corpore,diſpoſitione iuris,in partes diſtribui poſſunt,intelligẽdum eſſe.Nam ſi quæ incorporales partitionem admittunt,intellectu quidem iuris,non diuiſione corporum id accipi debet.Vt cùm duo,vnum & idem ius in fundo Martiniano habent indiuiſum.eorum autem alter eum fundum generali nomine legauit Michaëli, videtur ſanè vniuerſus ille fundus legatus:neſcitur enim vtrius pars legata ſit , vt quia totus fundus vtrique ſit pro indiuiſo communis : poterit tamen intellectu iuris, non autem corporis diuiſione, pars eius qui legauit,comprehendi. *l.Manius.fundum.§.duobus.de leg.2.l.ſeruus communis.ff.de ſtipula.ſeruo.*

FORNERIVS.

QVINTVS. ¶ Quæcumque iudicia certis concluduntur finibus,ea niſi præcisè concepta dicentur.certámque iniuriæ,doli,furti,criminis,pœnæ ſpeciem exprimant,luſoria,vaga,inaniáque videantur.*l.7.prætor.de iniur.l.2.de dol.except.l.52.ſi quis vxori.§.ſi linea.de furt.l.27.in teſtamento, de cond.& dem.* ¶ Cúmque à vindicante certò deſignari ſpeciem oporteat, *l.1.l.6.l.13.ſi rem.de reiuind.* Scæuola tacitè occurſurus obiectioni ait,indiuiſam rei partem propriè nominari : diuiſam verò totũ quid exiſtimari.Seruius autem notando ſubiicit,rectè vtroque modo partem nominari. Omnis quidem dominij quæſtio in reiuindicationis tractatum incidit:ſed rei tamen certæ ac ſpeciei : Quoniam incerta nec poſſideri,nec vſucapi,neq; vindicari poteſt:*d.l.3.de acq.poſſ.*Scientiam enim & animum in poſſeſſione quærimus : qui qualis ſit,non poteſt in eo qui quid, quantúmque poſſideat,ignorat,intelligi.*l.32.ſi fur.de vſucap.*Nec quòd indiuiſa ſit,eò minus,quota ſit pars mea in re communi,cernitur:& domus pro indiuiſo poſſeſſa tota à me vindicabitur.*d.l.13.in rem.l.55.ſi poſſeſſor fundi.de rei vind.*Tametſi quædam cæmenta, tabulæ, lapides, non ſunt iuris noſtri : nec minus grex , armentum, equitium defendam meum eſſe, quamuis aliena capita meis immixta ſint.*l.1.ſi.& 4.ll.ſeqq.de rei vind.* Nec falsò meum id defendam,in quo partem habeam:*l.46.illud.de rit.nupt.l.5.l.6 de leg.1.*

Rem pro indiuiſo. ¶ Veluti cum plures eiuſdem fundi,non naturali corporis diuiſione,ſed iuris intellectu dominium obtinent.*l.5.de ſtip.ſeru.l.66.Manius.de leg.2.*Pars propriè communis eſt,indiuiſa: pars diuiſa,totum:hæc corpore,illa méris notione,iuréque diuiditur:ideóque nihil prohibet,ſocium partem rei communis,ſine ſocij præiudicio oppignerare. *l.vn.C.ſi res com.pign.l.7.ſi conſenſit ſin.quibus mod.pign.ſolu.*Hereditas pluribus relicta,lege quidem xij.Tab.diuiditur,antè tamen quàm re ipſa diuidatur,communis atque indiuidua eſt.*l.1.C.ſi cert.pet.l.25.heredes.fam.erc.l.32.fine.ꝫ.de admin.tut.*

Totum eſſe. ¶ Partibus cuiuſq; rei facta diuiſione cõſtitutis,quælibet pars,cenſetur totũ.*l.60.locus.ꝫ.h.t.* Vt ecce parti rei communis ſocius ſeruitutem non imponit : At diuiſo regionibus fundo poteſt alterutri imponere : quia non eſt pars fundi, ſed iam fundus.*l.6.comm.præd.* Sed & contra plerunque euenit,vt plura prædia poſſeſſa, ex inſtituto patrisfamilias vni attributa, vnius inſtar habeantur.*l.2.de reb.dub.l.86.Casus.de leg.2.*vnámque maſſam & *σωμάτιον* efficiant.*l.antep.de adim.leg.l.34.Titia.de leg.2.* ¶ Idémque in iis rebus quæ propter connexionis emolumentum, & vſum indiuiduum moleſtè & incommodè diſtraherentur,obſeruatur:vt ſymphoniacorum,geminorum,quadrigarum ſeparatione.*l.14.quod in rerum.de leg.1.l.22.proinde.ad l.Aquil.l.28.ædiles ſi.& trib.ſeq.de æd.ed.* Vt in communi ſaltu,& locis compaſcuis a municipibus poſſeſſis, *l.pen.ſi ſeru.vind.* quæ proximi quique , qui ea contingunt,compaſcunt,Sicul.Flaccus:quæ Quamuis agri diuidantur:eiuſdem tamen (inquit Hygenus) cuius antè fuerint,conditionis manent. Cum res noſtris alienis mixtæ ſunt,aut ſeparatio fiet, veluti gregis confuſi, *l.61.vſufructuarium.§.ſi binarum.de vſufr.* Aut maior pars minorem, ſacra profanam, dignitatis & acceſſionis iure ad ſe trahet : & ſtatuæ brachium,candelabro ſigillum & emblema naui ſcapha cedet.*l.3.inf.l.4.l.23.in rem.l.43.qua religioſis.de reiuind.*Aut ad iudicia diuiſoria actionémue ad exhibendum confugiendum erit. *d.l.4.l.5.de rein.l.6.gemma.ad exhib.* & adiudicatione res arbitróque tranſigetur.*tit.de off.iudic.l.4.l.19.arbor.§.de veſtibulo.ꝫ.comm.diuid.*

Seruius. ¶ Is fuit auditor Scæuolæ.*l.2.de orig.iur.*in quem notas edidiſſe,cum hoc locus argumento eſt, tum *l.29.qui concubinam.de leg.3.l.76.qui re.de furt.* tum quòd in repræhenſis Scæuolæ capitibus laudatur à Gellio *libro quarto,capite primo.* Citatur vt legum xij Tabularum interpres, *l.237.duobus.infrà hoc titul.* A.Gellio *libro ſexto, cap.12.* *Feſto in Sarcito , & in Sanatibus.* Conſcripti ab eo de iure ciuili libri alieno tantùm nobilitati teſtimonio interciderunt. *Non ineleganter.* ¶ Seruij nota non abſurda ratione nititur : ne , ſi nulla incertæ partis penitus actio daretur , durum eſſet dominia iure ſuo ex euentu pendente prorſus excidere. Multa enim ſuſpenduntur, quæ euentu poſteà ambigua eſſe deſinũt.*l.15.quædam.de reb.dub.* Veluti cum de Falcidiani quadrantis detractione dubitatur.

l.8.&

l. 8. *& ſi.* 3. *comm. diu.* vel de numero coheredum, ſi prægnantis mulieris poſtumus partus & quutus expectetur. *l.* 1. *l.* 3. *de pet. her. l.* 7. *vtrum. de reb. dub.* Vel de eius qui apud hoſtes agit, bonis, familia & cõditione quæritur. *l.* 12. *in bello l.* 22. *bona.* 3. *de captiu.* Relatione quoque ad aliud factâ, vel circuoſtantiis quæ ex ſeſe minus explorata videri poſſint, certiora euadunt. *l. pen. C. de ſent. quæ ſine cert. quant. l.* 60. *quaro l.* 67. *cum poſt.* §. *gener. de iur. dot. l.* 30. *quadam. de leg.* 3. *l.* 14. *ſi cui. de ann. leg.* Locus certus digitu demooſtrari poteſt: pars certa pro indiuiſo intelligi poteſt: ideoque & poſſideri, & vſucapi nihil vetat. *l.* 8. *Pomponius. de reiuind.* Pars incerta neutru hiorum explicari poteſt. *l.* 26. *locus. de acq. poſſ.* ¶ Qood autem in extremo, *d. l.* 8. *dicitur* [nuoquam enim pro diuiſo poſſideri, &c.] rectè ab Accurſio adhibita dominij ac poſſeſſionis diſtinctione diſſoluitur.

XXVI. Vlpianvs lib. xvj. ad Edictum.

PARTVM non eſſe partem rei furtiuæ, Scæuola libro vndecimo quæſtionum ſcribit.

Alciatvs.

PARTVM. ¶ Cùm partus rei furtiuæ pars nõ ſit, ſequitur vt vſucapi à booæ fidei poſſeſſore poſſit: *l. qui vas.* §. *ſi ancilla. de furt.* quod intelligendum eſt, niſi apud furem conceptus ſit: *l. ſi aliena.* §. *ſi. de vſucap.* martem enim contrectando, & eom contrectaſſe, qui eius viſcerũ portio eſt, videtur: qnod in futis herede non eſt: *l. ſi ego.* § *partus. de publ.* licet ipſe propter authoris ſui malam fidem vſucapere nequeat. *l. ſequitur.* § *heres. de vſucap.* tollitúrque hinc illa dubitatio, cuius innominatus poeta apud Græcos Diodorum iuriſperitum illudens, memioit hoc epigrammate:

Ῥήτορα πρὸς Διόδωρον ἀνὴρ δειλαῖος ἀπελθὼν,
  Ἤρετό μιν τοίης ἀμφὶ δικασπολίης.
Ἡμετέρη θεράπαινα φυγὴν ποτὲ, τὴν δ' ὅτις εὑρὼν,
  Ἀλλοτρίην τ' ἦ λάτρην ἐπιστάμενος.
Ζεῦξεν ἑῷ θεράποντι, τέκεν δ' ὑπὸ παῖδας ἐκείνῳ,
  Καὶ τίνι δουλεύειν εἰσὶ δικαιότεροι;
Ὃς δ' ὅτε μερμήριξε, καὶ ἔδραμε βίβλον ἑκάστην,
  Εἶπεν ἐπιστρέψας γυρὸν ἐπισκύνιον,
Ἢ σοὶ ἢ τῷ ἑλόντι τὴν θεράπαιναν ἀνάγκη,
  Δουλεύειν κείνους ὧν χάριν ἐξερέεις.
Δίζεο δ' εὑρήσοντα δικασπόλον, αἶψα δ' ἐποίσῃ
  Ψῆφον ἀρειοτέρην εἴγε δίκαια λέγοις.

¶ Qnod epigramma vtcunque Latinè reddidimus, quo eius ſeuſus qualicunque lectori ſit apertior.

Rhetora vir quondam pauper Diodoron adiuit,
  Sciret vt hac ſpecie quid ſibi iura velint.
Serua mihi aufugit, captam quam repperit olim
  Neſcio quis, famulam conſcius eſſe meam.
Atque ſuo iunxit ſeruo, quæ fata puellos
  Edidit, ánne mei pignora iuris erunt?
Ille anceps, raptus permulta volumina, tandem
  Suſtulit hac vetulum voce ſupercilium:
Hoc opus eſt vernas tibi vel ſeruire, vel illi
  Qui tenet ancillam non ſine fraude tuam.
Sed tibi fac iudex ſit amicus, dummodo in iſtam
  Cauſam habeas, punſtum protinus omne feres.

Brechævs.

PARTVM. ¶ Quia ſuperiore reſponſo dixerat Paulus appellatiuue partis, rem pro indiuiſo ſignificari, ea ratione Vlpianus ea Scæuolæ ſententia ſcripſit partum non eſſe rei furtiuæ partem. Vnde ſi qois ancillam ſurripoerit, eámque poſtea alij vendiderit, ac cum aliquot poſt dies apud bunæ fidei emptorẽ ea peperit, à quo tum demum dominus eam vindicauit. Quætebatur nom partus ipſius ancillę vnà com matre vniuerſum ſolidúmque furtum cenſeri debeat? Sanè hoc loco eleganter docemur non cenſeri. Non enim re ipſa partus editus, matris pars amplius dicendus eſt: cùm & tunc animal eſſe incipiat omnibus ſuis & ſingulis partibus vniuerſum abſolutum. Nulla igitur matris pars cenſebitur. Quocirca ſi prægnans ancilla vendita ſit & tradita, euicto partu, non poterit emptor aduerſus ſuum venditorem euictionis nomine experiri, cùm venditus partus nun videatur. Nec ſi prægnantis vaccæ vitulus, qui poſt emptiooem editus eſt, euincatur, puterit emptor agere ex duplæ ſtipulatione, quoniam nec ipſa vacca, nec eius vſusfructus euincitur. *l. ſi prægnãs. & l. ſeq. ff. de euic.* Cuius quidem rei eam rationem eſſe putant, ꝙ bonæ fidei emptor fructus facit ſuos. Sed hoc non eſt abſolutè verũ. Quandoquidẽ conſtat bonæ fidei emptorẽ poſſeſſorémq; eos tãtùm fructus ſibi acquirere, qoos ex re empta & poſſeſſa, indoſtria, cura & labore ſuo percepit, eos à ſolo ſeparaodo. §. *ſi quis à non domino. & ibid. gl. inſtit. de rer. diuiſ. Gloſ. in* §. *& ſi in rem. in verb. cũ fructibus. inſtit. de offic. iudi.* Idẽ quoque erit & ſi alius coluit, ac tempore percepti oois fructuum, bonæ fidei emptor poſſidebat: tũc enim fructus quoq; ſuos facit. Quoniam in percipiendis fructibus, magis corporis ius ea quo percipiuntor,

quàm ſeminis ex quo oriuntur, aſpicitur. Ideóq; nemo vnquam dubitauit, quin, ſi in meo fundo frumētum tuum ſeuerim, ſeges, & quod ex meſſibus collectum fuerit, meum fieret. Nam bonæ fidei poſſeſſor idem iuris in percipiendis fructibus habet, quod prædiorum dominis attributum eſt. Quid ſi antequam fructus perciperet, reſciuit fundum à ſe bona fide emptum, alienum eſſe, & a non domino comparaſſe, an fructus ſuos faciat? Et facete Iulianus reſpondet, *in l. qui ſcit ff. de vſuris.* Nam eatenus fructus ſuos bonæ fidei emptor facit, quatenus euictus fundus non fuerit. ¶ Quinimo ſeruus alienus, quem bona fide emero; tandiu mihi ex re mea, vel operis acquirit, quandiu euictus a me non fuerit, *d. l. qui ſcit. § bona fides. ad fin. & l. 1. C. de rei vendic. l. fructus. ff. de vſuris.* Quod in ſeruo, non in libero homine locum habet. ¶ Quod verò ad naturales fructus & qui ſponte ſua creſcunt, attinet, bonæ fidei poſſeſſor non facit ſuos. *d. l. fructus.* Sed id quidem, ſi poſt litem conteſtatam atque inceptum iudicium adhuc extent, intelligendum erit, aut quandocunque res vindicatur. Nam ſi re euicta, aut in euictionis periculo poſita, fructus iam conſumpti ſunt, non poterit aduerſus emptorem, ſi modo bona fide poſſederit, agi rei vendicatione: ſed condictione ſine cauſa, quatenus factus eſt ditior. *argum. l. ſi me & Titium. Si certum peta. ff.* Quod ſi fructuum perceptione nullam ea propter rebus ſuis acceſſionem fecerit, propius eſt vt non teneatur: niſi mala fide egerit. Quæ fuit Angeli ſententia *in d. § ſi quis à non domino.* Erit igitur hic diſtinguendum quærendúmque num partus apud bonæ fidei poſſeſſorem, an verò apud furem, aut malæ fidei poſſeſſorem reperiatur: & an partus ponatur in fructu. Nam malæ fidei poſſeſſor, qui apud eum editus eſt partum, tenetur reſtituere: tantùm abeſt vt vſucapere poſſit: furtiuus enim eſt. Vnde aduerſus furem competit actio furti & códictio. Sed contra poſſidentem rei vendicatio. *l. ancilla. C. de furt. & ſer. corrupt. l. qui vas. § ſi ancilla ff. de furtis.* Quid autem in furis herede? Sanè Vlpia. *in l. ſi aliena. § Scæuola. de vſuca. ff.* ſcribit heredem furis, poſſe etiam vſucapere partum: idque ex Scæuolæ ſententia aduerſus Marcellum, qui exiſtimauit ſi bos apud furem, aut furis heredem conceperit, pariátque apud furis heredem, diſtractum iuuencum vſucapi ab herede non poſſe, quemadmodum nec ancillæ partus. Sed publiciana illi non competit: quia vitiorum defuncti ſucceſſor eſt. *l. Si ego. § partus. de publicia. in rem act.* huius autem ſententiæ rationem Scæuola eſſe ait, ꝙ partum rei furtiuæ partem non eſſe conſtet. *d. § Scæuola.* Si enim (inquit) eſſet pars, nec ſi apud bonæ fidei poſſeſſorem peperiſſet, vſucapi poſſe. Cui tamen ſententiæ aduerſatur Iulianus *in l. non ſolum. d. tit. de vſucap.* Non ſolùm (ait) bonæ fidei emptores, ſed & omnes qui poſſident ex ea cauſa quam vſucapio ſequi ſolet, partum ancillæ furtiuæ vſu ſuum faciunt: idque ratione iuris introductum arbitror. Nam ex qua cauſa quis ancillam vſucaperet, niſi lex xij. Tab. vel Atinia obſtaret: ex ea cauſa neceſſe eſt partum vſucapi, etiam ſi apud eum conceptus & editus eo tempore fuerit, quo furtiuam eſſe matrem ignorabat. Eadem quoq; eſt ſententia apud Vlpian. *in d. l. qui vas. § ſi ancilla. de fur.* Si (inquit) ancilla prægnans ſurripiatur, vel apud furem conceperit, partus furtiuus eſt, ſiue apud furem edatur, ſiue apud bonæ fidei poſſeſſorem. Sed in hoc poſteriore caſu furti actio ceſſat. Sed ſi conceperit apud bonæ fidei poſſeſſorem, ibiq; pepererit, eueniet vt partus furtiuus non ſit, verum etiam vſucapi poſſit. Quibus verbis diſſoluit ac potius conciliat *ἀντινομίαν* ſi qua videbitur. Longè etenim refert, ancilla apud bonæ fidei emptorem conceperit nécne. Nam ſi iam prægnantem emerit à fure, aut apud ipſum furem pepererit, furtiuus partus cenſendus eſt: ſic igitur vſucapi non poſſe. Furti tamen aduerſus ipſum emptorem ceſſare actionem *d. § ſi ancilla.* ¶ Quid ſi agatur rei vendicatione vel perſonali actione aduerſus emptorem: Reſpondet Paulus partum poſt litem cóteſtatam editum, poſſeſſoré reſtituere debere: quemquidem nó deberet, ſi cùm mater vindicaretur, iam natus eſſet. Sed in ſoluēdo fideicómiſſo, mora facta, etiam partum reſtituendū idem Paulus cenſuit *l. partū. & l. Paulus. ff. de vſur.* idem quoq; in pecudibus obſeruandum eſt, & in fœtu earum, quod in partu. Vt ſcil. pecude prægnante ſurrepta, vel apud furem prægnante facta, partus ſit furtiuus. Itaq; nec vſucapi queat. *d. l. qui vas. § idem & in pecudibus.* Quod mehercule in bonæ fidei poſſeſſore locum nó habere exiſtimem. Sic igitur non pugnare hác ſententiam cum *d. l. ſi aliena. § fi. vt arbitratur.* Accur. Nam ſubdit. Ex furtiuis equis nati, ſtatim ad bonæ fidei emptorem pertinebunt & meritò. Quia & in fructu numerātur: at partus ancillæ non numeratur in fructu. Non enim eſt (vt ſuperius diximus) pars rei furtiuæ: quoniam ab ipſa re furtiua diuiſus eſt. Sic cùm iam pro indiuiſo partus cùm matre non ſit, partem non ſignificari, ſecundum *d. l. recte dicimus. verſic.* quod Qu. Mutius. Non poterit etiam vel bonæ fidei emptor, partum ancillæ furtiuæ apud ſe editum in fructu reponere: quoniam abſque eius cura & labore editus eſt. Niſi fortaſſe rem cum ipſa ancilla habuiſſet grauidámque effeciſſet.

FORNERIVS.

PARTVM. ¶ Triplicem apud veteres de ancillæ partu controuerſam à iuriſconſultis tractatam ad noſtra vſqua deductam tempora & diſceptatam quæſtionem enarremus: An ſit in fructu, An ſit pars matris: An pars rei furtiuæ, ac proinde an vſucapi, Publiciana, reive vindicatione peti poſſit. Hęc enim apta inter ſe, & quaſi conſectaria cónectemus. M. Tullius lib. 1. de Finib. [Partus ancillæ ſitne in fructu habendus, diſſeretur inter principes ciuitatis P. Scæuolam & M. Manilium: ab iiſq; M. Brutus diſſentiet.] ¶ In illa veterum diſſenſione Bruti ſententiam obtinuiſſe, nec partum ad fructuarium, ſed ad dominum proprietatis pertinere cóſtat: quòd abſurdum videretur hominem in fructu hominis haberi: cum omnes fructus rerum natura hominum gratiâ comparauerit. *l. 68. vetus de vſufr. l. 28. in pecudum. de vſur. l. 44. iuſtiſſimè. de ad. ed. l. antep. C. de ſacr. eccl.* Ancillæ vſufructu legato, partus eius nó cedit legatario, *Paulus lib. 3. ſentent. tit. 6.* ſed etſi heres fructus hereditatis, niſi moram fecerit, ſuo iure retineat: Tamen partum, fideicómiſſario reſtituere cogitur, quaſi non ſit fructus. *l. 14. reſpondit. de vſur. l. 22. mulier. verſ. prætereà. ad Se. Treb.* Quãuis aliquando neglecta ſubtili hac differētia eadem partus, fructus, fœtus, ac reditus ratio habeatur. *d. l. 14. l. 24. Falcidia vulg. Paul. ad leg. Fal. l. 58.*

deduct

deducta. ver. nec fœtus pecorum. ad Sc. Trebel. ¶ Sequens quæſtio an partus ſit pars matris, hoc quidem loco generaliter definita, propriè eſt ad cauſam poſſeſſionis, vſucapionis, vindicationiſque reuocanda. Quamuis enim matri quædam ob ſpem futuri partus concedantur, veluti ne ob delictum prægnans torqueatur, ne innocens alieni ſceleris pœnam luat. *l.8. imperator. de ſtat. hom. l.3. de pœn.* & vt interim alatur: quia antequam partus edatur, matris portio eſt vel viſcerum. *l.1. de inſp. ven.* Quinctil. *declam. 338.* Tamen reuera duæ perſonæ, diuerſo iure cenſentur: nec legata ancilla debetur partus. *l.62. ſi ancilla. l. ſeq. de leg. 1.* nec ſi ancilla vendita euincatur, præſtabitur euictio. *l. 42. ſi prægnans. de euict.* Et matre baptiſata, quod vtero geſtabatur, debet ſacra ablutione tingi: cum duæ ſint nihil commune habentes animæ, duæ voluntates, Theodorus Balſamon *tit. 4.* Nomocan. *tit. 10.* Vnde & illud quod huiuſce tractatus proprium eſt, matris furtiuæ vitium, partus bona fide poſſeſſi vſucapionem non moratur. *l.10. ſeruus. ſ. pro empt.* quùm ipſius non ſit pars. Græci hîc, ὁ τοκετὸς τῆς κλεψιμαίας οὐκ ἔστι μέρος αὐτῆς. Si igitur apud bonæ fidei poſſeſſorem furtiua ancilla pepererit, partus niſi apud furem conceptus & editus fuerit, vſucapietur. *l.3. C. pro empt. l.12. ancilla. C. de furt.* Sed ſatis fuerit bona fide poſſeſſam matrem peperiſſe. Paritionis enim maximè tempus attenditur. *l.11. ſi ego. ver. ſi modò eo tempore quo & pariat, furtiuam matrem ignorem. de pub. in rem act.* Nam quod & Florentiæ editur, [experiar.] Quidam acutè reſtituit [& pariat:] Quódque in Baſilicis latino archetypo conſentaneum ἐν τῷ κυεῖν legitur, ipſe inducta litera ν, non verebor κυεῖν, duce ratione iuris emendare. Supereſt ſcirpus, ſeu vt Balſamon ait, ἐναντιοφανὲς, quod tantum exhibuit negotij interpretibus: vt perſpicaciores vitioſam Vlpiani ſcripturam ſuſpicentur. *l.48. qui vas. de furt.* certatímque aliquid opis conciliationi. *l.10. ſi alienam. de vſuc.* allaturi, alij pro [Idem & in pecudibus] addita negatione corrigant, [Non idem & in pecud.] alij, idem cum interrogationis acumine moliuntur, [Idem & in pecudibus ſeruandum, & in fœtu eorum quod in partu!] Laudo conatum: cum perpetuò partus ancillæ & fœtus pecorum diſcrimen Iureconſultis obſeruetur. *§. in pecudum. de rer. diuiſ. d. l. 10. ſi alienam.* Age nos ſymbolam collaturi, ne apicem quidem ex recepta lectione minuentes experiamur: num eum locum poſſimus à tenebris ſola verborum Sabini atque Vlpiani diſtinctione tanquam prolata luce vindicare. SABINVS, [Ancilla ſi ſurripietur prægnans, vel apud furem concepit, partus furtiuus eſt.] VLPIANVS, [Siue apud furem edatur, ſiue apud bonæfidei poſſeſſorem: ſed hoc poſteriore caſu furti actio ceſſat.] SAB. [Sed ſi concepit apud bonæfidei poſſeſſorem, ibique pepererit: eueniet, vt partus furtiuus non ſit: verumetiam vſucapi poſſit.] VLP. [Idem & in pecudibus ſeruandum eſt, & in fœtu eorum, quod in partu.] Hoc videlicet caſu nihil, in ſequenti plurimùm intereſt. SABINVS, [Ex furtiuis equis nati ſtatim ad bonæfidei emptorem pertinebunt.] VLP. [Meritò, quia in fructu numerantur: at partus ancillæ non numeratur in fructu:] hic itaquam partus & fœtus diſcrimen obſeruatur. *Lib. 11. fortè 12. ex d. l. 10. ſi alienam.* vbi cum eadem Scæuolæ ſententia referatur, aut huiuſce numeri errorem ab illo, aut illius ab hoc emendandum arbitror.

XXVII. IDEM lib. xvij. ad Edictum.

AGER eſt locus, qui ſine villa eſt.

ALCIATVS.

AGER. ¶ Ager ab agendo dicitur M. Varroni: ſicut villa, domus ruſtica, à vehendo, quod in eam fructus arborum vehantur. Ea mente tamen teſtatoris quandoque ſit plenior interpretatio. Paulus *recept. ſent. lib. 3. tit. 9. de vſufruct.* Villis, inquit, vel agris ſeparatim legatis, alterum alteri cedit. Bart. villam dicit, quæ ſine muris ſit. Subdunt alij, quaſi vallem vallatam appellari, quod ridiculum & ineptum eſt. Sanè & ager pro territorio vrbis, & quem Comitatum vulgò appellamus, accipitur. Quare non exiſtimauerim agri Auenionenſis dici caſtrum, cuius iuriſdictio ad alios, quàm Auenionenſes pertineat, quamuis intra ipſorum fines conſtitutum ſit. Refertur & ager ad longitudinem, vt cùm dixit Horatius:

Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum.

BRECHÆVS.

AGER. ¶ M. Varro *in lib. de ling. Lat.* Agrum ſcribit dictum eſſe, in quam terram quid agebant, & vnde quidem agebant aliquid, fructus cauſa. Id Græci dicunt ἀγρόν, vt ager, quòd agi poterat. Quintil. *lib. 1. c. 10.* tradit ex ipſo Varrone, agrum dici quòd in eo aliquid agatur. A Græcis ἀγρὸς dicitur παρὰ τὸ ἄγειν, vel quòd ſemper in eo aliquid fiat, ſicut apud Latinos, vel quod ſemper aliquid in eo veluti præda capiatur. ἢ παρὰ τὸ ἀρῶ τὸ ἀροτριῶ, ἀρὸς καὶ ἀγρός, quòd & arando & coaptando agrum, aliquando lucrum, aliquando etiam damnum conſequamur. ¶ Ager autem ſignificat rus, villam, domum: totámque eam poſſeſſionem quæ in agro extra vrbem complecti ſolet. Vnde ἀγραυλεῖν Græcis eſt ruſticari, in villa degere, in vrbe non habitare, Budæo teſte. Promiſcuè etiam nonnunquam & alterum pro altero ſumitur.

Virgilius libro primo Georgicon.

Sæpe etiam ſteriles incendere profuit agros.

Et iterum paulò pòſt,

Latus ager, nullo tantùm ſe Myſia cultu
Iactat, & ipſa ſuas mirantur Gargara meſſes.

Iterum paulò pòſt,

Et cùm exuſtus ager morientibus æſtuat herbis.

Eſt quoque apud Horatium in lib. Epod. Od. ſecunda.

Beatus ille, qui procul negotiis,
Vt priſca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet ſuis
Solutus omni fœnore.

Et libro primo Carminum.

Mercator metuens otium, & oppidi
Laudat rura ſui.

Plin. *lib. 3. Epiſtol.* Caluiſio Ruff. Iam, inquit, quod deliberationis noſtræ caput eſt, agri ſunt fertiles, pingues, aquoſi: conſtant campis, vineis, ſyluis, quæ materiam, & ex ea reditum, ſicut modicum ita ſtatum præſtant. Idem *lib. 1.* Bebio Hiſpano. Nam, ait, mala emptio ſemper ingrata eſt, eò magis quòd exprobrare ſtultitiam domino videtur. In hoc autem agello, ſi modò arriſerit precium, Tranquilli mei ſtomachum multa ſollicitant: vicinitas vrbis, opportunitas viæ, mediocritas villæ, modus ruris, qui auocet magis quam diſtringat. Quo loco videtur Plinius nonnihil ponere diſcriminis inter agrum, villam & rus: Ita tamen vt ager hæc omnia comprehendat. Te tamen hoc vnum velim admonitum, nec agrum, nec etiam rus, villam eſſe: ſed villam in agro, ſeu in rure eſſe dicimus. At verò ager in quo ædificium eſt, fundus dicetur. Ex quo (ait Fran. Connanus *lib. 4. Com. iur. ciuil. c. 5.*) poſſumus conijcere fuiſſe hoc vocabulum Latinis generale ad omnem locum ruſticum, in quo ſeri, plantari, aut ædificari poteſt: vbi poſtquam aliquid factum eſt, nomen mutat, aliúdque ſibi proprium aſſumit à re cui deſtinatur. Vt ager proſciſſus ad ſerendas ſegetes, aruum dicitur: plantatus autem & conſitus arboribus aut vineis, arbuſtum, plantarium, vinetum nominatur. Ædificatus verò, villa eſt: in villa, eſt locus qui area dicitur, ab ariditate, quòd ſolibus ſiccanda relinquitur vt ſit ad trituram opportuna. Hæc ille. Cæterum, quis ſit ager publicus, vectigalis, & tutelatus, videbis apud Alc. *lib. 1. Parerg. c. 36. et 38. ex Agen. Vrbic. de lim. agro.* Qui igitur ager ſeritur frumentis, aruum nominatur. ¶ Adhæc, ager eſt, vt ſcribit Valla *lib. 4. elegan.* tum circumiectum ipſi vrbi territorium: vt ager Campanus, ager Leontinus, ager Faliſcus τὴν ἔξω χώραν. Cicer. *Philip. 6. ſub fin.* De exercitu autem C. Cæſaris ita cenſeo decernendum, Senatui placere, militibus veteranis, qui Cæſaris Pontificis, authoritatémque huius ordinis defenderint atque defendant, his, liberiſque eorum, militiæ vacationem eſſe. Vtque C. Panſa, A. Hircius Conſules, alter ambóue cognoſcerent, qui ager colonus eſſet, quo milites veterani deducti eſſent, qui contra leg. Iul. poſſideretur, vt is militibus veteranis diuideretur. De agro Campano, ſeparatim cognoſcerent, &c. T. Liuius *lib. 4.* Ager diuiſus eſt qui Campanorum fuerat. Sipontum item, in agrum qui Arpinorum fuerat, coloniam ciuium Roman. alij triumuiri D. Iuni. Brutus, M. Bebius Pamphi. M. Heluius deduxerunt. Idem *lib. 1. Decad. 4.* Exitu, inquit, huius anni, cum de agris veterum militum relatum eſſet, qui ductu atque auſpicio proconſulis Scipionis in Aphrica bellum perfeciſſent, decreuerunt patres, vt M. Iunius Prætor vrbis, ſi ei videretur, decemuiros agro Samniti Apulóque, quod eius publicum pop. Rom. eſſet, metiendo diuidendóque crearet. Memineris autem oportet, cùm de ſingularum vrbium territoriis agitur, agros in numero plurali nunquam enunciari, ſed ſingulari tantùm. Quod etiam Valla annotauit.

FORNERIVS.

AGER. ¶ Vectigalium agrorum, tributariorum, ſtipendariorum, ſuperficiariorum nomine in rem quoque actio competit. Quorum poſſeſſores, quamuis minùs propriè, domini tamen ſunt quadantenus: ideóque reiuindicationem habent, & Publicianam. *l. 1. ſi ager vectig. l. 12. poſſeſſores. C. de fund. patr. l. 73. in ſpeciali ſi. & ll. ſeqq. de rei vend. l. 12. cum ſponſus. de publ. in rem act.* ¶ Ager autem definitur, locus ſine villa, id eſt, interpretibus Græcis, ſine ædificiis, ὁ χωρὶς τῆς κώμης, ἤγουν τῶν οἰκημάτων τόπος. ¶ Inde arrepta occaſione, de Stipendiarij ac Tributarij notatione diſſeruit Vlpianus, à Stipe, & Tributo. Quod & Theophilus docet §. *per traditionem. de rer. diuiſion.* & à nobis fuſius exponetur in *l. 115. quæſtio. ij. h. tit.*

§. j. STIPENDIVM à ſtipe appellatum eſt, quod per ſtipes, id eſt modica æra colligatur. Idem hoc etiam tributum appellari Pomponius ait. Et ſanè appellatur ab intributione tributum: vel ex eo, quòd militibus tribuatur.

ALCIATVS.

STIPENDIVM. ¶ Sic merces militum dicitur, ſicut & ſalarium: ea erat denarius in ſingulos dies Tacito *lib. 1.* qui vnciæ argenti octaua pars eſt. Tributum etiam appellari Pomponius ait: ſed Tacitus *lib. 20.* tributum accipit, quod prouinciales ipſi præſtant: ſtipendium, cùm militibus datur. Neque quies, inquit, gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt. Loquitur autem de tributis Galliæ, quæ cum à Iulio Cæſare in prouinciæ formam eſſet redacta, impoſitum illi vniuerſæ fuit ſtipendium (Seſtertij nota eſt Voluſio Mætiano) H.S. quadringenties, quæ ſumma eſt decies centena millia aureorum, cùm hodie ter tantùm de Francia, quæ Galliæ pars eſt, reges accipiant. Stipendiariæ autem omnes prouinciæ populi Roman. erant, Italia non erat, & ſi quæ vrbes ius Italicum haberent, vel fœderatæ eſſent. *l. 1. C. ſine cenſ. l. 1. ſuprà, de cenſibus.*

BRECH

BRECHÆVS.

STIPENDIVM. ¶ Militibus qui merebant, ſolebat ſalarium dati, quod propriè Stipendium dicebatur. Vnde merere dicebantur ipſi milites, id eſt, ſtipendia facere, cùm ſpe præmij militabant. στρατείας στρατεύειν à Græcis, Budæo authore. T. Liuius *Dec.3.lib.7.* Illis omnibus (& multi erant) adempti equi, qui Cannenſium legionum equites in Sicilia erant. Addiderunt acerbiatati etiam tempus, ne præterita ſtipendia procederent, iis qui equo publico meruerant: ſed dena ſtipendia equis priuatis facerent. ¶ Quo autem tempore primum fuerit Romæ ſtipendium militare iuſtitutum, ipſe T. Liuius *Dec.1.lib.4.ſub fin.de* Anxuris expugnatione loquens, ampliſſimè ſcribit. Ex publico autem ſtipendium accipiebatur, id eſt, ex eo vectigali quod Po. Rom. penſitari ſolebat, quodque Græci ἔρανον, id eſt, collationem dicunt. Nam ἐρανίζειν colligere, corrogare, emendicare, atque etiam inter ſeſe conferre ſignificat, vt ſuperius admonuimus ex Budæi ſententia. Rectè igitur ſtipendium Vlpian. à ſtipe dictum putat, quòd per ſtipes, id eſt, modica æra colligebatur. Stipem enim Græci quoque ἔρανον à contributione dixerunt, quem quidem ſtipem modici valoris fuiſſe, ex antiquorum ſcriptis apertiſſimè conſtat, & teſtis eſt *Alex.ab Alex.lib.4.genial.dierum.cap.24.* Colligebatur itaque ſtipes per æra modica, ex quo ſtipendium Senatus decreto, milites acciperent veluti ex publico: cùm ante id tempus de ſuo quiſque functus eo munere eſſet, authore Liuio. Milites ſiquidem Romanos diurno ſtipendio denarium meruiſſe ſcribit ex Thucydide do. Bud. *lib.5.de aſſe.* Sic miles Athenien. binas drachmas ſuo famuliſque nomine accipiebat, id ſtipendium erat in menſem ſexagenæ drachmæ, quæ ære noſtro ſenos aureos coronatos valent, id eſt, denos francicos & ſemiſſem, eodem Budæo teſte *lib.5.de aſſe.* Apud nos autem qui minimo merent pedites, in menſem centenos ſolidos accipere ſolent, id eſt, quinos francicos: qui plurimo, ſeptenos francicos, quam mercedem menſtruam Germani apud nos acceperunt.

Tributum appellari. ¶ Quoniam (vt diximus) ſolebat vnuſquiſque de ſuo contribuere: id eſt, ἐρανίζειν, quo ſolueretur ſtipendium his, qui merebant militibus, hoc ideo ſtipendium tributum appellabatur, τοῦτ᾽ ἐστι ἔρανος. Hinc pecunia attributa dicebatur quæ in ſtipendium militum de ærario (quod ab ære graui dicebatur, antequam nummus argēteus eſſet percuſſus, idque antè Pyrrhi deuicti tempora) à tribunis ærariis adnumerari Quæſtoribus ſolebat, teſte Aſconio. T. Liuius eodem *lib.4.* Poſtremò indicto iam tributo, edixerunt etiam Tribuni auxilio ſe futuros, ſi quis in militare ſtipendium tributum non contuliſſet. Patres benè cœptam rem perſeueranter tueri, conferre ipſi primi: & quia nondum argentum ſignatum erat, æs graue plauſtris quidam ad ærarium conuehentes, ſpecioſam etiam collationem faciebant. hæc ille. Inde intelligimus quare milites dicebantur æra merere: & emeriti milites: emerita item ſtipendia, cùm ſcilicet vacationem militiæ, veterani milites impetrarant. Præterea & ſtipendiarij erant populi qui certis conditionibus, pactiſque penſionibus in amicitiam cum Romanis venerant: ac differebant à liberis & fœderatis, de quibus Plin. *lib.3.naturalis histo.cap.2.* Quo loco tradit Municipia ſtipendiaria apud Romanos cxx. fuiſſe. ¶ Quod reliquum eſt, Milites & qui merent in caſtris nō poſſunt, neque ſuam, neque aliorum cauſam in forenſi paleſtra agere. Si qua autem ſit illis controuerſia, debent cognitorem dare. hoc eſt *in l.qui ſtipendia.et l.quicunque.C.de proc.*

FORNERIVS.

STIPENDIVM. ¶ Harum vocum originem ac ſimilitudinem M. Varro ſub finem *libri 4.de lingua latina* his verbis aperiens. [Tributum, inquit, dictum à tribubus, quòd ea pecunia quæ à populo imperata erat tributim à ſingulis pro portione cenſus exigebatur. Id quod attributum erat, æs militare, Græci hic ἀπὸ τῆς κλάσεως τοὺς καταβάλλοντας ἢ ἐπιμερίζοντας τοῖς στρατιώταις.] Theophilus *tit.de libertinis..* [ἐπὶ τὸ ἐν καιρῷ πολέμου κατὰ τὸ μέτρον τῆς ἰδίας οὐσίας ἕκαστον εἰσφέρειν.] Iſidorus *lib.16.cap.17.* Etymolog. [Stipendium, inquit, à ſtipe pendenda nominatum. Antiqui enim pendere pecuniam ſoliti erant, magis quàm numerare,] & *c.24.in verb.* [Trutina.] Idem & *de tributis.cap.17.* [Stipes, id eſt modica æra.] ¶ Græci, διὰ τὸ ἀπὸ τῶν λεπτῶν ἀργυρίων συνάγεσθαι. Theophilus. *§.nunc admonendi.quib.alien.lic.vel non.& §.1.quib.mod.re contr.ob.* Plin. *lib.33.cap.3.* Varro iterum, [hoc ipſum, inquit, ſtipendium ab ſtipe dictum, quòd æs quoque ſtipem dicebant. Nam quod aſſes libræ pondo eſſent, qui acceperant maiorem numerum non in arca ponebant, ſed in aliqua cella ſtipabant, id eſt, componebant, quo minus loci occuparet, à ſtipando ſtipem dicere cœperunt.] Hæc ille. Valentinianus & Valens, [Non ad compendium, ſtipémque deformem hæc arripiatur occaſio, ſed laudis per eam quærantur augmenta.] *l.6. C.de poſtul.* ¶ De tenuibus nummis, qui æri graui opponuntur, déque rei nummariæ ratione, plura congerere institui, ad *l.159.etiam aureos.ℸ.h.t.*

XXVIII. PAVLVS lib. xxj. ad Edictum.

ALIENATIONIS verbum etiam vſucapionem continet: Vix eſt enim, vt non videatur alienare, qui patitur vſucapi. Eum quoque alienare dicitur, qui non vtendo amiſit ſeruitutes.

ALCIATVS.

ALIENATIONIS. ¶ Alienationis verbum latè patet: nam ad directi & vtilis dominij tranſlationem, ad vſucapionem, ad pignoris nexum refertur, *l.fin.C.de reb.alien.* idque ſiue à lege, ſiue in contractu, teſtamentóue prohibita ſit. *nulli.de reb.eccl.* Sed hoc quidam intelligunt, quum id nominis largè ſumitur, alioquin propriè alienationem eſſe, quum directa dominia transferuntur, *l.1.C. de fund.dot.* Et ideo ſi in aliquo argumento odioſo vel pœnali, vel alioquin propriè accipiendo, alienation

nationis mentio fiat, pignoris quod veriſimiliter luendum ſit neaus, *l. qui habebat. de legat.* 2. vel hypotheca, vſusfructúſue conſtitutio non probibebitur. *l. non alienat.* ↄ. *in* 1. Ego & iſtis caſibus propriè alienationem fieri non dubitauerim: quum enim de iure rei diminuatur, in aliúmque transferatur. quod tranſlatum eſt negari non poteſt eſſe alienatum. Sed in eo vertetur coniectura an de huiuſmodi tranſlatione partes egerint, idque ea ratione legis, vel cauſa contractus diſcernitur, *l. ex hoc.* §. 1. ↄ. *de alien. iud. mut.* ita vt in dubio à verbis non recedamus. Finge duos tyrannos ita conueniſſe, ne aliqoid de territorio alterius in alterum alienari, acquirique poſſit, de iure hypothecę interim actum non cenſebitur: *l. in quorum.* ↄ. *de pignor.* quoniam huius pactionis veriſimile eſt eam fuiſſe rationem, quòd more aqoilarum vicini eſſe nollent, quæ ratio in ſimplici bypotheca non procedit, niſi cùm iure pignoris dominium impetraretur. *l. 1. C. de iure dom. impe.* Quapropter licebit creditori id ius alteri cedere ne verbis pactionis teneatur. Nam & prohibita alienatione permutatio quandoque permittitur: quum cauſa probibitionis ſola fuit, ne quis facultatibus labetetur. *l. fin.* ↄ. *de iure dot.* ceſſat enim ratio, quum tantundem ea permutatione conſequuturus ſit. Idem ſi rerum particolaris affectio nulla fuerit. *l. peto.* §. *fi. de leg.* 2. Sed nunquid quod de alienatione dicitur, locum ſibi vindicet, ſi lex emptionis venditioniſque verbo vtatur? Et idem eſſe traditum eſt. *Bart. d. l. in quorum.* quoniam lea 12. tabularum emptionis verbo omnem alienationem complectitur, *l. ſtatuliber.* §. *Quintus.* ↄ. *de ſtatulib.* ſed in ea lege id erat, qooniam quælibet alienatio per imaginariam emptionem, ſicut & hæredis inſtitutio, & emancipatio celebratur. *l. fin. C. de præd. decur. lib.* 10. Obſeruabimus itaque, an ratio legis generaliter procedat, vel in ea tantum contractus ſpecie. *Iaſon l. fin. C. de iure emphyteut.*

Vſucapionem. ¶ Quod ergo alienare prohibemur, vſucapi quoque non poterit. *l. vbi. ſupra, de vſuc.* vt nemo non fatetur. Sed quandoque non procedere videtur: nam minor alienare immobilia non poteſt, ea tamen boc iure præſcribi poterat. *l. ſi. C. in quib. cauſ. in integrum.* io quo magna eſt altercatio. Ipſe negauerim eorum alienationem ſimpliciter probiberi: oratio enim diui Seueri ſolum ſe interdicere tutoribus & curatoribus, ea ne diſtrahant ſine cauſę cognitione aſſerit. *l. 1.* ↄ. *de reb. eo.* Nec obeſt quod adoleſcentes ipſi etiam alienare prohibeantur, quia hoc oon eſt propter res ipſas introductum: ſed qoia in bis qui ſecum geruntur, præſumuntur propter facilitatem labi. *l. 3. C. de in integrum reſtit. minor.* quę ratio in præſcribente, qoi nihil cum eis agit, locom non habet. Sanè & res litigioſa alienari non poteſt, & tamen præſcribi poteſt. *l. 1. C. de longi temporis præſcript.* quod ideò eſſe Accurſius tradit, qooniam vitium hoc rem ipſam non adficit. Ego accepi, licet id vitium, perempta inſtantia duret, non tamen alienationem rei factam irritam eſſe. *Bar. l. cenſemus. C. de litig.* quapropter nec pręſcriptionem. Et ea hoc conſequens eſt, vt quibos caſibus prohibitio alienationis non efficit, quò minus diſtractus valeat, vſucapio quoque procedat. *l. ea lege. C. de cond. ob cau.*

Vix eſt. ¶ Interpretatur enim lea, qui patitur vſucapi, eum alienare: quę interpretatio cùm ea iuris antiqui ęquiparatione proueniat. generaliter etiam in correctoriis locum habebit. Hinc eſt, quod ſi ea forma legis municipalis non poſſit ſententia dici nulla, niſi intra triduum, eo lapſo non poterit neque eacipi. tanquam iuriſdictio in iudice non eſſet, qui enim terminum labi permiſit, magis ex facto ſuo, quam ea iudicis ſententia videtur eacluſus, nec vlterius erit audiendus, vt Paulus Caſtren. reſpoodit, *conſil.* 329. *Alexand.* 105. *in* 5. *Calc. conſil.* 15. cuius ſententiam etiam alij probant.

Non vtendo. ¶ Alij codices, abutendo: ſed communis lectio magis conuenit. Hincqoe argumentum ſumitur, idem eſſe ſiue expreſsè quis alienet, ſiue tacitè per lapſum temporis: quandoque tamen tacita hæc alienatio efficacior eſt. *l. 1. C. qui ad.*

BRECHÆVS.

ALIENATIONIS VERAVM. ¶ Res mancipi, dicebantur, quas alienari nefas non erat, quod & Abalienari dicebatur. Cicero *in Topicis*, Abalienatio eſt eius rei quæ mancipi eſt, aut traditio alteri nexu, aut in iure ceſſio, inter quos ea iure ciuili fieri poſſunt. Boëthius autem ipſius Ciceronia verba eaponens, ait. Omnes res quę Abalienari poſſunt, id eſt, quę à noſtro dominio ad alterius tranſire puſſunt, mancipi dictę ſunt. Idipſum quidem quomodo fieret, latè Caius inſtitutioonum libro primo declarat. Eſt igitur alienare, rem quæ noſtra eſt, extra domioium noſtrum poteſtatémque ponere. Conſtantinus Harmenop. *libro quarto Epit. iuris ciuilis tit. de emphyteuſi.* ſcribit Alienationem eſſe perfectam venditionem. *Πάλιν δὲ ἡ ἐκποίησις τελεία πρᾶσίς ἐστι, καὶ μετὰ τὸ γενέσθαι, τὴν καταβολὴν τοῦ τιμήματος, οὐκέτι καταβάλλεται τὶ ὁ ἀγοραστὴς οὐδὲ ἀναγκάζεται κατ' ἔτος διδόναι τι.* Ea ſi quidem alienatione facta, ſoluto videlicet precio, tutus erit emptor, ne quid annui penſitare cogatur. Quo loco ponit diſcrimen iotet venditionem atq; Emphyteuſim, quæ ſingulis annis præſtat aliquid. Quod autem ſcribit Cooſtaotin. alienationem eſſe perfectam venditionem, hoc accipiendum erit, vbi venditor alienatæ à ſe rei precium acceperit. Is enim alienaſſe dicitur, qui ſolutionem accepit: qoæ ſententia eſt Bartoli in *l. verò. de procurator. & in l. non ſolùm. ff. ſoluto matrimonio. quemadm. dos petat.* vbi citat in hanc rem *l. qui hominem.* §. *qui Titium. ff. de ſolut.* Quo circa ille perinde ac venditor, de euictione tenetur. Innocentius *in cap. ſi quis. de reb. eccleſ. alienand.* ¶ Eſt igitur lata ſignificatione alienatio, venditio. vide quæ ſcripſimus ↄ. *hoc tit. l. alienatum.*

Vſucapionem. ¶ Res prohibita alienari, probibetur quoque vſucapi. *l. vbi lex. & ibid. gloſſ. & doct. not. ff. de vſuc.* Ecce enim cùm res pupilli alienari nequeant, certè eadem ratione vſucapi nefas eſt. *Gloſſ. in l. vnic. C. ſi aduer. vſuc. Text. eſt in l. ſi fundum. ff. de fund. dot.* Sic igitur qui rem ſuam vſucapere non prohibet. propius eſt vt videatur eam velle alienare. Sed hæc impropria quidem ſignificatio eſt, & *καταχρηστικῶς* vſurpata. Nam ea ea alienatione non debentor patrono, dominóque benefici prædij obuentiones cenſualis fundi: quod in vera alienatione ſeu venditione aliter ſe babet. Neque tamen cenſetur alienare velle, qui puſſeſſionem negligit tantùm atque omittit. *l. item ſi.* §. *poteſt autem. ff. de*

alien

alien iud.mut.cauſ.fact. Quid an res pignori data, alienata videatur? Reſpondet Scæuola, non videri, ſi modo in proprium patrimonium, (quod ferè ceſſante debitore fit) non ſit redacta. *l.qui habebat in prouincia.ff.de legatis tertio.* vbi Accurtius notat *in verbo redacta.l.legata.ad fin.ff.de ſupellect.legat.* Vnde fit, vt ſi res pignori obligata minor ſit credito, aut ſortem vſuræ longè excedant, alienata cenſeatur, ſicut ſentit Bartolus *in l.rem legatam. ff.de adimen.legat.per dictam l. legata.de ſupellect.legat.* Quod autem dicitur alienationis verbum vſucapionem etiam compræhẽdere, cum diſtinctione accipiendum eſt. Nam aut res alienari prohibetur, aut omnino permittitur. Ea item prohibitio vel ab homine tantùm, vel à lege manat. Si quidem prohibitio eſt ab homine, veluti à iudice, certe in quorum finibus emere quis prohibetur, pignus accipere non prohibetur. *l.in quorum.ff.de pig.* Si à lege prohibitio fit, earum videlicet rerum quarum commercium non eſt, vt ſunt res ſacræ, & cætera id genus, quoniam eas alienari lex vetat, eaſdem quoque pignori dari non ſinit, vt Diuus Pius Claudio Saturnino reſcripſit. *l.1.§.eam rem.ff.qua res pign. vel hypoth.oblig.non poſſ.l.non licet.de contrah.empt.* Generalior eſt ſententia *in l.ſancimus.C.de reb.al.non al. & de prohib.re.al.vel hyp.* hac quippe diſtinctione intelligenda eſt. *d.l.in quorum.*

Eum quoque. ¶ Dixit Paulus rem ſuam alienare videri eum qui patitur eam vſu authoritatéque in alterius tranſire dominium: conſequens eſt vt idem de eo quoq; cenſeatur, qui cùm ſibi deberetur ſeruitus, vſum eius negligendo, eam ipſam perdit. Ecce enim ſi per tuum fundum via mihi debeatur, eo autem in loco per quem ea viæ ſeruitus deberetur mihi, ædificare te, aut quiduis aliud facere ſciuero, ſaltem non prohibuero, ipſum ius viæ ſic amitto. *l.ſi ſtillicidij.ff.quemad.ſer.amit.* Ea quidem ratione videor hanc ipſam, quæ mihi debebatur, ſeruitutem, non vtendo, velle alienare, id eſt, in alterius dominium tranſire: nam hæc mea patientia, qua quidem abutitur aduerſarius in vſurpanda ſeruitute quæ mihi debetur, pro traditione poſſeſſionis eſt accipienda. *l.quoties.in l.2.de ſeruit.* huic autem potiſſimum ſententiæ locus erit, ſi ea quæ debetur ſeruitus ſit continua, & ſingulorum dierum. Qua ratione Seruius ſcribit perdere eum, non vtendo ſeruitutem: quia id quod habet quotidianum ſit. *l.ſi ſic.d.tit.quemad.ſer.amit.l.ſi aquam.C.de ſer.& aqua.* Quid de facultate dicas quæ alicui competat, an ſi quis longo tempore eius facultatis vſu abſtineat, perdere eam cenſeatur? Panorm. *in c.quoniam in frequenter.§.in aliis.ext.vt lit.non cont. & in c.cùm ſit generale extr.de fore comp.* hos gryphos diſſoluit: ac contendit eam facultatem, non vtendo, nequaquam amitti, etiam ſi quis totos centum annos minimè ea ſit vſus, ſi modò nulla interim neceſſitas vtendi interceſſerit, ac nihil opus fuit vſu. Idem etiam de ſeruitutum iure incorporali ſentiendum exiſtimo, vt ſcilicet, vſucapi nequeant hæ ſeruitutes patientia domini, & non vtendo: quando maximè cauſam interpolatam diſcontinuámque habent. *l.ſi alienare.§.hoc iure.ff.de vſuc.* Quandoquidem res ſine poſſeſſione, vſu authoritatéque non ſolet quæri. Atqui iure incorporalia poſſideri non poſſunt: imo verò traditionem ac vſucapionem ea non recipere ſcribit Caius *in l.ſeruus.§.incorporales.ff.de acquir.rer.dom.* ¶ Quod reliquum eſt, vſucapionem alienationis verbo, propria ſignificatione, non contineri, ἀλλὰ καταχρηστικῶς, haud dubiè cenſebimus: cùm & ſine traditione, & euictionis onere alienatio nulla ſit. Nam & principem ſeu principalem alienatorem de euictione ſolum teneri Innoc. ſcribit *in cap.ſi quis. de reb.eccleſ.alienan.vel non.* Vnde arbitror hîc Paulum iureconſ. alienationis nomen poſuiſſe pro eo quod eſt rem in alienas manus tranſire: quod etiam furto fieri poteſt. Vide Chaſſan. *tit.Des fiedz.§.8.in verbo, En alienation & transport Conſuetud.Burgund.*

FORNERIVS.

ALIENATIONIS. ¶ Latiſſimè patet alienationis vox, ſuóque ambitu non modò dominij tranſlationem, ſed & quamlibet iuris noſtri imminutionem, ſeruitutis, vſusfructus, pignoris conſtitutionem, ſeruorum manumiſſionem complectitur. *l.vlt. C.de reb.alien.non al. diuiſionem. l.vlt.C. comm.vtr.iud.* & vt hic traditur vſucapionem. ¶ Ideóq; lex Iulia fundi dotalis alienationem prohibẽs, impedit & ipſius vſucapionem: emptori vel donatario fundi dotalis, quia lex vſucapioni reſiſtit, bona fides non ſuffragabitur. *l.12.cùm ſponſus.§.ſi res.de Publ.in rem actl.l.24.vbi lex.de vſucap.* Alienationis à lege interdictę exempla ſumuntur de rebus pupillaribus, *tit.de reb.eor.tit.de præd. Eccleſiaſticis.l.14.iubemus.C.de ſac.eccl.litigioſis.l.3.de litig.Nouell.112.dotalibus.§.1.quib.alien.lic.tit.de fund.dot.l.vn.C.de rei vx.act.* Decurionum prædiis. *Nouel.101.tot.tit.C.de præd.dec.* Caſſiodor. *lib.2.epiſt.11.* rebus communib. poſt acceptum diuiſionis iudicium. *l.13.alienationes.ff.fam.er.* Vbi autem lex alienationem inhibet, per conſequens huius l.argumento vſucapionem quoque vetat. *l.14.ſed etſi.ff.fa.erc.l.antep.de fun.dot.* Nec tum bona fides poſſidenti quicquam prodeſt. *§.furt.de vſuc.l.24.vbi lex.ff.de vſuc.* Nec publiciana actio. *l.cum ſponſus.§.ſi res.de Pub.in rem act.* ¶ Non tamen perpetuò eadẽ alienationis, & vſucapionis aut præſcriptionis ratio eſt. Res litigioſa non alienatur. *l.2.3.4.C.de litig.* eandẽ tamen vſucapi nihil vetat. *l.ſi poſt.ff.de rei vind.* Pronius eſt, quędam tacito temporis ſuffragio nanciſci, quàm aperta alienatione. ex collatione *l.5.C.de vſur.cum l.37.Imperatores.ff.de pact.l.12.præſes.C.de tranſ.* Res minorum directo non alienantur: vſucapi potuiſſe conſtat *ex l.vlt.C.in quib.cauſ.in integ.reſtit.* Differentia in eo verſatur, quod in vſucapione bona fides, temporis ſuffragium, legis authoritas, dominiorum ſecuritas, poſſidenti patrocinantur: At verò qui cum minore negotium contrahit, cum ętatis lubrico lapſum circumueniſſe creditur. *l.1.de min.* Dion περὶ ἀπιστίας. Caſſiodorus *lib.4 epiſt.35.* Quamobrem etſi teſtator fundum de familia, aut nomine ſuo exire prohibuerit, nihilominus ſi quæ ad vſucapionem deſiderantur, adminicula acceſſerint, poſſeſſione capi placet. *d.l.114.filiusfam.§.diui 2.de leg.1.* Scilicet nihil patrisf. aduerſus leges commentum valet. *l.55.nemo.de leg.1.l.1.l.4.C.de vſuf.l.5.quidam.de adm.tut.* Eleganter Quinctil. [Potentius quod albo (id eſt lege vel edicto) quàm quod teſtamento continetur.] *decl.374.l.2.ff.de iis qua pœn.nom.Nouell.22.Non vtendo amiſit ſeruus.* ¶ Sic tutor qui non

vtendo

vtendo vſumfructum pupillo debitum amiſerit, reſtaurare cogetur. *l.3.de reb.cor.* Si maritus fundum dotalem vſu fuerit capi, vxori tenebitur. *l.antep.de fund.dot.* [Qui non vtendo.] Imò etiam aliter ac tempus, modus, & ratio impoſitæ ſeruitutis ferat, vtendo: Vel id permittendo fieri, quo ſeruitutis vſus interuertatur: vt ius ſtillicidij in alienam aream habens, ædificari ſinat: vel viam iterve per alienum fundum habens, quid in eo dominum moliri permittat, ſeruitutem amittet. *l.8.ſi ſtillicidij. l.10.ſi communem.quemad.ſeru.amitt.* Imò & ad fontem hauſtum habens, non modò ius hauriendi non vtendo, ſed & iter quoque amittit. *l.17.Labeo.eod.tit.* Excipe iter ad ſepulchrum, quod non vtendo nunquam amittitur. *l.4.eod.* Et cum beneficio minoris, quocum cõmunem fundum maior habet, retinetur ſeruitus. *d.l.10.ſi communem.* Sanè & cum nulla negligentia, ſed vi maiore vti non licet ſeruitute: quamuis amiſſa, reſtituitur ex æquitate: vel ſi fons æſtate exaruerit, & haurire non potuerim: vel propter inundationem itinere, aut actu non ſim vſus. *l.25.* & Attilicinus, *de ſeruit.præd.ruſtic. l.2.§.ſi quis propter.de itin.actuq́; priuat. l.14.ſi locus, quemad.ſeru.amitt.* De tempore autem præſcribendæ ſeruitutis vel libertatis, *l.18.ſi quis ſi.eod.tit. l.4.de vſucap. l.1.l.3.l.10.ſi ubi.l.pen.& vlt.C.de ſeru.*

Amiſit. ¶ Rectè additur, [non vtendo:] Quia ſimpliciter amittere, non tantùm perdere ſignificat, ſed vltrò cedere: veluti amittere ſeruitutem, vſumfructum pro remittere: amittere debitorem, pro liberare & abſoluere, *quitter, abandonner.* Aues liberare, pro laxare ac dimittere, *laſcher, affranchir:* genus dicendi inuentu fortè rarius, confirmatur. *l.5.de fund.do. l.15.ſed et ſi quid.de vſufruct. l.31.ſi rem.§.ſi duo.de nouat. l.5.pro derelict. l.vlt.C.de pact.pign.*

Q V I occaſione acquirendi non vtitur, non intellegitur alienare: veluti qui hereditatem omittit, aut optionẽ intra certum tempus datam non amplectitur.

ALCIATVS.

NON INTELLIGITVR. ¶ Meritò lex in hereditate exemplum poſuit, quoniam ea nonniſi adeunti acquiritur, in legatis aliud eſt, quæ ipſo iure in legatarij dominium tranſeunt. *l.à Titio.de fur.* vnde repudiat dominium ſibi iam quæſitum abdicat, meritò alienare cenſetur. *l.magis.§.fundum.de rebus cor.* Sed finge Titio legatam quartam partem bonorum, quum in hoc legato ipſo iure dominium non tranſeat, *l.ſi quis bonorum. de leg.1.* repudians alienare non videbitur. In edicto tamen quo prætor in fraudem creditorum geſta reuocat, non comprendetur qui legatum repudiat, *l.qui autem.quæ in fraud.credit.* quoniam alienationis verbo prætor vſus non eſt, ſed ſimpliciter non permittit fraudationem quę minimè interueniſſe videtur in eo qui id repudiat, quod ex concedentis intentione arbitrarium ſibi fuit acciperet: an non acciperet: nec enim hoc egit teſtator, vt creditorib. prodeſſet. Planè ſi quis ex natura contractus acquirere mihi teneatur, in eo quod dolo malo fecit, ne acquireret condemnabitur. *l.2.§.non tantùm.de hered.vend.* Idem ſi non ex natura contractus teneatur, ſed vt fraudi lex obuiam eat, in eius rei reſtitutionem aliquam grauauerit, quę non ſolùm peruenit, ſed peruenire ad eum potuit *l.ſed ſi.§.perinde.ff.de petit.hered.*

Optionem. ¶ Quod prius mente optauimus, re ipſa eligimus: quapropter promiſcuè optio, electióque aſſumuntur.

BRECHÆVS.

OCCASIONE ACQVIRENDI. ¶ Qui cùm poſſit quærere, non id agit vt acquirat, neque alienare videtur, neque in fraudem creditorum id ipſum facere. *l.qui autem.ff.quæ in fraud.cred.* Neque verò fit pauperior is qui non acquirit, ſed qui patrimonium minuit. *l.ſi ſponſus.§.ſi maritus heres. ff.de don.inter vir.& vx.* Nec ſi quis hereditatem negligit, aut pro derelicta habet, alienaſſe eam cenſebitur. *d.l.item ſi.ver.neque.de al.iud.mu.cau.fa.* Eadem quoque ratio erit in eo qui cernendæ ius hereditatis eiurauit ſeu repudiauit, vt ea alienatio minimè credatur. Nam cùm alienare ſit (vt dictum eſt à nobis) eius quod in mancipio noſtro eſt, in alterius transferre dominium, & hereditas noſtra dici non poſſit ante eius agnitionem neque in bonis noſtris eſſe. *l.pretia rerum.ff.ad leg.falc.* ſi certè hereditatem cernere detrectauerimus, non eam alienaſſe videmur: cùm nihil omnino quod in bonis noſtris fuerit, in alium à nobis tranſtulerimus. *l.magis puto.§.ſi fundus legatus.ff.de reb.cor.* in ea eſt ſententia Bald. *in l.pupillorum.ad prin.C.de repud.her.*

Aut optionem. ¶ Si cui optio legata ſit, eam autem intra præſtitutum eligendi tempus non amplectitur, non etiam cenſetur alienare. Nam & re integra, & antequàm ſecudiderit heres, audiendus erit legatarius: quoniam damnum ſubiturus non eſt heres, propter quod decernere id prætor ſolet. *l.mancipiorum.ff.eod.tit. Card.clem.1.§.1.de conc.preb.* Sed & ſi prius quàm elegerit legatarius, exceſſerit è vita, hoc ius ad heredem tranſmitti ſcribit Paul. *in l.illud.d.tit.de opt.leg.*

FORNERIVS.

QVI OCCASIONE. ¶ Nec enim videtur rem is amittere, cuius propria non fuit, nec alienare, qui duntaxat omittit poſſeſſionem: Nec fraudantur creditores, cum quid non adquiritur à debitore: ſed cum quid de bonis deminuitur. *l.83.non videtur. l.119.non alienat. l.134.non fraudantur.ſ.tit.ſeq.* Non poteſt videri à me abalienatum quod meum nunquam fuit, cum alienare ſit de meo alienum facere, *ἀπαλλοτριοῦν* Græci hic. Vnde conceſſum eſt debitori facultates non augere & occaſionem acquirendi negligere. Edictum Prætoris [de iis quæ in fraudem creditorum,] non ad eos, qui id agunt, ne locupletentur, ſed ad deminuentes patrimonium pertinet. *l.1.§.virum.ſ.ſi quid in fraud. l.68.nemo ſin.ſ.pro ſoc.* Si quis ideo conditioni non pareat, ne committatur ſtipulatio, non facit edicto locum, ſicut nec qui hereditatem repudiauit: quiue filium ſuum, vti ſibi arbitrio ſuo hereditatem adiret: legatúmne ſib

ne ſibi delatum repudiauit: ſeruúmue ſuum hæredem inſtitutum, vt iuſſu emptoris hereditatem adiret, vendidit: niſi fraus ſit, tunc enim geſtum eiuſmodi reuocatur *l.6. de iis quæ in fraud. cred.* Nam qui dolo facit, quo minus haberet, pro eo habetur, ac ſi haberet. *l.157. ad ea. ỹ tit. ſeq.* Neque obſtat. *l.19. patrem. l.20. debitorem. ỹ. de iis quæ in fraudem cred.* Vbi ſcriptus heres rogatus reſtituere poſt diem, ſi nulla ratione habita Falcidiæ id eſt Trebellianicæ, vniuerſam hæreditatem ſtatim fideicommiſſario reſtituit, fraudem non facit. Et tamen in tempore fraus admittitur, & commodum repræſentationis actioni Paulianæ locum facit. *l.10. ait Prætor. §. ſi cum in diem. l.17. omnes. ỹ. de iis quæ in fraudem.* [In eáque ſpecie inter Trebellianicam quartam, quam ex ſenatuſconſulto retinere ſuo iure poterat, omittendo, videri poſſit, non tam acquirendi occaſionem neglexiſſe, quàm ius ſibi quæſitum fraudandorum creditorum gratia in filium tranſtuliſſe. Sed verius eſt, ea natura fideicommiſſi in quo liceat vberius fidem implere, totum id pendere. *d. l.19. patrem.* [Plenam fidem & debitam pietatem ſequutus exhibitionis.] Quem verſum ad naturalem parentum in liberos inſtinctum, referre nolim: vt Zaſio placuit: Sed ad fidem Exhibitionis, id eſt reſtitutionis. Tum quod fraudis ſuſpicionem magis augeret perſonarum coniunctarum ſtudium ac pietas. *l.27. lata. C. de donat.* Tum quod ſtatim in cap. ſeq. generaliter idem in quouis extraneo herede reſpondetur placere: [Non videri debitorem in fraudem creditorum alienaſſe portionem, quam retinere potuiſſet: totam hereditatem reſtituendo: ſed magis fideliter facere.] *l.20. debitorem. ỹ. de iis quæ in fraud.* Fidei nexus omnem fraudationis ſuſpicionem amouet *l.5. de don. inter vir. & vx.* Vnde obiter concilianda ſunt. *l.1. l.9. error. C. ad leg. Falc. & l.61. Alienus. ỹ. eod. tit.* Vbi fidei plenius exſoluendæ ratio heredi, ſcienter legata ſolida perſoluenti, à quibus quadrantem detrahere potuiſſet, repetitionem tollit. Magis pleniore officio fidei præſtandæ fungitur. *d. l.5.* Sed acrioris pugnæ ſpecies obiicitur ab Vlpiano, Patrem capitis reum, non videri in fraudem fiſci facere, qui filium, vt hereditatem ſibi adeundo quærat, emancipat. *l.26. cum quidam. de iure fiſc.* Paulus verò non ſolùm per donationem, ſed quocunque modo res alienatas reuocari ait. Idémque iuris eſſe, etſi non quæratur: æquè enim in omnibus fraudem puniri. *l.45. in fraudem. de iur. fiſ.* Multi multa: Alciatus *lib.3. cap.19. parergon*, ea verba [& ſi non quæratur,] ſi accipit, Quamuis dominium rei a reo criminis traditæ, in accipientem non transferatur. Quod æquè abſurde ab eo dicitur, atque illud ab aliis, qui apud Paulum quidem reum iam damnatum fingunt, apud Vlpianum verò delatum tantùm modò fuiſſe. Cuius diſtinctionis commentum neutrius reſponſo comprobatur. Mihi autem id inter traditarum alienatarúmue rerum reuocationem, ac fraudis pœnam intereſſe videtur: quòd non aliter fraudati creditores rerum alienationem reuocabunt, quàm ſi debitor eas tradiderit & tranſtulerit. Quod, niſi aliquando in bonis debitoris fuerint, accidere non poteſt. *d. l.6. de iis quæ in fraud. cred. l.1. ſi quid in fraud. patr.* Si tamen nihil alienatum ſit, nihil deminutum, ſed omiſſa tantùm acquirendi occaſione, debitoris fraus, quæ captata ea negligentia videtur, nihilominus caſtigabitur. *d. l.45. in fraudem.* Imò & in fraudatorem ipſum Paulianam dabit Prætor, qui non tam actionis emolumentum, in eo qui exutus eſt bonis, quàm pœnam intuetur *l. vlt. de iis quæ in fraud.*

§. j. ORATIO quæ neque coniunctionem neque diſiunctionem habet, ex mente pronuntiantis, vel diſiuncta vel coniuncta accipitur.

ALCIATVS.

O RATIO. ¶ Coniunctiua dictio vtriuſque rei concurſum requirit, diſiunctiua alterutrius. Finge ergo me ita ſtipulatum, [Titium Pamphilum, Seium dabis,] ſi de mente contrahentium non conſtet, diſiunctiuè deberi Iacobus ſenſit, vt ad minimam ſummam interpretatio redigatur. Accur. idē hoc caſu arbitratur, vt aduerſus eum qui ea verba protulit, fiat interpretatio: tametſi ceſſantibus coniecturis non neget ea coniunctim prolata potius videri. Ipſe à verbis non recederem, quæ in coniunctam erunt: nam & ſimili caſu quandoque Accurſius apponendum punctum affirmat, quod coniunctionis loco ſit.

BRECHÆVS.

O RATIO. ¶ Quod Quintilianus cæterique alij Rhetorici ἀσύνδετον καὶ διάλυτον vocant, hoc Cicero diſſolutum, quidam articulum, quando videlicet multa ſine coniunctione cohærent. Vt, VENI, VIDI, VICI. *Ferte citi flammas, date tela, impellite remos.* Et vt Cicero dixit contra concionem Metelli, qui iudicabantur, eos cuſtodiri, vocati, ad Senatum adduci iuſſi, in Senatu ſunt poſiti: & totus hic locus. Rutilius (ait Quintilianus *lib.9. c.3.* vbi de figuris verborum ſcribit) hoc genus διάλυσιν vocat, eorum quæ poſſunt eſſe copulata, diſſolutionem. Contrarium eſt ſchema quod coniunctionibus abundat, quod πολυσύνδετον Græci appellant, cùm oratio multis coniunctionibus cohæret.

Vt - - Tectumque laremque.

Armáque amycleúmque canem, creſſámque pharetram.

¶ Eſt autem coniunctio, quæ à Græcis συνδεσμὸς καὶ συμπλοκή, cum interpoſitione verbi, & ſuperiores orationis partes comprehenduntur, & inferiores. authore Cicerone *lib. quarto Rheto. ad Herennium:* hoc modo. Tutela eſt vis atque poteſtas in capite libero: perinde eſt ac ſi eſſet ſcriptum, tutela eſt vis ſeu poteſtas. Nam coniunctio ſimilia coniungit, & ſæpius interpretationis loco ponitur, ſicut Chaſſan. annotauit *in Commentar. ad conſuetud. Burg. tit. Des droictz appartenā à gens mar. §.12. not.* Bart. *in l. de quibus. ff. de legibus & ſenſibus*, vt placitum & conſenſus, id eſt, placitum conſenſus, ſic ipſe Bart. ſcribit *in l.1. ff. de pact.* videto Cyn. *in l.2. C. quæ ſit long. conſuet.* Sed quatenus ad exemplum attinet quod deſumpſimus ex *§. eſt autem. Inſtit. de tutel.* Ego quidem eo loci mendosè legi arbitror, vis, pro ius. Nam & Theophilus legit hoc modo. Eſt autem tutela ius & poteſtas. Cuius ea verba ſic ſe habent, ἐπιτροπή ἐστὶν (ὡς Σέρβιος ὁρίζεται) δίκαιόν τε καὶ ἐξουσία κατ' ἐλευθέρας κεφαλῆς δεδομένη, &c. Niſi forſan velis id

potius

potius eſſe *ἀντιστοιχίαν*. Vetuntamen qualitercunque res ſe ſe habeat, hic vis non accipitur pro violenta poteſtate, vt hallucinatur Accurſius, & ſimiliter Bartol. *in l.prima.ff.eod.tit.* ſed pro poteſtate & facultate quadam: vt apud Ciceronem *pro M.Marcello*. Nullius (inquit) tanta vis tantáque dicendi copia, id eſt, tanta dicendi facultas. Et *apud Poetas*.

Non ea vis animo eſt, nec tanta ſuperbia victis.

Sed melius legitur, ius, quàm, vis: *vt in cap.venerabilem.§.verùm.de elect.& ele.pot.in hac verba.* Verùm illis principibus ius & poteſtatem eligendi Regem & Imperatorem poſtmodum promouendum recognoſcimus (vt debemus) ad quos de iure ac antiqua conſuetudine noſcitur pertinere, præſertim cùm ad eos ius & poteſtas huiuſmodi ab Apoſtolica ſede peruenerit, &c. Quo loco hæc copula ſeu coniunctio, &, inter has duas voces IVS, POTESTAS, collocata, non ſignificandi tantùm, ſed & implicandi (vt noſtri doctores loquuntur) vim obtinet: facit enim eiuſdem qualitatis relationem: quod dictionibus implicatiuis regulariter conuenit, vt ſatis annotauimus *in noſtris Aphoriſmis iuriſprud. in verb. Alius. Aphor.6.* Igitur, &, coniunctio aliquando implicat, vt etiam annotauit Vlda. Zaſius *in l.1. ff.de iuriſdict.omnium iud.* ex doctoribus in eandem *l.tibi.& poſſeſſionem dare*, & in bonorum poſſeſſionem mittere. Sed tamen nunquam, &, diuerſa copulat, vt not. Accurſius *in rubr.tit.de iuris & facti ignor.* Et Felin. Sand. *in cap.Gregorius.proœm.decret.* ¶ At verò, quæ neque coniunctionem, neque diſiunctionem habet oratio, ſecundum captum inteutionémque loquentis interpretanda erit, ſicut nos hoc loco Paulus admonet. ¶ Quod ipſum qualiter accipiatur, viderimus. Si teſtator ſcripſerit in hæc verba. Centum anteos pij legati nomine Laurentio volo ex bonis meis erogari, quo die Luteriam, Lugdunum, Turones, mea causa ſe contulerit. Hoc eſt *ἀσυνδέτως*, *διαλελυμένως*, ſeu, vt Cicero vocat, diſſolutum: qualiter, quæſo, intelligas? Sanè iudicandum erit id voluiſſe teſtatorem, vt ſubintellecta diſiunctione, quam tamen omiſerit, ſatisfiat, ſi legatarius vel Luteriam, vel Lugdunum, vel Turones adierit: cùm certiſſimum ſit neminem eadem die, diuerſis locis iiſdémque procul inter ſe ſe remotis, eſſe poſſe. Propius eſt igitur vt ea in re dubiam teſtatoris mentem, ſecundum id quod veriſimilius eſt, interpretemur. Vide *l.ſæpe ita.ꝫ.hoc tit.*

XXVIIII. IDEM lib. lxvj. ad Edictum.

CONIVNCTIONEM enim nonumquam pro diſiunctione accipi Labeo ait: vt in illa ſtipulatione, [Mihi heredíque meo, te heredémque tuum.]

ALCIATVS.

CONIVNCTIONEM. ¶ Grammatici coniunctionem ſimpliciter vocant etiam quæ diſiuncta eſt: quapropter Iuſtinianus *in l.cùm quidam.C.eod.* coniunctionem, inquit, Aut, pro Et, accipi vt videantur copulatiuo modo eſſe prolata, vt magis ſit *συνάφεια*, vt & primam perſonam, &c. Ita enim legendum, & vox Græca ex antiquis codicibus reſtituenda: ſicut vice verſa rhetores diſiunctam orationem vocant, etſi concurſum enunciatorum requirat, dummodo *κῶλα*, id eſt, membra orationis ſeparatim proferantur: cuius rei Aquila Romanus autor eſt. Sed Iuriſconſulti aliter accipiunt, & diſiunctionem appellant, quàm vulgò alternatiuam dicimus, de qua inferiùs latiùs dicetur.

Pro diſiunctione. ¶ Quapropter ſi pater filium, & ex eo nepotes in poteſtate habens ita inſtituat, [Filium & nepotes inſtituo,] Coniunctio naturam ſuam non ſeruat: quoniam ordo charitatis adfectionisque, neque non inſtitutionis neceſſitas ſuadent, vt donec pater viuat, filij non admittantur, ſed ipſe ſolus heres ſit, vt communiter traditum eſt *l.Gallus.§.1.ꝫ.de lib.& poſt.* quod ſi neceſſitas hęc vel affectio non ſubſit, à natura verborum non recedemus.

Meo. ¶ Atqui mentio heredis videtur ſuperfluè addi, quum quis dari ſibi ſtipulatur, *l.cum qui.§.1. ꝫ.de ver.ob.* vtique heredi quoque ſtipulatur, imò ſi alteri ex heredibus tantum ſtipulari vellet, non poſſet: quoniam quum lex xij. Tab. obligationes æquis portionibus inter heredes diuidat, ſupra contingentem portionem cenſentur extranei, & alteri extraneo nemo ſtipulari poteſt. ¶ Sanè illa ſtipulatio, [Mihi heredíque meo,] non ſemper diſiunctiuè accipitur, verúmque eſt Labeonis exemplum, quum in ſtipulationem id deductum non eſt quod tractum habeat, vt ſi mihi, heredíque meo centum promittas. *l.ſtipulatio iſta.§.1.ꝫ.de verb.* ſed ſi per te, heredémque tuum habere licere promittas, item per te heredémque tuum vim non fieri. *l.ſi ſic ſtipulatus.in prin. ꝫ.illo tit.* coniunctionis vim attendemus: inſtáque latiùs hæc attingentur.

BRECHÆVS.

CONIVNCTIONEM. ¶ Poſtquàm docuit nos Paulus, eam orationem quæ neque coniunctionem habet, neque diſiunctionem, interpretandam eſſe ſecundum intellectum eius, qui pronunciat, nunc perſequitur rationem cur id eſſe debeat. Coniunctionem enim, inquit, aliquando pro diſiunctione accipi, Labeo ſcribit. ¶ Eſt autem diſiunctio (quam alij vocant diſiunctiuam, noſtri alternatiuam) propoſitio ex contrariis, quam de diſiuncto extremo nominant: cuius partes ſunt termini contradictorij. Cicero *lib.4. Rhetor.ad Heren.* Diſiunctio (inquit) eſt, cùm eorum de quibus dicimus, aut vtrunque, aut vnumquodque certo concluditur verbo, ſic pop. Rom. Numantiam deleuit, Carthaginem ſuſtulit, Corinthum diſiecit, Fregellas euertit. Nihil Numantinis vires auxiliatæ ſunt: nihil Carthaginienſibus ſcientia rei militaris adiumento fuit, nihil Corinthiis erudita calliditas

præſidij tulit, nihil Fregellanis morum & ſermonis ſocietas opitulata eſt. Item, formæ dignitas aut morbo defloreſcit, aut vetuſtate extinguitur. Hic vtrunque & in ſuperiore exemplo vnamquanque rem certo verbo concludi videmus. Sed Coniunctio eſt cùm interpoſitione verbi & ſuperiores orationis partes compræhenduntur, & inferiores, hoc modo formæ dignitas, aut morbo defloreſcit, aut vetuſtate. Eſt quippe coniunctio Latinum verbum, quod Dialectici propoſitionem copulatiuam appellant, hoc modo. Paulus & iuris peritiſſimus fuit, & eloquentiſſimus. Diſiunctionem quidem ſemper Cicero dixit: diſiunctiuam nunquam, quod legiſſe meminerim. Iam verò coniunctioné aliter Iureconſulti quàm Rhetores & Dialectici vſurpant: volúntque coniunctionis ac diſiunctionis interpretationem non à verbi natura tantùm, ſed à ſenſu vero & argumento eius negotij, quo de agitur, petendam eſſe. Ecce enim ſi quis ita ſtipuletur: promittis te heredémque tuum accepto laturum? Hic coniunctio pro diſiunctione eſt poſita, vt ſit ſenſus. Promittis te vel heredem tuum accepto laturū? Vel ſe quis ſtipuletur Stichum ſibi heredique ſuo dari, ſanè negotij ratio poſtulat, vt intelligatur coniunctio diſiunctiuè poſita: cùm Stichus vtrique dari non poſſit. Qua ratione confugiendum erit ad iuris coniecturas, ex ordine vel ſcripturæ, vel adfectionis enunciantis: vt ſi paterfamilias in teſtamento ita ſcripſerit. Si quis mihi filius aut filia genitus fuerit, heres mihi eſto: ſi mihi filius aut filia heres non erit, Seius heres eſto. Hic cùm non ſatis plana atque aperta ſit teſtatoris voluntas, præſumpta iuris ſuſpitione, diſiunctionem pro coniunctione accipiemus: ſic vt non aliter teſtator Seium heredem eſſe voluerit, quàm ſi nec filius nec filia illi fuerit. Iulianus in *l. ſi is qui ducenta. §. fi. ff. de reb. dub.* Et hocquidem propter directæ ſubſtitutionis naturam vt Bartolo ibidem viſum eſt: & liberorum gratia, qui patri ante omnia cenſentur chariores. Quæ etiam eſt Bartoli ſententia in *l. generaliter. C. de inſtit. & ſubſtit.* quo loco vult hanc rationem ad extraneos quoque protendi. Vides igitur qualiter diſiuncta oratio reſoluatur in coniunctam: tum propter defuncti, & teſtatoris affectionem, tum etiam ex præſumpta voluntate. Eſt in *l. cùm pater filios. §. penult. de leg. 2. in d. l. generaliter. C. de inſtitut. & ſubſtit. l. cùm quidam. C. de verb. & re. ſig.* quo loco Alciatus reſtituiſſe ſe teſtatur dictionem Græcam ſic. Coniunctionem aut, pro &, accipi, vt videatur copulatiuo modo eſſe prolata, vt magis ſit *συνάφειαν*, vt primam perſonam, &c. Ego, pace Alciati, arbitror, & quidem longe melius, *συνάφεια* potius quàm *συνάφειαν* legi oportere: *συνάφεια* enim *τοῦ ἐστὶ συνάψαι*, coniunctionem ſeu commiſſionem ſignificat, *συναφεία* autem eſt, perinde ac ſi dicas, coniunctiua. ¶ Quod reliquum eſt, ad rem facit vt tractemus de obligatione diſiunctiua: vt cùm quis ſtipulatur Stichum aut Pamphilum dari: ea quidem obligatio ſimilis eſt ei quæ in genere fit. Traditur nanque eum qui in genere hominem, aut lancem, aut aliquod aliud vas debet, ſoluendo partem, nec in parte ſoluta liberari. *l. ſi ſtipulatus. §. qui decem. ff. de ſolut. l. ſi non ſortem. §. ſi decem. de cond. indeb.* licet enim incerti hominis periculo ſcindatur, ſolui tamen, niſi in ſolidum non poteſt. *l. in executione. §. pro parte. de verb. oblig.* Alioqui in diuerſis hominibus rectè partes ſoluerentur: neque quod ſtipulatus eſt ſtipulator conſequeretur. *d. §. pro parte.* Quod & ad obligationem diſiunctiuam Paulus Iureconſultus vult transferri *in l. 2. §. & harum. verſic. eiuſdem conditionis. d. tit. de verb. oblig.* Is etenim qui diſiunctim Stichum aut decem debet, partem Stichi ſoluendo, minimè liberatur. *d. §. ſi decem.* Nam eadem eſt obligationis generalis & diſiunctiuæ ratio, ſeu de obligatione introducenda agatur *l. cùm is. §. vlt. de cond. indeb.* ſeu quis obligationis effectum, ſolutionem ſcilicet, inſpiciat *d. §. pro parte.* Quandoquidem in obligatione generis, perinde atque in diſiunctiua, nullus eſt in obligatione præciſè, ſed ſub conditione tantùm: videlicet, vt ſi vnus non detur, alius detur. *l. 3. ff. qui & a quibus perpendendo verbum.* Quodammodo, quod non ad conditionem, ſed ad ſingulos homines refertur. Siquidem & lex ait, hominis legatum, orationis compendio ſingulos homines continere. *l. Manius. §. duobus. de leg. 2.* Neque verò id ratione caret. Etenim qui hominem in genere promittit, videtur ſpecies reſpexiſſe: cum genus ſub ſe omnes ſpecies comprehendat, etiam ex proprietate ſermonis, ſicuti Baldus docuit in *l. 2. C. de iur. aureo. annul. no. in cap. Rhodolphus. de reſcript.* Huc pertinet quod & aliqui dicunt, genus ipſum eſſe in obligatione, non aliquid indiuiduum *l. inter ſtipulantem. §. ſacrum. verſic. Vini autem non ſpeciem, ſed genus. de verb. obligat.* hoc nimirum ſenſu, vt qui genus promittit, quid certum ipſo genere promittat. Omnino enim vna eius generis ſpecies debebitur: aliter indiuiduum illud ſit incertum. Quibus accedit quod & Accurſius in *d. §. duobus. l. Manius. de leg. 2.* ſæpenumero ait, in obligatione generis nullum hominem eſſe in obligatione, ſed omnem eſſe in ſolutione. Quod ita accipiendum arbitror, vt nullus ſit in obligatione præciſè, ſed omnes ſint in ſolutione: ſub conditione tamen, ſicuti modò oſtendimus. Is enim qui ſoluetur, cenſebitur perpetuò in obligatione fuiſſe *l. ſi quis ſtipulatus fuerit decem in melle. ff. de ſolutio.* Quod ex veteribus quidam, videlicet Iacobus de Aren. hîc & alij quos immeritò Bartolus repræhendit, cenſuerunt. ¶ Neque verò huiuſmodi conditio, cùm ſit tacita, legati tranſmiſſionem aut etiam actionis exercitium impedire poteſt. *l. conditiones quæ extrinſecus. de cond. & demonſtr. l. illud aut illud. de optio. leg. Ro. hic.* cùm tamen & in alternatiua obligatione, id obſeruari videamus, quæ quidem generali ſimilis eſt, licet interim actionem non oriri non diffiteamur. *l. item quia. §. 1. de pact.* ſed neque præciſè quis agere poteſt vt aliquis detur, at generaliter. Reſpectu itaque generis nulla eſt conditio, ſed ſingularum partium. Alciat. in *d. l. 2. §. & harum. de verborum obligationib.* Nec nos quicquam mouerit quod lex ait, ſi quis cum Stichum aut decem deberet, Stichum perſoluerit exiſtimans ſe Stichum debere, decem ſoluiſſe, Stichum condicere poſſe. *l. cùm is. §. vltim. de condiction. indebit.* cùm tamen in legato generis ſecus ſit. *l. ſi is cui. de legat. ſecundo.* nam heres à quo generaliter homo legatus eſt, ſi à ſe legatum Stichum crediderit, Stichum ſoluat, illi repetitio non dabitur. *d. l. ſi is cui.* Non enim hoc ideò receptum eſt quòd aliqua ſit inter generalem & diſiunctiuam obligationem differentia: ſed quia contractus in hoc à legatis differunt, quòd in illis conditiones trahuntur retro. *l. neceſſario. §. quòd ſi pendente. ff. de pericul.*

h *& com*

& com.res vend. Vnde quis ſoluendo poſtea decem, perpetuò illa decem videtur debuiſſe: Stichúmque, tanquam indebitum, repetere poterit: in his verò, conditiones minimè trahuntur retro *l.1.verſic. ſerui.ff. Syllania.* Bar.& Modeſt. *in l.ſi is qui pro emptore.ff.de vſucap.doctò in l.ſi filius familias.de ver.ob.* Cùm igitur ſolutus ſit Stichus, tametſi poſtea decem afferat, non cenſetur tamen perpetuò in obligatione eſſe: cum (ſicuti modò admonuimus) in legatis nunquam retro trahatur. *d.§.ſerui.* ¶ Tantùm igitur inter generalem & diſiunctiuam obligationem conſtituenda erit differentia, quòd cum diſiunctiua oratio pauciores ſpecies comprehendat quàm obligatio generis, quæ propemodum infinitas habet, maiorem affectionem circa diſiunctiuas ſpecies videntur habuiſſe contrahentes, quàm circa innumeras ſpecies quæ generibus continentur. Vnde qui Stichum aut decem ſtipulatus eſt, ſi de non petendo Sticho paciſcatur, ne decem quidem petere poterit *l.ſi vnus.§.ſed ſi ſtipulatus.ff.de pact.* Etenim cùm par ſit vtriuſque affectionis ratio, ſi alterum non petere promiſerim, in totum liberaris. Alioqui contra præſumptam contrahentium mentem, obligatio diſiuncta, præciſa efficeretur. Quod quidem in eo minimè obſeruatur, qui cùm in genere hominem petere poſſit, de non petendo Sticho paciſcatur. *d.§.ſed ſi ſtipulatus.verſ.ſed ſi generaliter.* Hic nanque alias omneis ſpecies, præter Stichum petere poterit: cùm diſſimilis diuerſáque affectionis ratio id ſuadeat. Eodem modo & ſi Stichum aut Pamphilum ſtipulatus ſum, cùm tamen Pamphilus eſſet meus: nec ſi quidem meus eſſe deſierit, liberabitur promiſſor Pamphilum dando: quod nõ procedit ſi hominem generaliter dominus ſtipuletur. *l.qui decem.§.Stichum.de ſolut.* Differentiæ ratio hęc eſt, quòd in obligatione diſiunctiua Pãphili promiſſio nunquam valuit. *l.Nemo rem ſuam.l.exiſtimo.de verb.oblig.* cum nemo rem ſuam poſſit ſtipulari.§.1.*inſtit.de inutil.ſtip.* cúmque ſpeciem vtranque conſideraſſe videatur. At in generali hominis promiſſione non videtur ſtipulator Pamphilum potius quàm alium quamlibet reſpexiſſe: vnde vtilis eſt ſtipulatio quaſi in eum concepta caſum quo res ſua eſſe deſierit. *d.l.exiſtimo.* Qua ratione qui hominem aut decem ſtipulatus eſt, ſi decem accepto tulerit, amplius hominem petere non poteſt. *l.qui hominem.de ſolu.* cùm tamen aliud in eo qui hominem in genere ſtipulatur, Stichum accepto tulerit, obſeruari videamus. Aretinus *ad §.ſi tamen hominem.l.2.de verb.oblig.* Quod ex affectionis differentia ſatis colligi poteſt. Neq; generalius hanc noſtram traditionem euertit, quod videamus eum qui damam aut Stichum ſtipulatus, ſi damam oblatam recipere recuſet, iſque poſt oblationem decedat, debitorem iure liberari. *l.ſtipulatus ſum damam aut Stichum.de verb.oblig.l.acceptam.de vſuris.* Quod in promiſſione generis ſecus eſt: cùm non niſi exceptionis ope liberetur. *§.ſi cui homo.in l.huiuſmodi.de leg.1.* Nam vterque in ſpecie iure ipſo liberatur: léxque dicens eum ope exceptionis liberari, non de intentionis aut facti exceptione, ſed de ea quę iuris eſt intelligitur. *Not.in l.qui ſe debere.ff.de condict.ob cauſ.* videto tamen Zaſ.*in ſuis intellect.ſing.* ¶ Erit igitur ſimilis per omnia generis & diſiunctę obligationis ratio, niſi ꝙ in affectione aliqua in parte diſcrepât, vt ſuperioribus argumentis edocuimus.

FORNERIVS.

CONIVNCTIONEM. ¶ Triplex orationis forma cernitur. Coniuncta, diſiuncta, ſoluta, id eſt, λόγος ὁ μὴ ἔχων συμπλοκὴν, ἢ διάζευξιν. In copulata vtrunque, in diſiuncta alterutrum requiritur. *l.in eo. §.vbi verba.ꝗ. tit.ſeq.* Soluta verò vtriuſque figuræ particeps pro re ſubiecta, éxque eius qui protulit ſententia, modò pro alternatione, modò pro coniunctione ſumitur. ¶ Coniunctio QVE interdum pro diſiunctiua, vſitata harum vocum viciſſitudine vſurpatur. *l.53.ſæpe.ꝗ.h.t.* [Enim] Inſulſa hæc ſuperioris ſententiæ ratio mendum olet: quo inducto, QVE ſubſtitui oportere, vel duobus ſubiectarum formularum [Heredique, Heredémque] exemplis admonemur. Quale & illud, [Agnatorum gentiliúmque,] cæteráque id genus, quæ proferemus. *d.l.53.ſæpe.*

XXX. CAIVS lib. vij. ad Edictum prouinciale.

SYLVA cædua eſt, vt quidam putant, quæ in hoc habetur, vt cæderetur. Seruius eam eſſe, quæ ſucciſa rurſus ex ſtirpibus, aut radicibus renaſcitur.

ALCIATVS.

SYLVA. ¶ Arborum aliæ fructiferæ ſunt, aliæ cæduæ, aliæ non cæduæ. Cæduas eſſe hîc apparet, quæ exciſæ repullulant, ſiue ab eodem ſtipite, ſiue ex ſtirpibus, vt ſalix, arundo, ornus, fraxinus, laurus, alnus, bętula, ſambucus, populus, æſculus, quercus, multæque id genus ſpecies *l.cum mariti.§.ſylua.de contrah.empt.* quod ita intelligendum eſt: ſi in eum vſum haberentur vt cęderentur, ſiue materiæ cauſa, ſeu lignorum. *l.item.§.ſi.ꝗ.de vſufruct.* alioquin, ſi in eum vſum habitæ non ſint, ex prima, quæ hic refertur, opinione, pro cæduis non erunt. Quid enim, ſi animi recreandi cauſa platanum, vlmum, fagum, fraxinum, ilicem educauerim? quid ſi ſyluam antiquam eandémque glandiferam habeam, quam nunquam cædere ſolitus ſim, ſed ſubulcis locare? an ſola arborum cupreſſus non cædua erit, quia ſola non repullulat? quod Aretinus & Picus ſenſerunt. *rep.§.Titia.quæſt.*36. Sed dubio procul malè. ¶ Inter hæc arborum genera non leuis differentia eſt: nam fructiferas fructuarius non cædit. *l.aquiſſimum.§.fructuarius.de vſufruct.* niſi vetuſtate conſumptas. *l.agri.eodem tit.* quòd ſi vi ventorum deiectæ ſint, in vſum ſuum, vel villæ, ſi aliunde non habeat, accipere poteſt. *l.arboribus.eodem titulo.* reliquum ei auferre extra agrum, ne ſolo officiant, permittitur, ad dominum tamen pertinebit. *l.Proculus.eodem titulo.* Cæduis verò ſicut paterfamilias cædebat, vti,

vel per

vel per frondatores ramos decutere poteſt, pedamentáq; (ſunt hi pali teretes vitium ſuſtinendarum cauſa) conficere,& etiam alteri vendere.*l.ex ſylua.eod.tit.* In non cæduis id ſolùm conceditur, quod pro ipſius vineæ vſu neceſſarium ſit:dum fundus deterior ea cauſa non fiat,vel arbores grandes non ſint:huiuſmodi enim voluptatis cauſa ſolùm habentur,quàm,decuſſa coma,amitterent. *d.l.ex ſylua.* Harum & M.Varro *rei ruſtica.lib.3.cap.*4. meminit, videturque grandes arbores intelligere, quæ in ſylua cædua relinquuntur, nec vnà cùm cæteris amputantur: poſſunt tamen etiam intelligi grandes arbores,quæ decacuminationem,(quam Græci ἀποκόρυφωσιν vocant) non ferunt: vt picea, pinus, abies, palma,addunt aliqui cupreſſum,& cedrum. Quid ſi grandem arborem intelligamus, quam Græci ἀξιολογώτατον vocant,videlicet prægrandibus ramis,ordinatis, paribúſque numero, qualia fraxinus, ſorbus,picea? In conductore emphyteutáque aliud dicendum eſt. fructiferas enim demortuas vt lucretur,ſubſtituere alias debet.*l.in fraudem.§.pen.de iu.fiſc.*quod etiam in non cæduis opinor.*l.diuortio.§.ſi ex pute.ſol.matr.*cæduas indiſtinctè cedit.*d.l.cum marit.*modò ex conſuetudine regionis,vel patrisfamilias locatoris, ſi aliud actum non præſumatur, accepto: non minus enim, quàm fructuarij horum eſt ius.

Stirpibus. ¶ Sunt ſtirpes ferulæ, ſeu virgulta, quæ de radicibus naſcuntur. ea & germina dicuntur,hinc & germinalis arbor.*d.§.pute.* Accurſius quæ ſtirpes ſont pedamenta eſſe arbitratur,contra M.Varronis,& Columellæ,cæterorúmque antiquorum autoritatem.

Brechævs.

Sylva. ¶ Syluam quaſi ſoliuam dici quidam exiſtimant. Sed ego puto melius ἀπὸ τῆς ὕλης, quæ quidem dictio præter id quod materiam rudem & informem ſignificat; accipitur etiam ἀντὶ τοῦ δρυμοῦ. ſignificatque ξυλοφόρον τόπον, vt eſt apud Etymolog. Itaque Græca imitatione Hyle à noſtris ſylua dicitur. Vnde arbores quæ in materiam, vel vites quæ in ſarmenta eluxuriant, à Græcis dicuntur ὑλομανεῖν,quod Syluеſcere Latinis dicitur authore Gaza:quemadmodum ἐξυβρίζειν:cùm ſegetes luxuriant,& nimia pabuli vbertate laſciuiunt,Budæo teſte.Sed & Sylua, & verbum Syluеſcere generaliter & ad arbores pertinet & ad herbas. Virgil.*lib.1.Georg.*

-- Subit aſpera ſylua,
Lappǽque tribulíque,interque nitentia culta,
Infælix lolium,& ſteriles dominantur auena.

Et Ouid.*libro 11.Metamorphoſ.*

-- Syluiſq; paluſtribus exit.

Et idem *lib.3.Metamorphoſ.*

Nam duo magnorum viridi coëuntia ſylua,
Corpora ſerpentum,&c.

Quibus locis Sylua herbam virentem ſignificat & luxuriantem. Syluas etiam de vitibus dixiſſe Virgilium,teſtis eſt Seruius,eo loco vbi ait ipſe Virg.*lib.2.Georg.*

Syluarúmq; alia preſſos propaginis arcus.

Propria tamen ſignificatione de arborum conſitione dicitur.Virgil.*lib.1.Georg*

Concuſſáq; famem in ſyluis ſolabere quercu.

¶ Quamuis autem generalis ſyluæ ſit appellatio,id tamen diſcriminis ponunt inter Syluam,Lucum, Nemus, & Saltum, quòd Sylua cædua ſit, quæ exciſa ſcilicet repullulat. ¶ Lucus verò cæduus non eſt,quin potius manu conſitus religioſúſque, atque alicui Deo, vel hominis alicuius cineribus conſecratus.Ouid.*lib.2.Faſtorum.*

-- Multis incæduus annis.
Iunonis magna nomine lucus erat.

¶ Nemus (quod etiam à Græcis νέμος ἀπὸ τοῦ νέμω dicitur,quòd in eo greges armentáq; paſci ſoleant) eſt locus amœnitatis ac voluptatis plenus. Virgil.*lib.4.Æneid.*

In nemus ire parant,vbi primos craſtinus ortus
Extulerit Titan,radiiſq; retexerit orbem.

Martial.*lib.10.Epigr.*

Et delicata laureum nemus flora.

Et iterum *lib.9.*

Tu colis elyſios,nemoriſq; habitator amœni.

¶ Saltus autem eſt ſylua inuia,nec peruia tranſeuntibus:vbi paſci atque æſtiuare pecudes ſolent:aut ſi locus aëtque patiatur,hyemare. Sic fermè Laurent. Vallen.*lib.4.c.56.* Virgil.*lib.4.Æneid.*

Dum trepidant alæ.Saltuſq; indagine cingunt.

Et alibi. *-- Saltuſq; peragrat.*

Dictæos:hæret lateri lethalis arundo.

¶ Tanta quidem apud veteres ſyluarum cura fuit,vt etiam his cuſtodiendis conſules præficerentur: ne videlicet arbores vulgò cæderentur,neque tandem ædificandarum nauium deeſſet materia. Quæ prouincia minor diceбatur.Quapropter Sueto.Tranquil.*in Iul.Cæſare* ſcribit ab optimatibus datam operam fuiſſe,vt prouinciæ futuris Conſulibus minimi negotij, id eſt, ſyluæ calléſq; decernerentur. Huius quoque rei Virgil.*in Bucolic.*meminit his verbis.

Si canimus ſyluas:ſyluæ ſint conſule digna.

¶ Quia igitur ligna in ſyluis & ampliſſima & excelſa, eáque ædificationi aptiſſima, creſcunt, ſylua propterea dicta eſt ἀπὸ τῆς ὕλης,id eſt,materia ea qua efformatur aliquid,vel copia rei alicuius. Cicero

lib.3.de Orat. Rerum, inquit, eſt ſylua magna: quam cùm Græci iam non tenerent, ob eámque cauſam iuuentus noſtra dediſceret penè diſcendo, etiam Latini, ſi diis placet, hoc biennio magiſtri dicendi extiterunt.

Cædua. ¶ Sylua cædua dicitur, quòd quæ in ea ſunt arbores in eum deſtinantur vſum, vt aliquando ſuo tempore ſuccidantur: & excisæ ſuo etiam tempore repullulant. Nam ſi ἀκαίρως, & intempeſtiuè fructuarius cædat, atque aliter quàm paterfamilias cædebat, peccauit, & tenetur proprietario ad ſarciendum damnum. *l.hactenus.ſub fin. & l.ſeq.ff.de vſufruct.* Neque eos fructus ſuos facit, niſi forſan interſit immaturam cædi: ſicut Oliua quæ immatura lecta plus adfert fructus, quàm matura, vt *l.pen. de vſufruct.leg. & l.ſi abſente. §.ſyluam caduam. d.tit.de vſufruct.* Quapropter hic erit expendendum fructiferæ ſint arbores nécne, aut in eum habeantur vſum, vt cædantur. Nam earum aliæ, ſemine radicéque generationem adquirũt: aliæ quidem ſponte ſua enaſcuntur & creſcunt, vt author eſt Theophraſtus *lib.3.de hiſtoria plantarum c.1. & 2.* & Virgil. *lib.2.Georg.* his verbis:

Nanque aliæ nullis hominum cogentibus ipſæ
Sponte ſua veniunt, campóſque & flumina latè
Curua tenent: vt molle Siler, lentæq; Geniſtæ:
Populus, & glauca canentia fronde Salicta.
Pars autem poſito ſurgunt de ſemine: vt altæ
Caſtanea, nemorumq; Ioui quæ maxima frondet
Eſculus: atque habitæ Graiis oracula Quercus,
Pullulat ab radice aliis denſiſſima ſylua:
Vt ceraſis, vlmíſq;: etiam Parnaſia Laurus
Parua ſub ingenti matris ſe ſubiicit vmbra.

¶ Iam verò quæ ſemen fructúmque afferunt, tam ex radice, quàm ſemine prodire poſſunt eodẽ Theophraſto authore. Quæ etiam ſylueſtres ſunt & ſteriles, perinde prodeunt. Et cum earum rami & brachia amputantur, iterum pullulant, & ſtolones mittunt, hinc inſitiuæ plantæ. Nam, vt ipſe Theophraſtus tradit, & Hippon author eſt, omnem plantam & vrbanam & ſylueſtrem effici poſſe planè conſtat, ſcilicet cultum adeptam ſeu non adeptam. ¶ Cæduam igitur ſyluam hic appellat Caius, cuius non ſunt fructiferæ arbores, ſed ſteriles & quæ cædi tempeſtiuè conſueuerint, ac ex quibus pedamenta & ramos poſſit fructuarius in ſuos vſus inſumere. *d.l.ex ſylua. & l.ſeq. de vſufruct.* Ea ſanè ſylua eſt ferè quam noſtrate lingua dicimus, *Taillis & bois de couppe.* Quanquam veteres ſyluam appellauerint etiam quæ arboribus grandioribus, & ædificationi aptis & opacis ſit conſita: vt iam admonuimus, & Plinius teſtis eſt *lib.16.natur.hiſtor.cap.2.* his verbis. In eadem (inquit) Septentrionali plaga Hercyniæ ſyluæ, roborum vaſtitas intacta & congenita mundo propè immortali ſorte miracula excedit. Vt alia omittantur fide caritura, conſtat attolli colles occurſantium inter ſe radicum repercuſſu. Aut vbi ſecuta tellus non ſit, arcus ad ramos vſque & ipſos inter ſe rixanteis curuati portarum patentium modo, vt turmas equitum tranſmittant. Sed hæc ſylua glandaria dicitur, vt à cædua ſeparata ſit: ſicut videre eſt ex M.Catone *lib.1.de re ruſtica.cap.8.* in hæc verba ſcribente. Stolo. (Cato quidem inquit) gradatim præponens, alium alio agrum meliorem dicit eſſe in nouem diſcriminibus, & quod ſit primus vbi vineæ poſſunt eſſe bono vino & multo. Secundus, vbi hortus irriguus. Tertius, vbi Salicta. Quartus, vbi Olueta. Quintus, vbi pratum. Sextus, vbi campus frumentarius. Septimus, vbi cædua ſylua. Octauus, vbi arbuſtum. Nonus, vbi glandaria ſylua. Hic vides qualiter cæduam ſyluam à glandaria diſtinxit Cato: cùm tamen ex Labeone doceamur in ſylua cædua glandiferas eſſe arbores. Sic enim ait in *l.cùm manu ſata.§.ſylua cædua. ff.de contrahen.empt.* Sylua cædua in quinquennium venierat, quærebatur cùm glans decidiſſet vtrius eſſet, &c. Sed ſi omnino conſideres, ſylua ſeu cædua ſeu glandaria appelletur, in eum habeatur vſum, vt cædatur nécne, tu ſanè ſcrupulum totum faciliimè tollas. Nam cædua non cenſebitur, quæ cædi non conſueuit. Quam ſententiam ſatis hoc loco exequitur And. Alciatus. Videto etiam quæ de ea re ſcribit Franc. Connanus *lib.4.Comment.iur.ciuil.ad principium.*

FORNERIVS.

SYLVAM. ¶ Quinque vocum ſequitur explanatio. Syluæ cæduæ duplex ſignificatio: Nonnullis placuit eam eſſe, quæ lignorum aut materiæ cauſa cæderetur: Seruius verò cæduam inde dignoſci adiicit, quòd exciſa repullulare ſoleat. Quæ definitio cum ad varios iuris tractatus pertinet, tum verò ad res dotaleis, & vtendi modum conferet *l.7.fructus.§.ſi fundum.§.ſi vir, verſ.* [vt lapis ibi renaſcatur.] *ſol.mat.l.vlt.* [lapis creſcere poſſit.] *de fund.dot.* Tum ad fructuarium *l.9.item ſi fundi ſi. & trib. ſeqq. l.59.arbores ff. de vſufr.* Eſt enim ſylua cædua in fructu, idcóque ſi in fundi venditione omnis fructus excipiatur, & arundo cædua & ſylua, excepta intelligitur. *l.40.qui fundum.de contr.empt.* Grandiores autem arbores, *de haute fuſtaye*, aut frugiferas, non cædet maritus, aut fructuarius, pedamenta, ridicas, & ramos ſumet ex cædua arbore. Quamuis autem in percipiendis fructibus cæteris tempeſtiuitas ac maturitas ſpectetur. *l.vlt.§.fructus. quæ in fraud. cred.* Tamen ſylua cædua, etiamſi intempeſtiuè cæſa ſit, ſicut olea immatura lecta, fœnúmque immaturum cæſum in fructu eſt. *l.48. ſi abſente. ff. de vſufruct.* ¶ Sed an interregno, tempore vacationis arbores cædere liceat, tractatur *Gloſſ.generali.de electio.6.* Verum maritus, qui ſinit adoleſcere arbores ſerius cædendo, videatur in fraudem id facere. *nat.d.l.7.fructus.§.interdum.* Item ex ſylua cædua in quinquennium vendita glans quæ decidit, cuius ſit? *l.pen.de contrahend.empt.* Ruſus ius ligna ex aliena ſylua cædendi ξυλοκοπίας

perſonalis ſeruitus,an realis cenſeatur ? ſi vicinus ſit,an remotiore loco habitet,cui conceſſum eſt.*l. pen.de vſu & hab.l.5.l.6.veluti.de ſeru.ruſt.præd.l.39.cum ſeruus vulgò.l.40.apud Iulianum. §.ſi quis aliscui.de leg.1.* ¶ Poſtremò illud non ineleganter Paulus, [Si quis cauerit,inquit,vt ſylua ſibi pignori eſſet,nauis ex ea materia non eſt pignori: quia aliud eſt, materia, aliud nauis: & ideò nominatim in dando pignore adiiciendum, *Quæque ex ſylua cædua orta natáve ſunt.l.18.ſi conuenerit.de pig.act.*] non eſt eodem iure,quod ex aliqua materia effectum fuerit.*l.13.mulieris.§.h.t.l.9.Iulianus. §.ad exhibend.* [Cæderetur.] Iſidorus *lib.17.Etymol.cap.6.* Syluam ait dictam quaſi Xyluam,quod ibi ligna cædantur: Nam & Græci ξύλον lignum dicunt,adde, & ξυλεύεσθαι, lignari Menander, *δρῦος πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται.* Cædes & cæſura lignorum, Gellius *lib.19.cap.12.* [Cui tantam ligni atque frondium cædem faceret,percontatus.] Concædes, caſtrorum ex cæſis arboribus munimenta, Cæſari,Marcellino,& Corn.Tacito *lib.1.Annal.* [Renaſcitur.] ¶ Vt lapides,vt metalla.*l.vlt.de fund.dot. l.7.fructus.ſolut. matrim.* ſic ſylua cæſa editis ſtolonibus reparatur. *bois taillis.* Quæ à ligno differt. *l.55.ligni. de leg.3.l.167.* Carbonum.§.*h.t.* Plinius *lib.13.cap.4.* [Sunt & cæduæ palmarum quoque ſyluæ.] *Et lib.17.cap.13.* [Iterum renaſci,atque ex ſeſe replere cæſuræ loca. *& cap.20.* Regerminationis cæduæ eſt Caſtanea. *Ibidem*,Salix lætius cæſura proueuit.

§.j. STIPVLA illecta eſt ſpicæ in meſſe deiectæ necdum lectæ quas ruſtici cum vacauerint colligunt.

ALCIATVS.

STIPVLA ILLECTA. ¶ Culmus eſt,cum ſpica non collectus,ſed in metẽdo derelictus,quem cùm otium adeſt,ruſtici deinde metunt. ¶ Et quod dicitur deiectæ,melius quadraret relictæ ſecundo caſu, quamuis & illud defendi poſſit. Sanè ex lege veteri, quæ in Deuteronomio habetur, præceptum eſt, ne ſtipulam illectam, oliuas relictas, racemóſque remanentes dominus colligat, ſed aduenæ,& pupillo,& viduę permittat,vnde ſpicilegium,racemationémque facere poſſint:quod præceptum etiam in præſentia à pleriſque obſeruatur. ¶ Aduertendum tamen, ne non vacauerint,hic legendum ſit,ſed occauerint, quòd ruſtici primò meſſes faciant, deinde occent, fodiántque vineas, quo opere tanquam magis neceſſario perfecto, ſpicilegium faciant: ſolere enim poſt meſſes occari vineas,autor eſt Palladius *lib.7.& 8.*

BRECHÆVS.

STIPVLA ILLECTA. ¶ Stipulam à ſtipa dici, credunt, quòd ſtipæ,hoc eſt ſtupæ inſtar vri in agris ſoleat. Eſt autem ſtupa herba, cuius folia ac radices cùm fructu cremabant antiqui, eáque exhalatione ac fumo diis litabant.Quare ab ea,quam facerent,exhalatione, quam θυμίασιν Græci dicunt,Thiſia deriuata eſt. Thyſian autem propriè dixit Porphyrios eſſe, quæ ex herbis fieret diis,litationem. Siquidem cùm ante arbores herbas extitiſſe crederent, operæ pretium facturos ſe exiſtimauerunt,ſi vſtarum herbarum ſuffitu primùm diis ſacrificarent.Solebat itaque vri & aceendi in agris ſtipula,magno,ait Plinius,Virgilij præconio.Is autem ſic ſcribit *lib.1.Georgic.*

Sæpe etiam ſteriles incendere profuit agros,
Atque leuem ſtipulam crepitantibus vrere flammis,

Tradit idem ipſe Plinius *lib.17.cap.4.* tantam eſſe ſtipulæ craſſitudinem in laborino Campaniæ nobili campo,vt ligni vice vtantur. Stipula igitur ea folia quæ culmũ ambiunt,ſignificat,authore Seruio.Aliquando tamen pro culmo Virgilius ſtipulam,idque καταχρηστικῶς accipit.

Spicea iam campis cum meſſis inhorruit,& cum
Frumenta in viridi ſtipula lactentia turgent.
Et alibi.
Culmùmque leuem,ſtipuláſque volanteis.

¶ Quòd verò pro culmo & calamo ſtipula aliquando vſurpari ſoleat, hoc quidem fit, ſignificatione Græca,Nam quod ſtipulam Latinè dicimus,hoc à Græcis κάλαμος,appellatur. ¶ Eſt autem κάλαμος, Latinis Calamus, & arundo. Vt κάλαμος εὐώδης, κάλαμος τοξικός, κάλαμος πλόκιμος, Theophraſto in libris de cauſis plantarum,id eſt,calamus odoratus,arundo ſagittaria,& textilis. Plinius *lib.18.cap.30.* Stipulæ,inquit,alibi mediæ falce præciduntur,atque inter duas mergites ſpica diſtringitur.Alibi ab radice euellunt. Et paulò pòſt. Vbi ſtipula domos contegunt, quàm longiſſimam ſeruant. Hoc loco videtur Plinius ſtipulam pro ipſo calamo ſeu culmo accipere. Eſt igitur ſtipula generale verbum. ¶ Spica autem propriè eſt, Seruio teſte in 1.*lib.Georg.* Virgilij,cùm per culmi ſolliculum,id eſt,extremum tumorem,ariſtæ adhuc tenues in modum ſpiculi tument.Vnde ego puto ſpicam dictam. ¶ Hoc loco ſtipulam illectam appellauit Caius, culmum à meſſoribus derelictum, & qui ſimul cum ſpica non eſt collectus:hoc Græci καλαμᾶσθαι dicunt.

FORNERIVS.

STIPVLA. ¶ Culmus frumenti ſeu calamus ſtipulæ inlectæ, vnde ſeges & folium ademptũ eſt:quo ruſtici ad tecta caſarũ,& ſtramenta pecorib.ſubſternenda vtuntur:cũ defuncti ſunt opere ruſtico, id colligunt.[Cũ vacauerint.] ¶ Qui occauerint emẽdant,quàm auersè,cùm verbi ſignificatione,cum

rei ipſius atque operis tempore arguuntur.ea Varrone *lib.1.c.29.30.* Palladio *lib.7.c.8.* Iſidor.*lib.17.c.2.* Occare.eſt glebas comminuere,gloſſario vetere,*βωλοκοπεῖν*.Occatio,cum ruſtici ſatione facta,bobus dimiſſis grandes glebas cædunt frangúntque. Rectiùs ergo, [Cum vacauerint,] id eſt , opere ruſtico defuncti otium nacti ſtipulas relictas,& culmos legunt. Vnde & noſtrates vulgò *chaulmer* ab opere feriari dictitant.& Rom.agricolæ perceptis fructibus hyeme Vacuuæ deæ ſacra faciebant. Ouidius *lib.6.Faſtorum.*

Nam quoque cum fiunt antiqua ſacra Vacuna,
Ante Vacunales ſtántque ſedéntque focos.

Cuius inſtituti Porphyrion ad illum Horatij verſum meminit,

Hac ego dictabam poſt templum putre Vacuna.

M.Varro *lib.1.de re Ruſtic.c.54.* [Meſſe facta ſpicilegium venire oportet,aut domi legere ſtipulam.] ¶ Quamuis autem Moſaicæ legis præſcripto viduis & aduenis ſpicæ ac ſtipulæ inlectæ relinquerentur, Deuteronom.*cap.23.& 24.* Auguſtinus *lib.4.de ciuitate Dei, cap.8.* De eadem humanitate Varro *lib.5.de lingua Latina,* [Nemo,inquit, repræbenſus, quòd à ſegete ad ſpicilegium reliquit ſtipulam.] Tamen in fructu eſt ſtipula:qua & Campani vice ligni vtuntur:alij domos contegunt,alij bubus pro pabulo eam præbent,alij ſubſternunt, inquit Plinius *lib.17.cap.4.& lib.18 c.30.* Inde adeò deprehenſus in furto alienæ ſtipulæ ad dupli reſtitutionem condemnatur, Iuſtiniani legum ruſticar. *tit. 4.* *Ἐὰν εὑρεθῇ τὶς κλέπτων ἀλλοτρίαν καλάμην, ἐν διπλῇ ποσότητι παρεχέτω αὐτήν.*

§.ij. Novalis eſt terra proſciſſa quæ anno ceſſauit ; quam Græci *νέασιν* vocant.

§.iij. Integra autem eſt, in quam nondum dominus paſcendi gratia pecus immiſit.

Alciatvs.

Novalis. ¶ Græci *νεαγλῶ* (vel vt in Pandectis Græcis *νεατλῶ*) ſeu vt alij *νέωμα* vocant : & duplici ſignificatione accipitur,vt terra ſit,quæ anno ceſſat,quod Paul.hic ait,itémque ager nunc primùm coli cœptus.*l.fin.in fin.de ter.mo* cùm priùs ſylua eſſet,vel alio modo incultus: atque ita etiam Hieronymus interpretatur.*c.1. c.quid ſit terra.cod.* Addit Appianus *lib.1.* decimam partem fructuum reipublicæ ſolitam pendi pro vectigali eorum agrorum,qui deſerti ad culturam redigerentur: hincque apparet inculta loca in dubio præſumi reipublicæ, nec fieri occupantis , quod & alij tradiderunt.*l.de acq.poſſ.* Sanè proſciſſa dicitur terra,quæ primum aratrum experta eſt, grandioribus glebis relictis,Catoni,Plinio,cæteriſque.

Integra. ¶ Vt ſi quis vendat terram integram,intelligetur nondum à pecore depaſtam: licet Accurſius paſcendi verbum hic pro pingue faciẽdi,contra rationẽ ſermonis intellexerit.*l.1. de glan.leg.*

Brechævs.

Novalis est terra proscissa,&c. ¶ Alciatus *lib.2.prætermiſſ.hoc tit.* cenſet legendum ſcribendúmque, præciſa, licet (inquit) ingentem hic impreſſores lacunam reliquerint. Ea quidem Alciati lectio non mihi ſatis probata videtur: putóque priorem lectionem veriorem:vt qui primùm idem ipſe hoc loco, proſciſſa legerit : & neſcio qua ratione mutarit ſententiam. Ac ne ego in tuenda opinione videar *ἄλογος*, & ineptus repræhenſor, hac quippe de cauſa , proſciſſa potius quàm præciſa legi oportere exiſtimo , quòd præcidere terram non dicimus , ſed proſcindere , authore M. Varrone *lib.1.de re ruſtic. cap.29.* bis ſcribente verbis. Rurſum , inquit , terram cùm primùm arant, proſcindere appellant:cùm iterum,Offringere,&c.Columella *lib.1.* Pingues campi qui diutius continent aquam,proſcindendi ſunt. Et paulò pòſt,igitur,inquit,vliginoſi campi proſcindi debent poſt idus menſis Aprilis. Et iterum *eod cap.* Item graciles cliui non ſunt æſtate arandi, ſed circà Septembreis Calendas: quoniam ſi ante hoc tempus proſcinditur,effœta, & ſine ſucco humus, æſtiuo Sole peruritur,nulláſque virium reliquias habet. Virgil.*lib.1.Georg.*

Et qui proſciſſa quæ ſuſcitat æquore terga
Rurſus in obliquum verſo perrumpit aratro.

Erit igitur ſic legendum aduerſus Alciati ſententiam.

Noualis eſt proſciſſa terra.

Quæ mea quidem opinio cùm D.Budæo conuenit. ¶ Eſt itaque Noualis , proſciſſa terra quæ anno ceſſat,& alternis annis ſeritur. Virgil.*lib.1,Georg.*

Alternis idem tonſas ceſſare nouales
Et ſegetem patiere ſitu dureſcere campum.

Nouales,inquit Seruius,propriè ſunt primùm arua proſciſſa,& primum ſegetem ferentia. Et alio in loco idem Seruius ſcribit Noualia noua eſſe rura quæ per ſingulos annos per ſemina nouãtur. Vel etiam Noualia dicuntur vnde ſylua tollitur. Dicimus Nouales,& Noualia. Virgil. *Eclog.1.*

Impius hæc tam culta Noualia miles habebit
Barbarus has ſegetes ? &c.

Noualis (ait Varro *lib.1.cap.19.& 21.*) vbi ſatum fuit ante quàm ſecunda aratione renouetur:hoc Græci *νέωμα* , vel vt ſcribit Budæus,*νέατον* appellant. *νεᾶν* enim, nouare ſignificat & noualia facere *τὸ μεταβάλλειν τὴν γῆν πρότερον εἰργασμένην*. *Νεῶσαι* autem & *νεᾶσαι* Budæus in *Comment.linguæ Græcæ*, dicit eſſe nouare terram,veruactum aut nouale facere. Et Xenophon *νεοποιεῖν*. Nam Veruactum interdum &

dum & nouale pro eodem ſignificato vſurpatur. Siquidem dicitur Veruactum terra vere procissa, quæ à Græcis νεατὸς, κὴ νεὸς, ἢ νέωμα. Columella Veruactum dicit agrum primo vere proſciſſum qui anno ceſſauit. Cui ſententiæ conuenit Plinius *lib.18.cap.19.* Quidam (inquit) vtique ab æquinoctio verno proſcindi volunt: quódque vere ſemel aratum eſt, à temporis argumento, Veruactum vocatur. Hoc in nouali atque requieto neceſſarium eſt. Hæc ille. Varro *lib.1.rei ruſtica,cap.44.* Illud quoque multùm intereſt in rudi terra, an in ea ſeras quæ quotannis obſita ſit, quæ vocatur, Reſtibilis: an in Veruacto, quæ interdum requieuit. Columella *lib. 2.* ait Veruactum crudum ſignificari cùm durior ſubeunti pars aliqua obſiſtit. ¶ Cæterùm, Nouale à iuris Pótificij authoribus, dicitur ager qui cùm nuſquam, nulláque hominum memoria cultus & proſciſſus fuerit (veluti exciſſa demum ſylua) nuper ad cultum vocatus eſt. *cap. Quid per nouale. hoc tit. de verb. ſignif.* Et hoc quidem ad ius decimarum attinet, vt ſcilicet ea terra, decimarum onere perpetuo cenſeatur immunis. *cap. vlt. de priuileg. lib. 6.* reliqua de hac re videbis diffusè apud ſcriptores Pontificios.

Fornerivs.

NOVALIS. ¶Varij auctores de limitibus agrorum, Noualem agrum ita definiunt, qui primùm proſciſſus ſit, ſiue qui alternis annis vacat, nouandarum ſibi virium cauſa. Noualia enim ſemel cum fructu erunt, & ſemel vacua. Seruius in *lib.2.Georgic.* Noualia propriè accipit, arua tunc primùm ad ſementem proſciſſa, & primùm ſegetem ferentia. Plinius eodem ſenſu *lib.17.* D. Hieronymus *c.1. de verb. ſign.* Noualis terra, quæ de nouo leguminum ac frugũ cauſa colitur, anteà deſerta & ſqualida, vt cùm quis ex ſylua nouale facit, *l. vlt. de term. mot.* Rutil. Palladius *lib.1.cap.6.* [Si tibi ager eſt ſyluis iouriſibus tectus, ita eum diuide, vt loca pinguia puras reddas noualeis: loca ſterilia ſyluis recta eſſe patiaris, quia illa naturali vbertate reſpondent, hæc beneficio lætantur incendij.] Quinctilianus in *milite Mariano*, [Dum ſegnem quis futuris noualibus eruit ſyluam.] Idem ſi pratum ad frumenti ſationem excolatur. Accurſius hic. Sed & noualis ager, cuius alternis annis intermittitur cultura, vt reparatis ceſſatione viribus lætiores & vberiores fructus pariat: contrà reſtibilis, qui reſtituitur, ac reſeritur quotannis.

Alternis etiam feſſas ceſſare nouales,

Expediat. Virg. *Georg.1. Varro lib.4. de Lat. lib.1.cap.29. de re ruſtic. Plinius lib.18.cap.19. cap. ex parte. de decim. cap. vlt. de priuileg.*

Præciſa. ¶Florentina ſic habet editio, Vulgaris incorrupta [proſciſſa.] Græci hîc προτμηθεῖσα. [Terram cùm primùm arant, proſcindere appellant.] *lib.1.c.29. de re ruſtic.* Iſidorus *lib.17.cap. 2.* [Proſciſſio eſt aratio prima, cum adhuc durus eſt ager. Columella *lib. 3.cap.13.* [Vitem per denos pedes in quincuncem diſponunt: vt more noualium, terra tranſuerſis aduerſiſque ſulcis proſcindatur. Græc. νεᾶσιν. ¶ Quàm variè certatim quiſque, Alciatus, Budæus, Haloander, modò νεαγλῶ, modò νέατον, modò νέωμα, Florentiæ νεᾶσιν. Græcorum paraphraſis, hîc νεᾶσιν conuertit. Vide Adr. Turnebum in Varronis *lib.4. de ling. Lat.* [Integra] Sylua, an ἄξυλος ὕλη, id eſt lucus, πολύξυλος, vt Arpocration, & interpres Homeri Euſtathius interpretantur, παρ᾽ ἧς οὐδεὶς ἐξυλεύσατο; ideo ligno abundans, quòd nemo ligna cædat: ad cæduæ, de qua priùs actum, differentiam? An potiùs terra integra, ſeu ſaltus paſcuus illibatus, intactus, in quem pecus nondum eſt immiſſum, [Nec graminis attigit herbam.] Saltus paſcuus Harmenopulo νομαδαῖος τόπος. Varro *lib.4. de ling. Lat.* [Quos agros non colebant, propter ſyluas, aut id genus vbi pecus poſſit paſci, & poſſidebant ab vſu ſuo, ſaltus nominabant: hæc & Græci, ἄλσεα, κὴ νομάς, noſtri nemora.] Dominus iure quidem ſuo, Extraneus in alienum immittere pecus impunè non poſſit *l.14. qui ſeruandarum. §. ſi glans. de præſcr. verb.* ¶ An autem deprehenſum alienum in meo ſaltu pecus, includere, an eiicere poſſim? ſine iniuria modò id fiat, vt Pomponius eleganter *l.39. Quintus. & ſeq. §. ad leg. Aquil.* Tertullianus *de præſcriptionibus aduerſus hæretic.* [Quid in meo agitis non mei? quo denique iure Marcion ſyluam meam cædis? mea eſt poſſeſſio, quid hîc cæteri ad voluntatem veſtram ſeminatis & paſcitis? mea eſt poſſeſſio.]

§. iiij. GLANS caduca eſt, quæ ex arbore cecidit.

Alciatvs.

GLANS *caduca, quæ ex arbore cecidit.* ¶ Vnde interdictum de glande legenda cõpetit. Sanè hæc expoſitio ex proprietate ſermonis non eſt, quoniam caducus non qui cecidit, ſed qui facilè caſurus eſt, ruinámque minatur, ſignificat: vnde & paries caducus.

Brechævs.

GLANS CADVCA. ¶ Rectè ſanè Caius dixit caducam glandem eſſe quæ iam arbore decidit. Nam caducum à cadendo dicitur: & ſignificat quod vel iam cecidit, vel quod caſurum eſt. Vnde μεταφορικῶς caducum mortuum ſignificat: inde Cadauer, autore Seruio. Sic Virgilius *lib.6. Æneid.* caducos dixit Dardanidas, id eſt, mortuos.

Hic multum fleti ad ſuperos, belléque caduci
Dardanidæ, &c.

¶Præterea & frondes caducas idem *Virgil. lib.1. Georg.* dixit, id eſt, emortuas, & ita exſiccatas, vt propè ex arbore decidant.

Sæpe (inquit) *leuem paleam, & frondes volitare caducas.*

Hinc caducos ſenes, id eſt, penè mortuos, ſeu morti proximos, appellamus. Nam frigida ſiccáque eſt

ſenectus:ac caducis arborum foliis ſimilima. Sic Horatius *lib.3. Carm. Ode ad Calliopen.*

Scimus vt impios
Titanas immanémque turmam
Fulmine ſuſtuleris caduco.

¶ Vnde etiam cadoca bona, & caduca poſſeſſio, quæ poſtea quàm à vero excidit domino, ſeu morte, ſeu alio quouis modo, in principem vel fiſcum, in aliúmve inſperatò incidit. Et caducæ hæreditates, quæ tum cernuntur, cùm interea nemo ſit qui vel ex teſtamento, vel iure adeat: quæ ideo caducæ dicebantur, quòd à vero certóque herede & legitimo cadebant. Id hodie vulgari noſtra lingua in ſtatutis municipalibus & conſuetudinibus vocamus Albinagium: Græci ἀδέσποτα vocant. Apud antiquos lege Papia, erat cautum, vt ſi viuo teſtatore, vel ante aditam hereditatem è vita deceſſiſſet heres, fiſco bona addicerentur, vel ærario. Huius autem ferendæ legis cauſa, ciuilia bella fuere, quibus cùm permulti viuis teſtatoribus caderét & occiderent, plurima fiebant caduca, nullis quibus relictū legatúmve fuerat, exiſtentibus qui teſtamenti conditiones implerent *l. vnic. C. de cadu. toll. l. item veniunt. §. cùm antequam. ff. de pet. hæred.* Quod ab Imperatore Iuſtiniano eſt tandem inductum, & antiquatum. Vide quæ de lege Papia, tractat Alciatus *lib.3. diſpunct. cap.6.* Et quæ etiam tradidit do. Bartholo. Faius Lugdunenſis, vir & clariſſ. & doctiſſimus, Conſiliarius Regius in Curia ſuprema Pariſiorum, familiaris meus & amicus intimus, *ad finem libri octaui Commentariorum iuris ciuilis. D. Fran. Connani.* Cicero *Phil.10.* quæ (inquit) celeritas illa Bruti? quæ cura? quæ virtus? etſi ne illa quidem Antonij celeritas contemnenda eſt, quem niſi in via caducæ hereditates retardaſſent, volaſſe eum non iter feciſſe diceres. Hoc loco caducas appellat hereditates, quæ in caduci cauſam venerant, vt diximus. Igitur (vt ad nos iam redeamus) Glandem caducam, prociduam appellauit, & proximè etiam nullo impellente caſuram ab arbore, vt oſtenderet aliud eſſe ſtrictiuam, aliud caducam. Eſt autem ſtrictiua glans quæ manibus colligitur. Stringere enim à ſcriptoribus antiquis rei ruſticæ, colligere ſignificat, & ſecare. Hinc ſtricta Olea, quæ manu colligitur. Columel. *lib.6. cap.3.* Poſſunt etiam (inquit) & folia ficulnea probè dari, ſi ſit eorum copia: aut ſtringere arbores expediat. Hîc ſtringere arbores, amputare, decutere dixit. Virgilius *lib.2. Georg.*

Sed tamen & quernas Glandes tum ſtringere tempus.

Et idem *Eclog.9.*

-Hicubi denſas
Agricolæ ſtringunt frondeis, hic Mæri canamus.

Et iterum *lib.1. Georg.*

Agricola & fragili iam ſtringeret ordea culmo.

¶ Glandium genera, multiplicéſque vſus latè Plinius ſcribit *lib.16. natur. hiſtoriæ:* & hæc quidem non ſunt huius inſtituti.

FORNERIVS.

GLANS. ¶ De glande caduca & pendente *l. vn. ff. de gland. leg. l. 236. qui venenum. §. vlt. ff. h.* diſſeremus.

§. v. Paſcua ſylua eſt, quæ paſtui pecudum deſtinata eſt.

ALCIATVS.

PASCVA SYLVA. ¶ In qua ius eſt paſcendi cauſa pecora mittere. ¶ Sed finge deprendiſſe me pecora vicini in agro meo, quo iure mihi prouiſum eſt? & lege Aquilia agendum eſt, *l. quamuis. ad leg. Aquil.* non autem iure pignoris pecus retinendum, niſi illud diu aluerim *l. hoc amplius. §. de his. de damn. inf.* cùm dominum ignorarem: videtur enim, quia in rei vtilitate aliméta verſa ſunt, eorum ratione retineri pecus poſſe. *l. ſi non ſortem. §. ſi centum. ff. de condict.*

BRECHÆVS.

PASCVA SYLVA. Seruius appellat agrum paſcuum qui herbis tantùm & animalibus vacat, Cic. *in Topicis.* Si compaſcuus (inquit) eſt ager, ius eſt compaſcere. Sic hoc loco iureconſultus Paſcuam ſyluam appellat, quæ paſcendo pecori deſtinatur. Virgilius *lib.3. Georg.*

Paſcuntur verò ſyluas, & ſumma Lycæi,
Horrentéſque rubos, & amantes ardua dumos.

¶ Refert Plinius *libro 18. cap.3.* in tabulis cenſoriis paſcua omnia dici, ex quibus populus reditus haberet, quia diu hoc ſolùm vectigal fuerat, vt eſt in *l.1. C. de paſc. pub. & priua. lib.11.*

FORNERIVS.

PASCVA SYLVA. ¶ De pratis, ſyluis, ſaltibus, paſcuis publicis, & compaſcuis, item priuatis: vide *tit. de paſc. public. C. l.2. omnes. C. de oper. publ. l. ſi quis intra. C. de bon. proſcrip.* de quibus multa legibus municipalibus Gallorum cauta vulgò ſunt notiſſima.

XXXI. VLPIANVS lib. xviij. ad Edictum.

PRATVM eſt, in quo ad fructum percipiendum falce duntaxat opus eſt: ex eo dictum, quòd paratum ſit ad fructum capiendum.

ALCIATVS.

PRATVM. ¶ Pratum quaſi paratum (vt Vlpianus) ad fructuum perceptionem, vel (vt Varro) ad conſtitutionem: modico enim opere pratum fit, vt quod nec aratro, nec annua ſemente indigeat. Et hinc probatur, legatis pratis etiam inculta contineri, vnde tamen aliquid fœni teſtator colligeret: ſecus ſi in eis pecua ſcere tantummodò ſolebat: nam ea non prata ſed paſcua dicentur: quæ ſi ad pagum aliquem in vniuerſum pertineant, vulgò vicanalia appellantur: Vicani enim ruſtici ſunt. Sed an prati appellatione, arbores, quæ in eo ſunt, contineantur, vt in eis damnum inferens ea pœna adficiatur, quam lex municipij in eos conſtituit, qui in prato damnum fecerint? Et quibuſdam videtur, *Alber. in dictionario*, tanquam arbores pars fundi ſint. Sed ego rationem legis conſiderandam arbitror: ex vi enim verborum non videtur, qui arbores inciderit, damnum prato feciſſe.

BRECHÆVS.

PRATVM. ¶ Pratum à parando dictum volunt Latinæ linguæ authores. Propterea (ait Varro *lib.1. res ruſtica.* antiqui prata parata appellarunt. Columella *lib.2. cap.17.* tradit veteres Romanos prato nomen dediſſe ab eo quod protinus eſſet paratum, nec magnum laborem deſideraret. Prata inquit Plinius *lib.18. cap.26.* relinqui debent in læto ſolo, vel irriguo, vel humido: eáque aqua pluuia rigari via publica. Propterea pratum Græci λειμῶνα vocant. παρὰ τὸ λείβειν τὸ κατασϛάζειν, λειβών καὶ λειμών, Quod ſtillare, rigare, libare etiam ſignificat: & λειμὰς, locum irriguum. Cæduntur autem prata (autho-re eodem Plinio) circa Calendas Iunij. Quod fere paſſim apud noſtrates ſolet. Prata autē matura Virgilius, interprete Seruio arida vocat.

Nocte leues ſtipulæ melius, nocte arida prata
Tondentur, &c.

¶ Pratum quoque Vlpianus vult dici atque æſtimari quod intra decem annos ſectum ſit. *l. forma.* §. *de cenſib.* Quocirca, ſi ſtatuto aut lege prohibeatur, pecora duci in prata, intelligendum etiam erit de campo quantumlibet inculto. Quod in *Commentariis noſtris ad conſuetudines Turonenſ.* diffuſiùs tractabimus.

FORNERIVS.

PRATVM. ¶ Fructus pendentes, vel ſolo cohærentes pars fundi cenſentur, ideóque ad dominū proprietatis pertinent. *l. vlt. de iis quæ in fraud. cred. l. 44. fructus. de rei vind.* non ad fructuarium, qui collectione, perceptione, & ſeparatione à ſolo fructus ſuos facit. Si meſſe facta deceſſerit, ſtipulam iacentem tranſmittit ad heredem, ſpicam quæ terra ſe tenet, domini manet, fructus autem percipitur ſpica, aut fœno cæſo, aut vua adempta, aut excuſſa olea. *l. 13. ſi fructuarius.* §. *de vſufr.* Prati fructus eſt herba cædua quæ quandiu ſtat, & ſolo continetur partē fundi efficit, nec ad fructuarium, antequam cædatur, ſed ad proprietarium pertinet. *d. l. 13.* Pratorum ſumma cura fuit, *tit. de paſcuis public. & priuat. lib. 11. Cod. & lib. 7. tit. 7. C. Theod.* Quæ apud antiquos in maxima cenſus parte habebantur. Varro *lib.1. cap.7. de re ruſtica.* Plinius *lib.18. cap.28.* Columella *lib. 3. cap. 3.* [Optabiliorem pratorū poſſeſſionem paſcuorúmque vel ſyluæ cæduæ indicent.]

Ad fructum percip. ¶ Id eſt fœnum, inde fœnificium in Calendario Roman. Feſtus. fœnum pratorum ab hac cauſa eſſe appellatum ait, quando idipſum manens, quotannis nouum parit.

Falce duntaxat. ¶ Fructus naturales fundi partem efficiunt, quorum & iure ciuili ab iis qui induſtria hominum proueniūt diuerſa ratio eſt. *l. 48. bonæ fidei. de acq. rer. dom. l. fructus. l. 25. qui ſcit.* §. *de vſur.* §. *ſi quis à non domino. de rer. diuiſ.* Sed & nominatim moribus Meldenſium pratorum habetur mētio *tit. 11. artic. 7. Comme en prez qui ne requierent point de culture ne induſtrie.* falce duntaxat opus eſt, & vt apud A. Gellium *lib.2. cap.29.* Dominus ſegetum, [Vidéſne hæc, inquit, ematuruiſſe, & manus iam poſtulare. Quaſi paratum.)] Iureconſulti ſtudioſè exquirunt, vnde verba ſint deducta, teſtamentum, tabernæ, poſtliminium, nouatio, poſſeſſio, pratum, quaſi paratum: ea forma & peritiam, arbitrium, vt in Florentino exemplari ſcribitur, vnius ablatione literæ decurtata vocabula, & Nomenclator, quaſi calator, Verr. Flaccus apud Chariſium *lib.1.* Eiuſdem notæ, Biglæ, ſiglæ, pro vigiliæ, & ſingula, quæ συγκεκομμένα quaſi extra Latium nata poſſent imponere. Nam & eſt, qui huius notationis auctores floccifaciens, pratum πράτον quaſi πράσον, à viriditate nimirum Græcæ origini aſſerat. At hîc Vlpianus, Cato, Varro, Plinius, ciuem Romanum ex iure Quiritium contrà vindicant: & Columella, cuius ex *lib.2. cap.17.* verba ſubiiciam. [Neceſſarius etiam cultus prati, cui veteres Romani primas in agricolatione tribuerunt: nomen quoque indiderunt ab eo, quòd protinus eſſet paratum, nec magnū laborem deſideraret. Cuius curandi colendique rationem præ cæteris operis ruſtici partibus facilem exſequuntur,] *cap.18. & 21. eiuſdem lib.2. de re ruſtic.*

XXXII. Paulus lib. xxiiij. ad Edictum.

MINVS ſolutum intelligitur, etiamſi nihil eſſet ſolutum.

ALCIATVS.

MINVS. ¶ In ſermone Latino hæc dictio quandoque vim comparatiui non habet: vnde quod non recepi, rectè dixero minus recepiſſe: & minus tribuere videtur, *l. illud. §.1. de tribut.* qui nihil tribuit: quod ꝶ. videbimus. [Hinc argumentum colligitur, ſi in tranſactione, *l. verbum amplius. & l. ſi ita.* ꝶ. *eod.* annuos ciuilium annonarum reditus tibi cōceſſerim, addita lege, vt ſi plus vel minus exige

exigeretur, tuo periculo eſſet, quamuis nihil exigatur, me non teneri. Verum eſt enim te minus exigere, ſi nihil exigis: id tamen ex proprietate ſermonis non eſt, ſed ex interpretatione. Vnde ſi aliam mentem contrahentium fuiſſe præſumamus, à proprietate comparationis non diſcedemus.

Brechævs.

Minvs. ¶ Duo curſu certantes, treis annulos apud Carolum depoſuerunt, ſponſione in eam rem facta: vt eoſdem qui vinceret acciperet: eorum tandem victori duos tantùm annulos reddidit Carolus, certè minùs reddidiſſe cenſebitur, & dabitur aduerſus eum actio præſcriptis verbis. *l. ſi rem tibi. §. ſi quis ſponſionis. ff. de præſcriptis verbis.* Ita ſi cuius dolo malo factum eſt quominus ita tribueretur, in eum datur tributoria, vt quanto minus quàm debuerit tributum ſit, præſtet. Si tamen ignorans in merce ſeruum habere, minus tribuit, non videtur dolo minus tribuiſſe. At verò re compérta, ſi minus tribuat, dolo non caret. ¶ Minus autem tribuiſſe videbitur, etiam ſi nihil omnino tributum ſit. Eſt ea quidem Vlpiani ſententia in *l. illud. ff. de tribut. actio.* Videro in hanc rem quæ ſcripſi in *l. ſi cui ex empto. §. Minus ſoluit. ſ. hoc tit.*

Fornerivs.

Minvs. ¶ Quamuis propriè is ſoluendo non eſt, qui plus quàm in bonis habeat, debet. *§. 1. quib. ex cauſ. mann.* Theophil. & ſoluo, quaſi ὅλον λύω, totum ſoluo dici placeat: tamen quia interdum ſimplex pro comparatiuo, & cõtrà vſurpatur. Vlpianus [Minus, inquit, tribuere videtur, etiamſi nihil tribuat.] *l. 7. illud. de trib. act.* [Simplicius] pro ſimpliciter. *l. 9. ſi cui. ſ. de ſeruit.* [pronior] pro pronus. *l. 7. ſi pupillorum. §. ſi pater. de reb. eor.* [Difficilior] pro difficilis. *l. 1. ſ. de pign. fur.* [improbior] *l. 14. item ſi cum. §. qui vim. quod met. cauſ.* [maior] pro magno. *l. 1. in fin. de coniung. cum emancip.* [pleniſſima] ſecuritas. *§. at ex diuerſo. quib. alien. lic. & ibi Theophilus.* Cuſtodia [diligentiſſima] *l. 1. de ob. & act. & tit. quib. mod. re contr. ob. l. qui ſcit. § in alieno. de vſur.* [propiùs,] pro propè. Donatus in *Adelph. act. 3. ſcen. 2.* Cõparatiuus non ſemper apud auctores augendi vim obtinet: quod & Demetrius Triclinius ſcholiaſtes Sophoclis admonuit, & Auguſtinus contra Creſconium, *lib. 3. cap. 74.* copioſè diſputat. ¶ Cæterùm pro eo, quod Florentiæ apud Vlp. [Ne deriuationibus minus cõceſſis flumina excreſcant.] ſcriptum eſt, *l. vn. ne quid in flum. public.* Maurus in Varronem [nimis,] repoſuit, Aliis etiam in libris, [exareſcant] legitur: Quod magis equidem probauerim.

XXXIII. Vlpianvs lib. xxj. ad Edictum.

Palam eſt coram pluribus.

Alciatvs.

Palam. ¶ Palàm quid fieri variis modis accipitur: palàm nuncupatus heres dicitur, ſi teſtes exaudiuerint, palàm quæſtum facit mulier, quæ paſſim & ſine delectu ſtuprari ſe ſinit: *l. palàm. de ritu nupt.* palàm ſpurio reliquiſſe videtur, qui apertis verbis vſus, nec heredis fidem tacitè ſequutus eſt: *l. non intelligitur. de iure fiſci.* palàm quoque rem eſſe dicimus, de qua conſtat. ¶ Hic tractatus ſolet quadrupliciter accipi: aut enim res euidens eſt, quod vulgò notorium dicimus: aut ſemper manifeſta aut liquida, aut tantummodò clara. ¶ Notorium eſt, quod omnibus conſtare poteſt, & colore nullo offuſcatur, nec probatione indiget, *l. ciues. C. de appel.* vt palatium in vrbe eſſe. Idem de re, quam per inſpectionem iudex deprendit: vt quum quis accuſatur occidiſſe Seium, & Seius viuus exhibetur: & talis allegatio quandocunque fieri poteſt, vnde etiam ſi in cauſa concluſum ſit, debent iudices accedere in rem præſentem: *l. ſi irruptione. fini. reg.* huiuſmodi enim probatio præualet omnibus, imò hac ex cauſa res iudicata nullius momenti erit: *c. fraternitatis. de frigid.* res enim iudicata, (quamuis hac in ſpecie contineatur, & quod ex ea conſtat, ſit euidentiſſimum) id tamen non verè, ſed præſumptione legis eſt, quam præſumptionem notoriæ huic veritati cedere æquiſſimum eſt. ¶ Manifeſtum eſt, quod allegari, probatique oportet: vt Titium coram populo occiſum, Seium publicè fœnus reprobum exercere, atque id genus multa, quæ pontificij iuris interpretes notoria quoque dici contendunt, qua in re ego non multum operæ poſuerim, qui ſciam verborum hanc differẽtiam plerunque confundi: de re ipſa igitur, non de verbis diſputandum eſt. Ego hac in ſpecie contineri arbitror, quod probabili aliqua excuſatione obtegi poteſt, quod regulariter in his rebus procedit, quæ facti permanentis non ſunt, & ideo ſententia aduerſus huiuſmodi perſpicuitatem lata ipſo iure valeret, prouocandiq; remedium ſolum ſupereſſet *d. l. ciues.* ¶ Liquidum dicitur, id quod iudici ex actis liquet: id enim propriè manifeſtum dici nõ poteſt, *Card. cap. veſtra. 7. & 31. queſ. de cohab. cler. & mulier.* tametſi iuris interpretatione non multùm ab eo differat. Hac in ſpecie videntur contineri, quæ per inſtrumentum vel confeſſionem in actis conſtant: ſi enim huic inſtrumento vel confeſſioni nihil probabile obiiciatur, ſi item confeſſionis error non adducatur, cenſebitur res liquida. *c. ſi. eo. tit.* Sed & acta ipſam rem faciunt iudici liquidam, ſic & atteſtationes. hæc autem non ſimpliciter rem faciunt liquidam, ſed ipſi iudici tãtùm indéq; aliqui effectus iuris oriuntur. *c. ſignificauerunt. de teſtib.* ¶ Quapropter ſi filius, vel vxor contra patrem, vel maritum agant, hiq; negent filium vxorémve eſſe; ſufficient huiuſmodi teſtimonia, etiam ante publicationem, vt iudex decernat, eis interim alimenta deberi, itémq; expenſas litis. *c. ex parte. de accuſat.* Id enim eſt liquidum, quod ſine moroſa difficultate iudici probatur: & ideo ſi conſtitutum ſit, cauſas inter agnatos compromitti, non intelligetur de his, quæ hoc modo linquẽt. *l. poſt rem. de tranſact.* Clarum generaliter accipi poteſt, vt ſupraſcriptos caſus comprendat, ſed inter ipſas partes id clarum fuiſſe iudex arbitrabitur, quod inter eas geſtum ex inſtrumen

ſtrumento viderit quod interim non modicæ vtilitatis eſt. *Bart.l.1.in 1.q.de oper.non.nunt.* Sed & quoties ſola admonitio ſufficit, ne quis dolo denuntiare videatur ex inſtrumēti extra iudicium oſtenſione, res palàm facta exiſtimatur. *Bart.d.l.1.q.11.* Sed cùm omnino in iudiciis expectanda ſit ſententia, quæ rem iudicatam inducat, quorſum attinet tam ſcrupuloſè perquirere, an res notoria, manifeſta, clara, liquidáve ſit? Verùm his ego reſpōdeo, in eo verſari vtilitatē, quòd in euidēti & manifeſto lata ſentētia præſumatur, *Fed.conſil.8.* retrò quoque rem fuiſſe euidentē, & manifeſtā, quod in aliis caſib. non ita eſt. Sed hęc hactenus. ¶ Illud non prætereundū, differētiam eſſe quid palam factum dicatur, an publicè: quandoquidem palàm fieri dicitur, quod coram pluribus puta duobus fit: at publicè quod coram populo. Inde ſi teſtis aſſeruit publicè ita affirmari in vrbe, perinde erit, ac ſi ex taſe publicam famam dixiſſet, quod quidā reſpōderunt, licet alij in hac re cōtrouertant. *Salic.l.& quidē.C.de accuſ.*

Brechævs.

Palam. ¶ Aduerbium eſt, Palàm, quod ſignificat coram pluribus, vel publicè, ſeu in loco publico: de qua re ſcripſimus in Aphoriſ. iuriſpruden. Sed quàm variè hæc dictio, Palam, accipiatur, diffuſè tractauit Alciatus hoc loco: quem perlegito. Non omittam tamen, quod forſan ille tacitus præteriit, Palàm aliquando poni pro manifeſtè, τοῦτ' ἔστι φανερῶς. Non enim ſemper publicum ſignificat, vt ſcripſit Vlpianus in *l.heredes palàm.ff.de teſtament.& in l.Palam.de ritu nupt.* Bart. *in d.l.heredes palam.& l.hac conſultiſſima.C.de teſtamentis.*

Fornerivs.

Palam. ¶ Hanc ad nuptias præcipuè pertinentem interpretationem latiùs patere, ádque alios pluris tractatus aptari poſſe non dubitatur. ¶ Palam quid fieri, coram pluribus. Palam nuncupatus heres, id eſt, pluribus teſtibus audientibus. M.Cicero *pro Milone*, [Palam agere cœpit, apertè dicere occidendum Milonem.] Seruiliæ legis caput æneis deſcriptum tabulis de teſtimoniis in reum repetundarum publicè recitandis, Vti testivm qvsi in eam rem fvervnt verba .... recitentvr proscripta propositaqve palam apvd forvm Vlp. proſcribere palam interpretatur, claris literis de plano recte legi poſſit, [Non in loco remoto, ſed euidenti,] *l.11. ſed ſi pupillus.de inſt.act.* lex Iulia Pappia (quod eſt huius capitis proprium) ſenatorum cum ſcenicis mulieribus, vſque quæ obſcenioris vitæ nota infames eſſent nuptias prohibuit. *l.42.ſemper.l.47.ſenatoris.de rit.nupt.* In quibus continetur ea quæ palam quæſtum fecit. Id eſt, vt hic exponitur, coram pluribus, paſſim, ſine delectu, vulgò. *l.43.palam.de rit.nupt.* Eo ſenſu vulgaris mulier *l.13.ſi vxor.ad leg.Iul.de adult.* Baſilicôn interpres *lib.60.tit.37.* libertina vulgatis. Valer. Maximo *lib.6.cap.3.* Quæ autem palàm in ſcena verſabantur, aut in caupona mulieres miniſtrabant, parum pudicæ habebantur: vt Zonaras & Theod.Balſamon *in 18.can.apoſtolic.* annotarunt, μήδε τινὰ τῶν ἐπὶ σκηνῆς. αἱ γάρ τοι ἀδηφόρως ξένιαι, καὶ ἀναδως ἰδέμου προσομιλοῦσαι τοῖς ἐντυγχάνουσιν οὐδὲ πιστεύονται σωφρονεῖν. Cato *de re Floriana.* [Si palam corpore pecuniam quæreret, aut ſe lenoni locauiſſet, & ſi famoſus aut ſuſpicioſus eſſet, vim in corpus liberum, nō æquum cenſuere adferri.] Non. Marcellus [Suſpicioſus.] A.Gellius *lib.9.cap.12.* ¶ Poteſt & hæc interpretatio referri ad contractus tutorum, qui res pupillorum gerunt: quibus licet palam apertéque, quod clam latentérque facere prohibentur. *l.54.non exiſtimo.de adminiſt.tut.l.38.qui ſine.de neg.geſt.* Idémque de magiſtratibus, Cicero contra Rullum, *orat.2.de lege Agraria.* Quæ publicè tranſiguntur, bona fide contrahi creduntur: quæque in conſpectu magiſtratuum aut pro tribunali, & apud acta fiunt, maiorem obtinent auctoritatem, quàm quæ extra iudicium geruntur. *l.vlt.C.arbit.tut.l.4.§.de fideiuſſ.& nom.tut.l.omnium.C.de teſtam.l.28.fine vpnd.C.de tranſ.* Quinctilianus *lib.5.Inſtit.cap.10.* [Vt ſi dicam bona mente factum, ideóque palam mala, ideóque ex inſidiis, noctu & in ſolitudine. Hinc clandeſtinarum nuptiarum furtum odio, & ſuſpicione laborat, palàm celebratæ nuptiæ extra culpam habentur. *l.vlt.§.de rit.nupt.* Itáq; Clitipho ratiocinatur *lib.6.Amatoriar.* [Confidebam, inquit, argumentis conuictorum, me nequaquam mœchum eſſe, propterea quòd palam nuptiæ factæ fuerant.] Quarum ſolennitas ac feſtiuitas, & pompa de qua in *l.21.à caligate.l.ſeq.l.24.ſancimus.C.de nupt.* ſuſpicionem tollit, & certitudinem prolis arguit, cōtráque ſolitudo ſuſpecta eſt. Calpurn. Flaccus *declam.44.* [Non eſt, inquit, filius tuus: nuptiis enim ſolennibus non eſt natus. Apud Senecam *declam.vlt.lib.8.* pater raptoris ad iudices deducti, nuptias & hoc nomine damnat; [Delicatus diues, inquit, qui etiam inter naufragia amare poteſt: matrimonij celebritatem remoti angulo ruris abſcondit. Apuleius *apologia 2.* Photius Nomocan. *tit.13.cap.2.* [Coram pluribus.] ¶ Synodi ſextæ in Trullo habitæ, *can.63.* Laici publicè diſputare vel docere vetantur, quòd id múnus ſit ab Antiſtitibus obeúndum, ὅτι οὐ χρὴ δημοσίᾳ λαϊκὸν λόγον κινεῖν, ἢ διδάσκειν. Vbi Theodorus Balſ. expendit vocem δημοσίᾳ, profértq; *tit.4.lib.1.C.vt nemini liceat publicè contendere de ſumma trinitate & fide catholica.* Quædam enim priuatim permittuntur, quæ palàm interdicuntur; veluti, Ne clerici cogantur publicè teſtificari, Carthaginenſis *concil.cap.63.* Contra verò alia priuatim non licent, quæ palam omnino fieri oportet. Vt Gangrenſis ſynodi *cap.20.* collectæ Chriſtianorum & conuentus in priuatorum ædibus habere, συνάξεις ἐν οἴκῳ ποιουμένους. Socrates *lib.3.cap.9.lib.9.cap.36. Tripartita hiſtor.lib.6.cap.2.*

XXXIIII. Pavlvs lib. xxiiij. ad Edictum.

Actionis verbo etiam perſecutio continetur.

Alciatvs.

Actionis verbo. ¶ Perſecutio eſt imploratiò officij iudicis, quod nobile vulgò appellant, éſtque extraordinarium remedium: ſicut enim actiones aduerſus eos, qui ex facto ſuo, vel alia iuſta obligatione tenētur, competunt, ita perſecutiones aduerſus eos dantur, qui ſola æquitate,

&

& quod dicitur de bono & æquo,ſunt obnoxij. quare harum adiectionum inſtar habent perſecutiones: *l. actionis. de action. & oblig.* & vbi de ſtricto iure nulla actio datur, ex æquitate officium iudicis implorамus. Quandoque autem huiuſmodi imploratio vim actionis. *l. plenè. de petit. her.* Non tamen dubium eſt, quin ex larga ſignificatione perſecutio actionis verbo comprendatur. ideóque ſi eadem ratio ſubſit, quòd in actione diſpoſitum eſt, in hac perſecutione etiam in ſtricta materia obſeruabitur: *Alex. l. 1. de iuriſdict. omn. iud.* quòd ſi non eadem ratio ſubſit, aliud erit: verbi gratia: Non poſſunt cœnobitæ minores actionibus in iudicio experiri. æquum eſt vt ſaltem officio iudicis eis ſuccurratur. *l. Quintus. de ann. leg.* quod etiam in filiofam. aduerſus patrem concedendum eſt. *Gloſſ. l. 1. C. qui adm.*

Brechævs.

Actionis. ¶ Quod genus à ſpecie, hoc Actio à perſecutione differt: & id quidē ex ipſa actionis diffinitione colligitur. Nihili eſt enim actio aliud quàm ius perſequendi in iudicio quod ſibi debetur *inſtit. de act. in princ.* Primùm autē dicit Imperator Actionem eſſe ius, id eſt, iuris quandam rationem ſeu formam, qua edita, futuræ litis ſpecies demonſtratur, & per quam actionem lis iniciatur *l. edita actio. C. de eden.* Placentin. *in tit. de rerum vendic. lib. 1.* Sic autem iuris vocabulū (quod alioqui latiſſimè patet *l. ius pluribus modis. de iuſtit. & iur.*) interpretor. Differt ſiquidem actio, cùm ſit ius, ab his quæ facti ſunt. Cuiuſmodi eſt venditio, traditio, ſolutio. Hæc namque ad factum, non ad ius transferuntur, hac quidem ratione, iudicis officiom ab actione ſecernitur. *l. quod ſi minor. §. vlt. ff. de minorib. 25. annor. Gloſſ. in verb. quod ius. ad medium. inſtit. de actio. §. 1.* cùm illud ipſum in facto, veluti exercitio verſetur. Exploſa etenim iampridem fuit Martin. ſententia, exiſtimantis nihil inter ea diſcriminis eſſe: atque id, actionis iniuriarum exemplo. *§. in ſumma. inſtit. de iniuriis.* In qua licet officio iudicis condemnatio fiat. *l. Prætor. §. primo. & l. quod Senatuſconſultum. ff. de iniuriis:* etiam id quod nobis debetur, perſequimur. Sed hęc quidem nihil nos mouere debent, potiſſimùm quòd iudicis officium illi actioni inhærere dicatur: & generaliter omnis actio, iudicium appelletur. *l. in cauſæ. ff. de minorib. l. ſi longius. §. ſi filiusfamiliâs. ff. de iu. l. t. C. famil. hercìſc.*

Sequitur poſtmodùm in ipſa diffinitione actionis,

Perſequendi. ¶ Hoc, (ait Placentin. loco ſuprà citato) adiectum eſt ad differentiam exceptionis, quæ eſt ius excipiendi, vel retinendi. Perſequendi quippe verbo, & actio ſimul & petitio continentur. Sed & actionis verbo, complectitur in rem, in perſonam, directa, vtilis, præiudicium, Stipulationes prætoriæ, interdicta omnia. *l. actio. ff. de act. & oblig. l. pecuniæ verb.* ꝫ *hoc t. l. actio in perſonam. d. tit. de actio. & oblig.* Quamuis propria ſignificatione actio in perſonam dicatur: petitio, in rem: tamen perſecutio tam ad rem quàm ad perſonam traducitur. Ergo rectè dixit Placentinus hanc definitionē conuerti cum ſuo definito. Omnis enim (inquit) actio eſt ius perſequendi, &c. Et omne ius perſequendi eſt actio. At verò propriè perſecutio eſt imploratio officij iudicis, quod quidem mixti eſt imperij. Hęc omnia à iureconſultis & Doctor. latiſſimè tractantur: & nos aliquid ſ. attigimus *in l. creditores. hoc tit.*

Fornerivs.

Actionis. ¶ Quas Athenienſes δίκας, Romani actiones inde nominarunt, quòd creditores in iudicium negantes debitores, agerent ac ducerēt, ἀπὸ τοῦ ἄγειν τοὺς ἀγνώμονας ἐπὶ τὸ δικαστήριον, inquit Theophilus. Quo nomine omnis qua nobis debitū iudicio perſequi poſſumus ratio: Nec condictio ſolùm ſeu perſonalis actio, ſed & reiuindicatio continetur. *§. 1. §. omnium §. ſic itaque. de act. l. 25 actionum. l. 37. actionis.* ſ. *de ob. & act.* Tametſi ſpecialiùs actio in perſonam, petitio in rem, perſecutio in rem vel in perſonam rei perſequendæ gratia inferatur. *l. 28. actio. de obl. & act.* Propriè etiam perſecutio da re dicatur *l. 178. pecuniæ. §. perſecutionis.* ꝫ *h. t.* Cicero pro *Quintio,* [perſequi rem ſuam.] *pro L. Flacco,* [bona ſua repetere ac perſequi lite atque iudicio.] Quæ interdum confunduntur, *hic & d. l. 37. actionis.* interdum etiam dubitationis tollendæ gratia, vt in Aquiliana ſtipulatione, coniungūtur: [Quarúmque rerum mihi tecum actio, quæque aduerſus te petitio, vel aduerſus te perſecutio eſt, eritve.] *l. 18. & vni.* ſ. *de acceptil. §. item per acceptilationem. quib. mod. toll. ob.* Quominus eorum acceſſero ſententiæ, qui Celſi definitioni tanquam mancæ deſiderant aliquid. *l. 50. nihil.* ſ. *de obl. & act.* Quaſi verſus, [Perſequendi in iudicio quod ſibi debetur] ad ſolam perſonalem pertineat, non etiam vindicationem, ideóque adiiciendum cenſent, [Suúmve.] Cùm tamen [Debendi] verbum in omnem actionis ſpeciem cadat. *d. l. 178. pecuniæ. §. verbum* Debvit.

Etiam perſecutio.] ¶ Nec pecuniariæ tantùm litis, ſed etiam criminis actio dicitur. *l. vn. C. quand. ciuil. act. crim. præiud. l. 1. de crimin. ſtell.* vt actiones repetundarum in C. Verrem: vt actio falſi. *l. 2. Cod. Th. ad leg. Corn. de falſ.* vt actio legis Fabiæ de plagiariis, vt actio perduellionis, in Ciceronis Miloniana: denique capitales actiones ad ſupplicium. *l. pen. ſi ex noxal. cauſ.*

XXXV. Idem lib. xvj. ad Edictum.

Restitvere autem is intelligitur, qui ſimul & cauſam actori reddit, quam is habiturus eſſet, ſi ſtatim iudicij accepti tempore res ei reddita fuiſſet, id eſt, & vſucapionis cauſam, & fructuum.

Alciatvs.

Restitvere. ¶ Qui rem vt reſtituat, condēnatus eſt, is & fructus reſtituere debet, à tēpore litis cōteſtatæ perceptos, *l. præterea. de rei vend.* & actorē in eā cauſam ponere, quā habiturus eſſet, ſi ſtatim ante litis conteſtationem reſtituiſſet: *l. cùm fundus. ſi cert. pet.* vnde ſi ideò actor non

vſucap

vſucapit, quia eo tempore res ſibi reſtituta non ſit, reus quanti ea res erit tenebitur. *l. Iulianus. §. fin. ad exhib.*

Iudicij accepti. ¶ Id eſt, litis conteſtatæ. *l. is qui ſe obtulit. de rei vind.* tunc enim iudex iuris dicendi poteſtatem accipit, cùm ante definitiuè condemnari nemo poſſit: ſolebant autem tunc partes quibuſdam verbis ſolennibus vti, quibus de eo negotio iudicandi poteſtatem faciebant, vt ex M. Varrone *lib. 5. de lingua Latina* colligi poteſt. Sanè quod hic dicitur, procedit in his caſibus, in quibus à tempore lit. conte. fructus reſtituendi ſunt, quod in obligationibus dandi regulare eſt: in eo autem qui tradere tenetur, aliud eſt: quippe is à tempore moræ fructus perceptos reſtituere debet. *l. videmus. de vſu.* ¶ Sed quid in vſurario? & lucrum ſeu fructus quos ſola induſtria ſua acquirit, nunquam reſtituere debet, quales ſunt, ſi qui ex ipſa pecunia licitè proueniunt: cæteros reſtituere tenetur damnúmque illi reſarcire, cui fœnora extorſit: atque ita etiam Theologi ſentiunt. *Anch. reg. peccatum. in 6.*

BRECHÆVS.

RESTITVERE. ¶ Reſtituendi verbum latiſſimè patet, multiplé xque eſt eius ſignificatio, vt ſ. diximus: Sed hoc loco Paul. intelligit eum qui ad rem reſtituendam condemnatus eſt, non eam rem tantùm quæ præcipuè in controuerſiam adducitur & principaliter petita eſt, debere reſtituere, ſed & omneis rei ipſius acceſſiones, fructus, obuentiones, atque ea omnia quæ poſt acceptum iudicium, id eſt, litem conteſtatam, & ab ipſo incœpti iudicij tempore non ex re ſua quæſiuit, quæque petitor habiturus foret, ſi eo tempore quo iudicium accipiebatur, reſtituta res illi fuiſſet. Hoc enim eſt rem cum ſua cauſa reſtitui. *l. præterea. ff. de rei vindicat. l. illud. ad princip. ff. de petit. hæred. l. cùm verbum. ff. de reg. iur. l. videamus. §. in fauiana. ff. de vſur. diximus ſ. in l. plus eſt in reſtitutione. hoc tit.* Verùm iſthæc quidem accipienda ſunt, ſi actione ſtricti iuris, vt certi condictione, quis experiatur. *vt l. 3. §. in hac. ff. commodati. l. cùm fundus. Si cert. pet.* Aliud autem in bonæ fidei iudiciis agitur, in quibus acceſſiones ſtatim à mora debentur, Alc. *in d. l. cum fundus.* quo loco citat in hanc rem. *l. vſura. l. mora. §. 1. ff. de vſur. l. 2. C. de pac. inter emp.* Cuius quidem rei eam rationem tradit, quod hæ acceſſiones non actionis iure, ſed iudicis officio præſtari ſolent. *l. ſi depoſita. C. depoſ. Alex. l. ſi mutuo. §. fi. ff. ſol. matr.* Cuius officij, ante incœptum iudicium in contractibus ſtricti iuris nulla eſt commoditas. *l. ædiles. §. item ſciendum. de ædil. edict.* At verò in bonæ fidei iudiciis quæ latè patentem naturam habent, poteſt iudicis officium ad ea transferri & extendi quæ ante cœptum iudicium obuenerunt. Quæ ſententia eſt Accurſij *in §. actionum. ver. bonæ fidei. Inſt. de act. Gl. in d. l. ædiles. §. item ſciendum. ver. iniuncta. l. ſi quis miſſum. §. iudex. ff. de dam. infect.*

FORNERIVS.

RESTITVERE. ¶ Is reſtituit, qui actori ſic reddit, vt habiturus erat litis conteſtatæ tempore. ὡς ἔμελλεν αὐτὸ ἔχειν ἐν καιρῷ προκατάρξεως. Quæ ſententia quamuis generaliter in actione ad exhibendum & reiuindicatione obtineat. *l. 22. plus. l. vlt. h. t. l. 20. præterea. ſ. de reiuindic. l. 9. Iulianus. §. quantum. §. quia. ſ. ad exhib.* Tamen aptiùs ad recuperandæ poſſeſſionis interdictum referendam admonet inſcriptio. *l. 6. ſ. vnde vi, & de vi arm.* quæ eiuſdem auctoris éxque eodem libro, vnde & hæc ſumpta eſt. Illud autem interdictum reſtitutorium eſt. *l. 9. ſi plures. l. pen. eod. tit.* M. Tul. *pro Cæcinna.* [Dolabella prætor interdixit, vt eſt conſuetudo, vt de hominibus armatis, vt vnde deieciſſet reſtitueret.] *§. reſtitutoria. de interd. inſtit.* Sic igitur Vlpianus, [Non ſolùm fructuum ratio in hoc interdicto habetur, verùm cæterarum etiam vtilitatium habenda eſt. Nam & omnia quæcunque habiturus vel adſecuturus erat is qui deiectus eſt, ſi vi deiectus non eſſet, reſtituuntur, aut eorum lis à iudice æſtimari debet: iſque tantum conſecuturus, quanti ſua intereſſet, ſi vi deiectus non eſſet.] *l. 1. eod. titul.* Tantique condemnationem faciendam, quanti interſit poſſidere Paulus noſter ait, Veluti, [ſæpe actoris intereſt hominem retinere, aut quæſtionis habendæ, aut rei probandæ gratia, aut hereditatis adeundæ.] *d. l. 6.* [Vſucapionis.] ¶ Proinde ſi poſt litem conteſtatam vſucaptum (nam iure veteri in Pandectas relato, res vſu poſt litem cœptam, capiebatur. *l. 18. ſi poſt. l. 21. ſi à bona. ſ. de rei vind.*) exhibeat reus, non videtur exhibuiſſe: Cum petitor intentionem (rei vindicationis vel alterius actionis) ſuam perdiderit: & ideò abſolui eum non oportet, niſi paratus ſit, repetita die intentionem ſuſcipere, vt fructus æſtimentur. *d. l. 9. Iulianus.*

Et fructuum. ¶ Singulari vi ablatæ poſſeſſionis odio receptum eſt, vt ex die quo quis deiectus eſt, fructuum ratio habeatur in hoc interdicto: quamuis in cæteris interdictis ex quo edita ſunt, non retrò computentur. *d. l. 1. §. annus. ſ. vnde vi.* Quia ex ipſo tempore delicti pluſquam fruſtrator debitor conſtituitur, & in perpetua mora. *d. l. 1. §. rectiſſimè. l. pen. eod. tit.* In aliis autem interdictis, mora fit per editionem tantùm. *l. 3. de interd.* quæ vicem litis conteſtatæ obtinet, ſicut & libellus principi oblatus, & reſcripti editio. *l. 1. l. 2. C. quand. lib. princ. ob.* Per reſcriptum editum lis inchoari dicitur. *l. 4. C. Th. de denun. vel edition. reſcripti.* Quamuis editio verius muniat ad litigandum viam, quàm litem faciat. *l. 1. ſ. de ed. l. 3. C. eod. l. vn. C. de litiſcont.*

XXXVI. VLPIANVS lib. xxiij. ad Edictum.

LITIS nomen omnem actionem ſignificat, ſiue in rem, ſiue in perſonam ſit.

ALCIATVS.

LITIS. ¶ Litem poſt conteſtationem ſolùm dici, cauſam verò etiam ante, Doct. ferè crediderunt. *l. cauſas. C. de tranſaction.* quod ipſe non negauerim, quoties ſubiecta argumenti ratio hoc ferret, vt pro inſtantia cauſæ lis accipiatur. *l. poſtquam. C. de pactis.* alioquin propriè etiam ante iudicium

acceptum litem eſſe Iuriſconſult. hic oſtendit, qui actionem ſiue in rem, ſiue in perſonam ſit, ſignificari ait: nam & cùm litem conteſtatam eſſe dicimus, verba indicant quando adhuc conteſtata non erat, nihilominus litem fuiſſe. Eandem ſententiam etiam Cor. Fronto probat, dum Lis, inquit, naſcitur, pertinacia efficit controuerſiam. Idémque de controuerſia Fortunat. ſcribit, videtúrque etiam extra iodicium litem dici. *Abb. c. ex parte. extra eod.* quod & Nooius Marcellus ferè ſentit, nec alij diſſentiunt. ¶ Hinc illa inſcriptio: Hei vxot etiam mortoa litigas: Et quod in lite eſt, ipſe etiam in quæſtionis verbo eſſe dixerim. *l. ſi tibi. C. de lib. cauſ.* quamuis Bartolus cùm quæſtinnis verbum in lege reperitur, poſt litem conteſtatam ſolummodò accipi ſenſerit. *l. amplius, rem rat. hab.* quod non probo: nam & dubium non eſt, etiam ante litis conteſtationem, caoſam dici. *c. de cauſis. de offic. deleg.* vt eiuſdem ferè ſignificationis bas eſſe dictiones credere pronius ſit.

Brechævs.

Litis. ¶ Soperiori capite, actionis verbum, ex Paulo finitom eſt, nunc verò litis nomen ex Vlpiani interpretatiooe finiendum fuit. Eiuſdem enim ferè ſunt virtutis actio, lis, & cauſa, parúmque τῷ ἔργῳ diſſident inter ſeſe, quòd ad iudiciorum rationē ioeundam attinet. Nam actio eſt ius perſequendi in iudicio quod ſibi debetur, atque etiam ipſa perſecutio, vt ſuperius annotauimus: Cauſa eſt quam io Senatu dicimus, ſiue accuſationis aut petitionis, ſiue defenſionis gratia. Cauſam finit Apollodorus, Quintil. teſte *lib. 3. cap. 5.* eſſe negotium omnibus ſuis partibus ſpectans ad quæſtionem: aut etiam negotium, cuius finis eſt, controuerſia. Ea à Græcis δίκη dicitur. Et δίκην εἰπεῖν cauſam dicere: & δίκην ὑπέχειν ſubire iudicium. Cic. *lib. 1. Epiſt. familiar. epiſt. 1.* Nam cùm in ſermone quotidiano, tum in Senatu palàm ſic egit cauſam tuam, vt neque eloquentia maiore quiſquam, nec grauitate, nec ſtudio, nec contentione agere potuerit. Quod verò actio perinde vt cauſa non ſolú ad ius perſequendi in iudicio, ſed & ad ipſam quoque vim vocis & pronuociationis pertineat, videre eſt ex eodem Cicerone his propemodum verbis ſcribente, *lib. 3. de Oratore ad Q. fratrem.* Sed hæc ipſa, ioqoit, omnia perinde ſunt vt agontur; actio inquā in dicendo vna dominatur: ſine hac, ſummus Orator eſſe in numero nullo poteſt: mediocris bac inſtructus ſummos ſæpe ſuperare. Et paulò pòſt. Ad actionis autem vſum atque laudem, maximam ſioe dubio partem vox obtinet, quæ primùm eſt optanda nobis. Et iterum mox *eodem loco.* Quid ad aures ooſtras, & actionis ſuauitatem, quid eſt viciſſitudine & varietate & commutatione aptius? &c. Et hæc ſanè πρὸς τὸ κρινόμενον, id eſt, ad iudicationem transferuntur, quam quidem Cicero *in Partit. oratoriis,* diſceptationem appellat, quæ ſcilicet, ex rationis & firmamenti conflictione & quaſi concurſu exoritur. Nam cauſa propriè eſt negotium ipſum, qood eſt congregatio perſonarum, locorum, temporum, cauſarum, modorum, caſuum, factorum, inſtromentorum, ſermonum, ſcriptorum & non ſcriptorum. Quę Quintil. definitio ferè conuenit cum Cic. verbis. Cauſa (inquit *in lib. Topic.*) certis perſonis, temporibus, actionibus, oegotiis cernitur, aut in omnibus, aut in pleriſque eorum. Id autem diſcriminis inter cauſam & oegotium credit eſſe Quintil. *lib. 3.* quod cauſam ὑπόθεσιν negotiom περίστασιν intelligamus, id eſt, Thema ſeu propoſitum, & circunſtantias. Cauſam Iſocrates ait eſſe finitam qoęſtionem, ciuilem, aut rerum controuerſiam in perſonarom finitarum complexu. Ego verò exiſtimo actionem propriè eſſe cauſæ ipſius agitationem & exercitium. Cauſarum genera varia, ac ſignificationes profert Cicero *in Partitionibus oratoriis.* ¶ Cæterùm lis cauſam ſignificat, & eam rem qoæ in iudicio eſt controuerſa. Marcus Varro *in libro de lingua Latina.* Itaque (inquit) quibus res erat in controuerſia, ea vocabatur lis. Ideo, in actionibus videmus dici, quam rem, ſiue litem dicere oportet. Sunt qui dicant litem dici poſt conſtitutum iodicium, ſeu conteſtationem. Ego verò cum Alciat. ex Cornelij Frontonis ſententia in libro de nominum verborúmque differentiis litem quoque poſt incœptum iudiciom eſſe, cùm tamen ipſe Alcia. alio loco, aliter ſentire videatur. Qoapropter, ait, ſi lege municipij tantùm ſit, vt propter Aduocati abſentiam lites ſuſpendantur, poſt litem conteſtatam accipitur: vt Bald. Salice. & Riminald. tradideront. In ea quoque eſt ſententia Bartolus *hic, & in l. amplius non pet. ff. rem rat. hab. & in l. cauſas. C. de tranſ.* Cui tamen aduerſatur Accurſ. *in d. l. cauſas.* videtúrque opinari litem etiam ante incœptum iudicium eſſe dicendam. Veteres, teſte eod. Alc. *in d. l. cauſas.* ſtlitem non litem dicebant, ſicuti etiam tradit Feſtus Pompeius. Hinc & decemuiri ſtlitibos iudicandis. Quo circa dubiam eſſe, ait Alcia. etymologiam Iſidori litem à limitibus dictum exiſtimantis *in c. forus. de verb. ſignific.* Sed hæc nihilominus Iſidori etymologia defendi poteſt, quod primæ lites & controoerſia inter homines de limitibus & agrorum finibus fuerint. Rectéque ac πρὸς ἔπος. Virg. in haoc rem citauit his verb. *Limes agro poſitus litem qui differat arui.*

¶ In ſumma litem, actionem, & cauſam, ſæpe pro eodem καὶ ἀδιαφόρως & promiſcuè accipit. Idem Cicero, & idem Quint. *lib. 12. c. 7.* Neq; verò, ioquit, pudor obſtet quominus ſuſceptam, cum melior videretur, litem, cognita inter diſceptandum iniquitate, dimittat, cùm prius litigatori dixerit verbom. Idem *lib. 7.* Cùm ex ipſa præſcriptione lis pendet, de ipſa re qoæri non eſt neceſſe. Ignominioſo patri filius præſcribit: de eo ſolo iudicatio eſt, an liceat. hoc loco de actionis quæſtione tractat, & his quæ iodicium antecedunt, vt cùm de iure ambigitur accuſatoris & petitoris: & aut intentio aut præſcriptio in conerouerſiam adducitur. Aut etiam cùm cauſa ex eo pendet quòd non is agere videtur quem oportet: aut non cùm eo quicum oportet: aut non apud quos, quo tempore, qua lege, quo crimine, qua pœna oportet: tunc quidem tranſlatiua conſtitutio à Quintiliano *libro tertio,* dicitur. Quę omnia pertinent ad eam litis iudiciíque partem, in qua tum peremptoriæ, tum etiam dilatoriæ exceptiones hodie proponuntur. Quod & ante incœptum iodicium, & aliquando poſt ipſam litis cōteſtatiooem fieri ſolet: & non in perſonalibus actiooibos tantùm ſed etiam in realibus. Quare rectè dixiſſe videtur Vlpianus hoc loco, litis nomen actionem ſignificare, ſiue io rem, ſiue in perſonam ſit actio. Nam & Græci quoque litem, actionem, & cauſam, atque etiam iudicium vnico vocabulo, δίκην, appellant.

Connan

Connanus *lib.5.cap.4.* tradit,litem,non rem ipſam de qua agitur,ſed actionem continere. videto ibidem latius.

FORNERIVS.

LITIS. ¶ Actionis ac litis diſcrimen hîc confunditur. Actio quidem eſt ius ipſum,quo quis fretus ad iudicium obtinendi voto venit. Lis verò litigantium diſceptatio, conflictus, certamen, iurgium,contentio. In vetere gloſſario regiæ Bibliothecæ,quo voces iuris explicantur,notatã vtriuſque differentiã: *δίκη* ſeu lis definitur *ἡ ἔχουσα ἄδηλον συμπέρασμα*;incertum & ab ancipiti iudicio pendentem euentum habens controuerſia. *l. 51. quod debetur. ﬀ. de pecul.* Actio verò *δίκαιον τοῦ ἄγειν τὸν ὑπεύθυνον εἰς τὸ δικαστήριον. l.50.nihil.de ob. & act.* Lis ſeu inſtantia longè breuiore temporis ſpatio perit,quàm actio:Illa triennio,biennio,interdum etiam citeriore ſpatio terminatur. *l.vn.C.omn.iud.l.11. properandum.C.de iudic.l.vlt.C.de temp.& repar.app.* Obligatio tempore non finitur. *l.44.obligationum. § placet.de ob.& act.* Actionibus ſi paucas exceperis, omniſi triginta ferè aut quadraginta annorum curriculo præſcribitur. *l.3.l.4.antepen. l.vlt. C.de præſcript.xxx.vel xl.ann. & tit.de præſcript.long.temp.* ¶ Lis igitur in foro apud iudicem agitur, quæ moueri, inferri, inſtrui,ordinari, inſtrui,intendi,præparari, excipi dicitur: pendere donec abſolutione vel damnatione iudicis ſententiã finiatur. Varro. *lib.5.de ling.lat.* [Iudex eſt, qui accepta poteſtate quibuſdam verbis litem definit.] *l.1.l.56 poſt rem. de re iud.* vel tranſactione,ceſſione, temporiſue ſilentio ſopiatur. *l.4.C.de pact. l.16.cauſas. C.de tranſ. d.l.11.properandum.l.antep.ſi ſer.vin.l.21.deſtitiſſe.de min.* Lis perire dicitur & lis mortua. *l.1.§.ſed & de cal.l.3.quæ in frau.cre.l.2.iud.ſol.* Propriè accepto conſtitutóque iudicio fit lis,id eſt intentione,negatione,inficiatione,hinc inde controuerſa. *l.28.ſed etſi reſtituatur.§.ex quibus.de iudic.c.dudum. 2.de elect.l.11.poſt rem.ﬀ.de tranſa.l.vlt.C.quib.ad lib.procl.non lic.* Et quia victoriæ fiduciã quemque litigare, non improbè alterum vexare oportet. *l.21. in ratione. ad leg. Falc. l.30.petitor. de lib.leg.* Quinctilianus *lib.5 c.13.* Iurabat actor ſe non calumniæ cauſa litem intendere, reus ſe non calumniæ cauſa inficiari. *l.44.accer.ﬀ.fam.erc.* & litium [concinnatores] improbantur, vt & redemptores, *Chicaneurs. l.8. nequicquam.§.circa.de off.procon. l.pen.& vlt. C.mand.* ij ſunt *δικορράφοι*, Ariſtineto, *ἐρωτικῶν epiſt.vlt.lib.2.* Et Dioni Chryſoſtomo,*in Euboica oratione*:vnde menda obiter aliud agentibus nobis eluetur, *οἱ δὲ αὐτοὺς τούτους τε καὶ ἄλλους δικοῤῥάφους* (leg.detracto ρ, *δικορράφους*) *τε καὶ συκοφάντας,μισθοῦ πάντων ὁμοίως ἀπαλλάττοντας βοηθοῦντες.* ¶ Litigium à lite agenda deductum. *l.3.de tutel.*) tanquam barbarum latio exturbatur Valla:ſed agnoſcunt noſtri & vtuntur. *l.44.ſed & interpellatur. de arbitr.l.27. bona. de Sc.Velleian.* Vnde litigioſum. *l.4.de ad.ed.& res litigioſa.l.1.de iur.fiſc.tit.C.& ﬀ.de litig. & Nouel.112.* Lis verè eſt cum inſtituitur,& in ipſa demùm contradictione,atque conteſtatione. *l.vn.C.de lit.cont.* Lites conteſtatæ gloſſarij auctore exponuntur, *αἱ ἀρχὴν λαβοῦσαι ἐν δικαστηρίῳ δίκαι ἐξ ἀντικαθισταμένων*. Cuius effecta quædam anteà recenſuimus: *l.12.vt ſi cert.pe.* quibus adiungas licet,moram ac malam fidem litis conteſtatione contrahi. *l.3. ﬀ.de vſur. l.82. nemo. de ver.ob.* poſt iudicium acceptum omnes poſſeſſores in mala fide verſari, & fructibus perceptis ac percipiendis eſſe obnoxios , quos bonæ fidei poſſeſſores quaſi domini acquirunt. *l.25.ſed & ſi.§.ſi ante.ﬀ.de pe.her.l.1.C.de pe.he.l.2.C.de fru.& lit.exp.* Quamobrem deliteſcens in Fradiniano ac Florentino exemplari vitium tollatur. *l.48.ſumptus. & l.65.emptor. de rei vind.* proque [Ante litem conteſtatam] reſtituatur [à lite conteſtata ,] ratione iuris prorſus euincente. *d.l.22.certum.C.de rei vind.l.48.bonæfidei.de acq.rer.dom.§.ſi quis à non domino.de rer.diuiſ.*

Omnem actionem. ¶ Cum cauſæ pro effectis , pro cauſis effecta (quòd hæc ſine illis , ſine his illa non ſubſiſtant) vſurpentur:lis pro actione qualibet accipitur, Æque ſine iudicio actio,ac ſine actione lis inutilis euaſerit. *l.2.§.poſteà.de orig.iur.* nemo ſine actione experitur. *l.6.ſi pupilli ſi.de neg.geſt.l.9. quoties.§.item ſi temporali.de adm.tut.* Adeò vt Iureconſultos [rem,] an [litem] dicere oporteret dubitaſſe, Cicero *pro L.Murena* teſtetur:ita lis & actio pro eodem promiſcuè accipiuntur. *l.4.de iudic. l.107.cum ſermo.ﬀ.tit.ſeq.* lis etiam de crimine,id eſt *χωρὶς*. *l.3. C.qui accuſ.non poſ.l.3.ﬀ.de teſtib.* Quicquid in iudicium adducitur , quacunque de re quæritur , lis eſt. Litem ſuam iudicando impetire qui facit,idipſum quo de agebatur,in ſe transfert. *l.vlt.de var.& extr.cogn.l.15.filiusfam.de iudic.* Litem æſtimare,id de quo in iudicio controuertebatur. *l.47.hac ſi.de rei vind.l.10.illicitè.de reb.cor.* Namque litis æſtimatione ſoluta & accepta de rei litigioſæ dominio quaſi emptione contracta deciditur. *l.5. commod.l.vlt.quib.ex cau.in poſ.eat.l.3.pro empt.* Quinctilianus cauſæ fictæ ſeruiens *declam.384.* [Dicimus,inquit,pecuniarias lites eſſe,litigatorem non reum,non qui de capite ſortiatur illud iudicium vocari quæſtionem quamlibet potiùs quam litem. LITEM ÆSTIMATE inquit.quàm familiare,quam quotidianum verbum eſt? Si quid commodatum non redditur,nota ſunt verba poſtulantium QVANTI ÆSTIMET. Ergo pecuniarium verbum eſt:huic tu mortem putas ſubiici?] Et iurare in litem nihil aliud eſt,quàm actoris ſacramento eius de quo iudicium inſtituebatur,æſtimare. *tot.tit.de in lit.iur.* Id iuſiurandum *ὁ ἐνδικαστικὸς ὅρκος*.vocatur Baſilicôn *lib.22.tit.6.* malè *in l.4.l.l.10.* *ἔνδικος*:Sæpius ac meliùs ibidem *ἔνδικος* nominatur,& ab Harmenopul. *lib.1.tit.6.* De quo mox paulò plura. ¶ Sed iam deſinam, ac ne lis litem mihi ſerat,cautionem adhibebo.

XXXVII. PAVLVS lib. xxvj. ad Edictum.

VERBVM [oportere,] non ad facultatem iudicis pertinet, qui poteſt, vel pluris vel minoris condemnare:ſed ad veritatem refertur.

ALCIATVS.

VERBVM OPORTERE. ¶ Solennia verba actionum iure veteri erant [Aio te mihi dare oportere.] quorum verborum Valer. Prob. *in opuſc. de notis antiquis* meminit. Pone ergo me in libello dixiſſe te mihi decem dare oportere, quomodo hæc verba accipiemus? Et Iuriſc. ait, tametſi verè mihi ea debeantur licere tamen iudici vel pluris vel minoris condemnare. Hincque apparet euſque arbitrium protendi, vt ab eo quod verè debetur, recedere poſſit, & ex cauſa condemnationem vel augere vel minuere. Auget quidem in arbitrariis. *l.1. de in lit. iur.* vel in his quæ ex inficiatione duplantur. *Inſt. de pœn. tem. lit. §. aut aduerſ.* quod & expenſarum, vel eius quod intereſt ratione fieri poteſt. *l. terminato. C. de fru. & lit. exp.* Minuit verò, ſi totius ſummæ actor capax non eſt, vel ſi pars aliqua poſt iudicium cœpit non deberi. *l. ſi ſeruus. de cond. furt.* Minuit in executione, cùm reus non niſi quatenus facere poteſt, conuenitur. *l. ſunt qui. de re iud.* & hæc exempli cauſa ſatis ſint, alioquin generaliter licitum eſt iudici, cauſa legis diſpoſitionem interpretatione mutare. *Fel. c. 1. de conſt. ver. 7.* ¶ Quapropter, quamuis lex ſimpliciter velit interrogationibus reſponderi, poterit etiam diſiunctim reſpondentem admittere. *l. iuſiurandum & ad. §. non ſolùm. de iureiur.* & quamuis certa pœna noxiis ſtatuta ſit, illi tamen eam minuere, vel etiam augere permittetur. *l. quid ergo. §. pœna. de infa.* ¶ Quod & in dilationibus à lege conceſſis obſeruamus: ei enim, qui pro tribunali cognoſcit, eas prorogandi coarctandiue ius non denegatur. *l. 2. de re iud.* qua ratione & à voluntate teſtatoris recedere ex iuſta cauſa conceſſum eſt. Quod enim ſi fauore pupilli heredis prohibuit teſtator diuiſionem fieri, appareátque id in euidens eius damnum reflecti. *l. 5. §. ſi pater. de adm. tutor.* Poteſtque quandoque plus iudicis ipſius, quàm teſtatoris iuſſus. *Aretin. conſ. 22.* nam & tutori, quò minus repertorium facere teneatur, teſtator remittere non poteſt, iudex poteſt: vt ſi videat pupilli intereſſe, ne patrimonium ſui ſecreta aperiantur. *l. in confirmando. l. vtilitatem. de confirm. tut.* ¶ Planè quoties huiuſmodi facultate iudex vtitur, exiſtimationi eius conſultius erit, ſi non niſi expreſſa cauſa, id agat, curétque vt in actis eius veritas appareat. *Bar. l. Lucius. de infam.* ¶ Accurſius in huius legis interpretatione neque cœlum (quod dicitur) neque terram attigit.

BRECHÆVS.

VERBVM OPORTERE. ¶ Quod mihi dare facere Mæuium oportet, promiſit iureiurando Mæuius Calendis Aprilis ſe perſoluturum, non perſoluit Mæuius, peto itaque eum à iudice condemnari, certè iudex, qui tamen pro litis natæ argumento pluris vel minoris poteſt condemnare, non poterit Mæuium pluris condemnare, quàm quod mihi dare facereve eum oportebat cùm ab eo ſtipulatus eſſem: tametſi ætemodicij ſeu contumaciæ peccato, vltra pretium rei in iudicium deductæ, litem poſſit æſtimare. *l. 1. ff. de in lit. iu.* Qui igitur ſtipulatur quicquid te dare facereue oportet, id quod præſenti tantùm die debetur, in ſtipulationem cenſetur deduci, non, vt in iudiciis, etiam futurum. Vnde ſi in eadem ſtipulatione, quicquid in futurum debebitur comprehendi volo, adiiciendum erat verbum futuri temporis. Vt, quicquid te dare facereue oportet ac oportebit. *l. ſi ſtipulatus fuerim. §. cùm ſtipulamur. de verb. obl.* Quare ſi à colono, cui fundum in quinque annos locaueram, poſt tres annos ita fuero ſtipulatus: Quicquid te dare facereue oportet, non amplius quidem in ſtipulationem deducitur, quàm quod iam & præſenti die dari oportet. Quod ſi hæc verba adiiciantur, [oportebitue.] ſtipulatio etiam in diem concepta cenſebitur: & quod in futurum debebitur venire. Sic Vlpian. *in l. ſi à colono. d. tit. de ver. ob.* His quidem rationibus colligimus verbum præſentis temporis ad futurum non protrahi: quod & in extremis mandatis habet locum. Nam ſi his verbis quis teſtamento reliquiſſet. Quicquid mihi Lucium Titium dare facere oportet, Sempronio lego, nec adiecerit præſens in diémue: non dubitarem (inquit Proculus) quantum ad verborum ſignificationem attinet, quin ea pecunia comprehenſa non eſſet, cuius dies, moriente eo qui teſtamentum feciſſet, nondum veniſſet. Quòd ſi hæc verba adieciſſet, præſens in diémue, apertè declaraſſet, eam quoque pecuniam legare voluiſſe. *l. ſi ita ſcrip. ſiſſet. de leg. 2.* Huc etiam pertinet ſententia confiſcationis bonorum, vt de præſentibus non etiam de futuris intelligatur, quæque à proſcriptione, induſtria ſua quis quæreret. *text. in c. fœlicis. ver. verum. de pœn. lib. 6.* Paulus *in l. ſi mandauero. §. ſi cuius. ff. mand.* ¶ Quod reliquum eſt, de ſignificatione verbi, Oportet, multa tradunt Doctores, & quam vim habeat, quidque à verbo, licet, differat. Nam verbum oportere, ad perſonarum facultatem refertur, licere autem ad iuris legúmque authoritatem. Vnde Aretin. *in §. fin. Inſt. quib. mod. ius pat. pot. ſol.* aſſerit eſſe permiſſiuum non neceſſitatis. Cicero autem *in oratione pro Cornel. Balbo* oſtendit quantum ſit inter vtrumque diſcriminis his verbis. Nunc verò, inquit, quid dicitur? quid ait accuſator feciſſe Pompeium, quod ei facere non licuerit? quod grauius eſt quàm ſi id factum ab eo diceret, quod non oportuiſſet. Eſt enim aliquid quod non oporteat, etiam ſi licet: quicquid verò non licet, certè non oportet. Cętera vide apud Grammaticos, & Latinæ linguæ authores.

FORNERIVS.

VERBVM. ¶ In poſſeſſorem rei vindicationis iudicio damnatum, nec reſtituentem tria ſunt prodita iuris remedia; Manus militaris, iuſiurandum in litem, vera rei æſtimatio. *l. 46. eius. l. 68. qui reſtituere. de reiuindicatione.* eáque in ſimplum ſingula. ¶ Ac militare quidem auxilium, nihil aliud eſt, quàm ſimplex ſtationariorum militum (qui in ſingulis ferè prouinciis diſponebantur, *Nouell. quinquageſima prima.*) executio, rerum iudicatarum in contumaces, ne potentiores magiſtratuum imperia eluderent. *l. 1. de ſeruis fugitiuis. l. penult. §. ne vis fiat. l. 2. C. de iis qui latr.*

l.5.C.de iuriſd.omn.iud.l.10.ſi quis in hoc.C.de epiſc.& cl.l.2.C.ſi mancip.ita ven. Nicephorus *lib.3.cap.19. lib.7.cap.16.lib.9.cap.9.* ¶ Iuſiurandum verò in litem, quo rei qua de agitur, pretium in certam quantitatem redigitur, in ſimplum eſt. Harmenopulus *lib.1. Epitomes tit.6. in ſcholio ver.* κ᾽ ἀπολαμβάνει ταῦτα εἰς τὸ ἁπλοῦν ἀπὸ τῆς ἀντιδίκου. Id eſt, quoties poſſeſſoris, furis, aut raptoris dolo contumaciáue res non reſtituitur, actoris iureiurando æſtimatur. *d.tit.6.* ſed non ideò pluris fit, quod creſcere poſſit æſtimatio per iuſiurandum. *l.1.de in lit.iur.* Photius Nomocan. *tit.13. cap.*18. Tum quòd non creditur actor metu numinis diuini contempti cupidiùs rem æſtimando peieraturus. *l.8. quæ ſub conditione.* ꝟ. *de cond.& dem.arg.l.51.meritò.*ꝟ. *pro ſoc.* Tum quod ſi fluxæ fidei videatur, poterit iudex vel ab initio non deferre conditionem, vel certam definite quantitatem ad quam vſq; iuretur. *l.4.de in lit.iur.* Nec enim quicquid iurare paratus ſit, id ſtatim conſequetur actor, cuius integritas iudici perſpecta non ſit & explorata, ἐν ἀβασανίστῳ, ſed iudicis taxatione ἤγουν δικαίας διατιμήσεως. vt Harmenopulus ait. Alioqui in infinitum ſine vlla taxatione actor iurabit, & hoc tanquam veram æſtimationem ſequetur iudex. *d.l.68. qui reſtituere.l.64.non à iudice.*ꝟ. *de iudic.* Quid ſi deferre nolit iudex? *d.l.4.* §. *deferre.* Vel actor iurare recuſet, quod anceps periurium ſubire vereatur? *d.l.8. quæ ſub.* Neque enim niſi liquido iurari oportet. *l.34. Iuſiurandum.pr.l.30.eum.*§.1.*qui.de iureiur l.11. Marcellus ſi.rer.amot.* Demoſthenes *in Aphobum orat.3.* Tunc mos ei geretur, verúmque rei pretium exquiretur. *l.71.quod ſi.d.l.68.qui reſtituere.*ꝟ. *de rei vindicat.* idque vel ex loco, vel tempore, quorum varietate ac viciſſitudine pretia rerum mutantur. *l.59.quoties.l.ſeq.de verb.ob.l.63.pretia ſi.de leg.Falc.* Theophil.§.*loco.*§.*tempore.de act.* ex fructibus & obuentionibus prædiorum. *l.18.ſi quis.C.de reſc.vend.* denique peritorum qui adhibebuntur arbitrio, vera rei dignitas æſtimabitur. *l.6.C.de ſecund.nupt.* ¶ Cæterùm iudex, ſi quid ſine culpa poſſeſſoris acciderit, non pluris quàm res erit, quantique actoris intererit, litem æſtimabit. *l.58.à quo.l.68.qui reſtituere.de rei vin.* [Qui poteſt vel pluris, vel minoris condemnare.] ¶ Nec enim quicquid iudicis poteſtati ſubiicitur, id neceſſariò ſequitur: verùm ipſe quid ſuarum ſit partium æſtimat. *l.7.l.ſeq.*ꝟ.*de of.præſ. l.40.non quicquid.*ꝟ.*de iudic.* Permultúmque intereſt, verum quid nobis arbitrio officióque iudicis, an iure actionis debeatur. *l.vlt.quod cert.loc.l.1.C.de iudic.l.14.in bonafidei.C.de vſur.l.4.C.depoſ.* Obligatio eſt neceſſitatis vinculum: §.1.*de oblig.* Eleganter Suidas, τὸ δέον interpretatur ἀναγκαῖον. At officium iudicis, cum æquitate, non cum neceſſitate coniunctum eſt: Quæ ab ipſius arbitrio pendent, ſoluta ſunt ac libera. Itaque formulis quibus additur, [Quod te mihi dare faceréue oportet,] vera rei æſtimatio continetur, non iudicis arbitrium: id eſt tanti res, quanti actoris interfuerit æſtimabitur. *l.15. ſemper.*§. *hoc interd. quod vi aut clam.* aliúdque eſt arbitrium, aliud iudicium, Seneca *de Beneficiis, lib.3. Cicero pro Roſcio Comœd.* pœnas iure indictas nec remittere nec intendere poteſt iudex, arbitrarias poteſt. *l.11. Reſpiciendum.l.pen.*ꝟ.*de pœn.l.13.quid ergo.*§.*pœna.de iis qui not.infam.l.131.aliud.l.antep.*ꝟ.*h.t.* Iudex eſt lex viua ac ſpirans. *l.8.nam & ipſum.de iuſt.& iur.* ἔμψυχος νόμος. *Nouell.*105. Themiſtius Euphrad. *Oratione 5.* cuius arbitrio cætera, quæ modò nulla certa lege, nullo iure ſanciuntur, vt dilationum tempora, credita permiſſáque cenſentur. *l.1.de iur.delib.l.2.de re iud.*

XXXVIII. VLPIANVS lib. xxv. ad Edictum.

OSTENTVM Labeo definit, omne contra naturam cuiuſque rei genitum, factúmque. Duo genera autem ſunt oſtentorum, vnum, quotiens quid contra naturam naſcitur, tribus manibus fortè aut pedibus, aut qua alia parte corporis, quæ naturæ contraria eſt. Alterum, cum quid prodigioſum videtur, quod Græci φαντάσματα vocant.

ALCIATVS.

OSTENTVM. ¶ Oſtentum Cornelius Fronto ait, quod præter conſuetudinem offertur, vt puta ſi videatur terra ardere, vel cœlum. ¶ Portentum, quod porrò, & diutiùs tendit, futurúmq; poſtmodum aliquid ſignificat. Monſtrum quod contra naturam eſt, vt Minotaurus. Prodigium, quod mores faciunt, per quod detrimentum expectatur: id enim eſt prodigere. Sed Feſtus, quod futurum prædicat, per literarum immutationem, prodigium dici arbitratur: alij quòd porrò ſit adigendum, quod Nonius Marcellus ſentit, qui & alias differentias refert. Sed antiquos indifferenter his verbis vſos veriſimilius eſt.

Quod Græci vocant φάσμα. ¶ Ab apparendo nomen ſumpſit: Ciceroni ſpectrum dicitur, nos etiam miraculum appellamus, vt ſi appareat vir humana forma auguſtior, qui deinde euaneſcat. In hanc ſignificationem mentio eſt etiam Herodoto. ¶ Habent & Græci ἔμπουσαν, quam interpres Ariſtophanis ait variis formis ſub meridiem apparere, & calamitoſis ab Hecate immitti ſolitam. Hoc & dæmonium meridianum in Pſalm. appellatur: Sunt enim huiuſmodi cacodæmonum fere aëreorúmque ſpirituum opera, quorum virtute etiam magis plurimum poſſunt: vt minimè conſequens ſit aliquem ſanctitate vitæ præcelluiſſe, quòd miracula fecerit. *1.q.1.teneamus.* Aduerſus ea præſentiſſimum alexipharmacon eſt, inuocatio nominis IESV, qua de re diligenter diſſeruit Capnion *libro de Philoſophia Pythagorica vltimo.* Caius Caſſius apud Plutarchum *in vita Marci Bruti*, ex Epicuri ſententia, nullos eſſe dæmonas diſputat, nec huiuſmodi ſpectra verè apparere, ſed nobis ita quandoque videri, idque ex imaginibus quas falsò mens concipit. Cui opinioni & Lucianus accedit, edito hac de re dialogo, qui φιλοψευδὴς ἢ ἀπιστῶν inſcribitur. Sed Chriſtianis auribus hæc ſententia impia eſt, & id mali genus Galenus *de adfectorum locorum notitia libro tertio* ἰατρείαν vocat,

qnam definit eſſe intellectus cotruptionem: quo morbo Athenis laborauit Thtaſylaus, qui cùm ad ſanitatem redactus eſſet, Polme occidiſtis amici, non ſanaſtis, ait, vt eſt apud Hotatium.

Brechævs.

OSTENTVM. ¶ Polydorus Vergilius vrbinas, vir multa lectione exercitatus, in eo libro quem ſcripſit De prodigiis, tradit Portenta, Monſtra, Prodigia, Oſtenta, eiuſdem ferè eſſe generis: ac prodigia quidem dici quòd prædicent: Portenta, quia pottendunt: Oſtenta, quòd oſtendunt: monſtra, quia monſtrant. Variam tamen hotum verborum ſignificationẽ, ſecundum proprium, varij effectus demonſtrant. ¶ Quippe portentum, eſt ſignum quod contra naturam aliquid portendit, quod à Græcis dicitur τέρας, παρὰ τὸ εἴρω τὸ λέγω, εἴρας καὶ τέρας, vt eſt apud Etymologicum autborem: qno loco oſtentum, id eſt, τέρας, ſic diffinit, addens differentiam inter oſtentum & mitaculum. Τέρας (inquit) λέγεται τὸ παρὰ φύσιν γινόμενον πρᾶγμα: σημεῖον δὲ, τὸ παρὰ τὴν κοινὴν συνήθειαν γινόμενον. Id eſt, Oſtentum dicitur quod præter naturam euenit: Signnm ſeu miraculum, quod præter communem conſuetudinem accidit. Cicero *lib. 2. de natura deorum*, vbi cauſas qnatuot tradit cnr Cleanthes dixerit, infntmatas eſſe in animis hominum, deorum notiones. Tertiam (inquit) quæ terret animos fulminibus, tempeſtatibus, nymbis, niuibus, grandinibns, vaſtitate, peſtilentia, terrę motibus, & ſępe fremitibus, lapideiſque imbribus, & guttis imbrium quaſi ctuentis, tum lapidibus aut repẽtinis terrarum biatibus, tnm prętet naturam hominum, pecudúmque portentis, tum facibus viſis cœleſtibus, tum ſtellis bis, quas Græci Comeras, noſtri Ctinitas vocant, quæ nuper bella Octaniano magnarum calamitatum fuerunt prænnntiæ: tum Sole geminato, quod, vt è patre audiui, Tuditano & Aquilio cos. euenerat. Quo quidem anno P. Aphricanus Sol alter extinctus eſt: quibus exterriti bomines vim quandam cœleſtẽ eſſe & diuinam ſuſpicati ſunt. Conſtat occiſo Cæſare in Senatu, ptidie iduum Martiarum (ait Seruius) Solis fuiſſe deliquium ab bota ſexta vſque ad noctem. Vnde Virgilius *lib. 1. Georgic.*

Ille etiam extincto miſeratus Cæſare Romam,
Cùm caput obſcura nitidum ferrugine texit,
Impiáque æternam timuerunt ſecula noctem.
Tempore quanquam illo tellus quoque, & æquora ponti,
Obſcœnique canes, importunæque volucres
Signa dabant, quoties Cyclopum, efferuere in agros
Vidimus vndantem ruptis fornacibus Æthnam:
Flammarúmq; globos liquefactaq; voluere ſaxa?
Vox quoque per lucos vulgò exaudita ſilenteis
Ingens, & ſimulachra modis pallentia miris
Viſa ſub obſcurum noctis: pecudéſque locuta.
Infandum: ſiſtunt amnes: terraque dehiſcunt,
Et mæſtum illachrymat templis ebur, aráque ſudant.

¶ Idem etiam Cic. *lib. 1. de diuin.* Hetruſci autem, quòd religione imbuti, ſtudinſiùs & crebtius hoſtias immolabant, extorum cognitioni ſe maximè dediderunt: quódque propter aëris craſſitudinem de cœlo apud eos multa fiebant, & qnod ob eandem cauſam multa innſitata partim è cœlo, alia ex terra exoriebantut: quædam etiam ex bominum conceptu & ſatn, portentorum exercitatiſſimi interpretes extiterunt: quorum quidem vim, vt tu ſoles dicere, verba ipſa prudenter à maioribus poſita declarãt. Quia enim oſtendunt, portendunt, monſtrant, prædicunt, oſtenta, portenta, monſtra, prodigia dicnntur. Et eod. libto paulò pòſt: Nam & qnum (ait) duo viſi Soles eſſent, & quum tres Lunæ, & qnum faces, & qnnm Sol nocte viſus eſſet, & cùm è cœlo fremitus auditus, & qunm cœlum diſceſſiſſe viſum eſt, atque in eo animaduerſi globi. Delata etiam ad Senatum labes agri Priuernatis, cùm ad infinitam altitudinem terra deſediſſet, Apnliáqne maximis terræ mntibus conqnaſſata eſſet, quibns portentis magna Pop. Rom. bella pernitioſæque ſeditiones denonciabantur. Et paulò pòſt: Quid cum Cumis Apollo ſudauit? Capuæ victotia? Quid ortus Androgyni? nõnne fatale quoddam monſtrum fuit? Quid quod flnuius atratus ſanguine fluxit? &c. Quibus quidem locis videtur Ciceto nihil omnino diſcriminis facere inter monſtrum & portentum. Quod etiam depræhendimus ex eo libro Iulij obſequentis, qnem de prodigiis ſcripſit, In Atea Vulcani pet bidnum, in area concordiæ totidem diebus ſanguinem pluiſſe: & multa alia miracula quę ipſe Iulius modò prodigia, mndò etiam portenta appellat, qualia ferè noſtris temporibns viſa fuere, Sol ſcilicet geminus, Cometes, & nuper An. 1551. menſe Angusto in præclara ciuitate noſtra Tutonenſi grandinem miræ magnitudinis, ac ponderis duarum librarum pluere vidimus. & Lnretiæ Bylleam atcem de cœlo tactam, multáqne alia hnins generis prodigia, quæ Gręci διοσημείας vocant, quæque non eſt bnius inſtituti recenſere. Monſtra aliquando Seruius apnd Virgil. tes inſperatas interpretatur *lib. 3. Æneid.*

Vt me conſpexit venientem, & Troia circum
Arma amens vidit, magnis exterrita monſtris:
Diriguit viſu in medio, calor oſſa reliquit.

¶ Tradit quoque idem Seruius pottentum re vera eſſe, bomines in aues conuerſos: qnales fuere Diomedis ſocij poſt ducis ſui interitum: qnem extinctum impatienter dolebant hæ aues, poſtea Diomedeæ à Latinis appellatæ: qnas Erodios Græci nominant. Huius rei meminit Virgil. *lib. 11. Æneid.* vis verſibus,

Nunc etiam horribili viſu portenta ſequuntur
Et ſocij amiſſi petierunt æthera pennis.

¶ Ego

¶ Ego quidem exiſtimo nihil eſſe inter portentum, oſtentum, & prodigium differentiæ, vt videre eſt ex exemplis quæ ex Ciceronis, Iulij obſequentis, & Virgilij ſcriptis adduximus: & iterum *ex Vergilio Æneid. lib. 3.*

Sola nouum, dictúque nephas, Harpya Celæno
Prodigium canit, & triſteis denunciat iras.

¶ Quo loco Seruius notat prodigium, monſtrum, portentum modico ſiue diſcerni, ſed confuſè pro ſe plerunque poni: monſtrum tamen propriè & ſæpius dici de hominibus & pecudibus ſeu brutis exiſtimo. Vnde ipſe Virgilius *lib. 4. Æneid.* famæ imaginem deſcribens, inquit.

Monſtrum horrendum ingens, cui quot ſunt corpore plumæ
Tot vigiles oculi ſubter, &c.

Et idem *lib. 6.*

Multáque præterea variarum monſtra ferarum
Centauri in foribus ſtabulant: Scylléque biformes:
Et centum geminus Briareus, ac bellua Lernæ
Horrendum ſtridens, flammiſq; armata Chimæra:
Gorgones, Harpyæque, & forma tricorporis Vmbræ.

Et item *lib. 8.* de Porca cum triginta porcellis viſa.

Ecce autem ſubitum, atque oculis mirabile monſtrum:
Candida per ſyluam cum fœtu concolor albo
Procubuit, viridiq; in littore conſpicitur ſus.

¶ T. Liuius *lib. 1. Decad. 3.* tradit lupum qui caſtra intrauerat: laniatis obuiis, intactum euaſiſſe: & examen apum in arbore prætoria conſediſſe. Quæ prodigia appellat ipſe Liuius. ¶ Sed & Plinius *lib. 17. cap. 25.* ſcribit varia arborum plantarúmque prodigia, oſtenta, & miracula, híſque verbis pro eodem ſignificato, videtur ἀδιαφόρως, & promiſcuè vti. Eſt (inquit) & prodigiis locus. Inuenimus enim ſub foliis natas, vitem, ficum, & malum punicum ſtirpe fructum tuliſſe, nõ palmite aut ramis: vitem vuas ſine foliis: oleas quoque amiſiſſe folia baccis hærentibus. Sunt & miracula fortuita. Nam & Oliua in totum ambuſta reuixit: & in Bœotia deroſæ à locuſtis ficus iterum germinauere. Et idem paulò inferius. Prodigio autem fiunt ex dulcibus acerba poma, aut dulcia ex acerbis, è caprifico fici, & contra, graui oſtento cùm in deteriora mutantur, ex olea in oleaſtrum: ex candida vua & fico, in nigras, vt Laodiceæ Xerxis aduentu, Platano in Oleam mutata: qualibus oſtentis Ariſtandri apud Græcos volumen ſcatet. Et idem paulò infrà. Sunt prodigia & cùm alienis locis naſcuntur: vt in capitibus ſtatuarum vel aris, & cum in arboribus ipſis alienæ. Ficus in lauro nata eſt Cyzici antè obſidionem. Hęc ille, & multa alia huius rei. Eadem etiam commemorat Theophraſtus *lib. 2. cap. 4.* περὶ φυτῶν ἱστορίας, quem legiſſe minimè pigebit ob varia, quæ illic narrat, miracula & oſtenta plantarum. Ac vt planè oſtendam monſtrum varia ſignificatione à Latinis authoribus vſurpatum, non omittam. *Virgil. lib. 1. Georg.* accepiſſe monſtri nomen pro terrarum purgamento, Seruio interprete.

Tum variæ illudunt peſtes: ſæpè exiguus mus
Sub terris poſuitque domos, atque horrea fecit:
Aut oculis capti fodere cubilia talpæ:
Inuentúſque cauis bufo: & quæ plurima terræ
Monſtra ferunt, &c.

¶ Hæc igitur omnia quæ diximus planè nos admonent ducéntque, quid & quantum ſignificent hæc vocabula, oſtentum, monſtrum, miraculum, portentum, & prodigium. Qua ratione mihi videtur Vlpianus hoc loco fruſtra poſuiſſe duo oſtentorum genera: cùm & oſtentum, & prodigium idem ſignificent. Nam quodcunque contra naturalis conſuetudinis rationem aut fit, aut naſcitur, id oſtentum & prodigium eſſe conſtat. Quod ſanè eò pertinet, vt ſi quis filiis ſuis ſeu naturalibus tantùm, ſeu naturalibus & legitimis ducenta legauerit, non cenſeatur legatum factum fuiſſe illi qui monſtro ſimilis natus ſit, veluti rictu coruino, aut faciem habenti aſininam, vel quid aliud monſtroſum ac prodigioſum, id eſt contra formam humani generis. Quòd ſi mulier enixa ſit partum qui membrorum humanorum officia ampliauit, veluti ſex digitorum aut quiduis aliud ſimile, nihilominus inter liberos connumerabitur, *l. non ſunt liberi. ff. de ſta. hom.* Sed & ſi integer partus editus non ſit, vt qui oculo aut altera manu careat, cum ſpiritu tamen, idem dicendum erit *l. quod dicitur. ff. de libe. & poſth. hered.* formam ſiquidem mutare, nocet: ampliare non autem nocet, *gl. in d. l. non ſunt liberi.* ¶ De qua re nos latè ſcripſimus *in noſtris Aphoriſmis iuriſpruden.* Quocirca ſi contra naturam partus ſit editus, legitimus non erit. Intelligo autem contra naturam, præter conſuetudinem. Quicquid enim oritur, qualecunque eſt, cauſam habeat à natura neceſſe eſt: vt etiam ſi præter cõſuetudinem extiterit, præter naturam tamen non poſſit exiſtere. Ita (inquit Marcus Cicero *lib. 2. de diuinatione*) re nec terræ fremitus, nec cœli diſceſſus, nec lapideus aut ſanguineus imber, nec traiectio ſtellæ, nec faces viſæ terrebunt. Quarum omnium cauſas ſi à Chryſippo quæreremen, ipſe ille diuinationis author, nunquam illa dicet facta fortuitò, naturalémque rationem omnium reddet. Nihil enim fieri ſine cauſa poteſt, nec quicquam fit, quod fieri non poteſt: nec ſi id factum eſt quod fieri potuit, portentum debuit videri. Nulla igitur portenta ſunt. Nam, ſi quod raro fit, id portentum putandum eſt, ſapientem eſſe, portentum eſt. Sæpius enim mulam peperiſſe arbitror, quàm ſapientem fuiſſe. Illa igitur ratione cõcluditur, nec id quod non potuerit fieri, factum vnquàm eſſe: nec quod potuerit, portentum eſſe: ita omnino nullum eſſe portentum. Quod etiam coniector quidam & interpres portẽtorum non inſcitè reſpondiſſe dicitur ei, qui cùm ad eum retuliſſet quaſi oſtentum, quod anguis domi vectem circumiectus fuiſſet, tum eſſet, inquit oſtentum, ſi anguem vectis circumplicaſſet. Hoc ille reſponſo ſatis apertè

declara

declarauit, nihil habendum eſſe portentum quod fieri poſſet, hæc ille. Hac ratione ſi Androgynum Hermaphroditúmve mulier pepererit, legitimum dicemus eſſe partum: magíſque putat Vlpianus eius ſexum exiſtimandum qui in eo præualet. *l. quæritur. ff. de ſta. hom.* itaque interpretabimur Vlpiani mentem hoc loco dicentis, quoties quid contra naturam naſcitur, oſtentum eſſe, id eſt præter conſuetudinem naturæ, & formam vulgò à natura proditam: cùm nihil, vt diximus ex Cicerone, ſit contra naturam factum genitúmque. Sed & quæ contra naturam poſſunt creari (ſi qua tamen poſſunt) ſtatim perire Phyſici ſcriptores tradidere: & Seruius in *lib. 6. Æneid.* eo loco quo ſcribit Virgil.

Centauri in foribus ſtabulant, Scyllaque biformes.

Bene (ait ipſe Seruius) in foribus: quia ea quæ cuntra naturam poſſunt creari, ſtatim pereunt.

Quod Græci. ¶ Alterum genus oſtentorum hoc loco Vlpianus exequitur: quum quid (ait) prodigioſum videtur, quod Græci φάσμα vocant. Budæus hunc locum reſtituit φάσμα τερατῶδες. Quidam verò ſic legunt, quomodo Græci φάσματα vocant. Ego ſanè G. Budæi lectionem probatiorem exiſtimauerim. Quandoquidem φάσματα abſolutè monſtra non ſignificant. Sed φάντασμα Cicero viſum interpretatur. Cùm igitur adieceris τερατῶδες ſignificat viſum monſtroſum: ſicque magis ad iureconſulti mentem accedemus. Cùm itaque nobis vel dormientibus, & noctu, vel vigilãtibus, & interdiu, aliquid apparet, ac veluti oculis noſtris ſeſe obiicit, hoc ipſum φάσμα, id eſt viſum, ſpectrum, imaginationem atque illuſionem appellamus, παρὰ τὸ φαίνεται, quod apparere ſignificat. Etenim apud Græcos hæc verba φαίνομαι, φαντάζομαι, καὶ ἰνδάλλομαι imaginari, apparere & perſpicuum eſſe ſignificant. Herodot. *in Polym.* ὁρᾷς ὡς τὰ ὑπερέχοντα ζῶα κεραυνοῖ ὁ θεὸς, οὐδὲ ἐᾷ φαντάζεσθαι. Et τὰ φαινόμενα Ariſtoteli *in primo poſterio.* dicuntur aſtra & ſtellæ, propterea quòd lucidæ apparent & viſuntur. Eſt igitur φάσμα, φάσις, φαντασία apparitio, imaginatio Budæo teſte *in Commenta. linguæ Græcæ*, cùm inter vigiliam & adultam quietem, in quadam (vt aiunt) prima ſomnij nebula, adhuc vigilare ſe exiſtimaus, qui dormire vix cœpit, aſpicere videtur irruenteis in ſe, vel paſſim vaganteis formas, à natura, ſeu magnitudine, ſeu ſpecie diſcrepanteis: variáſque tempeſtates rerum vel lætas, vel turbulentas. In hoc genere eſt ἐφιάλτης, quem publica perſuaſio quieſcentes opinatur inuadere: & pondere ſuo preſſos ac ſentienteis grauare. Hæc Macrob. *lib. 1. in ſomnium Scipio. cap. 3.* quo loco tradit ſomniandi genera quinque. Virg. *lib. 4. Æneid.*

Anna ſoror, quæ me ſuſpenſam inſomnia terrent.

Hic Virgilius docet quòd Dido vehementi Æneæ amore correpta & affecta, ipſum etiam Ænean per ſomnium viderit. Quod fit cùm affectu aliquo agitur animus & perturbatur, vt vehemente motu doloris, iracundiæ, amoris, & id genus animi ægritudinum. Aut cùm hypochondriacæ ac flatuoſæ melancholiæ cerebri ventriculos aſcendunt, eámque partem tenent quæ φαντασία nominatur à Græcis, à noſtris autem imaginatiua pars. Sic verò ea humoris atri, item etiam flauæ bilis, pituitoſa frigidáque intemperies, varias patienti animo efformat rerum imagines & figuras ſecundum euincentis humoris & ἐπικρατούσης qualitatem ac δύναμιν. Nam biliosi calidíque morbi, Galeno *lib. 3. de locis affectis. cap. 4.* authore, vigilias, deliria, phrenetides generant: pituitoſi autem frigidíque ſoporem & ignauiam. Conſtat enim ex Platone, Hippocrate & Ariſtotele animi mores corporis κρᾶσιν ac temperaturam ſequi. Galenus quoque huius argumenti librum edidit. Sed & ipſe Galenus *dicto lib. 3. de locis affectis* ſcribit melãcholia affectorum imagines varias: ac quendam commemorat, qui cùm ſe teſtam effectum opinaretur, obuiantibus omnibus cedebat ne collideretur. Alterum, gallos cantare audientem brachiorum plauſu, vt ipſi alatum, imitatum vocem galli. Fuiſſe præterea alium ſcribit, qui magnopere extimeſcens ve Atlas qui mundum humeris ſuſtinere dicitur, tauri ponderis mole grauatus ac penè oppreſſus, ipſum à ſe excuteret, & ſic cum illo collideretur ipſe, nóſque vnà periremus. Multas huius rei rationes tradiderunt ipſe Plato, Hippocrates, Ariſtot. Plotinus, Galenus, Iamblichus, & Proclus. Prodit Macrobius *lib. 1. in ſomnium Scipio.* in Solis circulo & ſphæra ſentiendi opinandique naturam eſſe, quod αἰσθητικὸν καὶ φανταστικὸν appellant. Eſt itaque φάσμα τερατῶδες viſum monſtrificum & portentoſum, ſeu ſpectrum, quale ſolent videre quibus mens ratióque loco mota eſt furore vrgente: cúmque animo occurſant triſtia: cuiuſmodi ſcribit Virgilius *lib. 4. Georg.*

In ſecreta ſenis ducam, quo feſſus ab vndis
Se recipit, facilè vt ſomno adgrediare iacentem.
Verùm vbi correptum manibus, vinclíſque tenebis,
Tum variæ illudent ſpecies, atque ora ferarum.
Fiet enim ſubito ſus horridus, atráque tigris:
Squammoſúſque draco, & fulua ceruice leæna.

Sed Protea hîc deſcribit in varias ſeſe commutantem figuras. ¶ Et hæc quidem ſatis de phaſmate, tum etiam de oſtentis, quod ad huius capitis intelligentiam attinet.

FORNERIVS.

OSTENTVM. ¶ Paulus numero liberorum haberi negat eos, qui contra formam humani generis, conuerſo more procreantur: Veluti ſi mulier monſtroſum quid vel portentoſum aut prodigioſum enixa ſit. *l. 14. non ſunt. de ſtat. hom.* Dionyſ. Halicarnaſſæus, lege Romuli necari ſolitos eiuſmodi partus ait: Subobſcurè M. Tullius *lib. 3. de legib.* [Cum eſſet, inquit, citò legatus tanquam ex xij. Tabulis inſignis ad deformitatem puer, breui tempore ablatus.] ¶ Auguſtinus *lib. 21. cap. 8. de ciuit. Dei*, monſtra à monſtrando, quòd aliquid ſignificando demonſtrent: oſtenta ab oſtendendo, portenta, à portendendo, id eſt præoſtendendo: prodigia, quòd porrò dicant, id eſt futura prædicent. Græci hîc [oſtentum] vertunt, τέρας. inde Iul. Polluci Τερατοσκοπία, ars quæ portentorum ſcientiam profitetur: Τερατοσκόπος, interpres portentorum, Feſto, [prodigiator.]

Contra

Contra naturam. ¶ Attamen natus puer non humana forma, pro nato habetur *l.135.quaret.§.h.tit.* Quod de odioſa legis Papiæ, ad quam inſeribitur, ſententia accipiendum eſt: ne prodigiuſus partus matri fraudi ſit: vt ibidem pluribus oſtendemus. [Tribus manibus fortè aut pedibus.] ¶ Portentis aut monſtris adſcribi non debet, qui membra naturæ ampliauit, vt ſi habet ſex digitos: vt M. Curiacij ex patricia gente filias duas ob id Sedigitas appellatas: & Volcatium Sedigitum, tradit Plin. *lib.7.c.43.* Idémque ſi quis paucioribus minoribúſue membris naſcatur. *d.l.14.non ſunt.* Dummodò tamen eiuſmodi membrorum numerus maior minórue impediméto non ſit, aut ſua inæqualitate terribilis. *l.10. eadem.l.12.qui claunm.de ad.ed.* ¶ Lucanus prodigia bellum ciuile antecedentia commemorans.

Monſtroſosq́ hominum partus, numeroq́ modoq́
Membrorum, matremq́ ſuam conterruit infans.

Longè aliud eſt non integrum animal edi: modò enim cum ſpiritu veluti exſecto matris vtero, natus rumpit teſtamentum: ſi ad nullum declinet monſtrum aut portentum. *l.12.quod dicunr.§.de lib.& poſt. l.pen.C.de poſth.her.* [Cum prodigioſum.] Cicero *de diuinatione*, [Quia enim oſtendunt, portendunt, monſtrant, prædicunt: oſtenta, portenta, monſtra, prodigia dicuntur.] Ibidem. [Mulæ partus à te prolatus eſt, res mirabilis, proptereà quia non ſæpe fit: φαντάσματα.] ¶ Id eſt viſiones prodigioſæ, ſpectra. Ciceroni [viſa.] Hæc ſyncerior eſt lectio, quàm Politiani, aut Haloandri, qui perperàm repoſuere φάσματα. ¶ Quorſum autem hæc Labeonis definitio, non temerè pronunciauerim: cum pleriſque ex Vlpiani *lib. 25. ad Edictum*, ſumptis legibus, de cenotaphiis, ſepulcris, funeribus, & religione ſepulturæ omnibus differatur. *l.7. in tantum ſi.de rer.diu.& credecs in tit.de relig.& ſumpt.fun. l.3.de ſepulc.viol.l.6.mulieri.de pop.act.* Vna ſupereſt alterius argumenti eius inſcriptionis. *l.50.ſi pignora.de euict.* Reliquarum vitioſa epigraphe putatur. *l.9.tutor.de tutel.& rat.diſtr.l.137.qui auctore.§.iii.ſeq.* Niſi forte dixerimus, hanc interpretationem Labeonis pertinere ad petitionem hereditatis, & ſucceſſionem ab inteſtato, quæ iuſtis tantùm liberis deferatur. *d.l.12.quod dicunr. d.l.penul.* Liberi autem non cenſentur qui monſtro ſimiles eduntur. *d. l.14. non ſunt.* quæ fuit olim Pontificum quoque cognitio. *l.50.hereditas.de pet.her.l.3.de iuris & leg.her.* Cornel. Tacitus *lib.1.* Nam & à ſacris corpore vitiatos remotos fuiſſe Pontificiorum librorum & conciliorum monumentis edocemur.

XXXVIIII. PAVLVS lib. liij. ad Edictum.

SVBSIGNATVM dicitur, quod ab aliquo ſubſcriptum eſt. Nam veteres ſubſignationis verbo pro adſcriptione vti ſolebant.

ALCIATVS.

SVBSIGNATVM. ¶ Subſignare eſt ſignum ſuum (quod & ſigillum dicitur) ſubiicere. Ea ſigilli impreſſio auctoritatem ſcripturæ confirmat receptúmque eſt, literis iudicis ſolito eius ſigillo munitis, plenam fidem adhiberi. *c.poſt ceſſionem.de probat.* ſi de his atteſtatur, quæ ad eius officium pertinent, & ab arbitrio ſuo pendent. quòd ſi etiam teſtium ſubſcriptio acceſſerit, tunc generaliter iuſtam probationem facere. *c.2.de fide inſtr.* ¶ Subſignare quoque, ſimpliciter eſt ſubſcribere. nam & ſcriptura ſignum eſt, vnde ſcribentis perſona iudicatur. ¶ Quoniam verò qui chirographo alicui ſubſcribit, vel ſubſignat, ſe obligat, non ſecùs ac ſi totum chirographum ſcripſiſſet. *Bart.l.emptor.§.Lucius.de pact.* receptum eſt, vt id verbum etiam pro eo capiatur quod eſt obligare. *l.ſemper.§.conductores.§.de iure imm.* ¶ Subſignabant & olim reſponſa ſua Iuriſconſulti, quod & hodie ferè obſeruatur: reddere enim teſtimonium videntur quid iuris in propoſita quæſtione ſit. *l.2.§.& vt obiter.de orig.iur.*

BRECHÆVS.

SVBSIGNATVM. ¶ Mos erat apud antiquos, vt qui condendis ſcribendiſque teſtamentis, aut nuptiis contrahendis intererant, teſtamenti nuptiarúmque tabulas ſubſignarent, ideſt ſigillum ſuum apponerent, noménve ſubſcriberent. Vlp. *in l.ad teſtium.§.ſi quis.& ſeq.ff.de teſtam.* Si quis (ait) ex teſtibus nomen ſuum non adſcripſerit, verumtamen ſignauerit, pro eo eſt atque ſi adhibitus non eſſet. Et ſi (vt multi faciunt) adſcripſerit ſe, non tamen ſignauerit, adhuc idem dicemus. Signum autem, vtrùm annulo tantùm impreſſo adhibemus, an verò & ſiue annulo, verùm alio quodam impreſſo? variè enim homines ſignant. Et magis eſt vt annulo tantùm quis poſſit ſignare, dum habeat characteres. Poſſe & nocte ſignari teſtamentum, nulla dubitatio eſt. Et iterum *l.ſeq.* Si teſtamentum, quod reſignauerit teſtator, iterum ſignatum fuerit ſeptem teſtium ſignis, non erit imperfectum, ſed valebit vtroque iure, tam ciuili quàm prætorio. Subſignari igitur teſtamenta à teſtibus teſtamentariis lex prætoria voluit: quod legib. xij. Tab. omiſſum fuerat. Nec verò refert annulo ſignatorio, aut alio impreſſo teſtis ſubſignaret. ¶ Quam rem latius exequitur Fr. Connanus *lib.9. Com.iur.ciuil.c.2.* vbi de teſtamento prætorio agit. Erant igitur qui non teſtamenta tantùm, ſed & ſponſaliorum tabulas ſubſignarent: qui ſubſignatores & ſignatores dicebantur. Hi dotem conſignabant. Vnde ſcribit Sueton. Tranquillus Claud. Cæſarem vxorem ſuam Meſſalinam ſupplicio affeciſſe, quòd eam competiſſet ſuper cætera flagitia & dedecora C. Silio etiam nupſiſſe dote inter Auſpices conſignata. Cuius quoque rei Cornel. Tacitus meminit: & Iuuenal. *Satyra x.his verbis:*

— Et ritu decies centena dabuntur
Antiquo, veniet cum ſignatoribus auſpex.

Et rurſus

Et ruſus *Satyra prima.*

Et multum referens de Mecœnate ſupino
Signator falsò,qui ſe lautum atque beatum
Exiguis tabulis,& gemma fecerat vda.

Quo loco arguit criminatúrque Iuuenalis Regulum quendam, qui aliorum teſtamenta falsò, & ſignabat & ſcribebat. Signare autem eſt ſigillo obfirmare. Vlpianus *in l.videamus.§.qui vinum.ff.locat.* Qui vinum (inquit) de Campania tranſportandum conduxiſſet, deinde mota à quodam controuerſia ſignatum ſuo & alterius ſigillo in apothecam depoſuiſſet, ex locato tenetur, vt locatori poſſeſſionem vini ſine controuerſia reddat: niſi culpa conductor caret. Sed & Salluſtius *in Catilin.* ſigna pro ſigillis vſurpauit. Igitur, inquit, perlectis literis, cùm prius omnes ſigna ſua cognouiſſent, Senatus decreuit, vti abdicato magiſtratu Lentulus, itémque cæteri in liberis cuſtodiis haberentur. Signa ſua, ſigilla intellexit. Vnde Obſignare (quod Græci ἀποσφραγίζειν, & ἀποσφραγίσματα ſigilla) eſt impreſſo aliquo occludere. Martianus in *l.diuus Adrianus.ff.de cuſto.& exhib.reo.* Sed & caput mandatorum extat, quod diuus Pius cùm prouinciæ Aſiæ præerat, ſub edicto propoſuit, vt Eirenarchę cùm apprehenderint latrones, interrogét eos de ſociis & receptatoribus, & interrogationes literis incluſas & obſignatas, ad cognitionem magiſtratus mittant. Quod hodie vulgari noſtro eóque forenſi ſermone ſcribimus: *Et les informatiõs que faictes auras,tu apportes ou enuoyes par deuers nous cloſes & ſellees.&c.* Quare quod frequenter ſcribit *in epiſtolis* Cicero, obſignatas literas, nos dicimus clauſas & ſigillatas. Idem Cicero in *oratione pro Cluentio*: Cùm eſſet adoleſcens apud mulierculam quandam, atq; ibi pernoctaret, & ibi diem poſterum commoraretur, Auilius, vt erat conſtitutum, ſimulat ſe ægrotare, & teſtamentum facere velle. Oppianicus obſignatores ad eum, qui neque Aſinium, neque Auilium noſſent, adducit, & illum Aſinium appellat ipſe, teſtamento Aſinij nomine obſignato, diſcedit, & infra paulò pòſt. Eadem hac Dinea teſtamentum faciente, cùm tabulas prendiſſet Oppianicus qui gener eius fuiſſet, digito legata deleuit: & cùm id multis locis feciſſet, poſt mortem eius, ne lituris coarguì poſſet, teſtamentum in alias tabulas tranſcriptum ſignis adulterinis obſignauit. Vides qualiter hoc loco Cicero, obſignare teſtamentum etiam dixit, pro eo quod eſt ſubſignare vel ſubſcribere. Idem Cice.*lib.5.Tuſcul.quæſtio.* Tu quidem (inquit) tabellis obſignatis agis mecum, & teſtificaris quid dixerim aliquando, aut ſcripſerim. ¶ Aſſignare autem eſt iureconſultis, cùm quis duos pluréſve libertos ex iuſtis nuptiis quæſitos in poteſtate habens, de liberto, libertáve ſua ſignificaſſet, cuius ex liberis ſuis eum libertum eámve libertam eſſe vellet. Vlpianus in *l.1.ff.de aſſig.libert.&* ï.*l.aſſignare.h.titu.* Quo loco hanc rem diffuſius tractabimus. Quoniam igitur antiqui ſubſignationis verbum pro ſcriptione vſurpabant, factum eſt vt quod ſubſcriptum eſſet, diceretur ſubſignatum, id eſt ſigno propria manu ſubnotatum, quod χειρόγραφον, Græci appellant. Multas quidem ſignificationes habet verbum ſubſcribere. Nam & aliquando ſignificat alicui aſſentiri, & in eius opinionem deſcendere. Aliquando etiam συνηγορεῖν καὶ συνδικεῖν. Vnde qui in eandem cauſam incumbunt σύνδικοι dicuntur Budæo teſte in *Commen. ling. Græc.* hoc eſt ſubſcribere in cauſam. Dicimus etiam & ſubſcribere cauſam, id eſt ſententiæ cauſam aſſignare: & ſubſcribere cauſæ, id eſt adiungere ſe cauſæ. Quæ omnia latiſſimè exequitur Budæus in annot. Subſcriptores (ait Pædianus) non ſolum chartarum cauſa, neque iuuandi accuſatoris adhiberi ſolent, ſed etiam vt non facilè corrumpantur. Noſtri pragmatici hodie vulgari lingua noſtra celtica Adiunctos appellant: & ſubſcriptiones, Adiunctiones. Cicero pro *Aul.Cluen.* Ac primum, inquit, illud ſtatuamus, vtrum quia cenſores ſubſcripſerint, ita ſit: an quia ita fuerit, illi ſubſcripſerint. Si ideò quia ſubſcripſerint, videte quid agatis, ne in vnumquenque noſtrum cenſoribus in poſterum poteſtatem regiam permittatis: ne ſubſcriptio cenſoria non minus calamitatis ciuibus, quàm illa acerbiſſima proſcriptio poſſit adferre. ¶ Iam verò Paulus hoc loco ſubſignatum dici contendit, quod ab aliquo eſt ſubſcriptum: vt ſi quis alienæ ſcripturæ ſchedæúe nomen ſuum manu propria ſcribat, notétque ſolito chirographo, aut etiam ſigillo, eam ſcripturam ac ſchedam cenſetur comprobare, *vt l.ſuper chirographarus.C.ſi cer.pe.* Quo loco Bald. notat ſubſcriptionem, teſtimonium appellari, quaſi tunc is teſtificari videatur, qui ſubſcribit. Qui igitur alterius ſubſcribit ſchedę & ſcripturę aut obligationi, is perinde cenſetur nexum iniiſſe, & fortunis cauiſſe, ac ſi ipſemet totam ſchedam ſcripſiſſet. Bal.*in l.hac conſultiſſima.& l.cùm antiquitas.C.qui teſt.fac.poſ.l.diuus.§.item ſenatus. ad leg.Cornel.de fal.* vbi ſenatus cenſuit, vt ſi ſeruus domini iuſſu teſtamento codicilliſue libertatem ſibi adſcripſerit, ob eam rem quòd ipſius manu adſcriptum eſt, non minus liber ſit, ſed ei libertas ex fideicommiſſi cauſa præſtetur, ſi modò poſt eam ſcripturam, manu ſua teſtator teſtamentò codicilliſue ſubſcripſerit. Idem ſentit Bal. *in aut.contra qui. C.de non num.pec.* multa in hanc rem Vldar.Zaſ.in *l.ſi ita ſtipulatus.§.Chryſogonus.de ver.ob.* Quod ſi aliter quàm ineundæ obligationis propoſito ſubſcripſerit aliquis, ſed vel teſtimonij gratia, vel aliquam ob aliam cauſam; non inibit nexum: ac citra damnum periculúmque fortunarum ſuarum ſubſcripſerit, Panor.& doct.*in c.2.de fid.inſt.* idem reſpondit Herenn.Modeſt.*in l.Caius.ff.de pig.act.* Quid ſi aliquis ſubſcribat Chirographi nota ad fin.lib.rationem in quo plura & varia capita deſcripta ſunt aliena manu, an cenſeri debeat comprobare voluiſſe ea omnia quæ in ipſo lib.continentur? Et ſanè proprius eſt vt ſi quis expenſi acceptique rationes manu propria ſubſignarit ac ſubſcripſerit, eas ipſas comprobaſſe dicatur: exemplo Notariorum qui perſcriptiones & Syngraphas ſeu minutas (vt dicunt) cũ ſubſignarint, eas teſtimonio publico & authoritate præditas faciunt, comprobántque. *vt Inſt.cuius lib.de empt.et ven.§.in his autem.* Quo loco Io.Fab. notat ſubſcriptione opus non eſſe, quando notarij publici manu inſtrumentum deſcriptum eſt. Et in eum quidem ſenſum accipienda eſt Imperatoris conſtitutio in *l.contractus. C.de fide inſtrument.* Sic qui multa eáque varia expenſi acceptique capitula eadem tabella ſeu libello complexus eſt, ſi ſubſcripſerit, cenſebitur comprobare, ac quodcunque ſupra ſcriptionem continetur ſcripto, ſuſcipere

atque

atque agnoſcere. *d. l. contractus.* & doct. Bat. & Bal. eo loco notant, ſignum & ſubſcriptionem, ad perfectionem ſcripturæ & Syngraphæ requiri. Quòd verò ſi ſcheda tantùm deſcripta ſit, careátque ſubſcriptione aut ſigno, nihilo magis propterea obligabitur ſcriptor. Etenim non eſt ſcriptura conſtituendæ obligationis modus: ſed ſolum inuehit præſumptam ſuſpitionem obligationis. ex ea cauſa quam anteceſſiſſe conſtabit. *no. l. cum de in rem verſo. ff. de vſur.* Bal. *ad rub. C. de fide inſtru.* Qua de cauſa cenſuerunt Alex. *in d. l. diuus. §. item ſenatus, ad leg. Cornel. de falſ.* & *Pau. Caſ. in l. hac conſultiſſima. ad princ. C. qui teſta. fa. poſ.* temporis quo perſcriptio facta eſt, rationem non eſſe habendam, ſed quo ipſa præſcriptio ſubſcripta eſt. ¶ Porrò, ne quid, quod ad rem inſtitutam pertineret, videamur omnino prætermiſiſſe, quoniam ſupra de Syngrapha mẽtionem fecimus, velim ego te admonitum, inter Syngraphas & Cheirographa hoc intereſſe (vt adnotauit Aſcon. *in act. 3. in Verrem*) quòd in Cheirographis tantùm quæ geſta ſunt, ſcribi ſolent: in Syngraphis, etiam contra fidem veritatis pactio venit, & non numerata quoque pecunia, aut non integrè numerata pro temporaria voluntate hominum ſcribi ſolent. More inſtitutóque Græcorum, & cæteræ tabellæ ab vna parte ſeruari ſolent: Syngraphæ neutrius manu, vtrique parti ſeruandum tradunt. Cicero *in Verrem. act. 3.* Præterea pecunias occuparat apud populos, & Syngraphas fecerat. Et alibi, ex Syngrapha agere dixit.

FORNERIVS.

SVBSIGNATVM. ¶ Quatuor harum vocum, [ſubſignare, bona, deteſtari, poſſeſſor incertus,] interpretatio, quorſum pertineat, non facilè dixerim: niſi fortè ad tractatum *de acq. poſſ. cum l. ſeq. ad tit. vi bon. rap.* ¶ Subſignare & ſubſcribere rei geſtæ contractǽque tabulas ſcriptura annulóue confirmare. *l. 15. ſi non. C. de admin. tut. l. 15. diuus. ad leg. Corn. de falſ. l. 22. ad teſtium. de teſtam.* Vnde fit, vt adſignata prædia pro oppigneratis accipiantur & obligatis. *l. pen. §. conductores. ff. de iur. ſmm. l. vlt. C. de adm. tut.* ¶ Sed multum intereſt, proprio quis, an alieno negotio ſubſcribat. ¶ Priore caſu obligari dubium non eſt: niſi per imprudentiam ſubſcripſerit. *l. 2. C. de reb. alien. non alien. l. vlt. C. plus valere quod agit.* Error conſenſum non habet, nec obligat. *l. 15. ſi per errorem. de iuriſdict.* Theodoſius iunior Arcadij filius, temerè ſubſcribere ſolitus, ſororis commento reuocatur, cum oblato nec perlecto libello, Auguſtam quaſi ancillam facilitate inconſulta petenti vendidiſſet. Zonaras *tom. 3.* Sudas *in Pulcheria.* ¶ Poſteriore nec ſignatores, nec teſtes adhibiti alieno vel teſtamento vel contractui ſubſcribentes ſibi præiudicant. *l. 14. mutua. C. ſi cert. pet. l. 39. Caius. ff. de pign. act. l. 34. Titia. §. Lucia. de leg. 2.* Niſi quæ eorum fraus vel conſenſus, non ſimplex ſubſcriptio rei geſtæ confirmandæ acceſſiſſe proponeretur. *l. 26. fideiuſſor. §. pater. ff. de pign. l. 65. ſi procuratorem. ff. de procur.* Sanè vt ſuum nemini damnoſum debet eſſe officium, nec ſignatori, nec tutori ſua fides, nec cauſidico patrocinium. *l. 7. ſed ſi quis. teſtam. quemad. aper. l. 22. tutorem. ff. de iis qua vt ind. l. antep. C. de adm. tut.* Ita quiſquis ſciens prudens, alteri adeſt, litiſque procurationem ſuſcipiens patrocinatur, ſibi præiudicat. *l. vlt. ff. de inoff. teſt.* Atque ita diſtinxiſſe videtur Vlpianus. *l. 54. inter. de rei vind.*

§. j. BONA intelliguntur cuiuſque, quæ deducto ære alieno ſuperſunt.

ALCIATVS.

BONA. ¶ Finge Titium mihi tertiam partem bonorum ſuorum donaſſe, deinde deceſſiſſe, & in eius hereditate quadraginta eſſe: deducetur primò æs alienum, quòd fortè centum eſt, & ex trecentis, quæ ſuperſunt, tertia pars mihi præſtanda erit. *l. ſi. in l. generaliter in fin. de vſufruct. leg. ſuprà.* ante enim quàm bonorum computatio fiat, æs alienum deducendum eſt. ¶ Qua ratione, ſi vxori quis vſumfructum bonorum legauerit, poterit heres eatenus de rebus hereditariis vendere, *l. vſuf. ad l. Falci.* quatenus creditoribus ſatisfaciat, & in his quæ ſupererunt mulier vſumfructum habebit, quod etiam in legatariis, vt illis ſatisfiat, *l. fin. ff. ſin autem as. C. de bon. qua lib.* procedere verius eſt: niſi annua ſint legata: huiuſmodi enim de reditibus ſatisfaciendum eſt: *Picus. §. Titia. q. 60.* & hæc cùm inuentarium heres fecit, alioquin ſolus citra diminutionem vllam vſusfructus in ſolidum tenebitur. *l. fin. C. de iur. delib.*

BRECHÆVS.

BONA. ¶ Cùm quis teſtamento ita cauit. Fili mi, volo ex bonis meis ducenta Xenotrophio, & iterum ducenta Ptochotrophio erogari, id ſupremi mandati eatenus exequendum erit, quatenus creditoribus omnibus ſatisfiet. Neque verò amplius ad quenquam legatorum nomine aliquid pertinere videbitur, quàm quod ære alieno deducto: quódque explendæ conditionis cauſa datum eſt, ſupereſt, Pompon. *in l. non amplius. de leg. 1.* Sed neque etiam bona aliqua ad fiſcum pertinere dici poterunt, niſi quæ creditoribus ſuperfutura ſunt. Pau. *l. cùm emancipati. §. illud. ff. de colla. bono.* Præterea, ſi viro mulier bona ſua omnia in dotem dedit, reſpondit Paulus non poſſe virum à creditoribus conueniri: neque plus in bonorum promiſſione eſſe, quàm quod ſupereſt deducto ære alieno. *l. mulier. ff. de iur. dot.*

FORNERIVS.

BONA. ¶ Quoniam id quod nobis debetur propè noſtrum, quod ipſi debemus, alienum cenſetur: fit vt iuris interpretatione, τῷ ὄντι bona cuiuſque exiſtimentur, quæ deducto ære alieno ſuperſunt. *l. vlt. de vſufr. leg.* Vnde fit, vt cum fiſcus bona damnatorum occupat, in pœnæ vel mulctæ perſecutione, reorum creditoribus poſtponatur. *l. vn. C. pœn. fiſc.* Quia publicatio bonorum ſic accipienda eſt, vt æs alienum deducatur. *l. 37. quod placuit. ff. de iur. fiſc.* Quod non tantùm Romæ obtinuit. *l. 72. mulier. de iur. dot.* ſed & Athenis inualuiſſe tum ex Iul. Pollucis Onomaſtici lib. 8. tum Etymologici au

gici auctoris collectaneis colligitur, creditores & inter hos mulierem in dotis exactione præferri ſiſ- ſeri, *l.21. ſi marito. ſol. matrim.* ἐξῆν [illegible] ὅ λῆμμα, &c. *Quintil. decl. 273.* [Bona mea, id eſt, quod liberum in patrimonio meo eſt: & quod propriè meum ad te tranſire debet, ære prius ſoluto.] ¶ Eo ſenſu peculium καθαρὸν, quod deducto ære alieno cenſeatur, vocat Theophilus *tit. quod cum eo qui in al. pot. καθαρὰν οὐσίαν tit. de leg. Falci.* Harmenopulus *lib. 5. tit. 9. Nouell. 1. & 22. l. vlt. C. de repud.* ſic puri reditus, qui publica functione depẽſa, apud ſequeſtrem, eiúſque fideiuſſorem ſuperſunt. *l. 19. iubemus. C. de agr. & cenſ.* nec diſſimili ratione fructus liberi. *l. vlt. §. ad S.C. Velleian.* qui deductis impenſis ſuperſunt *l. 7. fructus. ſolu. matr. l. 1. C. de fruct. & lit. exp.* purum iuuamen, pro filiorum quarta legitima, quòd immunis omni onere, ſoluta ſit ac libera. *l. pen. C. de inoff. teſt.* καθαρὰ χρήματα, Phalaris *epiſt. ad Phileſtratũ.* ¶ Ex his illud efficitur, quamuis res pupillares, dotales, eccleſiaſticæ, & prædia decurionum alienari prohibeantur, ex neceſſitate tamen, id eſt ſi æs alienum vrgeat, diſtrahi poſſe. *l. 1. de reb. eor. l. 1. de fund. dot. Nouell. 7. & 120. l. 114. filiusfa. §. diui. de leg. 1.* Et meritò id quidem, cum ea demùm cuiuſque bona quæ diſſoluto ære alieno ſuperſint, intelligantur. Quam in rem præclara extat, ad præf. prætorio formula, vt ſub decreto prædia curialis vendat, apud Caſſiodorum *lib. 7. epiſt. vlt.* [Nam quid prodeſt, ſi quiſpiam videtur idoneus, & fieri non poſſit à contractis nexibus abſolutus? Egenti ſimilis eſt, qui reddere nequit alienum: nec dici poteſt proprium, quod liberare dominum non videtur addictum.

§. ij. ATTESTARI eſt abſenti denuntiare.

ALCIATVS.

ATTESTARI. ¶ Dubium non eſt, proteſtationem etiam abſente parte fieri poſſe: *l. pen. C. de an. præſcrip.* & cùm quis denuntiat præſcriptionis interrumpendæ cauſa, vel cùm pater, receptis à filio, qui mutuum ipſius nomine cõtraxerat, literis, ſe nõ cõſentire proteſtatur. *l. ſi filius. 2. ad Maced.* ¶ Sed dubitabit aliquis, cur magis atteſtari dicatur, qui abſenti, quàm qui præſenti denuntiat: an quòd videntur antiqui hoc verbo vti, cùm quis denuntiat, & ea de re teſtes rogat, eíſque imam autem (quòd ibi memoriæ locus eſt, vt Plinius ait) vellit? Sic Horatius: Licet atteſtari? ego verò Oppono auriculam, rapit in ius. Sic Plautus in Curcul. & in Perſa accepit. Qua ratione deinde receptum eſt, vt cùm abſenti denuntiamus, propriè dicamus atteſtari: quia denuntiatio per ſcripturam fit, in qua neceſſariò teſtes non, niſi rogati, interſunt: *Auth. rogati. C. de teſtib.* quod in præſente, quem viua voce admonemus, neceſſarium non eſt: nàm tunc vel fortuitò repertos, minimèq; rogatos teſtes ſufficere noſtri Iuriſconſulti exiſtimarũt. veteres enim, teſtes videntur pro rogatis accipere. Vergilius: *Diuos, quanquam nil teſtibus illis Profect*, id eſt, inuocatis & rogatis. ¶ In aliis codicibus deteſtari ſcriptum eſt, atque ita etiam Bart. alicubi legit: videtur enim vtrunque verbum eiuſdem ſignificationis eſſe, de qua re infrà diffuſiùs diſſeram.

BRECHÆVS.

ATTESTARI. ¶ Forſan legendum fuerat, Anteſtari, id eſt, vadari, quod Græci κλητεύειν dicunt, id eſt, vt Budæus interpretatur, in ius vocare παραγγέλλειν εἰς δίκην denuntiare iudicium. Denuntiantes autem (inquit Acron) præſentes quoſdam habebant anteſtatos, coram quibus iudicij denuntiatio fiebat lege xij. Tabul. At verò ei coram quo conteſtabantur, aurem vellebant, vt memor eſſet. Vnde Virgil.

---Cynthius aurem
Vellit & admonuit Paſtorem, &c.

Et Horatius *lib. 1. ſermonum. Sat. 9.*

---Caſu venit obuius illi
Aduerſarius, & quo tu turpiſſime? magna
Exclamat voce: & licet anteſtari? ego verò
Oppono auriculam: rapit in ius: clamor vtrinque
Vndique concurſus: ſic me ſeruauit Apollo.

Plautus *in Curgul.* Ambula in ius. Mi. non eo. Phi. licet anteſtari? Mi. non licet. Phi. Iuppiter te malè perdat: inteſtatus viuito. Mi. At ego, quem licet, te: accede huc. Curgul. ſeruum anteſtati? Idem in pœnulo. Ire in ius ne moramini? anteſtare me atque duce. At ego te anteſtabor, poſtea hanc amabo, atque amplexabor. Budæus ſcribit à verbo ſiſto anteſtari deductum eſſe: ac exiſtimat omnino legendum, anteſtari, non autem atteſtari, nullo licet exemplari fidem faciente. ¶ Quod itaque hoc loco Paulus dicit anteſtari eſſe abſenti denuntiare, intelligendum eſt, quando in iudicium quis vocatur. Nam anteſtari, qui à Græcis κλητῆρες, ſunt quos hodie forenſes noſtri & pragmatici vulgò appellant, *Records.* Abſenti autem denuntiare dicit, trahere in ius eum qui quòd vadimonium deſeruit, iudicémque negligit, abſens dicitur. Dicebant quoque denuntiare teſtimonium, id eſt alicui diem ferendo teſtimonio dicere: hoc eſt ad iudicium inuitum trahere ferendi teſtimonij gratia. Quod etiam κλητεύειν, id eſt anteſtari Budæus dicit eſſe, *in nuncupatio- [illegible] Iulio Pollu. lib.* 8. Quo loco exiſtimat ipſe Budæus, in publicis tantùm iudicijs licuiſſe teſtimonium denuntiare: hoc eſt, inuitum euocari ad remotum longinquúmque tribunal. ¶ His itaque facilè perſpicies, veterem lectionem eorum qui hoc loco legunt, deteſtari, optimo iure eſſe exploſam: potiuſq; legendum eſſe anteſtari, quàm etiam atteſtari. ¶ Neque verò video quam ob cauſam iureconſulti noſtri deteſtari pro ea ſignificatione acceperint, niſi quòd Græcos imitati qui ἀποµνύειν dicunt, cùm aliquid non ex acri intentione atque animi

 promp

promptitudine faciunt, ſed quouis modo & quaſi præuaricati *ἢ τυχόντως ποιεῖν* ea tantùm gratia ne incuſentur ob rem neglectam: ſic illi deteſtari, cùm abſenti denuntiatione facta teſtibus in hanc rem rogatis, vel actionis, vel exceptionis, aut vſucapionis periculo liberari & eximi ſe contendunt. Veluti quando eius perſonæ aduerſus quam licet experiri, aut præſcriptionem oportet interrumpi, copia per abſentiam fieri nobis non poteſt, illi coram tabulario, ad domicilium, diligentiam noſtram, quam in vſucapione dirimenda adhibuimus, obteſtamur, & vſurpationem denuntiamus: quod deteſtari dicunt: atque ea deteſtatione, id eſt denuntiatione, quam etiam pragmatici noſtri atteſtationem appellant, rectè conſultum nobis videtur. *l. vt perfectius. C. de annali except.*

FORNERIVS.

ATTESTARI. ¶ Aliis in libris modò [atteſtari,] modò [proteſtari] ſcriptum indicat Accurſius, vtrumq; mendosè: quod tamen Alciato alieniſſimæ de proteſtationibus diſputationis anſam præbuit. Rectiùs Florentiæ ſcriptum [Deteſtari,] Græci ſeq. cap. *διαμαρτύρεσθαι* expoſuere: cum teſtatione denunciare, *ſummer. l. 238. plebs. ꝫ. h. t.*

§. iij. INCERTVS poſſeſſor eſt, quem ignoramus.

ALCIATVS.

INCERTVS. ¶ Poſſeſſor ille nobis incertus eſſe dicitur, cùm ignoramus eum poſſidere: & cùm poſſidere facti ſit, huiuſmodi ignorantia eſt probabilis. Reſpectu autem ſui ipſius nemo omnino incertus eſt poſſeſſor, cùm incertam (ratione loci, ſimúlque quotæ portionis) rem nemo poſſeſſionis cauſa acquirere poſſit. *l. 3. §. 1. de acquir. poſſ.* quòd ſi huiuſmodi incertitudo declaretur, aliud eſt, vt cùm lex poſſeſſionem transfert: ea enim de his, quæ per rerum naturam eſſe poſſunt, nunquam dubia eſt. *l. cum quidam. §. quod dicitur. de acqui. poſſ.* Idem cùm ambiguitas ſublata eſt, quod fit per relationem ad aliquod inſtrumentum, vel per euentum *l. ſi quis extraneus. in fin. de acq. hered.* vt ſi conſtituas te meo nomine etiam bona futura poſſidere, eis enim acquiſitis, incipis poſſidere, tunc quippe quale, quantúmve ſit, quod poſſides, certum eſt. ¶ Sed & quod mihi per ſeruum, vel filium ex peculio quæritur, quamuis incertus ſim, poſſidetur tamen. *d. l. 1. §. item acquirimus. de acq. poſſ.* & hoc in poſſeſſione: nam in contractibus dubium non eſt, poſſe generaliter deduci omne ius quod tali in loco habeo, *l. quod ſi. de her. vend.* ſicut & incertam partem in iudiciis vniuerſalibus vendicare non prohibeor. *l. quæ de tota. §. 1. de rei vendic.*

BRECHÆVS.

INCERTVS POSSESSOR. ¶ Incerta poſſeſſio dicitur, vel naturâ, vel facto hominis. ¶ Naturâ, videlicet ſi ex quatuor fratribus, tres è vita exceſſerint, vnus quidem eorum, relicto filio nato: duo alij, vxoribus grauidis: poſtremò, quartus nullis liberis ſuperſtitibus obiit: nunc de herciſcunda familia inter filium fratris relictum, & mortuorum poſthumos agitur: certè quoniam naturâ incertum eſt quot filios parient grauidæ (poteſt enim earum altera, aut vtraque, quinque ſeptémve liberos edere) incerta eſt & nati iam filij, & poſthumorum poſſeſſio. Quocirca prætor incertæ partis hereditatis petitionem indulget, iuſtis aliquibus de cauſis. Vlpian. in *l. 1. §. fina. ff. ſi pars hered. peta.* ¶ Facto hominis incertam etiam dicemus poſſeſſionem, vt quia iudicij euentus incertus ſit. Scæuola *in l. Quod debetur. ff. de peculio.*

FORNERIVS.

INCERTVS. ¶ Vicina eſt ignorantiæ incertitudo: qui dubitat pro ignorante habetur. *l. vlt. C. de cond. indeb. l. vlt. verſ. Sin autem neſcius & dubitans. C. de furt. l. 62. in tempus. ꝫ. de hered. inſtit. l. 10. ſi fuerit. ꝫ. de reb. dub.* incertus poſſeſſor, ignotus, clam poſſidens. Quod non apparet, vel incertum eſt, perinde habetur, ac ſi nō eſſet. *l. 77. in lege. de contr. empt.* Nec intereſt, neget quis an taceat interrogatus: ſi tam obſcurè reſpondeat, vt incertum dimittat interrogantem. *l. 11. de ætate. de interrog. in iur. fac.* Poſteriorem tit. 48. lib. 6. Cod. partem [De incertis perſonis] Græci expoſuerunt, *περὶ ἀφανῶν προσώπων*. Theophilus incertam perſonam *ἄδηλον πρόσωπον. §. vlt. de legat.* id eſt *ignotam*: Paulus, [Si triennium effluxerit, poſtquā apertiſſimè fuerit pater ignotus, vbi degit, & an ſuperſtes ſit (*ἄδηλος ᾖ*)] initio dixerat, [vt ignoretur vbi ſit, & an ſit.] figura dicendi à Græcis deriuata fontibus. Alio ſenſu incertum ſolum Sicul. Flaccus *de limitibus agrorum* dixit. vt M. Cicero *pro Roſcio Comœd.* [Propter reip. calamitatem omnium poſſeſſiones erant incertæ: Nunc deûm immortalium benignitate, omnium fortunæ ſunt certæ.] vt incerta rerum dominia *l. 1. de vſurp. & vſuc.*

XL. VLPIANVS lib. lvj.

DETESTATIO eſt denuntiatio facta cum teſtatione.

ALCIATVS.

DETESTATIO. ¶ Proteſtationem quidam definiuerunt: clamoſam eſſe teſtationem, quæ ob teſtantis ipſius cautionem inuecta ſit. Sed hanc finitionem pleriq; rectè reprobauerunt, cùm etiam citra clamorē, & in occulto quoq;, proteſtatio fieri poſſit, vel coràm teſtib. vel ſcriptura, quæ nō niſi impropriè clamare exiſtimatur. Adde ꝙ & quandoq; proteſtatio in alterius quàm in proteſtantis cautionem inducitur, vt cùm pro alio proteſtamur, quod quibuſdam caſibus permiſſum eſt. *l. 1. C. ſi per vim.* vel cùm vtilitatis publicæ cauſa denuntiamus. ¶ Quare Bartolus, *in §. morte. l. non ſolùm. ꝫ. de oper.*

no.nun. hoc in reſpóſo veriorem definitionem referri exiſtimauit,declarauitq; denuntiationem dici, & ab vltimis voluntatibus,itémq; contractibus differat: teſtationem reqoiri,vt oſtendatur & in ſcriptis & abſque ſcriptura fieri poſſe.*l.ſi.de cuſtod.reor.*Sed vix eſt vt hoc ego adprobare poſſim,cùm denuntiatio ſit ſpecialius nomen,& anguſtius proteſtatione:eam enim ſolum ſignificat,quæ alteri nuntiatur:quod & etymologia ſatis indicat. Sed & teſtationem ad teſtes non referendam arbitror, cùm de ſubſtantia proteſtationis non ſint teſtes, neque ſcriptura, *Bart.l.nemo poteſt.de leg.*1.ſed probationis cauſam ſolùm reſpiciant:nam & in libro rationom quandoque fit proteſtatio,*l.Neſennius.de neg. geſt.*nec vlli teſtes neceſſarij ſunt. ¶Meritò igitur nec Bar.ſententiam ipſe ſequor,uidertúrq; commodiùs ſic definiri: Proteſtatio eſt animi noſtri declaratio,iuris acquirendi,vel conſeruandi, vel damni depellendi cauſa facta. ¶Hoius duplicem eſſe ſpeciem verius eſt: alteram quæ ex animo proteſtantis principaliter pendet: alteram quæ factum eius,cui proteſtamur,reſpicit.Illa declaratoria,cooſeruatoria,certificatoriáq; dicitur:hęc incitatoria,prohibitoria,inhibitoriáve:illa à teſtatione nomina accepit,hæc à nuntiatione. ¶Et primę illius variæ ſunt appellationes,quæ tamen aliqnam inuicem differentiam continent. ¶ Et in primis teſtatio nomen eſt generale, quoq; modo animi ſui ſententiam quis declaret.*Inſtit.de teſtam.in princ.* Specialiter verò eo nomine dicitur: quæ coram teſtibus facta eſt:vnde & teſtatò conuenire,teſtatò admonere dicimus.*l.ſi.pro derelicto*.Addit Bar.idē eſſe cùm ſcripturam adhibemus,quoniam in ea teſtes rogandi ſunt. ¶Deteſtatio eſt,quę ad abſentem mittitor,vt hic & ſuprà apparet.*§.atteſtari.ſ.l.proxim.*idq; præpoſitio De,oſtendit,cuius natura eſt augere,efficaciotémq; actum demōſtrare:quod & in verbo deprecor Aulus Gellius *lib.6.c.*16.declarat. Tunc enim non ſolùm ſeoteotiam ſuam quis ſimpliciter oſtendit,ſed ſcriptura,etiam conuocatis teſtibus,declarat. ¶Conteſtatio eſt propriè plurium,vt in iudiciis,cùm actor quid mentis ſuæ ſit,petendo explicat, cōtra reus negādo diffitetur,Vnde & litis cōteſtatio dicta. Idem & in exceptionibus. *l.ſi quidem.C.de excep.*præſcriptionibúſve.*l.emptor.C.de preſcr.long.temp.*Sed & quando quis de dolo,vel metu coram amicis proteſtatur,idq; clàm,meto concuſſoris conteſtari dicitur.*l.ſi maior. C.de tranſac.* ¶Atteſtatio viderur eſſe,quæ præſenti fit,declaraodi aoimi cauſa.*l.fin.C.de negot.geſt.*quòd ſuprà ex Plauto Horatióq; docoimus:quamuis ex vulgaris codicibus ibi atteſtati de abſente accipi videatur:ſed verior eſt lectio deteſtari.*Bar.d.§.morte.* ¶Proteſtatio eſt,quæ declarat quo animo aliquid facturi ſimus.*l.1. §.1. de lib.agnoſ.d.l.neceſſario.*præpoſitio eoim Pro,anticipationē temporis arguit. ¶Secundæ ſpeciei,quæ à nuntiando nomen ſumit,varia quoq; ſunt nomina:& in primis nuntiatio ipſa,quæ in edicto prętoris,de operis noui nuntiat.prohibitionem ſignificat,in lege Iulia de annona,*l.ſi.ad leg.Iul.de ann.*qua molierum nontiatio admittitur,accuſationem. Erant & nūtiationes quas publicè conſtituti Irenarchæ præſidibus faciebant,de delictis quæ vbiq; fierent: hæc & nototia iodicia Latinè dicuntur. *l.ab accuſatione.ad Turpil.*iubétq; lex,vt hi nototiis ſuis adſiſtāt,& quæ detolerunt, ita eſſe probent.*l.ea quidem.C.de accuſ.*Quod & in curioſis recipiendum eſt.*l.1.C.de curioſis.lib.*12.Sunt curioſi qui in curia principum vel magiſtratoum cōmiſſa delicta deountiant.¶Eſt & denuntiatio,quę ad alium mittitur, & maximè incitatoriam continet:vt cùm aliquem admooeo,vt ab emptione deſiſtat, vt defendendæ cauſæ adſit,vt à matrimonio cauſa legis Iuliæ exerceodæ abſtineat. Fit & teſtib. vt in iudicium cauſa perhibendi teſtimonij veniant.*l.lege Iulia.de teſtib.*cùm alioqoin ſponte ſe offerentes ſuſpicione non careaot. ¶Quæ prohibitoria erat, obnontiatio propriè dicebatur. Vode obountiare coońlio Ciceroni in oratione quam io ſenatu poſt reditum babuit. Item obnuntiatio Aogurum, cùm aliquid fieri prohibebant, quooiam auſpicia non addixiſſent. Cicero *Philippica vndecima.* Nos enim (inquit) nuntiationem ſolùm habemus, Conſules & reliqui magiſtratus etiam inſpectionem. Rurſus: Ementitus es auſpicia, obſtrinxiſti populum Romanum religione, Augur Auguri, Conſul Conſuli obnuntiaſti. ¶Eſt & renuntiatio cùm quis ius ſuum repudiat: vnde & renuntiare hoſpitium veteres dixêre. Sumitur & quandoque pro relatione, quam architecti, re inſpecta, iudicibus faciunt.*l.qui fundum.de contrah.empt.* Renootiantor & ſuffragia,cùm referrur & proclamatur quem ſuffragia deſignarint.Sic & Magiſtratus reountiari quandoq; legimus.Et hæc quidem,quod ad proteſtationis nomen attinet,ſufficiant: nunc de eius effectu aliquid attingendum. Et hîc triplex eſt diſtinctio.Aut enim proteſtatio in his facta eſt,quæ à iure dependent:aut in his,quę à poteſtate noſtra tantùm:aut in his,quæ à nobis,itémq; ab alterius facto vires ſumūt. In prima ſpecie pro regula traditum eſt,proteſtationem in his,quæ à legis diſpoſitiooe pendent,nihil operari. *glo.l.alimenta.de neg. geſt.C.*quaptopter ſi mater alat filium, proteſtetúrq; ſe animo alimenta ab ipſo reperēdi id facere,nō tamen his caſibus repetere poterit,quibos vel ipſa ad id tenebatur,vel maritos.Sic ſacra ædicula cōſtituta,ædituóq; deſignato,fruſtrà proteſtamor. 10.*q.*1.*cap. ſic quidam.* nolle nos ius aliquod epiſcopo in ea eſſe: nec enim poteſt quiſquam facere, ne in actionibus ſuis leges locum habeant. *l.nemo.de legat.*1.Et cùm lex iore publico aliquid diſponit, cuiuſquam volontate non inſpecta, fruſtrà ille proteſtatur. Quapropter ſi plures arbitri in ſententia ſua expreſſerint, ne in maiore ſumma minor inſit, cùm id à lege pendeat,prædictio huiuſmodi nullius erit momenti.*glo.c.1.de arb.6.*& qui dicit ſe litem conteſtari animo non conteſtandi,litem conteſtatus intelligitur. *l.Iuriſgen.§.quod ferè.de pact.* huiuſmodi enim actus à iuris diſpoſitione dependent, & cum alio aguntur, qui poſtquam eum conteſtari accepit,de eius animo nullam vlterios curam gerere debet.Sicut & cùm quis alteri,ſaluo,inquit,honore tuo,mentiris:verbum enim ipſum iniuriam irrogat,*Bar.l.ſi quis extraneus.de acquir.hered.*quam honoris illa ſeruatio nō extinguit. ¶Qood & in ea ſpecie proditū eſt,cùm quis,tædet me,inquit,ſal ſū damnatū te eſſe. *Ang.l.veſt ē.de inaur.*proteſtatio dolētis animi nullius effectus eſt. ¶Idē cùm quis aduerſus teſtes allegat falſos eos,ſceleſtos, facinoroſóſve eſſe,proteſtatúrq; id ſe nō animo iniuriā illis faciendi, ſed cauſam ſuam defendendi dicere, poterit nihilominus lege Corn. de iniuriis conueniri. *Socin.conſil.*118.1. ¶ Sed & canonici collegam ſibi adoptantes,ſi proteſtentur, ne ei ius ſit reditus ali-

quos

quos præbendámve accipere, nihil tali prædictione agunt. *c. cùm M. de conſtitut.* quia lex ei qui canonicus ſit, dari ea omnia iubet. ¶ Huc pertinet etiam, cùm iis his proteſtamur, in quibus nulla nobis de iure eſt poteſtas, ſed de facto tãtùm, vt in delictis, nihil enim tali teſtatione agimus: vt cùm quis vulnerat præfatus animum ſibi occidendi non eſſe, ſecuto homicidio, nihil ea prædictione iuuabitur. *c. fin. de homicid. 6.* non enim in manu ſua eſt certos ictus dirigere, & qui non niſi ex præſcripto lædant.

¶ Sed & cùm quid ex diſpoſitione legis, itémque facto alterius pendet: idem eſt: vt cùm emphyteuta inconſulto domino, alienat, ſaluo domini conſenſo: volente enim domino ex Iuſtiniani conſtitutione à iure ſuo cadit, *l. fin. C. de iure emphyt.* nec proteſtatione huiuſmodi adiuuatur: ſi tamen ea diſpoſitio legis in priuatum fauorem alicuius introducta ſit, eo conſentiente valebit proteſtatio, *l. 3. C. com. vtr. iudi.* idque in pacti conuenti vim. Quapropter patronus qui ſacram ædem conſtituit, ex epiſcopi authoritate id facere poteſt, vt inſtituendi ſacerdotis ius non ad epiſcopum, ſed ad alium præſulem pertineat. *l. cùm dilectus. de conſuetud.* Et hinc infertur, cùm cauſidici actionem edunt ſaluo addendi vel minuendi iure, fruſtrà his verbis vti, cùm addere vel minuere propoſitæ intentioni, non niſi ex legis præſcripto poſſimus. *l. de ita. C. de edend.* quod & reſponſum eſt cùm inſtrumenta in actis exhibent, in his tantùm quæ ſibi vtilia ſint: poterit enim iudex religionem ſuam etiam aduerſus producentem ex his inſtruere. *Bald. in l. 2. vt qua deſ. ad.* idque verius arbitror, cùm fides inſtrumenti ſeparari nequeat.

¶ In ſecunda ſpecie, cùm omnino à volũtate noſtra proteſtatio pendet, regula eſt, valere proteſtationem, animúmque declarari, *l. at ſi quis. §. plerique. de relig.* nec referre præſenti fiat an abſenti, in ſcriptis an id minus, cum cauſa, an ſine: ſufficit enim (vt ille inquit) pro ratione voluntas. *l. quia poterat. ad Treb.* quapropter traditum eſt, lapſo triennio, poſſe dominum aduerſus emphyteutam, qui nõ ſoluit, proteſtari, declaratéque voluntatis ſuæ eſſe vt à meliorationibus is cadat, quamuis abſens ſit. Sed & cùm quis in cauſa, qua ſolenniter libellus offerendus erat, ſe intentionem ſuam in formá qualiſqualis petitionis offerre dixiſſet, reſpondit Anchara. *in conſil. 32.* proteſtationi huic ſtandum, adeò vt potius perperam egiſſe videri debeat: id enim à ſola actoris voluntate pendebat: ſi tamen quiſquam ex huiuſmodi proteſtatione grauaretur, is certior fieri deberet: nec enim ęquitas patitur, ignotãrem aliquem captari: quod in tertia ſpecie latius explicaturus ſum. Is ergo qui admonitus erit, non poterit ignorantiæ prætextu ſe excuſare. *l. ſi fideiuſſor. §. 1. mand.* & his caſibus quibus ſcientia & patientia cõſenſum inducit, niſi aduerſatus fuerit, conſenſiſſe cenſebitur. *l. 1. §. 1. de lib. agnoſ.* per huiuſmodi quoq; notitiam in mala fide conſtitueretur. vnde rem tanquã furtiuam vſucapere non poterit: & vice verſa, qui dominum admonuerit, non poterit cenſeri clàm poſſediſſe. *l. ſi ancilla. pro ſuo.* In eo etiam ex iuris regula obſeruabitur. Eum qui certus eſt, amplius certiorem facere non poterit. *cap. eum qui. de reg. iur. lib. 6.* Sed & proteſtans ipſe, ſi eum, cuius intereſt, admonuerit vel eius familiam, inſimulari non poterit clàm voluiſſe quicquam facere. *l. aut qui aliter. quod vi aut clam.* Hincque apparet, hac in ſpecie comprendi qualemcunque proteſtationem, ſiue animum noſtrum declaret, ſiue iuris noſtri alienive conſeruandi cauſa facta ſit, dum à ſola voluntate noſtra id pendeat: cuius rei plurimis caſibus accipi exemplum poteſt, vt cùm creditoris ſolutionis cauſa debitor fundum pignoratum dat, iſq; proteſtatur, velle priora iura ſibi ſalua eſſe. *Bart. l. ſi quis aliam. de ſolution.* vel cùm quis ſortem in præſentiarũ recipit ſaluo ſibi iure vſuras, vel pœnam, huiuſmodive ceſſiones petendi. *Bartol. l. fi. de eo quod cert.* vel cùm recepta ab aliquo ex pluribus reis debendi parte, proteſtatus creditor ius ſolidi ſibi ſaluum eſſe debere, *l. ſi creditori. C. de pact.* vel cùm immunis aliquis onera ſubit, proteſtatus abſque immunitatis ſuæ præiudiciũ ſe id facere. *l. 1. C. de his qui ſpon.* vel cùm emphyteuta alienat, ſaluo domini conſenſu, iſque deinde conſenſerit. *d. l. 1. C. de fund. pat.* Sed & cùm teſtator fundum legat, ſaluo iure coloni, valet proteſtatio. *l. ſi quis legauerit. de legat. 1.* ſicut & ſententia, qua iudex expenſarum vel fructuum taxationem ſibi reſeruat, vel in poſſeſſionem ex decreto ſuo mittit, ſaluo iure legitimi poſſeſſoris, *l. terminato. C. de fru. & lit. exp. l. ille. §. 1. ad Treb.* vel debitorem certa pecunia condemnat, ſaluo ſi intra decem dies illud vel illud fecerit. *Spec. tit. de ſent. §. ſpecies.* quod & in cõceſſionibus principum receptum eſt, cùm ſaluo inquinot, iure alieno, & ſi qua ſimilia. ¶ Sed hîc ambigua ſuboritur quæſtio, an per contrarium factum ex proteſtatio tollatur: & Bartolus ſi incontinenti ſubſequatur, non tolli exiſtimauit: ſi ex interuallo, ſecus. *l. per retentionem. C. de vſuris.* Verùm hac in re altiùs conſiderandum eſt: videmus enim quæ in præfationibus dicuntur, in ipſo contractu cenſeri repetita. *l. Titia. §. 1. de verb. oblig.* videmus item ea, quæ tractata ſunt, ſi in contractu omittantur, per errorem omiſſa cenſeri. *l. ita ſtipulatus. eo. tit.* & errorem in principali, etiam in conſequentibus exiſtimari. *l. ſed & ſi me. §. 1. de condict. indebit.* Videmus rurſus ex præcedentibus dictis, intentionem cuiuſque aliquid facientis declarari, *l. ſi ſeruus plurium. §. fi. de leg. 1.* etiãſi extra illum actum, & ex interuallo dixerit. *Bal. l. precibus. C. de impub.* Ad hæc iuris regula eſt, Cuiuſque voluntatem mutatam non cenſeri: quæ procedit etiam, ſi diutinum tempus lapſum ſit. *l. ſancimus. C. de teſtam.* Quapropter concludendum, proteſtationem etiam ad contrarium actum, qui ex interuallo interuenerit, trahendam, cùm & lex proteſtationem in teſtamento factam, etiam in codicillis obſeruari mandet. *l. ſi quis in principio. de legat. 3.* ſoléntque codicilli etiam longo tempore poſt tabulas teſtamenti confici. Vnde & generalis eſt concluſio, Solere codicillos quocunq; tẽpore factos, ſecundum expreſſam in teſtamento mentẽ declarari. *l. ſalus. in fin. de leg. 1.* Obſeruabitur autẽ id tũ certiùs, cùm proteſtationis verba generaliter cõcepta, & futurũ reſpiciunt, *l. ſi ita ſtipula. 2. de fideiuſ.* Idem ſi ex natura rei talis proteſtantis mens argueretur: vt cùm quis proteſtatur nolle ſe alimenta donare, cùm enim eorum præſtatio tractum habeat, etiam proteſtatio in futurum protenditur. *d. l. Neſennius.* Idem ſi ſemper eadem ratio & cauſa ſubeſt, vt in eo qui ſe religionis metu initiari profeſſus eſt, *Bartol. l. penult. ff. de condit. ob tur. cauſ.* vel qui metu tyranni ſoluit, vel matrimonium contrahit, *glo. cap. ad id. de ſponſ.* & ſi qua ſimilia. Idem ſi natura contractus id ſuadeat, vt in mandato quod non ſolet protinus per procuratorem expediri. *Bartol. l. non ſolùm. §. ſi*

mandato de iniur. Vnde ſi Titio mandaueris, vt hominem occidat, etiam ſi poſt aliquod tempus fecerit, mandati criminis reus eris. Tametſi dici poſſit id idcirco eſſe, quia factum ſubſequens proteſtationi non ſolùm non aduerſatur, ſed concordat, eiúſque executionem reſpicit. *l. ſi verò. de exhibon.* ¶ Qua ratione etiam traditum eſt, ſi in venditione excepta ſit ſeruitus, & deinde ex interuallo tradita, ſtipulatio nulla ſeruitutis interceſſerit, iure agi ad ſeruitutem poſſe. *l. binarum. de ſeruit. vrb.* traditio enim executionem contractus reſpicit: quamuis ſint, qui ideo agi poſſe exiſtiment, quia venditori ea proteſtatione iam ius quæſitum erat. *Alexan. conſil. 28. 3.* ¶ A prædicta concluſione tres caſus excipiuntur. ¶ Primus eſt in contractibus, qui cum alio geruntur, & iuſta eſt eius æſtimatio, à proteſtatione receſſum credentis, *gloſſ. l. pacta nouiſſima. C. de pact.* quod maximè obſeruandum, cùm proteſtatio pœnalis eſt, ſeu vſurarium pactum adiuuat. Vnde per nouam conuentionem maiorum vſurarum non cenſetur obligatum pignus. *l. ſi per retentionem.* quæ enim ea conuentione partium ob commodum actoris contractui inſunt, non cenſentur nouata ſtipulatione repetita, *l. ſi creditor. de noua.* vt fideiuſſores, pignora, pœnæ, vſuræ. ¶ Alter eſt, quando ex ſubſequuto actu aliqua proteſtantis pœnitentia arguitur: verbi gratia, cùm quis proteſtatus eſt de acto, quem incontinenti facere debeam: nam ſi ex interuallo fecerit, ſicut in tempore pœnituit, ita & proteſtatione ipſa deceſſiſſe videri debet. *l. ſi tibi certum. de alimen. leg.* Idem ſi aliter geſſerit, quàm dixerit. *l. diuus. §. licet. de cond.* præſumitur enim proteſtatum rebus ſic ſtantibus, capietúrque facilius huiuſmodi mutationis coniectura in his quæ ex interuallo, quàm quæ incontinenti fiant. *l. nam ad ea. de condi. & demonſt.* ¶ Tertius caſus eſt, cùm factum illud poſt proteſtationem cum alio gerendum eſſet: tunc enim factum contrarium, non autem proteſtatio obſeruatur, ne alioquin illo damno præter mentem ſuam adficeretur. *c. 1. quod met. cauſ.* Vnde, qui proteſtatur ſe nolle eſſe heredem, ſi pecuniam deinde à ſtatolibero cauſa conditionis implendæ accipiat, videtur proteſtationi renunciare, cùm ille liber non eſſet, fruſtráque pecuniam dediſſet, niſi renunciatum cenſeretur, *l. pro herede. §. Papinianus. de acq. hered.* meritò ad factum attendimus, proteſtationémque nihili facimus. Sed tamen & hoc perpetuum non eſt, & plerunque præualebit proteſtatio. Quid enim, ſi ille cum quo actus geritur, proteſtationi conſenſerit? *gloſſ. d. l. pacta.* valebit vtique dum in ea materia agatur, quæ voluntati contrahentium ſubiiciatur, ſufficiétque vel tacitus conſenſus. Vnde qui ſalua prouocatione ad ſedem apoſtolicam, ad archiepiſcopum acceſſit, ſi ab eo tanquam contraria allegans reiiciatur, proteſtationi renuntiaſſe non cẽſebitur. *c. ſolicitudinem. in fi. de appel.* quia archiepiſcopus eum reiiciens, proteſtationi tacitè conſenſiſſe videtur. Quid item ſi pars quidem non conſenſit, ſed tamen ſubeſt iuſta cauſa, purà metus vel iuſſus iudicis? certè proteſtatio valebit, & actus contrarius non ſeruabitur. *l. qui in aliena. §. fin. de acquirend. hereditat.* Quid rurſus in foro, quod conſcientiæ vocamus? cùm enim ſolam mentem perſpiciamus, proteſtantiſque teſtimonio ſtetur, tum quoque proteſtatio præualebit. *cap. tua. de ſponſalibus.* Quapropter, ſi mulier iurauerit patti, ſe fundum dotalem nunquam alienaturam, atque ſit proteſtata, ſi inde alienauerit, etiam conceptis verbis, tamen verius eſt, proteſtationem valere, contractum autem non valere, *Alex. conſil. 16. 4.* quoniam ſequens iuramentum per prius eliditur, & legis Iuliç prohibitio firma remanet: poterit tamen emptor actione de dolo id conſequi, quod ſua intereſt, cùm fraude mulier egerit, quæ eum prioris illius iuriſiurãdi non admonuerit. *gl. c. licet. de iureiur. in 6.* Et hoc in iuramento obſeruandum, quod principaliter Deo præſtatur, & ex foro conſcientiæ interpretationem capit. Cæterùm & quoties eodem momento actus proteſtatióque illi contraria perficiuntur, proteſtationem valere actum perimi, Bartolus ſenſit, eo exemplo, cùm quis dicit, [Obligo me, non animo obligandi.] non enim cenſebitur obligatus. *l. obligationum ſubſtantia. de act. & oblig.* quæ ſententia eo quoque exemplo fulciri poteſt, quo traditum eſt, creditorem venditioni pignoris, ſaluo iure ſuo, conſentientem, nihil agere, & ſaluum illi ius remanere. *l. ſi debitor. §. 1. quib. mod. pig.* Nã & ſi teſtator fundi ſui fructum, deducto vſu, legauerit, propter proteſtationem deductionis vſus, legatum perimitur. *l. per ſeruum. §. pen. de vſu & hab.* Vnde apparet etiam parum referre, ſiue proteſtatio ipſi facto contraria ſit, ſiue conſequentibus intrinſecus facti ſubſtantiam, qualis eſt vſus in fructu: ſemper enim factum perimitur, proteſtatio efficacior erit. quòd ſi proteſtatio adminiculum aliquod reſpiciat, ſecus eſt. *l. 1. §. 1. ſi vſusfr. peta.* vt cùm teſtator vſumfructũ fundi legat, & proteſtatur, ne eum ſequatur aditus: cùm via adminiculum quoddam ſit, non autem pars ſubſtantiæ vſusfructus, inutiliter illud adiectum videbitur. Verùm & cùm precariò aliquid datur, ſub proteſtatione, quòd in Calen. Iulias poſſideat proteſtatio, ceu contra precarij ſubſtantiam reiicitur. *l. cùm precariò. ff. de prec.* quia ea in fauorem accipientis facta eſt, qui veriſimiliter conſenſurus eſt, vt ſaltem ſimpliciter contractus valeat, nec omnino extinguatur, *l. ſi peculium. §. 1. vbi Bar. de pec. leg.* cùm vel modicũ habere præſtet, quàm nihil. ¶ Sed & quoties lex proteſtationi repugnat, ſemper contrario actu tollitur: vt cùm quis ſaluo iure appellationis metropolitan adiit, illéque eum non reiecit: adeundo enim iudicem, cenſetur à lege appellationi renuntiaſſe *d. c. ſolicitudinem.* Idem in diacono, qui in ordinis aſſumptione proteſtatus erat, vt ſaluum ſibi ius ducendç vxoris eſſet. *c. diacono. 28. diſt.* Idem in eo qui ſacerdotium accepit cum proteſtatione, quòd non renuntiabat gratiæ ſibi cauſa alterius obtinendi conceſſæ. *Clem. gratia. de reſcri.* fruſtrà enim, lege prohibente, proteſtatus eſt. Sed hæc magis ad primam ſpeciem pertinent. ¶ Et hæc quidem cum in animaduerſione ſunt, cùm proteſtationi contrarius eſt actus: ſed ſi non contrarius, verùm diuerſus ſit, in confeſſo eſt, huiuſmodi actum ambiguum ex proteſtatione declarari. *gloſſ. l. in concubinatu. de concub.* vt cùm quis reſpondeat libello, animo litem non conteſtandi, valet reſponſio, & cenſetur reſponſum, vt ſimpliciter iudex inſtruatur, *d. ca. 1. de lit. conteſt.* & cùm quis adit iudicem, ſaluo iure propria auctoritate exequendi, quod ex pacto ſibi competit: nam non cenſebitur illi renuntiaſſe. *Alexand. conſil. 130. in 5.* & cùm quis in iudicio proteſtatur ſe iudicem non approbare, non exiſtimabitur prorogata iuriſdictio. *Alexand. l. ſi ita ſcriptum. de legatis primo.* & cùm

ad rog

ad rogatum rei reſpondet actor, velle ſe teſtibus vti quatenus verum dicant, excuſabit eum proteſtatio à falſi pœna: *Bart. l. diuus. de falſ.* & ſi quis de poſſeſſione aduerſarium deiiciat, proteſtetúrque ſe ciuilem tantùm vel naturalem velle acquirere, valebit proteſtatio, *gloſſ. 1. C. vti poſſ. ver. nec vi.* cùm alioquin omne abſtuliſſe videretur. *gloſſ. Bar. l. ſed ſi nolit. de acq. poſſ.* ¶ Intelligendum tamen eſt protestatione declarari actum ambiguum, quando huiuſmodi interpretatio ab animo proteſtantis pendet: ſecùs ſi à legis diſpoſitione, quod ſuprà diximus. Idémque ſi ea legis diſpoſitio non ex veritate, ſed ex quadam firmiore præſumptione oriatur. *gloſſ. cap. per tuas. de cond. app. Iaſ. d. §. morte.* Sed & ſi declaratio rem turpem & illicitam induceret, non eſſe ei ſtandum, receptius eſt. *Aretin. d. l. Titia. §. 1.* In tertia ſpecie, cùm de his proteſtamur, quæ à facto noſtro, itémque alterius pendent, non eſt dubium valere proteſtationem, dum tamen illi facta ſit. Solet autem diſtingui, vt cùm de iure quæſito tollendo agitur, requiratur conſenſus: *l. perfectam. C. de donat. quæ ſub mo.* quia ius noſtrum à nobis ſine conſenſu noſtro auferri non poteſt. Sed & nautæ, caupones, ſtabularij, ſi proteſtentur, vt hoſpes, vel vector, res ſuas ſeruet, nolle enim ſe cuſtodiam præſtare, nihilominus tenebuntur, niſi ille expreſsè conſenſerit: *l. fi. §. item ſi prædixerit. ff. naut. cau. ſtab.* ſuſpecta enim lex iſtorum ingenia habet, ne aduerſus eos, quos recipiunt, cum furibus coeant. *l. 1. in prin. eod. titul.* & ideo obligari iubet, niſi pars expreſsè remiſerit. Quod & ego in locatore horrei obſeruandum arbitror, accipitur horreum pro quocunque loco ad reponendum merces, cuius cuſtodia & claues ad horrearium ipſum pertinent. Pone igitur eum habuiſſe propoſitum, ſeu, quod idem eſt, pro valuis horrei proſcripſiſſe (nec enim propoſitum pro mente accipere poſſumus, cùm ſi ſubſtantiua vox eſſet, Iurecóſulto Latinè dicendum fuiſſet, Propoſitum habui recipiendi, non recipere, quod Valla *lib. 1. cap. 27.* annotauit) ſe aurum, argentum, margaritam, periculo ſuo non recipere, deinde ſimpliciter eas receperit, certè niſi expreſſus mercatoris conſenſus acceſſerit, nihil ab huiuſmodi proteſtatione iuuabitur *l. cùm in plures. § locator. ff. loc.* nam cùm claues ipſe habeat, faciliimum illi eſſet cum furibus coire, & mercatorem decipere: idémque in eo iuris eſt, quod in nautis, atque id genus ſimilibus: cùm enim exercitium horrearij elegerit, videtur ſicut & nautæ, & caupones, tali cuſtodiæ ſe à principio obligaſſe, quæ obligatio non, niſi expreſſo partis conſenſu, remittitur. Tacere enim eos veriſimilius eſt, non quòd conſentire velint, ſed quia ius ſuum durare ſciant *l. ſicut. § non videtur. quib. mod. pig.* Si verò de iure quærendo agatur, tunc ſatis eſt partem admoneri, nec conſenſus requiritur. Et ideo ſi creditori Titij prædixero, ne me in fideiuſſorem accipiat, quia ſi acceptus fuerim, nolo obligari: iſque non contradixerit, ſed ſimpliciter tacuerit, & deinde me in fideiuſſorem acceperit, non tenebor. *Bart. d. l. pacta noniſſ.* ſibi enim imputet, qui proteſtationis meæ ſciens non eſt aduerſatus: idque frequentius receptum eſt, tametſi non parum à veteribus hac in re altercatum ſit, Bartolúſque ipſe aliter quandoque diſſeruerit, *Bartol. d. §. morte.* qui diſtinguit, proteſtatio cauſa obligationis tollendæ fiat, an verò limitandæ, vt hoc caſu non requiratur expreſſus conſenſus, illo requiratur: ſed crebriore calculo id reprobatú extat. *Imol. & Alex. ibid.* ¶ Sed & cùm ab emphyteuta, qui per triennium nó ſoluerat, dominus canonem etiam futuri temporis recipit, proteſtatúrque ius caduci ſibi ſaluum fore, niſi emphyteuta contradicat, ſenſit Bar. proteſtationem ſuſtineri. *Bartol. l. 2. C. de iure emphyt.* quod (opinor) ea ratione defendi poteſt, tanquam emphyteuta tacendo conſentire videatur: agit enim de eo iure quærendo, à quo ceciderat: meritò, lapſo ſolutionis tempore, manus iniici fundo poterit. *Modern. d. cap. cùm M.* Sunt tamen & alij caſus quibus taciturnitas ſufficit, léxque conſenſum interpretatur: vt cùm de priuilegij remiſſioné agitur. *glo. l. ſi fideiuſſor. qui ſatiſd. cog.* cùm enim facilius priuilegio, quàm iuri derogetur, ſilentium pro conſenſu eſt. Vnde ſi tibi proteſter, quòd ſi mecum contraxeris, intendo fore, ne priuilegio vlli locus ſit, túq; tacueris, perinde erit, ac ſi conſenſiſſes. ¶ Idem cùm præter ſilentium aliquod quoq; factum interuenit, quale eſt receptio literarum. quamobrem paterfam. literis filij aſſerentis ſe mutuum quaſi ex mandato eius contraxiſſe, *d. cle. 1. de procur.* receptis, ſi obligari non vult, nec videri conſentiſſe, continuò proteſtationem contrariæ voluntatis interponere debet. *l. ſi filius. 2. ad Maced.* Nec hîc ego Pauli Caſtrenſ. ſententiam ſequor, id conſtitutum aſſerentis propter odium exceptionis, quæ ex Macedoniano Senatuſconſulto oritur: itémque quia vel ſola ſcientia pater obligatur: nam reſpectu patris, quòd ipſe ex contractu filij obligari non debeat, regulare eſt, nec odium aliquod adeſt. Quòd autem ſola ſcientia obligetur, verum eſt, cùm pater ſcit, & prohibere poteſt, nec prohibet *l. ſi tamen. eod. tit.* at vbi abeſt (qui noſter caſus eſt) non videtur conſentire, niſi acceptis literis. Illud fateor, cùm lex continuò conteſtationem interponi velit, arbitrio iudicis id intelligendum, vt tempus huic non denegetur legendi, cogitandi, peritiores conſulendi: debet enim veriſimilis eſſe conſenſus, qui præſumptioni legis innititur. Quid enim ſi rationem calculi hæ literæ contineant, num credendum erit diſpunctioni conſenſum? *Iaſ. rep. l. admonendi. de iureiur.* Iaſon enim negat, & rectè: nam & cùm procurator ſcripſiſſet domino, ſe eius nomine centum Titio donaſſe. *Com. conſil. 177.* reſpondit Rapha. Comenſ. receptis literis, ius ſaluum domino eſſe perſcrutandi, donatio verè facta eſſet, vel ne. Cæterùm ſunt, qui in iudicialibus quoq; taciturnitatem pro conſenſo eſſe exiſtimauerint: ſed horum ſententia recepta non eſt, quod eo exemplo proditum eſt: Cùm quis teſtes in iudicio interrogari citra iuramẽti religioné curauit: aduerſarius enim, qui præſens & ſciens tacuit, nó tamen acquieuiſſe exiſtimabitur. *c. tuis. de teſtib.* aut enim actus fit à iudice, & tacens non cenſetur conſentire, niſi lapſo conquerendi, prouocandive tépore. *c. ſi. de accuſat.* aut fit à parte, & tunc idem obſeruãdum, quod in extraiudicialibus, vt qui contradicendo actú impedire potuit, & nó fecit, cenſeatur approbaſſe. *l. 1. C. de relat.* alioquin contrà. *Bar. d. Pomponius. §. ratis. de procur.* ¶ Ad hanc ſectionem etiam pertinet, cùm iuris noſtri conſeruandi cauſa proteſtamur, vt cùm legatarius hæredi rem legatam alienanti cóſentit, ſaluo iure ad pretium: nó enim alius cóſenſus requiritur. *l. codicillis. §. 1. de leg. 2.* imò etiam cótradicente herede, ſaluum eſſet huiuſmodi ius: ſicut quãdo aliquis immunis ſubit munera, cùm ſe immunitati renũtiare

nolle prædixiſſet. *Bart.d.l.1.C.de his qui ſpon.* ¶ Nam & monachus poſt probationis annum, pallium, cucullionémque indutus, ſi non ideo velle ſe initiari proteſtatus ſit, non cenſebitur profeſſus, *Innoc. d.c.1. quod met.cau.* etiam ſi proteſtationi huic monachi aduerſari ſint: hic enim agit, ne vlterius aggrauetur: vnde ſatis eſt, ſi proteſtatio ei, cuius intereſt, palam facta ſit, nec enim tunc eius conſenſus requiritur. *l.ſi mandaſſem.ff.manda.* Qui enim certior factus eſt, non debet conqueri, ſi alius iure ſuo vtatur.

¶ Sed quid ſi is, qui lædi poſſet, incertus ſit, quomodo admoneri poterit? Finge conſtituiſſe me iam diu Titium procuratorem meum, quem nunc velim reuocare, non enim diuinare poſſum, quis cum eo contracturus ſit: & ſi certus ſit locus, in quo contrahendum eſt, ſufficit ſi proteſtatio huiuſmodi ibi proſcribatur, *l.ſed & ſi pupillus, §.proſcriptum.de institor.* & publice proponatur: *l.ſi putator. ad leg. Aquil.* quòd ſi locus quoque incertus ſit, frequentiſſima vrbis parte proſcribendum eſt, edictáque proponenda: & ita crebrior ſe habet ſententia. *Barto.l.qui hominem. §.ſi Titium.de ſolut.* quam verum eſſe etiam eo caſu arbitror, quo facilitèr potuit proteſtās de loco, vel perſona certiorari: adhuc enim videtur ſufficere edictum, cùm hic principaliter non agat, vt alium ſibi obliget, ſed ſolùm vt ſe exoneret, ne ex mandato, quod reuocauit, poſſit obligari. ¶ Illud conſtat, vt quis ſe ab obligatione legali abſque facto ſuo orta exoneret, non requiri aliam partis ſcientiam: vt cùm pater proteſtatur ſe electioni filij, qua in decurionem cooptatus eſt, non conſentire. *l.honores.§.fin. de decu.* cùm enim abſque ſuo facto ex præſumpto conſenſu obligaretur, per contrariæ voluntatis teſtationem præſumptio eliditur, & remanet liberatus: in actionibus enim legum, ſcientia partis neceſſariò non requiritur. *l.ſi pecuniam.§.planè.de condi.cauſ.dat.* ¶ Sed quid, ſi is, qui admonendus eſt, abſens ſit, & regulariter videtur ſufficere, ſi adhibitis teſtibus, proteſtetur. *l.Labeo.de nau.fœn.* ſicut etiam ſolemus dicere, cùm quis metu aduerſarij non audet coram eo proteſtari: *l.fin.C.de his qui per met.* ſatis enim erit, ſi idipſum publicè, vel coram probis viris faciat: *l.iubemus.C.de defenſ.ciuit.* quod tamen non procedit, cùm aduerſarius ipſe eſt iudex, tum enim debet coram alio iudice proteſtari. *l.vt perfectius. C.de ann.except.* ¶ Quòd ſi de iudice conqueratur, haudquaquam mihi neceſſitas iniungitur eum diutius perquirendi, ſed ſufficiet, ſi apud tribunal teſtationem interpoſuero, *l.1.§.adeundi.quando appel.ſit.* dum talis ſit, qui pro tribunali ius dicat, alioqui coram honeſtis perſonis teſtari nos lex iubet. *c.Paſtoralis.§.fi. de off.deleg.* Sed & his caſibus, quibus in ius vocari de domo quis poteſt putarim etiam proteſtationem ad domum tranſmiſſam ſufficere: *Bartol.l.3. §.prætor.de damn.infec.d.c.1.cauſam.* quod maximè in ea proteſtatione obſeruādum, qua quis alium non offendit, ſed ſe excuſat, ne clam feciſſe videri poſſit: tunc enim & vxori, & amico, & familiæ denuntiari poteſt. *d.l.aut qui aliter.* ¶ Sed & emptori pupillo, ſi tutore careat, vel is abſens ſit, euictionis cauſa denuntiare poterit: *l.ſi dictum.in fi.de euic.* quod pupilli fauore introductum eſt, ne ſola teſtatione, eo abſente facta periclitaretur. Sed an ſcriptura proteſtationi neceſſaria eſt? & reſponſum eſt non eſſe, *l.fin.C.de negot.geſt.* niſi cùm proteſtatio vice actionis, vel exceptionis obiicitur, vt cùm præſcriptionem interrumpere volumus. *d.l.vt perfectius.* vel exceptionem non numeratæ dotis opponere: *gloſſ.in authent. de temp.non ſolut.pecu.ſuper dote. §.illud quoque.in verbo,in l.2.do.* nam ſicut actio in ſcriptis neceſſariò edenda eſt, & exceptio in actis producēda, ita & proteſtatio ſcripturam requirit, cùm earum vicem ſuſtinet. Hinc presbyteri ſi tutelam acceptare volunt, ea ſcripto proteſtari debent: *auth.presbyteros.C.de episco.& cler.* is enim actus fori eſt. Idem cùm maritus vxoris aſſectatori denuntiat, ne cum ea conueniat: *authen.ſi quis ei.C.de adult.* cùm enim impunè eum occidere poſſit, iúſque propria auctoritate ſibi dicat, ſcriptura neceſſaria eſt, perinde ac in iudiciis proteſtatio. Sunt & qui idem exiſtiment, quoties aliquis filio, vel agnato denuntiat, vt curam furioſi ſuſcipiat: *authent.vt cùm de app.§.ſi quis.de prædictis.* oportet enim ex ſcriptis atteſtationem eis dirigere, alioquin denuntianti hereditatis lucrum non deferent. Ego accepi, quamuis lex ſcripturæ mentionem faciat, non tamen eam probationem excludere, quæ teſtibus fie. *l.1.C.de iure emphyt.*

Supereſt, vt ad ſecundam ſpeciem deueniamus, quæ à nuntiando nomen ſumit: quoniam ab eius facto, cui aliquid nuntiamus, effectum habeat. In hac quoque dupliciter diſtingui poteſt: aut enim huiuſmodi denuntiatio regulas iuris imitatur, aut aduerſatur. De prima videndum: & eius exemplum eſt, cùm aliquem admones, vt id faciat, quod debet: veluti debitorem meum interpello, vt mihi ſoluat, valet huiuſmodi requiſitio, *l. quod te.ſi certum petatur.* & eum in mora conſtituit, nec alia fides ei fieri debet, qui obligationis à ſe contractæ probabilem ignorantiam non habet: *l.final.pro ſuo.* quòd ſi haberet, vt quia in alterius locum ſucceſſiſſet, & alieno ex facto obligatus eſſet, tunc fides ei facienda eſt: *Cle.cauſam.de elect.* oſtendendúmque nominis contracti inſtrumentum, vel aliàs authoritate iudicis ei iubendum, vt faciat, quia res ita ſe habeat. *l.ſi.de leg.comm.* Sed & ſi mihi centum ſpoponderis poſt Titij mortem, & denuntiem vt ſoluas, quia deceſſerit Titius, huius rei fidem ſaltem duorum teſtium relatione tibi facere debebo, alioquin iuſtè credes in humanis adhuc eſſe Titium. Qua ratione etiam emptor, cui mota eſt controuerſia, venditori denuntians vt litem ſuſcipiat, cœptæ litis fidem, citationiſque vel libelli copiam ei facere debet, cùm alioquin iuſtè credere poſſet, controuerſiam nullam adhuc eſſe. ¶ Sed & debet huiuſmodi denuntiatio clara eſſe: certiorémque venditorem facere, cur ei denuntietur, nempe vt veniat, & iudicium ſuſcipiat, *c.ſi.de empt.& vend.* ne venditor idcircò ſe admonitum credat, vt ipſi emptori inſtrumenta probationéſque ſuggerat, *l.emptori.C.de euict.* non vt liti adſiſtat: vnde tametſi ſciat litem motam, tamen receptum eſt incitationem hāc neceſſariam eſſe. *l.qui abſentis.ff.de procur.* ¶ Et hoc eſt, quod lex ait, auctorem laudandū, *l.Herennius.§.1.de euic.* i. citandum, & ad partes trahendum: quamuis nihil referat verba expreſſim incitatoria ſint, an tacitè hoc inducant. Quid enim ſi debitorē meum interpellans, vrbaniúſq; agendū putās, ſic dixerim: [Indigerē tali pecunia: *vel,* Nihil mihi in præſentia antiquius eſſet, quàm ſi me æx illius

pecun

pecuniolæ meminiſſes.] opinor rectè interpellatum videri. ¶ Cæterum & loco,& tempore congruo facienda eſt, regularitérque receptum eſt, quemlibet locum, & quodlibet tempus idoneum videri. *l.dies.C.de fer.* vnde & in eccleſia, & feriato die valet denunciatio: actus enim eſt extraiudicialis, qui quandocunque fieri poteſt. Quapropter quibus caſibus in iudicio fieri debet, aliud eſſet obſeruandum. *l.cùm poſtulaſſem.§.de dam.infect.* conſerenda tamen erit ſolutio in locum,& tempus idoneum. Potero igitur te in lupanari fortuitò repertum interpellare, vt mihi loco congruo ſoluas. Potero & tibi noctu inuento prædicere, vt cras mihi de reliquis ſatisfacias, non enim tempus noctis ſat idoneum eſt recipiendis nummis, ſicut nec cùm quis in menſa, vel in lectulo eſt, vel tranſuehitur, vel funeralem pompam ducit, & ſi qua ſimilia. *l.2.ff.de in ius voc.* Ad hanc quoque ſpeciem pertinet, cùm inhibeo tibi, ne id facias, quod iure facere non potes. In hoc enim regulam iuris imitamur, valétque huiuſmodi denunciatio, efficítque, vt quod alioqui clàm feciſſe videreris, vi cenſeatur factum. *l.1.& 2.quod vi, aut clàm.* quòd ſi iuſta cauſa præceſſit, qua iuſtè facere arbitrabaris, debet tibi fieri fides eam cauſam amplius non ſubeſſe, cùm aliter inhibitio ſit nulla, quod eo exemplo receptum eſt: cum quis reulem publicum hoſtem occidere vellet, iſque obnuntiabat abolitionem indulgentiámque criminis ſe conſecutum, non erit ei credendum. *l.non omnes in fin.de re mil.* niſi in promptu adſertionem ſuam veram eſſe docuerit, vel in iudicium ſe tunc venturum obtulerit. *Alex.d.§.morte.* poſſítque tuto deduci. Sanè his caſibus procuratoris quoque denunciatio ſufficiet. *l.cum ſatis.§.fin. C.de agr.& cen. lib.11.* quoniam iuris communis regulæ conſentanea eſt: quod & in negotiorum geſtore,& in coniuncta perſona receptum eſt. *l.ſi quis ſolutionis.§.1.de vſur.* dum tamen debitorem interpellent, vt ipſi creditori ſoluat. *Bar.l.ſi ſeruum.§.nunc videndum.de ver.ob.* negotiorum enim geſtori, vel coniunctæ perſonæ ſolui non poteſt. ¶ Nunc ad ſecundam tranſeundum, in qua id regulariter fatendum eſt, denunciationem, quæ regulis iuris aduerſatur, non valere: vt cùm incito, vt id facias, quod in tua poteſtate eſt, velis, vel nolis. *l.fideiuſſor creditori.de fideiuſ.* nec enim meo ſuaſu auferre ius tuum poſſum. præſtat tamen hæc denunciatio proteſtanti iuſtam excuſationis cauſam, vt cùm per eum non ſteterit, conditio pro impleta habeatur. *l.ſi Titius ſtatuas.de cond.& dem.* vnde & debitorem excuſat, qui ſoluere creditori voluerit, ne in mora ampliùs cenſeatur, ſed ipſe potiùs creditor. *d.l.ſi ſeruum.§.ſequitur.* Qua ratione & creditor conditionalis, qui conditionem adimplere potuit, huiuſmodi nunciatione in mora conſtituitur. *l.hac conditio,ſi in capitol.de cond.& demon.* & vice verſa idem in debitore conditionali reſponſum eſt, qui interpellatus conditionem adimplere neglexerit, ſiue is ea vltima voluntate debeat. *l.1.§.item ſi.ad leg.fal.* ſiue legis iuſſu. *gl.l.2.C.de his quib.vt ind.* ſiue ſententia iudicis. *Bart.l.ſuus.§.ſi.de her.inſt.* ſiue (vt ego opinor) ex contractu: vt cùm ita ſtipulatus ſum, [Si hominem Pamphilum non dederis, centum dabis?] poſtquam enim denunciauero vt hominem des, túque neglexeris, non amplius homo, ſed pecunia debebitur. *l.ita ſtipu.de verb.ob.* quod *Paradox.lib.1.cap.11.* latiùs à nobis diſputatum eſt. Quod in citatoria hac ſpecie dictum eſt, vt regulariter non valeat, in prohibitoria quoque receptum eſt, cùm id prohibemus quod prohibito facere arbitrarium eſt: pari enim ratione obnuntiatione mea efficere non poſſum, vt quod arbitrij tui eſt, id non ſit: quod maximè obſeruandum, ſi nullam iuſtam cauſam habuero. *l.ſi maior.C.de reſcind.vend.* Vel etiam ſi habuero, ſed tu ſalua honeſtate, & exiſtimatione tua obtemperare non poſſis. *l.Quintus.mand.* vel ſi ad me negotium illud nihil attineat: is enim cuius non intereſt via eſt, vt audiri debeat. *l.2.quod falſo tut.* niſi in id tantùm, vt quod clàm erat, detexiſſe, ſcientiámq; qualem qualem induxiſſe videatur. *l.item; §.petitam.de pet. hered.* quæ tamen ſcientia eo modo inducta alteri non proderit, qui vel in dolo ſit, vel de lucro captando in alterius damnum tractet. *d.l.2.* Quandoque tamen inhibitio huiuſmodi valet, nempe cùm eius qui prohibet intereſt, iuſtáque cauſa ſubeſt,& à principio priuſquàm ius aliquod ſibi quæreretur, fuit monitus. *l.virilis.§.pen.de leg.præſtand.* vt cum denuntio ne emas talem fundum quia eſt meus vel mihi obligatus. *l.ſi fundum.C.de rei vend.* vel cùm te admoneo, ne vendas: quia fundum ipſum vendicaturus ſum, niſi parueris, videberis dolo diſtraxiſſe. *l.Fulcinius.quib.ex cauſ.in poſ.* Idem etiam cùm creditores teſtatò emptorem conueniunt, ne debitoris ſui bona temerè emat: ſi emerit dolo emiſſe cenſebitur. *l.aut infrà ſi quis particeps.ff.quæ in fran.cre.* quòd ſi poſtquam emerit, denuntietur, nulla eſt interpellatio, niſi adſertionis illius fiat fides, idque inſtrumentorum exhibitione, *l.nomen.C.quæ res pignor.* vel iudicis authoritate, quod ſuprà à nobis proditum eſt. Et cùm tradiderimus, quæ alieni arbitrij ſunt, non poſſe nos noſtra denuntiatione efficere, vt ideò minus ſint: conſequens eſt, vt idem multò fortius fateamur, cùm ei prohibemus ne faciat, quod facere tenetur: vt ſi venditori quis prohibeat, ne fundum venditum tradat. *l.ſi quis prohibuit.de public.* vt ſi debitor ei qui pro ſe conſtituit denuntiet, ne ſoluat. *l.verum.de conſtit.pec.* qui enim facere quiſquam poteſt, ne venditor fidem non ſeruet, aut qui conſtituit non ſoluat? quod eò magis ſeruandum eſt, cùm nulla prohibitionis iuſta aut vera adfertur ratio: tametſi (etiam ſi allegetur tantùm) idem ſit, cùm nihil referat, quid verum non ſit an non probatum. *Arch.30. q.5. iudicantem.* Oportet igitur ſi iuſta & vera cauſa prohibitionis ſubſit, vt denuntiatio valeat, fidem fieri, inſtrumentúmque ei cui denuntiatur legi. *d.clemen. cauſ.in.d.l.nomen.* vel eius exemplum ei relinqui, eadem quam ſuperiori caſu diximus ratione. ¶ Sola tamen veriſimilis cauſæ allegatio alicuius quandoque effectus eſt, in eóque ſufficit vt excuſandus ſit debitor, niſi cautio à creditore præſtetur, indemnem eum eius denuntiationis cauſa futurum. *l.hæc autem.ff.ſi cui plus quam per leg.* quod in arbitrio iudicis plurimum reſidet. Sed & veriſimilis cauſa id efficit, vt excuſari debeat qui denuntianti credidit. *l.t.de eo per quem fact.* poſſítque aduerſus eum de dolo agi, & ſi ſoluendo non fuerit, reſtitutio in integrum detur. *l.ſi.eod.tit.* Sed & quoties res principaliter ad denuntiantem pertinet, denuntiationi eiuſmodi, etiam ſi alia fides tunc non fiat, obſequendum eſt. *l.ſi fideiuſ. mand.* vt cùm debitor fideiuſſorem ſuum admonet, ne creditori ſoluat, quia pacti vel acceptilationis, vel alia exceptione tutus eſt. Idem cùm à denuntiantis voluntate res

omnis

omnis effectum ſumit. ¶ Quapropter creditnre denunciante debitori ne ſoluat, iuſtè parendum eſt, moráque omnis diluitur. *d.§.ſequitur.* Sicut & cùm prohibetur, quod ſola denunciantis voluntate illicitum fit, valet proteſtatio: vt ſi vetuero, ne fundum aucupij, aut venationis cauſa ingrediaris. *l.diuus de ſer.ruſt.* ne negotia adminiſtres, ne mandato tibi ceu procuratore meo facto amplius vtaris: id enim mei planè liberi arbitrij eſt: vnde alia probationis fides non eſt neceſſaria. Sed an huiuſmodi denuntiatio per procuratorem fieri poſſit? Et clarum eſt poſſe dum mandati huius fides fiat. *d.l.ſi qui.in ſic.depoſ.* quòd ſi non fiat, cautio rati nequaquam ſufficeret. *Bald.in rub.extra de procuratoribus.* Lex enim ſic fieri denuntiationem iubet, vt is cui ea fit, cognoſcat rem ita eſſe: quę notitia ea cautione huiuſmodi non percipitur, tametſi aliàs in iudicialibus, & in noui operis nunciatione, quod iudicij præuia ſit, ſufficiat. *l.de pupillo.§.qui Procuratorio.ff.de no.op.nun.* idque receptius eſt. Quapropter hęc negotiorum geſtori id ius competit, niſi in his caſibus, quibus ſola notitia à quocunque facta ſufficit. *Bart.l.facta.§.ſi heres.ad Trebel.* vt cùm poſſeſſori hereditatis denuntiamus, ne bona diſtrahat, quoniam hereditas ad eum non pertinet, conſtituetur enim in mala fide. *d.§.petitam.* Qua ratione & appellationis intimatio à negotiorum geſtore fieri poteſt. *Rota dec.127.nouiſ.* quod multò magis in coniuncta perſona admittendum. *d.l.qui abſentem.* Sed an procuratori fieri poterit? & non putarim niſi his caſibus quibus ſcientia procuratoris domino nocet. *l.procuratoris.de trib.* quod & tum quoq; non procedit, cùm lex in domini plenam notitiam peruenire aliquid iuberet, non enim ſufficeret etiam ſpecialem procuratorem admoneri. *gloſſ.d.cle.cauſam.verſ.apellatum.* Idem non procedit, niſi cùm dominus ipſe propter abſentiam conueniri nequit. *d.l.aut qui aliter.* Sed & cùm animi vitium, puta malam fidem domini inducere volumus, nunquam ſufficit procuratori nuntiare. *d.§.petitam.*

BRECHÆVS.

DETESTATIO. ¶ Cælius Calcagninus exiſtimat anteſtatio, non deteſtatio, eſſe legendum: & ego ſanè in ea ſum ſententia, ſicuti ſuperiore capite admonui: niſi deteſtati pro ἀφοσιοῦσθαι (vt prædictum eſt) accipias. Alciatus proteſtationem interpretatur. Eſt autem proteſtari, teſtato reclamare, & intercedere quominus aliquid fiat: aut teſtari rem ſe iudicio executurum: Græci διαμαρτύρεσθαι apud Demoſth. Quod aliquando etiam quiritare ſignificat, Budæo teſte, id eſt deos, hominéſque implorando, conteſtari. Dicimus quoque Quiritari pro eodem ſignificato, σχετλιάζειν καὶ ποτνιᾶσθαι. Pontificij iuriſconſulti ſcribunt proteſtari eſſe vehementer adfirmare. *c.cum qui.de dol.& cont.lib.6.* Sed propriè proteſtari dicimur, cùm animi noſtri declaramus ſententiam. Atque ea quidem proteſtatione, iuris noſtri rationibus in futurum conſulimus. Ecce enim auia quæ nepotis ſui negotia geſſit, tandem excedit è vita, poſtmodum etiam moritur nepos: auiæ heredes ab heredib. nepotis conueniuntur: repoſcunt ipſi nepotis heredes negotiorum geſtorum rationem. Reputabant heredes auiæ alimenta pręſtita nepoti: reſpondebatur auiam iure pietatis de ſuo præſtitiſſe. Negant id factum heredes auię: atque eſſe veriſimilius de re ipſius nepotis eum aluiſſe. Quid (inquit Paulus) ſi proteſtata eſt ſe nepotem ideò alere, vt aut ipſum, aut tutores eius conueniret? Quippe audiendos eſſe heredes auiæ ſi reputare velint alimenta: maximè etiam ſi in rationem impenſarum ea retuliſſe auiam apparebit. *l.Neſennius.ff.de neg.geſt.* ¶ Simile eſt ſi quis patrem ſepeliens, proteſtetur id eo animo non agere vt ſe gerat pro herede, certáque hereditatem patriam, ne teneatur legatariis & creditoribus, ſed tantum pietatis ergo. Vlp.*in l.pro herede.§.1.ff.de acq.he.* Quo loco ipſe Vlp. vtitur verbo teſtari, pro proteſtari, & in hac ſignificatione. ¶ Præterea, & ſi proteſtetur aliquis ſe mero iudicis non appellaſſe, ius exercendæ appellationis in futurum tempus confert, & ſibi conſeruat. *l.his qui. C.de his qui per met.iud.non appel.* vbi Baldus tradit qualiter & quando fieri proteſtationem oporteat. *gloſſ.in d.l.Neſennius.* Lucas de Pen. *in l.Curiales.C.de prad.curial.libro* 10. plurima in hanc rem καὶ κατ' ἀνάγκην Alciat. ne diutius immorer.

FORNERIVS.

DETESTATIO. ¶ Deteſtatum eſt teſtatione denunciatum. *l.238.plebs.ff.h.tit.* teſtibus ſcilicet adhibitis, Græci hic τὸ ἐπὶ μαρτύρων ἀπαγγέλλειν. Cicero *ad Atticum lib.11.epiſt.23.* [Ipſe videtur denuntiare: Audiuimus enim deteſtatu iri ex lege:] Quod Simeon Boſius ad diuortiorum repudiorúmque renunciationem retulit. Nam & Paul. ſuperiore capite definit, denunciare eſſe abſenti denunciare, & ſiue præſenti viro renuncietur, ſiue abſenti per eum qui in poteſtate eius ſit, cuiúsve is, eáve in poteſtate ſit, nihil intereſſe, Caius ait. *l.2.de diuort.* Singulare exemplum inueſtigemus oportet, cui aptetur hæc definitio. Nam quæcunque huc ex triuio lecta de atteſtationibus congeruntur, quæque de in ius vocationibus & atteſtationibus, parum conuenire iudico: de quibus nonnihil ad epigraphen. *l.48.ſoluturum.ff.h.t.* Sicut & ea. quæ de vindiciis ſuperſtitibus præſentibus dandis, ab aliis diſſeruntur. Fortè & ipſe fruſtrà ſim, tentabo aliquid nihilominus. Cùm paulo ante *cap.38.* oſtentum, de liberis agerετus, hoc quoque loco exiſtimo, de denunciatione prægnātis vxoris ex Planciano ſenatuſconſulto tractari: cuius ratio ab Vlpiano explicatur, [Permittitur, inquit, mulieri parentiue in cuius poteſtate eſt, vel ei cui mandatum ab eis eſt: ſi putet prægnantem, denunciare intra dies triginta poſt diuortium connumerandos, ipſi marito, vel parenti in cuius poteſtate eſt, aut domum denunciare, ſi nullius eorum copiam habeat, &c.] *l.1.de agnoſcen.lib.* Niſi & illud non abſurdè arbitremur de Prætoris, eius penè argumenti, edicto dici poſſe: quo cauetur ne partus ſubiiciantur, vt ordinum dignitas, familiarumque ſalua ſit: Vlpian. [Denuntiare mulierem oportet, his ſolis, quorum intereſt

intereſt partum non edi, vel totam habitutis hereditatem, vel partem eius ſiue ab inteſtato, ſiue ex teſtameoto *l.1.de inſp.vent.*

§. j. SERVI appellatio etiam ad ancillam refertur.

ALCIATVS.

SERVI. ¶ E conuerſo autem appellatione ancillæ, ſerui noo continentur *l.ſeruis.de leg.3.* quod obſeruandum eſt, etiam ſi eadem vtriuſque ratio ſit *c.quoniam.de ſimo.* niſi gratia frequentioris vſus de fœminis mentio facta proponatur. ¶ Quapropter ſi lex prohibeat capras in villa haberi, nec hircos quidem habere licebit: atque ita ex facto reſpooſum fuiſſe conſtat. *Alber.in ſta.1. q.104.* aruis enim calamitoſum, præſertimque Baccho infeſtum, id animal eſt, vt etiam Græco epigrammate admonemur:

Κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν ὅμως ἔτι καρποφορήσω
Ὅσσον ἐπισπεῖσαί σοι τράγε θυομένῳ.
Rode caper vitem, tamen hinc cùm ſtabis ad aram,
In tua quod ſpargi cornua poſſit erit.

BRECHÆVS.

SERVI. ¶ Huius quidem rei ratio eſt, quod commune oomen ſexum vtrumque complectatur. Vnde, ſeruis legatis ancillas quoque deberi Modeſtious tradit *l.Seruis legatis.de leg.3.l.Inter ſtuprum. §.ſeruis legatis. ꝫ.hoc tit.* ¶ At è contrario ancillas legatis, ſeruos non deberi palàm eſt. *d.l.ſeruis legatis.* Nam cùm maſculorum nomen fœminas etiam comprehendat, turpiſſimum eſt fœmineo vocabulo maſculos cootineri *l.ſi ita ſcriptum.de leg.2.* quod & *in l.1.ꝫ.h.tit.* attigimus.

FORNERIVS.

SERVI. ¶ Primo huius tractatus capite maſculorum appellatione fœminas contineri docuimus. Quod autem hîc de ſeruo ſubiicitur, non alienum à noſtra cooiectura oſtendunt Vlpiani verba. [Sed & ſi ſeruus heres inſtitutus fuerit, Si nemo natus fuerit, huic quoque ſeruo, quamuis non omnia, quædam tamen circa partum cuſtodiendum arbitrio prætoris eſſe concedenda.] *l.1.§.quamuis.de inſpic.ventr.* & pòſt paulò, [Ideóque etiam ſeruus iſte, cùm ſit io ſpe conſtitutus ſucceſſionis, qualiſqualis ſit, deber audiri, rem & publicam & ſuam gereos.]

§. ij. FAMILIÆ appellatione liberi quoque continentur.

ALCIATVS.

FAMILIÆ. ¶ De familiæ ſignificatione infrà latiùs diſſeretor. Quod ad præſentem rem attinet, dubium faciebat, quoniam familia ab Oſco verbo famul deducitur, qood ſeruum ſignificat, atque ideò de ſeruis propriè dici debuit, non autem ad filios, vel etiam libertos homioes trahi. ſed tamen vſus aliter obtinuit. ¶ Hincque ſequitur, vt argumentum ab etymo, itémque quod in Topicis M. Cicero à coniugatis vocat, probabile, non autem coocludens ſemper ſit.

BRECHÆVS.

FAMILIÆ. ¶ Qui præclarè eam Philoſophiæ partem quæ ad mores politiámque pertinet, tractauerunt, hi ſanè domum & familiam totam conſtituerunt, viro, vxore, liberis, & ſeruis. Quod videre eſt apud Ariſtotelem *lib.1.polit.cap.3.* Et ipſa charitas generis, ait Cicero *lib.5.de fin.bon.& malor.* quæ nata a primo ſatu, quo à procreatoribus nati diliguntur, & tota domus coniugio & ſtirpe coniungitur, ſerpit ſenſim foras cognationibus primum, tum adfinitatibus, deinde amicitiis, &c. Itaque cùm dicimus domeſticum teſtimonium explodendum eſſe, mioiméque admitteodum, intelligimus eorum omnium teſtimonium, noo qui ſanguinis iure coniuncti ſunt tantùm, ſed quos ipſe paterfamiliâs ἐκ τῆς ἑνώσεως τῆς ὑποζυγιότητος, vt ait Theophilus, id eſt ex ſubiectioois vnitate, apud ſe habet, liberos ſcilicet, & ſeruos, ex quibus tota domus, id eſt familia conſtituitur. Domum enim pro familia, frequenter iureconſ. ponunt. Quare domeſticos heredes, ſuos appellauit Imperat. Iuſtinianus *in §.ſed ſui quidem.inſt.de her.qual.& diff.* id eſt filios. Vnde fit vt cui domus vſus relictus eſt, in ea liceat noo ipſi ſolùm, ſed cum tota ſua familia, liberis ſcilicet, libertis, & ſeruis habitare. *l.2.de vſu & habitat.* Ex quibus liquido apparet eam fuiſſe hoc loco Vlpiani mentem, vt cùm familiam dicimus, liberos etiam ſignificaremus, & ego quoque bis adiicio ſeruos, τουτέστι ἅπαντας ὁμοσιπύους, vt Charondas Cataniensis legom lator dicebat, qui eadem penu agebant: at Epimenides Cretenſis ὁμοκάπους, qui in vno eodémque diuerſorio habitant. Vlpianus *in l.ædiles.§.1.ff.de ædil.edict.* tradit familiæ appellatione contineri eos omnes qui in ſeruitio ſunt, etiam liberos homines qui bona fide ei ſeruiunt, vel alienos, & qui in poteſtate eius ſunt. Vlp. *in l.1.§.familiæ autem.& §.ſeq.ff.de vi & vi arm.l.ſi familia.de iuriſd.om.iud. l.2.§.familiæ.ff.vi bonor.raptor.* ¶ Sed & animalia quoque non eſſe extra familiam, argumento erit nobis Heſiodus, qui domum familiámq; potiſſimum viro, coniuge ac boue aratore conſtare dixit.

Οἶκον μὲν πρώτιστα γυναῖκά τε, βοῦν τ' ἀροτῆρα.

Bos enim (inquit ipſe Ariſtot.) egenis ſeruorum erat loco.

FORNERIVS.

LIBERI. ¶ Familias, noſtrates *meſnaiges, & meſnies*. vocitant. Familiarum adiectiones. Corn. Tacit. *lib*. 1. T. Liuius *lib*. 43. [Poſtulantibus à Senatu Aquilienſium legatis, vt numerum colonorum augeret, mille & quingentas familias, ea Sc. ſcriptas fuiſſe, triumuiroſque qui eas deducerent, miſſos.] Seruiliæ legis de legendis iudicibus caput, [Neue amplius de vna familia vnum,] in Gallicas leges tranſlatum ſummo ſtudio tuendum eſt: ne erumpentia ex eadem familia ſenatorum examina in ampliſſ. ordinem allegantur.

§. iij. VNICVS ſeruus familiæ appellatione non continetur: ne duo quidem familiam faciunt.

ALCIATVS.

VNICVS. ¶ Videtur hinc Baldi ſententia confutari. *Bald. l. iubemus. §. ſin autem. C. ad Treb.* Exiſtimauit ipſe conſtitutionem de eo, qui cum familia acceſſerit, verba facientem, illum quoque complecti, qui cùm vnico ſeruo accedat, ſi eum ſolùm habuerit. Sed ego rationem legis perpendendam magis crediderim, quæ ſi in dubium deducatur, propius erit vt de vnico ſeruo familia, quatenus ad perſonas refertur, dici nequeat: in interdicto tamen à familia deiectus dicitur. *l.* 1. *§. familiæ. de vi & vi armata.* qui vel ab vnico ſeruo deiectus eſt: ſed id ex interpretatione, non ea vi verborum eſt. Sed quid, ſi lex municipalis cuiquam alienigenæ ius ciuitatis concedi prohibeat, niſi per decennium cùm familia in vrbe habitauerit, an is, qui relictis parentibus, & familia, cum vnico ſeruo habitauerit, reiicietur? Et ex facto conſultus reiici reſpondi, tum huius reſponſi argumento, tum quia familiam alibi maiorem reliquerat, & in patria ius incolatus retinuerat, ad quam veriſimile eſt eum quandoq; reuerſurum fuiſſe. Lex autem municipalis id beneficium concedit his, quos per tanti temporis incolatum ſuſpicatur non receſſuros.

Ne duo quidem. ¶ Tres ergo familiam conſtituent. *l. Neratius. §. eod.* ſicut & collegium: cœtus verò decem homines requirit. *l.* 1. *C. de tut. vel cu. illuſt. perſ. vbi hoc no. Bal.* quod & de turba dicendum eſt. *l. prætor. vi bon. rapt.* quæ vox à Græco ſermone *τύρβη* deducitur: quod & de congregatione ego crediderim. *c.* 1. *de elect.* niſi ea iniecto argumento aliud inducatur: quo caſu à Canoniſtis non diſſentirem, qui vel ex duobus congregationem conſtare dixerunt. Sed & populum plebémue decem viris conſici plerique exiſtimauerunt: quod nuſquam probatur, & ratione caret, cùm maiorem numerum populi appellatio quàm cœtus, requirat. ¶ Sanè dubium non eſt, quin decem oues gregem conſtituant, quod de minoribus animalibus ſolùm intelligitur: nam quinque ſues, vel quatuor equinos pullos, gregem ſuum, equotúmue conficere Bartol. ſenſit. *l. oues. de abig.* Cuius rei argumento, ſi lex pœnam ei, qui gentem congregauerit, imponat, eum non puniri exiſtimauit, qui minus decem peditibus, aut quatuor equitibus contulerit. ¶ Sed mihi magis arridet, ne à turba gentem diſtinguamus, idémq; vtróque ſit caſu. Illud non omittendum, tametſi vniuerſitates huiuſmodi ea pluribus perſonis conſtant, cæteris extinctis, ius vniuerſitatis in vnum recidere, nec extingui. *l. ſicut. in fine. quod cuiuſque vniuerſ.*

BRECHÆVS.

VNICVS SERVVS. ¶ Nec vnus quidem: ſed nec etiam duo ſerui ſatis ſunt ad familiam nominandam. Quo circa non minus tribus opus eſſe exiſtimauerim. *arg. l. Neratius. §. h. t.* vbi de ea re pluta. Equidem Pythagorici binarium numerum contentionem atque audaciam vocitant. Ac verò ternario, iuſtitiam ſignificari voluerunt. Veruntamen ſi vnus ex ſeruis deiecerit, quoniam familiæ appellatione ſerui continentur, familiam deieciſſe rectè dicemus. *d. §. familia.*

FORNERIVS.

VNICVS. ¶ Cæterum de multiplici familiæ ſignificatione, commodiùs aliquantò *ad l.* 195. *pronunciatio. l. ſeq. §. h. t.* dicturus, hoc vnum adieciſſe contentus ero: Familiam tribus ſaltem conſtare ſeruis, nec paucioribus, ac ne duobus quidem. vt & collegium, & corpus, ſaltem tribus ſit, quamuis per vnum iura vniuerſitatis retineantur. *l.* 85. *Neratius. §. h. t. l.* 7. *ſicut. §. vlt. quod cuiuſq. vniu.* M. Cicero *de interdicto* VNDE VI *diſputans pro Cecinna:* [Facilè, inquit, probatur iis, qui latiuè ſciunt, in vno ſeruulo familiam non valere.] Idem, [Familia conſtat ea pluribus ſeruis: & vnus homo familia non eſt.] homo, id eſt ſeruus. *l.* 185. *inſtructam. l.* 203. *in lege. §. h. t. & alias ſæpe.* Hoc pertinet ad interdictum VNDE VI, vt & caput proximum.

XLI. CAIVS lib. xxj. ad Edictum prouinciale.

ARMORVM appellatio non vtique ſcuta & gladios, & galeas ſignificat: ſed & fuſtes & lapides.

ALCIATVS.

ARMORVM. ¶ Armorum appellatio non ad ea tantùm, quæ offendendi cauſa habemus, refertur: ſed & ea continet, quæ pro noſtri corporis tutela gerimus, vt clypeus & caſſis, quòd ſi lea non de armis, ſed de telis loquatur, aliud eſt: nam hæc vox ea ſolùm ſignificat, quæ alterius lædendi cauſa habentur. *Bart. l.* 1. *& fin. de vi pub.* Nec Angeli ſententiam ſequi poſſum *in l. cum ex pign. de fur.* impropriè

propriè arma dici exiſtimantis, quæ ſolùm defenſionis cauſa parantur: id enim à Iuriſconſulti noſtri mente procul abeſt. non tamen negauerim ea ſubiecta materia armorum appellationem aliter quandoque adſumi: vt in Iuſtiniani conſtitutione. *Authent. de armis.* qua fabricenſibus inhibet, ne arma priuatis hominibus vendant, intelligitur enim de his, quæ militantibus vſui eſſe poſſent, quoniam id publicæ ſecuritatis cauſa conſtitutum fuit. Qui ergo cultrum, vel fuſtem habuerit, non tenebitur. *gl. d. Authen.* tametſi cultellos, quo panem incidimus, vel calamum acuimus, idémque in graphio, armorum nomine non comprehendatur: & ideò ſi quis huiuſmodi gladiolo aliquem occidat, non videri eum occidendi animum habuiſſe. *c. ſignificaſti. de ho.* Aret. *conſilio* 80. reſpondit. Sed & conſtitutio, qua monachis tenere arma non permittitur, haud quaquam de fuſtibus & lapidibus intelligitur. cùm hęc in alium vſum haberi veriſimilius ſit. *clem. 1. de ſtat. mon.* conſuetudóq; vulgaris ſermonis hoc die habet, ne appellatione armorum contineantur. *Cardin. d. clem.* Sed cùm Iuſtiniani ſanctio, qua arma à priuatis retineri prohibitum diximus, conſuetudine non ſeruetur, an licebit machinas fuſiles habere? quales ſunt, quas Bombardas, Colubrinas, Sclopos maiores, Baſiliscos, Salamandras, Crocodilos, & Arcus perforatos vocamus (quos Galli appellant, *Arquebuzes.*) Et non licere crediderim: cætera enim arma alio prætextu haberi poſſunt. at huiuſmodi quæ ad demolitionem murorum ſolùm ſunt vſui, nullo pacto priuatis conceduntur, nec ad hunc caſum videtur producenda conſuetudo.

BRECHÆVS.

ARMORVM. ¶ Multiplex equidem eſt armorum ratio & conſideratio. Alia enim tuendi noſtri gratia habemus: alia verò ad offendendum ſunt comparata. Cuiuſmodi ſunt tela, fuſtes, lapides: atque hæ igneæ machinæ, quas Bombardas vocant, & reliqua id genus, quæ ictum fulminis inſtar habent. Quæ autem arma aptantur corpori, ea ad defenſionem potiùs quàm ad offenſionem ſumuntur. Vt ſunt Galeæ, Caſſides Thoraces ſeu loricæ. Quarum pars altera pectus, ac totum epigaſtrion munit: altera verò dorſum & partes corporis poſteriores, has loricas ſic ferè Pauſan. *in Phocicis* deſcribit. *δύο ἦν χαλκᾶ ποιήματα, τὸ μὲν στέρνῳ καὶ τοῖς ἀμφὶ τὴν γαστέρα ἁρμόζον· τὸ δὲ ὡς νώτου σκέπην εἶν. γύαλα ἐκαλοῦντο, τὸ μὲν ἔμπροσθεν, τὸ δὲ ὄπισθεν προσῆγον, εἶτα περόναις συνῆπτον πρὸς ἄλληλα.* Duo quippe thoracum ſeu loricarum genera apud antiquos fuere: quod & adhuc hac noſtra tempeſtate obſeruamus. Vnum ſcilicet fibulis conſertum, veluti maculis retis: *ἁλυσιδωτὰ* Græci vocant: *παρὰ τὸ ἁλύσιον*, quòd catenarum more componantur: qualis apud Virgilium ea lorica conſerta hamis. Alterum loricę genus à Græcis dictum *σταδιαῖον*, quòd ſolidis laminis ferri benè compactum ſit ſquammarum modo: aut cùm de ſolido ferro tota thoracis forma ducitur, Noſtri brigandinas, & animas vulgari idiomate appellant. Hæc autem quoniam armis, id eſt, humeris coaptantur, arma rectè dici quidam exiſtimant *παρὰ τὸ ἁρμόζειν*. Cętera verò, vt fuſtes, lapides, tela, ab arcendo dicta Varro *in lib. de lingua Latina* tradit: quod, ſcilicet, his hoſtem arceamus. Ante ferri vſum, arma primùm ænea fuere, ſicuti conuicta licet ex Heſiodi verbis.

Χαλκῷ δ' εἰργάζοντο· μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος
Ære operabantur, nec nigrum ducere ferrum
Mos erat.

Poſtea quidem aurea fabricauerunt, & ferrea: qualia cum Glauco Troiano, Diomedes Græcus commutauit, arma videlicet aurea centum bobus æſtimata, æreis armis nouémque bobus æſtimatis: vt eſt apud Homerum *lib. 6. Iliad. ſub fin.*

Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

Arma igitur illa, Hecatombœa, & enneabœa ab Homero vocata ſunt, quòd centum & nouem bobus ęſtimarentur, id eſt, didrachmis & tetradrachmis, & hoc nummorum genere ab eius pecudis nota ſic dicto, vt tradidit Bud. *lib. 2. & 5. de aſſe.* Bos, inquit, etiam olim numiſma erat Atticum, bouis nota percuſſum, didrachmum alio nomine dictum. Ab eo numiſmate notum eſt apud Græcos prouerbium. *Βοῦς ἐπὶ γλώττης βέβηκεν.* Bos ſuper linguam ſitus eſt, vel firmatus: contra eos vſurpatum qui aut pecuniæ autoramento loquendi libertatem perdiderunt: aut mulctæ irrogandæ metu, quæ dicenda ſunt, reticent. Varius ſi quidem apud varias gentes armorum militarium mos eſt. ¶ Sanè Euboici & Aphri haſtis congrediuntur, quas vocant Phalanges. Caria, funda. Ægyptij oblongis ſcutis, & magnis haſtis, ſic vt via hoſtem conſpiciant. Galli, prælongis gladiis, & ſine mucronibus, & vaſtis ſupra vmbilicum ſcutis, nudi dimicabant. Vaſcones, tecto capite, aut cum galea certare nefas ducunt. Scythæ galeis in acutum deſinentibus, pyramidis inſtar. Multa alia huiuſce rei videbis ampliſſimè apud Alex. Neap. *lib. 6. genialium dierum. ca. 22.* Quibus exemplis licebit conijcere, armorum appellationem, non tantùm ad thoracas, caſſides & galeas, ſed ad cuiuſuis generis gladios, ad tela, ſcuta, fuſtes, lapides, generali ſignificatione transferri. Hæc vno eodémque verbo Græci *τὰ ὅπλα*, vocant. Nam & *ἀναλαμβάνειν ὅπλα* Xenophon *Ἑλλην.* iij. dixit, quod Latini, arma capere: Et *ὁπλομαχεῖν* ſub armis exerceri. Iam verò quando cunque ſtatuto arma deferri prohibentur, fuſtes & lapides non intelliguntur propriè. Quæ ſententia eſt Ange. Aret. *in §. ex maleficiis. Inſt. de act.* vbi etiam Iaſon permulta in hanc rem ſcribit, & quæ huius l. interpretationi maximè conueniant. Videtur tamen diuerſa Vlp. ſententia *in l. 3. §. armis. ff. de vi & vi arm.* Quo loco ſcribit arma eſſe omnia tela, hoc eſt, fuſtes & lapides: non ſolùm gladios, haſtas, & phrameas, hoc eſt rompheas. Planè & ſi vnus vel alter fuſtem, vel gladium tenuit, armis poſſeſſorem deiectum cenſeri. Plus dicitur, & ſi inermes venerunt, ſi in ipſa concertatione qui inermes venerant, eò proceſſerunt, vt fuſtes aut lapides ſumerent, vis erit armata. In ſumma, arma ea omnia dicemus eſſe quibus & nocere offendere quis poſſit. *l. armatos. ff. ad leg. Iul. de vi publ.* Sed id quidem ea impropria dicendi vſu eſſe accipiendum cenſet. *Gl. in Cle. 1. de ſtat. mo. ad verb. Arma.* Quam multum Aretin. expendit *in d. §. ex maleficiis.* Et ipſa Ang. *in tractatu de maleficiis. verb. Et*

ad hoc

ad hoc colloquium tractatum. verſ. quod autem ſi ſtatutum. quo loco ampliſſimè diſcutit quid armorum appellatione cõtineatur. Prçterea, & dẽtes, & vngues brutorũ animaliũ, arma eſſe dicimus. Lact. Firm. *in lib. de Opiſic. Dei. c.* 2. Quibuſdam, inquit, in ore arma ſunt dẽtes: aut in pedibus, adunci vngues: nulliſque munimentum ad tutelam ſui deeſt. Idem traditum eſt *in c. noli. de pœnit. diſt.* 1. Nautarum etiam inſtrumenta, arma dicuntur. Virgil. *libro quinto.*

Colligere arma iubet, validiſque incumbere remis.

Vnde Armamentarium, eſt in quo arma, inſtrumenta, machinæ, & omnis generis tela reponuntur: ab armamentis, quæ propriè nauium ſunt inſtrumenta, dictum. Adde etiam quod ruſtici aratra, ligones, vomeres, raſtros, & reliqua id genus inſtrumenta, qualia traduntur ab Vlpiano *in l. inſtrumenta. ff. de fundo inſtruct. vel inſtrum. leg.* ſua arma appellant. Virgil. *lib.* 1. *Georgicon*, fermè ad principium, ſic,

Dicendum, & quæ ſint duris agreſtibus arma,
Queis ſine nec potuere ſeri, nec ſurgere meſſes
Vomis, & inflexi primum graue robur aratri,
Tardáque Eleuſinæ matris voluentia plauſtra
Tribuláque, trahæq;, & iniquo pondere raſtri.

Fornerivs.

Armorvm. ¶ Armorum quædam ſunt ad protegendum comparata, vt tibiale, humerale, lurica, ſcutum, galea, *l. antep.* §. *de re mil.* Alia ad nocendum feriendúmque, quibus vel cominus vtimur, vel eminus. *l.* 1. *l.* 3. *l.* 9. *armatos. l. pen.* §. *ad leg. Iul. de vi publ.* Quo in numero ſunt fuſtes & lapides, *hic & d. l.* 9. *armatos.* §. *item lex Cornelia. de pub. iud.* Donatus id quoque in Terentianum illud annotauit, [Tu verò mulier, quæ me hominem, aut lapidem putes.] Vegetius *de re militari*, ac Leo imperator. Xenophonti *πετροβόλος*, qui lapides eiaculatur. Polybius *lib.* 5. *τῶν δὲ πρὸς τὴν πολιορκίαν ἀξιοχρέων βέλη καὶ πετροβόλους.* Machinæ erant petrariæ, quæ lapides eiacularentur, baliſtæ, catapultæ, ſcorpiones Ioſeph. Antiq. *lib.* 7. Appianus *in Lybica.* Vopiſcus *in Aureliano*, [Dici non poteſt quantum ſagittarum, qui belli apparatus, quantum lapidum.] apud Feſtum, Ferentarij auxiliatores in bello, à ferendo auxilio dicti. Vel quia fundis & lapidibus pugnabant: quæ tela feruntur, non tenentur. Ouid. *Metamorphoſ.* 11. [Alterius telum lapis eſt.] *l.* 233. *ſi calumur.* §. *telum.* ℱ *h. titul.* M. T. Cicero *pro A. Cecinna*, [Armatos quos appellare verè poſſumus? Opinor eos qui ſcutis teliſque parati ornatique ſint: ſi glebis aut ſaxis aut fuſtibus.] Ac non multò poſt: [Non fuiſſe armatos eos, qui ſaxa iacerent, quæ de terra ipſi tollerent.] Apollonij ſcholiaſtes *libro extremo*, *ὑπὸ ἐκ βελέων) ἤγουν, τῶν πετρῶν, καὶ γὰρ ὁ μακρὸν βέλος εἴρηκε τὴν πέτραν, τὴν ὑπὸ τῶν κύκλωπος βληθεῖσαν καὶ πᾶν τὸ σφενδονώμενόν φασι. l.* 1. §. *occiſorum. de Sc. Syllan.* [Saxo, fuſte, vel lapide percuſſum, vel quo alio telo necatum.] *l.* 3. §. *armis. vnde vi & vi armat.* Arma ſunt omnia tela, hoc eſt, & fuſtes & lapides: non ſolùm gladij, haſtæ & frameæ, hoc eſt romphææ. Corn. Tacitus, haſtam eſſe ait, anguſto breuíque ferro, ſed acri & habili ad vtranque pugnam, ſiue cominus, ſiue eminus pugnare libeat, Iſidorus pro gladio ancipiti exponit, Xyphomachæra. Pollux. [Non vtique ſcuta &c.] ¶ Abſurdum videri poſſit, quòd ſcuta, gladios & galeas (quibus non minus quàm fuſte ac lapide noceatur. *d. l.* 9. *armatos. & l. pen.* §. *ad leg. Iul. de vi pub.*) arma neget Caius, niſi vſitatâ Iureconſultis *ἐλλείψει* ſubaudirentur ſuppreſſæ voces [tantùm.] ſed [etiam.] Non vtique tantùm ſcuta, ſed etiam fuſtes, &c. Ea figura vſum Papinianum Accurſius animaduertit. *l.* 9. *ob eam. de praſcr. verb.* Cuius non rarò exempla occurrunt: quæ ſtudioſè obſeruata pleraſque iuris controuerſias diriment: qualia nos ad *l.* 179. *inter. l.* 193. *hæc verba.* ℱ *h. t.* non pauca proferemus. [Fuſtes & lapides.] ¶ Iſidorus *lib.* 18. *cap.* 5. Arma duplicia, id eſt, vel quibus percutimur, vel quibus tegimur. Arma autem propriè dicta ſunt, eò quòd armos tegunt. Imò quòd veteres enſem humeris alligatum geſtarent, *en eſcharpe.* Virgil.

Lateriq; Argiuum accommodat enſem. Rurſus,
Tum lateri atque humeris Tegæum ſubligat enſem.

Homerus *Vlyſſea lib.* 2. *ἀμφὶ δὲ ξίφος ὀξὺ θέτ᾽ ὤμῳ.* Armus autem idem quod Græcis *ὦμος*, humerus: quod & ab Iſidoro traditur. Cæterùm arma alienaſſe, crimen militare grauiſſimum ac deſertioni exæquatum ſcribit Paulus *l. antep. de re mil.* Caſſiodorus *lib.* 7. *epiſt.* 19. Sudas ne oppignerare quidem licuiſſe ſignificat, *in dict. Ἐνέχυρον.*

XLII. Vlpianvs lib. lvij. ad Edictum.

Probrvm & opprobrium, id eſt, probra quædam naturâ turpia ſunt: quædam ciuiliter, & quaſi more ciuitatis. Vt puta furtum, adulterium naturâ turpe eſt. Enimuerò tutelæ damnari, hoc non naturâ probrum eſt, ſed more ciuitatis. Nec enim naturâ probrum poteſt etiam in hominem idoneum incidere.

Alciatvs.

Probrvm. ¶ Probrum pro crimine ipſo quandoque accipitur: ſed quia ex huiuſmodi delictis ignominia oritur, ſoléntque ea à conuiciantibus obijci, frequentior vſus obtinuit, vt pro ignominia conuiciúſque accipiatur: ſicut & opprobrium, quod nihil aliud eſt, quàm obiectum probrum: hócque modo à Vallæ morſibus defenditur Vlpianus.

Furtum

Furtum. ¶ Accurſius ita intelligit, vt furtum, adulteriúmque natura probrum ſit, quoniam in Decalogo legitur [Non furtum facies, Non mœchaberis.] quæ interpretatio vt vera ſit, poteſt tamen ita punctis diſtingui, vt defendamus furtum non natura, ſed ciuili lege probrum eſſe, adulterium verò etiam naturâ: nam legũtur fuiſſe aliqui populi, apud quos furari impunè licebat, vt Ægyptij, quod ex Ariſtone Iuriſconſulto Aulus Gel. tradit. Lacedæmoniis certè etiam laudi dabatur eſſe furem, nec deprendi: quòd hoc potiſſimùm exercitamento cautiores, diligentioréſque adoleſcentes fierent. Leges autem 12. tab. aliquid quoque de Lacedæmoniorum moribus ſumpſiſſe dubium non eſt. Cùm ergo communi omnium gentium iure furtum non puniretur, meritò huiuſmodi probrum magis ciuile, quàm naturale dicitur, quod non eſt de adulterio: id enim etiam iure gentium abominabile eſt, vtpote quod matrimonium polluit, datámque à coniugibus inuicem fidem corrumpit. At hodie in his ciuitatibus quæ malè inſtitutæ ſunt, maior pecuniæ, quàm morum ratio habetur, furéſque laqueo ſtrangulantur, adulteri mulctantur pecunia. Sanè quamuis lege Iudæorum fures punirentur, non tamen conſequens eſt, iure gentium id crimen puniri: neç enim ſoli Iudæi ius gentium conſtituunt, (vt Cornelius Tacitus inquit) Moſes nouos ritus, contrarióſque cæteris mortalibus indidit. Sed & ſi concedamus lege naturali furtum vetari, *l. 1. de fur.* non tamen ſequetur, vt ideo ſit probrum: nam & lege ciuili non poteſt maritus donare vxori, & tamen huiuſmodi donatione opprobrium aliquod nõ inducitur. Illud ergo probrum eſt, quod non ſolùm prohibetur, ſed etiam ignominia delinquentem afficit. Et hæc vtcunq; contra receptã ſentẽtiam induci poſſent, licet ab ea recedere periculoſum ſit.

Non naturâ. ¶ Diſtinctio hæc Iuriſconſulti non magni effectus videtur eſſe: quandoquidem parum refert, quis iure ciuili an naturali propudioſus ſit: parem enim infamiæ notam ſuſtinet: *l. 1. de his qui not. infam.* multùm verò refert in pactionibus, quæ contra bonos mores fiunt: nam ſi cõtra bonos mores (quatenus iure ciuili cõſiderantur) initæ ſint, iuramẽto confirmantur. *cap. cùm contingat. de iureiur.* Atque hinc eſt, quòd donatio inter virum & vxorem, vel patrem & filium iureiurando ſancita, neceſſariò obſeruanda eſt, *l. pacta quæ contra. C. de pact.* vt communi calculo proditum eſt: quod procedit, cùm ſimpliciter lege ciuili contractus prohibetur: nam ſi etiam pœna appoſita ſit, aliud fortè eſſet dicendum. *l. conuenire. de pact. dot.* Idem, ſi iure gentium conuentio reprobata ſit: huiuſmodi enim nec iuramento quidem roboratur.

BRECHÆVS.

PROBRVM. ¶ Fallitur ſanè hoc loco Vlpianus, cùm Probrum & opprobrium promiſcuè καὶ ἀδιαφόρως accipi vult. Eſt enim longè diuerſa vtriuſque vocis ſignificatio. Quippe quòd Probrum ſit ipſum peccatum & vitium. Opprobrium autem, ignominia quæ ex ipſo probro enata, probroſo obiicitur. Itaque probrum rectè dicemus eſſe id quod turpe ſit: cùm nihil turpe cum Stoicis debeamus appellare, niſi quod cum vitio ſit coniunctum. Quamobrem Cicero *lib. 1. offic.* Turpia vocat iniuſta, & indecora. Quod me quidem mouet vt Laurentij Vallæ ſententiam omnino ſequar, qui cenſet probrum eſſe ipſum crimen & flagitium à Græcis ὕβριν dictum: quod Budæus in *Comment. linguæ Græcæ* ſcribit ſignificare petulantiam, ſuperbiam, inſolentiam, adulterium, improbitatem, flagitium, & ſtuprum. Vnde ὑβριστὴς καὶ ὑβριστικὸς ἀνήρ, homo contumelioſus & confidenter improbus. Sophocles *in Elect.* ἐγὼ δ' ὕβριν μὲν οὐκ ἔχω, Non ſum ego contumelioſa, & probro affecta. Elegans loquendi modus apud Græcos per verbum ἔχειν. His quidem exemplis admonemur, probri ſignificatum, ad contumeliam, flagitium, & ad ſtuprum quoque latè transferri. Cicer. *Philip. 2.* Filiam eius ſororem tuam eiecisti, alia conditione quæſita, & ante perita. Non ſatis eſt, probri inſimulaſti pudiciſſimam fœminam. Hic probrum pro ſtupro poſuit Cicero, quod apud veteres erat frequentiſſimum. Nam probri inſimulare dicebant, quod nunc, de ſtupro accuſare. Quod Budæus etiam annotauit, vt tradit ſtuprum & adulterium idem ſignificare, τὸ ὑβρίζειν, μοιχεύειν, διαφθείρειν, αἰσχύνειν, quod vltimum (inquit) Latinè probrum eſſe videtur. Plautus *ad verbum, Dedecus dixit.*

Probra quædam. ¶ Hac veluti partitione eſt vſus Vlpianus, quò clariùs probri ſignificationem & exactiùs oſtenderet. Nam cùm ſcribit. Probra quędã natura turpia eſſe, quædã ciuiliter & quaſi more ciuitatis, ex hoc deprehẽdimus probrum propria ſignificatione eſſe infamiam, ignominiam, dedecus, ſimul & vitium: ac ſi diceret, duobus modis quis probroſus, ignominioſus & infamis efficitur: naturali ſcilicet lege, & iure ciuili. Etenim cùm lex naturalis (quam etiam diuinã appellamus, ſicuti ampliſſimè docuimus *in Comment. noſtris ad conſuet. Turon.*) vetet alienum maculare thorũ, & detrahere quicquam alteri, certe qui furti atq; adulterij reus peractus eſt, is naturali præſcripto, afficitur probro, turpitudine & infamia: nõ autem ciuiliter, neq; more ciuitatis. Hoc igitur probrum natura turpe cenſetur eſſe, nõ ciuiliter. Hæc quippe diſtinctio à iureconſ. Vlp. poſita, minimi momenti videtur eſſe. Nam quamuis lege naturali prohibitũ cenſet Paulus *l. 1. de furt.* furtũ admittere, id ipſum etiam iure ciuili ſancitum fuit. Quandoquidem lege xij. Tab. furta non ſolùm turpia erant, ſed & vſq; adeò ſeuerè plecti & coherceri ſolita, vt manifeſtũ furẽ lex iuberet in ſeruitutẽ dari illi cui res furto ſubtracta eſſet. Furem autem quoquomodo noctu deprehenſum, die verò cùm telo, cum clamore demũ interfici iuſſerit. At quoniam duriores ſeueriotéſque Draconis erant leges hæ quæ capitis ſupplicio plectendum furem volebant, paulatim tacito populi conſenſu ac conſuetudine, non autem decreto ſeu iuſſo antiquatę ſunt. Poſtea verò legibus aliis mitioribus à Solone editis, vſi ſunt Athenienſes, vt teſtis eſt Gellius *lib. 12. noctium Att. cap. 18.* Veruntamen non apud omneis peræquè gentes furta turpia fuere, neque ſancita pœnis. Nam Perſis lege permiſſa viſa ſunt: apud quos qui rapto viuerẽt, Cardaces nominabantur. Quia Carda, virile ſignificat & bellicoſum. Et apud Pauſaniam & Ammonium, Cardaces pro militibus acceptos legimus: quod verbum à Caribus deriuatum tradit Euſtathius. Tamen Cælius Rhodoginus *lib. 18. lection. antiqu.* ſcribit ſe obſeruaſſe apud Ælium Dionyſium,

Cardsces homines impios dictos. Herodorus antbor eſt in Melpomene Tauroſcythas victum ſibi compatare ſolitos furandi licentia. Apud veteres Ægyptios, quod genns homines conſtat in reperiendis artibus ſolertes extitiſſe (ſit Gellius) *eod. lib.* 12. *cap.* 43. & cognitione rerum indaganda ſagaces, furta omnia licita, & impunè admiſſa fuerunt. Idem quoque fuit apud Spartanos Lycurgi permiſſu, quo magis acuarentur ingenia animóque eſſent vegeto & ſolertiidque Germanorum & Ægyptiorum exemplo. Cuius etiam rei meminit Alex. Neapolitanus *lib. 6. Genial. dierum. cap.* 10. Sempet tamen datum eſt probro furtum admittere, quamuis nulla furibus pœna impoſita eſſet. Sicque natura turpe illis erat furtum & probrum: cùm alioqui ciuiliter & more ciuitatis idipſum liceret.

Tutela damnari. ¶ Hic exemplum profert eorum quæ non natura probra & turpia ſunt, ſed iure ciuili. Videlicet, Tutelæ damnari. Nam actio directa tutelæ, infamiam irrogat, vt *inſtit. de pœna teme. litig. §. ex quibuſdam.* Sed id quidem infamia iuris & ſententiæ, non autem naturali lege: argumen. eorum quæ tradit Archidiac. *in cap. non eſt. extra de conſuetud.*

Fornerivs.

Probrvm. Quicquid propter turpitudinem flagitiúmve hominibus infamiam aut contumeliam conciliat, quo alterius pudor aut dignitas læditur, promiſcuè probrum, opprobrium, interdum & conuicium in actione iniuriarum dicitur. *hic l.* 1. *l.* 15. *item apud. de iniur.* Quanquam probrum pro ſtupro flagitióque propriè accipiatur. Probrum virginis veſtalis, [vt capite puniretur:] [Vir qui eam inceſtauiſſet, verberibus necaretur.] Lex fixa in atrio libertatis, ait Feſtus, cum multis aliis legibus incendio conſumpta eſt. *l.* 25. *ſi ſtuprum d. l.* 15. *ff. de iniur.* [Id eſt] pro [idem eſt,] deminutè, vt contrà [idem eſt,] pro [id eſt] *l.* 19. *veteres, l. ſeq. ff. de act. empt.* Quædam autem turpia ſunt naturę lege, quædam inſtitutis ac iure ciuili, quæ ſunt in hominum opinione atque arbitrio poſita, vt ait Dion Nicæus *lib.* 38. νόμῳ τε καὶ δ᾽ οὐκέτι τινὶ. Plato in *Gorgia*: τῇ φύσει τὸν νόμον ſeu θέσιν opponit. Ariſtoteles *lib.* 1. *Ethic.* tantùm ait verſari circa eorum bonorum quorum cognitio ad mores refertur, opinionum diuerſitatem & errorem, vt multis non per ſe ac ſuapte natura, ſed tantùm hominum iudicio & inſtituto bona eſſe videantur: ὥστε δοκεῖν νόμῳ μόνον εἶναι, φύσει δὲ μή. Cyrenaici nihil naturâ iuſtum eſſe aut honeſtum ducebant, honeſtum aut turpe, ſed conſuetudine aut lege. Diog. Laërt. *lib.* 2. *in Ariſtippo*, Μηδὲν εἶναι φύσει δίκαιον, ἢ καλὸν, ἢ αἰσχρὸν, ἀλλὰ νόμῳ καὶ ἔθει. Quanquam ius naturale non diſſideat penitus à iure ciuili, vel contrà, ſed in tollendis flagitiis inuicem cōſentiunt. Lucianus *in Abdicato*, οὐ πολεμεῖ φύσις καὶ νόμος, ἀλλὰ ἀκολουθοῦσιν ἀλλήλοις τῇ λύσει ἀδικημάτων. Vlpianus, ius ciuile, quod neque in totum à naturali lege vel gentium recedit, neque per omnia ei ſeruit. Itaque cùm aliquid addimus, vel detrahimus iuri communi, ius proprium, id eſt ciuile efficimus *l.* 6. *de iuſt. & iur.* Quædā vt naturâ iuſta, vel conſtitutione. Quinctilian. *lib.* 5. *cap.* 7. ſic turpia vel contrà, vtroque modo. ¶ Prioris generis furtum, adulterium, cæteráq; eius generis flagitia, omnium gentium odio deteſtata. Ariſtoteles, *Rhetoric. lib.* 1. ſcriptas leges ſæpe mutari & corruere ait, ius commune quod naturam ducem ſequitur, nunquam corrumpi: non enim hodie herive ortum, ſed omnibus ſeculis viguit. (*§. vltim. de iur. nat. gent. & ciuil.*) Antigone *apud Sophoclem*.

οὐ γάρ τι νῦν γε κἀχθὲς, ἀλλ᾽ ἀεί ποτε
Τούτων ἐγὼ οὐκ ἔμελλον ἀνδρὸς οὐδενός.

M. Cicero *lib.* 3. *de rep.* apud Lactantium *lib.* 6. *cap.* 8. [Eſt quidē vera lex, recta ratio, naturæ congruens, diffuſa in omneis, conſtans, ſempiterna, quæ vocet ad officium iubendo, vetando à fraude deterreat, Huic legi nec prorogari fas eſt, nec derogari ex hac aliquid licet: neque tota abrogari poteſt. Nec verò aut per Senatum, aut per populum ſolui hac lege poſſumus. neque quærendus eſt explanator aut interpres eius alius. Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia poſthac. Sed & omneis genteis & omni tempore, vna lex & ſempiterna & immutabilis cōtinebit: vnúſque erit communis quaſi magiſter & imperator omnium Deus. Ille huius legis inuentor, diſceptator, lator. Cui qui non parebit, ipſe ſe fugiet, & naturā hominis aſpernabitur, atque hoc ipſo luet maximas pœnas, etiam ſi cætera ſupplicia effugerit.] Vnde accidit, quæ contra bonos mores inducūtur, quamuis inueteratæ cōſuetudinis ſuffragio probentur, vt legis vim non obtineant, nec tam iuris quàm corruptelæ nomine denotentur *l. antep. ff. de legib. c. pen. & vlt. extr. de conſuet. l.* 2. *C. quæ ſit long. conſuet.* Præclarè comparatum eſſe Tullius ait, vt nihil mortales à diis immortalibus poſſint vſucapere. [Vt puta furtum.] ¶ Vitioſa hîc non ſolum Alciati interpunctio eſt, ſed etiam diſputatio reſpuenda, [More ciuitatis, vt puta furtum:] quaſi non natura, ſed lege modò furandi turpitudo damnetur. Cui Pauli abs Iuſtiniano laudata Furti definitio refragatur, [quod naturaliter prohibitum eſt admittere.] *l.* 1. *de furt. §.* 1. *de obl. quæ ex del. inſt.* Quinctilian. *declam.* 316. [Is, inquit, cui res furto ablata eſt, à natura habet actionem.] Adde quòd cùm dominiorum diſtinctio à iuregentium deſcendat, conſequens eſt nefariam contráque naturam videri, fraudulosam alienæ rei contrectationem, non minùs, quàm adulterium ac ſtuprum. *l.* 3. *l.* 5. *de iuſt. & iur. l.* 38. *ſi adulterium. ff. ad leg. Iul. de adult.* Nec ad rem pertinet, furtorum fuiſſe Ægyptiis libertatem, Lacedæmoniis etiam laudem, apud quos, vt ait Tullius, & pueri clepere diſcūt. Xenophon *lib.* 4. *expedition. Cyri minoris*, A. Gellius *lib.* 11. *cap.* 18. Nego corruptos vnius aut alterius gentis mores, pro lege naturæ haberi oportere. Vna hirundo non facit ver: plerique omnes mortales furta auerſati in deprehenſos reos variis pœnarum generibus afficiandos, illiterato conſenſu cōueniunt. Nam licet receptis quarundam nationum inſtitutis impunitas cōceditur, non poſſunt tamē turpitudinē euellere. Cic. *lib.* 1. *de legib.* Quāuis pœna remittatur, licuta ſcelere inuſta, perpetuò manebit. Nec audiendi ſunt Theodorei philoſophi, qui furaturū, adulteraturū, & ſacra lecturū, ſi quando tulerit occaſio, ſapientē: nec tam hæc adeò naturâ turpia duci, ſi de his inſita imperitæ multitudinis animis opinio tolleretur. ὅτι καὶ κλέψει τε καὶ μοιχεύσει καὶ ἱεροσυλήσει ἐν καιρῷ. μηδὲν γὰρ εἶναι τούτων αἰσχρὸν φύσει,

τῆς

τῆς ἐπ' αὐτοῖς δόξης αἱρομένης, ὃ σύγκειται ὥσπερ τῶν ἀφρόνων μανοχῆς. *Adulterium natura turpe eſt.* ¶ Hinc ſequitur neminem prætextu ignorantiæ ab eiuſmodi flagitij pœna liberari *l.38.ſi adulterium.ff.ad leg. Iul.de adult.* M. Tullius ſic *lib.1.de legib.* acutè ratiocinatur: [Nec enim ſi regnante Tarquinio nulla erat Romæ lata lex de ſtupris, idcirco non contra illam legem ſempiternam Sex. Tarquinius vim Lucretiæ Tricipitini filię attulit. Erat enim ratio profecta à rerum natura, & ad rectè faciendum impellens, & à delicto auocans, quæ nõ tum denique incipit lex eſſe, cùm ſcripta eſt, ſed cùm orta eſt. Hinc efficitur, paciſcentem vel tranſigentem infamem euadere, *l.18. Transigere. C. de tranſ.l.10.de crimine. C.de adult.* ſicut de furto admiſſo pactum turpe habetur *l.27.ſi vnus.§.pacta.ff.de pact.* nec poteſt effici quin furti damnatum ſequatur infamia *l.63.non poterit.de furt.* *Non natura.* ¶ Lex naturę eſt omnium gentium conſenſus, recti pręceptum, prauique depulſio. Cic. *lib.1.Tuſc.quæſt.& lib.2.de nat.deor.* Opinionum cõmenta delet dies, naturæ iudicia confirmat. Auguſtinus, *cap.7.& 8. de videndo Deo*, Deum naturam interpretatur, & Accurſius noſter *tit.de iur.nat.gent.& ciu.* Scholiaſtes Pindari, φύσις, ὁ θεός. *Tutela damnari.* ¶ Ciuile probrum, id eſt non naturâ, ſed ciuitatis moribus infamia introducta aduerſus eum, qui per tutelam, ſocietatem, aut rem mandatam, aut fiduciæ rationem fraudaſſet aliquem: [Iudicium turpe dari ſolitum,] ait Tullius pro *Cecinna. Et pro Roſcio Comœd.* [Si qua ſunt, inquit, priuata iudicia ſummæ exiſtimationis, & pene capitis, tria hæc ſunt, Fiduciæ, Tutelæ, Societatis. Æquè enim perfidioſum eſt, ac nefarium fidem fallere, quæ continet vitam, & pupillum fraudare, qui in tutelam peruenit, & ſocium fallere, qui ſe in negotio coniunxit.] Quod quidem de directa tutelæ actione accipiendũ, non de contraria, quæ famoſa non eſt. *§.ex quibuſdam.de pœn.tem.lit.* Nemo enim contrario damnatus iudicio fit infamis. *l. 6. in fi. de iis qui not.infam.* multùmque refert de impenſarum ratione, an de ſcelere diſceptetur. *l.29.Sabinus.ff.de dol.l.5.ff.depoſit.* Contrariæ διὰ τῶν ἀναλωμάτων: quæ tutori ſumptuum in pupillum erogatorum nomine dantur, ὑπὲρ ὧν ἰδαπάνησεν εἰς αὐτόν. Theophilus *d.§.ex quibuſdam.* Quinctilianus *lib.7.cap.5.* [Tutelæ præterea (inquit) in quo iudicio ſolet quæri, an alia de re, quàm quæ de calculis cognoſci oporteat, non etiam conſilium & euentum.] Rurſus *lib.11.cap.3.* [Quiſquámne non dico de homicidio, ſacrilegio, parricidio, ſed de calculis certè atque rationibus in lite cantat?] ¶ Sequitur definitio generalis, non videri naturâ probrum, quod poſſit etiam in hominem idoneum, & honeſtum cadere, exempla proferamus. De Polinctore, Veſpillone, triſtis ominis & inauſpicati nominis, at in rep. neceſſarij. *l.7.ſed ſciendum. l. 63.facta.§.ſi vero.ad Sc.Treb.l.72.qui decem.§.qui hominem.de ſolut.l.31.ſi ita.de euict.* Deſignatores funerum & libitinarij, neſcio quo ciuium odio (licet idonei reip.) laborant Val.Max. *lib.5.cap.2.* Seneca *lib. 6. de Beneficiis, cap.38.* Quid de Carnifice, qui de ſontibus reis damnatis, ſupplicium ſumit, dicam? quem lege Rhodia prohibitum in vrbe manere Dion Chryſoſtomus, *in oratione de Venatione* refert: & M. Tullius *pro C. Rabirio perduellionis reo*, [Funeſtari concionem contagione Carnificis veto.] & pòſt. [Moreretur priùs acerbiſſima morte millies Gracchus, quàm in eius concione carnifex conſiſteret: quem nõ modò foro, ſed etiam cœlo hoc ac ſpiritu Cenſoriæ leges, atque vrbis domicilio carere voluerunt.] Calpur. Flaccus *declam.4.* [Cibus recuſantibus ſpurca manu carnificis ingeritur.] Idem de patre, qui indemnatum filium interficiendũ carnifici tradebat, filius auerſatur *declam.24.* [Si poteſt fieri, inquit, ad hoſtiam quam diis penatibus vouit, ſatis ſibi fiat meo ſanguine: imò & ipſo ſuo, dum non per manum vilem ius pietatis infuſcet, quia nec iuris ratio permittit, vt adhibeatur aduerſus eum carnifex, in quem non fuit iudex.] Legibus quidem Rom. hiſtriones, mimi, ſcenici infames erant. Auguſtinus *lib.2.cap.13.de ciuit.Dei.lib.1.cap.33.de conſenſu Euangeliſt.* Tertullianus *de ſpectaculis*, Arnobius *lib.7.aduerſus gentes.* Paulus *lib.5.tit.26.ſent.l.24.marito.ff.ad leg.Iul.de adult.* At aliarum ciuitatum inſtitutis artem ludicram exercere, & in ſcena verſari probro non habitum, Æmil. Probus *in præfatione* oſtendit, [Magnis, inquit, laudibus tota fuit Græcia victorê Olympiæ citariæ, in ſcenam verò prodire & populo eſſe ſpectaculo, nemini in eiſdem gentibus fuit turpitudini: Quæ omnia apud hos partim infamia, partim humilia, atque ab honeſtate remota ponuntur.] *l.1.l.3 ſi.l.4.de iis qui not.infam.* Lanificium apud Perſas ita ignominioſum fuit, vt nihil turpius duceretur, quàm fœminas manus admouere. Vt Q. Curtius refert *lib.1.* Id ſtudium Rom. fœminis laudi fuit: & Auguſtus filiam & neptes ita inſtituit, vt etiam Lanificio aſſueſaceret, Auctor Suetonius *in Auguſto, cap.64.* ¶ Sed quæritur an is qui famoſo ac probroſo verum obiiciat crimen, actione iniuriarum teneatur? Et quoniam reipublicæ intereſt nocentium peccata innoteſcere ac puniri, certè iniquum fuerit, eum qui nocentem infamauerit, ob eam rem condemnari: dummodo iuris ſui retinendi, vel cauſæ ſeruiendo id fecerit. Veri fides à calumniæ & contumeliæ pœna vindicabit. *l.18.eum.ff.de iniur.l.5.C.eod.* impunè proditorem, & ligonem ligonem vocet, ac ficum dixerit ficum. Horatius *Sermon.II.*

> *Si quis opprobriis dignum latrauerit, integer ipſe,*
> *Soluentur riſu tabulæ, tu miſſus abibis.*

Syneſius, τὸν πονηρὸν ἀπελέγχοντι, πᾶσι πανταχοῦ καταφανὴς οὗτος εἶναι. Dummodo id tamen ſine pipulo, virulentáque conuiciorum acerbitate, iuris ſui tuendi gratia, cauſæ ſeruiendo fiat. *d.l.5.verſ.* [Si non conuicij]. *l.5.C.de falſ.* Symmachus Rom. Apologetico aduerſus Anaſtaſium Imp. [Procedat, inquit, aliquis, & qualibet ratione conuincat: alioqui conuicia ſunt iſta, non criminum probamenta.] *l.15.item apud.ff.de iniur.*

XLIII. IDEM lib. lviij. ad Edictum.

VERBO victus continentur, quæ vſui potuíque cultuíque corporis, quæque ad viuendum homini neceſſaria ſunt. Veſtem quoque victus habere vicem Labeo ait.

ALCIATVS.

VERBO VICTVS. ¶ Si quis legauerit Titio victum, cenſebitur omnia legaſſe, quæ ei ad viuendum neceſſaria ſunt: & ideo & veſtiarium, & calcearium & habitatio, & lectus debebitur. Idémque, & ſi alimenta legata ſint, vel edocario: *l. ſi. de alimen. legat.* hæc enim nomina exæquata ſunt. Legatis verò diariis vel cibariis, ſecus eſt. *l. diarius. eo. tit.* Interpretatur autem diarium, vnius diei cibum, quem Græci *δίαιταν* vocant. Sed quid, ſi alicui promiſero (quod vulgò dicimus) tribuere expenſas? & videntur verba idem ſignificare, quod victus, vt videlicet impendere illi omnia teneat, quæ eius vitæ neceſſaria ſunt. Sanè non probat Valla, vt victus appellatione, de veſtiario quoque intelligamus, cùm multæ ſint regiones, in quibus veſtes vſui hominibus non ſunt, vt in Æthiopia: quod ridiculum eſt: nec enim Æthiopum leges hîc interpretamur, ſed Romanorum, qui ſine veſte non ſolent viuere. Non tamen negauerim, hanc ſignificationem ex interpretatione magis, quàm ex ſtricta verborum vi eſſe: & ideò ex mente diſponentis aliter quandoque iudicamus. Vnde ſi quis alimentis vel victui renunciauerit, *l. cùm hi. §. qui tranſigit. de tranſact.* non cenſebitur de veſtiario, vel calceario actum: huiuſmodi enim repudiationes ſtrictè accipiuntur. Qua ratione qui famulo victum menſtruámque mercedem promittit, non videtur de veſtibus intellexiſſe, nec vlla alia re præter cibaria: *Bar. l. legatis. ff. de ali. leg.* & idem in prætore, qui ſimili modo officialibus ſuis promiſerit: quod & generaliter in quacunque odioſa materia procedit.

BRECHÆVS.

VERBO VICTVS. ¶ Hæc Vlpiani ſententia eò pertinet, vt ſi quis teſtamento ſuo victum nepoti reliquerit & legauerit, non ea tãtùm quæ alendo corpori potu cibóque neceſſaria ſunt, legaſſe cenſeatur, verùm etiam & quæ veſtiendo: ac quæcunque ad vitæ viſum cultúmque requiruntur & ſpectant. Teren. *in And.*

SI. Primum quidem hæc pudicè vitam, parcè ac duriter
Agebat, lana & tela victum quæritans.

T. Liuius *lib. 4. Decad. 1.* Manlius primùm ob virtutem laudatus, donatúſque non à tribunis ſolum militum, ſed conſenſu etiam militari: cui vniuerſi ſelibras farris & quartarios vini, ad ædes eius, quæ in arce erant, contulerunt: rem dictu paruam, cæterum inopia fecerat eam argumentum ingens charitatis: cum ſe quiſque victu ſuo fraudãs, detractum corpori atque vſibus neceſſariis, ad honorem vnius viri conferret. His Liuij verbis colligimus victum ſignificare potum eſumque, ſimul & quæ vſibus vitę neceſſariis condocunt. Cicero quoque *lib. 1. Rheto. ad Herennium*, vbi de confirmatione agit, verborum victus & ad viuēdi rationem profert, & ad mores, & ad rem familiarem. In victu (inquit) conſiderare oportet apud quos, & quo more, & cuius arbitratu ſit educatus: quos habuerit artium liberalium magiſtros, quos viuendi præceptores: quibus amicis vtatur: quo in negotio, quæſtu, artificio ſit occupatus: quomodo rem familiarem adminiſtret, qua conſuetudine domeſtica ſit. Videtur quippe hoc loci ipſe Cicero verbo victus velle intelligere latiſſimè quæ Græci appellant τὰ σιτία, τὴν δίαιταν, τὸ ἐπιτήδευμα, & quæ etiam Græci Theologi τὰ βιωτικά. Siquidē τὰ σιτία παρὰ τὸ σιτίζω, καὶ σιτέω, καὶ σιτέομαι, quod edere, nutrire, & victitare ſignificat, dicuntur ea quæ ad potū eſúmque ſpectant. Hippocr. *lib. 2. Aphoriſ.* εὐσιτέοντας dixit, eos qui cupidè comedunt, & cum magno appetitu cibum aſſumūt. Τῷ ἐξ ἀῤῥωστίης (inquit) εὐσιτέοντι μηδὲν ἐπιδιδόναι τὸ σῶμα μοχθηρόν, Id eſt, ſi corpus eius qui à morbo auidè comedit nihilo magis proficit, malum. Et *ſequenti Aphoriſmo.* Οἱ τὰ πολλὰ πάντες οἱ φαύλως ἔχοντες, κατ' ἀρχὰς μὲν εὐσιτέοντες, καὶ μηδὲν ἐπιδιδόντες, πρὸς τῷ τέλει πάλιν ἀσιτέουσιν. οἱ δὲ κατ' ἀρχὰς μὲν ἀσιτέοντες ἰσχυρῶς, ὕστερον δὲ εὐσιτέοντες, βέλτιον ἀπαλλάσσουσιν, Id eſt, Omnes vt plurimum qui malè ſe habent, cibos circa initia auidè ſumentes, nec propterea corroborati, ſub finem iterum cibum minimè appetunt: Qui verò initio cibos valde faſtidiunt, proſtremò cupidè edentes, euadunt in melius, proficiunt, & corroborantur. Hoc loco εὐσιτία Philotheo eſt πολλὴ τροφὴ, victus & cibus copioſus. Vſurpant etiam Latini Medici verbum victus, pro eo quod Hipocra. & Galen. τὴν δίαιταν, dicunt, viuendi ſcilicet rationem, quæ ægris exhiberi & obſeruari ſolet. Sic & λεπτὴ δίαιτα, καὶ ἁδρὰ δίαιτα, τουτέστιν ἁδρὰ τροφὴ καὶ λεπτὴ τροφή. Linacro, Gulielmo Copo, atque aliis probatioribus medicis Latinis dicitur victus tenuis, victus plenus. Hippo. 1. *lib. aph. Aphor. 5.* διὰ τοῦτο (inquit) οὖν αἱ λεπταὶ καὶ ἀκριβέες δίαιται σφαλεραί, ἐς τὰ πλεῖστα τῶν μικρῷ ἁδροτέρων. Hac igitur de cauſa periculoſus magis eſt ſanis victus tenuis & exactus, quam qui paulò plenior exiſtit. Ex hoc perpendimus verbum victus eam viuendi & cibandi rationē, quæ ægrotis ſolet præſcribi à medicis, etiam ſignificare. Quare αἱ λεπταὶ καὶ ἀκριβέες δίαιται ab Hippocrate, id eſt, victus tenuis atque exquiſitus: à Galen. interpretatur victus definiēs, ſtatus, & circumſcriptus qualitate, quantitate, tēpore & modo. Vnde & ipſe Hippoc. ſcripſit libros τὸ περὶ διαίτης ὀξέων νοσημάτων, id eſt, de ratione victus in morbis acutis. Accipitur etiam & victus aliquando pro eo quod Græci ἐπιτήδευμα dicunt, id eſt, hoc ipſum vitæ genus & inſtitutum quo ſe quiſque exercere ſolet. Vt equitatio, nauigatio, gladiatoria, deambulationes, & reliqua id genus: quæ exercitationis gratia, corporis noſtri functionibus obire conſueuimus, ſicuti Galen. tradit *lib. 3. de Sympt. cauſ. c. 1.* Cæterum, victus ponitur pro his quæ ad vitam pertinēt, ſeu neceſſitatis, ſeu ornatus gratia: quæ Theologi ſecularia vocant: & do. Baſilius magnus τὰ βιωτικὰ appellat. Vnde ſcripſit librum cui titulum fecit περὶ τοῦ μὴ προσπλακῆναι τοῖς βιωτικοῖς: id eſt, Quod rebus ſecularibus ad fixum addictúmq; minimè eſſe oporteat. Sic Xenoph. *in Oecon.* dixit ἀπὸ γεωργίας τὸν βίον ποιεῖσθαι victū agricultura quæritare. Ita enim βίον intelligit hoc loco, quæ ad vitæ ac corporis cultū ſunt neceſſaria, i. victum. Cuius quidē ſignificationis teſtimonia quàm plurima profert ex Homero & Eurip. d. And. Tiraquel *in tractatu de nobilitate. cap. 31. ſub num. 352.* Quod & Cicero *lib. 1. de Orat.* ad Q. Fratrem eodem ſenſu vſurpauit, vbi fermè ad verbum reperit locum illum Platonis *in Apologia pro Socrate*, quo Socrates ipſe contendit ſe dignum eſſe qui publicè in Prytaneio aleretur. Erat enim (ait Cicero) Athenis reo damnato, ſi fraus capitalis non

eſſet

eſſet,quaſi pœnæ æſtimatio, & ſententia cùm iudicibus daretur, interrogabatur reus, quam quaſi æſtimationem commeruiſſe ſe maximè confiteretur. Quod cùm interrogatus Socrates eſſet, reſpondit ſeſe meruiſſe vt ampliſſimis honoribus & præmiis decoraretur, & vt ei victus quotidianus in Prytaneio publicè præberetur. Hîc verbū σιτέομαι,quod edere & victitare ſignificat, vt iam commonuimus, ipſe Cicero pro victu conuertit. Sic autem ipſe Plato, εἰ οὖν δεῖ με κατὰ τὸ δίκαιον τῆς ἀξίας τιμᾶσθαι, τούτου τιμῶμαι τῆς ἐν πρυτανείῳ σιτήσεως.Id eſt,Qua ratione,ſi dignum merito præmium conſequi par eſt, meruī ſanè vt in Prytaneio victus mihi publice exhibeatur. Erat quippe Prytaneiū locus publicus Athenis, quo viri rerum geſtarū gloria percelebres,ac bene de republica meriti,ex publico alebātur. Hîc itaq; Cicero,vt videre eſt,verbo σιτήσεως,quod victū vertit,intelligi voluit quodcunq; eſui, potui, cultuſq; corporis,& ad viuendū homini neceſſarium eſſet.Quare non ſatis vera mihi videtur Vallæ reprehenſio,qui aduerſus Vlp.victum à veſtitu ſeparauit, ratus pro eſu potúque tantùm victus verbum accipi debere:tum quòd à viuēdo deriuatū ſit,tum etiā quòd ſine veſtitu (inquit) viuere liceat:vt in Æthiopia. Ridicula ſanè acerrimi hominis ſentētia videtur Alcia. Nec enim(inquit) Æthiopum leges hîc interpretamur,ſed Romanorū qui ſine veſte non ſolent viuere. Ego verò ipſius Alciati opinionē magis probauerim,qui exiſtimat hāc Vallæ ſignificationē ex interpretatione magis, quàm ex ſtricta propria vi verbi accipiendā. ¶ Sed an victus viaticū etiā ſignificet? Et puto latiſſima interpretatione ſignificare.Quod quidē colligere licet ex D.Baſilio loquēte de patrib.qui opes immodicas liberis relinquūt. Is autē in hæc verba ſcribit, Μὴ εὐπορίας ἀφθόνῳ τιμωρούμενος, ὃν τὸ αὐτὸς ἐδίωκες, καὶ ὃν ἕτερον ἐφοδιάζεις. Id eſt,(vt eleganter vertit Budæus) cenſu & facultatibus immodicis muniuiſti, quaſi viatico vitæ. Nam ἐφοδιάζομαι,viaticor,id eſt,viaticum accipio,ſignificat. Sic Gellius *l.17.noct. Atticarum. cap.2.* magnum viaticum pro magna facultate & paratu magno à Q. Claudio in primo annali nouè poſitu dixit Græcos ſequutus,qui ἐφόδιον ſumptū viæ ad aliarum quoq; rerum apparatus traducunt,vt ſupra ea do.Baſilio docuimus. Sed ſi quis victum legauerit, non exiſtimo viaticum, propria verbi ſignificatione, legato contineri.Eſt enim propriè viaticū ſumptus ille quē qui peregre proficiſcitur,ſolet in via facere. Quod ex Vlpiano colligimus *in l.eum quem.ff.de iudic.* Eum (inquit) quem temere aduerſarium ſuum in iudicium vocaſſe conſtiterit,viatica litiſque ſumptus aduerſario ſuo reddere oportebit.Hic viatica accipit Vlpianus quæcunque expenſa aduerſarius in via fecerit.Vnde viaticum à via dictum eſt: ſicut apud Græcos ἐφόδια τὰ ἐπὶ καὶ τῆς ὁδοῦ : quanquàm & ἐφόδιον alias ſignificationes habeat : vt docet Budæus *in Commentariis ling. Græcæ.*

FORNERIVS.

VERBO VICTVS. ¶ Nomine victus,alimentorum,aut educationis,à lege,edicto,vel teſtatore prolato,ea continentur , quæcumque hominibus ſunt ad viuendum neceſſaria : nempe quæ eſui, potui,cultuique corporis veſtiario,calceatio, habitationi deſtinantur:ſine quibus commodè non viuitur.Legem XII.tab.de reis debendi damnatis vel confeſſis recitat A.Gellius *lib.20.c.1.* [Secum ducito,vincito,aut neruo aut compedibus XV.pondo,ne maiore, aut ſi volet minore vincito.Si volet ſuo viuito : ni Suo viuit , qui eum vinctum habebit libras farriendo dato , ſi volet plus dato.] Debitores ſcilicet inopes vinctos à creditoribus ali oportuit. Ambroſius *libro de Tobia cap.*10. [Vnum ſanè eſt , quod non timere poſſitis , quia poſcere non nouit alimenta] Terentius Phormio. [Ducent damnatum domum : Alere nolunt hominem edacem.] vbi Donatus obæratos à creditoribus in vinculis paſci ſolitos obſeruauit. Honorius & Theodoſ. [Victualem ſubſtantiā non habentib. faciant miniſtrari,libellis duabus aut tribus diurnis,vel quot exiſtimauerint,vt cōmentarienſi decretis,quorum ſumptibus proficiant alimoniæ pauperum] *l.vlt.de cuſtod.reor.lib.9.tit.3.C.Theodoſ.*Quod ſi quis victum vel ſtratum iudicato vincto inferri non patiatur , actione iniuriarum tenetur in factum.*l.34.ſi victum.ff.de re iudic.*Sicut is,qui quemquam re ſua qualibet vti prohibeat *l.25.qui pendentem ſi.ff.de act. empt.l.15.item apud.de iniur.*Victus autem verbo ſtramenta & veſtimenta veniunt, ſine quibus degere non poſſumus. *l.235.quos nos.*¶*.h.t.* Neque ea tantùm in illo edicto huius vocis lata ſignificatio eſt : ſed & multò magis in teſtamentis*.l.12.in teſtamentis.*¶*.iti.ſeq.*Alimentorum legato, præter cibaria, quibus corpus alitur,etiam habitatio,non diſciplina continetur.*l.vlt.de alim.& cib.leg.l.8.his qui.ff.de tranſact.* Nec ad rem pertinet Vallæ infeſti iureconſultorum dignitati cenſoris inepta argutatio , homines apud Æthiopes ſine veſte commodè agere. Cui quod hîc antè nos Alciatus *& lib.3.de verb.ſig.*reſponderat,retuliſſe ſufficiat,Caium ac Vlpianum conſentaneam legibus Rom. moribus & inſtitutis ciuitatis accommodatam verborum interpretationem,ſecutos. Apud quos nec honeſtū, nec commodum eſſet ſine veſte degere,nudúmque incedere.*d.l.235.*quos nus Plato Menexeno ſeu Epitaphio.Cicero *lib.3.off.* Nec obſtat *l.12.diarius.de alim.& cib.leg.* Nam diariorum ac cibariorum legato eſus, potúſque tantùm continetur : quod anguſtius eſt verbo victus. Adde quòd animaduerti in Florentino exemplari has voculas *(vel cibariis)* quaſi redundantes circulis incluſas:quemadmodum cæteris ſuſpectis in locis ſolet adhiberi parentheſis. [Veſtem quoq.] ¶ M. Tullius ſub finem *lib.2.de offic.* coniunctim dixit vtrumque, [bene alere,bene veſtire.] Quanquam recentiores quidam pro [veſtire.] repoſuerint [viuere.] ſed ea emendatiuncula, Iureconſultorum, Catonis,Columellæ,Ciceronis denique ipſius auctoritate refellitur.*l.3.ff.de in rem verſ.* [ad familiam alendam vel veſtiendam.] *l.1.C.Th.lib.11.tit.27.*Plinius *lib.18.cap.6.d.l.8.cum his.§.qui tranſigit.l.4.l.6.l.12. Lucius.l.13.Caio.l.15.à filio ſi.l.ſeq.l.18.libertis. l.20. Stichus.ff.de alim.& cib.leg.*

XLIIII. Caivs lib. xxij. ad Edictum prouinciale.

ET cætera, quibus tuendi curandíque corporis noſtri gratia vtimur, ea appellatione ſignificantur.

Alciatvs.

CÆtera *curandi.* ¶ Intelligunt hoc Doctor. vt qui victum habeat, etiam ægrotanti pharmaca ſuo ſumptu præſtare teneatur: ſine his enim curatur nemo: qui verò cibaria debet, ſatis eſt, ſi ea præſtat, quæ ad cibum pertinent, *Bar. d. l. legatis.* vt pullos: catapotia enim, & decoctiones, cæteráque medicamenta emere non tenetur, niſi fortè modica impenſa habere ea poſſit: *l. in rebus. §. poſſunt. commod.* quod aliqui exiſtimauerunt. ¶ Sed nunquid, qui alere tenetur, in diſciplinam quoque minerual pendere cogatur? & nõ teneri verius eſt, *d. l. legatis.* niſi iure ſanguinis ex legis diſpoſitione id debitum contractum ſit, vt in patre, qui filium alere debet, idoneíſq; præceptoribus inſtituendum committere: *l. quod de bonis. 1. §. pe. de carb. edi.* quod & ĩ. dicendum eſt.

Brechævs.

CÆtera. ¶ Cura vitæ atque corporis non in alimentorum ratione verſatur tantùm, cibo videlicet & potu, ſed etiã in veſtiariis, & quæ tuendi corporis gratia aduerſus περιέχοντος ſeu ambientis aëris iniuriam parata eſſe ſolent. Quocirca, & tectum, & domus atque habitatio, ſimul & lectiſternium, verbo victus comprebendi puto. Quod ex verbis Pauli conĳcere licet. *l. ſi. ff. de alimen. & ciba. leg.* Rogatus es (inquit) vt quendam educes: ad victum neceſſaria ei præſtare cogendus es. Paulus. Cur plenius eſt, rogo, alimentorum legatum, vbi dictum eſt & veſtiarium, & habitationem contineri? Imò ambo exequenda ſunt. Sic Ofilius reſpondit, viuendi verbo & veſtimenta & ſtramenta contineri: cum ſine his viuere neminem poſſe compertum ſit. Hoc in *l. quos nos. §. verbum viuere. ĩ. hoc tit.* Sed videtur Vlpianus in *l. cùm hi. §. qui tranſigit. ff. de tranſact.* aduerſus hãc Pauli & Caĳ ſentẽtiam pugnare. Qui, inquit, tranſigit de alimentis, non videbitur neque de habitatione, neque de veſtiario tranſegiſſe: cùm D. Marcus ſpecialiter de iſtis tranſigi voluerit. Quæ quidem Vlpiani verba videntur indicare, aliud eſſe alimenta deberi, aliud item habitationem & veſtiarium. Sed hoc non erit ex indiſtincta rerum explicatione accipiendum. Sæpe enim interpretationia diſcordia ἐκ τῶν διωρισμένων καὶ ἀδιόριστον γίνεται ait Galenus, *in libro primo Hippocrat.* περὶ διαίτης ὀξέων νοσημάτων. Nam aut abſolutè teſtator alimenta legauit & victum: tunc ſanè crederem ea omnia quibus viuendi curandive corporis noſtri gratia vtimur, legato eſſe comprehenſa: veſtitum ſcilicet, & habitationem cum alimentis, vt *d. l. fin. de alimen. & cib. leg. & ca. conquerente. & ibidem glo. de cler. non reſid. c. omnino. xxxi. diſtin.* vbi gloſſ. aſſerit aduerſus Vlpian. *in d. §.* Qui tranſigit, verbo victus veſtitum quoque contineri. Et Arch. *ibidem* contendit ipſius Vlp. verba intelligi debere tantùm in tranſactionibus, atque ita conciliatam eſſe ἀντινομίαν: aut alimenta nominatim & ſpecialiter legauit: tunc de cibo potúque tantùm teſtatorem ſenſiſſe iudicandum erit, quibus ſolet & augeri & corroborari corpus: τροφὴ à Græcis τοῦ ἐπὶ τῆς κενωθέντος ἀναπλήρωσις vt ait Galen. id eſt, vacui repletio. Παρὰ τὸ τρέφω τὸ πηγνύω, ὃ πηγνύουσα καὶ ὡς αὐξάνουσα τὸ σῶμα, vt eſt apud Etymologicum. Et eam arbitror fuiſſe mentem Vlp. *in l. diariis. ff. de alim. & cib. leg.* Diariis (inquit) vel cibariis relictis, neque habitationem, neque veſtiarium, neque calceatium deberi palam eſt: quoniam de cibo tantùm teſtator ſenſit. Aliter verò ſi teſtator ἁπλῶς, & abſolutè cauiſſet his verbis. Lucio Seio, quoad viuet, alimenta ex bonis meis erogari volo. Iabolenus *in l. legatis. d. tit. de alim. leg.* ſenſit cibaria, veſtitum, & habitationem deberi: quia ſine his ali corpus non poſſit, niſi aliam fuiſſe ipſius teſtatoris voluntatem probetur. *l. ſeq.* Qua ratione, cùm iudex pupillo alimenta decernit victum ſimul & veſtitum cum habitatione comprehendit. Nam ſine his probè educari non poſſe pupillum compertiſſimum eſt. Et cum moribus municipalibus præfecturæ noſtræ Turonenſ. cautum ſit liberos ab altero coniuge ſuperſtite educandos, vulgò obſeruamus habitationem, veſtiarium, calcearium ſimul cum cibo potúque deberi: atque etiam pupillos ipſos, & literis, & moribus, artibuſque inſtituendos: donec arte ac induſtria victum ſibi quærere poſſint. ¶ Quid de medicamentis, an verbo victus, veniant, aut legatis alimentis? Et hercule propius eſt vt qui victum aut alimenta debet legatario: ſiquidem caſu in morbum incidat legatarius, medicamenta quoque ei deberi cenſeamus. Si enim eiuſmodi ſit morbus, vt abſque medicamentis curari nequeat, & tandem neglectus æger intereat, quis dubitat eius rei nomine culpandum grauiter ac criminandũ eum qui cùm alimenta deberet, medicamenta ægro non curauit exhiberi ſecundum Medicorum præſcriptum, & veluti cauſam morti dedit? Quippe cùm tuendæ vitæ gratia alimenta nobis data ſint, ſit autem compertiſſimum tutam ſemper nobis non eſſe valetudinem, ſed multis ac variis ægritudinum periculis, atque etiam tranſmutationi corpus noſtrum eſſe obnoxium, non tantùm ideò alimentis ſed & medicamentis opus eſſe curando corpori, veriſimilius eſt teſtatorem qui alimenta legauit, vt de medicamentis ſimul ſenſiſſe exiſtimemus: præſertim cùm quædam ſint quæ Medici φάρμακα καθαίροντα vocant, id eſt, purgantia: quædam verò quæ in alimentum corpori cedunt: & in humorem ad quem educendum apta erant, nonnunquam conuertuntur, ſicut à Galeno traditum eſt *libro tertio de ſimplicium medicamen. facultat. cap. xxiĳ.* Non enim medicamenta omnia ſunt καθαίροντα, & quæ etiam vehementia vocant, ſed quædam ſunt χρηστὰ, ſeu benigna, qualia ante diximus, quæ minimo conſtant. Ideóque negari nec debent, nec poſſunt ei cui alimenta debentur, cùm latiſſima ſignificatione alimentorum nomine medicamenta, etiam apud medicos ipſos veniant. Itaque qui alimenta debet, medicamenta quoque naturali ratione exhibere tenetur, ſine quibus valetudo magis quàm alimentis ſeruari

ac

ac tueri nequit. Nam (inquit Paulus.*l.in rebus.§.poſſunt.ff.commodati.*) cibariorum impenſæ ad eum naturali videlicet ratione, pertinent qui vtendum accepit: idem quoque de impenſis in valetudine ſerui factis dicendum erit. Et Caius in *l.ſicut.ff.de vſuſruct.* Sicut impendia cibariorum in ſeruom, cuius vſusfructus ad aliquem pertinet, ita & valetudinis impendia ad eum reſpicere natura manifeſtum eſt. Sic maritum in ſæuiſſimo furore conſtitutam mulierem & alere, & medicina eis ſuccurrere teneri ſcribit Vlpianus in *l.ſi cùm dotem. §.ſi autem.ff.ſolut.matrim.* Legatis igitur alimentis, medicamenta etiam legata cenſentur eſſe: & qui alimenta præſtare tenetur, medicamenta, quæ ſaltem modico ære comparantur, præſtare debet. Qui victum, hæc omnia: præterea & habitationem & veſtiarium, quæ ſingula verbo victus continentur. Diariis verò cibariis relictis, neque habitationem, neque veſtiarium, neque calcearium deberi Vlpianus ſcribit *l.diariis. ff. de alimentis legatis.* Quoniam de cibo tantùm teſtator ſenſit. In alimentis autem, ſi non adiecta quantitate per fideicommiſſum relicta ſint, cenſet Valens ante omnia inſpiciendum eſſe quæ defunctus ſolitus fuerat ei præſtare cui legata ſunt: deinde quid cæteris eiuſdem ordinis reliquerit: ſi neutrum appareat, tunc ex facultatibus defuncti, & charitate eius cui fideicommiſſum datum erit, modus ſtatui debebit. Aliàs autem victus ſimpliciter pro cibo accipitur. Vnde Virgil.*lib.1.Æneid.*

Tum victu reuocant vires: fuſiq́ per herbam
Implentur veteris Bacchi pinguisq́ ferinæ.
Poſtquàm exempta fames epulis, &c.

Hic Seruius victum, pro cibo intelligit. Vnde & Conuictores dicimus, vt Horatius:

Nam quia ſum tibi Mæcenas conuictor.

FORNERIVS.

CÆTERA. ¶ Alimentorum & Educationis nomine, non tantùm victus cibúſve ſignificatur, ſed veſtiarium etiam, atque habitatio *l.vlt.ꝫ.de alim.& cib.leg.* quin & inſtitutio *l.vlt.C.de alim. pup.præſt.* M.Victorinus *proœm.lib.6.de Ariſtippo,* [Muneribus eſt donatos, vt non tantùm ſe ornaret, ſed etiam iis, qui vnà fuerant, veſtitum & cætera quæ opus eſſet ad victum præſtaret.] Saluſtius *in Coniuratione Catilinæ,* de plebe Romana, [Cui omnes copiæ in vſu quotidiano & cultu corporis erant.] Cicero *lib.1.Offic.* [apparatus vitæque cultus cum elegantia & copia] & infrà, [ſuppeditet & ad victum & ad cultum.] *lib.1.quæſt.Tuſcul.* [Qui veſtitum, qui tecta, qui cultum vitæ; qui præſidia contra feras inuenerunt.] Itaque quibus aqua & igni interdicebatur, tectum quoque negabatur, contráque quibus victus debebatur, tectum præberi oportuit. Hermogenianus, [Etiam venire ad exhibendum cibum, potum, tectum] *l.1.§.aquæ.de mun.& hon.* Lucianus *in Alexandro, de præſtigiatore* ἵνα ἐπὶ τῷ τοιούτῳ, ὥστε μήτε τις ἐδέχετο, μήτε πυρὸς ἢ ὕδατος ἐκοινώνει. Seneca *lib. 4. de benefic. cap.38.* [Omnibus miſeris aqua & igni interdixerat: iſtud decretum quo cauetur, ne miſerus tecto iuuare capitale ſit.] Victor Vticenſis *lib.3.de perſecut.Vandalica,* feralia in Chriſtianos Imperatorum Rom. edicta recenſendo addit, [Vt nullus quempiam illorum hoſpitio reciperet, aut alimoniam præſtaret.] Cicero *in Cluentiana,* Vitam exulis, vocat, quem nemo recipere tecto, nemo adire, nemo alloqui, &c. [Corporis noſtri] ¶ Quid animi inſtitutio? & quamuis optimarum artium cognitione imbui hominem præclarum habeatur. *l.apud Iulianum.de fideic.lib.l.52.qua pater.fam.erciſc.* & ſumptus ſtudiorum cauſa factos tutor pupillo imputet. *l.vlt.* ibi [miniſteria ſtudiáque erogata eſſe:] & pòſt, [Studiíſque eruditus atque alitus eſſet:] rurſus, [nullo liberi hominis ſtudio imbui meruerit.] *C. arbitr. tut.* Tamen victus nomine potiſſimùm corporis tutela continetur, non etiam diſciplina. *d.l.8.cum hi.ꝫ.de tranſact.* nemo ſine alimentis, nemo [Vento viuit.] *d.l.vlt.* Demetrius Triclinius Sophoclis ſcholiaſtes ἀνδρας τρέφουσιν. at citra diſciplinarum inſtitutionem quàm plurimi vitam tranſigunt. Sed hoc ita, niſi ex conditione perſonarum, & cauſis, aliud fortè ſtatuendum videretur. Atque in definiendo alimentorum, dotium, ſumptuum modo, ſapientis eſt iudicis circunſtantiarum momenta certiùs expendere: & quid cuique quantúmque pro dignitate tribuendum ſit, quid non ſedulò diſpicere. *l.60.quæro.l.69.cum poſt.§.gener.l.pen.de iur.dot.l.12.plenum.§.equity.de vſu & habit.l.13.tutor ſecundum. de adm.tut. l.15.ſed & ſi quid.§.ſufficienter.ꝫ.de vſufruct.*

XLV. VLPIANVS lib. lviij. ad Edictum.

IN STRATVM omne veſtimentum contineri, quod iniiciatur Labeo ait. Neque enim dubiũ eſt, quin ſtragula veſtis, ſit omne pallium περίστρωμα. in victum ergo veſtem accipiemus, non ſtragula: inſtratum omnem ſtragulam veſtem.

ALCIATVS.

INSTRATVM. ¶ Si quis prohibuerit victum ſtratómve iudicatu in carcerem deferri, & pœnali actione, & iniuriarum tenebitur. *l.ſi victum.de re iudic.* Sed quomodo intelligemus victum & ſtratum? & Vlpianus inſtratum eſſe omnia veſtimenta, quæ inſternuntur, ſeu iniiciuntur, ait, qualia ſunt, toralia, gauſapa, centones, aulæa, tapetia: in victu verò cætera veſtimenta, quæ non ſternuntur. Ex

tur. Ex qua interpretatione videretur dicendum, eum, cui victus, vel alimenta debentur, ſtragula aliqua conſequi non poſſe: quod bona ratione non ſubſiſtit: ſine illis enim viuit nemo: nam & cùm ex qualitate perſonæ alimenta debeantur, æquum non eſt nobilem virum ſine ſtragulis agere. *l. quos nos in fin.* ·j. Sed & cùm conſtet huiuſmodi legato lectum contineri. *l. pen. de alim. leg.* de inſtructo apparatoque videretur intelligendum: durum tamen eſt à verbis legis recedere, niſi aliter de voluntate teſtatoris conſtet. Nec verum eſt, ſine ſtragulis viuere aliquem non poſſe: qui enim aliunde non habet, ſuum ſibi indumentum inſternat: quòd ſi victus & veſtitus legatus ſit, fortè etiam ſtragula debebuntur, nam ea veſtitus appellatione contineri videntur. *l. veſtis. de aur. & arg. leg.*

Stragula veſtis ſit omne pallium. ¶ Atqui pallium indumenti ſpecies eſt, non ſtragulæ. In duobus meis antiquis codicibus legitur, ſit omne περίστρωμα, quam dictionem aliqui ſuper addito gloſſemate, interpretati ſunt pallium, eáque gloſſula ab imperitis in contextum recepta eſt. Significat Græcè periſtroma omne quod inſternitur, ſicut Latinis ſtragula: nec ea vox à noſtris non recepta eſt, Plauto *in Pſeud.* & Cicer. *in Philipp.* 11. Hincque apparet contra Vallæ ſententiam, ſtragulam non pro lecti operimento tantùm, ſed generaliter pro omni veſte quæ inſternitur accipi, ſic & Tranq. Funeratus eſt (inquit) Nero ſtragulis albis auro intextis, quibus vſus Kal. Ianuariis fuerat. T. Liuius *lib.* 13. Cùm tibi viro liceat purpura in veſte ſtragula vti. Feſtus Pomp. Veſtis generaliter dicitur, vt ſtragula, forenſis, muliebris: veſtimentorum pars aliqua, vt pallium, tunica, vel penula.

BRECHÆVS.

INSTRATVM. ¶ Quod ſuperiore capite dixerit Vlp. veſtem victus habere vicem, hoc ſanè loco qualiter idipſum accipi debeat, oſtendit. In victum, inquit, veſtem, non ſtragulam accipiemus. Nam cùm dixerit victum eſſe quæcunque cultui corporis neceſſaria habentur, quoniam ſine ſtratu, tapetis, aulæis vita hominis cómode traduci poteſt, veſte autẽ nobis maxime opus ſit aduerſus περιέχοντος atque ambientis aëris iniuriam, concludendum erit in victu veſtem, nõ ſtratum contineri, neque ſtragulam veſtem. Nam ſtratum & ſtragulum dicimus quod iniicitur & ſternitur. Quicquid enim (ait Varro) inſternebant, à ſternendo ſtragulum appellabant: quale eſt illud quod lectis operiendis inſterni ſolet, à Græcis ἐπίβλημα παρὰ τὸ ἐπιβάλλεσθαι dictum. Eſt etiam inſtratum operimentum equorum: cuiuſmodi ſtragulæ Babylonicæ feruntur.

Stragula veſtis. ¶ Variè hæc lectio habetur. Nam in quibuſdam Codicibus legitur.

[Nec dubium eſt quin ſtragula veſtis ſit omne pallium, quod Græci περίστρωμα vocant.]

Et ita videntur Valla, & Bud. legiſſe. Quæ lectio non ſatis mihi vera videtur. Nam arbitror Vlpia. voluiſſe dicere Stragulam veſtem generale verbum eſſe ad omne tegumen quod circuminduit & circumtegit, ſicut apud Græcos περίστρωμα παρὰ τὸ περὶ καὶ στρώννυμι τὸ περιστέλλω, quod circuntego, circumorno ſignificat καὶ ἐμβάλλειν. Itaque περίστρωμα cõplectitur & ſtragulum ſimul & περιπετάσματα, ποικίλματα, aulæa, tapetis, quæ in tricliniis potentiorum expanduntur, & parietes domorum circumtegunt. Vide hoc loco Bud. Pallium quippe generali ſignificatione περίστρωμα nõ comprehendit. Sed propriè ſignificat veſtem Græcorum, quamuis in lecto palliorum eſſe aliquando vſum aſſeramus. De qua re videto Lazarum Bayſium *ad tit. de aur. & argen. leg.* Non erat igitur legendum ſtragulam veſtem eſſe omne pallium quod Græci περίστρωμα vocãt. Nam oporteret omne pallium eſſe omne περίστρωμα: cum alioqui hoc ſignificet omne verſicoloris tapeti genus quo circumornantur aulæ diuitum. Vnde Themiſtoclem Perſarum Regi ferunt reſpondiſſe, hominum ſermones περιστρωμάτων eſſe ſimillimos, propterea quòd incerti & varij coloris eſſent: ac cum περιστρώματα expãdũtur, varij generis formas figuráſq; apparere: contractis autem, latere & abſcondi: illud verò propriam Græcorum veſtem τουτ' ἐστὶ ἱμάτιον. Niſi contendas pallia etiam ſignificare ea lintea quæ lectis inſterni ſolent. Cæterum Lau. Val. *lib. 6. eleg. cap.* 46. ſcribit ſe non reperiſſe ſtragulam veſtem in hunc ſenſum quem hic Iuriſc. vſurpauit: videlicet vt ſit veſtimentum hominis quo amicitur, quale eſt Græcorum pallium. Baïfius amictum illum quo nautæ & nauigantes vtuntur ſtragulam veſtem appellat, & Gauſapinas, cæteráq; eius generis amphimalla, & heteromalla, id eſt, vtrinque villoſa: veluti id quod hodie noſtrate lingua appellamus *Mantes de Catelongne*. Videtur tamen inter precioſam ſuppellectilem Cicero poſuiſſe Stragulam veſtem. Is autem ſic ſcribit *Actio. 4. in Verr.* Verum eſto, eripe hereditatem propinquis, da paleſtritis, prædare in bonis alienis nomine ciuitatis, euerte leges, teſtamenta, voluntates mortuorum, iura viuorum, num etiam patriis Heraclium bonis exturbare oportuit? qui ſimul ac profugit: quam impudenter quam palam, quam acerbè Dij immortales illa bona direpta ſunt? quam illa res calamitoſa Heraclio, quæſtuoſa Verri, turpis Syracuſanis, miſerãda omnibus videbatur. Nam illud quidem ſtatim curatur, vt quicquid cælati argenti fuit in illis bonis, ad iſtum deferatur, quicquid Corinthiorum vaſorum, quicquid ſtragulæ veſtis. Hic Cicer. ſtragulam veſtem intellexit quicquid inſterneretur τουτ' ἐστὶ περιστρώματα aulæa, amphimalla, amphitapas & cætera id genus tapeta quibus ſolent inſterni & circumornari domus potentiorum. Rectè igitur dixit Vlp. inſtratum omnem ſtragulam veſtem, id eſt, pro omni eo quod inſternitur, accipi. Qua de re, victu aut alimentis legatis, tametſi veſtis contineatur, tamen ſtragulam veſtem minimè compræhendi. Ad extremum, Stragulorum nomine inferiores animæ vires Cælius *lib. 16 lect. antiq. cap.* 18. interpretatur ex Symbolo Pythagoræ.

Stragula conuoluta habeto. ¶ Quoniam rationi in capite velut in arce conſtitutæ, ſubiiciantur, ſtraguli quadam imagine. Vel ſtragulorum nomine, corporeos ſenſus accipi debere contendit qui obuoluendi ſunt, id eſt, conuertendi, vt Plotinus ait, ad vtens, id eſt, ratione pollentem animam: quæ plerunque rapta tranſuerſim ita affici debet, perinde ac corpore non vtatur dum conſurgit altius, inſeritque cœlo caput: ac alios tumultuanteis ſenſus conticeſcere prorſum cogit.

FORNERIVS.

INSTRATVM. ¶ Appendia ſuperioris diſputationis, quid [iuſtratus,] quid [victus] verbum valeat, exponitur: vt debitori damnato non inuideatur *l.34. ſi victum. de re iudic.* Quod obiter digito ad footem intento indicaſſe conteoti, facilè liticulam in mera vocularum cognitione poſitam a literatoribus componi patiemur.

XLVI. IDEM lib. lix. ad Edictum.

PRONVNTIATVM & ſtatutum idem poteſt. promiſcuè enim & pronuntiaſſe & ſtatuiſſe ſolemus dicere eos, qui ius habent cognoſcendi.

ALCIATVS.

PRONVNTIATVM. ¶ Siue dicamus iudicem pronuntiaſſe, ſiue ſtatuiſſe, idem eſt: hæc enim verba ſententiam latam oſtenduot ſicut & ordinare, iudicare, præcipere, decernere, cenſere, & iubere. Non tameu eiuſdem ſignificatiouis ſemper eſt pronuntiare & ſtatuere. *d. c. in his. de verb. ſign.* quandoquidem pronuutiare propriè dicimur, quod viua voce & memoriter proferimus: ſicut recitare, quod ex ſcripto. ſtatuere verò dicitur etiam, qui generaliter aliquid conſtituit, vt cùm lex in vniuerſum ſancitur. Hincque eſt, vt leges municipales vulgò ſtatuta appelleutur: quem ſenſum uon habet pronuntiare, refertur enim ad id ſolum, quod iuter partes pronuntiatur, idque Accurſ. probat. Dum ergo lex alibi dicit, uulli qui ſtatuendi non habeat facultatem, interdicere cuiquam patria ſua permitti *l. nulli. C. de ſent.* Ego intelleaerim, vt qui in vuiuerſum pro certo delicto conſtituere interdictiouis pœuam uou poteſt, is uec priuatim ea pœua mulctare aliquem poſſit: licet alij aliter accipiant.

Cognoſcendi. ¶ Cùm ergo arbitri ipſi quoque ius cognoſcendi habeaut. *l. ait prætor. ff. de iudic.* ſequitur propriè dici eos pronuotiaſſe, vel ſtatuiſſe, quod & in arbitratoribus admitterem: tametſi negent Doct. ſententiam propriè dici, quod ab arbitro pronuntiatom eſt. *in l. 1. de re iudic.* quod tamen mihi ooo ſit veriſimile, cùm id quod vuuſquiſque etiam priuatus ſentit, Latinè & eleganter ſententia dicatur: nec aliter ſoleaut Iuriſconſulti arbitrorum definitiones, quàm ſententias appellare. *l. litigatores. l. qualem. de arbitr.* Laudum enim barbara voa eſt, & inepta.

BRECHÆVS.

PRONVNTIATVM. ¶ Quod hoc loco Vlpianus dicit pronuntiatum & ſtatutum συμμιγῶς, & promiſcuè atque alterum pro altero dici, καταχρηστικῶς id ipſum ſenſiſſe puto, nó ex proprio. Nam veram germanámque horum verborum ſignificationem ſi expendas ἀκριβῶς, pronuntiare propriè eſt iudicis ſeotentiam dicentis. Vnde Imperator prolatam à præſide ſententiam dicit. *tit. de ſent. & interloc. omn. iud. C. l. prolatam. & l. ex ſtipulatione. eo. tit.* Quapropter, inqoit, ſi nihil cauſa cognita ſecuudum iuris rationem prouuntiatum eſt, &c. Et id quidem tam ad arbitros & Comopolitanos aut etiam obnoxios iudices, quàm ad iuridicos regios & primarios pertiuet. Statutum verò & ſtatuere, ſolius eſt ſummos faſces merúmque habentis Imperium. Vnde ſtatuta principum, qoæ leges appellamus: & plebiſcita, quæ plebs conſtituit. Nam ſciſcere antiqui dicebant quod nunc ſtatuere decerneréque. Et ſtatuta muuicipalia, mores patrios vocamus, quia in legem tranſierunt ea non ſcripto, placito principis. Cæterùm, pronuntiatum, dialecticis eſt plena atque perfecta verborum ſententia. Vt Annibal pœuus ſuit. Scipio Numantiam deleuit. Milo cædis damnatus eſt. Neque bonum eſt voluptas, neque malum. Oratio verum aut falſum plenè ſignificans, eſt pronuutiatum, quod Græci ἀξίωμα dicunt: ſicut teſtatur Gellius *lib. 16. noct. Attic. cap. 8.* quo loco tradit M. Varronem τὰ ἀξιώματα vocare modò proloqoia, aliâs profata: à Cicerone aotem ἀξίωμα pronuntiatum dici: quo ille tamen vocabulo tantiſper vti ſe atteſtatus eſt, quoad melios iouenitſet. Quare alio loco ipſe Cicer. ἀξιώματα poſtulata vocat & enuntiationes, vt in *libro de fato*. Explicanda autem, inquit, eſt vis ratióque enontiationum, quæ Græci ἀξιώματα vocaut. Nos vulgò vnam maximam diximus, ἀξιωματικῶς ἐν φαύλῳ pro vna maxima ponere interpretatur Budæus.

FORNERIVS.

PRONVNTIATVM. ¶ Ne hîc quidem diligeutis laudem interpretis captare ſtudeam. Pronuntiare & ſtatuere idem valent: Græci τὸ ἀποφαίνεσθαι, τὸ διορίζεσθαι, τὸ αὐτὸ δηλοῖ: quod cum ſequentibus aliquot capitibus, de Prætoris edicto, de re iudicata accipiendum res ipſa indicat: vt qui ab arbitro, vel iudice à Prætore dato damnatus eſt, is ſoluere & iudicatum facere compellatur alioqui pignora iu cauſam iudicati capiantur. Veſtigia exſtaut iu *l. 3. l. 4. l. 5. §. condemnatum. l. 26. ſi conuenerit. ff. de re iudic.* Pronuntiandi autem ac ſtatuendi verbo vnum idemque ſignificari tradit Vlpianus, uempe vt cognitioni finis impouatur. *l. 1. de re iudic.* Idémque iu arbitrio ex compromiſſo litigantium ſumpto: qui à prætore proountiare cogitur. *l. 3. l. 13. Pomponius. §. recepiſſe. l. 19. qualem. §. dicere. ff. de arbitr.* is appellabatur iudex Edititius, Seruius in Palemone, Cicero *pro L. Murena, & pro Planco*, A quo oon licuit appellare. *l. 1. C. de arbit. l. 27. diem. §. ſtatu. ff. eod.* Carthagiuenſ. concilij. *cap. 78. l. 8. ſi ex conſenſu. l. ſeq. C. de epiſc. aud.* [Qui habet ios cogooſcendi.] ¶ Id eſt, qui iuriſdictioni præeſt, vel à principe poteſtate aliqua præditus, vel ab eo qui dandorum iudicum ius habet datus eſt, vel ex compromiſſo ſumptus, vel lege aliqua confirmatus eſt, iudea eſſe poteſt *l. pen. ff. de iudic.* Quin & Prætorem non tantùm iuris dicundi, dandique iudicis ius habuiſſe, ſed ipſum quoque iudicaſſe ſcimus, ea Cicerone de legib. [Qoi priuata iudicet iudicarive iubeat prætor eſto.] *l. 27. veluti. de verb. obl. l. 1. l. 75. ſi prætor. l. pen. de iud. l. 81. ſi ſtipulatus. de ſolut.* Nou cogebaotur ipſi iudicare, ſed iudices dare: poterant

rant tamen iudicare *l.8.ſæpe.& ſeqq.ff.de offic.præſid.l.1.C.de codicill.* Inde cognitio prætoria. *l.1.de rei vind.l.39.minor.de euict.l.13.in cauſa.l.38. Æmilius.de minorib.l.3.de lib.exhib.*

§. j. MATREMFAMILIAS accipere debemus eam, quæ non inhoneſtè vixit. Matrem enim familias à cæteris fœminis mores diſcernunt, atque ſeparant. Proinde nihil intererit, nupta ſit, an vidua: ingenua ſit, an libertina. Nam neque nuptiæ, neque natales faciunt matremfamilias, ſed boni mores.

ALCIATVS.

MATREMFAMILIAS. ¶ Tribus modis olim vxor habebatur, vſu, farre, emptione: Confarreatio ſolis pontificibus conueniebat: nec enim ad eam dignitatem admittebantur, niſi confarreatis parentibus geniti, vt Cornelius Tacitus ſcribit. Emptio quibuſdam ſolennitatibus peragebatur, & ſe coemendo inuicem interrogabant: vir, an ſibi mulier materfamilias: illa, an vir ſibi paterfamilias eſſe vellet: reſpondebántque inuicem velle: atque ita mulier in viri manum conueniebat: & erat materfamilias viro loco filiæ, vt ex Vlpiani autoritate *in Top.*Cic. Boetius refert. Si verò abſque hac ſolennitate nuptiæ contractæ fuiſſent, huiuſmodi vxor vſu habebatur. Conſentiunt igitur Cic. Boëtius, Vlpianus, Aul. Gell. cæteriq; antiqui, matremfam. ſolam apud veteres fuiſſe, quæ coemptione nupſerat, & in manum, id eſt poteſtatem viri conuenerat: in eius enim familiam ſic tranſibat. ¶ Sed hæc antiquitus fuere: nam longa conſuetudine obliteratis illis ſolennitatibus, ex pudicitia & bonis moribus materfamilias appellari cœpit. Sumitur tamen ſignificatio quandoq; etiam ſtrictiùs, vt ſolam matronam comprendat, quæ notæ ſit autoritatis. *l.deinde.in fin. de lib.exhib.* ſiquidem dicebar Euripides, Famam mulieris, non formam vulgaram eſſe oportere. Latiùs verò capitur, cum de qualibet fœmina intelligimus, quæ ſit iuris, vt Accurſ. ait *l.nam in ciuium.de his qui ſunt ſui.* quod nõ arbitror verum, niſi adſint & boni mores, vt in exemplo viduæ, quod Iuriſconſultus adfert.

BRECHÆVS.

MATREMFAMILIAS. ¶ Antiqui vocabant matremfamiliâs eam ſolam quæ in mariti manu mancipióque, aut in eius in cuius maritus manu mancipioque eſſet: quoniam non in matrimonium tantùm, ſed in familiam quoque mariti, & in ſui heredis locum veniſſet. Strebæus *in lib.1. de Oratore*, ex Aulo Gellio *lib.18.noct. Attic.cap.7.* Et hoc quidem coëmptione fiebat. Nam facere coemptionem eſt matremfamiliâs iungere viro, in quo mancipium quoddam eſt vtrinque emptio. Vnde Virgil. *lib.1.Georg.*

Téque ſibi generum Tethys emat.

Cicero *in Orat.pro L.Murena.* Mulieres omnes propter infirmitatem conſilij maiores in tutorum poteſtate eſſe voluerunt: hi inuenerunt genera tutorum quæ poteſtate mulierum continerentur. Sacra interire illi noluerunt. Horum ingenio ſenes ad coemptiones faciendas interimendorum ſacrorum cauſa reperti ſunt. Boëtius *in Topic. Cice.* coëmptionem certis ſolennitatibus fieri quondam ſolitam: & ſeſe coëmendo inuicem interrogabant. Vir ita, An ſibi mulier materfamiliâs eſſe vellet? Illa reſpondebat, velle. mulier, An ſibi paterfamiliâs eſſe vellet? Ille velle reſpondebat. Itaque mulier viri conueniebat in manum: & erat materfamil. viro loco filiæ. Secundum hoc (ait Budæus *in annot. in Pandect. ad l.poſter.de reg.iur.*) moribus noſtris vxores, & matronæ, & matresfamiliâs ſunt, quæ conſortes non modò lecti genialis, ſed etiam bonorum fortunarúmque ſunt: quod non eſt in his locis quæ iure ſcripto reguntur. Multa quoque in hanc rem ſcribit eleganter Franc. Connanus *lib.8. Comment.iur.ciuil.cap.3.* Ad reliquum, matremfamiliâs etiam & patremfam. appellamus eum qui ſui iuris eſt, nullique addictus mancipio, *vt in §.maſculi.& ibid.glo.inſtit.ciuil.lib.de nupt.& l.nam ciuium.ff.de his qui ſunt ſui vel alie.iur.* Sed hoc loco Vlpia. matremfamiliâs, præter alia ſignificata, vult eam eſſe, quæ caſtam pudicámque in domo ſua vitam traducit, ſiue nupta ſit, ſeu vidua: ſicut alio in loco ipſe ait. Cùm audis matremfamiliâs, accipe notæ authoritatis fœminam. *l.3.ff.de libe.exhib.*& Papinianus *in l.materfamiliâs.ff.ad leg.Iul.de adult.& ſtup.*

FORNERIVS.

MATREMFAM. ¶ Duobus modis materfamiliâs dicitur: vel quæ alieno iuri ſubiecta non eſt. *l.4. de his qui ſunt ſui vel alien. iur.* Vel quæ virgo non eſt, ſed nupta, viduáve honeſtè viuens, quam dignitas & boni mores à concubina, ac meretrice ſeparant *l.41.probrum.l.43.palam.de rit.nupt.l.38.ſi adulterium.§.ad leg.Iul.de adult.* Cuius reuerentia olim ea fuit, vt probris, iniuriíſque, aut aliquo dedecore non impune afficeretur: & quamuis iudicatum non facerent matronæ, non ius fuit eas attrectare aut in vincula deducere. Valer. Maximus *de inſtitutis antiq.lib.2.cap.1. Nouel.134.* Græci concinne hoc loco matremf. γυναῖκα σεμνὴν expoſuere. Afranius apud Non. Marcellum, [Tuam maieſtatem & nominis matronæ ſanctitudinem.] M. Tullius *pro Cælio*, [Petulanter facimus, inquit, ſi matremfamiliâs, ſecus quàm matronarum dignitas poſtular, nominemus.] Sid. Apollinaris *lib.9.epiſt.6.* Auguſtinus *lib.9.contra Fauſtum.& cap.3.de bono coniugali.* Quare diuerſo veſtium cultu, vt ab aliis dignoſcerentur fœminis, vtebantur *l.15.item apud.§.ſi quis virgines.§.de iniur.* Val. Maximus, de Sulpitia, *lib.6.cap.7.* Fuiſſe etiam ſeparatum virorum ac mulierum carcerem, diſtincta balnea, diſtincta monaſteria legimus. *Nouell.133 l.3.C.Th.de cuſtod.reor.* vbi pro [permixtos ſecum criminoſos.] haud dubie, *ex l.3.C.eod.* legendum eſt, [ſexus.] Victor *lib.3.de perſecut.Vandalic.* [Cum ipſa & maritus licet ſeorſum, carceris tamen cuſtodia tenerentur, vt ſe penitus non viderent.] M. Antoninus philoſophus

ſopbus balnea mixta viris ac fœminis præbuit: verùm lauacra pro ſexibus ſeparata exſtruait Adrianus, Auctore Ælio Spartiano. [*Napta au vidaa.*] ¶ Vidua in matrimonio quaſi eſſe intelligitur, & eiuſdem viri coniua *l.vlt.C.de bon.mat.Nouell.22.* Ambroſ.*lib.1.cap.50.& lib.11.cap.6.de offic.*& ob honorem bene tranſacti matrimonij,mariti honoribus ac dignitate illuſtrata conſpicitur.*l.8.fœmina.ſ. de ſenat.l.13.mulieres.de dignit. C.l.vlt. C.de priuleg. ſcholar.* Tamen ſi poſt obitum viri vidua ſtupris ſtudeat,pudorem,quo potiſſimùm commendabatur,violando,deſinet haberi pro matref.*tex.hic verſ.* [boni mores.] Quinimmò ſi intra annum luctus libidinosè viuat,dote ob ſtuprum mulctabitur.*Nouell.39.in fi.* [Natales.] ¶ Græci hic, ἐυγένειαν, Theophilus §.*vlt.de ingen.* ἐυγένειαν vertit,id eſt,ingenuitatem rectè.*l.2.C.de ingen.man.l.3.ſ.ſi ingen.eſſe dic.* Quæ in concubinatu patroni eſt,matronæ nomen non amittit:At ſi ſe in alterius concubinatum contulerit,matrisf.dignitatem non retinet.*l.13.ſi vxor.ſ.ad leg.Iul.de adult.l.46.liberta,de oper.lib.l.41.probrum.de rit.nupt.* Quod autem quibuſdam in libris additur, [Domi viait,] vel vt Alciatus legit [in domo ſua,] quamuis à Florent.libro abeſt, nec Græcorum paraphraſi agnoſcitur:non adeò alienum arbitror.Cum præſertim matremfam.quod domui præſit, *οἰκοδέσποιναν* vocent:& in monumentis antiquis hoc elogium reperiatur,[Domum ſeruauit,lanam fecit.] Vt enim virum foris & ſub dio labore induſtria verſari,res parare oportet:ita vxorem ſub tectum congeſtas & illatas cuſtodire , vt Xenophon in *Oeconomico* diſputat , Columella in *præfat.lib.12.de re ruſt.* Vxorem liberius vacantem vir repudiabat.*l.8.conſenſu.C.de repud.Nou.22.*

XLVII. PAVLVS lib. lvj. ad Edictum.

LIBERATIONIS verbum eandem vim habet,quàm ſolutionis.

ALCIATVS.

LIBERATIONIS. ¶ Soluere, eſt eum,qui alligatus ſit,liberum facere : inde qui præſtitit quod debet,ſoluiſſe dicitur,& ſe ab obligationis neau liberaſſe: quo fit, vt propriè ſolutionis verbum liberationiſque,eiuſdem ſit ſignificationis:atque ideo ſiue debitor ſatisfecerit,ſiue acceptilatione ſit liberatus,dicetur ſolutus.*l.ſolutionis.ſ.de ſolut.* Quòd ſi lex non ſimpliciter de ſolutione loquatur,ſed pecuniam ſolui requirat,tunc acceptilatio non ſufficeret:in ea enim pecunia non interuenit.*l.ſolutam.de ſolut.* Nec nos mouet,quòd edictum prætoris, quo iudicatis vt pecuniam ſoluant, mandat,ſibi locum non vendicat aduerſus eum,qui acceptilatione ſit liberatus. *l. 4. §. ſoluiſſe. de re iudic.* quoniam in eo edicto pecuniæ mentionem prætor fecit,non quòd acceptilationem excludere vellet. *l. 4. §. ait.* ſed vt oſtenderet non ſufficere iudicato,ſi ſatisfaceret, puta datis pignoribus, vel fideiuſſore, ne obligationes ex obligationibus fierent. Alij tamen frequentiore calculo diſtinguunt , vt de ſtricta ſignificatione ſoluiſſe non dicatur , niſi qui pecuniam numerauit : latiore verò ſenſu, quoquo modo ſit liberatus,cenſeatur ſoluiſſe. Sed hoc non tamen impropriè erit:quandoquidem poteſt vna & eadem dictio & ſtrictè & latè accipi,vtroque tamen modo propriè.*l.cùm leg.de teſt.*

BRECHÆVS.

LIBERATIONIS. ¶ Soluere idem eſt quod liberare.Græci λύειν. Vnde Virgil.*lib.4.Æneid.*de Didone loquens.

Accipite hanc animam,meq́; his exoluite curis.

Id eſt,hoc me amoris vinculo liberate.Item dicimus nauem portu ſoluere,id eſt,eximere. Quo fit,vt qui obligationis neau diſtrictus,pecuniam quam debet,ſoluit creditori,tollatur ei obligationis vinculum & diſſoluatur: ac ideò liberetur debitor neau. *inſtit.quib.mod.toll.oblig.ad princip.* Paulus *in l. ſolutionis. ff.de ſolut. & lib.* Solutionis,inquit,verbum pertinet ad omnem liberationem quoquo modo factam:magiſq; ad ſubſtantiam obligationis refertur,quàm ad nummorum ſolutionẽ.Nam etiam & acceptilatione fieri poteſt ſolutio & liberatio debiti: vt ſi quis dicat ἔχεις λαβὼν δηνάρια τόσα, ἔχω λαβών. Tot acceptos denarios habes? Acceptos habeo.*d.tit.quib.mod.tol.oblig.§.itẽ per acceptilationem.* Propriè ſiquidem debitoris eſt pecuniam ſoluere: creditoris autem liberare debitorem. Qua ratione exiſtimo iureconſultum longè melius dixiſſe ſolutionem & liberationem correlatiua eſſe , quàm eadem.Sed qualiter debitorem liberabit creditor ſolutione facta?Certè confeſſione accepti debiti,aut ſi creditor reddat debitori obligationis inſtrumentum.Quid ſi creditor perdidit perſcriptionem nexus ? An poterit compelli debitor vt ſoluat niſi reddito primùm ſibi inſtrumento per creditorem,vt quia debitor velit inſtrumentum exhiberi vt videat nunquid verum ſit an verò falſum? Vide Bartol. *in l.huiuſmodi.§.ſi ita.de leg.1.*

FORNERIVS.

LIBERATIONIS. ¶ Eodem ni fallor,ex fonte vnde & ſuperius,manat hoc caput: nempe ex edicto Prætoris,de re iudicata, quod ſic propemodum conceptum fuit , [Condemnatus vt pecuniam ſoluat,&c.] *l.4.§.ait.de re iud.*à iudicato ergo hoc exigitur,vt pecuniam ſoluat, Iudicatum feciſſe videtur, non modò ſi pecuniam numeratam dederit, ſed & quocunque modò ſatisfecerit, & ab obligatione liberatus ſit. *d.l.4. §.ſoluiſſe.* Quoniam in eo edicto Soluendi verbum latiſſimè patet: magis vt ad obligationis ſubſtantiam,quàm nummorum ſolutionem referatur.*l.54.ſolutionis.ſ.de ſolut.* Eamdémque vim quàm liberationis habeat,& omnem ſatisfactionem ſignificet. *hic. & l.176.ſolutionis.ſ.h.t.* ita cauſa vt ſæpe aliàs,pro effectu,genus pro ſpecie ſumitur. Solutio enim ordine naturæ certè prior eſt,liberatio poſterior.*l.52.ſatisfactio.ſ.h.t.* Eo ſenſu,& qui compenſat,ſoluit.*l.4.qui potior.in pign.* etiam in cauſam iudicati. *l.2.C.de compenſ.l.19.vel permutauit. de lib.cauſ.* & per nouationem ſolutæ ſummæ dicuntur.*l.21.liberto.§.Lucius.de ann.leg.* Idque verum eſt,cum quauis ratione ſit

ſatis

ſatis creditori volenti:inuito ſecus.*l.6.item liberatur princ.l.9.ſi rem.§.omnis.quib.mod.pign.vel hypoth.ſol.* Ideóque debitor dare damnatus,expromiſſore dato nec liberatur, nec iudicati executionem euitabit:ne ſi quidem victor pignus aut fideiuſſorem acceperit.*d.l.4.§.ait.§.ſeq.* Vt qui ſe ſoluturum conſtituit,non exſoluit fidem,nec conſtituto ſatisfacit,producto fideiuſſore, vel pignore dato. *l. 20. promiſſor.§.conſtituto.de conſtit.pec.* Et ſtatuliber pecuniam heredi dare iuſſus,numerare debet,non fideiuſſorem dare.*l.5.ſi.de ſtatul.* ¶ Generali igitur ſolutionis verbo omnis ſatisfactio, & conſequenter ſatiſdatio & delegatio continetur.*d.l.176.ſolutionis.ꝺ.h.t.l.8.quamuis.§.interdum.ꝺ.ad Se.Velleia.l.49.ſolutam.l.52.ſatisfactio.l.54.ſolutionis.l.56.qui mandata.ꝺ.de ſolut.* ſufficit vim obligationis extinctam & vinculum, quo debitor ad ſoluendi neceſſitatem obſtringebatur, diſſolutum: etiam verbis, acceptilatione, Aquiliana ſtipulatione, expenſilatione, Gellius *lib. 14. cap.2.* Seneca *lib.6.cap.5.de benefic.* [Omnis,inquit,ſolutio non idem reddit,ſed tantundem. Nam & pecuniam dicimus reddidiſſe,quamuis numerauerimus, pro argenteis aureos, quamuis non interuenerint nummi, ſed delegatione & verbis perfecta ſolutio fit.] Lucilius *lib.2.Antholog.epigramm.εἰς γραμμάτ.* eleganter dixit λιτὸν ἀπόλυσιν, quaſi imaginariam liberationem,quæ non tam ad pecuniæ numerationem,quàm ad extinctæ obligationis ſubſtantiam referatur. *d.l.54.ſolutionis.* ¶ Speciali verò ſolutionis nomine ſignificatur datio,traditio,numeratio,vel factum eius quod dari,tradi,numerari,fieri've oportet. Cum aliud pro alio inuito creditori non ſoluatur: niſi ex debitoris inopia,ad æſtimationem rei debitæ, eiúſve quod intereſt præſtationem in ſubſidium decurratur. *Nouell. 4.l.72.ſtipulationes.§.Celſus.de verb.obl.* Alioqui propriè ſolui pecunia dicitur,cum repræſentatis nummis,non imaginaria, ſed naturali numeratione penditur.*d.l.49.ſolutam.* Cuius ſignificationis vis primùm in formula hypothecaria cernitur.*l.11.ſolutum.§.ſolutam. de pign. act.* Deinde in edicto Prætoris de re iudicata, reus damnatus niſi reipſa ſoluat,quamuis expromiſſorem dare paratus ſit, aut qua alia ratione ciuili liberetur, iudicatum non facit:ne lites ex litibus ſerantur.*d.l.4.de re iud.* néve vnius negotij finis alterius controuerſiæ fiat exordium,& tanquam exciſis ſtirpibus ſtolones renaſcantur.*l.11.generaliter fin. C. de reb. cred. l.3.C.de fruct.& lit.expenſ.* Theophilos *§.curare, de act.* ¶ Poſtremò in redhibitione fundi gentilitij, ex lege protimiſeos (*en retraict lignager*) qui extraneum emptorem ſubmouere contendit, pretium illico reddat,*à bourſe deſliee & deniers deſcouuerts.* Quid an etiam ciuilem ſolutionem reſpuat,amplius exquiremus in *l.76.dediſſe.ꝺ.h.t.* [Eandem vim.] ¶ Vtrumque enim verbum potiſſimùm ad iuris effectum, id eſt, diſceſſionem ab obligatione refertur.*d.l.54.ſolutionis*, quæ pars eſſe videtur huiuſce capitis,vt inſcriptione oſtenditur. Differunt tamen quod ſolutio & facti & iuris eſt, liberatio tantùm iuris. vt ſtipulatio & verborum obligatio ordine ac tempore, tanquam cauſa & effectus diſtinguuntur:vt ſolutio liberationem,ita ſtipulatio verborum obligationé parit. Sed & in hoc diſcrepant:quod omnis iure facta ſolutio parit liberationem: at non contrà omnis iure facta liberatio oritur ex ſolutione: imò & venditione pignoris,acceptione iudicij, acceptilatione, nouatione, delegatione, conſenſu,rei interitu,confuſione. *l.16.ſub conditione.l.23.ſolutione. l.26.ſi creditor.ꝺ.de ſolut.* Qui modi ſolutione non continentur. *tit. quib.mod.toll.ob.d.l.49.ſolutam.* Adde quòd ſubtilius inſpicientibus ſolutio ad vinculum ipſum obligationis, liberatio magis ad perſonam ipſam obligatam referatur. *l. 8. non ſolùm.§.tale.de lib.leg.* Ob eámque cauſam Tribonianus cæteríque Iuſtinianeæ compoſitionis architecti non abs re videntur,ſolutionis verbo,liberationem adieciſſe.*tit.de ſolutionib.& liberationib. ff.& C.* Vt aliàs non tarò iſta coniunctim vſurpantur. [Hæc res libera & ſoluta eſt, & extra neceſſitatem iuriſdictionis poſita.] *l.3.ꝺ.de recept.arb.* Paul.*lib.5.ſent.tit.31.* [ne liberum quis & ſolutum haberet arbitrium reuocandæ ſententiæ & pœnæ.] Tertullianus *de præſcript.aduerſ.hæretic.* [Itaque libera ſunt illis,inquit,omnia & ſoluta.] M.Cicer.*pro Rabirio Poſthumo*,[Qua lege,totus ordo ſolutus ac liber eſt.] *Acad.q.lib.4.*[Hoc liberiores ac ſolutiores ſumus,quòd integra nobis eſt iudicãdi poteſtas.].

XLVIII. CAIVS libro ad Edictum prætoris vrbani: Titulo, [Qui neque ſequantur,neque ducantur.]

SOLVTVM non intelligimus eum, qui licet vinculis leuatus ſit, manibus tamen tenetur. Ac ne eum quidem intelligimus ſolutum, qui in publico ſine vinculis ſeruatur.

ALCIATVS.

QVI NEQVE SEQVANTVR. ¶ Accurſ.varias his verbis interpretationes adfert. Aliqui enim in libris Caij Iuriſconſulti ita ſcriptum titulum credidere. alij eum qui prætoris edicto obſequi non tenetur,coram tribunali per vim minimè eſſe deducendum.*l.in criminali.C.de iur.omn.iud.* Sunt & qui adfirment,ſicut in ius de domo ſua vocatus ſequi viatorem non tenetur, ita nec inuitum debere deduci. *l.pleríque.de in ius voc.* Ipſe arbitror interpretari Caium eiuſdem ſignificationis eſſe ſequi & duci:quandoquidem is ducitur,qui ante ſe quem ſequatur habet. Vnde & Duces dicti qui præcedunt. Vergilius:Dux fœmina facti. Hinc & Senecæ verſus:ducunt volentem fata:nolentem trahunt. In antiquis ſanè codicibus ſic inſcriptum legitur: Caius *lib.1.* ad edictum prætoris vrbani,titulo,Qui neque ſequuntur,neque ducuntur.

Solutum. ¶ Solutus ergo is dicitur,cui recedendi eſt libera facultas.*l.1.de liber.homin.exhib.* non ſi adhuc ſub cuſtodia ſit, & idcirco cùm promiſſio in carcere ei facta, qui iniuſtè me in eum locũ detruſit,nullius ſit momenti.*l.qui in carcerem.quod met. cauſ.* ſi extrà deductus, aſſiſtente tamen aliquo cuſtode,eam ratam habuerim,nihilo magis confirmatur. Sed cùm poſſit iudex ex cauſa, vel propter viri probitatem, aut criminis leuitatem, alicui ciuitatem pro carcere aſſignare, vel ſub vadimonio

dimitte

dimittere. *Aug. in l. ſi à bona. ſ. de rei vendic.* an huiuſmodi dicitur ſolutus? & hic videtur probari, non eſſe ſolutum *l. necnon. ſ. ex quib. cau. maior.*

BRECHÆVS.

QVI NEQVS. ¶ Multiplex & varia eſt huius capitis lectio. Quidam enim putant has quinque voces expungendas eſſe & abundate: alij verò ad titulum libri Caij pertinere. Tamen Alciatus has quinque voces coarrat: atque arbitratur Caium hæc duo verba, ſequi, & duci, poſuiſſe pro eodem ſignificato. Doctorum eſto iudicium. Sunt tamen hæc verba eorum qui rapiebantur in ius. Videto in hanc rem quod ſcripſi ſuprà *in l. ſubſignatum. ſ. atteſtari. hoc titulo.*

In publico. ¶ Diximus ſuprà *l. Eum qui vectigal.* quid publicum ſignificet, & quot modis accipiatur. Sed hoc loco admonere te velim lector optime, publicum pro carcere accipi: vt apud Plautum. Vereor ne hac nocte adueniens poblico excipiar, id eſt, in carcerem trudar. An autem quis poſſit vi ad eum iudicem deduci cuius iuriſdictioni non ſubeſt, & quando quis poſſit domo ſua in carcerem trahi, latiſſimè hoc loco Barthol. Cæpola tradidit, quem videbis.

FORNERIVS.

QVI NEQVE. ¶ Adulterata huiuſce capitis inſcriptio penè ſententiæ verioris originem deleuerat: quam ad veterem debitorum in ius vocationem liquidò referemus. Excipiuntur autem perſonæ quædam quæ neque duci neque ſequi aduerſarium coguntur. In ius vocati ad magiſtratum ire debebant: [In ius vocati vt eant.] Non. Marcellus rectè verbum [vocare] in eo edicto pro trahere & ducere poſitum obſeruauit: quia ſi non irent rapiebantur, ac obtorto collo ducebantur: ſi minus ſequi poſſent, vehiculum dabatur. Gellius *lib. 20. cap. 1.* Plautus Perſa, [in ius rapiam te.] Terentius *Eunuch.* [Si vim faciet in ius ducito.] Pormione, [in ius ambula.] Horat. *lib. 1. ſat. 9.* [Oppono auriculam, rapit in ius clamor vtrinque,] Atque vt illius ritus notata iam ab aliis veſtigia pleraque prætercam, Lucianum litigantium ſeſe ad iudicium trahentium tumultum oculis ſubiicientem audiamus. *ἐν δὶς κατηγορουμένῳ ἢ δικαστηρίοις, Βαβαὶ τοῦ θορύβου, ἠλίθιον ἀντιβοῶντες, ὡς δὲ καὶ σπουδῇ συνθέουσιν, ἕλκοντες ἀλλήλους πρὸς τὸ ἄνωθεν ἰθὺ τοῦ ἀρείου πάγου. Εἴληφά σε ὦ κατάρατε, ἥκε μιαρὲ πρὸς δικαστήριον, μὴ ἄγχε με.* Cepi te improbe: Sequere ſcelerate ad iudicem. Ne me ſuffoca. Vnde intelligimus eiuſmodi vocationem, nec à vi & iniuria ſemotam, nec paſſim omnibus ſine atteſtatione & in omnes ſine delectu conceſſam: meritòque Prętoris edicto quoſdam ſingulatiter exceptos, quos ita in ius vocare non liceret: patrem, patronum, equo publico tranſuehentem, iuſta mortuo facientem, vxorem ducentem, medicos, mulieres, eum qui ſatiſdare paratus eſſet, aut qui ſe domo contineret. *l. 2. l. 3. l. 4. l. 5. l. 8. plerique. & ll. ſeqq. ſ. de in ius voc. l. 7. medicos. C. de profeſſ. & med.* Cicero *pro C. Rabirio perduell. reo.* Val. Maximus *de Inſtit. antiq. lib. 2. cap. 1.* [In ius vocanti matronam, corpus eius attingere non permiſerunt.] *l. 1. C. de offi. diuer. iud.* Qui fideiuſſoribus datis cauebat iudicio ſiſti, inuitus iniecta manu non ducebatur. *d. l. 18. plerique. & ſ. ſequentibus. l. 5. §. 1. qui ſatiſdar. cogantur.* Quod ſi ſtatuta die non ſe ſtitiſſet, moltiplici vadimonij deſerti pœna afficiebatur. *l. 53. contumacia. de re iudicata. titul. ſi quis cautionibus.* Cicero *in Quinctiana, tit. quib. ex cau. in poſſ. eat.* Non vocabantur etiam ij, qui vel propter loci religionem, inde ſe mouere, quiue à ſignis diſcedere non poterant. *d. l. 2. de in ius voc. l. vlt. quib. ex cau. maior.* Nec magiſtratus pop. Rom. quandiu eſſent in poteſtate. *l. 32. nec magiſtratus. ſ. de iniur. l. 38. ſi adulterium. ſ. de adult. l. 5. de non. oper. nun.* Legis Seruiliæ fragmento extat, [Quod iudicatum erit, id vt ei priuato ſoluatur: quei eorum peret, de hiſce dum mag. aut imperium habebunt, iudicium non fiet. dic. Cos. Pr. Mag. eq. cenſ. Æd. trib. pleb. Q. III VIR A. O. A. T R. MIL. L. IIII. primis .... de his in ius non educitor. Aſt vbi magiſtratu imperióque abierit, quominus educi liceat, nihil impedimento eſto.] M. Varro apud Nonium *in Rapones*, [Prætor veſter mihi pecuniam eripuit: De ea queſtum veniam ad nouum magiſtratum, cum hic rapo vmbram quoque ſpei deuoraſſit.] In eadem fortè cauſa habendi ſunt & ij qui compedibus, vel vinculis detinentur, id eſt, qui ſoluti non ſunt. Arrepto ab huius capitis inſcriptione argumento, *& l. 2. in fin. l. 3. l. 4. §. planè. ſuprà, ſi quis cautionibus. l. 2. verb. Vinculis. l. 9. ſuccurritur. l. 23. ait prætor. l. 28. necnon. §. item ſi quis. ſuprà, quibus ex cau. maior.* Quorſum Caius hic ſolutum eſſe eum negat, cui licet vincula non ſint iniecta, in carcere tamen ita hæreat, & quaſi neru, ne poteſtas ſit exeundi, teneatur. Idémque & in eo ſtatuit, qui in publico, *ἐν τῷ δημοσίῳ* in carcere, ac publica cuſtodia, ſine vinculis adſeruatur. *d. §. planè.* Publicum pro carcere latinè ſcientibus vſurpatur. Cicero 5. *in Verrem actione*, [Pendere alios ex arbore, pulſari autem alios & verberari: porrò alios in publico cuſtodiri.] Idem *libr. 1. epiſtol. ad Q. Fratrem*, de Æſopi ſeruo fugitiuo, [Hominem comprehendit, & in cuſtodiam Epheſi tradidit: Sed in publicum vel in priſtinum non ſatis ex literis eius intelligere potuimus.] Appoſitè omninò Vlpianus in *l. 1. §. vnuſquiſque. l. 2. l. 4. ſuprà, de fugitiuis.* Quiſquis igitur legitima cauſa impeditus ad iudicium non venit, quaſi vadimonium deſerat, non incidit in contumaciæ pœnam. *l. 2. ſi quis cautionibus.* Auctor Rhetoric. *ad Herennium lib. 1.* Fab. Quinctilian. *lib. 7. cap. 5. l. 60. quæſitum. de re iudicata.* [Sine vinculis.] ¶ *ἄδεσμος φυλακὴ*, libera cuſtodia, ſine vinculis, Cicero *ſub finem Bruti ſiue de clar. orat.* [Domi teneamus eam ſeptam liberali cuſtodia.] Iul. Firmicus Matheſeos *libr. 5. capit. 1.* [In cuſtodia quandoque, ſed libera exponetur.] *& cap. 3.* [frequenter erit in libera cuſtodia conſtitutus.] Opponitur ni fallor aſperæ cuſtodiæ Corn. Tacitus *initio libr. 13.* ſcribit Narciſſum Claudij libertum aſpera cuſtodia & neceſſitate extrema, ad mortem actum. Similis militari cuſtodiæ, quam *στρατιωτικὴν φρουρὰν*, vel *φυλακὴν* vocant. Ignatius *epiſtol. 1. l. 4. §. planè. ſi quis cautionib. l. 25. Imperator. de appellation.* Corn. Tacitus *lib. 3.* Pacatus *in Panegyric. l. 3. de cuſtod. & exhib. reor.* Conſtantinus Apertam & liberam & in hominum vſum conſtitutam cuſtodiam militarem vocat. *l. 2. C. de exa. trib.*

m Cuius

Cuius conſtitutionis argumentum repetere licet ex Sozimi *lib.2.hiſtoriæ.*& D.Auguſtino *lib.1.de ſermon.domini.*vt debitores tributorum miſerè vexarentur:Quod mitigatum eſt.*d.l.2.* Quemadmodum &(ante legis Iuliæ beneficium,vt liceret miſeris priuatorum debitoribus bonam copiam eiurare,ſeu bonis cedere)ob æs alienum in vincula coniiciebantur.*l.vlt.C.de ceſſion.bon.*Ambroſius *lib.de Tobia.c.8.* [Habent ſerui quod amplius,quàm carceris pœnas,& vincula reformident,habent liberi, quod paueant,pro libertatis incuria] *cap.9.* [Dum vadis cum aduerſario tuo ad Magiſtratum, da operam liberari ab illo, ne fortè perducat te ad Iudicem, & iudex tradat te exactori , & exactor mittat te in carcerem.] Sed hæc hactenus attigiſſe ſufficiat : de omni carcerum genere diſputabitur vberiùs *ad l.216.verum.§.h.t.*

XLVIIII. VLPIANVS lib. lix. ad Edictum.

BONORVM appellatio aut naturalis aut ciuilis eſt. Naturaliter bona ex eo dicuntur, quòd beant, hoc eſt beatos faciunt. Beare eſt prodeſſe. In bonis autem noſtris computari ſciendum eſt, non ſolùm quæ dominij noſtri ſunt : ſed & ſi bona fide à nobis poſſideantur, vel ſuperficiaria ſint. Æquè bonis adnumerabitur, etiam ſi quid eſt in actionibus, petitionibus,perſecutionibus.Nam hæc omnia in bonis eſſe videntur.

ALCIATVS.

BONORVM. ¶ Bona accipiuntur,& naturaliter & ciuiliter.Naturaliter,cùm id ſolum ſignificant, quod beat,id eſt,prodeſt:vnde quod ſupereſt,deducto ære alieno,bonorum appellatione naturali ſolùm comprenditur. Ciuiliter verò id intelligitur , quod etiam onera admixta habet , vt hereditas , vel id quod bona fide poſſidemus : atque ita Accurſius interpretatus eſt. Ego aliam fuiſſe Iuriſconſulti ſententiam exiſtimauerim : nam bona ex naturali ſignificatione omnia comprendunt, quæ proſunt,ex ciuili ad facultates tantùm referuntur. In naturali ſenſu eo modo hæc dictio accipitur,quo apud Græcos τὰ ἐσθλὰ,de quo extat diſtichon:

Ζεῦ βασιλεῦ τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις
ἄμμι δίδου· τὰ δὲ λυγρὰ καὶ εὐχομένων ἀπερύκοι.

Quod nos ita vertimus:

Siue velint homines ſeu nolint,Iuppiter illis
Da bona:quæ mala ſunt,etiam cupientibus aufer.

Hinc antiquis Iouis epitheton eſt optimi , quod Cicero interpretatur beneficentiſſimi. Igitur cùm ſenſu naturali bona dicerentur, quæcunque nobis benefaciunt, lex ciuilis ad facultates noſtras hoc traxit,quoniam & hæ proſunt,vtileſque nobis ſunt.hinc diſtinctio bonorum corporis & animi apud Philoſophos.

Beatos. ¶ Beati dicuntur diuites, quia cæteris prodeſſe poſſunt,& debent. Iuuenalis:Veteulæ veſica beatæ. Sic appellantur etiam felices,non abſimili ratione. Vergil.O terque quaterque beati. Fit & inde diminutiuum beatulus.Perſio eodem ſenſu.Beatolus alto Compoſitus lecto.

Superficiaria. ¶ Bona hæc ſunt eius,qui in alieno ſolo ædificium poſſidet : nam vtilis in rem actio huic datur.*d.l.2.§.de ſuperfic.*diſtátque ab emphyteuta,quod ille& ſolum & meliorationes ſuas à domino recognoſcit,certámque ex hac cauſa penſionem præſtat:hic plerunque nihil pendit.nec meliorationes à domino habere dicitur,niſi ſuperficiem quoque conduxerit,imò finito contractu,indiſtinctè eas illi auferre licet. Et hinc argumentari poſſumus, ius quod quis ex conducto habet, bonorum appellatione contineri.

Et ſi quid. ¶ Quod ergo nobis, vel actione in perſonam , vel petitione in rem , vel officio iudicis debetur,in bonis computatur : nam & nuda bonorum appellatione dubium non eſt, nomina, huiuſmodique iura contineri. Hincque conſequens eſt,in generali bonorum obligatione ea quoque comprendi,quæ bona fide poſſidemus,vt hic traditur:eorum enim cauſa nobis actio competit,à Publicio prætore conſtituta. *Rom.ſing.30.* quæ publiciana in rem vocatur.

BRECHÆVS.

BONORVM. ¶ Multiplices ac varias bonorum ſpecies tradiderunt Philoſophiæ profeſſores ſanctiſſimi. Alia ſiquidem ad animi mores, alia ad corpus pertinere, alia denique fortunæ bona eſſe dixerunt. Bonum animi, eſt illud quod rectè ſummum bonum appellamus , quo immortalitatem conſequimur.Et hoc quidem beat homines,id eſt beatos efficit.Eſt itaque ſumma illa virtus,vel perfecta & ad ſummum perducta natura,vt ait Cicero,quæ beatos efficit.Nam ſi(inquit *lib.5.Tuſculan.quaſt.*omne beatum eſt cui nihil deeſt, & quod in ſuo genere expletum ac cumulatum eſt, idque virtutis eſt proprium , certè omnes virtutis compotes ſunt beati. Qua ratione dicemus virtutem bonum eſſe animi,quæ ipſum animum beatum efficiat. Bona corporis ſunt pulchritudo & elegantia formæ, firma valetudo, & quæ à Suda dicitur εὐεξία σώματος,ἐπιτεταμένη ὑγεία,ἀκρότης ὑγιείας. Robur corporis,intenſa ſanitas,ſanitatis ſummitas & excellentia,à Medicis Græcis εὐεξία,quæ in mediocri temperie ſimilarium, & proba organicarum partium conſtructione conſiſtit : quam etiam ἀσφαλεστάτην ὑγιεινὴν eſſe volunt. Bona denique fortunæ, ſunt diuitiæ, honores, & id genus reliqua. Quæ tamen propriè & naturaliter bona dicenda non ſunt,quę quidem ſunt(vt ait Lactantius *lib.de opif.Dei.*) non tantum fallacia,quia dubia:verùm etiam inſidioſa,quia dulcia.Et Cicero *eodem libro quinto Tuſculan.*

quaſt

queſt.Non autem,inquit,ea bona dicenda ſunt quibus abundantem licet eſſe miſerrimum. An dubitas quin præſtans valetudine,forma,viribus,acerrimis integerrimiſque ſenſibus,adde etiam ſi lubet, pernicitatem & velocitatem,da diuitias,honores, Imperia,opes, gloriam, ſi fuerit is qui hæc haber, iniuſtus,intemperans,timidus,heberi ingenin atque nullo,dubitatiſne eum miſerum dicere?Pulchrè & ſanctè Horatius *lib.4.Carminum ad Marcum Lollium Ode 9.*

Non poſſidentem(inquit)*multa vocaueris*
Rectè beatum: rectius occupat
Nomen beati,qui deorum
Muneribus ſapienter vti
Durámque callet pauperiem pati,
Peiúſque leto flagitium timet,
Non ille pro charis amicis
Aut patria timidus perire.

Bonnrum igitur primum,eſt ſapientia. Secundum,optanda corporis habitudo.Tertium,fortunę commoditas. Sed hæc duo (ait Marſil. Ficinus *in Gorgiam Platonis*) eatenus iudicantur bona , quatenus commodum menti exhibent miniſterium. Quare bona ipſa quæ beant , hoc eſt beatos efficiunt homines,ſola animi bona ſunt, & naturaliter bona dicta, vt quia ſempiternam quandam naturam ſortira eſſe putemus,ait Plat.*in Philebo*.Et quòd natura ſit generata vis hominis,vt ad omnem virtutem nata factáque eſſe videatur,vt à Cicerone eſt traditum *lib.5.de finibus bonorum & malorum*.Nam cùm vitiorum colluuie obruuntur homines,hoc ea corrupta natura cootrahitur. Quandoquidem omnes natura trahimur ad beatæ vitæ appetitionem. Quapropter,inquit Ariſtoteles *libro primo Ethicorum*, bene veteres bonum , id eſſe dixerunt quod omnia appetunt. Id autem bonum appetere , eſt ſuapte natura ferre in bonum & proclinem eſſe , ſicut rectè interpretatur Faber Stapulenſis. Ea tamen animi bona vocantur à Theologis noſtris bona Spiritus ſancti,quę de ſuperis ſunt,deſcendentia à Patre luminum. Vnde in Euangelio Matthæi *cap*. 7. Si vos igitur cùm ſitis mali , noſtis bona dare filiis veſtris , quantò magis Pater veſter qui in cœlis eſt,dabit bona ſi poſtuletis ab ipſo? *δόματα ἀγαθὰ* dixit bona Spiritus ſancti:quæ in animum,non in corporis putidam molem penetrant.

In bonis. ¶ Hic naturaliter bona, Cains in alium ſenſum accipit, quàm ſuprà à nobis dictum eſt. Nam naturaliter bona intelligit quę omnino commodum nobis adferunt,incommodi aut oneris parum,vel nihil:atque hoc quidem vt diſtingueret à ciuiliter bonis.Quæ autem naturaliter bona ſunt, ea ſine detrimento aliquo habemus:ſed cùm rem ipſam ſolùm,non ius reſpicimus: vt quodcunq; ſupereſt deducto ære alieno.At cùm ad hereditatem & patrimonium attendimus,& bona ſucceſſionis iure nobis obueniunt,quoniam in ius mortui ſuccedimus,ſiue lucrum ſiue damnum ex adita hęreditate conſequamur, ſeu in rerum corporibus , ſeu in actionibus, bona iure ciuili propriè dicuntur : & hæc bonorum appellatio iuris eſt. Vnde bonorum poſſeſſionem Vlpian.definiuit ius perſequendi retinendíq; patrimonij. Hæreditatem,bonorum quoq; poſſeſſionem ex Labeone dixit : ſed iuris magis quàm corporis poſſeſſionem. *l. 2. de bon. poſſ*. Præterea & quicquid in bonis noſtris eſſe dicimus, hoc non patrimonium appellamus , cuius quidem commodum atque etiam incommodum ad nos pertinet. videto in hanc l.Fran.Connan.*lib.3.Comm.iur.ciuil.c.2.* Adhæc rem in bonis noſtris eſſe dicimus quam bona fide habemus:& quam poſſidentes, exceptionem,aut amittentes, ad eam recuperandam actionem habemus. *l.rem in bonis. ff.de acq.rer.dom.* Res quoque clientelares ac hereditatis patrimonium ſeu feuda in bonis noſtris eſſe notat And.Tiraq.*in tract.de nobil.c.8.ex And.Iſern.ſententia*,Vnde qui bona ſua vendidit, res quoque feudales vendidiſſe cenſebitur. Ad reliquum vide quæ ſcripſimus *in l.princeps.verb.bona.* ī.*eod.* videto etiam Batt.*in l.quintus.§.argento.ff.de aur.& arg.leg.*& Bald. *in rub.C.hoc tit.de verb.ſign.*

FORNERIVS.

BONORVM. ¶ Sicut ea demùm bona videri, quæ deducto ære alieno ſupereſſent:principémque ea concedendo,obligationes quoq; conceſſiſſe intelligi,ſuperiùs oſtenditur *l.21.princeps.l.39.ſubſignatum.h.t.*Ita hic definiuntur, ea quibus commodum aliquod vtilitáſque percipitur. Vt eleganter *τὰ χρήματα* in Xenophontis Oeconomico *ἀπὸ τοῦ χρῆσθαι* ab vtendo deducta Socrates edisſerit. & Theophilact.*in cap.10.Euangel.Marc.* Seneca *de vita beata c.25.* [Diuitias habendas eſſe,& vtiles,& magna vitæ commoda conferentes fateor.] Caſſiod.*lib.2.epiſt.*28. [Beneficium dici non poteſt,quod nulla vtilitate ſentitur.] Contrà vndecunque commoda patiuntur, bona ſunt : nec ſolùm ſi directi dominij iure obtineantur : ſed ſi vel ſuperficiaria, vectigalia, & emphiteuticaria ſunt. *§.per traditionem.de rer.diuiſ.l.115.quæſtio.*ī.*h.t.*item ſeruitutes,vſusfructus.*l.3.C.de ſeruit.l.3.*ī.*de op.no.nun.§.æquè.de act.* ¶ Cum igitur Prætoris edicto de re iudicata (quo videtur hæc Vlp. definitio referenda) bona non ſoluentium damnatorum eb executore in cauſam iudicati capta diſtrahantur, *tit.C.de execut.rei iud.*conſequens eſt,quæcunque ſunt in bonis debitoris, corporea, incorporea, præſentia, futura,nomina debitorum , in eam cauſam capi. Nam ſi nec mobilia,nec immobilia, quæ capiantur vlla inueniantur, vel non ſufficiant,ad nomina debitorum venietur. *l.15.à diuo.de re iud.l.antep. quod cu.vniu.* Nam & ſpecialiter & generaliter ea poſſunt pignori dari. *l. 4. C. quæ res pign.* tranſlatis vtilibus ad exigendum actionibus. *l. 20. cum conuenit. ſuprà , de pignor. l. 18. ſi conuenerit.de pignor. actio.* Stipendia quoque ſi quæ militi damnato debeantur, capiet executor. *l. 4. C. de execut. rei iudic.* eodémque exemplo ſalaria & honoraria,quæ magiſtratibus ac iudicibus de publico penduntur,commoda præmiorum,& coronarum,quæ in ſacris certaminibus athletis præbentur.*l.40.commodis.de re iudic.*& ſi priuata pactione non oppignerentur. *l 5.ſpem. C.quæ res pig.*Ius quidem ipſum vſusfructus perſonale,

nec obligati pignori, nec vendi, nec in aliū quā proprietatis dominū transferri poteſt: At emolumentum fructuúmq; perceptionem nihil prohibet, quandiu fructuarius viuit, ad alium pertinere. *l.12. arboribus. §. ſuuſfructuarius. ͞ſ. de vſufr. l.66. ſi vſusfr. ͞ſ. de iur. dot.* ergo & in cauſam iudicati capietur: Idq; neglecta iuris ſubtilitate ęquius melius videtur: vt quod cuiq; debetur, exſoluatur: ne creditarum rerum fides nutet, iudicatarum auctoritas euileſcat. Adeò vt res minorum, & nummi etiam in fundorum comparationem deſtinari in executionem capiantur. *d. l.15. à diuo. ſi.* Et quidem ſine decreto prætoris, quod vt in voluntaria rerū pupillarium alienatione adbibetur: ſic in neceſſaria ſeu iudiciali, ęris alieni diſſoluendi cauſa, nnn requiritur. *l.3. §. ſi pignori. de reb. eor. l.1. de fund. dot.* Poſtremò ſi capta & diſcuſſa omnia damnati bona minus ad iudicatum faciundum ſufficiant: tum & res in frandem creditorum alienatæ, & actiones ſponte remiſſæ reuocabuntur. *l. pen. C. de reuoc. iis quæ in fraud. cred. not. l.6. quod autem. §. Labeo. ͞ſ. quæ in fraud. cred. l.28. alienationis. ͞ſ. h. t.* Deniq; eatenus bona ſunt, quatenus proſunt, beant, vtilitatem adferunt, ex iiſq; pecunia creditori ſoluenda redigatur. Excipiuntur aratra, ligones, operis ruſtici inſtrumenta, equi, boues aratores ne in executionem iudicati capta diſtrabantur: ex vetere lege Rom. (ſi Quinctiliano credimus *lib.8. cap.9.* renouata. *l. antep. & pen. C. quæ res pign. §. Agricultores, de pace Conſtant. lib.2. Feud.* Fauore agriculturæ, vt diligenti cura prædiorum pretia augeantur, & mortalibus alimenta ſuppetant. *l.3. ſi. de iure fiſci.* Plinius *de C. Furio Creſino. lib.18. cap.3.* Nam & bouem aratorem occidiſſe, aut ruſticum inſtrumentum furto ſuſtuliſſe capitale fuit apud Pbryges. Stobæus *cap.42.* Diodor. Siculus *lib.2.* vt olim *βοὸς ἀροτῆρος δίκη* à Solone, ſic de crepitaculo bouis ſurrepto prodita eſt ab Iuſtiniano actio, *cap.2. legum Georgicar.* Cadauera debitorum nec in hanc cauſam capere creditoribus, nec reliquias vexare aut contumelia afficere licet. *Nouel.60.* Quamuis apud Ægyptios oppignerarentur. Stobæus *d. c.42.* Et id fieri ſolere Baſilius *in Pſalmum* 14. conqueratur, & Ambroſius *lib. de Tobia.* Poſtremò nec militum arma, quæ alienare flagitium eſt. *l.2. §. miles. l. antep. §. arma. de re milit.* nec prædia militaria ſeu beneficiaria, in vſum belli conceſſa, *στρατιωτικὰ κτήματα. lib.2. de feud. tit.52. & 55.* ſed Gallorum vſu militares equos oppignerari & diſtrahi obtinuit. *Beatos faciunt.* ¶ Non etymus, ſed concinna verbi alluſio magis, quàm veriloquium. Iſidorus *lib.10.* Beatum quaſi bene auctum, Euſtaſio *Vlyſſea* ζ. ὄλβος, id eſt opes, inde ὄλβιος diues ac beatus. *Æquè.* ¶ Interpretatione ciuili, vt ipſa bona ſunt, quorum perſecutio nobis iure competit. *l.52. rem in bonis. ͞ſ. de acq. rer. dom.* [Si quid in actionib. partitionib. perſecutionib.] ¶ Hæc ideò coniunxit, vt omnem actionis ſpeciem complecteretur Vlpianus, quæ aliàs diſtingui ſolent. *l.70. ſi heres. ad Sc. Trebel. l.28. actio. l.37. actionis. de oblig. & act.* quod & tollendę obſcuritatis in Aquiliana ſtipulatione concipienda obſeruatum eſt: [Quarúmque rerum mihi tecum actio, petitio perſecutio eſt eritue.] *§. item per. quib. mod. toll. ob. l.18. & vno. ͞ſ. de accept.* Actiones icciteo ciuili bonorum appellatione veniunt, quòd qui eas habet, τῇ δυνάμει & rem habere videatur. *l.15. ſi quis actionem. iit. ſeq.* noſtrum & id quod nobis debetur, rectè dicamus, cùm verba cum effectu accipiantur. *l.1. quod quiſq. iur. l.90. meorum. ͞ſ. h. t.* Et quamuis interdum iuſtæ actiones debitorum inopia excluduntur. *l.6. de dolo.* non eò minus tamen debetur. *l.4. de her. vel act. vend.* & actiones earum rerum quæ reſtitui debent, quaſi in bonis computentur, hereditatem augent. *l.78. Lucius. §. Claudius. ͞ſ. ad Sc. Trebel.*

L. IDEM lib. lxj. ad Edictum.

NVRVS appellatio etiam ad pronurum, & vltra porrigenda eſt.

ALCIATVS.

NVRVS. ¶ Cùm in aliquo actu ſit nurus mentio, de pronuru quoque, & vlterius intelligi poteſt: quapropter cùm in edicto prætoris infamas pro quibuſdam affinibus, & nuru poſtulare permittantur, poterunt etiam pronurum tueri. *l. cui. §. adfinitates. de poſtulat.* & cùm rupto teſtamento per petitionem bonorum poſſeſſionis contra tabulas conſeruetur legatum nurui pro dote factum, idem erit ſi pronurui debeatur. *l. virilis. §. nurus. de legat. præſtan.* & ſicut poſſumus nurui noſtræ donare, & ita pronurij. *l.3. §. ſocrui. de donat. inter vir.* ¶ Hæc tamen interpretatio non procedit, cùm ipſius nurus perſonam tantùm reſpicimus: vt ſi tibi promiſerim pro tua nuru, non intelligitur de pronuru. *l. ſi quis ita. de teſta. tut.* propriè enim non eſt nurus: quod indicat Iuriſconſultus, dum dicit appellationem porrigendam, porrigere enim eſt extendere: alioquin dubitandum non erat, an ſicut eam, quæ ex adoptiuo filio nurus fuit, vxorē ducere non licet, ita nec pronurū liceat. *l. adoptiuus. §. nurus. de rit. nup.* itémq; an edictum prætoris, quo qualemcúmque fideiuſſorem nurui in iudicio ſiſtendæ ſufficere ait, ad pronurum extendatur. *l.2. §. prætor. qui ſatiſd. cog.* Sanè ſicut appellatio nurus ad pronurum protenditur, ita & ſoceri, generi, nepotis, aui, ad proſocerum, progenerum, pronepotem, proauum. *l. Gallus. §. forſitan. vbi dixi. de liber. & poſthum.* quod inferiùs ſuo loco explicabimus.

BRECHÆVS.

NVRVS. ¶ Vxorem filij, Nurum iureconſulti appellant: Pronurum verò nepotis vxorem. Sed in adfinitatis iure cenſendo, Nurus appellatio, Pronurum etiam ſignificat, non propria quidem ſignificatione: ſed per extenſionem. Quod docemur ex verbo, porrigenda. Nam porrigere, eſt veluti excurrere & vltra extendere, *τοῦ ὀρέγω, ἐκτείνω.* Vlpia. *in l. cui eorum. §. item Pomponius. ͞ſ. de poſt.* Pomponius, inquit, nurus, generi appellatione, & ſoceri ſocrus, & vlteriores quibus, pro præpoſitio ſolet accedere, contineri ait. Quo loco quidam exiſtimauerunt voluiſſe Vlpianum, ſignificatione propria Pronurum Nurum appellari. Sed veritas longè aliter ſeſe habet: atque id tranſlatitia interpretatione accipi, commodius erit dicere. Videto in hanc l. Franc Connan. *lib.10. Comment. iuris ciuilis. c.4. ad Galli formulam & legem Velleiam.*

De hac l. vt & ſeq. vide FORNARIVM Infrà l.52.

LI. Caivs lib. xxiij. ad Edictum prouinciale.

Appellatione parentis non tantùm pater, ſed etiam auus, & proauus, & deinceps omnes ſuperiores continentur: ſed & mater & auia, & proauia.

Alciatvs.

Appellatione. ¶ Parentis appellatione pater, auus, proauus, abauus, atauus, tritauus etiam ex ſermonis proprietate, continentur: quod & in ſuperioribus benigna interpretatione admittendum eſt, alioquin hi ſolùm maiores dicerentur. *l. 4. §. prætor. de in ius voc.* atque ita proprio vocabulo Romanos vſos accepimus. *l. fi. §. parentes. de grad.* non quòd pater, & auus, & deinceps, maiores non dicerentur, ſed quòd cùm vltra tritauum parentes non dicerentur, neceſſariò qui ſuprà erant, maiores appellabantur, vt parentes inſint maioribus, ſicut ſpecies ineſt generi. nam & huiuſmodi dictio eos ſimpliciter quandoque comprendit, qui natu maiores ſunt. vt cum M. Porcius Cato Tuſculo ortus, primus ſui nominis in ſenatum allectus, vetuſtiſſimus ſenatores qui reipublicæ fundamenta iecerant, maiores ſuos apud Saluſtium appellat. Quapropter Vallæ ſententiam non omnino probo, in Elegantiis ſuis à Iuriſconſulto noſtro diſſentientibus. Et hinc receptum eſt, vt conſtitutio Pontificum, qua defunctus in ſepulchro maiorum ſuorum tumulari debere cautum eſt. *Old. conſ. 25.* ita obſeruetur, vt in patris & aui conditorium quis potius deferatur, quàm in eorum, qui deinceps fuerunt, locum. *l. lex quæ. ver. maiorum. C. de adm. tutor.* quod & obſeruandum erit, cùm principis edicto vnuſquiſque habitare in ea vrbe compellitur, in qua ipſe & maiores ſui nati ſunt. *Iaſ. d. l. 4. §. prætor.* tam etſi alij aliter. Sanè parentes hodie vulgò intelliguntur eiuſdem gentis, & inuicem quoquo modo coniuncti: quod & Hieronymum non latuit *lib. aduerſus Rufinum 2.* Hinc & parentela, quæ dictio apud Capitolinum in Gordiano legitur. Quapropter in edictis, quæ vulgari ſermone concipiuntur, vel ab imperitis compoſita ſunt, hæc ſignificatio erit accipienda. Si igitur perduellium parentes capiendi honoris ius eiuſmodi edicto amiſerint, & adfines & cæteros aliqua ratione coniunctos excludi, Angelus reſpondit *in §. æcenemus. in auth. de alienat. & emphyt.* cui aſſentio, niſi ratio conſtitutionis aliud ſuaderet. ¶ Sed quod de parentibus Iuriſconſultus inquit, an idem eſt & de patre? & Accurſius negat. *l. lege. de rit. nupt.* propriè enim ad ſolum genitorem refertur: interpretatur tamen plerunque lex, vt patris nomine auus demonſtrari intelligatur. *l. iuſta. ij. eod.*

Brechævs.

Appellatione. ¶ Parentem vno nomine patrem & matrem ſignificare tradit Laurent. Valla *lib. 3. elegant. cap. 70.* Vnde latini ſermonis authores à pariendo dictus parentes exiſtimauerunt, Iuuenalis *Satyra xiiij.* quæ in parentes, id eſt, in patres & matres qui filiorum ſuorum mores prauo vitæ exemplo corrumpunt, ſcribitur, his cautat verbis:

Quæ monſtrant ipſi pueris, traduntq́ parentes,
Si damnoſa ſenem iuuat alea, ludit & heres
Bullatus, paruoq́ eadem mouet arma fritillo.

Et Virgilius *ecgloga quinta.*

Incipe parue puer: cui non riſere parentes.

Theophilus *in tit. de legit. agn. ſucceſ. inſti.* ἡ συγγένεια ὄνομα ἐστὶ γενικὸν· τέμνεται δὲ εἰς τρία, εἰς τοὺς ἀνιόντας, εἰς τοὺς κατιόντας, εἰς τοὺς πλαγίους. καὶ ἀνιόντες μέν εἰσιν, οἱ ἡμᾶς γεγεννηκότες, πατὴρ μήτηρ. Id eſt, cognatio nomen generale eſt, quæ quidem in tria diuiditur, in parentes, in liberos, & in propinquos. Qui verò nos progenuerunt parentes dicuntur, pater mater, &c. Hic τοὺς ἀνιόντας dixit τουτ' ἐστὶ γεννήσαντας, quòd parentis appellatio ad aſcendentes protrahatur. Parentem quoque accipimus aliquando pro patre, aut matre tantùm. Vt ſæpe à Virgilio, chari cura parentis dicitur, id eſt, chari, genitoris Anchiſæ. Cic. *in Verr. act. 7.* Hæc ſi tibi tuus parens diceret, poſſes ab eo veniam petere? poſſes, vt tibi ignoſceret, poſtulare? Et iterum *paulò ſuprà*, Tu inter eiuſmodi mulieres, prætextatum filium tuum nepotem meum, collocauiſti: vt ætati maximè lubricæ atque incertæ, exempla nequitiæ parentis vita præberet. Sic pro matre parentem dixit ipſe Cicero *in Oratione pro A. Cluentio.* Nam, inquit, illud me non præterit, cuiuſmodicunque mater ſit, tamen in iudicio filij, de turpitudine parentis dici vix oportere, &c. Pacuuius in Medo, cùm oſtenderet à Medæo Medææ filio matrem quæri, [Te Sol, inquit, inuoco, vt mihi poteſtatem duis inquirendi mei parentis.] Et apud Virgilium *lib. iij. Æneid.*

Ecqua iam puero eſt amiſſi cura parentis.

Quo loco Seruius, parentem Creuſam non eſſe accipiendam exiſtimat, ſed patriam: quemadmodum Cicero vocat patriam communem omnium parentem. Sic & terram parentem ſcribit Virgil.

Salue ſancta parens frugum Saturnia Tellus.

Quo fit vt patrem matrémque ſignificatione propria parentes Latini rectè appellent. Virgil. *lib. iiij. Georgicon. Et ſexto Æneid.*

Impoſitiq́ rogis iuuenes ante ora parentum.

Cic. *pro Cn. Planc.* Omitto, inquit, illa, quę ſi minus in ſcena ſunt, at certè cùm ſint probata, laudantur: vt viuat cum ſuis, primùm cum parente: nam iudicio meo pietas fundamẽtum eſt omnium virtutum: quem veretur, vt Deum. Neque enim multò ſecus parens liberis, &c. *Et in erat. poſt reditum in Senatu.*

Quòd ſi parentes chariſſimos habere debemus quòd ab his, nobis vita, patrimonium, libertas, ciuitas, tradita eſt: ſi deos immortaleis quorum beneficio & hæc tenuimus, & cæteris rebus aucti ſumus, &c. Inde verbum Parentare, id eſt defunctis vita parentibus iuſta perſoluere: quanquam etiam & auorum, & maiorum, & aliorum amicorum manibus ſacrificare, ſignificaret: veluti quod his noſtris temporibus eccleſiaſtici dicunt voce pia & eccleſiaſtica, orare pro defunctis, vt à peccatis ſoluantur. Dicimus etiam parentare alicui cæſo pro morte alicuius vlciſci, & hominis cæſi pœnas perſequi: quod Græci τιμωρεῖσθαι dicunt, & τιμωροῦμαι Budæo teſte. Cæſar *lib. 7. belli gallici.* Præſtare omnes perferre acerbitates, quàm non ciuibus Romanis qui Genabi perfidia Gallorum interiiſſent, parentarent. Cic. *Philip. 13.* Quàm benignè denique vſi liberalitate Antonij milites Imperatorem reliquerunt, & ſe ad hoſtem metu perteriti contulerunt: per quos ſi non ſtetiſſet, non Dolabella prius Imperatori ſuo, quàm Antonius etiam collegæ parentaſſet, id eſt, non prius Dolabella Trebonium, quàm Antonius Brutum, occidiſſet: vt Iulij manes placaret necem eius vleiſcendo. ſic D. Budæus interpretatur. Et rurſus *Philip. 1.* An me cenſetis P.C. quòd vos inuiti ſequuti eſtis decreturum fuiſſe, vt parentalia cum ſupplicationibus miſcerentur? vt inexpiabiles religiones in rempub. inducerentur? vt decernerentur ſupplicationes mortuorum? Nihil dico quis fuerit ille Iunius Brutus, qui & ipſe regio dominatu rempub. liberauit, & ad ſimilem virtutem & ſimile factum ſtirpem iu prope quingenteſimum annum propagauit, adduci tamen non poſſem, vt quenquam mortuum coniungerem cum deorum immortalium religione, vt cuius ſepulchrum nuſquam extet vbi parentetur, ei publicè ſupplicetur. Ab eo parentalia dicebant eos dies quibus parentare & iuſta mortuis facere liceret: Iuſta funebria vocat T. Liuius τὰ νομιζόμενα ποιεῖν, quaſi κατὰ τοὺς νόμους ἐφειλόμενα, ait Budæ. Hæc ipſa quidem parentalia ab antiquis menſe Febr. celebrari ſolita erant, qui tum erat vltimus anni menſis: poſtmodum verò ſecundus factus. Sed Decius Brutus Decembrem ſequebatur in parentationibus, ſicut Cicero teſtatur *lib. 2. de legib.* his verbis: Sed menſem, credo, extremum anni, vt veteres Februarium, ſic hic Decembrem ſequebatur. Hoſtia autem maxima, parentare pietatis adiunctum putabat. Quo loco Adrianus Turnebus vir & linguarum ſimul ac diſciplinarum peritiſſimus hanc rem eleganter & eruditè explicat. Erant & Denicales (ait Feſtus) feriæ, cùm hominis mortui cauſa familia purgabatur. Siquidem priuatæ erant, ſicut parentalium feriæ publicæ. Cicer. *vbi s.* Nec verò, inquit, tam Denicales, quæ à nece appellatæ ſunt, quia reſidentur mortui, quàm cæterorum cœleſtium quieti dies, feriæ nominarentur, niſi maiores eos qui ex hac vita migraſſent, in deorum numero eſſe voluiſſent: eas in eos dies conferre ius, quibus nec ipſius, neque publicæ feriæ ſint: totáque huius iuris compoſitio pontificalis, magnam religionem cæremoniámque declarat. Poſſumus itaque & nos quidem Chriſtiani his temporibus, ſecundum menſis Nouembris diem, quo reſidentur mortui, id eſt mortuis feriamur, parentalia latinè appellare, ſeu etiam Denicales, id eſt, feſtum defunctorum: qui dies ferè eſt vltimus anni ſinis. Dicemus quoque Feralia. Ouid. *lib. 2. Faſtor.*

Hanc, quia iuſta ferunt, dixere feralia lucem:
Vltima placandis manibus illa dies.

¶ Sed redeundum eſt in viam. Scribit igitur Caius appellatione parentis auum & proauum, & deinceps omnes ſuperiores contineri. Et idem *in l. 1. de grad. affin.* videlicet omnes ſexus vtriuſque aſcendenteis vſque ad tritauum ſuperioris ordinis parentes, dixit. Similiter Paul. *l. fi. §. parentes. eod. tit.* apud Romanos vſque ad tritauum propria ſignificatione nominari contendit: vlteriores verò qui ſpeciale nomen non habent, maiores appellandos: cum nos aliàs generali vocabulo maiores ad auum, proauum, & reliquos protendamus, hoc equidem ex Iuuen. *Satyr. 8.* docemur his verbis:

Stemmata quid faciunt? quid prodeſt, Pontice longo
Sanguine cenſeri? pictosq́; oſtendere vultus
Maiorum, & ſtantes in curribus Æmilianos?

Et iterum *eodem loco,*

Si tenerum attritus catinenſi pumice lumbum
Squalentes producit auos.

Quo loco auos pro maioribus accipit: ſicut Virg. parentes, pro ipſis maioribus, *lib. 7. Æneid.* his verb.

Vrbe fuit ſumma Laurentis regia Pici
Horrendum ſyluis, & religione parentum.

Sic Imp. Conſtantinus *l. lex quæ tutores. §. nec verò. C. de adm. tut.* Nec verò, inquit, domum vendere liceat in qua defecit pater, minor creuit: in qua maiorum imagines aut non videre fixas, aut reuulſas videre ſatis eſt lugubre. Alioqui maiores ſpeciali ſignificato dicuntur quotcunque vltra tritauum enumerare licet. Eodem modo & parentes ſpeciali nomine vſque ad tritauum duntaxat porriguntur: generaliter autem vltra tritauum, ex Vlpiani calculo *in l. quique litigandi. §. parentes. ff. de in ius vocan.* parentes (ait) hic vtriuſque ſexus accipe. Sed an in infinitum quæritur? Quidam, parentes vſque ad tritauum appellari aiunt: ſuperiores, maiores dici. Hoc veteres exiſtimaſſe Pomponius refert. Sed Caius Caſſius omnes in infinitum parentes dicit: quod honeſtius eſt, & merito obtinuit.

Auia & proauia. ¶ Quid auus, quid item proauus ſatis eſt tritum. Sed forſan quæras, an appellatione auiæ proauia etiam veniat? Et ſanè hìc inter doctores variatum eſt ſententiis, quas quidem recenſet Alex. Imol. *in l. Gallus Aquilius. §. inſtituens. de lib. & poſt.* Hanc rem latè exequimur in eo tractatu quem de gradibus conſanguinitatis & affinitatis ſcripſimus: vbi quoque diſcuſſimus qualiter ius ciuile cum pontificio conueniat in cenſenda conſanguinitate & affinitate.

LII. VLPIANVS lib. lxj. ad Edictum.

PATRONI appellatione, & patrona continetur.

ALCIATVS.

PATRONI. ¶ Sicut domino ſubiicitur ſeruus, ita patrono libertus. Accipitur & patronus pro defenſore eorum, quos in clientela habet, primúmque locum poſt patrem in officio apud clientem obtinere patronus debet. Hinc & iura patronatus, quæ vel in libertos habemus vel in clientes, quorum hodie inſtar obtinent, quos barbara voce Vaſallos vocamus. Sanè huius reſponſi duplex eſt interpretatio. poteſt enim intelligi, vt quæ iura de patrono loquantur, eadem & de patrona, quæ ſeruum manumiſerit, intelligi debeant: quandoquidem dubium non eſt, quin maſculinum (vt vulgò dicitur) fœmininum contineat: atque is ſenſus omnium calculo probatur, niſi quòd aliter ſpeciali ratione conſtitutum quandoque legere eſt. *l. ſicut patronus. de oper. lib.* Poteſt & alio modo accipi, nimirum vt quod de patrono dicitur, de eius quoque vxore dictum cenſeatur, vt patronam hîc pro patroni coniuge declaremus. Verùm hæc expoſitio haudquaquam placet, quoniam huiuſmodi propriè patrona non eſt: licet bonis moribus conueniat, huic etiam reuerentiam à liberto exhiberi, & ideo ſine venia in ius vocari non debeat. *l. 1. C. de in ius voc.*

BRECHÆVS.

PATRONI. ¶ Varia quidem, & multiplex eſt patroni ſignificatio. Nam patronus (inquit Aſcon. Pedia. *in diuinat.*) dicitur qui alterum defendit in iudicio, ſi orator eſt: ſi aut ius ſuggerit, aut præſentiam ſuam commodat amico, aduocatus: ſi negotium ſuſcipit, procurator. Cicer. *lib. 2. de Orat. ad Q. Fratrem.* Etiam, inquit, ſtultitiæ falſa repræhenſio, vt ille Siculus, cui prætor Scipio patronum cauſæ dabat hoſpitem ſuum hominem nobilem, ſed admodum ſtultum. Olim in publicis iudiciis, atque in cauſis paradigmaticis, ac etiam iuris ambigui, ſolebant plures patroni adhiberi, quorum minimum, primum omnium dicere volebant. Sic pro P. Sextio dixit Hortenſius: poſterior verò Cicero. Sic etiam pro Cornelio Balbo Cn. Pompeius: poſtmodum Cicero rem omnem peregit. Quæ tamen conſuetudo ipſi Ciceroni aliquando non placuit, ſicut ſcribit *in eod. lib. 2. de Orat.* his verbis: Atque etiam, inquit, in illo repræhendo, eos qui quæ minimè firma ſunt, ea prima collocant. In quo illos quoque errare arbitror, qui ſi quando (id quod mihi nunquam placuit) plures adhiberent patronos, vti quemque eorum minimum putant eſſe, ita eum primum volunt dicere. Res enim hoc poſtulat, vt eorum expectationi qui audiunt, quàm celerrime ſuccurratur: cui ſi initio ſatisfactum non ſit, multò plus ſit in reliqua cauſa laborandum. Patronum etiam liberti correlatiuum dicimus, eum videlicet, qui ſeruum libertate donauit, & ex ſeruitute manumiſit: vel colluſionem detexerit: vel ſi quis præiudicio pronuncietur libertus eſſe, cum alioqui non fuerit: aut ſi iuraui libertum meum eſſe: quemadmodum per contrarium pro patrono non habebor, ſi contra me iudicatum eſt: aut ſi me deferente iurauerit ſe non eſſe libertum. Qui Vlp. ſenſus eſt *in l. adoptiuum. §. patronum. ff. de in ius voc.* Qui igitur patronum vocare in ius prohibetur, patronam quoque non poteſt: cum patroni appellatione, patrona etiam contineatur, *vt d. §. patronum.* Reliqua in hanc rem doctè tradit Alciat. quæ ſi hoc loci repetam, vanus ero.

FORNERIVS, ad l. L.I. & L.II.

¶ CVM vix poſſint omnes caſus, qui quandoque inciderint, certa lege, edicto, ſenatúſue conſulto comprehendi, prudens iudex negotium quo de agetur, ex ſimili æquitatis regula definiet. *l. 13. non poſſunt. l. ſeq. ff. de leg.* Nec ſi quid fortè lege ſupprimatur, id ſua religione omittendum arbitrabitur. *l. 13. quæſitum. ff. de teſtib.* Ariſt. *Polit.* Cicer. *de T. Clodio Centimalo lib. 3. offic.* Ita propria perſonarum hic enumeratarum ſignificatio producitur, æquitatis interpretatione: quæ, niſi coniectura fallor, ad ſex iuris argumenta non abſurdè referatur. Imprimis ad Prætoris edictum de in ius vocando, ne libertus patronum abſque permiſſu prætoris iudicio laceſſeret, indicta 50. aureorum pœna. *§. pœnales. de action. §. vlt. de pœn. tem. lit. l. 10. ſed ſi. §. patronum. & ſeqq. l. 11. quamuis. & ll. ſeqq. l. pen. ff. de in ius vocan.* Quod ſi inopia laborans inferre nequeat pœnam, tum tanquam inofficioſus litigator extra ordinem coërcebitur. *l. vlt. eod. tit.* vt in cæteris ferè pecuniariis ob delictum irrogatis multis aſſolet, reus qui nummis non ſatisfacit, corpore caſtigatur: ne inopia fretus, quaſi impunitate propoſita confidentiùs delinquat. *l. 7. ſi quis id. ff. de iuriſd. l. 1. §. generaliter. de pœn.* Hoc ius, & ad patronam, & libertam porrigitur. *l. 52. patroni hic.* quia eadem reuerentia debetur. *l. 1. C. de in ius voc.* ¶ In eiuſdem edicti interpretatione parentum aucta ſignificatio vtriuſque ſexus parentes, & tam naturales quàm adoptiuos complectitur. *l. 4. 5. 6. 7. & 8. eod. tit.* Liberos etiam ve in parentibus & vltra trinepotem accipimus. *d. l. 10. eod. tit.* Nomine parentis pater, auus, proauus, mater, auia, proauia omnes denique ſuperiores continentur. *l. 51. appellatione. h. t.* Deinde & hoc expendemus, quoties de donationibus inter coniuges agetur: Vlpianus, [Prohibetur vxori & nurui donare, etiam is qui eſt in ſoceri poteſtate. Ab vxoris nurúſue patre prohibitum eſt donare viro, vel genero.] *l. 3. de donat. vir. & vx.* Socrui à nuru, vel contrà donari non eſt prohibitum: quia hic ius poteſtatis non vertitur. *d. l. 3.* Socrus genero rectè donat: Baſilicôn *lib. 30. tit. vlt.* ἡ πενθερὰ καλῶς δωρεῖται τῷ γαμβρῷ: Initio tamen dixit, inter affines donationem prohiberi. [Nurus pronurus.] ¶ Græci hic νύμφη, καὶ προνύμφη, filij mei vxor, καὶ ἑτέρα, τὴν τοῦ υἱοῦ γυναῖκα interpretatur Theophilus *tit. de nupt.* quam à ſocru tædas præferente deduci ſolitam refert Apollonij interpres *lib. 4.* & Euripidis in Phœniſſis ἔθος ἦν, τὴν νύμφην ὑπὸ τῆς μητρὸς τοῦ γαμοῦντος μετὰ λαμπάδος εἰσάγεσθαι. ¶ Tertiò referri poteſt ad legem Iuliam iudiciorum publicorum, ne contra affines aut cognatos teſtimonium inuiti dicere cogantur. *l. vlt. ff. de grad. & affin.* id eſt aduerſus ſocerum, generum, vitricum, priuignum, ſobrinum, ſobrinam, ſobrino natum, eóſue qui priore gradu ſunt: item ne liberto ipſius, liberorum eius, parentium, viri, vxoris. Item patroni patronæ aduerſus libertos, neque liberti aduerſus patronum, ſi teſtimonium denunetetur, non cogantur inuiti dicere. Hoc amplius

genere

generi appellatione ſponſum quoque filiæ & vt ſoceri, ſponſæ patrem contineri placuit. *l.4. l.5. ꝟ. de teſtib.* C. Herennius (apud Plutarchum in Mario) teſtis citatus dixit, Patronis ex lege non permitti in clientem teſtimonij dictionem: ſed ea neceſſitate patronos ſolutos eſſe. Quod non de iis patronis qui iure noſtro libertis opponuntur, ſed clientibus intelligi oportere, ſubiecta illius inſtituti ratio ſuadet, Herenniorum familiæ ſemper parentes Marij, ac Marium ipſum clientes fuiſſe. Lubet huc & Seruiliæ legis de Patronis dandis caput adiungere, [Qui ex hac lege pecuniam petet, noménque detulerit, cuius eorum ex hac lege ante Cal. Septemb. petitio erit, ſei eis volet ſibi patronos in eam rem dari: Prætor ad quem eius nomen delatum erit, facito vti det. Dum ne quem eorum det .... ſciens dolo malo, quoi eis quem petet, gener, ſocer, vitricus, priuignúſque ſiet, queiue ei ſobrinus ſiet propiúſue eum ea cognatione attingat quoiáue in fide erit, maioréſue in fide erunt.] Apud Feſt. Pomp. fragmentum legis Numæ ſupereſt, [Si parentem puer verberit, aſtoloe ploraſſint, puer diuis parentum ſacer eſto. Si nurus ſacra diuis parentum eſto.] ¶ Quartò pertinet ad eam iuris partem, quæ eſt de debitore non in ſolidum exigendo, ſed quatenus facere poteſt: vt donatore patre, ſocio, patrono, marito πρὸς ἀπορίας, Theophilus *§. vlt. de act.* Recentiores priuilegium vocant [competentiæ,] deducto ære alieno, & ne debitor ſolido ſoluto egeat. *l.12. maritum. cum ll. ſeqq. ſol. mat. l.16. ſunt qui. l.17. patronus. l.20. non tantùm. & 4. ll. ſeq. de re iud.* ¶ Quintò haud ſcio an quod de teſtimonij denunciatione. ꝟ. ex lege Iulia retulimus, num & ad iudiciorum neceſſitatem producere liceat: nempe, vt filius in cauſa patris & contra, non teneatur ſedere iudex in publicis iudiciis: ad ſimiles perſonas, quæ parentum liberorúmque vicem obtinent, pertineat. argumento à contrario ſenſu ducto ex *l. 77. in priuatis. l. ſeq. de iudic.* ¶ Poſtremò in edicto de legatis. Licet ſummo iure cum propoſita contra tabulas querela inofficioſi teſtamentum reſcinditur, legata non debeantur *l. 8. Papinianus ſi. de inoſ. teſt.* Æquitate tamen certis perſonis ex teſtatoris iudicio præſtantur, ſcilicet liberis, parentibus, vxori, nurui dotis nomine. Generaliter parentes & liberos Prætor excepit: nec gradus liberorum parentúmue enumerauit: [In infinitum igitur eis præſtabitur, ac ſine ſexus diſtinctione,] inquit Vlp. *l.1. de leg. præſt.*

LIII. PAVLVS lib. lix. ad Edictum.

SÆPE ita comparatum eſt, vt coniuncta pro diſiunctis accipiantur: & diſiuncta pro coniunctis: Interdum ſoluta pro ſeparatis.

ALCIATVS.

SÆPE ITA CUMPERTVM. *aliàs comparatum.* ¶ Proſequitur eleganter Iuriſconſultus, & declarat, quemadmodum plerunque vna dictio pro alia ponitur, vt coniunctiua pro diſiunctiua: & cùm nulla appoſita eſt, quo caſu oratio dicitur ſoluta, id eſt, neque coniunctim, neque diſiunctim connexa, fieri interpretationem ex ſubiecta materia. Sunt autem coniunctæ dictiones, Et, que, atque, ac: Diſiunctæ, aut, vel, ve, ſeu. Addit diuus Auguſtinus in ea, quam ſcripſit grammatica, voculas, ſine particulas, nec, neque, diſiunctiuas eſſe. *l. ſi ita quis ſtipul. ꝟ. de verb. obl.* quod noſtri non admitterent, coniunctim enim negant: & ideo quamuis alterum non fiat, committitur ſtipulatio. *l. ſi is qui ducenta §. cum ita. de reb. dub.*

Coniuncta pro diſiunctis. ¶ Negari non poteſt, quin regularis coniunctiuæ ſignificatio ſit, vt coniungat, & vtriuſque coniuncti concurſum requirat *l. ſi heredi. de cond. inſt.* quod procedit, niſi ex re ipſa, vel argumēto, de quo agitur, aliud iudicari æquum ſit. Quid enim, ſi repugnantia copulentur? tunc dubium non erit pro diſiuncta accipi: & cùm quis fundum, eiúſque vſumfructum Titio legat. *l. ſi Titio. de vſufr. leg.* Quid, ſi eiuſdem ſignificationis duæ dictiones coniungantur? nam & tum ad diſiunctam, vel potius expoſitiuam ſignificatio trahetur. *l.1. ꝟ. de pact.* Quid, ſi ſecundum hunc ſenſum abſurdum aliquod conſequeretur? vt cùm quis filios & heredes ſubſtituit, *Bar. l. Gallus. §. etiam. de lib. & poſt.* vel filius, & heredibus ſtipulatur. Sed & vbi verba, inter quæ copula additur, ex ſe principaliter, non autem alterius reſpectu, proponuntur, diſiunctim fit interpretatio, vt lege xij. Tabul. cùm dicitur, [Agnatorum gentiliúmque hereditas eſto.] prius enim agnati admittuntur: nam & hoc æquitas ſuadet. Sicut cùm pater filios & nepotes inſtituit. *d. l. Gallus. §.1.* Cæterùm & idem eſt, quoties orationibus ſeparatis coniuncta interſeritur, quæ & ipſæ alicuius ſpeciei reſpectum non habent: vt ſi lege notati infamia dicantur, qui depoſitum abnegauerint, & qui pro ſocio, tutelæ, mandati condemnati ſunt. *l.1. de his qui notan. infam.* & qui calumniæ præuaricationiſque iudicati ſint. Eadem ratione concurſus non fit, cùm duo adiectiua multitudinis numero abſque aliquo ſubſtantiuo proferuntur. *l. ea tamen. de leg.2.* vt, lego empta & parata gratia vxoris: perinde enim eſt, ac ſi dictum eſſet, lego empta, & lego parata. Idémque eſſe arbitror, quoties ea adiectiua ſubſtantiuum reſpiciunt generale, vel indefinitum *l.1. de inſt. & inr.* vt idem ſit, ſiue empta, & parata legantur, ſiue res emptæ, & paratæ: prioris enim legati verba in hæc reſoluuntur. Quapropter cui veſtes emptæ & paratę legantur eas etiam obtinebit, quæ paratæ licet non emptæ ſint. *l. qui concubinam. de leg.3.* Si igitur alicui ſeruos vernas & textores legauero, mihi verius videtur etiam eos deberi, qui ſimpliciter vernæ, vel textores ſint. *d. l. ſi is qui ducenta. §. verum. de reb. dub.* quod Soc. probauit, licet Barr. diſſentiat. Sed & ſi nomina appellatiua coniunctim prolata proponantur, ſi materia odioſa non ſit, putarim hunc concurſum non requiri: vt cùm quis medicis & doctoribus legat: nec enim requiremus eundem & medicum & doctorem eſſe. *Bald. & Iaſ. d. l.1.* Idem in conſtitutione quæ debitores fugitiuos & ceſſantes aliqua pietate proſequatur. *Rom. conſ.104. pater.* quod ſi odioſam quandam ſeueritatem exerceat, non niſi qui idem & ceſſans & fugitiuus ſit, ea coerceri humanius eſt. *Ang. conſ.16. viſis.*

BRECHÆVS.

SÆPE. ¶ De coniunctione & diſiunctione ſatis multa diximus ſuprà, *in l. alienationis verbo. §. oratio. & l. ſeq.* ita quidem vt neceſſarium minimè fuerit hoc loco idem recantare. Vide etiam *in l. inter eos. ff. de fideiuſſorib.* vbi alia eſt copulatiuæ, alia item diſiunctiuæ poteſtas.

FORNERIVS.

SÆPE. ¶ Diſſerendi leges vſu iuris perpetuò non ſeruari, coniunctam orationem pro diſiuncta; pro coniuncta diſiunctam accipi, Paulus prolatis vtriuſque formulæ exemplis probat. In contrarium per manus tradita regula nititur: In copulata vtrumque, in coniuncta alterum requiri. *l. 5. de cond. inſtit. l. 110. in eo. §. vbi. & int. ſeq.* Ad veritatem copulatæ orationis ſingulas ipſius parteis veras eſſe oportere: atque omnium concurſum deſiderari. *l. 45. quod vulgò. de man. teſtam. l. 70. ſi à reo. de fideiuſſ. §. pen. de her. inſtit.* In alternatione ſeu ἐναμφοτερισμῷ, illud aut illud (*l. 7. prætor, de iniur. l. 34. ſi in emptione. §. ſi emptio. de contr. empt.*) non vtrumque, ſed alteralterum inhærere. *l. 11. plerunque. de iur. dot. l. 13. cum quærebatur. iudic. ſol. c. in alternatiuis, de reg. 6.* Itaque actor qui vtrunque petit, cauſa plus petit: *§. huic. de act.* iudex reum in vtrunque damnans, malè iudicat. *l. 6. de re iud.* debitor vtrunque ſoluens, vtriuſlibet condictionem habet. *l. pen. C. de cond. ind.* Diſiunctim conditionibus pluribus adſcriptis, alteram defeciſſe non oberit, altera vel poſteà impleta. *l. 78. cum pupillus. de cond. & dem.*

NAM cùm dicitur apud veteres, [agnatorum gentiliúmque] pro ſeparatione accipitur.

ALCIATVS.

AGNATORVM. ¶ Verba ſunt legis xij. Tab. quorum mentio eſt *in lib. Rhetor. ad Heren. 1.* [Si paterfam. inteſtatus moritur, familia pecuniáque eius agnatorum gentiliúmque eſto. *& rurſus:* Si furioſus exiſtat, agnatorum gentiliúmque in eo, pecuniáque eius poteſtas eſto.] Sunt autem gentiles, quos vulgò vocamus, eiuſdem parentelę. Eos etiam ita in Topicis Cicero definit: Gentiles ſunt, qui eodem inter ſe nomine ſunt, qui ab ingenuis oriundi ſunt: quorum maiorum nemo ſeruitutem ſeruiuit: nam ſine dubio latior gentis, quàm familię eſt ſignificatio. Sueto. *in Nerone:* Ex gente Domitia duæ familiæ claruerunt. Et rurſus in Cæſare: Cuius gentis familia eſt noſtra. Igitur gentis nomen agnatos, & cognatos continet. Vnde cùm priùs agnatorum mentio facta ſit, ſequitur vt de cognatis ſub gentilium appellatione accipiamus: quam interpretationem Accurſ. probat. Alij gentiles clarioris familiæ agnatos exiſtimant, quam interpretationem in lege xij. Tabul. propter Ciceronis definitionem probauerim: poſteà enim etiam qui à ſeruis oriundi erant, gentiles dicti ſunt. Plin. *lib. 33.* Singuli Marcipores, Luciporéſve dominorum gentiles victum in promiſcuo habebant.

BRECHÆVS.

AGNATORVM GENTILIVMQVE. ¶ Separata ſunt hæc verba, agnatorum gentiliúmque: tametſi videantur coniuncta propter encliticam dictionem. Differunt nanque inter ſe gentilitas & agnatio. Hoc enim obſcurorum & plebeiorum eſt: illud verò ingenuorum ac nobilium: ſicut ex Cicerone *in Topic.* docemur, vbi de diffinitione loquitur, his verbis. Gentiles ſunt qui inter ſe eodem nomine ſunt. Non eſt ſatis. Qui ab ingenuis oriundi ſunt. Ne id quidem ſatis eſt. Quorum maiorum nemo ſeruitutem ſeruiuit. Abeſt etiam nunc, qui capite non ſunt diminuti. Scæuolam pontificem ita definiſſe, teſtatur Cicero. Quem locum Boëthius enarrans, gentiles (ait) ſunt qui eodem ſunt inter ſe nomine: vt Bruti & Scipiones. Quòd ſi ſerui ſunt, nulla gentilitas eſſe poteſt: quoniam ab antiquitate ingenuorum gentilitas dicitur. Triplex ſiquidem fuit apud antiquos ius cognationis: videlicet, agnatio, gens, ſtirps. Adgnatio eorum erat qui virilis ſexus cognatione iungerentur. *Inſtit. tit. de legit. agnat. tute. §. ſunt autem.* Dicũtur & adgnati legitimi authore Theophilo, ac ſi Græcè dicas, τοὺς νομίμους, quòd lege xij. Tabul. & iure ciuili habeantur. Stirps, ius omne cognationis generaliter complectebatur: ac ius ſtirpis quàm gentilitatis latius patuit. Veruntamen in Pandectis vtrunque ius ſtirpis & gentilitatis confunditur in ius ipſum agnationis. Sed Cicero *lib. 1. de Oratore* commonſtrat latam fuiſſe differentiam: videlicet ius patriciorum in gente eſſe poſitum: plebeiorum autem, in ſtirpe: vbi cùm inter vtranque Claudiorum familiam, alteram quidem patriciam, alteram verò plebeiam Metellorum, vt Suetonius tradit, ageretur de hereditate Marcelli, Claudij patricij hereditatem ad ſe gente rediiſſe contendebant, Plebeij ab liberti filio ſtirpe ad ſe pertinere dicebant. Iura itaque ſanguinis gentem non pertingere, ſed ſtirpem, in profeſſo eſt: ac quoties de ſtirpe ſeu genere, & de gente quæſtio fit, teſtimonio eſſe opus Papinianus reſpondit. *l. 1. ff. de probat.* Gentilis à Græcis, ὁ ἐθνικὸς dicitur, καὶ ἐθνιστὴς qui eiuſdem gentis eſſe aſſeritur. Sed & τὸ ἔθνος Ariſtoteles *in primo τῶν μετὰ τὰ φυσικά* poſuit pro ordine & ſocietate, & genere hominum ſeu natione, ſicut etiam annotauit Budæus *in Commentariis linguæ Græcæ.* Vnde fit vt Gręcorum imitatione, gentem pro eodem ſignificato vſurpemus. Sed propriè gentiles (vt diximus) ſunt quorum nunquam maiores ſeruitutem ſeruierunt. Qua ratione, noſtrates lingua vernacula, non temere (inquit Budęus *in annota.*) gentiles homines vocant eos qui ab ortu nobiles ſunt & ex natiuitate, quaſi ingenuos (ait) ab origine gentis videlicet ab abſcripticiis & conditione quadam obnoxiis diſtinguere volentes eos, qui ob id eadem noſtrate & vernacula lingua dicuntur Villani: quòd villæ (vnde villici dicti) aſcripti & colonariæ conditioni addicti aut ipſi ſunt, aut eorum maiores fuerint. Quare Gentiles ab eis diſtingui palàm eſt, qui ingenuitatem intactam illibatámque non habent, ſed aliqua conditione obnoxiam: eiuſmodi ſunt plebeij omnes, qui ipſi, maioréſve eorum ſeruitutem aliquam ſeruierunt. Eò igitur pertinet quòd Pomponius *lib. 5. ad Senatuſconſ.*

tradit

tradit vrbanam familiam non loco,ſed genere diſtingui.*l.vrbana familia.§.eodem*.Non enim quicunque rus & villas habitant,Villanos proinde & ruſticos aut ignobiles appellari par eſt,vt Iaſoni videtur *in §.item Seruiana.inſtit.de actio.* (videmus oanqne vt plurimum Nobiles noſtros illuc perpetuò habitare) ſed qui cultui agrorum ſeruiunt , & villas colendas conduxerunt , reique ruſticæ omnino dant operam.De hac re nonnihil tradidit do.And.Tiraquellus *in lib.de nobilit.a.cap.2.num.50.*Præterea ſcribit Cicero *in Timæo*,homines Deorum immortalium gẽtiles eſſe:in quibus qui talea creantur, vt Deorum immortalium quaſi gentiles eſſe debeant.diuini generis appellẽtor:teneántque omnium animantium principatum. Fuit (inquit Alciatus) & alia gentilium in iure interpretatio,videlicet,vt quemlibet ſignificet qui Romano imperio non ſubiiciatur, perinde ac ſi dicas,barbarum : quia iure gentium non autem ciuili agat.videto latius in hanc rem eundem Alciatum.*lib.1.parerg.cap.13.*

Fornerivs.

NAm cvm dicitvr. ¶ Dictio (que) pro ſeparatione accipitur, vt in illa ſtipulatione, [Mihi heredique meo,te heredémque tuum.] *l.29.coniunctionem.§.h.t.& legis xij.Tab.capite,que furioſi cuſtodia propinquis mandabatur,* [Si furioſus exiſtat,in eo pecuniáq; eius agnaturum gentiliúmque poteſtas eſto.] M.Cicero *de inuentione lib.11.Tuſculanar.quæ.4.* Alludit Varro *lib.1.de re ruſtica.cap.11.* [Qui ſalubrem locum negligit mente captus eſt, atque ad agnatos & gentileis deducendus.] Alioqui ſi quid dediſſent damni,ab iis qui neglexiſſent,ſarciebatur. Sicut ouis,ſi malè habeat, crimẽ in paſtorem reiicimus : & equus ſi noxam inferat,equitem accuſamus.Xenophon *Oeconomic.*ſic facinoris a furioſo perpetrati culpam in propinquos,qui minus diligẽter domi aſſeruaſſent,cõfert Plato, præcipitque,ne vagetur,néve per vrbem conſpiciatur, ſed à ſuis diligenter adſeruetur *lib.12.de legib.* *Μαινόμενος δὲ ἄν τις ᾖ, μὴ φανερὸς ἔστω κατὰ πόλιν. οἱ προσήκοντες δ᾽ ἑκάστων τῆς οἰκίας φυλαττόντων αὐτούς, ὅτῳ ἂν ἐπιστῶνται τρόπῳ, ἢ ζημίαν ἐκτινόντων* &c. Idem propè *l.13.congruit.l.14.diuus.§.de offic.praeſid.l.pen.ad leg.Pomp.de parricid.l.vlt.de venat.* [Agnatorum gentiliúmque.] ¶M.Varro *de ling.lat.lib.7.* [Vt in hominibus quædam ſunt cognationes & gentilitates,ſic etiam in verbis.] Ea quo intelligitur,ſtirpem ac gentem a cognatione ſeparari : Agnati ſunt eodem ſanguine procreati ſed proximiores : Gentiles eodem inter ſe nomine, & ab eadem ſtirpe orti. Hereditates autem, ſuis, conſanguineis,agnatis,& cognatis legibus deferuntur.*l.vlt.de gradib.l.1.l.2.de ſuis & legit.her.tit.de legit.agnat.ſucceſſ.& titul.de ſucceſſ.cog.* Vlpianus *fragm.tit.26.* Sublata etiam hodie agnationis & cognationis iu ſuccedendo differentia.*l.pen.C.de leg.her.Nouell.112.de qua l.195.pronuntiatio.§.h.t.*Quod ad gẽtileis attinet,quoniam ſunt remotiores,nec ex eadem familia , via eſt, vt cum de naturali ſucceſſione quæritur , ſeptimum gradum excedant cognatorum iura.*l.4.de gradib.* Quamquam olim ad hereditatea vocatos conſtet, Cicero *lib.1.de oratore,* [Eiuſdem hominis hereditatem ad ſe rediiſſe gente dicerent.] Plinius *Panegyrice ad Traianum*, de hereditatum vigeſima : [Tributum tolerabile & facile heredibus duntaxat extraneis,domeſticis graue:itaque illis irrogatum eſt,his remiſſum. Videlicet,quod manifeſtum erat, quanto cum dolore laturi,ſeu potiùs non laturi homines eſſent,deſtringi aliquid & abradi de bonis, quæ ſanguine,gentilitate, ſacrorum denique ſocietate meruiſſent.] Sed ſucceſſionis iccircò ſeptem tantùm gradus conſtituti ſunt,*d.l.4.*quia vlteriùs per rerum naturam,nec nomina inueniri, nec vita ſuccedentibus prorogari poteſt:inquit Paulus *lib.4.ſententiar.tit.11.ſi.* [Pro ſeparatione accip.] ¶ *Que* pro *Aut*.& apud Harmenopulum *lib.1.tit.4.* & pro *vel* ſumptum τὸ ΚΑΙ, ἀντὶ τοῦ ΗΤΟΙ *λαμβανόμενον*. Vſitata veteribus harum vocum viciſſitudo, minus obſeruata aliquando errorem obiecit, rectæque ſcripturæ corrigendæ occaſionem præbuit. Vt in *l.21.ſi dies,quand.dies leg.ced.* Florentiæ,(*aut dies,*) vulgò,(&) vtrumque iu idem recidit. Apud Plinium *lib.18.cap.3.* [Frugem quidem aratro quæſitam furtim nocte pauiſſe , ac ſecuiſſe puberi xij.Tabulis capitale erat.] Fruſtrà doctus vir conatur *Ac* in *Aut* immutare.Quid,quòd ne Græci quidem Oratores,Philoſophi, Poetæ ab iſto dicendi genere abſtinuerunt? Vlpianus interpres Demoſthenis in Leptinianæ rogationis verſu, quo & infamia & bonorum publicatio irrogabatur, vſurpatam coniunctionem pro alternatione docet, *ἄτιμος* &c.ὁ (καὶ) *συνδεσμος, ἀντὶ τοῦ (ἢ) διαζευκτικοῦ κεῖται ἵνα ᾖ ἄτιμος, ἢ οὐσία.* Simplicius hoc *ex lib.4.Ariſtotelis Phyſicen* enarrans,*πάντα τὸν ἔχειν τὸ ἄνω, καὶ τὸ κάτω.*id eſt,cum nullum in locum contraria hæc duo (ſurſum,ac deorſum)pariter concurrant,neceſſariò colligit,coniunctionem pro diſiunctione vſurpatam.*Ἀδύνατον τὸ συνδραμεῖν εἰς ταὐτὸν τὰ ἀντικείμενα. ἀλλ᾽ ὁ τοῦ (καὶ) συνδεσμος συμπλεκτικοῦ ὄντι ἀντὶ διαζευκτικοῦ τοῦ (ἢ) ἐχρήσατο. ἵν᾽ ᾖ λέγων. πάντα τόπον ἔχειν τὸ ἄνω, ἢ τὸ κάτω.* id eſt omnem locum habere, aut ſuprà, aut infrà. Idque potiſſimùm vitandi abſurdi cauſa fieri ſolet, vt nõ tam ſermonis proprietas, quàm idonei ſenſus,aut recta iuris ratio attendatur, vt in fundo, ac eiuſdem vſufructu legato, legatarius vtrum malet,petet.*l.10.ſi Titio.de vſufr.leg.*

AT cum dicitur, [ſuper pecuniæ tutelæúe ſuæ,] tutor ſeparatim ſine pecunia dari non poteſt. Et cum dicimus, [Quod dedi aut donaui,] vtraque continetur.

Alciatvs.

AT cvm dicitvr. ¶ Diſiunctiuæ dictiones ſunt,aut,vel,ve,ſeu,ſiue : in his regula eſt,vt non vtrunque diſiunctum, ſed alterum tantummodo requirant:quæ tamen plerunque non obſeruantur,vt cùm alterum ſine altero eſſe nequit:veluti in lege,qua iuberet tutorem ſuper pecunia,tutelâve pupilli dari:cùm enim pupilli cuſtodiæ tutor datur, conſequenter etiam rebus datur, curáque pecuniæ pars adminiſtrationis ipſius tutelæ eſt : nam & cùm inter genus & ſpeciem diſiuncta ponitur, plerunque in coniunctam tranſit, *l. Quintus Lutius de aur.& arg.leg.*Sed & ſi Titium,vel Seium

inſtitue

inſtituero, vel tutores conſtituero, vel legatum fideive commiſſum illis dedero, cõiunctim huiuſmodi diſpoſitio accipietur, *l.pen.C.eodem.* ne propter perſonæ incertitudinem reddetur inutilis quod & generaliter admittendum eſt, quoties vel ex vi verborum, vel ex aliis legibus, vel ex præſumpte loquentis mente hoc infertur. ¶ Primi caſus exemplum eſt in dictione Seu, *l.ſi quis ita. de aur.leg.* quæ ampliandi vim habet: quepropter ſi quis donet pecuniam, quam Peruſij, ſeu Parauij habet, vtranque donaſſe intelligitur. idem enim eſt, ac ſi pecuniam, quam Peruſij, vel etiam Parauij habet, donaſſe ſe dixiſſet: quoniam diſiunctiua hæc duplex, ſubdiſiunctiuæ, coniunctæque ſimul vim habet. *l.2.ad leg. Aquil.* ¶ Secundi exemplum in lege Aquilia accipitur, cùm in ea punitur, qui quadrupedem, vel pecudem iniuria occiderit: declaratur enim alibi quadrupedem, id eſt, pecudem intelligi debere, vt diſiuncta pro expoſitiua ſcripta ſit. At cùm quis ita ſubſtituit, Si filius meus, aut filia heres nõ erit, Seius eſto: clarum eſt ex mente teſtatoris diſiunctam pro coniuncta accipi, *d.l.ſi is qui.§.fin.* ne cùm alter filiorum cõcurrat extraneus. Idémque in ea ſubſtitutione, ſi filius meus inteſtatus, vel ſine liberis deceſſerit, *l.generaliter.C.de inſtit.* non enim veriſimile eſt, voluiſſe teſtatorem nepotes ſuos excludere, quia filius teſtatus non ſit.

FORNERIVS.

AT CVM DICITVR. ¶ In his duobus exemplis contrà accidit, Ve, Aut, pro coniunctis accipiuntur: vt & in illa teſtamenti clauſula, [ille aut illa mihi heres eſto. illi aut illi do lego, ille aut ille tutor eſto.] vterque heres, legatarius, tutor, non alteruter ſcriptus intelligitur. *l.pen.C.de verb. ſign.* Quamquam pluſculum in extremo exemplo dubitationis ineſſet, quòd datio tutoris incertitudine vitietur. *l.20.tutor.l.30.duo.de teſtam.tut.* Sed & ex hac ſubſtitutionis formula, [Si filius ſine liberis, & inteſtatus moriatur,] tum demùm ſubſtitutus ſi vtrunque horum acciderit, admittetur. *l.6.C.de inſt.& ſubſt.* nec enim inſita cuique in ſuos propenſio, interpretationem verborum ſubtilitate nitam ferret, qua liberis heres extraneus coniungatur. *arg.l.102.cum avus.de cond.& dem.l.30.cum acutiſſimi. C.de fideicom.l.vlt.§.de bon.damn.* [Si mihi filius aut filia heres non erit, Seius heres eſto,] alterutro tantùm moriente, Seius non vocetur, ſed vtroque. *l.23.ſi is qui fin.de reb.dub.* [Vxori meæ mundum, ornamenta, ſeu quæ eius cauſa paraui, do lego:] omnia deberi, hoc verbum SEV ampliandi legati gratia adpoſitum Paulus ait *l.30.ſi quis ita.de aur.& arg.leg.* Simplicius in eum Ariſtotelis quem ſuperiùs protuli locum, idem vſurpaſſe Homerum notat, ὥσπερ ὅμηρος τῷ ἦτε ... λέγων, ἢ νέος ἠὲ παλαιός. ἀντὶ τοῦ νέος καὶ παλαιός. Vel nouus, vel vetus: pro & nouus, & vetus. Sed vt ad noſtros redeam, Rectè monet Accurſius *ad l.27.ſin autem.de rei vindic.* [vel tempus dandum, vel cauendum eſt de poſſeſſione reſtituenda,] diſiunctiuam, Vel, in coniunctionem Et, reſoluendam. Vtrumque enim pariter deſiderari: & tempus indulgeri, & interim caueri, litis æſtimationem perſolui: ſi minus res intra conceſſum tempus reſtituatur. Interdictum quod vi aut clam, ſi vi & clam factum ſit, ſufficit. *l.1.§.is qui.verſ.ſed interdum.quod vi aut clam.* Contrà in interdicto de itinere actúque priuato, actorem ſi vel iter vel actum non vtrumque in vſu habuiſſe probare ſufficiet. *l.1.de itin.act.priu.* Sed vix vllum magis idoneum occurrat exemplum, quàm de quo Caius. [In fraudem creditorum manumittere videtur, (inquit) qui vel iam eo tempore, quo manumittit, ſoluendo non eſt, vel datis libertatibus deſiturus eſt ſoluendo eſſe.] *l.10.qui & à quib.manum.* Vbi negationem deſiderari (non videtur) certè geminatum Vel, non diſiunctionis (vt ſolet) ſed coniunctionis vim obtinere fateamur neceſſe eſt. *ex l.ſeq.l.10. aut, de iis quæ in fraud.cred.l.80. fraudis. de reg.iur.* [Super pecuniæ tutelaue.] ¶ Duriuſculum, quamuis antiquis & à Florentino propagatis exemplaribus expreſſum dicendi genus: quale & illud, [eiuſdem legis pœnæ afficitur.] *l.3.§.ad leg.Corn.de ſicar.* pro pœna. Quod qui probent, genitiuum pro ſexto caſu veteribus vſurpatum defendunt. Sunt qui repudient, itaque malint, [Super pecuniæ tutelâve ſui heredis.] Ego verò eum verſum conflatu notarum compendio ſcriptarum mendo laborare, ac τὸ SVPER ex ſimilitudine τοῦ SVÆ R. id eſt *Suæ rei* ſurrepſiſſe ſuſpicor. Legem xij. Tab. his verbis cõceptam [Vti quiſq; legaſſit rei ſuæ ita ius eſto] Theophilus auctor eſt *tit. de leg. Falcid.* & Pomponius *l.120. verbis.§.h.tit.* [Dedi aut donaui.] ¶ Vel dedi legaui: vt Remigij epiſcopi Remenſis teſtamento, [In omni ſubſtantia mea, præter id quod vnicuique donando legauero, darive iuſſero.] Hæc etiam ſolute dare, legare, ire, agere: dare, facere: empti, venditi: locati conducti, detracta copula in archetypo Florentino ſcribi aſſeritur.

CVM verò dicimus, [Quod eum dare facere oportet,] quoduis eorum ſufficit probare. Cum verò Prætor dicit, [Si donum munus, operas redemerit,] ſi omnia impoſita ſunt, certum eſt omnia redimenda eſſe. Ex re ergo pro coniunctis habentur: ſi quædam impoſita ſunt, cætera non deſiderabuntur.

ALCIATVS.

CVM VERÒ DICIMVS. ¶ Soluta pro ſeparatis poni præter regulam eſſe oſtendit dictio Interdum, cuius natura eſt de frequentioribus caſibus excipere: niſi ergo ex ſubiecta materia aliud appareat, ipſe arbitror ſolutam orationem in coniunctam magis quàm diſiunctam inferre. Vnde cùm verba tunc coniuncta dicantur, alterutrum fieri non ſufficiet. *l.in ea.§.ſtib.j.ſubl.t.* licet alij aliter, etiam crebriore calculo. Contra quos etiam eſt veterum Rhetorum ſententia, qui διάλυσιν, id eſt, diſſolutionem vocant, quam Iuriſconſultus hic ſolutam dicit: eam ſic Cicero definiuit: Diſſolutio eſt quæ coniunctionibus verborum è medio ſublatis, partibus ſeparatis effertur hoc modo: Gere morem parenti, pare cognatis, obſequere amicis, obtempera legibus. Item: Deſcende in integram defenſionem.

nolē

noli quicquam recuſare, da ſeruos in quæſtiones, ſtude verum inuenire. Quod loquendi genus & acrimoniam habet, & vehementiſſimum eſt, & ad breuitatem accommodatum. Hæc ille. ¶ Cæterùm dubium non eſt, in quibus caſibus diſiuncta impropriè accipitur, vt coniungat, multò magis ſolutam coniungere. & rurſus: quoties coniuncta diſiungit, & ſolutam diſiungere: videtur enim huiuſmodi ſoluta oratio ambigua eſſe, quæ in alterutram ſignificationem commodè verti poteſt. Sanè in huiuſmodi oratione illud propriè procedit, quod quandoque Accurſius dicit punctum loco copulæ eſſe.

Si donum munus. ¶ Edixerat prætor. *l. Iulianus. §. de bo. lib.* ſi donum, munus, operas à patrono impoſitas libertus redemiſſet, aduerſus eius tabulas bonorum poſſeſſionem patrono non daturum. Pone ergo ſolùm donum fuiſſe impoſitum, vt libertus poſſit liberè teſtari, illud debebit redimere: non autem deſideratur, vt etiam non impoſita redimat. quòd ſi munus quoque & operas impoſuerit, etiam hæc redimenda ſunt.

FORNERIVS.

CVM VERÒ DICIMVS. ¶ Tertij generis oratio, quæ neque coniunctionis, neque diſiunctionis figura diſtinguitur, ſed ſoluta vel ea mente auctoris interpretationem mutuatur. *l. 28. alienationis §. ſi. h. t.* vel ex ſubiecto argumento: *hic verſ. Ex re.* id eſt ex circunſtantiis, & ſubiecti negotij qualitate. *l. 1. § Annus. §. ad leg. Corn. de ficar.* Nam illa clauſula *Dare facere*, altero contenta eſt, in ſequenti verò omnia coniunctim deſiderantur. [Donum, munus, operas.] ¶ Huius formulæ ratio eſt ex antiqui iuris fonte penitus eruenda. Quo viuus libertus donare benemerentibus amicis poteſt: Legare verò nec benemerentibus amicis poteſt: patroni portionem (*dimidiam ſcilicet*, Vlpian. *fragm. tit. vlt.*) minuendo. *l. 9. viuus. §. ſi quid in fraud. patr.* Quinctilian. *declam. vlt.* [Seruitutem ſibi manumiſſus imponit? Huic debeo munus, operas, teſtamentum.] Libertis operæ, donum, munus, pro libertate imponebantur: iureiurando a manumiſſione interpoſito, ne onerandæ libertatis cauſà id factum videretur. *l. 7. ſicut. de op. lib. l. 1. quar. rer. act. l. vlt. de lib. cauſ.* Aliquando liberti operarum obligatione dimittebantur, redimendo eiuſmodi impoſita, liberam teſtamenti factionem conſequuti. *l. 41. libertus. de oper. lib.* ita vt non poſſent à patronis tabulæ querelà impugnari. *l. 4. C. de oper. libert.* ſicut cum parens pecuniam à filio, ne iudicia eius inquietet, accipit. *l. 1. §. ſi à parent. quis manumiſſ.* Ita ſi patronus libertatis cauſà impoſita reuendiderit, contra tabulas teſtamenti, bonorum poſſeſſione excluditur, quoties donum, munus, operas remiſerit. *l. 37. Iulianus. 2. de bon. libert.* [Si omnia impoſita ſunt. ¶ Tot enim ſtipulationes, quot res: vt huiuſmodi formula [annua bima trima die id argentum quoque die dari? tres inſunt trium ſummarum ſtipulationes. *l. pen. de verb. oblig.*

§. j. ITEM dubitatum, illa verba [Ope, conſilio,] quemadmodum accipienda ſunt: ſententiæ coniungentium, aut ſeparantium. Sed verius eſt, quod & Labeo ait, ſeparatim accipienda: quia aliud factum eſt eius qui ope, aliud eius qui conſilio furtum facit. Sic enim alij condici poteſt, alij nō poteſt. & ſanè poſt veterum auctoritatem eo peruentum eſt, vt nemo ope videatur feciſſe, niſi & conſilium malignum habuerit: nec conſilium habuiſſe noceat, niſi & factum ſecutum fuerit.

ALCIATVS.

ITEM DVBITATVM. ¶ Eum, cuius ope, conſilio furtum factum ſit, furti teneri lex ait: vnde dubitatum eſt, an coniunctim hæc verba accipi deberent an ſeparatim: variaueruntque in hoc antiquorum ſententiæ: ſed Labeo eos, qui ſeparatim accipienda dicerunt, probauit, quòd aliud ſit conſilio, aliud ope furtum fieri. Vnde, qui ſolam opem adhibet, furti tenetur: tametſi ipſe nō conſuluerit furtum fieri debere: quod vt verum ſit, defendi tamen & illi poſſunt, qui coniunctim accepêre: quoniam non ſat ſit opem præſtare, niſi eo conſilio, id eſt, animo præſtetur, vt furtum fiat. Si ergo conſilium pro ſuaſione accipiamus, ſoluta illa oratio diſiunctiuè. ſi pro doloſa adiuuantis intentione, coniunctim intelligetur. Et hic verus eſt huius reſponſi ſenſus, quem nec Accurſ. nec cæteri ſatis percepêre.

Alij condici. ¶ Scilicet ei, qui opem tulerit: quod tunc procedit cum ad eum res peruenit, vel cùm fur ſoluendo non eſt. *l. peculium. §. ſi opem. de pecul.* ipſe enim in ſubſidium tenetur, alioquin nec contra eum, qui opem præſtitit, furtiua condictio competit: atque ita vulgò dicitur. *l. proinde. de cond. fur.*

Non poteſt. ¶ Scilicet ei, qui conſuluit quando alias furtum facturus quis erat. *l. non ſolùm. verſ. Attilicinus. de iniu.* atque ita Accurſius ſenſit, & plerique ſequuti ſunt. *c. 1. de inoffi. deleg.* In dubio tamen contra conſultorem præſumemus, eum videlicet cauſam delicto præſtitiſſe: nec enim poſtquam quis omnino furari conſtituit, ſolet conſilium petere, ſed cùm adhuc dubius eſt. Quapropter, qui conſilium dediſſe probatus fuerit, furti condemnabitur, niſi ipſe oſtendat, etiam ſi non conſuluiſſet, nihilominus furem idem fuiſſe facturum. *Ang. l. furis. §. ope. de fur.* nam tunc leniore pœna arbitrio iudicis, ex communi ſententia adficietur. *ca. ſicut dignum. §. quia verò. de homic.* vt meritò antiquum carmen celebretur. Malum conſilium conſultori peſſimum.

Conſilium malignum. ¶ Id intellige, vt ſi criminaliter agatur, lata culpa non idem valeat, quod dolus. *l. lege Corneli. de ſica.* quòd ſi ciuiliter, cùm in cauſa furti, qui condemnatus eſt, ipſo iure notetur infamia, *l. 1. de iis qui not. inf.* videtur tunc latam culpam ſufficere: qua de re alibi latiùs diſſeritur. *l. in actionibus. de in lit. iurando.*

Secutum. ¶ In ſimplici conſilio, cogitationéque vera Iuriſconſultus prodit, quòd ſi vltra conſilium conatus

conatus aliquis interuenerit.*l.is qui cum.C.de ſicar.*in atrocibus delictis regula eſt pœnam irrogari.*l.ſi quis non.C.de epiſc.& cler.*in leuibus non irrogari.*l.1.quod quiſque iur.*Qua ratione ſi etiam de atroci crimine ciuiliter agatur.*Bald.l.ſi conſtiterit.C.fin.regund.* conatus ſine effectu non punitur,idémq; eſt,quoties delictum nihil nocuiſſet:vt cùm quis falſum committit, quod alicui damnum inferre nõ poteſt.*l.damus.C.de fal.* Idémque ſi ante delictum quis ſponte pœnitentia ductus deſtiterit. *l.qui ea.de furt.* Cæterùm & in hac re in primis legis verba penſitanda ſunt: nam ſi actum perfectum verba reſpiciunt,qui nondum perfecit,non tenetur:vt cùm infligitur pœna,ſi quis appellauerit:actus enim conſummatio per verbum præteriti temporis denotatur.*Card.in.c.preterea.de appel.* aliud eſt in futuru ſi appellabit. *Ioan.And.c.perpetuò.de elect.in 6.* Sed & vbi ipſo iure pœna irrogatur, perfectum oportet fuiſſe crimen.*Bart.l.1.de ſicar.* quod & in legibus municipalibus obſeruatur, quia interpretationem extra verborum vim non recipiunt. Aliud autem eſt crimen,aliud conatus: hic in itinere,illud in meta eſt.

FORNERIVS.

ITEM DVBITATVM. ¶ Meritò hæc verba[ope conſilio]dubitationem afferebant.Quæ quamuis ſoluta ſint,ſeparatim accipiuntur in actione furti:cuius hæc aſſidua formula ferè fuit.[Aio furtum ope conſilio tuo factum.] vt ex Cicer.*lib.3.de Finib.* colligere licet. *l.vn.furt. aduerſ. naut. l.11. Neratius.de ſeru.corrupt.*vel[ope conſilióque.]*l.vlt.C.de nox.act.*Aliud enim eſt factum eius,cuius ope,ac cuius conſilio furtum factum eſſe arguetur.Hoc minus,illud maius.*l.50.in furto.de furt.*Conſilium dare videtur,qui perſuadet & impellit,qui auctor audendi eſt, vt cum ſeruum inſtruit ad furandum,ſollicitator etiam ſerui corrupti actione tenetur.*d.l.11.Neratius.l.antep.C.de furt.* Vel cum ſubiicitur inops,cui tanquam locupleti pecuniam crederem,vt impoſtor eam cum debitore diuideret.*l.52.ſi quis vxori.de furt.* Conſilij fraudulenti obligatione tenebitur. *l. 47. conſilij.de reg.iur.l.1.ſi menſor falſ.mod.dix.l.2.de proxenet.* Athenis βουλεύσεως ἔγκλημα. Opem verò tuliſſe videtur, qui miniſterium, adiutorium,ſurripientibus,qui ſcalas admouet,latebras præbet:ſe comitem adiungit. *d.l.50.in furto.* [Niſi & conſilium malignum habuerit.] ¶ Rectè hoc in furto: quod neque verbo,neque ſcriptura, citra contrectationem fit:& opem ferre,& conſilium dare tunc nocet,cùm conſecuta eſt contrectatio.*d.l.52. ſi quis vxori.* At in aliis atrocioribus admiſſis vel ſcelerati conſilij pœna conſtituitur. *l. 10. maieſtatis.ſ.ad leg.Iul.maieſt.* Paulus *lib.5.ſent.tit.29* lege Iulia maieſtatis tenetur is. [Cuius ope conſilio aduerſus imperatorem vel remp.arma mota ſunt.] In ipſa enim deliberatione facinus ineſt, etiam ſi ad id non perueniatur. Sed huius quæſtionis tractationem in *l. 225. fugitiuus. ſ. hoc tit.* conſultò reiiciam.

LIIII. VLPIANVS lib. lxij. ad Edictum.

CONDITIONALES creditores dicuntur, & hi quibus nondum competit actio, eſt autem competitura: vel qui ſpem habent, vt competat.

ALCIATVS.

CONDITIONALES. ¶ Creditor cui ſub conditione debetur, interim propriè creditor non eſt, cùm ab inuito extorquere nihil poſſit: ſed poſt euentum conditionis verè eſt creditor. quæ conditio cùm in cõtractibus retrò trahatur,cenſetur vſque a principio creditor fuiſſe.*l.is cui.de act. & oblig.* Et ideo diſpoſitio quæ generaliter de debitoribus verba faciat, in dubio de eis quoque intelligetur, qui ſub conditione debuerunt. Quapropter cùm teſtator heredi mandaſſet, vt omnia debita Titij diſſolueret. *l.1.ſi ſtipulatus fuerim.§.1.de verb.oblig.* reſpondere plerique etiam ad dotem, quam ſoluto matrimonio vxori ſuæ Titius reſtituere omnino debebit,obligari. Nam & ſi conſtitutum ſit, vt re venali proſcripta, teneantur qui ius habent, illud in ſcriptis intra certum terminum exhibere.alias ea res emptori euinci non poſſit. *Raph.Iaſ.d.§.1.*cenſuerunt veteres ius quod ſub conditione competere poteſt, in profeſſionem redigendum: non enim huiuſmodi legis verba magis ad præſens,quam ad futurum tempus referuntur. Accedit his,quòd fideiuſſor ſub conditione,ſi principalis non ſoluerit,promiſiſſe videtur,tamen dubium non eſt,quin debitor ſit.*Bart.l.1.ſi cert.pet.*

Competitura. ¶ Vt quia promiſſum ſit,cùm morietur:certum enim eſt hanc conditionem aliquando euenturam. Vera tamen conditio illa eſt,quæ omnino eſt incerta,ante cuius euentum non oritur nec obligatio,nec actio,vt ſ.attingemus.*l.cedere.*

Vel qui ſpem. ¶ Videtur hîc probari,ſi ſpes nulla ſubſit,quòd cõditio eueniat,creditoris locu non eſſe:ſicut nec illud pignus videtur,quod veriſimile eſt fore,vt nunquam luatur,quod Bartolus ſenſit. *l.in quorum.de pignor.* Sanè ſpes in iure variis modis accipitur: alia enim eſt,quam vigilantium ſomnium Plato appellat,nos remotam dicimus:vt cùm agnatus agnato ſucceſſurum ſe opinatur: & hæc nullius effectus eſt: alia eſt paulò propinquior, vt quam filius in hereditate patris concepit: & huius quandoque propter naturale votum parentum ratio habetur.*l.nec ei.§.preterea.de adoptionib.*alia eſt, quæ ex præſenti iure nititur,ſempérque in conſideratione eſt:vt in eo,qui per fideicommiſſum alicui ſubſtitutus eſt: niſi enim huiuſmodi ſpes probabilis eſſet, ei per cautionem fideicommiſſi nomine prætor non ſuccurreret.*l.de ſtatulib.* Idem in eo,qui eſt ſtatuliber,& præſentem ſpem habet, vt quia hereditas adita ſit:quod & in contractu conditionali obſeruamus. Vnde illa clauſula,qua in contractibus ſolemus dicere, nos remittere omne ius, quod habemus, vel habere ſperamus, ad ius ſolùm præſens trahitur: vel ad futurum, quod tamen ex cauſa præſenti habere ſperamus, vt Bartolus ſcripſit.*l.poſt emancipationem.§.fin.de lib.legat.*

Brechævs.

Conditionales. ¶ Quid ſit creditor & qualiter accipiendus ſit, latè diximus ī *in l. creditores.* vbi quoque ſcripſimus, eum cui ſub conditione debetur, creditorem impropriè καὶ καταχρηστικῶς dici debere.

Spem habent. ¶ Priuſquàm horum verborum interpretationem adgrediamur, operæpretium eſſe duxi primum præfari ſtipulationes omneis aut puras, aut in diem, aut ſub conditione eſſe. Atqui pro regula traditum eſt, in obligatione conditionali nihil omnino deberi priuſquàm dies conditionis euenerit. Quid igitur in conditionali creditore dicendum erit? Nam propriè dicendus is eſt creditor cui præſenti die debetur pecunia, quam ipſe credidit. Non igitur is cui ſub conditione debetur, creditor vocandus erit. Sed hoc capite Vlp. creditorem vult appellari: ea demum ratione quòd ſpem ille habeat, vt ſibi actio, quæ nondum competit, competitura ſit. Itaque ob id ſpei, conditionale debitum, in conſtitutum deduci poteſt. *l. 2. de conſtit. pec.* Et hoc ſeu expreſſa ſeu etiam tacita ſit conditio. *l. item quia. §. 1. ff. de pact.* Iam verò hæc non niſi in vera conditione locum habent: quam videlicet incertum ſit aliquando exituram. Quandoquidem quæ vel ad præſens, vel ad præteritum referuntur conditiones, propria ſignificatione conditiones non ſunt: vt quæ ex futuro rerum euentu minimè dependeant. *l. cùm ad præſens. cum 2. ll. ſeq. ff. ſi cert. pet. l. ſi pupillus. §. 1. de nouat.* Sed & nihil refert conditio ſit negatiua necne. Perinde enim erit ſi quis, cùm morietur, promittat, ac ſi negatiuè, cùm Romam non ierit. *§. ſi quis ita. inſt. de verb. oblig.* Nam in vtroque poſt mortem promiſſoris rectè & peti & agi poteſt. *Gl. in d. §. ſi quis ita. in verb. cùm morietur. l. 1. C. vt act. ab hered.* Neque verò prodeſt hac in parte Mutiana cautio, quæ in legatis tantum non in contractibus interponi ſolet. *l. Mutiana. ff. de cond. & demonſt.* vbi Bart. & idem Bart. *in l. fine apud acta. C. de tranſact. & in l. 1. C. de pactis.* Cuius quidem rei eam eſſe rationem conſtat, quòd peti non poſſit ante conditionis euentum id quod ſub conditione teſtamento relictum eſt. *l. ſi poſt diem legati cedentem. ff. quando dies leg. vel fideicom. ced.* Etenim Q. Mutius hanc cautionem inuexit, in gratiam eorum qui teſtamento aliquid legati nomine alij relinquerent: qua quidem cautione proſpiceretur ei cui ſub conditione legatum eſſet. ¶ Veruntamen quamuis conditionalem ſtipulationem ad heredes tranſmitti compertum ſit. *l. qua legata mortuis nobis. ff. de reg. iur.* nihilominus in legatis ſolet diuerſum obſeruari. *d. l. ſi poſt diem legati. & l. ſi vſusfructus. ad fin. ff. de cond. inſert. l. ſi cùm heres. ff. quando dies leg. ced.* hæc autem vna eſt huiuſce axiomatis differentiæ ratio, quòd in contractibus, qui ſibi ſtipulatur, ſibi heredibúſque ſuis ſtipulatur. Plerumque enim contrahendo tam heredibus noſtris quàm nobiſmetipſis cauemus. *l. ſi pactum. ff. de probat.* At verò in legatis, ea ſolùm fuit voluntas, ea mens teſtatoris, vt legatario tantùm, officiorum penſandorum gratiâ relinqueret: nec cenſetur eius heredibus eo legato conſultum voluiſſe. In hanc ſententiam ſcribit Decius in *l. qua mortuis. ff. de reg. iur.* Sed hoc præſcribendū fuerit, videlicet, quandocunque aliud nobis ex voluntate contrahentium expreſſa conſtat, aut res debita ad heredē tranſmitti non poteſt. *l. Aurelio. de liber. legat. l. non ſolùm. §. tale. ff. eodem. l. ſtipulatio iſta. §. ſi quis ita. de verb. oblig.* aut cùm ſpecialiter id actum ſit, vt promiſſor ſuis operis rem perficiat, tunc ſtipulatoris tantùm conſiderabitur induſtria: ſi non alius idem ſtipulari viſus ſit. *l. inter artifices. ff. de ſolut. & liber. l. veteris iuris. ff. de contrahen. & comm. ſtipul.* Faber in *§. ex conditionali. inſtit. de ver. oblig.* Igitur (vt iam ad rem redeamus) eum cui ſub conditione debetur, creditorem appellare licebit: propterea quòd ex conditionali ſtipulatione ſpes eſt debitum iri: eámque ipſam ſpem in heredem trāſmittimus, ſi priuſquàm conditio extiterit, mors nobis obtigerit. *d. §. ex conditionali.* Quod in contractibus (vt ſuprà diximus) non in legatis obtinebit. Quod tamen quomodo intelligendum ſit, vide apud *Bald. in l. 1. C. vt action. ab heredib. & contra hered. incipiant.* ¶ Quid ſi ſub conditione omnino incerta debeatur, veluti, cùm Romana ciuitas corruet, an ſub hac conditione creditor, propriè dicatur creditor ſeu conditionalis? Et ſanè quia propter incertum conditionis euentum, ſpem non tranſmittit ad poſteros, ſed neque ſpes aliqua ſit Romam aliquando collapſuram ruiturámque, conditionalem creditorem debere eum dici non placet. Spes enim dicitur tum propriè, quæ cauſam à præſenti tempore dependentem habet. Vt cùm ſponſalia de præſenti contrahuntur, tunc ſpem matrimonij capeſſendi habere dicimur. Quòd ſi in futurum tempus ſponſalia collata ſint, nulla nuptiarum ſpes habebitur, vt *l. ſi vxor. §. ſi quis vxorem. ff. ad leg. Iul. de adult.* Vnde, qui remittit quodcunque iuris vel habet, vel habiturum ſe ſperat, cenſebitur is remiſiſſe ius quod ex præſenti cauſa habet. In hanc ſententiam ſcribit Bart. *in d. l. ſi vxor. §. Diuus.* Sed & pacta, ſpe cernendæ hereditatis alienæ inita, quia ſæpe incertum eſt num parentibus, qui forſitan nobis ſuperſtites futuri ſunt, ſuccedere debeamus, ſicut reſpondit Papinianus in *l. nam & ſi. ff. de inoff. teſtam.* nulla omnino eſſe, neque valere traditum eſt, in *l. de quæſtione. vbi notant doct. & Alciat. C. de pact.* Bart. *in l. fin. eo. tit. de pactis. & in l. poſt emancipationem. §. 1. ff. de lib. leg.*

In hanc l. vide Fornarivm l. ſeq.

L V. Pavlvs lib. xvj. breuis Edicti.

Creditor autem is eſt, qui exceptione perpetua ſummoueri non poteſt, qui autem temporalem exceptionem timet, ſimilis eſt conditionali creditori.

Alcia

ALCIATVS.

CREDITOR. ¶ Quamuis qui exceptione perpetua, putà pacti de nunquam petendo, excluderent, ipſo iure ſit creditor: imò, niſi exceptio opponatur, obtineat: tamen quia veriſimile eſt, reum in ſua fore diligentem: & actori præſcripturum, talis creditor non intelligetur: conſiderat enim lex effectum. Et ideo ſi petente creditore velit lex etiam, indicta cauſa, debitorem in carcerem detrudi, hunc caſum excipiemus: quoniam nec is propriè creditor eſt, qui exceptione perpetua ſubmouetur. *l. creditores. ff. eod.* nec propriè debitor, qui eam habet idémque cùm dubium eſt, an perpetua exceptio futura ſit. *l. ſufficit. de cond. indeb.* vt cùm promiſi non petere, donec Titius conſul fiat.

Similis eſt. ¶ Sicut enim conditionalis creditor euentum conditionis, ita iſte diem expectat. *Bart. l. ita ſtipul. in 1. q. de verb. oblig.* alioquin non paucæ ſunt differentiæ inter hos caſus. Sed ſufficit ſimilitudinem eſſe reſpectu eius rei, de qua agitur *d. l. ſufficit.* Vnde ſimilia dicuntur, quæ eadem ratione innituntur, vel quæ in effectu, & cauſa conueniunt: idque potius obſeruabimus. *l. 1. §. igitur. de exerc.* quàm formam: quamuis, quæ in forma non conueniant, diſſimilia plerunque appellentur. Vnde quod noſtrates Dialectici aiunt, vt tollatur conſequentia, ſufficere inſtantiam, accipiendum eſt, ſi inſtantia de ratione deducat, non ſimpliciter de pronuntiato. *Iaſ. l. creditoris. de ope. non. nunc.*

BRECHÆVS.

CREDITOR. ¶ Hoc nos capite Paulus admonet, quis propria appellatione intelligatur creditor: qui videlicet exceptione perpetua ſummoueri nequeat. Scitis quidem, lectores ingenui, exceptionum quaſdam eſſe perpetuas & peremptorias, quaſdam verò temporales & dilatorias. *Inſtit. de except. §. appellantur. & l. 3. ff. eod. tit.* Perpetuas ſiquidem eſſe quæ ſemper locum habent, nec vitari poſſunt: vt doli mali, rei iudicatæ, & ſi quid aduerſus leges, Senatúſveconſulta ſit actum. *d. l. 3. & l. 2. ff. de doli mali exceptio. cap. 1. de iuriſcon. in 6. Inſtit. quibus alie. lic. vel non. l. 2. C. ad Velleianum.* Peremptoriæ autem ideo dicuntur, quòd negotium & iudicium perimunt, & rem qua de agitur extingunt: ſed id, ſi ante ſententiam obiiciatur, verum erit *l. peremptorias. C. ſent. reſcind. non poſſ. cap. cùm Ioannes, iuncta glo. extra de fid. inſtrum. l. præſcriptionem. C. de except.* Nam poſt ſententiam non poſſunt opponi, niſi vel minoris ætatis fauore, vel aliud perſonæ conditio ſuadeat *d. l. peremptorias. & l. minor 20. ann. omiſſum. ff. de minor. Glo. in c. 2. verſic. Et ſi omiſit. extrà de offic. ordin. l. 2. C. de iur. & fact. ignor. l. tametſi. ff. ad Maced.* His equidem omnibus ſummoueri ſolet actoris intentio & petitio: hæcque ſemper obiici poſſunt, & ſine vlla temporis præfinitione *l. purè. §. fi. ff. de dol. excep. Glo. in d. §. appellantur. in verb. ſemper.* niſi aliàs ex priuilegio competat. Qua ratione, cùm exceptio non numeratæ pecuniæ priuilegio ſpeciali debitoribus concedatur *l. in contractibus. C. de non numer. pecu.* dare nanque eos oportet, cùm ex ſtipulatione teneantur. *§. idem iuris. inſtit. de except.* ea ad biennium tantum protrahitur, quæ olim in quinquennium, principalibus conſtitutionibus protelari conſueuerat. *l. qui agros. C. de omni agr. deſer. §. multum autem. inſtit. de lit. oblig.* ¶ Dilatoriæ autem ſeu temporales, ſunt quæ non ſemper locum habent, ſed euitari poſſunt *d. l. 3. §. temporales.* qualis eſt pacti conuenti temporalis; id eſt, ne fortè intra quinquennium peratur. Et hæ quidem ante litem conteſtatam proponi debent: propterea quòd cùm is qui hanc proponit, diutius ſe litigare nolle indicat, iudicij conſtitutionem ingreſſus, pugnare ſecum cenſebitur: quare indignus erit qui poſtea admittatur *l. ſiquidem. C. eod. l. exceptionem. C. de prob. Iaſ. in l. ita demum.* quo loco 16. limitationes tradit. *C. de proc.* Eas exceptiones Rhetorici tranſlationes vocant, quod nos ſuprà attigimus in *l. verbum oportet. §. verbo actionis.* Qui igitur exceptione perpetua ſummoueri non poteſt, propriè creditor dicendus erit: cuiuſmodi eſt is cui iuſtam aliquam ob cauſſam aliquid debetur, & ex ea cauſa competit illi actio. Sed cum is qui dolo aliquem, vel vi, vel metu pellexit vt ſecum debiti obligationem iniret, vel ſibi aliquid promitteretur nihil ea propter videtur accepiſſe: quoniam exceptione perpetua doli vel metus poteſt ſummoueri, creditor dicendus non erit. *l. ſi quis. §. non poteſt. de reg. iur.* Ratio eſt, quia actionem ad debitum conſequẽdum non habet. Nihil enim intereſt (ait Paulus) ipſo iure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur. *l. nihil intereſt. d. tit. de reg. iur.* Nam quandocunque aduerſus actionem perpetua obſtat exceptio, idem eſt ac ſi nulla actio competeret *l. & eleganter. §. ſeruus pactionis.* His verbis, quaſi nulla actio ſit quæ exceptione repellitur. *ff. de dolo.* Atque etiam hoc ex Bald. ſententia in *d. §. ſeruus pactionis.* Quod ſi abſque actione libellus offeratur, reiiciendus erit, & impedienda litis conteſtatio: vbi tantùm reus obiecerit nullam actori eſſe actionem. *Bart. in l. Papinianus. §. ſi quis impubes. ff. de inoffic. teſtam. & l. nam poſtea. de iureiur.* Sed longè aliud eſt actionem non competere, aliud actionem exceptione ſummoueri. Tunc enim obiicienda eſt exceptio. Not. in *l. ſi vnus. §. pactus ne peteret. & l. pen. ff. de præto. ſtipul. & l. omnes. ff. de nouatio.*

Similis eſt. ¶ Qui exceptionem temporalem ſeu dilatoriam pertimeſcit, propria ſignificatione creditor non eſt: ſed adæquabitur conditionali creditori, maximè quatenus ad indebiti condictionem attinet. Vt enim (ait Papinianus, in *l. ſufficit. ff. de cond. indeb. ad fin.*) pactum quod in certum tempus collatum eſt non magis condictionem inducit quàm ſi debitor ex die ſoluit: Ita prorſus defenſio iuris quæ cauſſam incertam habet, conditionis inſtar obtinet.

FORNERIVS.

CONDITIONALES. ¶ Etſi verum creditorem definiunt, eum cui debetur: debitorem eum à quo inuito exigi pecunia poteſt. *l. 108. ff. h. t.* Ex conditionali autem obligatione non deberi: ſed ſpem eſſe debitum iri. *§. ex conditionali. de verb. obl. inſt.* Tamen vt homo pictus non ſimpliciter, ſed quadantenus eſt homo, ita eum qui ſub cõditione ſtipulatus eſt, placet etiã conditione pendente

creditorem eſſe. *l. 42. is cui. de oblig. & act. l. 10. creditores. ff. hoc tit.* quia non exceptione perpetua, ſed temporali tantùm ſubmouetur *l. ſeq. proxima.* Dummodo ſit explorata, certè non vana ſpes exſtituram conditioné. *l. 55. creditor. h. t.* Ex qua inſpectione non omninò pœnitendi fructus in iure capiuntur. Imprimis in lage Ælia Sentia, quæ manumiſſioni ſeruorum in fraudem creditorum factæ occurrit. *§. 1. quib. ex cauſ. manumit.* Dominus qui ſub conditione debet, manumittendo ſeruum nihil agit, quia creditores conditionales habentur creditorum loco. *l. 8. cum is qui & à quib. manumiſſ.* Deinde quamuis nondum pecuniam petere poſſint *l. 213. cedere. ff. h. t.* In hoc tamen iis conſulitur, vt cautionem de pecunia in euentum conditionis ſoluenda poſtulare poſſint. *l. 4. de ſeparat.* quod & generaliter quoties iuſta cauſa id ſuadet, impetratur. *l. 41. in omnibus. ff. de iudic.* Tertiò in poſſeſſionem bonorum debitoris mitti ſolet creditor, cui ſub conditione promiſſa eſt pecunia. *l. 6. in poſſeſſionem. ff. quib. ex cauſ. in poſſ. eat.* Etenim facilè eorum ſubſcribo ſententiæ, qui hæc duo capita, cum ſequentibus duobus, ad titulum de rebus auctoritate iudicum poſſidendis referenda monuerunt. Nec aduerſatur quod Vlpianus, [Si in diem vel ſub conditionem debitor latiret, inquit, antequàm dies vel conditio veniat, non poſſe bona eius venire. Quid enim intereſt debitor quis non ſit, an nondum conueniri poſſit?] *l. 7. Fulcinius. eod. tit.* Nec quod Paulus, [Creditor conditionalis, inquit, in poſſeſſionem non mittitur: quia is mittitur, qui poteſt bona ex edicto vendere.] *l. pen. eod.* Nam, (vt quæ cæteri dictitant, omittamus,) diſtinguendum eſt, vtrum ex primo, an ex ſecundo decreto in poſſeſſionem eatur. Animaduerti enim duo eſſe illius edicti Prætoris capita: prius quidem de ſimplici poſſeſſione, nudáque bonorum cuſtodia. Poſterius de venditione bonorum debitoris dolo malo abſentis, fruſtrationiſque cauſa latitantis. *l. 2. d. l. 6. in poſſeſſionem. §. 1. ff. quib. ex cauſ. in poſſ. eat. l. 3. fin. de acq. poſſ.* Ex priore quidem capita omnes omninò creditores, omnium omninò debitorum bona poſſidere poſſunt, etiam conditionales creditores. *d. l. 6. princip. l. 11. ſi filiofamilias. eod. tit.* Quia eorum intereſt caueri ſibi, licet pendente conditiona verè non ſint propriéque creditores. *d. l. 41. in omnibus. d. l. 42. is cui.* Hanc miſſionem omnes, qui non defenduntur, etiam pupilli ac furioſi patiuntur. *l. 3. l. 4. l. 5. eod. tit.* Ex poſteriore verò capite ij ſolùm mittuntur in poſſeſſionem, qui bona vendere poſſunt: Ergo non conditionales creditores. *d. l. pen. ſi.* quę huius diſtinctionis fœdere cum *d. l. 6. in poſſeſſ.* concilianda, ne ſecum ipſe Paulus pugnare videatur. Ex hoc eodem capite furioſus, qui latitandi affectum nó habet, miſſionem non patitur. *d. l. 7. Fulcinius. §. adeò. verſ. Labeo.* Fraudis capax non eſt. Paulus *lib. 5. tit. 4. ſent. 2.* ¶ Nunc vt fidem antè datam liberemus, diſpiciamus, an debitum purum conditionali ſtipulatione nouetur: Nec enim leuis hæc altercatio. Iabolenus, Craditorem pendente conditione petere poſſe negat, cum effectus obligationis conditionalis ſuſpendatur. *l. 36. pecuniam, ſi cert. pet. d. §. ex conditionali.* Quaſi conditio tantiſper dum pendet, nouationis effectum habeat. *l. 44. obligationum fin. de obl. & act.* Paulus contrà, quod purè debetur, ſi ſub conditione legetur, heredem interim petiturum ait. *l. 5. de dol. excep.* Varij hic varia: Nobis tradita ab Accurſio. (ſed non eâ quâ vulgò probari ſolet ratione) diſtinctio placet: ſcilicet aliud ius in teſtamentis, aliud in contractibus obſeruari. Quod ipſum verum quidem eſt. *d. l. 42. is cui.* Sed non ideò quòd in contractibus conditiones retrò trahantur. *l. 8. neceſſario. de pericul. & comm. rei vendit. l. 11. potior, qui pot. in pign.* Non autem in legatis. *l. 1. verſic.* [ſerui appellatione,] *ad Syllan.* Sed quòd in tractata abs Iaboleno ſpecie, omnium contrahentium conſenſus interceſſit, Creditoris, debitoris, & Attij, cui iuſſu creditoris debitor pecuniam, quam purè debebat ſub conditiona promiſit: Ad quem ex eiuſmodi contractu, fructus nouatæ & conditionali delegatione mutatæ obligationis fructus pertinebit. *d. l. 36. pecuniam. d. l. 44. obligationum. §. conditio.* Contrà verò, quoniam in teſtamentis ab vnius voluntate pendentibus non contrahimus. *l. 20. verba. ff. hoc titulo.* Mirum videri non debet, ſi heres medio tempore pecuniam teſtatori purè debitam, ſub conditione alteri legatam, interim à debitore petat. *d. l. 5.* Quia nihil cum debitore geſtum, nihil contractum, nihil nouatum fuit: ſed cum legatario tantùm, quocum heres adeundo quaſi contraxiſſe intelligitur. *l. penult. quibus ex cauſ. in poſſeſſ. eat.* Cuius nihil intereſt lagatam ſibi ſub conditione pecuniam, heredi interaà ſolui, dum pendet conditio: maximè verò, cum heres ei cauet, ſe legatum, vbi conditio exſtiterit, ſoluturum. *d. l. 5.* Cæterùm pro Colophone admonendi ſumus, quæ de conditionali creditore diſſeruimus, ad ex contractu non teſtamento creditorem, id eſt, ſtipulatorem non legatarium pertinère. *d. l. 42. is cui, l. 18. qua legata. & l. 19. ſi filiusfamilias. ff. tit. ſequent.* quod caput in Florentina editione deſideratur. Ratio differentiæ in eo verſatur, quòd in contractu facilè quiſque propter ſuum factum, mutuúmque hinc inde conſenſum perpetuam obligationem efficiat, ad heredémque ſuum transferat, cui non minùs quàm ipſa ſibi proſpexiſſe intelligatur. *l. 9. ſi pactum. ff. de probat. l. 33. anus. ff. de pact.* Itaque ex contracto nata obligatio in contrahantium perſona radices agit: & heres idem cum deceſſore fingitur. *Nouell.* 48. At cum legatario non contrahitur. *d. l. 20. verba.* Teſtamentum quo lagatur, non ab aliano arbitrio, ſad ab vnius teſtatoris voluntate pendet. *l. 1. de legat. 2. l. 1. de teſtament.* ideóque conditionalis legati ſpes in heredem minimè tranſmittitur. *d. l. 18. qua legata. d. l. 42. is cui.* Vltimæ voluntatis diſpoſitio ſuſpenditur, ac differtur in mortem teſtatoris: viuentis nec teſtamentum, nec hereditas. *l. 94. qui ſuperſtitis. de acquir. hered. l. 24. nihil. verſic. quod defunctus habuit. ff. hoc titulo.* At contractus mutuo vtriuſque conſenſu coaleſcunt, ſtatimque vires capiunt, quamuis conditionales. *l. 27. vſusfructus, fin. ff. de ſtip. ſeru.* [Competitura, vel qui ſpem.] ¶ Inde trium capitum eiuſdem auctoris, eodem ea libro ſumptorum explicatio arceſſenda. *l. 34. ſi locus. de relig. & ſumpt. funer. l. 11. ſeruum. ff. de manumiſſ. l. 151. nemo. ff. tit. ſeq.* Illatione mortui locus religioſus efficitur, ſi in proprium non alienum aut communem inferatur. *§. religioſum. de rer. diuiſ. l. 2. de relig. & ſumpt. funer.* Ac licet pendente conditione legata ſint heredis, fundum tamen ſub conditione legatum illatione mortui religioſum non faciet. *d. l. 34. ſi locus.* Nam nec ſeruum ſub conditione legatum heres interim manumittendo liberum facit. *d. l. 11. ſeruum.*

Ne ſit

Ne ſit in poteſtate heredis ſpem actionis legatariis adimere. Nemo enim damnum, id eſt, præiudicium affert, [*qui id facit, quod facere ius non habet.*] Sic enim meliùs legas, expuncta particula [Niſi:] *d.l.51.nemo.*[Spem haberet.] ¶ Vt in prole naſcitura.*l.qui in vtero.de ſtat.hom.l.vtrum. de reb.dub.* vt in ſpe postliminij: de qua *l.3.§.hi.* Vt in ſtatuliberis.*l.9.moris.de pœnis.l.8.edictum, fin. l.14.ſtatuliber. l.19.si cui.de quaſtion.*[Exceptione perpetua.] ¶ Qui peremptoria poteſt exceptione repelli, creditoris loco non habetur.*l.40.qui exceptionem.§.de cond.ind.* Actionis excluſio, exceptio definitur. *l. 2. de excep.*Nihil intereſt actionẽ deeſſe, vel eam quæ exceptione ſummoueatur, habere.*l.112.nihil.ff.tit.ſeq.*

LVI. VLPIANVS lib. lxij. ad Edictum.

COGNOSCERE inſtrumenta, eſt relegere, & recognoſcere. Diſpungere, eſt conferre accepta & data.

ALCIATVS.

COGNOSCERE. ¶ Deſcriptio, ſubnotatio, diſpunctio rationum inſtrumentorúmve differunt. Deſcribimus ea, quorum exemplum accipimus. Subnotamus, cùm quaſi inuentarium conficimus. *l.fi.de bon.aut.iud.* adſcribimúſq; quot corpora inſtrumentorum ſint, & de qua re. Cognoſcimus cùm ea legimus, atque relegimus: qui enim rationes recognoſcit, verum eſt eum ipſas cognoſcere: ſicut qui reddit, dat qui repetit. *Bart.in rub.ſolut.matr.* Diſpungit rationes, qui data & accepta confert excutitque, & examinat: vnde & diſpunctio pro diligenti percontatione, examinationéque accipitur. *l.ſi ſtatuliber.pene ad finem.de ſtatulib.* idque hac (vt opinor) ratione, quia veteres ſolerent rationes, cùm data acceptáque contuliſſent, tranſuerſo puncto, confodere: hinc Iuuenalis, moroſam, auarámque mulierem deſignans, quæ rationes diu peractas, abſolutáſque recognoſceret: Longi, inquit, relegit tranſuerſa diurni. Id etiam expungere quandoque appellatur. *l.in omnibus.§.de diuerſ.præſcrip.* quod verbum reiicere quoque & de medio tollere ſignificat. *l.pen.de re milit.* quoniam ſuffragia puncto notabantur: vnde quos ceu indignos præteribant, expungere dicebantur.

BRECHÆVS.

COGNOSCERE. ¶ Inſtrumentum cognoſcere dicimus ac etiam recognoſcere quod nunc vulgò, collationare. Et facere exemplum deſcriptum & recognitum, id eſt, collationatã copiam dare. Eſt enim recognoſcere, emendare. Rectè quoq; ac idem Latinè dicimus cognoſcere chirographum, vel manum, pro eo quod vulgò dicunt recognoſcere ſignum ſuum: quod etiam Latinum eſt. Cicero *in Catil.Orat.3.* Introductus eſt Statilius, cognouit manum & ſignum ſuum: recitatæ ſunt tabellæ, &c.

DISPVNGERE. ¶ Eſt diſpungere verbum quod Græci dicunt διαγράφειν, id eſt, vt Bud.& Etymol. interpretatur, ἀκυροῦν abrogare, antiquare, abolere, inducere: quod etiam circunducere. Et διαγραφὴ, ἀναίρεσις antiquatio & peremptio rei cœptę vel iam peractæ. Vnde ipſi dicunt διαγράφειν τὴν κατηγορίαν, τουτέστι ἀναιρεῖν τὸ ἔγκλημα: cùm accuſator vellet πρὶν εἰσελθεῖν ſtatim ab accuſatione diſcedere. Nunc poſſumus dicere foro & lite eximere, & delere ex actis actionem, vulgò, ponere extra curiam. Sic Latinis, diſpungere, delere καὶ ἐξαλείφειν, & tollendum deſignare ſignificat. Vnde diſpungere rationes, quod noſtri dicunt (ait Budæus) examinare computum. Expungere autem, eſt punctis circunducere & tollere, & quaſi rem iam confectam eximere è codice. Vt punctus miles dicitur, qui è numeris exemptus eſt & ære dirutus. Hinc noſtræ leges municipales dixerunt lingua vernacula, *Quictances & exponces* ea, puto, ratione quod beneficiarius aut vectigalis cliens bona prędia totúmque mancipatum eiurare ſe velle, ac etiam ex calendario & codice cenſuali expungi apud patronum & mancipio nexúque dominum profiteatur. Quod idipſum quare & quomodo fiat, tradidimus *in commentariis noſtris ad ſtatuta municipalia præfecturæ Turonenſis.* De hoc verbo [cognoſcere,] vide amplius quæ ſcripſi infrà in *l.actionem.hoc tit.*

FORNERIVS.

COGNOSCERE. ¶ Eodem ex fonte manat, nempe tractatu de rebus auctoritate iudicum poſſidendis. *l.15. cum plures.* quæ vti & hæc ex Vlpiani *lib.62.ad edictum.* ſumpta, indicat permiſſum fuiſſe creditoribus ſuum ſeruare ſtudentibus, debitorum inſtrumenta inſpicere, cognoſcere, eáque ſibi ab argentariis (qui notariis noſtratibus ferè æquantur) edi poſtulare. *l.2. l.3.l.6.l.10. argentarij totoq; prope tit.de edend.* Quamobrem inter cognoſcere ac diſpungere diſcrimen annotat Vlpianus: Illud minus eſſe, hoc maius. Inſpicere, cognoſcere alienas rationes ſemel licet: Nec quiſquam niſi ſemel edere cogitur, aut bis certè: niſi ex cauſa & præeunte calumniæ iuramento, iterum non exigitur editio. *d.l.15.cum plures.d.l.6.in fi.l.ſeq.§.de edend.* Cognoſcere, eſt inſtrumentum relegere, ac recognoſcere. Diſpungere, eſt ſubducere, rationes acceptorum datorum collatione examinare, explorare, ad calculum reuocare, τὸ ἀντεξετάζειν τὰς λήψεις καὶ τὰς δόσεις. Græci hic.

§.j. LIBERORVM appellatione continentur non tantùm qui ſunt in poteſtate: ſed omnes qui ſui iuris ſunt, ſiue virilis, ſiue fœminini ſexus ſunt, éxve fœminini ſexus deſcendentes.

Alciatvs.

Liberorvm. ¶ Huius reſponſi exemplum hoc affert Accurſius, ſi is, qui opus reipublicæ pollicitus, poſtquam inchoauerit, deceſſit, heres extraneus in quintam patrimonij partem tenetur: *l.pen.& fi.de pollicit.* quòd ſi ea liberis ſit, ſolùm in decimam: interpretatúſque eſt diuus Pius, inter liberos, nepotem quoque ex filia contineri.*l.1.de iure immun.* quam interpretationem non procedere in priuilegiis.*l.quia tale.ſol.mat.* quæ generaliter publicæ vtilitati derogarent, communi ſententia receptum eſt. Idémq; ſi lege municipali agnati fœminas excluderent: videtur enim tum teſtator, qui liberos inſtituit, prius de agnatis ſenſiſſe, & eum ordinem ſequutus, qui in inteſtati ſucceſſione ſeruandus erat. *Bart.l.heredes.§.cu in ita.ad Treb.*

Sui iuris. ¶ Vt emancipati & naturales: regulariter enim appellatione filij, etiam naturalis comprenditur.*l.tutelas.de cap.dim.* naturæ enim id nomen eſt, non iuris ciuilis tantùm: & hoc, niſi teſtatoris conditio & dignitas.*l.ex facto.l.1.ad Treb.* præſumptáve diſponentis mens aliud inducat.*l.fin.de iur.delib.* Quid enim, ſi legitimi adſint? potiores certè illi eſſe debent. Quid item ſi ab eccleſia emphyteutica bona pro ſe, & liberis aliquis acceperit? ad naturales enim peruenire ea non poſſunt. Nec veriſimile eſt de eis actum fuiſſe, qui abominato à iure canonico concubitu orti ſunt. *cap.ſtatutum.2.de heret. in 6.* ſed & in materia odioſa humanius erit de eis non intelligi. *Bart.l.quia.de in ius voc.* dum tamen melior inde non fiat naturalium quàm legitimorum conditio, vel patet ipſe propter naturalium numerum priuilegia non conſequatur: & hæc de naturalibus.*l.2.§.legitimos.de excuſ.tut.* At de ſpuriis aliud eſt: hos enim lex pro filiis non habet.*authent.ex complexu.C.de inc.nupt.* Et ideò conditio, ſi ſine liberis deceſſerit, fideicommiſſo addita, propter ſpurium non deficit: quod ego arbitror verum, etiam ſi per reſcriptum principis legitimatus ſit, quoniam lex incertum illi patrem tribuit, nec præſumit ex legitimante ortum. Vnde parentis fideicommiſſo grauari confeſſio & tractatus ipſi obeſſe debet, non autem ſubſtituto, niſi verè probaretur ex eo natus, vt quia ea ancilla domi retenta, quæ cum alio non conſueſceret. *Alb.l.filium.de his qui ſunt ſui.*

Virilis ſexus. ¶ Differentia eſt, ſubſtituat qui ex virili, ſeu per virilem ſexum deſcendentes, an per lineam virilem: nam primo caſu etiam fœmina ex filio vel nepote nata continebitur, ſecundo non continebitur: non enim per lineam deſcendit niſi qui in linea eſt. *Moder.l.Gallus.§.nunc de lege. ff.de lib.& poſthum.*

Brechævs.

Liberorvm. ¶ Nihil propemodum in hanc paragraphen conſultò ſcripſimus: propterea quòd eiuſdem ferè argumenti caput eſt nobis infrà enarrandum.*l.liberorum.ꝫ.h.t.*

Fornerivs.

Liberorvm. ¶ Liberi dicuntur, & qui ſui iuris ſunt, αὐτεξούσιοι. & qui ex virili, ſiue fœminino ſexu deſcendunt. Sed & liberorum appellatione etiam vnũ contineri, hoc loco addiderunt Græci, τῶν παίδων καὶ ὁ εἷς μόνος περιέχεται. Huc nonnulla huius tractatus capita aptari poſſent, ſed ſuo quæque loco commodiùs exponentur.*l.84.filij.l.201.iuſta.l.220.liberorum.ꝫ.h.t.*

LVII. Pavlvs lib. lix. ad Edictum.

Qvi præcipua cura rerum incumbit, & qui magis, quàm cæteri diligentiam & ſollicitudinem rebus quibus præſunt, debent, hi magiſtri appellantur. Quinetiam ipſi magiſtratus per deriuationem à magiſtris cognominantur. Vnde etiam cuiuſlibet diſciplinæ præceptores magiſtros appellari, à monendo vel monſtrando.

Alciatvs.

Qvi præcipva. ¶ Magiſtrare moderari eſt, vt Feſtus inquit: vnde magiſtri, non ſolùm doctores artium, ſed etiam pagorum præfecti, quos vulgò Syndicos vocamus: vel collegiorum, ſocietatúmve, quos Abbates appellant. Hinc & magiſter populi Dictator, & magiſter haſtæ, qui auctionibus præeſt, & magiſter pecoris, ipſe cuſtos, & magiſter nauis: cui cura nauis demandata eſt. Sic autem dicti ſunt, quoniam magis cæteris poſſunt: vnde & magiſtratus, qui per imperia potentiores ſunt, quàm priuati.

Cuiuſlibet diſciplinæ. ¶ Hinc legum Doctores Magiſtri dicuntur, putauerímque generaliter hoc nomine contineri Baccalaureos, Licenciatos, Doctores. Sicut enim athletę tribus coronis more Græciæ antiquo inſigniri debebant. *l.1.C.de athlet.* ita in agone literario tres ſunt diſtincti gradus. Primus, qui à bacca laurea ſumpſiſſe nomen videtur, ſcholaſtico ordini proximior, quàm doctorum. Secundus ad eos pertinet, qui nondum inſignia ſuſcepêre, electi tamen authoratíque ſunt, tradúntque materia fauorabili pro Doctore haberi.

Vel monſtrando. ¶ Atqui ſuperius non à monſtrando, ſed quo magis cæteris curam præſtare debeant, magiſtros dictos ait: ſed ipſe arbitror illam etymologiam, hanc alluſionem eius vocabuli eſſe. Verùm fingamus aliquem huiuſmodi curam non præſtare, an idcirco magiſter non erit? & aiunt eſſe: quoniam nomen ab eo dicitur, quod fieri deberet, licet non fiat. Qua ratione & Pontificem & Auguſtum appellabimus, qui ad vitam æternam pontem non faciat, & qui imperij corpus non augeat.

Brech

BRECHÆVS.

CVT PRÆCIPVA. ¶ Magiſter à verbo Magiſtrare, quod regere & moderari ſignificat, dicitur, authore Feſto Pompeio: quemadmodum à Græcis πρυτάνεις παρὰ τὸ πρυτανεύειν. Vnde Magiſtratus dicti τοὺς δὲ πρυτάνεις, ὑπάρχους, ἀρχιδικαστὰς, ἄρχων, propterea quòd regendæ ac moderandæ reipubl. curam demandatam habent, hoc eſt προεστάναι καὶ πολιτεύεσθαι. Qua ratione, quicunque gubernationi alicui præficiuntur, hi magiſtri rectè nominari ſolent. Sic magiſtrum nauis accipere debemus eum cui totius nauis anchora demandata eſt. *l.1.§.fi.ff.de exercito.actio.* Et Magiſtros curiarum Plautus *in Aulularia* vocat, diuiſores tribuum, teſte Aſconio in *2.diuinat.in Verrem.* Habentur etiam & Magiſtri equitum à Græcis ὕπαρχοι, qui (vt teſtis eſt Liuius) Dictatoris parebant imperio. Præterea Magiſtros à libellis dicimus nunc vulgò Magiſtros requeſtarum: qui tamen (vt videtur Budæo) Scriniorum magiſtri aliquando appellati ſunt. Hi omnes propterea quòd in ſua quique cura verſari & magiſtrari ſolent, magiſtri dicti ſunt. Magiſtratus autem per deriuationem à magiſtris, quibus præcipua rerum cura incumbit, & qui magis quàm cæteri diligentiam & ſollicitudinem rebus quibus præſunt, debent adhibere. Magiſter equitum (inquit Varro *de lingua Latina*) quòd ſumma poteſtas huius in equites, & accenſos: vt eſt ſumma Populi, Dictator, à quo is quoque magiſter populi appellatus. Reliqui quòd minores quàm hi Magiſtri, dicti Magiſtratus, vt ab albo, albatus. Propriè autē Magiſtratus ad iudiciorum rationem καὶ τὴν πολιτείαν pertinebat: quod & adhuc his noſtris temporibus obſeruari video. Propterea rectè ab ipſis Græcis ἀρχιδικασταὶ καὶ πολιτευόμενοι dicuntur. Cicero *lib. 3. de legib.* Videtis igitur (ait) magiſtratus hanc eſſe vim, vt præſit, præſcribàtque recta & vtilia, & coniuncta cum legibus. Vt enim magiſtratibus leges, ita populo præſunt magiſtratus: veréque dici poteſt, magiſtratum eſſe legem loquentem: legem autem mutum magiſtratum. Hinc & ipſe quidem Cicero in *Oratione pro A.Cluentio* appellat Magiſtratus, legum miniſtros, legum interpretes, iudices. Plato ὑπηρέτας τοῖς νόμοις, id eſt, legum miniſtros: ὅσοις (inquit Ariſtot. *lib.4. Polit.*) ἀποδέδοται βουλεύσασθαι περὶ τινῶν, καὶ κρῖναι, καὶ ἐπιτάξαι, καὶ μάλιστα τοῦτο· τὸ γὰρ ἐπιτάττειν ἀρχικώτερόν ἐστι. Id eſt, (vt Adrian. Turnebus vertit) quibus eſt permiſſa poteſtas de aliquibus rebus conſulendi, iudicandi, iubendi, huiúſque vel maximè. Nam iubere, imperioſum magis eſt. Erant & minores magiſtratus qui ſine imperio, aut ſine poteſtate erant: quos etiam in magiſtratu ipſo actione iniuriarum licebat conuenire. *l.nec magiſtratibus.ff.de iniur.* Sed & etiam colligimus ex Plutarcho in vitam M.Catonis, τοὺς ἀρχὰς, id eſt, magiſtratus iuri reddendo præfuiſſe, τὸν δὲ ἄρχοντα (inquit) οὔτε πρὸς ὀλίγα δεῖν μὴ δὲ ὑπὲρ τῶν δικαίων λιπαρεῖσθαι, μὴ δὲ ὑπὲρ τῶν ἀδίκων ἐκλιπαρεῖσθαι. Id eſt, magiſtratum autem & iudicem dictitabat, nec de obtinendo iure orari oportere, nec de iniuria exorari. Quod vtinam præceptum (ait Budæus *ad l.2.de iudicus.*) noſtrates magiſtratus ac iudices meminiſſe ſemper velint (omitto nunc alia) vt illa ſaltem ærumnoſa antelucanarum ſalutationum neceſſitate litigatores defungantur in poſterum, id eſt, porrigēdorum ſupplicum libellorum illiberali inſtituto. Atque ego ipſe optem vehementer noſtrates magiſtratus, vltimum iudicanteis τοὺς τοῖς νόμοις ἀξιολόγως ὑπηρέτας, μὴ δὲ φιλοχρημάτους eſſe. Sed via eſt vt qui vel gratiâ, vel pecuniæ authoramento ad Magiſtratus faſtigium euehuntur, bene præſint, præſcribántq; recta & vtilia, & coniuncta cum legib. Quid enim probè poſſunt in iudiciis conſtituere hi magiſtratus & iudices, qui inani tantùm cenſuræ ſupercilio graues, & legum & rerum propemodum ſunt imperiti & expertes, & (vt Græci dicunt) ἀπειρόκαλοι? Cuiuſmodi videmus quotidie in ſubſelliis non cauſarum iudices, ſed magis arbitros & ſpectatores numerum tantùm iudicantium augentes καὶ ἀδευμάστας.

Magiſtros appellari. ¶ Quos Græci διδασκάλους vocant, id eſt, eos præceptores qui pueros literas docent, Latini vocant ludimagiſtros. Omnem enim ſcholam Romani Ludum dicere, teſte Aſconio. Cicero *Actio.1.in Verrem*, Si enim (inquit) mihi reſpondere hodie ad hæc quę dico, potueris, ſi ab iſto libro, quem tibi magiſter ludi neſcio quis ea alienis orationibus cōpoſitum dedit, verbo vno diſceſſeris, poſſe te & illi quoque iudicio non deeſſe: & cauſæ atque officio tuo ſatisfacere arbitrabor. Libellum veterem vult intelligi Cicero, vt videtur Pædiano, attuliſſe Cæcilium, vnde magiſter dictata pueris præbere conſueuiſſet. Laurent. Vallenſis *lib.4.elegantiar.cap.16.* τὸν διδάσκαλον ludi magiſtrum vertit, eo loco vbi ex Plutarcho commemorat Camillum ludi magiſtrum diſcipulos hoſtibus prodētem, eiſdem pueris cædendum virgis in vrbem vſque præbuiſſe. ἄρτι δὲ τῶν φαλισκίων ἀδικουμένων τὴν τοῦ διδασκάλου, & reliqua apud Plutarchum in *vitam Furij Camilli, fermè ad principium.* Sic libros Aulus Gellius *lib.14.noct. Attic.cap.2.* mutos magiſtros appellat. Quo primùm (inquit) tempore, à Prætoribus lectus in iudicem ſum, vt iudicia, quæ appellant priuata, ſuſciperem, libros vtriuſque linguæ, de officio iudicis, ſcriptos cōquiſiui, vt homo adoleſcens, à Poëtarum fabulis, & Rhetorum epilogis, ad iudicandas lites locatus. quoniam vocis (vt dicitur) viuæ nimia penuria erat, ex mutis, quod aiunt magiſtris cognoſcerem. Rectè itaque Vlpianus cenſuit, cuiuſcunque diſciplinæ præceptores magiſtros nominandos, quorum munus ſit & monſtrare, & monere eos quos edocendos ſuſceperunt. Iulianus in *l.dicere.§.fin.ff.de recept.arbit.* Caſſius (inquit) ſententiam magiſtri ſui bene excuſat: & ait, & de ſententia Sabinum non ſenſiſſe quæ arbitrium finiat. Et in *procœmio Pandect.* Magiſtri legum appellantur, quos hodie Doctores dicimus. Eſt *Gloſſ.in Clemen.Cùm ſit nimis.de magiſtr.*

FORNERIVS.

CVI PRÆCIPVA. ¶ Indidem huius capitis argumentum, vnde & ſuperiorum quæſtio pendet, nempe tractatu *de reb.auctorit.iudic.poſſidendis.* Debitorum ſolutionem derrectantium contumacia decreto mulctabatur, miſſo creditore in poſſeſſionem bonorum: & tum magiſtri conſtituebantur *tot.tit.ī.quibus ex cauſis in poſſ.eatur.& tit.ſeq.de rebus auctorit.iudic.poſſid.ſeu vēdundis.*

Commiſſ

Commiſſaires eſtablis au regime des heritaiges ſaiſis. M. Cicero *lib.6.ad Atticum*, ſe de bonis poſſidendis & magiſtris faciundis, vendendis bonis edixiſſe ſcribit. Quorum magiſtrorum creandorum cauſam, ortum, & officium accuratè deſcripſit Theophilus *lib.3.inſtit.tit.de ſucceſſionibus ſublatis, quæ fiebant per bonorum vendit.* Eorum cura in diſtractione bonorum verſabatur, *vt ex l.15.cum plures. l.16. cum bona.ff.de reb.auct.iudi.poſſid.vulgò.l.1.l.9.ſi ventri.§.in bonis.ff. de priuil.cred.* & Quinctiana Ciceronis colligitur. Qui & in Pletorium Fonteij accuſatorem ludens, matrem eius dixit, [Dum vixiſſet ludum, poſtquam mortua eſt, magiſtros habuiſſe.] Quòd eius bona poſt mortem ob æs alienum venierint, vt Fab. Quinctilianus *lib.6.cap.de riſu*.interpretatur. [Curam debent.] ¶ Græci προσέχειν ὀφείλοντες. Aliàs [adhibent.] minùs rectè. Tametſi has dictiones, [habere, debere.] mutuò ſibi ceſſiſſe deprehenderim. Florentiæ ita ſcriptum, [Conceſſam rebus immunitatem non habere intercidere.] vulgò, [debere.] *l.3.de cenſib.* [Quædam enim debere poſſumus,] pro [habere.] *l.19.et fundo de ſeruitut.* [Ipſi magiſtratus per deriuationem.] ¶ Græci hoc loco, ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἀρχόντων, οἱ πλεῖον τῶν ἐπιτεταγμένων αὐτοῖς πραγμάτων. Vt à minus, miniſter; ſic à magis deducitur magiſter: eáque oppoſitorum relatione luſit in *Cluentiana* Tullius, cùm diceret: [Legum miniſtri magiſtratus, legum interpretes iudices, legum denique idcircò omnes ſerui ſumus, vt liberi eſſe poſſimus. Sic populi magiſter, dictator vocabatur, ὁ δικτατορίαν ἔχων δύναμιν. Sudas: Magiſter epiſtolarum imperatori Adriano Suetonius, (vt Æl. Spartianus refert) id eſt princeps ſecretariorum. Vlpianus magiſter ſcrinij Alexandro (teſte Lampridio) id eſt à conſiliis primus. Magiſtri libellorum hodie, qui priuatorum precibus ac poſtulatis principi referendis exponendiſque præſunt, *maiſtres des requeſtes.* Magiſter officiorum, id eſt dux palatinorum ordinum *tit.C.de offic.magiſt.offic.* Sozimus *lib.2.* ἡγεμόνα τῶν ἐν τῇ αὐλῇ τάξεων ὄντα. μάγιστρον τῶν ὀφφικίων καλοῦσι ῥωμαῖοι & turſus, τὴν ἀρχὴν ἐπιτετραμμένον τῶν περὶ τὴν αὐλὴν τάξεων, ὃν μάγιστρον ὀφφικίων καλοῦσι. Caſſiodorus *lib.1.epiſt.12.& 13.lib.3.epiſt.12.lib.10.epiſt.33.* [Cuiuſlibet diſciplinæ præceptores.] ¶ Quales olim bonis inſtitutæ legibus ciuitates aluerunt, priuilegiis, ac ſtipendiis ad ſtudia literarum, cultúmque artium excitarunt. Eumenij Panegyric. Lateran. concil. *c.1.c.4.extr.magiſtr. c.de quibuſdam.37.diſtinct.C.de profeſſoribus & med.* Athenis legem Sophocles tulit, vt ei qui minùs idoneum ſcholæ magiſtrum, ſecus ac ſenatui populóque videretur, præfeciſſet, capitale eſſet. Diogenes Laërtius *lib.5.in Theophraſto,* μηδένα τῶν φιλοσόφων σχολῆς ἀφηγεῖσθαι, ἂν μὴ τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ δόξῃ. εἰ δὲ μή, θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν. [A monendo, vel monſtrando.] ¶ Defendi poſſit hæc probata adhuc omnibus ſcriptura. Vlpian. [Sutor puero diſcenti parum bene facienti quod demõſtrauerat, forma calcei caput percuſſit. *l.5.§.ſi magiſter.de leg. Aquil.* Ecquid verò ſi veriloquium ſequimur, cùm [monere,] aut [monſtrare] affine [magiſter] habet? Magiſtrare nihil aliud eſt, quàm moderari, & docere: magiſterium, magiſtratio, pro diſciplina, inſtitutione, ἡ τῇ παιδείᾳ. Theodoſ. & Valentin. [Publicas magiſtrationes & cellulas in quibus diſcipuli colliguntur,] dixerunt, pro ludo litterario, priuatiſque parietibus oppoſuerunt, *l.3.de ſtud.liberal.vrb.Rom.lib.14.tit.9.C.Th.l.vn.C.eod.* Gennadius *in Caſſiano.* [ſcripſit experientia magiſtrante plano & liberali ſermone.] Spartianus *in Adriano*, [Ipſe quoque inter manipulares vitam militarem magiſtrans.] Ennodius *Panegyrico Theodoric.* [Fidem aſſueſcerent magiſterio neceſſitatis.] Victor Vticenſis de *perſecutione Vandalica lib.1.* [Accedit ad maritum alia Eua, conſilio magiſtrata ſerpentis,] id eſt à Diabolo edocta. Abdias non procul à fine *lib.7.hiſt. Euangel.* [Vt quas ad omne opus virtutis & gloriæ magiſtrante ſapientia præparaſti.] Lactantius *lib. 3. cap.14.& cap.15.* Apuleius *de Aſino lib.7.* [Magiſterium tenens,] pro imperio ac magiſtratu *lib.1.* [Faxo ſcias, quemadmodum ſub meo magiſterio debeant coërceri.] Verba ſunt Ædilis piſcatoribus minitantis. Verbum antiquum media Latini ſermonis ætate deſitum, poſteriore ſeculo vſurpatū, quaſi domum poſtliminio reuocatum facit, vt inueteratum necdum ab vllo, quod ſciam, animaduerſum mendum hîc deliteſcere ſuſpicer: ſcilicet à [monſtrando] id eſt [magiſtrando] contractum [monendo] & [morando,] ac deinde librariorum imperitia extenſum facile in [monendo, vel monſtrando] degeneraſſe. Coniecturæ noſtræ Feſt. Pompeij conſpirantia cum hoc Pauli capite verba ſuffragãtur: [Magiſtrare, inquit, regere, temperare & moderari: vnde magiſtri non ſolùm doctores artium, ſed etiam pagorum, ſocietatum, vicorum, collegiorum, equitum dicuntur. Quia omnes hi magis cæteris poſſunt: Vnde & magiſtratus qui per imperia potentiores ſunt, quàm priuati.] & pòſt [Magiſteria dicuntur in omnibus rebus, quia magis cæteris poſſunt.] Magiſter ſocietatis. *l.14.item.ff.de pactis.* Cicero *5.in C.Verrem actione.*

§.j. PERSEQVI videtur & qui ſatis accepit.

ALCIATVS.

PERSEQVI. ¶ Accurſius perſequi interpretatur, id eſt, conſequi: nam qui ſatis accepit, puta fideiuſſores vel pignora, *l.item.§.1.quib.mod.* perinde habetur, ac ſi rem petitam conſequutus eſſet. *l.ſi rem.§.dicimus.de pignor. act.* quæ expoſitio mihi non probatur, quia propriè illud perſequimur quod nondum ſumus conſequuti. Quapropter & *lib.11.* Aul. Gellius: Non puto (inquit) Cæcilium ſequi debuiſſe, quod aſſequi nequiret. Verior igitur ſenſus eſt, vt quamuis aliquis ſatis acceperit, tamen adhuc dicatur perſequi, quia ſatisfactio pro vera ſolutione non eſt. *l.1.qui ſatiſd.cog.* In quo tamen articulo ſolet diſtingui, aut lex ſatisfactionem requirit, & ſufficit fideiuſſores, vel pignora offerre, vt ex forma contractus alicui ſatisfaciendum eſt, *Auth.ſi quando.C.de conſtit.pe.* & ſoluere pecuniam opus eſt, quoniam in his non de ſimplici ſecuritate creditoris actum videtur, ſed de actus perfectione, plenáque liberatione, quam ſolutione demum facta, conſequimur. Sanè & perſequi dicitur, qui officium iudicis implorat: quapropter ſi caueri mihi poſtulem per fideiuſſores, quod in prætoriis ſtipulationibus regulare eſt, *l.1.§.ſtipu.de præt.ſtip.* perſequi videbor: expediuntur enim hæc officio iudicis. *l.inbere.de iur.omn.iudic.*

BRECHÆVS.

PERSEQVI. ¶ Laurentius Vallen.*lib.5.cap.32.* Perſequor (inquit) vel in malam partem, id eſt, inſequor & inſector, vel in bonam, cùm perſeuero exequi quod agere cœperam. Poteſt etiam verbum, perſequi, pro accuſare vſurpari, vocis Græcæ imitatione. Nam διώκω & perſequi, & nonnunquam accuſare ſignificat, vt διώκω σε τὴν γραφὴν ταύτην, reum te criminis huius facio, vt doctè Bodæus adnotauit *in Commentariis*. Cæterùm, quod ad rem attinet, perſequi eſt rem ſuam mero iudicis officio poſtulare: vt §. eſt à nobis adnotatum in *l. creditores. in verb. perſecutione.* Et colligere licet ex *l. Labeo. §. rem admiſiſſe. ff. hoc tit.* Rem (inquit Paulus) videtur amiſiſſe, qui aduerſus nullum, eius perſequendi actionem habet. Ergo ex aduerſo, Qui rei perſequendæ actionem aduerſus aliquem habet, rem ipſam videtur conſequutus. Sic in regula iuris. Qui actionem habet ad rem petẽdam, rem ipſam habere videtur. Id eſt, res noſtra, quamuis eam minimè poſſideamus, tamen cùm ad ipſam conſequẽdam actionem habeamus, fictione legis, in bonis noſtris eſſe cenſebitur, eámque nobis poſſumus aſſerere. Nam alioqui propriè id noſtrum iure dicemus, cuius & dominium mancipiúmq; ſimul & poſſeſſionem nacti fuerimus. Qui igitur idoneis fideiuſſoribus ſibi datis, rem ſibi reſtitutum iri ſperat, perinde eſt ac ſi rem ipſam iam fuiſſet conſequutus. Habet enim aduerſus hos fideiuſſores, ad rem conſequendam, actionem, qua poſſit eos iure compellere, vt ſibi omnino res ipſa reſtituatur. Quare exiſtimo Accurſium hoc loco rectè ſenſiſſe, reprehenſione Alciati quantumuis arguta, valere iuſſa.

FORNERIVS.

PERSEQVI. ¶ Prætoriæ ſtipulationes, vt damni infecti, legatorum, actionis, & perſecutionis verbo continentur. Etſi quæ ſunt ſimiles, inquit, Vlpianus *l. 37. actionis. de ob. & act.* Curator vnus ex creditoribus per quem bona diſtrahantur eligitur: is eſt, de quo agimus, magiſter. *l. 2. l. vlt. ff. de cur. bon. dand.* Is curator bonorum diſtrahendorum conſtituitur, qui rem ſaluam fore viri boni arbitratu ſatiſdare iubetur. *l. 5. l. 8. bonorum. l. ſeq. ff. de curat. fur.* Quorſum alioqui hunc verſiculum referam, mihi non liquet. Nam qui ingentem ſatiſdationum & ſatiſacceptionum molem hîc moliuntur; aliena loquuntur, & *Delphinum ſyluis appingunt, fluctibus aprum.*

LVIII. CAIVS lib. xxiiij. ad Edictum prouinciale.

LICET inter geſta & facta videtur quædam eſſe ſubtilis differentia. Attamen καταχρηστικῶς nihil inter factum & geſtum intereſt.

ALCIATVS.

LICET. ¶ Quoniam ſuprà geſtam rem ſignificare ſine verbis factam, ex Labeonis ſententia traditum fuerat, *l. Labeo. ff. eod.* eam differentiam. Caius hîc tanquam nimis ſubtilem contemnit, quia καταχρηστικῶς, id eſt, abuſiuè inter factum & geſtum nihil intereſt. Laurentius Valla geſta referri ad rempub. maioriſque dignitatis eſſe tradidit, acta etiam de priuatis dici, quod non omnino probo, quandoquidem etiam de negotiis geſtis id verbum proferimus, qui tractatus ad priuatos pertinet. Ampla verò & faciendi eſt ſignificatio, quam hîc explicat Accurſius, nos alibi commodiùs attingemus. ¶ Id ex hoc reſponſo ſummè adnotandũ eſt, vocem καταχρηστικῶς (ſic enim in antiquis codicibus legitur) id eſt abuſiuè, plerunque propria & ſubtili interpretatione reiecta accipi: nimia enim iuris ſubtilitas, crux eſt, vt antiqui dicebant: vnde illud Comici, Summum ius, ſumma iniuria eſt. ¶ Fabius Quintilianus κατάχρησιν figuram eſſe autor eſt, vbi proprio nomine omiſſo, aliud vicinum aſſumimus. Tranſlationem verò, vbi nomen proprium deeſt: quo fit, vt hanc neceſſitas excuſet, vſurpationem ornatus, vel ratio carminis.

BRECHÆVS.

LICET. ¶ Diximus ſuprà in *l. Labeo. hoc tit.* quid inter geſta & acta ſit diſcriminis, nunc docet Caius inter geſta & facta nullam eſſe differentiam ex propria verborum interpretatione. Quòd ſi qua ſit, eam quidem ſubtilem eſſe magis, & ex abuſione accipiendam.

FORNERIVS.

LICET. ¶ Cognata ſunt & iſta iis, quæ de curatore bonis dando proximè diſputauimus. In quo illud obſeruandum eſt, ſubtileis quaſdam verborum differentias λεπτολογήματα à Iureconſ. negligi: à quibus multa καταχρηστικῶς, impropriè, imò ἀντιφραστικῶς dicuntur: quæ ab ineptis harum rerum cenſoribus non ſatis percepta, calumniandi anſam, vt Vallæ, aliiſque litteratoribus præbuerunt. Vt hîc inter [geſta & facta] differentia negligitur. Sic [emere,] pro [vendere.] *l. 19. veteres. de actionibus empt.* ἠγόρακε pro ἀπέδοτο, quod Arpocration ex Hipperide *in actione Doriaca* obſeruauit. [Dare pro tradere, & facere pro vendere.] *l. 6. l. vlt. de praſcr. verb.* [Senatuſconſultum pro lége.] *l. 7. de capit. min.* Lex Voconia, de qua Theophilus *tit. de lege Falcid.* & Quinctilian. *declamat. 264.* à Cæcilio Plebiſcitum, apud Gellium *lib. 20. cap. 1.* Lex Aquilia, quam Gallus Aquilius à plebe rogauit, haud dubiè plebiſcitum eſt. *l. 1. ff. de leg. Aquil.* Fabiana lex, pro edicto Fabiano. Paul. *lib. 3. tit. 3. ſent. Baſilicῶn.*

lib

lib.46.tit.2.& 45.tit.1. Antiphraſes etiam noſtris vſitatæ [Beneficium pro maleficio] & opera in malum conſumpta *l.40.ex facto.ſ.de aq.pluu.l.46.inter.ſ.de furt.* vbi temerè quidam repoſuerunt [maleficio. Sperare pro metuere:] Vlpianus, [qualitate damni quod contingere ſperatur.] *l.13. qui bona fide dam.infect.* Amm. Marcellinus *lib.16.* [Conſtantius impendio timidus, ſemper ſua feriri ſperabat: vt Dionyſius tyrannus ille Siciliæ.] Quinctilianus *lib. 8.cap.* 1. [tantùm potui ſperare dolorem.] Apud Hippocratem ἐλπίζειν pro metuere, non ſemel legimus. Sudas Ἐλπίδας. οὐ μόνον ἐπ' ἀγαθῷ, ἀλλ' ἁπλῶς ἐπὶ τοῦ μέλλοντος ἐκβαίνειν λέγεται, καὶ ἐπὶ κακοῦ. ¶ Nec ſolùm apud Iureconſultos verborum abuſum *l.41. ſeruus.de pecul.l.8.item prætor. de ſuis & legit.hered.* ſed & contraria nomina rebus impoſita notamus. Sidon. Apollinaris *lib.2.epiſt.2.* Pontus Euxinus, inhoſpitalis Procopio, vt Euethem dicimus ſtultum, noctem Euphronem. & furias Eumenidas, per cauillationem, inquit Amm. Marcellinus, *lib.22.* Et Iuſtinianus εἰρωνικῶς à militibus Calinicus vocatus, nunquam in caſtris conſpectus, bene ſe res bellicas adminiſtrare gloriatur *l.vn.C.de alea luſ.& aleat.* Himerius apud Cedrenum in Michaelo, id eſt agreſtis, ob vultus feritatem dictus, ἡμέριος οὗτος ἐκαλεῖτο. διὰ τὴν τοῦ προσώπου ἀγριότητα καλούμενος κατὰ ἀντίφρασιν ἄγριος. Arpocration in ἄδικος. Abſalon patris pax, in quem bellum geſſit.

§.j. Paternos libertos rectè videmur dicere noſtros libertos. Liberorum libertos non rectè noſtros libertos dicimus.

Alciatvs.

Paternos. ¶ Solebant Quirites cùm repudiare vxorem vellent, *l.nullum.de diuort.* libertum ſuum huius rei nuntium mittere, quod & Satyra Iuuenalis indicat:

Collige ſarcinulas, clamat libertus, & exi,
Iam grauis es.

¶ Dubitatum fuit, quem libertum ſuum intelligeremus, & paternam quoque ſeu auitum ſuum libertum eſſe Iuriſconſulti tradiderunt. ¶ Quòd ſi à filio fortè milite caſtrenſis peculij ſeruus manumiſſus ſit, is libertus patris dici non poterit: miles enim eius patronus eſt, non pater *l.antepenult.qui & à quib.* ¶ Cæterùm & filius, qui ex aſſignatione patris libertum habet, ſolus ei patronus eſt, non autem frater: *l.1.de aſſeſſ.* quamuis etiam quantum ad eum, rectè paternus libertus dicatur.

Noſtrorum liberorum. ¶ Alij codices habent libertorum: nam libertus liberti mei, *l.Modeſtinus. ſ.eo.* meus libertus non eſt: ſed verior hic lectio eſt liberorum. nam & in antiquiſſimis exemplaribus vna complexione ſic ſinitur: Paternos libertos, noſtros libertos, liberorum noſtrorum non rectè noſtros libertos dicimus. Sed an id obſeruabitur etiam viuente manumiſſore? & quia generaliter Iuriſconſultus loquitur, veriſimile eſt hoc quoque caſu ſententiam hanc producendam: nec abhorret, vt patris libertus filij quoque ſit, cùm rerum paternarum in vita patris filij quodammodo domini habeantur *l.in ſuis.de lib.& poſt.* Cæterùm, quamuis libertus filiifamilias militis, manumiſſore mortuo, patris libertus non dicatur, defertur tamen illi eius hereditas, ſecundum Iuſtiniani conſtitutiones. *§.militis.inſtit.de ſuc.lib.*

Fornerivs.

Paternos. ¶ Occaſio huius capitis fortè offertur *ex l.antep.pen.& vlt.ſ.de diuort.& l.57.qui in prouincia.aliàs l.diuus.ſ.de rit.nupt.* Multa per libertos Romanis tranſigebantur, vt diuortia, vt libelli principi oblati, ſed & operæ, & bona, & teſtamenta libertorum huic Caij definitioni cauſam dediſſe videri poſſunt: vt paterni liberti noſtri quoque cenſeantur. *arg.l.2.in ſuis.de liber.& poſthum.* Amittens ciuitatem adimit liberis, ea quæ ab inteſtato peruenissent, id eſt, hereditatem & libertos. *l.3.ſ.de interdict.& releg.* At verò liberti liberorum noſtrorum, non æquè noſtri habentur. Cuius differentiæ ratio in eo eſt, quòd bona faciliùs à parentibus in liberos deſcendant, quàm contrà, in parentes à liberis tranſcribantur. Legibus noſtratibus *propres ne remontent iamais.* filij viuo patre quaſi domini exiſtimantur: vt poſt mortem parentis non tam hereditatem percipere, quàm liberam bonorum adminiſtrationem conſequi videantur. *d.l.2.in ſuis,* qui tacita quadam naturæ lege ad ſucceſſionem vocantur *l.vlt.de bon.damnat.* At non ita parentibus debetur filiorum hereditas. *l.15. nam etſi.de inoff.teſtam.* Reuera ius patronatus eſt perſonale. Modeſtinus, [Liberi patroni quanquam & ipſi in pleriſque cauſis manumiſſoris iure cenſentur, tamen paternum libertum liberis ſuis adſignare non poterunt. *l.8.de aſſign.lib.* Perſonale eſt & obſequium, perſonalis reuerentia. *l.7.licet.l.8. heres.ſ.de obſeq.à libert.* ¶ Liberti libertæque defunctorum operas neque extraneis heredibus patronorum, neque maritis patronarum δουλοπρεπῶς ἐπαρκεῖν debent. *l.6.C.de oper.lib.l.pen.ſ.eod.* Donatus in illa Terentiani Simonis verba [Scis, feci è ſeruo vt eſſes libertus mihi.] Mihi, Emphaſim habere notat, quòd mihi libertus factus ſis, nón filio, cui nec liberti munus debeat, inquit. Arrianus *lib. 3.in Epictetum cap. 25.* manumiſſum de ſe ſic loquentem inducit, πᾶσιν ὡς ἴσος καὶ ὅμοιος λαλῶ, πορεύομαι ὅπου θέλω, ἔρχομαι ὅθεν θέλω, καὶ ὅπου θέλω. Cum omnibus loquor, vt æqualis, quocunque voluero proficiſcor, & vndecunque libuerit diſcedam.

LIX. Vlpianvs lib. lxviij. ad Edictum.

Portvs appellatus eſt concluſus locus, quo importantur merces, & inde exportantur. Eáque nihilominus ſtatio eſt concluſa, atque munita: Inde angiportum dictum eſt.

ALCIATVS.

PORTVS. ¶Portum antiqui plerunque pro inſula aut domo (vt Feſtus inquit) dicebant: cuius rei rationem Iuriſconſultus hîc aſſignet, quòd ſcilicet merces in eam portarentur. Hinc à ſimilitudine portus appellari cœpta eſt, nauium ſtatio, qua incluſæ naues à vẽtis tutæ eſſent: iſque frequentiſſimus eſt huius vocis ſignificatus. ¶ Sed & angiportum anguſtam viam inter portua, id eſt, domos, dixerunt: qua de re latiùs Grammatici diſſeruêre.

BRECHÆVS.

PORTVS. ¶ Antiqui domos ſuas portus appellabant, quòd ibi bona ſua portarent. Vnde portricus dictę. Inde etiam omnem locum concluſum, in quem merces importarentur, & inde exportarentur, dixerunt. Vnde portorium appellatum, de quo ſ. diximus. Leo Bapt. Alb. *lib. 4. de re ædific. cap.* 8. Portus (inquit) veluti in curriculo eſſe carcer videbitur, à quo vix curſum ineas: aut per acta excurſione deſinas & cõquieſcas. Alij portum nauigij ſtabulum eſſe fortaſſis interpretabuntur. Eſto id vti vis, & carcer, & ſtabulum, & conceptaculum. Certè ſi portus cuiuſque proprium eſt nauim à procellarum impetu ad ſe recipere, tueri profectò neceſſe eſt, &c. Hæc ille. ¶ Itaque cùm portus alioqui ſignificet omnem locum concluſum, vt diximus, à portando deriuatum, vbi hyemant naues: accipitur tamen pro illa quoque ſtatione, vbi ad tempus ſtant naues, quæ differentia eſt à Seruio in Virgil. *lib. 2. Æneid.* tradita. Quare Portum accipiemus etiam cothona illum manu & arte fabrefactum. Virgilius *lib. 1. Æneid.*

Hic portus alij effodiunt, hic alta theatri
Fundamenta locant.

¶ Quo fit, vt portum non tantùm à portando dictum putem, ſed & ἀπὸ τοῦ πορθμοῦ, id eſt, à freto & ſinu maris traiectu facillimo ad alteras nationes, quemadmodum Græci τὸν λιμένα ἀπὸ τῆς λίμνης, quod mare ſignificat. hinc πορθμεῖα dicunt eas naueis quæ ad milites portandos & traiiciendos conſtructæ erant. Igitur portus, ſtatio illa dicetur in Inſula, aut alio loco in medio mari concluſa atque munita: quam quidem Stationem, Plagiam dicunt authore Seruio. Virgil. *lib. 2. Æneid.*

Eſt in conſpectu Tenedos, notiſſima fama
Inſula, diues opum, Priami dum Regna manebant:
Nunc tantùm ſinus, & ſtatio malè fida carinis.

¶ Vlpian. à ſtando Stationem deriuatam dicit, eúmque eſſe locum quo naues tutò ſtare poſſunt. *l. 1. §. ſtationem. ff. de flum.* Portuum autem, quidam naturales ſunt, cuiuſmodi tres fuiſſe apud Athenas reſtatur Thucydides: alij manu & arte facti, Cothones appellati: & Cothona in neutro genere à Seruio loco Virgilij ſuprà citato. ¶ Quæ autem ſit portuum conſtruendorum ratio, vide apud Vitru. *lib. 5. de archit. cap.* 12. Dicimus portum aperire, Græci λιμένα ςομῶσαι. Portumnalia (ait Varro) dicta à Portumno, cui eo die ædes in portu Tiberino, & feriæ inſtitutæ.

Angiportum. ¶ Feſtus Pomp. ſcribit Angiportum eſſe iter in oppido compendiarium, quaſi anguſtus ad portum aditus: & Varro *in lib. de ling. Lat.* quod exitum non habet, ac peruium non eſt, & id quidem anguſtum ab angendo & portu, quod etiam fundulas appellat. Hircius de bello Alexand. Omnibus (inquit) vijs atq; angiportis vallum obduxerant. ¶ Tradunt Romæ fuiſſe in loco patricio Angiportum ad ædem Dianæ, ad quem viros ingredi nephas erat.

FORNERIVS.

PORTVS. ¶ Priſca vox, quam In xij. Tab. pro domo poſitam Feſtus ait, [Cui teſtimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum obuagulatum ito: id eſt, ante ipſius ædes, qui rogatus teſtimonium denunciatũ detractauerit, conuicium impunè dicito. Plautus [*populo differam te ante ædes.*] Clauim conſuetudo erat mulieribus donare ob ſignificandum partus facilitatem, legendum, *portus.* apud Feſtum. Symbolo enim traditarum clauium facultas rei domeſticæ curandæ matrifamilias permiſſa ſignificabatur: id eſt, vt eſt apud Macrobium, vt vxor dominium agere inciperet. Quamobrem clauigera, ſeu κλειδοῦχος apud Heſychium & Sudam exponitur οἰκοδέσποινα: ſicut & clauium ademptio ex legibus xij. Tab. diuortij argumentum fuit: Cicero *Philippic.* 2. [Mimam exegit, claueis ademit.] Atque adeo in nonnullis Galliæ prouinciis, viduæ ad cõditi mariti tumolum claueis abiiciendo, ſe æris alieni ſocietate contracti neau liberas ac ſolutas teſtari ſolent. Portus & pro domo in illa antiqua lege ſumitur. [Ambitus parietis portus in vrbe ſeſtertius pes eſto:] Varro *lib. 4. de ling. Lat.* Voluſius Mætianus *de aſſe.* Feſtus Pompeius *in Ambitus.* ¶ Verùm recentioribus Portus dictus eſt locus concluſus, vt hic, τόπος ἀσφαλισμένος, & inſtar ædium priuatarum munitus. Plautus *Aſinaria,* [Portitorum ſimillimæ ſunt ianuæ meretricum: Si affers tum patent: Si non eſt quod des, ædes non patent.] Feſto. ¶ Portitores telonarij dicuntur, qui portum obſidentes omnia ſiſcitãtur, vt ex eo vectigal accipiant, pro mercedibus. Donatus *in Phormion. Terent.* Magiſtri tributorum, id eſt Publicani operam in portu dabant, inferendarum rerum & efferendarum vectigal exigentes. Id portorium dicitur *l. 3. C. de vectigal. de quo l. 17. inter. ſ. h. t. l. 203. l. in lege. ſ. h. t.* Seneca *lib. 6. cap. 18. de Benefic.* [Plato cùm flumen manè tranſiſſet, nec ab illo quicquam portitor exegiſſet.] Ad portus inſtaurationem, quia publicæ vtilitatis gratia paratur, conferunt omnes. *l. 6. C. de oper. pub.* Ac ne merces ad hoſtes aut peregrinos exportarentur, comes portus curam agens obſeruabat; exſtãtque apud Caſſiodorum formula Vicarij portus, & comitiuæ portus vrbis Romæ *lib. 7. epiſt. 7. & 23.* Ne merces illicitæ ad hoſteis, vel barbaras nationes transferantur *l. vn. de littor. & itin. cuſtod. lib. 12. Cod.* Sed & hæc Vlpiani diſputatio eſt ipſius ad edictum *lib.* 68. vnde & ſumpta *l. 1. de fluminib.* pertinet ad edictum Prætoris de fluminibus. [Sationem dicimus, inquit, à ſtatuendo.] leg. [ſtando:] quoniam mox ſequitur, [is igitur locus

locus demunſtratur, vbicumque naues tutò ſtare poſſunt.] & paulò poſt, [Ne quid in mari inve littore quo portus ſtatio itérve nauigio deterius fiat.] Iam quod ſequitur *in §. deinde*, corruptum, itáque reſtituendum cenſeo, [Quod in flumine publico ripáve eius factum, ſiue quid in id flumen ripámve eius immiſſum habeas quo ſtatio itérve nauigio deterior ſit, fiat, reſtituas. Alioqui & quæ ſubiicitur *§. vlt.* aliena eſſet interpretatio, & propoſita proximè *ſeq. tit.* formula. (*l. vn. §. deinde. ne quid in flum. pub.*) ſi cum hac conferatur, facile veriorem lectionem coarguet. Ait [tuto ſtare.] Dido Ouidiana, [tuta ſtatione recepi. Cyprianus *epiſt. 15. lib. 3.* [Quid enim ſi in mari portus aliquis munitionibus ſuis ruptis, infeſtus & periculoſus eſſe nauibus cœperit, nónne nauigántes ad proximos portus naueis ſuas dirigunt, vbi ſit tutus & ſalutaris introitus, & ſtatio ſecura?] Vnde apparet non de ea ſtatione hîc agi, quæ pro officina, certóque argentariorum in foro ſedentium loco, vel artificum taberna ſumitur, *vng bureau, banc boutique. l. 1. C. de compenſat. l. pen. C. de oper. publ. l. 15. Apud. §. conuicium. de iniur.* [Eum quoque qui in foro eodem agat, ſi circa columnas aut ſtationes ſe occultet, videri latitare veteres reſponderũt.] *l. 36. de reb. auct. iud. poſſ. vulgò l. eum. de priuil. cred. arg. l. 7. Fulcinius. § illud. quib. ex cauſ. in poſſ. eat.* Baſilius *in Pſal. 14.* Ambroſius *in lib. de Tobia cap. 7.* Erãt enim in foro ſtationes. Plutarchus *περὶ πολυπραγμοσύνης.* quæ nihil ad inſtitutum faciunt. Vt nec ſtationes militum. *l. 3. de re mil. l. 1. de offic. præf. vrb.* [Inde angiportum.] ¶ Id eſt anguſta & curua via, vicus anguſtus, quaſi angiportus, vt angitia, aut anguitia. alij, quòd inter portus anguſtus ſit locus, hoc eſt, inter domos. Nam domus, vel portus, vel inſulas veteres dixiſſe, Donatus *in Adelph. act. 4. ſcen. 2.* notat. ¶ Varro verò ab angendo & portu deducit angiportum, quia nihil poteſt agi. Cuius mentio extat *l. antep. C. de oper. pub. l. pen. C. de metator.* Seruaculum *ὁρμητήριον* à ſeruãdis in portu nauibus, *ὁρμητήριον, λιμενίδιον*, quaſi paruus portus, Rub. Conſtantinus ab Vlpiano dici cenſet. [Parui refert nauem immittendo, aut ſeruaculum ad nauem ducendo.] Quo in loco, alij, [ſertaculum] quidam [verriculum,] & [tertaculum,] vetus codex [gubernaculum,] perperàm omnes *l. 29. quemadmodum. ad leg. Aquil.*

LX. IDEM lib. lxix. ad Edictum.

LOCVS eſt non fundus, ſed portio aliqua fundi: fundus autem integrum aliquid eſt. Et plerumq; ſine villa locum àccipimus. Cæterùm adeò opinio noſtra & conſtitutio locum à fundo ſeparat, vt & modicus locus poſſit fundus dici, ſi fundi animo eum habuimus. non etiam magnitudo locum à fundo ſeparat, ſed noſtra affectio. & quælibet portio fundi poterit fundus dici, ſi iam hoc conſtituerimus. necnon & fundus locus conſtitui poteſt. nam ſi eum alij adiunxerimus fundo, locus fundi efficietur. Loci appellationem non ſolum ad ruſtica, verùm ad vrbana quoq; prædia pertinere Labeo ſcribit, ſed fundus quidem ſuos habet fines: locus verò latere poteſt, quatenus determinetur, & definiatur.

ALCIATVS.

LOCVS. ¶ Locus fundi portiuncula eſt, fundus autem intelligitur ſecundum domini mentem, qui ex vno plures fundos facere poteſt, ſi quibus quiſque finibus contineatur, deſignauerit, quapropter & minimam partem fundum dicemus, ſi talis fuerit eius affectio. ¶ Hinc eſt, quòd ſtipulatio fundi in genere nullius eſt momenti, propter incertitudinem: offerendo enim vel ceſpitem terræ liberaretur promiſſor, vt quidam ſcribunt *l. cùm poſt. §. gener. de iure dotium.* Sed & Mar. Ciceronis in quodam ioculari libello citantur hæc carmina.

Fundum Varro vocat, quem poſſim mittere funda.
Ni tamen exciderit, quà caua funda patet.

¶ Igitur niſi affectio teſtatoris probetur, in dubio appellatione fundi de toto intelligemus. *l. ſi defenſor. §. 1. de interrog. act.* nec vt ab hac interpretatione recedamus ſufficiet, ſi in plures regiones cõmodioris culturæ gratia fundum diuiſerit. *l. Caius. in fin. de leg. 2.* ¶ Sed & ſi tibi quis partem fundi Corneliani legauerit, deinde eadem ſcriptura fundum Cornelianum leget, non ſola pars, ſed totus debebitur: pars enim fundi (vt diximus) tunc pro toto habetur, cùm ea affectio eſt teſtatoris, vt non pars, ſed totũ ſit. Quod in propoſita queſtione dici non poteſt. quomodo enim pro integro fundo habuiſſe eum teſtator videtur, qui pártem fundi tantummodo appellauit? vt meritò Pauli Caſtr. ſententia, *l. plane. §. 1. & fi. de legat. 1.* qui aliter exiſtimauit, reiicienda ſit. Cæterùm etiam ſi domini affectio non probetur, putauerim partem fundi pro fundo accipi debere, quoties de falſo periurióque euitando ageretur: adiuuanda enim quoquo modo eſt interpretatio in humaniorem partem.

Loci appellationem. ¶ Locus vbi quid collocari poteſt, dicitur. eius autẽ *μεταφορικῶς* varia eſt ſignificatio, vt cùm dicimus quem loco obſcuro natũ, vel loco fratris fuiſſe: illud enim ad genus nobilitatémq; refertur, hoc vicem denotat. Sed & Ariſtoteli Ciceroniq; *in partit. orat. & in Topic.* loca ſunt argumentorum ſedes, hoc eſt, vniuerſales propoſitiones, quæ particularia continent, ſicut loci corpora. ¶ In iure verò quandoque locus generaliter accipitur, *l. fundi. 3. eod.* & ex mente proferentis interpretationem capit. Qua ratione in prædiis vrbanis locus ſine ædificio dicitur area: in ruſticis, ager. At cùm ſpecialiter reſpectu fundi locum dicimus, de portione aliqua accipimus. Quòd ſi fundi Tuſculani dominus ſimpliciter locum ſuum Tuſculanũ legat, ne ex incertitudine legatum vitietur,

eaſtim

exiſtimauerim generaliter intelligendum, & integer fundus debeatur: nam & huiuſmodi expoſitio vulgari ſermoni alludit.

BRECHÆVS.

LOcvs. ¶ A locando locum dictum nonnulli exiſtimant, propterea quòd in loco aliquid locari ſolet. Nam locus eſt area ſeu ſpacium quoddam vacuum, quo aliquid vel reponimus, vel etiam ædificare licet: à Græcis, τόπος παρὰ τὸ πατῶ, id eſt, ſpargo. ἢ παρὰ τὸ τῶ, τὸ λαμβάνω καὶ δέχομαι apud Erymolog. Dicimus etenim locum quoque id eſſe in quo aliquid continetur: vel quod in aliquo ſpatio continetur, hac quippe differentia, qua genus à ſpecie. Vt cùm teſtator dixit, Lego locum irriguum qui in fundo meo Seiano eſt, tunc, fundi appellatio complectitur, & vniuerſum fundum Seianum ſimul & locum illum irriguum qui Seiano fundo ſitus eſt. Sicut qui lineam enuntiat, punctum quoque intelligit: nam punctum, in linea quæ ex multis conſtat punctis, continetur: Sed punctum lineam nõ compræhendit. Cuius rei eſt exemplum apud Virgil. *lib.6. Æneid.*

Quæ Regio Anchiſen, quis habet locus?

Bene (inquit eo loci Seruius) & generalitatem requirit & ſpeciem quò poſſit facilius Anchiſes inueniri. Nam locus in regione eſt. ¶ Fundus autem à M. Varrone *lib. de ling. Latin.* dicitur à fundendo propter hoc quòd fundat quotannis multa. Virgil. *lib.2. Georg.*

O fortunatos nimium, bona ſi ſua norint.
Agricolas: quibus ipſa procul diſcordibus armis
Fundit humo facilem victum iuſtiſſima tellus.

¶ Sed Seruius fundum ab eo dici contendit, quòd ſit rerum omnium fundamentum: propterea à fundando, id eſt, firmando & ſtabiliendo arbitror poſſe dici. ¶ Bene igitur fundi appellatione dixit iuriſcon. Florentin. *lib.7. inſtitutionum. l. fundi appellatione. ꝗ. hoc titul.* omne ædificium, omnémque agrum contineri. Locum verò ſine ædificio in vrbe, aream, in rure autem, agrum appellari: ſed agrum cum ædificio, fundum dici. Iabolenus fundum definit eſſe omne quicquid ſolo tenetur *l. quæſitũ eſt. ꝗ. hoc tit.* Qua quidem ratione nihil videtur eſſe diſcriminis inter agrum & fundum. *Franciſc. Connan. lib. 4. Commen. iur. ciuil. cap.6.* exiſtimat agrum generale eſſe verbum Latinis ad omnem locum ruſticum in quo ſeri, plantari, aut ędificari poteſt: vbi poſtquàm aliquid actum eſt, nomen mutat, & aliud ſibi proprium accipit à re cui deſtinatur: vt ager proſciſſus, ager reſtibilis qui reſtituitur ac reſeritur quotannis. Ager (inquit Varro) quòd videbatur pecudum ac pecuniæ eſſe fundamentum, fundus dictus eſt. ¶ Sed agrum generalius eſſe verbum quàm fundum Valla contendit *lib.6. elegan. cap.41.* atq; agrum continere fundum, non autem contineri à fundo, & fundum minus quiddam eſſe. Singula enim propriè prata, ſingulæ vineæ, ſinguli horti, ſingula oliueta, pomaria, ſalicta, arbuſta, paſcua, nemora, loca aucupatoria, venatoria, piſcatoria, ſiue villam atque ædificium, ſiue piſcinam, ac que aluearia, ſiue viuaria habeant, ſiue non habeant, ſinguli fundi ſunt: & hoc quidem in agro. Hæc ille hactenus. ¶ Et ſanè arbitror potiorem eſſe Vallæ ſententiam. Quoniam ager etiam & territorium vrbis aut coloniæ alicuius ſignificat, vt ſupra adnotauimus *in l. Ager locus eſt. hoc tit.* in quo territorio permulti ſunt ſingulorum fundi. Vt in agro Turonenſi, fundus Tufferianus, Huſſeianus, & pleríque alij fundi ad ſingulos ſpectantes. Fundi autem appellatio eſt generalior, loco. Nam plures in vno fundo loci eſſe poſſunt: vt in fundo Tufferiano, prata, ſalicta, vineta. Sic fundus integrum quiddam eſt, multos ac varios ſub ſe locos continens. Itaque fundus, ſecundum communem loquendi vſum, de ruſtica poſſeſſione intelligitur, vt tradit Bart. *in l. 1. §. vſufructuarius autem. ff. de noui operis nunciat.* Sed prædium, tam vrbanum quàm ruſticum eſt. Solum verò, quicquid terrenum eſt, ait Connanus *lib.7. Comment. cap.7.* ¶ Sed & ſolum dicitur, quod ſoliditate ſua ædificium ſuſtinet. Quod autem ſolo ædificatur, ſuperficies eſt. Vnde ſuperficiarias ædes appellat Caius, quæ in conducto ſolo poſitæ ſunt. *l. final. ff. de ſuperficiebus.* Nunc etiam promiſcuè fundum nominamus, agrum, ſolum, & prædium pro vna eadémque ſignificatione. Quid ſi Lodoicus fundum Huſſeianum Titio legauerit, eáque ſit Lodoici mens, ea voluntas, vt qui locus ſalicti, aut pratorum eſt in ipſo fundo, tantùm legatus ſit. An rectè fundus legatus eſt? Et rectè legatum Vlpianus reſpondit, vt legatarius partem fundi accipiat: cùm pars fundi, rectè fundus appellari poſſit. *l. planè. §. fin. de legat. 1.* ¶ Videto quæ ſcripſi κατὰ διέξοδον in hanc rem, ad *l. rectè dicimus. ꝗ. hoc titulo.*

FORNERIVS.

LOcvs. ¶ Non abs re veteres fundum & locum in formulis coniungebant: vt in legis Liuiæ fragmento identidem inculcatur [locus ſeu fundus:] vt in lapide Neapolitano, [In his ædificiis & lucis furis adiacentibus ædificiis, ſiue is locus ager eſt.] *l. 3. §. ſi loci. de adimend. leg.* ¶ Tollendæ videlicet dubitationis gratia: quæ quadruplex hic ſingillatim explicatur. ¶ Prima, locus fundi tantùm pars. *l. 2. §. ſepulchrum. l. 3. de religioſ. & ſumpt. fun. l. 7. ſi quis. cum veiſ. certum locum me petere ex eo fundo. ꝗ. de except. rei iud.* Fundus verò totum quiddam, ὁλόκληρον, & vniuerſum. *l. 86. Casus. de leg. 2.* Imò etiam plures fundi vni attributi σύνκτησιν ſeu maſſam poſſeſſionis efficiunt. *l. 34. Titia. §. Lucius. de legat. 2. l. 1. de rebus dub.* Cicero *in Rullum de lege Agraria*, [ex multis prædiis vnam fundi regionem formámque perfecerit.] Aggenus Vrbicus, *de limitibus agrorum ad Frontinum.* [Solent quidam complurium fundorum ſuorum domini duos aut treis agros vni velle contribuere, terminos qui finiebant ſingulos agros relinquere.] Quare Vlpianus edictum prætoris (vnde vi) interpretatus, [Ibi id eſt, in eo, inquit, loco, vnde quis vi deiectus eſt: non ad

angulum referendum, vel locum in quo fuerit, verùm ad omnem partem poſſeſſionis, qua quis caruit, cum deiicitur.] *l.1.§.vnde vi & vi ar.arm.* ¶ Altera Fundus eſt cum villa, Locus ſine villa conſiſtere poteſt: villa id eſt ædificiis, Græci hîc, & *l. 27. ager. §. h. titul.* χώρας τῶν οἰκημάτων. Vrbana ædificia, ædes, ruſtica, villæ dicuntur, Ager cum ædificio fundus *l.211.fundi.suprà h.tit.* Vnde Cato *de re ruſtica. cap. 3.* monet, [Ita ædificandum, ne villa fundum quærat, néve fundus villam.] Varro *lib. 1. cap. 11.* [In modo fundi non animaduerſo lapſi ſunt multi, quòd alij villam minus magnam fecerunt, quàm modus poſtulauit, alij maiorem: cum vtrunque ſit contra rem familiarem ac fructum.] & *cap.13.* [Fructuoſior, inquit, fundus propter ædificia, &c.] ¶ Tertia, Fundus propriè in agris. *d.l.211.fundi.* Cicero *Topicis.* [Vſus auctoritas fundi biennij eſto, ſit ergo & ædium.] Latior eſt loci ſignificatio, omnémque locum, vrbanum ac ruſticum complectitur, *l. 10. quid tamen, quibus mod. vſusfruct. amitt. l. 1. C. de præd. decur.* imò & pro prouincia ſumitur. *l.1. §. 1. C. de præſcript. long. temp. l. penult. ſuprà de commun. tot. titul. de eo quod cert. loc. tit. de loc. & itin. pub. titul. ne quid in loc. pub. tit. de loc. pub. fruend.* Locus ad vrbana poteſt pertinere. *d. l. 211. fundi.* [Loca ciuitatis fortia & munita occupare.] *l.1. §. ad legem Iul.maieſt.* M.Cicero *Philippic. 9.* [circáque eam ſtatuam locum gladiatoribus, ludiſque, liberos, poſteróſque eius, quáque verſus pedes quinque habere.] ¶ Poſtrema differentia, Fundus ſuos poſſeſſorum arbitrio conſtitutos fineis habet: Locus non item: & animo potius continetur. Aggenus Vrbicus eum morem indicans, [Soliti erant, inquit, antiqui in conductiones & emptiones modum comprehendere, atque ita cauere. Fundum illum, iugera tot, in ſingulis iugeribus.] *l.2.l.4.§.ſi modus.de act.empt.l. 4.de cenſibus.*

Noſtra affectio. ¶ Superius, conſtitutionem, & animum dixit, διάθεσιν Græci hîc interpretantur. *lib.33. Baſilic. tit.1. Quod in l.17. nec ei,* dicitur *affectio honeſta,* illi ita, χρηστὴν ἔχων διάθεσιν. *Nouel. 22.* ἀμοιβαία διαθέσει τὸν γάμον ποιεῖ. Maritalis affectio. *l.32. cum hic. §. ſi mulier. de don. inter vir. & uxor.*

Non etiam. ¶ Florentiæ: legendum, *Non etenim*, vulgò haud ſecius, *Non enim.* Id eſt non quantitate, aut magnitudine, ſed patrisfamilias æſtimatione & conſilio loci ac fundi diſtinctio ſtatuitur. Fundorum nomina & domus non natura conſtituuntur. *l.24. quod in rerum. de legat. 1.* inſtitutum & deſtinatio cuiuſque potiſſimùm attenditur. *l.3.§.quod ergo. ſuprà de contr. tutel. act. & vtil. l. 12. quæſitum. 6. ſi quis eodem. de fund. inſtruct. l. 64. qui filium. de legat. 3.* Pariſiorum moribus *Diſpoſition & deſtination de pere de famille vault tiltre.* Nam & ſi communis, ac naturalis nominum imponendorum ratio ab hominum arbitrio non pendet. *l. 4. de legat. 1. l. 7. Labeo. de ſupp. leg.* A. Gellius *lib. 10. cap. 4.* Tamen vti quiſque volet, ſuæ rei conditionem qualitatémque ac legem dicet: ex duobus fundis vnum, exque vno duos ſi commodum erit, efficiet. *l.6. ſi quis duas. §. ſi quis partem. §. comm. præd. l.86. Caius fin. de leg. 2.*

LXI. PAVLVS lib. lxv. ad Edictum.

SATISDATIONIS appellatione interdum repromiſſio continebitur: qua contentus fuit is, cui ſatiſdatio debebatur.

ALCIATVS.

SATISDATIONIS. ¶ Satiſdare propriè dicitur, qui dat fideiuſſores. *l. 1. & 2. qui ſatiſd. cog.* Satisfacit, qui pignore, vel qualibet alia ratione ſecurum contentúmve creditorem reddit. *l. 1. de prætor. ſtipul.* Repromittit, qui nuda ſtipulatione ſe obligat. Cauere verò variè accipitur: in diſpoſitione prætoria ſatiſdationem requirit. *l. ſancimus. C. de verb. ſignif.* in ciuili ſolam promiſſionem, cum hypotheca bonorum, vt quidam ſentiunt. Quòd ſi lex, cauſa cognita, cauere velit, vel idoneè, plenè, rectè, competenter, ſufficientérve, tunc arbitrio iudicis etiam ſatiſdandum erit. *Alex. l. diuortio. §. interdum. ſol. matr.* veluti ſi ſuſpectus ſit, qui cauere debet, vel pignus præſtandum, aliàs nullius effectus eſſet. *l. in omnibus. de iudi.* ¶ Sanè qui ſimpliciter repromittit ex vi verborum, non videtur ſatiſdediſſe, licet lex propter creditoris conſenſum ita interpretetur: vt in defenſore, quem lex ſatiſd. iubet. *l. 5. §. nunc videamus. iudic. ſol.* quod & in eo dicendum eſt, qui euidentiſſimè ſit locuples: non enim lex, quæ ſatiſdationem requirit, de huiuſmodi homine ſenſiſſe videtur. *l. quicunque. 2. C. de ſun. pat. lib. 11.* quod verum putauerim, cùm ſatiſdatio idcirco ſolùm requiritur, quia quantum ad facultates, lex creditori cõſultum velit. *l. 1. vt leg. no.* ſed ſi etiam celeritatem perficiendæ litis reſpiciat, fideiuſſio tum quoque præſtanda erit. *l. minor. in fi. de procur.* cùm noſtra quandoque intereſſit, poſſe cum fideiuſſore experiri, qui non ita litigioſus, & tergiuerſator ſit, ſicut principalis, quiſque bonam fidem fortè agnoſcet. ¶ Cæterùm & bonus vir, qui compulſus ſatiſdare, propter paupertatem non poſſit, repromittens cum iuriſiurandi religione, admittetur. *Inſ. l. 1. in fin. qui ſatiſd. cog.* ne eum ad impoſſibilia obligare lex videatur, vel aliàs ius ſibi iam quæſitum amittat. *§. ſed hodie. inſtit. de ſatiſdat.*

BRECHÆVS.

SATISDATIONIS. ¶ Qui ſatiſdare tenetur, ſi ſatiſdaturum ſe aduerſario repromittat, eáque repromiſſione, quantumlibet nuda contentus ſit cui promittitur, ſatiſdatum eſſe Paulus hoc loco cenſuit: hócque repromiſſionem ſatiſdationis eſſe loco. Nam ſatiſdatio (inquit Caius. *l. 1. ff. qui ſatiſda. cog.*) eo modo appellata eſt, quo ſatisfactio. Vt enim ſatisfacere dicimur ei cuius deſiderium adimplemus, ita ſatiſdare dicimur aduerſario noſtro, cui pro eo quod à nobis petiit

ita

ita cauemus, vt eum hoc nomine ſecutum faciamus datis fideiuſſoribus. Et Vlpianus in *l. ſi rem. §. omnis. ff. de pignorat. act.* Satisfactum autem (ait) accipimus quemadmodum voluit creditor, licet non ſit ſolutum. Et generaliter dicendum erit, quoties recedere voluit creditor à pignore, videri ei ſatisfactum: ſi, vt ipſe voluit, ſibi cauit: licet in hoc deceptus ſit. Satisfeciſſe ergo prodeſt (ait alio loco Vlpianus. *l. item liberatur. §. Qui paratus eſt. ff. quibus modis pign. vel hypothec. ſol.*) quia ſibi imputare debet creditor qui ſatisfactionem admiſit vice ſolutionis: cùm neque cogi neque compelli poſſet, vt ſatiſdationis loco expromiſſorem admitteret. *l. quòd ſi. d. tit. de pignorat. act.* Volenti nanque & conſentienti non fit fraus, dolus, neque iniuria: vulg. reg. iur. Alioqui exiſtimarem eam repromiſſionem quæ fraude & dolo non careat, ſatiſdationis vim minimè habere: ſecundum *l. ſi quaſi. eod. tit. de pig. act.*

FORNERIVS.

SATISDATIONIS. ¶ Origo huius capitis vnde ducatur, cùm propter varium ipſius vſum non conſtet: probabilia ſequar. ¶ His verbis *(interdum etiam)* ſingularis abs iure communi deductio arguitur. Regula eſt, Neminem, ſine ſatiſdatione, idoneum alienę rei expromiſſorem videri. *l. 110. in eo quod plus. ℥. tit. ſeq.* Exceptio, ſi nuda ſit promiſſione contentus, cui ſatiſdatum oportuit. *text. hic. & l. 1. ℥. ſi quis caut.* Quod in infinita producere exempla licet. Veluti ad cautiones iudicio ſiſti. *tit. ſi quis in ius vocat. tit. ſeq. tit. ſi ex noxal. cauſ. tit. ſi quis caut.* Ad legata, quorum nomine heres ſatiſdare compellitur, aut in poſſeſſionem bon. mittetur legatarij. *l. 1. l. 4. vt legat. nom.* Si is cuius fideicommittitur deminuat vltra modum. *l. pen. ad Sc. Trebell. Nouell.* 108. Vſuſfructuarius quoque non nuda cautione, ſed legitima, datis fideiuſſoribus defungitur. *l. 7. ſi vſusfructus. ℥. quemadm. vſuſr. cau.* Ad cautiones quoque prætorias & iudiciales pertinet, de quibus. *l. 5. de verb. ob. l. 1. de præt. ſtipul. & tit. de diuiſ. ſtipul. tit. de Satiſdationib. inſtit.* veluti, *Damni infecti*, quam in interdictis aſſiduam fuiſſe, prætorum verbis oſtenditur, [Qui hoc interdicto vti volet, is aduerſario damni infecti, quod per eius vitium datum ſit, caueat.] *l. 3. §. ait. de itin. actúque priu. &*, [Quandoque de opere faciendo interdictum erit, damni infecti caueri iubebo.] *l. 1. §. ait l. pen. de aq. cottid. & æſt.* item, [Damni infecti, quod operis vitio factum ſit, caueri iubebo.] *l. 1. de cloac.* rurſus, [Quo minus viri boni arbitratu damni infecti caueatur, vel ſatiſdetur vim fieri veto. Qui ripam vult munire (inquit Vlp.) de damno futurò] (id eſt μελλούσης βλάβης. *l. 2. de dam. infect.*) [debet vel cauere, vel ſatiſdare ſecundum qualitatem perſonæ.] *l. vn. de rip. muniend.* ¶ Pœna autem eius, qui damni infecti aliòue nomine non ſatiſdediſſet, erat, vt in bon. poſſeſſionem mitteretur aduerſarius. *l. 4. l. 5. l. 7. prætor. ℥. de damn. infect. l. vltim. ne vis fiat ei. l. 1. l. 2. quod legator. l. 1. l. 4. vt legat. nom.* ¶ Cauere autem oportet idoneè, pro rei qualitate qua de agitur. *l. 1. in ius vocat. vt eant*, dato ſcilicet fideiuſſore vel pignore. *l. 5. ſi quis caut.* id enim *Satiſdationis* nomine propriè ſignificatur. *l. 21. promiſſor. de conſtit. pecun.* Baſilicôn ſynopſeos *lib. 26. tit. 2.* ὅτι ἀντιφωνῶν ἱκανοδοσίαν δίδωσι, ὁ ἐνέχυρον ἢ ἐγγυητὴν διδούς. ¶ Satiſdatio autem eodem modo appellata eſt, quo ſatisfactio. Nam vt ſatisfacere dicimur ei, cuius deſiderium implemus, ita & ſatiſdare, cum pro eo quod à nobis petitur ita, cauemus, vt aduerſarium ſecurum faciamus, datis fideiuſſoribus. *l. 1. ℥. qui ſatiſda. cog.* Satisfactio autem pro ſolutione habetur, cùm creditores qualibet ratione abſoluimus. *l. 9. ſi rem. §. omnis. de pigno. act. l. 49. ſolutam. fin. l. 52. ſatisfactio. de ſolut.* Vt autem inuito creditori aliud pro alio non ſoluitur. *l. 2. ſi certum petatur. l. 16. cum. C. de ſolut.* Conſentienti autem pro pecunia rectè alia res ſoluitur. *§. 1. quibus modis toll. ob. l. 17. manifeſtè. C. de ſolut.* Ita nec pro ſatiſdatione nuda repromiſſione ſatisfit. *d. l. 21. promiſſor. d. §. omnis.* Cúmque vitiosè cauetur, veluti muliere, milite, minore, ſeruo, clerico fideiubentibus, vtique ſatiſdatum non videtur. *l. 6. quoties. l. 8. de die. qui ſatiſd. cog. cap. 1. de fideiuſſ. can. apoſtol. xx.* κληρικὸς ἐγγύας διδοὺς καθαιρείσθω. Nonnumquam tamen nuda repromiſſio ſufficit, qua contentus dimiſerit is, cui ſatiſdatum oportuit. *d. l. 1.* Sibi enim imputet qui cautionem eiuſmodi admiſerit, vel pignoribus ſibi caueri noluerit. *l. 5. verſ. Sic enim. ſuprà iudic. ſolu. l. 2. quod legator. l. 1. vt legat. nom.* Sanè qui fideiuſſores accepit volens, his contentus eſſe debet: niſi medio tempore magna inopia, aut calamitate minùs idonei inueniantur, cauſa cognita ex integro ſatiſdabitur. *l. 10. ſi arbitro, qui ſatiſd. cog.* Aut ſi fideiuſſorem alium, pignúſve dare nequeat, res ſequeſtrò deponetur, vel poſſeſſio transferetur. *l. 6. hac edictali. §. ſin autem vtraque. C. de ſecundis nuptiis. l. 5. vt legat. nom.*

Qua contentus. ¶ Nec enim à fiſco ſatiſdatio exigi ſolet: nec à rebuſp. ſed repromiſſio, [voluntati defuncti ſtatuiri.] *l. 1. §. ſi ad fiſcum. l. 6. ſi quando. vt legat. nom.* Perſonarum dignitas, facultatum amplitudo ſatiſdandi neceſſitatem remittit, vt nuda, certè iuratoria cautio ſufficiat, vt in illuſtribus. *l. penultim. C. de dignitat.* iiſque qui vel in vrbe, vel in prouinciis prædia & res immobiles poſſident. *l. vltim. C. de princip. agent. in rebus.* Nam & cum eo qui pro rei qua de agitur, qualitate locupletem approbatúmque fideiuſſorem non accipit, iniuriarum agi poteſt: & fideiuſſor qui quaſi minùs idoneus non ſit acceptus, de iniuria queri poterit. *l. 5. qui ſatiſd. cog.* Sed & ſi cùm paratus eſſem ſoluere, fideiuſſores meos interpelles, iniuriarum tenebere. *l. 19. ſi creditor. de iniur.* Corneliæ gentis principi Aſinæ cognomentum inde datum: quòd empto fundo, ſeu filia data marito dotis nomine cum ſponſores ab eo ſolenniter poſcerentur, Aſinam pecunia onuſtam in forum, quaſi pro ſponſore præſens pignus Macrob. *lib. 1. Saturnal. cap. 6.* Locupletes & immobilium poſſeſſores, quaſi idonei ſatiſdare non compelluntur. *d. l. vlt. C. de princ. arg. l. pen. ℥. qui ſatiſd. cogant. lib. Nouell. Valent. tit. 2. in fin.*

LXII. Caivs lib.xxvj. ad Edictum prouinciale.

TIGNI appellatione in lege duodecim tabularum omne genus materiæ ex qua ædificia conſtant, ſignificatur.

Alciatvs.

TIGNI. ¶ Legis duodecim Tabularum verba hæc erant, quorum mentionem Feſtus Pompeius *lib.18.de verb.vet.ſignifi.* facit: [Tignum iunctum ædibus, vineáve & concapit ne ſoluito.] Sunt qui exiſtiment legem xij. Tabul. ita conceptam: [Tignum iunctum ædibus, vineiſve ne ſoluito, ſed duplum, qui iunxit, dato. ¶ Declarat ea Iuriſconſultus, vt tigni appellatione omnis materia. *l. tigni.ad exhib.* ex qua ædes conſtant, contineatur. Vnde tegulæ, lapides, cæmenta, calx, atque arena id genus ſimilia, hoc nomine comprehenduntur. *l. 1. de tign.iniuncto.* Tigna enim à tegendo dicta ſunt. ¶ Qua ratione & fabri tignarij appellatione, omnes materiarij, murarij, albariíque ſignificabuntur. *l.ferri. ꝗ.eod.* Huiuſmodi tamen interpretatio à communi vſu loquendi abhorret: quandoquidem tigna ſolent trabes appellari, quibus ſumma domus contegitur: hinc & contignationes dictæ, quorum vocabulorum frequens mentio eſt M. Vitruuio: vt hinc argumentum colligi poſſit, poſſe dictionem quamlibet, quoties deriuatio cum ratione legis conueniat, ſecundum eam accipi, tametſi communis loquendi vſus repugnet. ¶ Sanè verborum legis xij. Tabul. iure quoq; mentio eſt, vbi dicitur, quemadmodum ea lex tignum ædibus iunctum vendicari poſſe ſciſcit, ſed interim id ſolui prohibuit, pretiúmque dari voluit. *l.qui res.in fin.de ſolut.* Quo in loco Accurſius, ſi ſcit ſeparatim legit, nimirum ignorans, idem eſſe ſciſcere, quod confirmare: vnde & plebiſcitum dicitur.

Brechævs.

TIGNI. ¶ Hæc lex xij. Tabularum ita ſe habet. Tignum alienum furtiuum ædibus vel vineis ſoia iniunctum, ne quis eximere cogitor: ſed duplum pro eo, per actionem, de tigno iniuncto, præſtare compellitor. ¶ Quæ quidem lex communi omnium vtilitati proſpicit (ait Calcaguinus:) ne videlicet ædificia corruant: neu vineæ prociduæ, vino ferendo minus idoneæ ſint, ſi pedamenta & ridicæ ſubtrahantur. Hoc ex Vlpiano. *l.1.ff.de tig.iniuncto.* Tignum à tegendo dictum idem Vlpia. ſcribit. Eſt autem propriè tigum, cui tectum ſuperponitur. Vitruuius *lib.4.cap.2.* Trabes (inquit) ſupra columnas & paraſtatas & antas ponuntur: in contignationibus, tigna & axes, &c. Nam contignatio habet trabes, tigna, aſſes, tegulas. Albertus de re ædificat. *lib.7.* In trabibus ſunt tigna, quorum reſecta ad perpendiculum capita extrorſus appareant ex moduli dimidia. Tignorum latitudo, æquabit craſſitudinem trabis, &c. Hæc ille. Item Vitruuius *lib.10.* ſupra capreolos tignum collocatum coniungebat capreolorum compactiones. Sunt autem capreoli, architectonices profeſſoribus, tigna tectum concathenantia: à ſimilitudine capreolorum quibus vites & cucurbitæ adhærent ramuſculis. Varro *lib.1.res ruſtica. cap.31.* Is eſt coliculus viteos intortus, vt cincinnus: is enim vites vt teneat, ſerpit ad locum capiendum, ex quo à capiendo capreolus dictus. Iam verò trabes ſuſtinentes capreolos, quę tranſtra dicuntur, Sextus Pompeius ſcribit eſſe tigna quæ à pariete in parietem porriguntur. Vnde ipſe Vitruuius à tranſtris, tranſtilla pro tigillis dixit *lib.5.* Quod etiam G. Philander vir doctiſſimus adnotauit. Vnde per trabium porrectionem ſuppoſitis Murulis, contignationem facimus. ¶ Cæterùm, hoc loci, tigni appellatio complectitur omne genus materiæ ex qua ædificia conſtant: cuiuſmodi ſunt ligna, lateres, cæmenta, lapides, tegulæ, quæque ſunt apta ædificiis. Sed & in vineia, tigni appellatione omnia vineis neceſſaria continentur: vt puta, perticæ, pedamenta, palli ſeu ridicæ apud Columellam. Si ergo aliqua ex cauſa dirutum ſit ædificium: poterit materiæ dominus tunc eam vindicare, & ad exhibendum agere, vt reſpondit Caius. *l.adeo.§.Appellatione autem.& ibidem gloſſ.de acqui.re.do.* Et Vlpia. *d.l.1.de tig.iniunct.ff.*

Materia. ¶ Græci appellant ὕλην fecem omnium elementorum, videlicet ignem & aërem ſordidiorem: item aquam & terram ſordidiora, vnde cuncta procreantur, autore Seruio: Latini (inquit) materiam appellauerunt: nec incongruè: cum materiæ ſyluarum ſint. Ergo Græci à toto, hoc Latini à parte dixerunt. Rectè igitur dixit Caius, tignum eſſe omne genus materiæ ex qua ædificia conſtant. Cùm materiæ verbum, quod ὕλη, vnde ſylua dicta (vt ſuprà admonuimus, *in l.Sylua cædua*) ad lignum referatur. Et quidem ex Iulio Polluce conſtat lignorum alia eſſe deſtinata igni ξύλα καύσιμα alia fabricandis ædificiis apta ἐργάσιμα appellata. Vulgò in conſtitutionibus regiis, dicimus lignum mortuum, & mortuum lignum. Itaque materiaturam fabrilem. Vitruuius *lib.4.* dixit, quam nos hodie noſtrate lingua, carpentariam dicimus. Ita (inquit) vna quæque res & locum, & genus, & ordinem proprium tuetur, è quibus rebus, & à materiatura fabrili in lapideis & marmoreis ædium ſacrarum ædificationibus, artifices diſpoſitiones earum ſcalpturis ſunt imitati, & eas inuentiones perſequendas putauerunt: ideò quòd antiqui fabri quodam in loco ædificantes, cùm ita ab interioribus parietibus ad extremas parteis tigna prominentia habuiſſent collocata, interlignia ſtruxerunt, ſupráque coronas & faſtigia, venuſtiore ſpecie fabrilibus operibus ornauerunt. ¶ Sic igitur Materiarios dicere poſſumus eos quos vulgò hodie & noſtrate lingua Carpentarios nominamus: quos etiam Caius *lib.3. ad legem xij. Tabularum*, fabros tignarios dicit: ſed non eos duntaxat qui tigna dolarent, ſed omnes qui ædificarent. *l.ferri.§.fabros.ꝗ.hoc titul.* ¶ Quo verò tempore lignorum ſeu tignorum materiem ædificationi accommodam cædi oporteat, docet idem Vitruuius *lib.2.cap.9.* Plinius *lib.16.cap.39.* Et G. Philander in eundem Vitruuij locum ampliſſimè.

FORNERIVS.

TIGNI. ¶ Ferè in omnibus,quotquot ex xxvi. Caij ad edictum prouinciale libri ſuperſunt,legibus, de poſſeſſione & interdictis agitur. *l.5. qua in fraud.cred.l.9. precario.de prec.l.vlt. de migr.l.158.creditor.ṽ.in.ſeq.* De ſurreptæ rei poſſeſſione.*l.15.rem.de acq.poſſ.* Denique hic de tigni ſignificatione diſſeritur. ¶ Rei quidem vindicatio cuiliber domino in quemuis poſſeſſorem datur. *l.23. in rem.de rei vind.l.25.actionum.§.in rem.ob.& act.* At propter vtilitatem publicam ne ædificia ſolutis tignis diruerentur, vetuit lex xij.Tab. ne quis proprium tignum alienis iniunctum ædibus, eximeret, vindicaret,eóve nomine ad exhibendum ageret. *l.7.adeò.de acq.rer.dom.* ſed interim domino ex eadē lege actione in duplum cōſulitur.*d.l.23.in rem.§.tignum.l.6.gemmā.ad exhib.§.cum in ſuo. de rer.diuiſ.l.vlt.de litigioſ.* ¶ Antiquæ legis verba à Feſto prodita varie referuntur. Verum præ cæteris Boſij reſtitutio (me iudice) palmam tulit. [Tignum iunctum ædibus vineæúe è compage ne ſoluito.] ſed integram formulam non eſſe inde colligitur. quòd vindicationis interdictæ nihil meminerit: De qua tamen,qui librum ... conſcripſiſſe dicitur,Paulus ita, [Tignum alienum ædibus iunctum nec vindicari poteſt,propter legem duodecim tabularum, nec eo nomine ad exhibendum agi.] *d.l.23.in rem.d.l.6.gemma.* Quorſum igitur idem, [Lex duodecim Tabularum,inquit,tignum ædibus iunctum vindicari non ſinit?] *d.l.98.qui res.fin.* An quòd à ſciente tantùm qui cōſultò vinxerit vindicetur? *d.l.23.in rem.* An verò quòd non ſimpliciter, ſed hactenus modò vindicetur, vt actor dominus tigni æſtimationem pro eo non eximendo conſecuturus declaretur? *Sed interim,* ibidem ſubiicit Paulus, [id ſolui prohibuit,pretiúmque eius dari voluit.] *d.l.98.* Cur igitur inquies,furtiuum nominatur? *l.1.de tign.iunct.* Nempe quòd nihil vetat,quominus ab alio ſurreptum,atque ab alio fuerit bona fide iunctum & incluſum. Et verò legem xij. Tab. de furtiuo ſolùm cauiſſe, Paulus in Neratium annotauit *l.63.de eo.de donat.inter vir.& uxor.* Et ſi qua in architectura Pandectarum œconomiæ ratio obſeruetur,nemo non videt,tractatum *De tigno iuncto,* in media Furtorum diſputatione collocatum. Quo expeditior huius controuerſiæ definitio eſt, Vtrùm de tigno iuncto, in duplum concepta actio reiuindicationem tollat,an verò concurrat, ita vt, & ſuum dominus diſſoluto ædificio tignum auferat,& duplionem inſuper conſequatur? Vlpianus reiuindicationi locum ſupereſſe non dubitat. *l.1.de tign.iunct.* Caius verò, [Si aliqua cauſa dirutum ſit ædificium, inquit, poterit materiæ dominus, nunc eam rem vindicare & ad exhibendum agere.] *d.l.7.adeò.§.cum in ſuo.* Sed vtrique obloquutus Iuſtinianus ita excipit, [ſi non ſit iam duplum conſequutus.] Quæ verba,quòd à Caij archetypo vnde deſcribuntur,abſunt,ſpuria ipſe ſuſpicarer: Niſi ea Theophilus vti legitima Iuſtinianique familiæ nata agnoſceret. ... [De tigno iuncto] ... ἀκολύτως καὶ [in rem καὶ ad exhibendum.] *§.cum in ſuo. de rer.diuiſ.Inſt.* ¶ Sed verius eſt, quo animo tignum includatur, plurimùm intereſſe: vt cum imprudente alienámque materiam ignorante humaniùs,cum ſciente duriùs agatur: ac ille quidem omnino in præmium bonæ fidei,ſoluto duplo liberetur. Hic verò præter furti pœnam, reiuindicatione, & ad exhibendum actione conueniatur. Ille rei æſtimatione ſemel in duplum conſtituta, hic etiam ad pretium, accedente legis mulcta defungatur. Quæ diſtinctio ſummam vtrinque æquitatem habet. Priore caſu tigni domino abundè, quòd re ſua careat,in ſolatium dupli præſtatione conſulitur,*arg.l.vlt.de litigioſ.* Poſteriore duplum in meram pœnam cedens,ſimpli petitionem non conſumit.*l.1.l.vlt.de tign.iunct.* Sicuti multùm refert vtrùm in damnatione reorum pœna, an id quod intereſt exprimatur. Etenim ſi quid à pluribus damni ſarciendi gratia debeatur, vno ſoluente, ideò cæteri obligatione eximuntur, quòd actori nihil abſit. *l.1.C.de cond.furt.l.1.§.ſi plures.ṽ.de eo per quem fact.l.3. de iis qui deiec.* At ſi delicto pœna imponatur,pluribus peccantibus, totidem erunt pœnæ perſoluendæ. *l.11.item mela. §.ſed ſi plures. l.51.ita fin. ad leg. Aquil.* [Quod vnus præſtitit, alterum non liberat: cum ſit pœna:] inquit Vlpianus. Quam illic rationem commendat Accurſius *ex l.21.vtique.ṽ.de liber.cauſ.l.t.fin.ſi is qui teſtam.lib.* Furtiui igitur tigni ſcienter incluſi nomine & vindicatio exempti,& legitimæ pœnæ petitio datur.*arg.l.3.§.condemnatio. verſ.* [Quia pœna contumaciæ præſtatur ab eo,qui non exhibet.] *de tab.exhib.* Atque hæc mihi nunc occurrit illius dirimendi certaminis,quàm quæ à nonnullis affertur ratio plauſibilior. Nam quod aiunt has duas actiones,non electione quidem,ſed perceptione modò tolli,& apud Vlpia. *Actum* non *iudicio petitum.* ſed *exactum perceptúmque* interpretantur. *d.l.vlt.alium,* cui perſuadeant, quærant: mihi certè non temerè perſuaſerint. Multò etiam minus iis in hac diſputatione audiam,qui exiſtimant tignum fulciendi magis, quàm ædificandi cauſa iniunctum accipi, ad tempus, non in perpetuum, vt ſunt pedamenta vitium ſeu ridicæ,ſeu capulum,concaput &c. Nec moueor,quo,qui primi hanc opinionem induxerunt vtuntur, argumento, Quòd ſi ex alieno quis tigno domum extrueret, ſpecificatione dominus fieret,ex vulgari iuris regula,rem ex aliena materia effectam, formæ ac ſpeciei mutatione efficientis fieri.*§.cum ex aliena. & §.ſeqq.de rer.diuiſ.l.26.ſed ſi ex meis.de acquir.rer.dom.* ¶ Cui ſententiæ quominus accedamus, non vna ratione,depellimur. In primis, quòd nuſquam à quoquam iſta fulciendi ac ædificādi diſtinctio,inducta,viſa, probata reperiatur. Illud vnum tigni appellatione omnem materiem,qua ædificia conſtant,ſignificari traditur. hîc *d.§.cum in ſuo.* ¶ Deinde, aliud eſſe iungere,aliud fulcire nemo neſcit:vel ex Vlpia.qui hæc duo *incluſit iunxitve* copulauit.hoc etiam addens, tignum à tegendo deduci, ideóque quibuſdam placere, tegulam lapidem, teſtam, calcem, arenam, tigni nomine contineri. *l.priore. de tign.iunct.* quæ quid cum fulciendi ratione affine habeant, alij viderint. ¶ Poſtremò ſi tignum fulciendis tantùm ædibus appoſitum eſſet, longè facilius, quàm iunctum incluſúmve, ſine ædificij damno eximeretur. At ſcopus quem ſibi veteris legis auctores. Decemuiri propoſuere, hic fuit, ne ſoluto tigno, ædificiorum ruina ſequeretur. *dicta l.prima.* ¶ Quamobrem conſtituamus dominium tigni prioris domini permanere, vſum

verò ac poſſeſſionem tantiſper ædificantis eſſe, dum ſtat ædificium: quo diſſoluto, vindicatio tigni domino cum dupli pœna ea ſuperiùs tradita diſtinctione conceditur. *d.l.vlt.* §Nec verum eſt tignum iunctum nouam effici ſpeciem: Quod ſi per legem liceret, facilè ſolueretur: ſed interim alter ædificij, alter materiæ dominus eſt. *d.l.7.adeò.verſ.nec tamen ideò.*

LXIII. VLPIANVS lib.lxxj. ad Edictum.

PENES TE amplius eſt, quàm [apud te.] Nam apud te eſt, quod qualiterqualiter à te teneatur: penes te eſt, quod quodammodo poſſidetur.

ALCIATVS.

PENES. § Qui penes ſe rem habet: plus iuris in ea habere videtur, quàm qui apud ſe: idem enim eſt penes ſe habere, quod penitus apud ſe, id eſt, in poteſtate, iure, dominióque ſuo, cùm dictio apud, ad perſonam vel locum ſimpliciter referatur: quod & Feſtus Pomp. probat, & Lauren. Valla. Depoſitarius igitur, commodatarius, & colonus apud ſe habet, dominus penes ſe. *l. Titia. §. Casus. de leg. 2.* licet confundi hanc differentiam plerunque animaduerterim. *l. ſi quis in tantam. C. vnde vi.* Quapropter ſi lege indicatur pœna illi, penes quem furtiua res reperiatur, putauerim etiam, qui ſimpliciter ſciens detineat, obligari: tametſi ex hoc reſponſo, is non penes ſe rem habere, ſed potiùs apud ſe dicatur. nec enim veriſimile eſt legiſlatorem ad huius tam ſubtilis differentiæ modulum verba ſua redegiſſe.

BRECHÆVS.

PENES. § Qui rem penes ſe habet, is eam penitus habere cenſebitur, ac eius dominium: præterea & de ea conſtituendi poteſtatem. Qui verò apud ſe habet, tantùm de loco & perſona accipitur: non de iure ac dominio. De vtriuſque vocis ſignificatione & differentia, videbis apud Feſt. Pompe. & Vallam. *lib.6.eleg.cap.54.* Et Alciatus ſatis hoc loco exequitur.

FORNERIVS.

PENES TE. § Non in vno iuris argumento harum vocum differentia ſpectatur, ſed & confunditur: pertinétque ad reiuindicationem. *l.9.officium.de rei vind.* Ad actionem ad exhibendum, (εἰς ἐμφανῶν κατάστασιν, Demoſthenes contra Nicoſtratum) vt res de qua controuertitur, in apertum ab eo apud quem eſt, producatur, qui vel tenet, vel habet, vel poſſidet, vel in cuius poteſtatem venerit, exhibeatur. *l.3.§.interdum.l.4.l.5.§.item municipes.l.7. signi.l.8.ſi ad exhib.l.9.Iulianus. §.quantum.l.16. cum ſeruus.ad exhibend.* Ad interdicta. [Placet penes vtrunque eſſe eum hominem, qui precario datus eſſet: penes eum qui rogaſſet, quia poſſederat corpore: penes dominum, quia nõ diſceſſerit animo poſſeſſione.] *l.15.& habet.de precar.* iubetur qui penes ſe tabulas, libellũ, vel quid aliud quod ad cauſam teſtamenti pertineat exhibere. *l.1.l.pen.de tab.exhib.* Et qui liberum hominem apud ſe vel in poteſtate habet, retinet, interdicto conuenitur. *l.1.l.pen.de lib.hom.exhib.l.1.l.vlt.de lib.exh.* § Amplior autem *Penes* quàm *Apud* ſignificatio eſt. Cuius diſcriminis obſeruatione rata ſit, an irrita donatio, definitur, Si quid vir vxori ipſo nuptiarum die donet, vtrum à ſponſo, an verò à marito donatum interpretemur: Aurelianus diſtinxit, Si quidem in domo mulieris, priùs quàm in viri domum deduceretur, donum acceptum eſt, ante nuptias facta videatur donatio: Si verò penes ſe dederit ſponſus, rata haberi poſſit, vxorem enim fuiſſe. *l.6.cum in te.C.de donat.ante nupt.* Sed & cum maritus quaſdam res de domo ſua in prætorium vxoris tranſtuliſſet, itaq; teſtamento cauiſſet, [Sciant heredes mei nullam pecuniam eſſe penes vxorem meam, ſed nec aliud quicquam.] Modeſtinus ait, niſi mulier eam voluntatem fuiſſe teſtatoris, vt res in prætorium tranſlatæ ipſi eſſent, præcipuæ, oſtenderit, in hereditate mariti remanere. Erant enim apud, non penes eam. *l.34.Titia.§.Casus.de leg.2.* Penes ſe rem habere videtur, qui vel dominium vel ius in re habet. *l.9.alio.de alim.vel cib.leg.l.16.ſi ſub.quib.mod.vſuffr. amitt.* Apud verò me res fortè depoſita, commodata, vel alia ratione detinetur. *l.1.de caſtr.pecul.l.9.ſi quis affirm.§.Labeo.de dol.l.1.l.5.l.7.ſi hominem & paſſim.ĩ.depoſ.l.34.qui negotia.mand.* § Sed hæc interdum pro ſubiecti argumenti varietate & conditione promiſceri animaduertimus, *Penes* pro *Apud*, pecunia depoſita penes argentarios, inſtrumenta penes quem deponantur. *l.15.à diuo.de re iud.l.38.ſi quis aliquid.2.de pœn.l.1.§.eleganter.l.29.ſi ſacculum.depoſit.* item in illa vet. lapidis Rom. inſcriptione [Vita ſua nemini maledixit: ſine voluntate patroni nihil fecit: multum ponderis auri arg. penes eum ſemper fuit, concupiit ea eo nihil vnquam.] *l.5.§.ſi de me, commod.l.1.de fideiuſſ.tut.l.12.qui.a de pecul.l.pen. de pet.her.* Vice verſa *Apud* pro *Penes* non rarò ſumitur. *l.20.traditio.de adquir.rer.l.8.ſi quis. C.vnde vi.l.5.C.de furt.* Ita ſubtiles verborum differentiæ à iuriſconſultis plerunque negliguntur. *l.58.licet inter.l.101.inter ſtuprum.l.103.licet capitalis.h.t.* [Qualiterqualiter vulgò qualitercumque,] Græci, hîc τὸ ὁπωσοῦν ὑπὸ σοῦ κρατούμενον. (poſſidetur) πῶς τινι νεμόμενον.

LXIIII. PAVLVS lib.lxvij. ad Edictum.

INTESTATVS eſt non tantùm qui teſtamentum non fecit, ſed etiam cuius ex teſtamento hereditas adita non eſt.

ALCIATVS.

INTESTATVS. § Teſtari verbum inter alia ſignificat ſuam ſententiam etiam exprome re: vnde teſtimonium, & teſtamentum deducitur: & inteſtabilis, qui nec teſtimonium dicere, nec teſtamentum facere. *l.cum lege.de teſta.* ex teſtamentóve aliquid conſequi poteſt. § Hinc etiam inteſtatus deri-

uatur

tatur, cuius vocis triplex eſt ſignificatio: primò enim eum ſignificat, qui teſtamentum non fecit, & hæc propria & indubitata eſt interpretatio: quoniam (vt Bartolus inquit) inteſtatus participium eſt, *Bartol. l. 1. de ſuis & leg.* cuius ea eſt natura, vt potentiam ponat, actum neget: quam rationem non ſatis ſcio, an Grammatici reciperent: cum enim præpoſitio verbo non conueniat, ſequitur vim nominis habere, non participij alioquin inductus, infectus, inuiſus, inſolens, euidens, vim participij haberent, quod ipſi negant. ¶ Cęterùm & is inteſtatus eſt, cuius teſtamentum iure defecit, vt quia iniuſtum, vel irritum pronuntiatum eſt. Idem enim eſt teſtamentum omnino non facere, vel huiuſmodi facere, quod nullum pronuntietur. *Inſt. de hered. quæ ab inteſt. in princ.* ¶ Secundo inteſtatus dicitur, qui teſtamentum ex ſe quidem validum fecit, ſed quod ex eo corruit, quia heres inſtitutus noluerit adire: & hic ſenſus quoq; non improprius eſt. Dixit tamen Bart. ſi lex aliquem admittat in eius ſucceſſionem, qui inteſtatus decederet, verba legis hoc caſu ceſſare, non enim inteſtatus decedit is, ex cuius teſtamento hereditas non aditur, cùm tempore, quo decedit, verum ſit eum eſſe teſtatum, licet deinde ex heredis ſcripti facto reddatur inteſtatus. ¶ Sed hanc ego ſubtilitatem non approbo, quæ contra Iuriſconſulti verba eſt. *d. l. 1.* eum propriè inteſtatum deceſſiſſe dicentis, cuius hereditas adita non eſt, vt inde appareat dictionem hanc tractum habere, & ad perfectionem temporis referri, quod non, niſi adita hereditate, conſumitur.

¶ Tertiò inteſtatus dici poteſt etiam is, qui teſtamentum facere iure non potuit, vt pupillus & furioſus: & ideò ſi filio inteſtato conſtitutum ſit agnatos ſuccedere, pupillo mortuo nihilominus ſuccedent, matrémque excludent: quoniam communi vſu etiam inteſtabiles, inteſtati dicuntur: idq; aliqui cum Bartolo cenſere. *Alex. l. generaliter. C. de inſtit. & ſubſtit.* ¶ Sed frequentius in contrariam ſententiam itum eſt, quòd inteſtati propriè hi appellentur, nec de hoc communi vſu quicquam appareat: videtúrque agnatos in eius, qui teſtamentum facere poſſit, hereditatem faciliùs admittendos, ex defuncti præſumpta voluntate, qui cùm teſtamentum nullum fecerit, voluiſſe illis hereditatem relinquere cenſetur. At in eo, qui, etiam ſi aliter diſponere voluiſſet, non potuit, præſumpta nulla pro agnatis eſt voluntas. Nobis Bart. ſententia potior viſa eſt, cum de communi Iuriſconſultorum vſu ea quàm pluribus legibus conſtet. *l. qui duos. l. Lucius. de vulg. l. diuus. l. credendum eſt. qui pet. tut.* nec præſumptæ voluntas teſtatoris probabilis cauſa differentiæ eſt, cùm lex eam non ſequatur, ſed ipſa legem. Voluntatem enim ſuam ſecundum leges regere, & moderari quiſque præſumitur: Alioquin ſi quis de facto impeditus teſtari non potuiſſet, agnati fuiſſent excludendi, quod abſurdum eſt. ¶ Sanè dubium non eſt, rectè propriéque de inteſtabilibus dici, *Alex. d. l. generaliter.* eos ſine teſtamento, vel etiam ab inteſtato deceſſiſſe: quamuis propriè inteſtati non dicantur.

BRECHÆVS.

INTESTATVS. ¶ Tradit Theophilus *lib. 3. inſt. tituł. tit. de her. quæ ab inteſt. defe.* facto aut iure fieri, vt quis è vita inteſtatus cenſeatur exceſſiſſe, facto quidem, cum cùm nullum omnino quis teſtamentum condiderit. Iure autem, vbi quis teſtamentum fecerit, quod quidem lex minimè admittat: omiſſis videlicet iuſtis ſolennis. Τελευτᾷ τίς, inquit, ἀδιάθετος, ἢ φανερῶς, ἢ νόμῳ. φανερῶς μὲν, ὅταν τὶς παντελῶς μὴ ποιήσῃ διαθήκην. νόμῳ δὲ, ὅταν τὶς ποιήσῃ διαθήκην ἣν ὁ νόμος οὐ προσίεται, &c. Iam verò inter iuſta ſolennia teſtamenti, neceſſariò requiritur, vt ex teſtamento aliquis extet heres. ¶ Quocirca ille teſtamentum non feciſſe dicetur, ſi nullus ex eo teſtamento quod fecit, heres extiterit. *d. tit. de her. quæ ab inteſt. def. Inſtit.* Videto amplius Alc. & Cæpol. hoc loco.

FORNERIVS.

INTESTATVS. ¶ Quoniam legitimæ inteſtatorum hereditates ac tutelæ, ſuis ac proximis agnatis, patroniſque, &c. deferuntur Vlp. fragm. *tit. 26.* è re fuerit, quàm hic verſus XII. tab. [Si inteſtato moritur,] variè accipiatur, exponere. & abs Iuſtiniano inteſtatus definitur, [Qui aut omninò teſtamentum non fecit, aut non iure fecit, aut id quod fecerat, ruptum, irritúmue factum eſt, aut ſi nullus ex eo heres extitit,] *princ. tit. de her. quæ ab inteſt. def.* ¶ Primùm igitur eum inteſtatum haud dubie deceſſiſſe conſtat, qui nullum nec ſcriptum, nec nuncupatiuum teſtamentum reliquerit, addit Vlp. [cum poſſet.] Nam eum qui teſtari non potuit, propriè non eſſe inteſtatum, puta impuberem, furioſum, vel cui bonis interdictum fuerit: ſed hos quoque pro inteſtatis accipi debere. *l. 1. de ſuis & legit. her. l. 2. §. ſi quis. vnd. legit.* & nos non ſemel ita nominatos in iure meminimus. *l. 5. qui teſtam. fac. poſſ. l. 4. qui pet. tut. l. 14. pater fin. ad leg. Falc. l. 2. ad Sc. Tertyl. l. 27. in teſtamento. C. de teſtam. l. 10. qui duos. de reb. dub. l. 36. poteſt. l. 45. Lucius. de vulg. & pup. l. 10. ſciant. C. de leg. her. l. 2. C. de impub. & al. ſubſt. l. 6. omnem. C. ad Sc. Tertyl.* ¶ Deinde quoniam quid omnino non fiat, an minùs rectè fiat nihil refert, *l. 8. quamuis. §. ſi conuenerit. ad Sc. Vellean. l. 6. quoties. qui ſatiſd. cog.* Si paterfamilias teſtamentum quidem, ſed minùs iuſtum, in quo iuris ſolemnia prætermiſerit: teſtatus non videbitur, nec ab eo relicta præſtabuntur. *l. 2. l. 23. ſi veritas. C. de fideicom. l. 1. ꝑ. de iniuſt. rup. irrit.* Quid enim intereſt; omnino non teſtetur, an perperam? *arg. l. 2. de auct. tut.* an contra pietatis officium teſtetur, cuius teſtamentum filius præteritus, aut exheredatus propoſita contra tabulas querela obtinens, reſciderit: rémque ab inteſtati cauſam reuocarit. *tot. tit. de inoff. teſt. §. quos autem. de bon. poſſ. l. 37. vt liberis, C. de collat.* Vlpian. fragm. *tit. 23.* ita vt nec legata nec libertates prꝗſtentur: niſi certis perſonis exceptis, aut niſi vltrò filius prꝗteritus abſtinuerit patris hereditate. *l. 8. Papinianus ſi. de ino. teſt. l. 17. filio. de iniuſt. rup. tt. de leg. præſt. l. 50. quod dimo. de man. teſt.* Nouo iure ſola heredis inſtitutione viciata, reliqua rata manent. *Nouell. 115.* Sed qui ab initio iuſtum & ſolemne teſtamentum fecerit, ex quo non ſit adita hereditas, teſtatus non videtur, vt hic dicit, καὶ μὴ ἀκληρονομήσαντος ἐκ διαθήκης. *l. 9. ſi quis poſthumos. §. 2. & vlt. de lib. & poſt. l. 10. intra fin. de diuerſ. temp. præſc.* Tum nihil legatarij conſequuntur, legata libertatéſque deſerto deſtitutóque teſtamento intercidunt. *l. 17. ſi quis omiſſa. ꝑ. ſi quis omiſſ. cauſ. l. 73. in quantitate. ad leg. Falc.* Nam cùm nemo

ſubire

ſubiit hereditatem, ius omne teſtamenti ſoluitur. *l. pen. de be. poſſ. cont. tab. l. 181. ſi neme. de reg. iur.* Vnde ea heredatio liberis non nocet, nec ſubſtitutio pupillaris valet, neque tutoris datio, ſi non adeatur ex teſtamento hereditas. *l. 9. ſi neme. de teſtam. tut. l. 12. ſi patronus. 2. de bon. liber. & l. pen. de bon. poſſ. con. tab.* [Qui teſtamentum non fecit.] ¶ ὁ μὴ διαθέμενος. Prior teſtati deinde inteſtati ratio habetur. *l. 31. quandiu. de acq. hered. l. 90. quandiu. §. 11. ſeq. l. 8. antequam. C. commun. de ſuc. l. 26. Iulianus. §. ſi quis omiſſ. cauſ.* deficiente teſtamentario vel herede, vel tutore, legitimus id eſt proximus ad hereditatem, tutelámue vocabitur. *in. de leg. agn. tut.* Nec aduerſatur Iuſtinianus, ſi ſubaudiatur, poſt *non*, vox *tantum*, poſt *ſed*, dictio *etiam*, vt alias ſæpe accidere docui. *l. 41. armentum. §. h. t.* [Quod autem lex XII. tab. ab inteſtato vocat ad tutelam agnatos non hanc habet (tantùm ſ.) ſignificationem, ſi omninò non fecerit teſtamentum is, qui poterat tutores dare, ſed (etiam) ſi, quantum ad tutelam attinet, inteſtatus deceſſerit. Quod tunc quoque accidere intelligitur, cùm is qui datus eſt tutor, viuo teſtatore deceſſerit.] *§. pen. de legit. agn. tut.* Si heres inſtitutus omiſerit hereditatem, ſuccedet legitimus heres: quoniam hæc verba, [Si inteſtato moritur,] ad id tempus referuntur, quo teſtamentum deſtituitur, non quo moritur. *l. 9. ſi quis. de lib. & poſtu.* Siue autem valet teſtamentum, ſiue non: vel quod ab initio inutiliter factum eſt: ſiue ruptum ſit, vel in quo alio vitio: ſed etiam ſi falſum eſſe dicetur, vel ab eo factum qui teſtamenti factionem non habuerit, tabulę nihilominus exhibebuntur. *l. 1. de tab. exhib.* Cæterùm quod ex eod. Vlp. *lib. 68. ad edictum.* ſcribitur, [Si cuſtodiam tabularum æditumus vel tabularius ſuſcepit.] *l. 3. de tab. exhib.* antiquam deponendarum in templis tabularum conſuetudinem indicat: quò magis teſtamentorum ſecuritati conſulerent: Cuius veſtigia adhuc extant. *l. vlt. de iis quæ in teſt. del. Nouel. 74.* Auguſti teſtamentum Veſtales ſeruarunt, inquit Suetonius, Suidas, τὰς δὲ διαθήκας αἱ ἱεραὶ παρθένοι εἶχον ἀποκειμένας.

LXV. Vlpianvs lib. lxxij. ad Edictum.

Heredis appellatio non ſolùm ad proximum heredem, ſed & ad vlteriores refertur. Nam & heredis heres, & deinceps, heredis appellatione continetur.

Alciatvs.

Heredis. ¶ Heredis appellatio etiam vltra proximum heredem extenditur. *l. fi. C. de hered. inſtit.* vnde ſolemus dicere, heredis heredem teſtatoris heredem eſſe: quod ex proprietate ſermonis, atque etiam in pœnis procedit, vt apud pleroſq; tractatum eſt. *Iaſ. l. ſi quis filium. §. fin. de acq. her.* Quapropter conditio, vt heredi Titio detur, adimpleri in herede heredis poteſt. *l. cùm ita. 2. in fin. de cond. & demon.* Hinc & pater iure caſtrenſis peculij rem filij mortui occupans, eius heres dicitur, cui filius ipſe miles iam ſucceſſerat. *l. 1. de caſtrenſi peculio.* quod & Pontanus annotauit. *Rom. ſing. 602.* Sed & ſi de ſcriptis heredibus mentio facta ſit, & etiam heredem heredis contineri, tametſi ſcriptus non ſit, plerique contendunt. *l. 1. C. quorum legat.* Verùm id ipſe non ex vi verborum, ſed propter vtilitatem receptum eſſe arbitror: quando nulla veriſimilis affectio magis in ſcripto herede conſiderari poteſt, quàm non in ſcripto. *Corn. conſ. 69. in 4.* Et ideo generaliter ſecundum heredem non contineri, ego ex ſermonis proprietate ſentio, quoties ſcripti heredis mentio fit: idémque ſi infrà ſcripti, vel ſuprà ſcripti dicatur. *Bartol. l. qui liberis. §. 1. de vulg.* Sed & ſi ſuum heredem, vel ipſum quis addiderit, non videri de herede heredis agi aliqui dixerunt. *Old. conſ. 24. Bald. 304. in 5.* quoniam huiuſmodi pronomina ſpecialiter ad perſonam referuntur. Quod ego non ſufficere arbitror, niſi alia mentis coniectura concurrat. Vnde cùm teſtator, quiſquis ſibi heres erit, filio ſuo ſubſtituit, de primo herede intellexiſſe videtur: quia illi non parum adfectus fuiſſe creditur. *d. l. qui liberis.* Quæ præſumptio in eo ceſſat, qui extranei alicuius heredibus relinquit: nec enim maiorem obſeruationem priorum habuiſſe, quàm ſequentium veriſimile eſt: quod inferiùs diffuſiùs attingam. *l. in annalibus. C. de leg.* ¶ Cæterùm & quoties Titio, eiúſque heredibus vſusfructus legatur, de primo tantùm herede accipiemus. *l. antiquitas. C. de vſufruct.* ne proprietas inutilis ſublata conſolidationis ſpe reddatur. Idem eſt quoties appellatio heredis extraneos non comprendit: non enim vlteriores heredes extranei admittentur, cùm etiam primus reiiciatur. Hoc autem aliquibus caſibus procedit, vt cùm Titio, heredibúſque ſuis, donec ipſe vixerit aliquid legauero: cùm enim viuentis nulli ſint heredes, meritò de filiis intelligemus. *l. in ſuis. de lib. & poſt.* Idem cùm mentio heredum fit in materia, ex cuius natura ſit, vt extranei excludantur, vt in emphyteuſi eccleſiaſtica, & feudo. *c. 1. §. ſi. ſi de feud. fuer. contr. inter dom.* Idem etiam ſi de heredibus maſculis dictum ſit, videtur enim ad proprios deſcendentes reſpexiſſe. Sed & ſi iniquum aliquid ex generali interpretatione ſequeretur, heredis appellatione reſtringemus: vt ſi quis hereditatem reſtituere debeat, ſi ſine heredibus deceſſerit. *l. ex facto. in fin. ad Treb.* vt enim conditio aliquando euenire poſſit, de deſcendentibus intelligimus, alioquin quilibet extraneus, & tandem fiſcus fideicommiſſarium excluderet. Et eadem ratione, ne extraneos ſubſtituti heredes cenſeatur teſtator extraneis heredibus filij ſui, quem prædilexerat, prætuliſſe. *Bart. d. l. Gallus. §. etiam.* hæc dictio reſtringetur: non videntur autem extranei hoc in caſu, qui eiuſdem agnationis ſunt. Quapropter ſi pater filio ſine liberis decedente Titium agnatum eiúſque heredes ſubſtituerit, euenienté conditione, heredes Titij agnati non reiicientur, vt Ang. ſcripſit *in d. §. etiam.* cui aſſentior, ſecus ſi omnes extranei ſint.

Vlteriores. ¶ Etiam per longiſſimam ſucceſſionem, vt alibi dicitur *in l. qui per ſucceſſ. §. 1. tutel.* vnde & Pontifex Romanus Petri ſucceſſor dicitur, quamuis maximo numero alij medij interceſſerint. *c. 1. de homicid. in 6.*

Brach

BRECHÆVS.

HÆREDIS. ¶ Quid heres, quid item hereditas ſignificet latiſſimè diximus ſuprà, *in l.nihil aliud.* At hoc capite Vlpian. tradit heredis appellatione abſoluta, omnes in infinitum heredes contineri. Et hoc ex antiqua regula, quæ voluit heredem heredis, teſtatoris heredem eſſe. *l.fin. C.de heredib.inſtit.*& multis aliis ll.ab Accurſ. Ibidem & in hanc l.citatis. Et quidem conuenit hoc ipſum Vlpiani caput,cum 30. capite ſeu articulo tit.de ſucceſſion.nobil. in noſtris ſtatutis municipalib. Tutonenſis præfecturæ : vbi cauetur,quòd in ſucceſſione tam rei clientaris,quàm quæ iure plebeio obuenit,repræſentationi locus ſit in Tutonia. Nos hanc rem ſcripſimus ampliſſimè in Commentariis noſtris in eundem locum, Confugies illuc,ſi videbitur.

FORNERIVS.

HÆREDIS. ¶ Heredis nomine non ſolùm primus,ſed vlterior,heredíſque heres ſignificatur:cæteríque deinceps longa ſerie ſuccedentes.Nam qui per ſucceſſionem,quamuis longiſſimam defuncti hereditatem ſubierint,non minus heredes intelliguntur,quàm qui principaliter heredes extiterint *l.194.qui per.ʒ.tit.ſeq.* Vnde fit,vt qui ei heres extitit,qui Titio heres fuit.Titio quoq; heres cenſeatur,nec ſit ei integrum Titij hereditatem omittere.*l.7.ſi.de acq.hered.*Sed & in vſucapionibus tempora coniunguntur, vlteriori heredi poſſeſſio proderit, modò non interrupta, id eſt ſi nemo medius intereà poſſederit. *l.20.poſſeſſio.de vſucap. l.13.Pomponius.de acq.poſſ. l.2.pro empt. Heredis heres.* ¶ Sed & cum de auctoris adminiculo in poſſeſſionum acceſſionib.agitur. venditoris auctor, & ſurſum cæteri continentur. Neque enim ſolùm eius poſſeſſio qui vendidit, ſed & illius vnde emit, accedet mihi.*d.l.13.Pomponius.l.pen.de diuer.tem.praſc.*Si quidem continua abſque vlla interpellatione,interruptionéque poſſidemus omnes : Græci Baſilicôn ſynopſ.*lib.51.tit.vlt.* ἐὰν ἀδιακόπως πάντες νεμώμεθα. Nam ſi is qui mihi vendidit,non poſſederit,interrupta præcedentis auctoris poſſeſſio mihi non accedet:ſicut nec ei, qui omninò non poſſidet, poſſeſſoris prioris proderit poſſeſſio. *Nam & ἀργὸς λόγος.* Nec enim plus in reddita ab Vlpiano ratione,quàm in propoſitione deprehendas non tam αἰτιολογίαν, quàm ἀπόδειξιν afferri probandum eſt:quod aliàs Iureconſultis vſuuenit: Paulus *lib.ſententiar.* [Partus ancillæ non eſt in fructu:quia ad fructuarium non pertinet.] bis idem inculcauit. Vlp.quid aliud, cum ait. [Si quis libertatem ſub iuriſiurandi conditione reliquerit, edicto prætoris locus non erit, vt iuriſiurandi conditio remittatur & meritò : Nam ſi quis remiſerit conditionem libertatis, ipſam libertatem impedit:dum competere aliter non poteſt,quàm ſi paritum conditioni fuerit.] *l.12.ſi quis. de manumiſſ.teſtam.* Et deinceps. ¶ Exceptis paucis ſpeciebus,tres a Paulo recenſentur. *l.70.ſtiendum.ʒ. h.t.*nos ibidem, aliàs afferemus.

LXVI. IDEM lib. lxxiiij. ad Edictum.

MERCIS appellatio ad res mobiles tantùm pertinet.

ALCIATVS.

MERCIS. ¶ Mercem de rebus mobilibus dici,ita vt venalitij ſerui non comptædantur,variis locis proditum eſt : qua ratione de facto conſultus Alexander *conſil.36.in 1.*non eſſe abſurdum reſpondit,ſi legem municipalem, quæ à ſocio initum mercatum ratum haberi mandat,de re tantùm mobili intelligeremus : quandoquidem mercatus à merce deducitur. Per locum ergo,qui à coniugatis dicitur M.Ciceroni in Topic.vbi merx non eſt,ibi nec mercatus. ¶ Sed ipſe à verbo mercari potiùs trahi id nomen crediderim : quod verbum ſimpliciter emere plerunque ſignificat,atque ita vulgaris loquendi vſus ſeruat : inde enim & mercatores dicuntur. *Roma. l.ſi publicanus.§.1.de public.* qui res emunt, quas in eadem ſpecie carius vendant. Nam qui emunt, vt ipſi in aliam formam vertant.quia manuum operam adhibent, artifices ſunt. Mercatores autem ipſi non artificium facere, ſed officium habere dicuntur,ſi vera Bartol.ſenſit.*Bald.tract.de teſte. verſ.62.*tametſi nemo dubitet, exercitium vtriuſque commune verbum eſſe.

BRECHÆVS.

MERCIS. ¶ Quotieſcunque prętoris edicto cautum eſt,vt merces improfeſſę,id eſt, ἀνεπάγραφοι (vt aduotauit Budæus) & quarum nomine negotiatores publicanis vectigal non pependerunt, in commiſſum dicantur cecidiſſe, *vt l.interdum.ff.de publica.* Quæſitum fuit,an nomina debitorum mercis appellatione complecterentur,quę tamen inter mobilia ſolent adnumerari,vt actiones.ſecundum Bartol. *in l.poſt.ff.de autho.tuto.* Reſpondi non contineri:vt quia pro mercibus inuectis tantùm, non pro his perſcriptionibus, aut Calendariis quibus ſcripta ſunt nomina debitorum,debeat vectigal penſitari : eáſque merces ſolas, non autem calendaria ſua negotiatores ipſi apud Publicanos teneantur profiteri. Nihilominus tamen, hoc loco aſſerit Vlpian.mercis appellationem ad res tantùm mobiles pertinere. Quod ipſum quidem intelligit,vt cùm inter negotiatores de mercibus erit quæſtio,ad ſeruos,fullones,ſarcinatores,textores,venalitiarios,porrigi mercium nomen nequaquam debeat:neque ad edictum de tributoria actione:idque ex ſignificatione propria,*l.1.§.licet.& ibidem gloſ. de tribut.act.*Tamen Pædius *lib.15.*ſcribit ad omnes negotiationes porrigendum edictum.*d.§.licet.*ſed per interpretationem,ſecundam gloſſ.ibidem,& Azonem.*& l.Mercis.ʒ.h.t.* Item apud Iulianum relatum eſt edictum,vt nautæ,caupones,ſtabularij recepta reſtituant,ad eas quoque res pertinere quę mercibus accedunt : veluti,veſtimenta quibus in manibus vtèremur : & cætera quæ ad vſum quotidianum habemus : cuiuſmodi eſt panis,vinum,& ad victum neceſſaria. Vlp.*in l.1.§.item apud.ff.naut. caup.ſtabul.* Sed actiones & nomina debitorum, vt diximus, ac etiam pecunia, mercis non venit ap-

pellat

pellatione, quod tamen præſcribit Bald. *l.3.C.de naut.fœno.* in ſtatutorum ratione, ac vbi ſtatutum aliud ſuaderet. Citat in hanc rem *l.ſi chorus.§.2.de leg.3.& l.1.ff.de rer.permut.* Quod tamen an πρὸς ἔπος, viderit diligens lector. ¶ At verò vbi prohibitæ merces, aut improfeſſæ, fiſco addicerentur, pecunia quę vna cum mercibus reperiatur, (qua quidem pecunia merces comparari ſolent) confiſcanda veniet ſecundum ipſius Baldi ſententiam *in d.l.3.* ¶ An autem ex mercium precio negotiatoribus liceat per legum ſanctiones reditus annuos ſibi comparare, pulchrè ac diſertè diſcutit Carolus Molinæus homo doctiſ. *in eo tractatu quem ſcripſit, de commerciis & vſuris, ſub quæſt.22.* Multa item de mercatura & negotiatoribus, eáque elegantiſſima, tradit Dn. And. Tiraquellus, ſenex ingenuus, cuius fama omnem iam terram peruagata eſt *in tractatu de nobilitate, cap.33.*

FORNERIVS.

MERCIS. ¶ Rei ſignificatio generalior eſt, corporea, incorporea, omnem contractum obligationémque & omnia complectitur. *l.5.l.6.l.23.rei.ꝫ.h.t.* quin & homines quoq; ipſos: [Fundum cum omnibus rebus, quæ in eo ſunt, mancipia continentur.] *l.32.omnia.§.1.de leg.2.* Mercis auguſtior appellatio eſt, quæ precio ac numo opponitur, ab eóque ex τῷ πρός τι lege, ſecernitur *l.1.de cont.empt.l.2.de rer.perm.* quæ non ad res ſoli, ſed mobiles tantùm pertinet: Ideóq; merces Græcè τὰ φορτία. *l.207.mercis.ꝫ.h.t.* & ſynopſ. Baſilicôn *lib.20.tit.18.* exponuntur. vt merx peculiaris ſeruo permiſſu domini negotiandi cauſa conceſſa. *l.1.l.2.l.3.l.vlt.de trib.act.l.1.§.ſi ſeruus.de excep.rei ven.* vt actus mercium impoſitarum leuandæ nauis cauſa amiſſarum. *l.1.l.2.l.4.l.5.l.vlt.ad leg.Rhod.de iact.* vt eſt vinum, oleum, frumentum. *l.vlt.de cond.tritic.* vt merces illicitæ. *l.1.de iis qua vt indig.ꝫ.l.vn.de litt.& itiner.cuſtod.C.lib.12.* ¶ Mancipia etiam mercis nomine venire negat Africanus, ducitque à notatione vocis argumentum, quòd ſeruorum mangones ἀνδραποδοκάπηλοι non mercatores, ſed venalitiarij vocentur. *l.207.mercis.ꝫ.h.t.* Negotiatio vænalitiaria quippe in coëmendis vendendíſque mancipiis verſabatur: & eo nomine ſocietas coibatur. ἐπὶ τὸ ἀγοράσαι ἀνδράποδα, καὶ αὐτὰ ἐξαπολῆσαι. Theophilus *§.1.de ſociet.l.57.mandatum.ꝫ.mand.l.c.§.1.de Tribut.act.l.5.§.ſi maior.ꝫ.de iur.delib.* Quinctilianus *vltimæ declamation.argumento.* [Negotiatum profectus adoleſcentem, quem dominum dicebat, apud vænalitiarium repertum iudicio aſſerens euicit.] & infrà, [Dedit libertus pecuniam vænalitiario.] ¶ Vlpianus hæc verba edicti prætoris, [Mercis nomine] meritò adiecta ſcribit, ne omnis negotiatio cum ſeruo facta tributoriam induceret *l.5.de trib.act.* Cui tamen ſententię nonnihil aduerſari videri poſſit, quod ab eodem traditur *l.73.ſuos.de leg.3.l.1.§.licet.ꝫ.de tribut.action.* quod ſuo poſthàc loco. *d.l.207.mercis.* exminabitur.

LXVII. IDEM lib. lxxvj. ad Edictum.

ALIENATVM non propriè dicitur, quod adhuc in dominio venditoris manet. Venditum tamen rectè dicitur.

ALCIATVS.

ALIENATVM. ¶ Alienare dicitur, qui ius aliquod dominij transfert: ſed qui rem vendit antequàm tradat nullum ius dominij transfert (traditionibus enim dominia rerum transferuntur) *l.traditionibus.C.de pact.* meritò non dicitur alienaſſe, cùm ſola perſonali actione poſſit conueniri. Et ideò ex duobus emptoribus, is cui priùs res tradita eſt, præfertur. *l.quoties.de rei vend.* Si igitur aliquod ius ex venditione transferatur, cenſebitur alienatum, nec lex noſtra procedit: veluti in eccleſia emente, cui ex priuilegio competit, vt abſque traditione in eam transeat dominium. *l.ſi. C.de ſacroſ.eccl.* Idem in principe vendente, vt aliqui exiſtimauerunt. *Inſ.d.l.quoties.* Sed & ſi emptoris nomine poſſidere ſe venditor conſtituerit, dubium non eſt eſſe alienatum: per huiuſmodi enim conſtitutionem poſſeſſio vera transfertur. *l.quod meo. de acq.poſſ.* Idem ſi ſpecialiter rem venditam pro contractus obſeruatione venditor hypothecæ obligauerit. *Butr.conſ.34.* diceretur enim alienaſſe: quandoquidem qui pignorat, alienare dicitur. *l.ſi. C.de reb.al.*

¶ In generali autem obligatione bonorum de his, quæ venduntur, actum non videtur, vtpote quæ non obliganda à venditore, ſed tradenda ſunt. *Rom.ſing.605.* ¶ Et ex hac lege argumentum colligitur, emphyteutam, qui emponemata, inconſulto domino, vendidit, ante traditionem à iure ſuo non cadere. *l.ſin.C.de iur.emph.* nam & vendere cum effectu accipi debet: ante verò traditionem venditio omnino perfecta non eſt. *§.vendita. Inſt.de rer.diuiſ.* licet tum quoque res periculo emptoris pereat: & ita ſe habet omnium ferè conſenſus. *l.quod ſæpe.§.ſi res vendita.de contr.empt.*

BRECHÆVS.

ALIENATVM. ¶ Hic Iuriſc. nos docet, aliud eſſe alienare, aliud verò vendere. Non enim res cenſebitur alienata, niſi in alienas quoque manus opera venditoris deuenerit, vt venditionis vim habeat. Cùm etiam ante rei venditæ traditionem, perfecta venditio dicenda non erit. *§.vendita. Inſt.de rer.diuiſ.gl.in c.ſi.extr.de pign.* Vnde fit, vt cum aliquis rem ſuam vendidit, neque eam tradidit, ac ante ingreſſam per emptorem poſſeſſionem, eandem rem ad ſe reuocat, diſſoluta, vtriuſque contrahentis conſenſo, venditione, nullæ ex eo contractu venditionis obuentiones aduentitiæ fructúſque honorarij debeantur patrono clientelari. Quod moribus ſcriptis præfecturæ noſtræ Turonenſis. nominatis verbis eſt cautum, *tit.Des rachepts & ventes.art.17.* Huc nanque ius laudimiorum, non niſi re demum alienata, perfectáque per traditionem venditione, patrono præſtari ſolet. Verbum etenim vendere, τῷ ἔργῳ, & cum effectu eſt accipiendum: vt, videlicet, res vendita tradatur emptori precio perſoluto. *arg.c. Imperialem.§.callidis.de prob.feud.al.per Fed.c.relatum.de cler.non reſid.l.2.quod quiſq.iur.* Latius hanc rem tradidimus *in Com.noſtris ad conſuet.Turon.præfectura ad d.tit.& artic.17.*

Idem

Idem quoque fuerit dicendum de rerum permutatione, quæ ſolo vtriuſque permutantis conſenſu fieri non poteſt, ſicut venditio *l. conſenſu. ad princip. ff. de act. & oblig.* niſi ſequuta quoque fuerit traditio. *l. ex placito. C. de rer. permutat. gloſſ. in l. 2. C. eod. tit.* Itaque alienationis verbum, ad permutationem extenditur. *Bald. in authen. Res quæ. C. commun. de leg. l. fi. C. de reb. alie. non alien.* Et Pomponius *in l. ſtatuliberis à cæteris. §. quintus. ff. de ſtatul.* tradit ex lege xii. Tabularum, venditionis verbo omnem alienationem comprehendi. Ergo permutatio, quæ etiam alienatio eſt, venditio cēſebitur: cùm in ea permutatione dominij tranſlatio requiratur. ¶ Atqui venditio omnem quidem contractum, quo rei dominium transferri poſſit latè complectitur, vt tradidit Bald. *in l. ſciendum. §. emptorem. ff. de æd. ed. per d. l. ſtatuliberis à cæteris. §. Quintus.* Bart. *in l. ſicut. §. venditionis. ff. quib. mod. pig. vel hypot. ſol.* Sed hoc ex impropria & latiſſima ſignificatione, ac καταχρηστικῶς. Non enim in ſtatutis, quæ ſtrictioris atque exactioris ſunt interpretationis, permutatio, venditionis iure cēſebitur. Et quidem venditionis verbum modò ſtrictiorem, modò latiorem habet ſignificationem: vt adnotauit gloſſ. *in d. l. ſtatuliberis. §. Quintus. ſub fin.* Vide quæ de verbo alienationis tradidimus ſuprà *in l. alienationis verbum. ad princ.*

Fornerivs.

ALIENATVM. ¶ Minus eſt vendere, quàm alienare. *c. 163. ꝟ. s. ſeq.* Quod venditum, ſed adhuc apud venditorem eſt, non alienatum, ſed venditum dicitur. οὐ λέγεται ἀπηλλοτριῶσθαι, ἀλλὰ πεπρᾶσθαι. Venditæ rei nec dum traditæ dominium in emptorem non tranſit, quia nudis pactis ſeu contractibus dominia rerum non quæruntur. *l. 20. traditionibus. C. de pactis. l. 15. quoties. C. de rei vindic. l. 6. C. de her. vel act. vend.* Venditio autem nudo perficitur conſenſu, ſimulátque de pretio ac merce conuenerit. *l. 1. de obl. & act.* Nec venditor tenetur dare ſed tradere tantùm, at emptori, euincente domino auferetur. *l. 25. ſi ita. l. 28. rem. de cont. empt.* Quanquam ſi ita vendatur ne dominij tranſlatio ſequatur, nihil agitur. [Nemo enim poteſt videri eam rem vendidiſſe (inquit Labeo) de cuius dominio id agitur, ne ad emptorem tranſeat: ſed hoc aut locatio eſt, aut alius cōtractus.] *l. pen. de cont. empt.* & olim emptionis nomine omnem alienationem veteres in concipienda xii. tabularum lege complexos Pomponius ait. *l. 29. ſtatuliberi. de ſtatuliberis.* Vlpian. *frag. tit. 19.* [Singularum rerum dominia nobis acquiruntur mancipatione, traditione, vſucapione, in iure ceſſione, adiudicatione, lege:] Cicero *Top.* [Abalienatio, inquit, eſt eius rei, quæ mancipi eſt, aut traditio alteri nexu, aut in iure ceſſio, inter quos ea iure ciuili fieri poſſunt.] Quia ex definitione illud imprimis efficitur, non poſſe rem extra commercium hominum poſitam alienari, vt ſacram, religioſam, hominem liberum: vendi tamen ignoranti poſſe. *l. 4. l. 6. l. 22. hanc. l. 24. in modicis. de contrah. empt. §. loca. de empt. & vend. inſtit.* ¶ Deinde vt perſonæ contrahendi ius habeant, requiritur. Quamuis enim nihil ſit magis æquitati congruum, quàm vnumquemque iuris ſui retinendi vel dimittendi eſſe dominum. *§. per traditionem. de rer. diuiſ.* Non omnibus tamen arbitrium rerum conceditur: vt pupillis, furioſis & iis quibus lex, vel Prætor bonis interdixerit. *tit. de cu. furioſ. l. 6. de verb. ob. l. 9. ille. qui & à quib. manumiſſ. l. 26. ſi ſciens. de contr. empt.* Paulus *lib. 3. ſent. tit. 4.* ¶ Poſtremò non aliter tranſit in accipientem dominium, quàm ſi ipſi contrahentes iure ciuili rei traditæ commercium habuerint. *d. l. 4.* vt fundus hoſtium, res eccleſiæ. *Nouel. 7. 120.* litigioſa. *Nouell. 112. tit. C. & ff. de litigioſ.* Prædia pupillorum, adultorum, decurionum. *tit. de reb. cor. l. 22. lex quæ. C. de admin. tut. tit. C. de præd. & al. reb. min. Nouell. 110.* Caſſiodor. *lib. 2. epiſt. 11.* Ferrum, Eunuchus, Cupreſſus. *l. 2. C. quæ res export. tit. C. de eunu.* liber homo, Leonis *Nouel. 59.* Quid ſi inter contrahentes id agatur, ne res alienetur? Et placet, ſi quis ea lege rem ſuam donet, ne diſtrahatur, pactione alienationem non impediri, ſed condictionē tātùm, in id quod intereſt dari. *l. 125. ſi ita quis. §. ea lege. de ver. ob. l. 3. C. de cond. ob cauſ.* Niſi fauor aliquis, veluti alimentorum, obtendatur. *l. 1. C. de don. quæ ſub mod.* Vel pactum in rem concipiatur. *l. 7. ſi creditor. in fi. de diſtr. pig. l. 1. C. ſi manc. ita fuer. alien.* ſed hoc aliàs accuratiùs enucleabitur. *In dominio.* ¶ Propriè ſcilicet. Nam poſterioribus conſtitutionibus alienationis nomen productum ſcimus, ad ſeruitutis, vſusfructus, conſtitutionem, pignoris obligationem, manumiſſionem, venditionem, permutationem, Emphyteuſim, cæteráque id genus negotia, quibus non tantùm dominium rei abdicatur, ſed & ius quacunque ratione deminuitur. *l. vlt. C. de reb. al. non alien. l. 1. C. de fund. dot. Nouel. 7.*

§. j. DONATIONIS verbum ſimpliciter loquendo omnem donationem compræhēdiſſe videtur, ſiue mortis causâ, ſiue non mortis causâ fuerit.

Alciatvs.

DONATIONIS. ¶ Donationem generale nomen eſſe pleríque autumant, & ideò ſub ſe continere etiam cauſa mortis donationem, & quaſcunq; alias: cùm verò ſpecialiter accipitur, propriè eam donationem ſolùm dici, quæ pura eſt, & protinus ſine ſpe recuperandi dominium transfert. *l. 1. ꝟ. de donat.* & de hac in dubio, ſiue in diſpoſitione hominis, ſiue legis accipiendum. Quapropter, qui filio permittit, vt donare poſſit, nec cenſetur de ea donatione ſenſiſſe, quæ cauſa mortis fit. *l. filius. ver. ſed enim. de donat.* Sed hanc ego declarationem non probo, quæ legem noſtram coarctat, & nos dubios relinquit, quando in ſpecie, vel genere dictio hæc ſit accipienda. ¶ Donationis igitur verbum quamlibet donationem comprendere exiſtimo, vt hìc dicitur, ſed diuerſis temporib. diuerſo modo. Nam quæ ſub conditione collata eſt, poſt euentum conditionis propriè donatio fuiſſe cenſenda eſt: ante euentum, propter dubietatem, impropriè. Quæ verò ſub conditione reſolui poſſet, vt in mortis cauſa donatione, vbi ſpes reſolutionis nulla ſubeſſe amplius poterit, & ipſa propriè fuiſſe donatio cenſebitur, interim non: & ideo conceſſio patris non videtur ad eam trahenda, niſi ex eius verborum magna generalitate, vel ſimili ratione aliud præſumamus. *Corn. conſ. 237. in 4.* Sed & donatio propter

bene

benemerita eatenus propriè fuiſſe donatio exiſtimabitur, quatenus iuſtam remunerationis mercedem excedit. *Imol.l. Aquilius.de donatione.* quod & in qualibet remuneratione dicendum eſt. *Alexan. conſ.21.in 3.* quæ modico pretio facta proponatur. *l.non amplius.de leg.1.* quicquid enim vltra pretium receptum iuſti valoris ſupereſt, propriè donatio cenſebitur. *l.quod adipiſcenda.de donat.inter vir. Calcan.conſ.24.* Idem in indebito, quod ſciens ſoluerit. ¶ Et ex his conſequens eſt vt ſolennitates, quæ aliqua conſtitutione in donationibus requiruntur, etiam in prædictis ſpeciebus neceſſariæ ſint. *Imol.d.l.1.* ne quatenus diximus veram eſſe donationem, contractus irritetur. *Cal.d.conſ.* ¶ Sanè & donationis appellatione etiam legatum contineri dubium non eſt. *l.legatum.de leg.2.* quod procedit, ſi effectum conſideremus: vſus enim ſeparatam eſſe ſpeciem obtinuit. ¶ Donationem autem cauſa mortis ex Homeri carmine inductam Marcellus Iuriſconſultus cenſuit. *l.1.de don.cau.mor.* apud eum enim Odyſſ.ρ. Telemachus ſic donat Piræo. Eius carmina ſunt:

Τὸν δὲ πείραιος πρότερος πρὸς μῦθον ἔειπεν,
Τηλέμαχ' αἶψ' ὄτρυνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα γυναῖκας,
ὥς τοι δῶρ' ἀποπέμψω ἅ τοι μενέλαος ἔδωκε.
Τὸν δ' αὖ τηλέμαχος πεπνυμένος ἀντίον ηὔδα,
πείραι', οὐ γάρ τ' ἴδμεν ὅπως ἔσται τάδε ἔργα,
εἴ κεν ἐμὲ μνηστῆρες ἀγήνορες ἐν μεγάροισι
λάθρῃ κτείναντες πατρώϊα πάντα δάσονται,
αὐτὸν ἔχοντά σε βούλομ' ἐπαυρέμεν, ἤ τινα τῶνδε.
εἰ δέ κ' ἐγὼ τούτοισι φόνον καὶ κῆρα φυτεύσω,
δὴ τότε μοι χαίροντι φέρειν πρὸς δώματα χαίρων.

Hoc ſermone virum Piraus commonet vltro,
Telemache ad noſtras famulas agè dirige ſedes,
Vt tibi quæ dederat Menelaus dona reportent.
Ad quem Telemachus ſapiens ita fatur orſus:
Piræe, haud equidem hæc poſſum dignoſcere facta:
Námque proci ſi me ſpatioſa per attia furtim
Occidant, rapiántque ſibi patrimonia fortes,
His te malo frui donis, quàm quemlibet horum.
Quòd ſi illos fato merita & mulctauero morte,
Tum mihi gaudenti referes dona omnia gaudens.

Quorum carminum eo libentiùs mentionem feci, quòd & in Inſtitutionibus corruptus locus ille pro Piræo Pyrrhum habet, relicta inſigni lacuna, quam hiſce carminibus replendam duxi.

Brechævs.

DONATIONIS. ¶ Donatio ἁπλῶς atq; abſolutè enunciata, γενικῶς & latiſſima ſignificatione quamcunque donationem ſiue ea ſit inter viuos, ſeu mortis cauſa, complectitur: quemadmodum animal brutum & rationale. Sic verbum, donatio, eſt genus ad reliquas alias ſpecies donationis, quę vel ſub conditione, vel ob cauſam fiunt. ¶ Eſt autem donatio inter viuos, pura & vera, quando, videlicet, donans mera ſui liberalitate, nullóque cogente iure, at munificentia quadam ductus aliqoid ſponte largitur, & donat. Vlpian. *in l.1.* & Papinianus *in l.donari. ff.de donation.* Hæc autem donatio reuocari non ſolet: cùm ea quidem mente fiat vt ſtatim res donata fiat accipientis, abſque vlla mortis cogitatione: quæ ideò inter viuos donatio appellatur. Dare enim, eſt accipientis facere. *Inſtitut. de action. §. ſic itaque.* Quippe data non videntur, quæ tempore quo dantur, accipientis non fiunt. *vulg.regul.iur.* Et niſi is qui dare promiſit ſtatim dominium transferat, non cenſebitur omnino promiſſo liberatus. *l.fin. cum ibid. not. C.de cond.ob cau.* Nam donatione facta, compelli poteſt donator condictione ex lege, vt rem à ſe donatam tradat donatatio. *l.ſi quis argentum. §.ſinantem. C.de donat.* Et id quidem ne inutilis ſit donatio, etiam ſi traditione rei confirmata non ſit. ¶ Quid? An igitur ſpecies alienationis ſit donatio, an verò venditionis? Et ſub alienationis vocabulo donationem contineri puto. Quoniam qui donat, rei mancipium abdicat à ſe. Venditio autem ad ius donationis minimè porrigitur. Etenim cùm paterfamiliás liberos fundos extra familiam vendere prohibuerit, ſanè fratri vel ſorori dare, prohibuiſſe non videbitur. *l. voluntas. C. de fideicomm.* vbi Baldus ſentit ei cui vendere prohibetur, non prohiberi vt donare poſſit, maximè quando prohibitio iuri communi aduerſatur, vt cautum eſt verbis nominatis in *l.Curiales.C.de præd.decur.ſi.decr.alien.lib.10.* Sed Abbas *in cap.1.de his quæ fiunt à prælat.ſine conſ.* eſt in ea ſententia vt appellatione venditionis comprehendatur donatio quandocunque fit in ea aliqua mentio precij: idque in odioſis ex communi loquendi vſu: alioqui verò, venditionis verbum ad donationem minimè protrahi.

Mortis cauſa. ¶ Eſt alia donationis ſpecies, quæ mortis cauſa donatio dicitur: videlicet, quando quis mauult ſe habere, quàm eum cui donat, ſiquidem ſuperſtes donatario fuerit, aut donationis pœnituerit: atque etiam mauult donatarium quàm heredem ſuum rem lucrari. ¶ Dicitur autem cauſa mortis donatio, propterea quòd incerti mortis euentus contemplatione fiat. *Inſtitut.de donationib.* & ibidem Theophilus. Id genus donatione eſt vſus Telemachus Piræo apud Homerum *Odyſſ.libr.18.* his verbis:

Τὸν

Τὸν δὲ πείραιος πρότερος πρὸς μῦθον ἔειπεν
Τηλέμαχ' αἶψ' ὄτρυνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα γυναῖκας
Ὥς τοι δῶρ' ἀποπέμψω, ἅ τοι Μενέλαος ἔδωκεν
Τὸν δ' αὖ τηλέμαχος πεπνυμένος ἀντίον ηὔδα.
Πείραι, οὐ γάρ τ' ἴδμεν ὅπως ἔσται τάδε ἔργα
Εἴ κεν ἐμὲ μνηστῆρες ἀγήνορες ἐν μεγάροισι
Λάθρῃ κτείναντες πατρώϊα πάντα δάσονται
Αὐτὸν ἔχοντά σε βούλομ' ἐπαυρέμεν, ἤ τινα τῶνδε
Εἰ δέ κ' ἐγὼ τούτοισι φόνον καὶ κῆρα φυτεύσω
Δὴ τότε μοι χαίροντι φέρειν πρὸς δώματα χαίρων.

Quos verſus ſic aliquando ludentes vertimus, dum exercendi animi gratia Poëtas Græcos, maximè verò Homerum relegeremus, inter negociorum forenſium ferias: atque hîc libuit apponere, quamuis eoſdem Alciatus verterit.

Hunc prior adgreſſus verbis Piraus amœnis,
Telemache has famulas duc in mea tecta ſubinde,
Vt Menelaus quæ dedit hæc tibi dona, remittam.
Telemachus prudens, contra ſic ore loquutus,
Piræe, incertum eſt quem finem hæc facta ſubibunt.
Si fortaſſe proci in domibus, me morte ſuperbi
Extincto tacita, rapiant bona cuncta paterna,
Harum ego te malo dominum, quàm quempiam eorum.
Quod ſi cæde procos affecero, tunc mihi læto
Dona lubens referes.

¶ Non tantùm igitur (ait Paulus) infirmæ valetudinis cauſa donare licet, ſed & mortis ergo, aut periculi, metuſve ſeu ab hoſte, ſeu à prædonibus, ſeu à potentiſſimi hominis immanitate, aut odio, aut nauigationis ineundæ *l. Mortis. ff. de mor. cau. dona.* aut ſi donator per inſidioſa loca ſit profecturus: aut ſi ſenio confectus, capulo proximum ſe præſentiat, non ſi capitis reus iam peractus, pœnam cogitet. Hanc nãque ob cauſam donatio erit inutilis, cùm tamen ante crimen admiſſum poſſet ſubſiſtere. *l. aut per inſidioſa. cum tribus aliis legibus ſeq. d. tit. de dona. cau. mor.* ¶ Quam quidem donationem, (vt ante diximus) reuocare ſola pœnitentia licet, condictione, vel vtili in rem actione. Vlp. *in l. quæ mortis. d. tit.* Nam vbi donatur cauſa mortis, vt nullo caſu reuocetur, cauſa donandi magis eſt, atque inter viuos ſeu propria puráque donatio, quàm cauſa mortis. Quo fit, vt inter coniuges facta minimè valeat: ſecundùm Martianum *in l. vbi ita. eod. tit. glo. in l. fin. C. eod.* Qualiter autem & quas ob cauſas reuocari poſſit mortis cauſa donatio, videbis in *l. fin. & his quæ ibidem adnotantur. C. de reuocan. donat.* Et quidem ad exemplum legatorum mortis cauſa donationes reuocari Iulianus notat. *l. Marcellus. §. Paulus. d. tit. ff.* Non tamen per omnia adæquantur donationes cauſa mortis, & legata. Quandoquidem legata, teſtamento relinqui ſolent, quod quidẽ ex alieni arbitrij neceſſitate nequaquam dependet. *§. Præterea. Inſtit. de fideic. liber. l. illa inſtitutio. & l. Captatorias. ff. de hered. inſtit.* Sed mortis cauſa donatio, contractus naturæ potiùs accedit. *not. in l. 2. ff. de dot. præleg.* Pleraque alia de differentia legatorum, & donationis cauſa mortis tradita ſunt ab Angelo Aret *in tit. de donat. inſtit. §. Mortis cauſa.* Et nos quoque ſatis multa in hanc rem ſcripſimus in Commentariis ad conſuetud. Turonenſis præfecturæ. tit. *Des donat. entre roturiers.* Hæc igitur nunc ſatis erunt.

FORNERIVS.

DONATIONIS. ¶ Donationum duæ ſunt formæ: pura, perfecta: & quæ ſub conditione cõtrahitur, mortis cauſâ donatio. Propriè donatur, quod ita datur, vt ſtatim accipientis fiat. *l. 1. de donationibus.* Nec enim quis cuiquam, quod eius non fiat, rectè donat. Græci Synopſ. Baſilic. *libro quadrageſimo ſeptimo. titulo 1.* ἡ δωρεὰ δεσπότην ὀφείλει ποιεῖν τὸν λαμβάνοντα. οὐ κυρίως δέ τις τινὶ δωρεῖται, ὅπερ οὐ δύναται κτήσασθαι. Donari non poteſt, niſi quod eius, cui donatur fiat. *l. 9. in ædibus. de donat.* Vnde cùm vir conſtante matrimonio rei dotalis dominus ſit, eius donandæ facultas mulieri denegatur *l. 9. doce. C. de rei vind. l. 21. conſtante. C. de don.* Sed nec ritè facta donatio pœnitentia, ac ne principis quidem reſcripto reuocatur *l. 3. l. 4. l. 6. C. de reuocand. don.* Solemnem Athenienſibus pueris cantilenam, ὀρθῶς δοθέντων ἀφαίρεσις οὐκ ἔστι: rectè donata non retractari, teſtatur in Philæbo Plato. [Siue mortis cauſâ. ἡ θανάτου αἰτίᾳ δωρεά. Hoc tamen intereſt quod directa: (*l. 25. C. de donat.*) ſeu abſoluta donatio non facilè reuocetur, ſed ad inſtar emptionis, traditionis neceſſitatem habeat. *l. antep. C. de donat. §. perficiuntur. eod. tit. inſt.* Niſi ob ingrati vitium, agnaſcentes donatori liberos, & minùs obſeruatam donationis legem. *l. 8. ſi vnquam. l. pen. l. vlt. C. de reuoc. don. tit. Cod. de donat. quæ ſub mod.* ¶ Quæ verò mortis cauſâ fit donatio, nec abſoluta eſt, ſed tacitam reuocationis legem multiplicem habet. *l. 1. l. 18. mortis. l. 31. mortis. cum 2. ll. præced. l. 35. ſenatus. §. mortis. ff. de mort. cauſ. don.* Quare ſi ſic donator vt nullo caſu reuocetur, cauſa donandi magis eſt, & inter viuos facta, quàm mortis cauſâ donatio: ideoque nec inter coniuges valet, nec ex ea Falcidia detrahitur. *l. vbi. eod. tit.* Vtrunque tamen in hoc donationis genere admittitur Vlp. *fragm. tit. 7. l. 77. cum pater. §. eorum. de leg. 2. l. 5. C. ad leg. Falcid. l. 2. l. vlt. C. de mort. cauſ. don. Nou. 87.* Cuius rationem iam inde ab antiquis vſurpatã ſeculis tribus exẽplis oſtenditur. Primum apud Martianũ *l. 1. eo. tit.* adducto Homer. teſtimonio, apud quẽ Telemach. Pyræo ea lege donat, vt ſi Penelopes procos vltus, ſaluus domũ redierit, donata recipiat: ſi verò occubuerit, ea ſibi Pyræus habeat. Verſus ex Vlyſſeæ 17. profert Theophilus *tit. de don.* ¶ Alterũ apud Demoſth. in *orat. contra Calipp.* nõ procul à fine, ἰδίᾳ τὸ δωρεὰν δοῦναι αὐτῷ ἐν Ἀθήναις, ἐάν τι πάθοι. ſi quid illi acciderit, id eſt, in caſum mortis. *l. 162. in vulgari. ff. h. t.* ¶ Tertium apud T. Liuium *lib. 2. de bello Macedon.*

 Corin

Corinthus vrbs à Philippo Nabidi tyranno ea conditione data fuit, vt victori ſibi reſtitueret, ſi quid aduerſi accidiſſet, vt ipſe haberet. Eiuſmodi enim donatioonbus conditiones redhibendi adiici ſolitas colligitur ex *l.antep.ſi.ſ.eod.tit.* ¶ Labeo apud Feſtum, Mortis cauſa ſtipulationem olim fuiſſe defioit, quæ morte promiſſoris confirmaretur, aut cuius cauſa mors eſſet. ¶ Porrò de mortis cauſa capione, vide *l.8.qui pretio.l.9.omnibus.l.18.mortis.l.21.cum.l.38.inter.ff.eod.*

LXVIII. Idem lib. lxvij. ad Edictum.

ILLA verba [Arbitratu Lucij Titij] ius[a] ſignificant, & in ſeruum non cadunt.

Alciatvs.

ILLA VERBA. ¶ Arbitrorum duo ſunt genera. nam alij ex compromiſſo adeuntur, *l.ſocietatem.§.arbitrorum.pro ſocio.* quorum ſententiæ metu pœnæ paretur: alij (quos arbitratores vulgò appellamus) ſunt, qui tanquã boni viri arbitrari, & cõſtituere aliquid debẽt, iuris diſpoſitioni minimè obnoxij, nec comminatione pœnæ formidabiles: quorum ſententia magis tranſactioni, quàm iudicio conformis eſt: *c.quintauallis.de iureiur.* videntur enim partes tranſigere arbitratu illius, cùm priores arbitria ſua inſtar iudiciorum dirigant, & non multùm ab ordinariis differant. *l.1.de arb.* ¶ Igitur in prima ſpecie indubitati iuris eſt, ſeruum arbitrũ eſſe non poſſe, ſed nec arbitratorẽ. *l.Pedius.de arbit.* Vlpianus ex communi omnium expoſitione hîc exiſtimauit: quooiam illa verba, arbitratu Titij fieri, ad ius referuntur. Lex autem non cenſuit ad ea, quæ iuris ſunt, ſeruos admittendos, tum quòd in perſonam ſerui ius reſidere nequit, ſed merum factum, *§.ſed cùm factum. Inſtit.de inutil.ſtipul.* tum quòd quoad ea quæ iuris ciuilis ſunt, ſerui pro nihilo habentur. Sed dubium eſt, quomodo huiuſmodi verba ad ius referantur: arbitrari enim videtur facti eſſe. Et Accurſius ideo arbitria iuris eſſe exiſtimauit, quoniam nonniſi in legitimam perſonam cõpromitti queat. Idémque, quia arbitrator tanquam bonus vir iudicare debet: quæ ratio mihi magis placet: quamuis enim ſecundum iuris tramites incedere omnino arbitrator non compellatur, tamen ex bono, & æquo decidere negotium debet, vt effectus iuris ex eius ſententia oriatur: meritò hoc officium in ſeruum hominem conferri non debuit. ¶ Sed quid in deportato, an eius arbitratu aliquid committi poteſt? & omnes ſentiunt poſſe, *l.cùm pater.§.hered.de leg.2.* niſi antequàm deportaretur, mandatum ſibi fuerit: videntur enim partes propter ſtatus mutationem mandatum reuocaſſe: *l.cùm quis.de ſolut.* quod tamen in teſtatore, qui electionem aliquam Titij arbitratu fieri iuſſit, non procederet: *l. ex facto. §.ſi quis rogatus. ff. ad Trebel.* cùm enim is teſtator mortuus ſit, fingi non poteſt reuocaſſe mandatum. ¶ Sed & quod in deportato diximus, *Bartol.l.ſi quis arbitratu.de verb.oblig.* ad excommunicatum quoque communi calculo producitur, vt quò minùs arbitrator ſit, non cenſeatur prohibitus: quod intellige, niſi ex municipalibus ſtatutis iudicialem aliquam formam arbitramenta habeant: ab omni enim iudiciario actu, præterquam ſi ſe defendat, excommunicatus repellitur *l.ea ad probandum.in ſi.de re iud.* Item ſi arbitria hæc paratam habeant executionem: videntur enim iudiciorum inſtar tunc obtinere.

Brechævs.

ILLA VERBA. ¶ Si inter duos conuenerit, vt controuerſiæ explicandæ gratia, Quod Lucij Titij arbitratu factum erit, ratum habeatur, ſponſione quidem in eam rem facta, idipſum certè ad iuris magis, quàm ad facti rationem pertinet. Nam arbiter de iure pronunciat, ac inſtar iudiciorum ſunt arbitria, & non longè differunt ab ordinariis *l.1.ff.de arbit.cap.à iudicib.2.cauſ.quæſt.6.* Et ratione non cadunt in ſeruum hæc verba, Lucij Titij arbitratu fieri, quoniam ſeruus iudicãtis perſonam obire non poteſt. *l.Pedius.§.1.ff.de recep.arbit.* ac quod ius ciuile attinet, ſerui pro nullis habentur. *l.quod attinet.de reg.iur.ſ.* Vel quod lex in iudicio adeſſe ſeruos prohibet. *l.ſeruus. C.de iud. & ibid.gl.l.vix.ff.eod.* Sed an monachi, qui cum ſeruorum conditione ſolẽt conferri, arbitrium ferre, aut iudices eſſe poſſint? Innocentius in *cap. cùm olim.extr.de priuileg.* negat poſſe. Eſt pulchra gloſſ. *in d.l.Pedius.§.1.de arbit.* Multa quidẽ pręclarè & ſubtiliter de arbitris & arbitriis ſcripſit Vld.Zaſius *l.ſi quis arbitratu.ff.de verb.oblig.* & nos quoque *in Aphoriſ.iuriſprud.verb.arbiter.* vide etiam hoc loco Alciatum.

Fornerivs.

ILLA VERBA. ¶ Arbitri triplex ſignificatio. ¶ Primùm iudex certæ cuipiam cauſæ vel cognoſcendæ, vel exſequendæ datus, arbiter dicitur: vt tutelæ, rei vxoriæ, rei iudicatæ, communi diuidundo, familiæ erciſcundæ, finibus regundis, probandis fideiuſſoribus. *l.vlt. de iudic. l.15.à diuo. §.1. de re iudic.l.10.ſi ab arbitro.qui ſatiſd.cog.* Quem M. Tullius in *L.Murena* defenſione, ita ſimilem iudici probat, vt non ſatis ſuo tempore inter Iureconſultos conſtaret, iudicem an arbitrum dici oporteret *l.antep.ad leg.Iul.repet.* Eo ſenſu Iuſtinianus, *§.1.de action.* [apud iudices arbitrúſve de quacunque re quæritur:] Athenis ἐξαιρετοὶ δικασταί. ¶ Deinde arbitri dicuntur, extra iudicium ex compromiſſo à litigantibus ſumpti rei controuerſiæque diſceptatores domeſtici; quorum ſcilicet ſententiæ metu adiectæ pœnæ potiùs, quàm iuriſdictionis auctoritate pareatur: ſiue enim æquè ſiue iniquè iudicauerint, eorum ſententiæ parebitur: *l.2.C.de recept.arb.* Nec licet appellare: *l.1.C.de arbitr.* quia [plurimum refert,] (inquit Plinius *proœmio natur.hiſt.*) [Sortiatur aliquis iudicem, an eligat.] Lucianus *in Abdicato*, ἐν τοῖς ἄλλοις δικαστηρίοις, ὡς ἀπὸ τῶν κλήρων λαχόντων δικαστῶν, εἴ τις ἄδικον οἴεται γεγενῆσθαι τὴν κρίσιν, δίδωσιν ὁ νόμος εἰς ἕτερον ἀφεῖναι δικαστήριον. ἢν δέ τινες ἑκόντες αὐτοὶ συνθῶνται δικαστὰς, καὶ προελόμενοι

ἐπιτρέ-

ἀποπέμπονται δικαστῶν. οὐκ ἔστι γὰρ ἐξὸν μηδὲ τῶν ἀρχῶν ἐμμένειν οἷς ἄν τις αὐθαίρετος εἵλετο στέργειν τὴν δίκαις τοῖς ἐγνωσμένοις. Id eſt,[Non vt in cæteris iudicijs, quibus ex ſortitione iudices ſententiam dicũt, ad alios iudices prouocare lex ſinit, ſi quis eorum ſententiam iniquam exiſtimet: ita qui ſponte arbitros ſumpſerit. Nam cùm ab initio integrum eſſet, ſeſe eorum poteſtati non ſubijcere, ſi quis eos vltrò adierit, ſibique iudices delegerit, par eſt, eorum parere ſententiæ.] Quod & ab Vlpiano exprimit. *l.27.diem.§.ſtari.de recept.arb.* Sunt autem arbitris ſimiles iudices Editiij, id eſt, quos vterque litigantium communi conſenſu ſumpſerit. Vt M. Cicero *in oratione pro Planco & Murana.* & Seruiua Honoratus *in Virgilian.* Palemonem *3.eclog.* annotauit. de quibus agitur *in l. 8. ſi quis ex conſenſu. & l. ſeq.C.de epiſ.aud.* quorum ſententiam exſequi debent officia iudicum: Nam & ab iis ob eandem rationem, quod arbitrorum more cognoſcant. *d. l. 8.* appellationem non eſſe, Carthaginenſis concilij *cap.78.* cauetur. αἱρετοὺς δικαστὰς μὴ ἐξεῖναι ἐκκαλεῖσθαι. ἐὰν δέ τις μὴ φανῇ τὰ ἐκκληθέντα, καὶ ἐπιλέξηται ὁ ἐκκαλεσάμενος δικαστὰς, καὶ μετ᾽ αὐτῶν κρίνοντος καθ᾽ οὗ ἐξεκαλέσατο τὸ λοιπὸν ἀπὸ τούτων μηδενὶ ἐξέστω ἐκκαλεῖσθαι. Idẽ & Concilij Spalenſis Mileuitani *cap.24.* [A iudicibus autem, quos communis conſenſus elegerit, non liceat quenquam prouocare.] Ratio redditur *ſub finem l.pen.C.de ſent.& inter l.omn.iud.* Qui loci cum ab Yuone Carnotenſi Pannomiæ *lib.4.* tum à Gratiano in decretorum collectaneis commemorantur, *cap. à iudicibus.c.quiſquis.2.q.6.* Quum autem id genus arbitri ad inſtar iudicum comparẽtur, *l.1.§.de arb. l.12.rem non.C.de iud.* ¶Quò referenda videntur hæc verba.[Arbitratu Lucij Titij fieri,] quibus ius ſignificari, nec in perſonam ſeruilem cadere, hic tradit Vlpianus. Sunt enim expertes ſerui, eorũ quæ iuris ciuilis, ſicut contra eorum quæ facti & naturæ, capaces. *l.32.quod attinet.ff.tit.ſeq.* Quid in fœmina ſtatuemus? Cùm à iudicandi munere mulieres remoueantur, & a virilibus officiis. *l.12.cùm prætor. de iudic.l.2.ff.tit.ſeq.* cùmque ad inſtar iudiciorum arbitria redigantur. *l. 1. §. de arbit.* vix eas vnquam apud Romanos arbitrorum officio functas crediderim. Nec enim arrogare poterant, cùm nullum eſſet illis comitiorum commercium. A. Gellius *lib.5.cap.19.* Sed hodie ex Iuſtiniani conſtitutione de hoc minime dubitatur. *l.vlt.C.de arbitr.* ¶ Poſtremò quidam ſunt arbitri, qui mero facto adhibentur, in quorum purum nudúmque arbitrium res confertur: veluti, cum de conſtituendis ſocietatis partibus, vel æſtimando rei venditæ pretio, vel edendis & putandis rationibus agitur. *l.71.duo. l. 75.ſi coita.§.pro ſoc.l.vlt.C.de contr.empt.l.25.ſi merces. §. locat.* Portò quominus ſerui in eiuſmodi arbitriis idonei habeantur, nihil vetat. Nam & metiuntur agros. *l.3.ff.ſi menſor falſ.mod.* & ſibi ire, agere licere ſtipulantur. *§.ſed cùm factum.de ſtipul.ſeru.* Quòd in nudo facto id conſiſtit, ſicut & poſſidere, tenere: velle vel nolle adire hereditatem. *l.3.C.de hered.inſtit.* Longè aliud in iis quæ ad ius attinent, quæ in ſeruos non cadunt. *l.4.tit.ſeq.* niſi verba ius ſignificantia in ſeruum hominem collata, vt [habere licere, dari quid fierive] ad perſonam domini referãtur. *l.38.ſtipulatio iſta.§.hi qui. l.76.ſi ſtipulatus fuerim.de verb.ob.* Theophilus, *εἰ εἴπῃ τις ἀμφοτέρων ὄντες, ἐν τῷ προσώπῳ τοῦ οἰκείου δεσπότου χαρακτηρίζονται. tit.de ſtip.ſeru.* ¶ Generaliter autem quoties in alicuius arbitrium quid confertur, non liberam ſolutámque poteſtatem tribui credendum eſt, ſed quaſi vir bonus arbitraretur. *l.22.in perſonam. tit. ſeq. l.7.hac venditio.de contr.empt.l.24.ſi in lege.§.locat.l.76.ſocietatem.cum trib.legib.ſeqq.pro ſoc.* Promiſſis à liberto operis arbitratu patroni indicendis, non aliter ratum erit, quàm ſi patronus æquum arbitretur. Quid ita? [Ferè enim ea mens eſt, perſonam arbitrio ſubſtituentium, vt quia ſperent eum rectè arbitraturum, id faciant, non quia vel immodicè obligari velint. *l.30.ſi libertus.de oper.lib.* Idémq; in infinita dotis promiſſione obſeruatur. *l.60.quaro.l.69.cùm poſt.§.gener.de iur.dot.l.3.de dot.promiſ.*

LXIX. Idem lib. lxxviij. ad Edictum.

HÆc verba [Cui rei dolus malus aberit, afuerit,] generaliter comprehendant omnem dolum, quicunque in hanc rem admiſſus eſt, de qua ſtipulatio eſt interpoſita.

Alciatvs.

HÆc verba. ¶ Finge promiſiſti mihi aliquid per ſtipulationem, & ab ea ſtipulatione dolum malum abeſſe: cui rei, niſi dolus malus abfuerit, promiſiſti centum: declarat Iuriſc. hæc verba generaliter accipi. quod duobus modis explicari poteſt. Etenim reſpectu perſonarum ſtipulatio hæc generalis eſt, quia non ſolùm factum ſuum, heredúmque promiſiſſe contrahens videtur. *l.noniſſima.iudic.ſol.* ſed etiam (cùm ſtipulatio pœnalis ſit) factum extranei. *l.ſtipulatio iſta. §.ſi quis dolum. de verb.oblig.* & ita frequentiùs proditum eſt, licet diſſentiente Bartolo. nam & cùm quis Titium daturum & facturum promiſerit (quamuis ſtipulatio non valeat, quia factum alienum videtur promiſiſſe) ſi tamen ſubdiderit, dolum malum abeſſe abfuturúmve eſſe, non ſimplex abnutiuum promiſſum lex interpretatur. *l.inter.§.de verb.obligat.* ne corruat ſtipulatio, ſed potiùs ex præcedentibus curaturum eum promiſiſſe intelligit, quòd Titius dabit, & faciet: alioquin ſtipulator deceptus remaneret. ¶Cæterùm reſpectu quoque rei ipſius ſtipulatio generalis eſt, quoniam dolus vox eſt generalis, dolum verum & præſumptum continens, ſed & latiſſimam culpam, & plerunque latiorem. *Bartol.l.quod Neruæ,diſpoſiti.* Fraudem quoque dolo ineſſe Labeo ait, qua de re infrà latiùs diſputabo. *l.iuris gentium.§. ſed ſi.de pactis.*

Brechævs.

HÆC VERBA. ¶ Qui dolum malum abſuturum ſtipulatus erit, is quodcunque doli genus promiſiſſe cenſebitur ſe heredémque ſuum non admiſſurum. *l. ſtipulatio iſta. §. ſi quis dolum. de verb. oblig.* Cùm autem ſtipulator heredis ſui perſonam iſti ſtipulationi adiicit. Raphaël, & poſt eum Iaſ. id ita intelligendum volunt, vt in factis perſonalibus liceat, videlicet, vti frui licere: ire agere licere, quæ ſunt facta perſonalia. Vide latiùs in hanc rem Vldar. Zaſium *in d. §. ſi quis dolum.* quo loco cattaneos minimè comprehendi ecoſet, niſi pœna demum adiecta.

Fornerivs.

HÆC VERBA. ¶ Adeò exoſa ſemper & inuiſa fuit calliditas, & omnis ad circumueniendum fallendúmque adhibita machinatio, vt doli clauſula, ſeu ſtipulatio, ſeu formula de dolo, tanquam fraudis euerriculum nulli non contrahendo negotio ſubiiceretur, [Dolum malum abeſſe abfuturúmve eſſe, vt in ſocietate coeunda. *l. 22. ſed hoc ita, fin. de re iud.* in vſusfructus cautione. *l. 5. vſufr. quemad. caueat.* in emptione & vēditione *l. 68. ſi cum. de contr. empt.* in arbitriis, ac plenū dicitur, quod huiuſmodi clauſulam habet compromiſſum. *l. 3. C. de arbitr. l. 31. ita demum. ̄ſ. de recept. arb.* in iudicialibus ſtipulationibus, rem ratam haberi, iudicatum ſolui. *l. 45. qui ſe. de pet. her. l. 6. l. antep. iud. ſolu. l. 19. in ſtipulatione l. 22. ſi ſine. rem rat. hab.* in actione quoq; de peculio hæc adiectio, [Et ſi quid dolo malo domini captus fraudatúſque actor eſt.] *l. 30. quæſitum. l. 36. in bona. de pecul.* In legatorum, de quorū quantitate iuſtè dubitatur, præſtatione, heredi cauebit legatarius, [Quanti ea res erit, tantam pecuniam det, doluſque malus ab eo abfuturus ſit.] *l. 1. l. 3. ſi cui plus quàm per leg. Falc.* Denique in omni contractu: Nam ſtipulatio eſt: *l. 4. §. Labeo. de dol. excep. l. 13. & per. §. cum. de acceptilat.* Ambroſius *lib. 3. cap. 10. offic.* [Nónne, inquit, honeſtatis formulæ ſunt, dolum malum abeſſe, cúmque cuius dolus fuerit deprehenſus, dupli pœnæ obnoxium fore?] & pòſt paulò, [Veterem autem iſtam de dolo, non iuriſperitorum formulam, ſed Patriarcharum ſententiam, &c.] ¶ De qua hæc ferè præcepta ab illis per manus tradita teneantur. ¶ Primum, vt ita demum tecum agam, ſi ſciens me fefelleris: nec ea clauſula ad eas ſtipulationis partes, de quibus nominatim cauetur, pertineat: Vt ecce, filia quæ propoſita querela egerat, cum heredib. ſcriptis ſtipulatione doli ſubiecta tranſegit; deinde ſi de falſo agēs nō obtineat, doli clauſulà (quæ nihil ad id quod poſtea actum proponitur, attinet) non cōuenietur. *l. 22. ſi id quod. l. 109. doli. l. 135. ſi ita quis. de verb. obl.* ¶ Deinde cùm cæteræ ſtipulationes ita concipiantur, vt quæcunque ſpecialiter comprehendi poſſint, contineant, alioqui pro omiſſis habeantur: vna tamen hæc doli clauſula ad incertos caſus, qui cōtrahentibus non occurrerint, pertinet. *l. 53. ſtipulationes. l. 99. quicquid. l. 121. ex ea. de verb. oblig.* ſupplet omiſſa, expreſſa non continet: imò & ipſa interdum omiſſa tacitè ſubauditur. Qui ſeruo vendito venenum dedit, fundóve vendito impoſuit ſeruitutem, ædificia diruit, arbores excidit, vel exſtirpauit, quamuis non cauerit de dolo, de dolo tamen conuenietur. *l. 7. eleganter. ̄ſ. de dolo.* Et in prætoria ſtipulatione ſi per imprudentiam omiſſa proponatur, actio ex doli clauſula competit. *l. 22. ſi ſine, iud. ſol.* ¶ Denique in contrahenda emptione, tametſi ſolemnia verba, [Dolus malus à venditore aberit] non adiiciantur, nihilominus abeſſe debet. *d. l. 68. ſi cum. de contr. empt.* Sed nimis anxia cautionum diligentia: abundans & non neceſſaria verborum multiplicatio, & *ἀνεκβολογία* nihil nocet. *l. 17. ſextum. C. de teſtam. l. 32. pediculis. §. Labeo. de aur. & arg. leg. l. 12. quæſitum. de fund. inſtr.* Vt non defuerint, qui ita vt in veteri lapide viſitur, præfarentur, [Dolus malus abeſto, & iureconſultus, vt apud Scæuolam teſtator quidam *l. pen. fin. de leg. 2.* Superflua prodeſſe quidē poſſe, nocere verò nihil poſſe aiunt. Paul. *lib. 3. ſentent. tit. 4.* ¶ Tertium, ſuum tantùm, herediſque ſui quis, non etiam alienum dolum præſtat: de ſe enim quemque non de alio promittere oportet, alieni facti inutilis ſtipulatio eſt. *§. ſi quis alium. de inutil. ſtip. l. 2. quæcunque. de ob. & act.* niſi pœna adiiciatur, cuius metu ſtipulationi pareatur. *l. 83. inter. de verb. ob.* Niſi generaliter, id eſt in rem concipiatur clauſula, hîc verſ. CVI REI DOLVS, &c. omnem dolum, id eſt, à quocunque, non promiſſore tantùm eiúſve herede, ſed etiam extraneo admiſſum comprehendet. *d. l. 5. verſ. cum in rem ſit concepta. vſufruct. quemad. cau.* Planè hæc diſtinctio ex Vlpiani verbis intelligitur. [Si quis, inquit, dolum malum promiſſoris herediſve eius abeſſe velit, ſufficere ABESSA ABFVTVRVMVE ESSE ſtipulari. Si verò de plurium dolo cauere velit, neceſſarium eſſe adiici, CVI REI DOLVS MALVS NON ABEST, NON ABFVERIT: QVANTI EA RES ERIT, TANTAM PECVNIAM DARI SPONDES?] *l. 38. ſtipulatio iſta. de verb. oblig.* Venuleius & hanc differentiam apertiſſimè probans adſtipulatur. *l. iudic. ſolu.* ¶ Plurimùm verò intereſt pactio, ſtipulatio, liberatio in rem an in perſonam concipiatur, illo caſu ad omnes generaliter hoc ad certas duntaxat perſonas pertinebit. *l. 7. iuriſgentium. §. pactorum. ̄ſ. de pact. l. 8 non ſolùm. §. tale. de liberat. leg.* Atque hæc gemina huius quæſtionis definitio videtur, præ iis, quæ de pœnali facti alieni ſtipulatione, déque vero ac præſumpto dolo hic ab aliis afferuntur.

LXX. Pavlvs lib. lxxiij. ad Edictum.

SCIENDVM eſt, heredem etiam per multas ſucceſſiones accipi. Nam paucis ſpeciebus heredis appellatio proximum continet: veluti in ſubſtitutione impuberis, [Quiſquis mihi heres erit, idem filio heres eſto:] vbi heredis heres non continetur, quia incertus eſt.

Item

ITEM in lege Ælia Sentia filius heres proximus poteſt libertum paternum vt ingratum accuſare, non etiam ſi heredis heres exſtiterit.

IDEM dicitur in operarum exactione, vt filius heres exigere poſſit, non ex ſucceſſione effectus.

ALCIATVS.

SCIENDVM. ¶ Superiùs diffusè vidimus heredum appellationem per multas ſucceſſiones accipi, *l. iuris gent.* ꝫ *eodem.* declarauimúſque quomodo hoc intelligendum ſit: hic verò proſequitur Iuriſconſult. tres caſus, quibus ea regula non procedit.

Subſtitutione impuberis. ¶ Sed quæ ratio eſt, quòd hoc caſu à regula recedimus? & alibi dicitur, heredis heredem non admitti, *l. qui liberis.* §. 1. *de vulgar.* quia ex iudicio teſtatoris non venit. Per huiuſmodi autem ſubſtitutionem hi demum vocati videntur, quos affectione aliqua teſtator proſequitur. Quæ ratio vt vera ſit, indiget tamen ſecretiore doctrina, quæ hic vnico verbo attingitur: cùm enim huiuſmodi verba de certa perſona intelligi poſſint, non debent extendi, vt incertas quoque contineant. Cùm ergo heres aliquis inſtituitur, ſiue etiam ſeruus, ſiue filiusfamilias ſit, non debet intelligi de herede heredis, qui ipſi teſtatori incertus eſt. Eodem modo non intelligemus de patre aut domino, cùm potuerit filiusfamilias emancipari, & ſeruus vel manumitti, vel vendi, quo caſu hereditas patri, aut priori domino lucrifacta non eſſet. Non ergo verba teſtatoris accipiemus, vt ad incertos hoſce caſus porrigantur, ſed vt eas tantùm perſonas contineant, de quibus nominatim actum eſt.

Item in lege. Sentiam familiam Romæ fuiſſe, oſtendunt Sentius Gallus, & Sentius Augurinus, quorum in epiſtolis meminit Cæcilius Plinius, & etiam Sentius Saturninus Vetulio apud Valerium Max. *lib.* 8. Igitur Ælius Sentius legem tulit, quæ ab eius nomine Ælia Sentia appellata eſt. Cuius Cicero in Topicis, & Boëtius mentionem faciunt: ea plurima capita habuit, quæ hic referre non attinet. Vide in eam Vlpian. *in Epitome tit. 1. de libertis.*

Heres proximus. ¶ Interpretatio hæc ex verbis legis deſcendit; cùm enim filium heredem proximum dixerit, conſequens eſt, de eo intelligi non poſſe, qui poſt aliquas ſucceſſiones ſit heres. Placuit autem legillatori hanc ingrati accuſationem coarctare, quæ tanquam libertatis peremptoria odio non caret, quod etiam *libro hiſtoria* 13. Cornelius Tacitus tradit. Vnde nõniſi proximo heredi. §. *illud. in auth. vt lib. de cæter.* eidémque filio, id iuris conceſſum eſt: cùm etiam ſi proximus heres non ſit, bonorum poſſeſſionem contra tabulas liberti filios impetret: *l. ſi filius.* §. *Paulus. de bo. lib.* nec enim id beneficium ita odioſum eſt: nam & qui manumittere compulſus eſt, *l. 2. C. de ope. lib.* ingrati actionem non habet, & tamen præteritus contra tabulas poſſeſſionem petit. *l. 1. C. de bo. poſſ. contra tab. lib.*

Idem dicitur. ¶ Operarum duplex eſt ſpecies, quæ officiales dicuntur & quæ artificiales: *l. ſi non ſortem.* §. *libertus. de cond. indeb.* illæ perſonam patroni reſpiciunt, cui officioſum eſſe libertum naturalis ratio admonet, vt patronum comitari, cantu, ſono, ſaltatione oblectare, ſúntque huiuſmodi vt plurimùm incertæ: hæ verò ad artificium pertinent, inde operæ pictoriæ, fabriles, & ſi quæ ſimiles, & ſunt pleronque certæ, quia ſub certo numero ſolent promitti, alioquin incerta promiſſio arbitratu patroni ſecundum conſuetudinem, aut qualitatem liberti, declarabitur. Quæ autem exercitium aliquod, aſſiduitatémque non complectitur, ad obſequium attinent, nec operarum nomen habent. Igitur, ſi patronus operas ſibi præſtari ſtipulatur, regula eſt, vt ad heredes heredum talis ſtipulatio non tranſeat *l. cùm patronus.* §. 1. *de ope. lib.* Obſequialis tamen reuerentia ad heredem heredis tranſmittitur. *l. ſed & ſi hac.* §. *liberos. de in ius voc.* Idémque in his operis fabrilibus, quarum æſtimatio heredi ex iudicato præſtanda fuit: eius enim heres rectè eam pecuniam petet. *l. qui libertinus.* §. *pen. de ope. lib.* In officialibus verò operis hæc non procedunt, quoniam hæ ad extraneos heredes regulariter nõ tranſeant. *l. fabriles.* ꝫ *illo tit.* ſed ad filios tantùm etiam ſi non ſint heredes. *l. ſi operarum. eod. tit.* & ideo parum refert, quota parte heredes ſint inſtituti. *l. vt iuriſiurandi.* §. *fi. eod. tit.* Atque ita hanc materiam ego extrico, licet alij aliter. ¶ Sed hic quæri poteſt, an in caſibus quibus teſtator, mentione heredis facta, de filio cenſetur intellexiſſe, eundem requiratur heredem quoque eſſe? & in contractibus dubium non eſt, filium non admitti, niſi ſit heres. Quapropter, ſi quis ſibi, & filiis, & heredibus emphyteuſim ſtipuletur, niſi filius ſit heres, excludetur. *Bartol. d.* §. *fin.* In teſtamentis quoque idem crebriore calculo reſponſum eſt, in ea ſpecie, cùm teſtator filio, ſi ſine herede moreretur, ſubſtituiſſet, non enim ſufficit, ſi filium reliquerit, niſi ſi quoq; heres ſit. quod & in eo caſu Paul. Caſtrenſis reſpondit, *leg. ex facto.* §. *fin. ad Trebel.* cùm filio ſine liberis moriente Titius & eius heredes ſubſtituti ſunt: non enim ad fideicommiſſum Titij filij admittentur, niſi hereditatem patris adiuerint. *Paul. d. l. Gallus.* §. 1. Sed quid ſi legitimi heredes vocati ſint? & cùm de his intelligatur, qui inteſtato ſuccedunt, fortè etiam ſi Titio heredes non fuerint, admittentur: ne teſtator videatur fideicommiſſum Titij arbitratui reliquiſſe, quod ſ. attingam.

BRECHÆVS.

SCIENDVM. ¶ Hoc capite Paulus nihil aliud dictum voluit, quàm quod ſuperiore Vlp. in *l. heredis appellatione,* tradiderat, videlicet heredis appellatione abſoluta, omneis in infinitum heredes contineri, niſi quod præter Vlpianum ipſe Paulus præſcribit hoc loco modos quoſdam ac ſpecies, quibus heredis nomen, proximum contineat heredem, veluti in ſubſtitutione impuberis, cùm teſtator ita teſtamento canit. Quiſquis mihi heres erit, idem impuberi filio heres eſto: ſanè neque qui per remotam ſucceſſionem, neque qui ab inteſtato heres erit, ad ſubſtitutionẽ admittetur, neq; heredis heres, quia incertus eſt teſtatori, ac nõ ex iudicio venit ad impuberis hereditatẽ.

l. Qui liberis. §. *hac verba.* & *ibidem gl. ff. de vulg.* & *pupil. ſub gloſſ.* & *doct. not. in l. qui pater. ff. de acquir. hered.* Aliam item ſpeciem profert Paulus, qua heredis appellatio non trahatur in infinitum: cum ſcilicet ius ſáſque ſit patrono atque eius heredi libertum ingratum accuſare, vt *l. 2.* & *l. fin. C. de bon. liber.* non tamen omnibus quibuſcunque remotis heredibus patroni licebit, ſed propiori.

§. *Idem dicitur.* Eſt hic alia ſpecies, cùm heres heredis non veniat: vt ſi libertus patrono operas debeat, eaſdem exigere patroni heres non aliter poſſit quàm ſi proximus ipſi patrono ſit heres, vt filius patri, non autem ſi longa ſucceſſione heres ſit effectus. *l. cùm patronus.* §. *cùm libertus. ff. de oper. liber.*

FORNERIVS.

SCIENDVM. ¶ Licet generalis heredis appellatio etiam per multas ſucceſſiones in infinitum producatur, omneſque ſucceſſores vlteriores complectatur. *l. 65. heredis. l. 170. heredis. h. t.* Interdum tamen coarctatur & ad primum, ſecundúmve gradum reſtringitur, vt in tribus hic exceptis à Paulo ſpeciebus; Impuberum ſubſtitutione, lege Ælia Sentia, & operarum exactione. Quibus habitationis & vſusfructus heredi legati exemplum addere licet: qui primi heredis perſonâ continetur, eiúſque morte finitur, & cum proprietate ex deciſione Iuſtiniani conſolidatur. *l. 13. cùm antiquitus. C. de vſufruct.* Item cùm fundi eccleſiaſtici Emphyteuſim ſibi quis heredique ſuo ſuſcipit, permittitur duorum deinceps heredum, filiorum nempe ac nepotum perſonam adiungere: *Nouell. 7. ἐπί τε τῶν λαμβανόντων προσώπων, ἐπί τε δύο τῶν αὐτοῦ προσώπων κληρονόμων ἐφεξῆς, παίδων μόνων ἢ ἐγγόνων.* ¶ Vtriuſque exceptionis ratio videtur idonea: Illius quidem ne veram heredum ſignificationē ſequentibus proprietas (perpetuò abſcedente vſufructu) inutilis euaderet, *l. 56. an vſusfructus. de vſufr. l. 8. de vſufruct. leg.* Huius, ne Emphyteuſi in heredes permanante in infinitum, alienatio prædij eccleſiaſtici induceretur. cui occurritur *Nouel.* 120. Ex re igitur generale heredis nomen contrahitur. [Substitutione impuberis.] ¶ Hæc pupillaris ſubſtitutionis formula, [Quiſquis mihi heres erit, idem impuberi filio meo heres eſto,] eum habet ſenſum, vt non omnis qui patri heres exſtitit, ſed is qui ex teſtamento heres exſtitit, & ideo neque pater qui per filium, neque dominus qui per ſeruum extitit, ad ſubſtitutionem admittetur, neque heredis heres. Nec ad rem pertinet tractata à Neratio ſpecies: in ea enim heredis heres ad impuberis hereditatem iure accreſcendi, non beneficio ſubſtitutionis admittitur. *l. 59. qui patri. de acq. her.* Quid ita? [quia nō ex iudicio, inquit Vlpianus, venit.] *l. 8. de vulg.* & *pup. ſubſt.* vel vt hic Paulus, [quia incertus eſt.] Idonea ſanè exceptionis ratio, cur in primi heredis gradu conſiſtat ſubſtitutio: quòd non ſit veriſimile, ſibi ignotum temerè patrem filio ſurrogare voluiſſe. Quod obſcuriùs Græci conuertiſſe videri poſſint, *σπανίως γὰρ ὁ πρῶτος ὀφλισκάνει, ὡς ἐπὶ τῶν ἀνήβων ἀντικαταστάσεως.* ſic accipe, *σπανίως, rarò,* paucis, qui tribus exemplis ſubiectus oſtenduntur caſibus: ſubſtitutione impuberi facta. Certos enim & amicos ferè, quorum fidem probarimus, heredes quærimus, pupilliſque noſtris, eos, quorum mores nulla inſidiarum ſuſpicione laborent, ſubſtituimus, quos nihil in eorum ſalutem molituros confidamus. *arg. §. ſin autem. Inſt. de pupill. ſubſt.* Qua ratione nec incertum teſtamento tutorem dari poſſe conſtituitur. *l. 20. tutor. l. 30. duo. de teſtam. tut.* Nimirum quod incerti tutoris probitas ac fides deligi à teſtatore non poſſe videatur. Quum alioqui iudicio teſtatoris liberis datus tutor, potiſſimùm probetur, cæteriſque omnibus legitimis tutoribus præferatur. Ob eandem cauſam, cùm amicitiæ nomine hereditates & legata relinquantur. *l. 9. nec adsecus. pro ſoc.* Heres inſtitui, niſi vt certò demonſtretur, nemo poteſt: quoniam, [Certum debet eſſe cōſilium teſtantis.] Vlpianus *fragm. tit. 21.* & *24. l. 9. quoties. de her. inſtit.* nihil incertis perſonis legari poterat. §. *incertis. de legat.* Niſi in cauſas pias, pauperibus fortè legetur. *l. 24. id quod. l. 28. nulli. l. 37. ſi quis ad. C. de epiſ.* & *cle. Nouel. 123. 131. Photius Nomoc. t. 2. c. 1.*

Item in lege. ¶ Alterum exceptionis exemplum: Inter cætera legis Æliæ Sentiæ ſeruorum manumittendorum libertorúmque præcepta cauebatur, vt patroni filio libertum ingrati poſtulare liceret, quod heredi extraneo non conceditur. At filio tantùm, id eſt ſuo, & proximo heredique neceſſario. *l. pen. C. de lib. eor. lib. l. pen. C. de oper. lib.* Quod hac potiſſimùm ratione nititur, quòd odioſa ſit ingrati actio. *l. 1. l. 7. l. vlt. C. de reuoc. donat.* quę libertum ſub priſtinum ſeruitutis iugum reuocabat. Ambroſius *de vita beata.* Donatus in illud Terentianum, [haud muto factum] ſecundum ius, inquit, quod aduerſus libertos ingratos eſt, vt in ſeruitutem reuocentur. Idem iure Attico cautum, imò & abrogandæ libertatis formula à Val. Maximo proditur, *lib. 2. cap. 1.* [Superſedeo te habere ciuem, tanti muneris impium æſtimatorem. Nec adduci poſſum, vt credam vrbi vtilem, quem domi ſceleſtum cerno. Abi igitur, & eſto ſeruus, qui liber eſſe neſciiſti.] Sed non quæuis contumelia tantum auferat beneficium, ſed nequitiam, perfidiam, contumaciam inſignem redargui oportet, nec ſola obſequij detrectatione libertas reſcindetur. *l. 30. ſolo. C. de liber. cauſ. Leonis Nouel. 25. δούλους μετ' ἐλευθερίας ἐξηρημένους μὴ καθάπαξ.* & in fine, *οἱ γὰρ δοῦλοι ἅπαξ ἀφεθέντες ζυγοῦ, μὴ πονηροὶ ὀφθέντες, οὐχὶ πάλιν δοῦλοι αὐτῶν ἀναγκάζονται.* Quo magis adducor vt pro mendoſis verbis, [aut leuis offenſæ] legendum cenſeam [haud leuis.] *l. 2. C. de libert.* & *eor. lib.* ne quid durius in libertum tenuioris culpæ nomine ſtatuatur. Accedit & quòd hic latior heredis appellatio coarctetur: cui & Valentiniani *Nouella 6.* quæ manumiſſoris heredibus à liberto violatis ſolam reliquit iniuriarum actionem, ſuffragatur: [Duras nimis benemeritis ſanctiones credimus, inquit, quæ ſic opprimunt ſub ingrati actione libertos, vt ab heredibus defunctorum præcipiant in ſeruitutem vocari, tanquam contra iniuriarum, vel ſuperbiæ reos, nulla niſi abrogandæ libertatis pœna ſufficiat, &c.]

Idem dicitur. ¶ Tertium exceptionis exemplum. Liberi patroni virilis ſexus eadem iura in bonis libertorum parentum ſuorum habent, quæ & ipſe patronus Vlpianus *fragment. tit. vltim.* Id verò

propter

proprio filij heredis iure, non autem per alium heredis effecti, nec heredi extraneo, conceditur, poſt patroni mortem. *l. 22. cum patronus. l. 29. ſi operarum, de oper. lib.* Filio autem etiam ſe abſtinenti datur. *d. l. 29. ſi.* filij hereditate paterna repudiata ius quod in libertis habent paternæ non amittunt: Idem & in emancipatis. *l. 9. filij. de iur. patr.* Sunt enim iura quædam, quæ mortuo parente filios, quamuis non heredes ſequuntur: vt ius patronatus, vt matrimonium, vt liberi, vt tutela. *l. 46. ſi maritus. famil. erciſc.* vt ſepulcrum familiare, vt ſepulcri violati actio. *l. 6. l. pen. de ſepulcr. viol. l. 20. pro herede. de acqui. her. l. 8. ius familiarium. l. 13. ius ſepulcri. C. de relig.* Liberis cuiuſcunque ſexus vel gradus, emancipati, exheredati, (niſi iuſta odij cauſa prohibeantur) in maiorum ſepulcris inferentur. *l. 6. vel quod. ſ. de relig. & ſumpt. fun.* Quo argumento vſus contra Eubulidem Demoſthenes contendit Euritheum ciuem eſſe Atticum, quòd ipſius fratres in auitis monumentis citra controuerſiam aut cuiuſquam intercesſionem ſepulti ſint. ἔθαψε τούτους εἰς τὰ πατρῷα μνήματα. Deinde legem ſepulcrorum ſubiicit, ὧν ὅσοιπερ εἰσὶ τοῦ γένους κοινωνοῦσι, καὶ τούτων οὐδ' εἷς ἐν ἀπόντι πώποτε, οὐκ ἐκώλυσεν, οὐ δίκην ἔλαχεν. Filius etiam exheres factus patrem luget. *l. vlt. ſ. de his qui not. infam.* [Non ex ſucceſſione effectus.] ¶ Id eſt, cum vt filius, idémque heres: non vt quouis alio iure ſuccedens: veluti ex filiiſ. vel ſerui inſtituti aditione effectus heres. quod quaſi alieno non filij iure acciderit. *d. l. 22. cum patronus. verſ. heres. de op. lib.*

§. j. VERBA HÆC, [Is ad quem ea res pertinet,] ſic intelliguntur, vt qui in vniuerſum dominium vel iure ciuili, vel iure prætorio ſuccedit, contineatur.

ALCIATVS.

VERBA HÆC. ¶ Quoties in lege hæc verba repetiuntur, conſiderandum eſt ob quam cauſam ſint adiecta: nam ſi prætor actionem puta redhibitoriam emptori, eique, ad quem ea res pertinebit, daturum pollicetur, de particulari ſucceſſore intelligi non poterit, ſed de vniuerſali tantùm, vt hîc dicitur: perſonalis enim actio ad particularem ſucceſſorem non pertinet. *l. ſciendum. §. deinde. de adil. edict.* Quòd ſi de ea, quæ in rem ſcripta, vel ſimpliciter in rem ſit, loquatur, tunc aliud erit. *l. ſi Titius. §. ſi quis prius. de aqua plu.* idémque cùm etiam particulari ſucceſſori vt ſuccurratur, eadem æquitas ſuadet. *l. his verbis. de adop.* ſed & in iure excipiendi dubium non eſt, quoniam id ad quemcunque indiſtinctè tranſit. *l. aut prætor. de iureiur.* vt etiam ſi beneficium ſit perſonale, nihilominùs eo, cui conceſſum eſt, viuente, donatario proficiat. *l. ſi tibi. §. pactum. de pact.* ¶ Accipient igitur hæc verba ex ſubiecta materia interpretationem, alioquin ex ſui proprietate ſucceſſorem particularem comprendere putauerim: ad eum etiam pertinet, nedum ad heredem. Quod maximè erit obſeruandum, ſi materia ſit fauorabilis, vt beneficia principum, vel additum ſit generale pronomen, quicunque, & ſimilia, quæ de nomine ſucceſſoris recentiores tradiderunt. *Iaſ. l. quædam. §. 1. de edend.* Sanè quæ iura ſucceſſoribus particularibus dentur, quæve contra eos competant, latior eſt articulus, quàm vt hîc perſtringi poſſit. *Bart. d. §. ſi quis tertius.*

BRECHÆVS.

VERBA HÆC. ¶ Exiſtimat Alciatus hæc verba, [is ad quem ea res pertinebit,] ex ſui proprietate ad ſucceſſorem ſingularem pertinere: niſi ex negotio, quo de agitur, aliud actio ſuadeat, quæ remotioribus heredibus poſſit competere: vt in redhibitoria & perſonali actione, quæ ad particularem ſucceſſorem non pertinet. *l. ſciendum. §. deinde. ff. de adil. edict.* Quippe ego ipſe exiſtimauerim, eum qui ſibi, heredi, eive ad quem res ab eo pertinebit, ſtipulatus eſt (quod vulgò nūc dicimus, ſibi heredibus, & habentibus cauſam, &c.) comprehendiſſe & particulares ſucceſſores, ſimul & vniuerſales & remotiores heredes, & qui iure ciuili vel prætorio ſucceſſuri ſunt: præterquam ſi ius aut ex priuilegio, aut ex natura actionis perſonam potiſſimùm reſpiciat, quam non egrediatur. ¶ Cæterùm in teſtamentis, in annuis, & fideicommiſſis, quæ non certæ perſonæ tantùm & nominatim, ſed & heredibus ſuis præſtari voluit, omnes heredes, atque eorum heredum heredes, ex voluntate teſtatoris admittendos cenſuit Imperator in *l. in annalibus. C. de legat.* Quo loco tradit Alberic. quòd ſi heredes nominatim ſcripti non ſint, poſſe tamen ipſum annuum legatum (ſi modò præſtitutum ſit illi tempus, vt in *l. Firmio Heliodoro. §. 1. ff. quando dies leg. ced.*) ad heredes transferri. ¶ Quòd ſi etiam pactum ſit, in quo nulla ſit heredis mentio, videtur tamen & ei qui paciſcitur, & heredibus ſuis vnà cautum: niſi aliud legitima probatione appareat. Celſus in *l. ſi pactum. ff. de probat. & ibid. glo. in verb. probare. l. veteris. C. de contrahen. & commit. ſtipul.* plura in hanc rem ſcripſimus *in Commentariis noſtris ad conſuetud. Turonenſ. tit. Des ſucceſſions de fied. artic. 30.*

FORNERIVS.

VERBA HÆC. ¶ Frequentior clauſulæ vſus, facit, vt variè pro ſubiecto rei argumento accipiatur. Generaliter quomodocunque pertineat, & quacunque cuiuſque ratione intereſſit: vt in edictorum prætoriorum interpretatione ſubinde accidit. *l. 1. §. his verbis. de reb. auct. iud. poſſ.* vt cum de partu ſuppoſito, de ventre inſpiciendo, adhibentur ij, ad quos ea res pertinet. *l. 1. de vent. inſp. l. 30. lege ad leg. Corn. de falſ.* Sepulcri violati actio iis datur, ad quos pertinet. *l. 42. licet. de procur. l. 3. l. 6. de ſepulc. viol.* qui loci ſi conferantur, in eundem recidunt ſenſum. Et quia creditorum intereſt, res ad eos pertinere dicitur. *l. 1. l. 12. quanto. de publican. l. 7. eleganter. de dol.* & ad omnes qui contraxerunt, & quorum negotium eſt. *l. 33. ſeruum. de procur. l. 6. de acq. poſſ. l. 1. de adil. edict.* eadem ratione & ad dominos. *l. 181. verbum illud. ſ. h. t.* vt eum ſerui ad quæſtionem poſtulati duplum pretium *ei ad quem res pertinet*, reſtitui iubetur, id eſt, domino. *l. vlt. de calumn. l. 27. ſi poſtulauerit. ad legem Iul. de adulter.*

[Qui

[Qui in vniuerſum dominium.] ¶ Vt ſunt heredes. *Nouell.48.l.59.heredem.ꝉ.tit.ſeq.* vt ſunt bonorum poſſeſſores,& fideicommiſſarij: vt arrogati *l.53.plura.de obl.& act.* & ij ad quos res pupilli,ſi adrogatus in ſuo ſtatu permanens in alienam familiam non tranſiiſſet, erat peruentura. *l.17.nec ei.l.19. his verbis. de adopt.* Cum prætor mancipij vitioſi emptori omnibus ad quos ea res pertinet redhibitionem pollicetur:ſucceſſoribus eius,qui in vniuerſum ius ſuccedunt. *l.1.l.19.ſciendum. de adil.edict.* [Succedit] ¶ Interdum etiam ſi non in vniuerſum ſuccedatur: vt in cautione arrogatoris, qua libertatibus,quæ à ſecundis tabulis datæ ſunt proſpicitur, & ſubſtituto,& legatariis. *d.l.19.* & cum in eum qui iurauit,& in ipſius ſucceſſorem actionem denegat prætor,etiam ſi in rem ſucceſſerit.*l.7.ait. l.ſeq.de iureiur.* Nec dubitatur,quoties pactum in rem à venditore conſtituitur,emptori prodeſſe:ſed & cum in perſonam concipitur, in emptorem valet: & ſi per donationem valet. *l. 17. ſi tibi. de pact.* Quantò magis ſi in rem quæ ab auctore in alium poſteà transferatur? rem enim afficiet eiúſque poſſeſſorem actio, non ſtipulatorem ſequetur. Vt ſi quis priùs quàm aquæ pluuiæ arcendæ agat, dominium ad alium tranſtulerit fundi, deſinit habere actionem, eáque ad eum tranſibit, cuius ager eſſe cœpit. [Cum enim,inquit Vlpianus,damnum futurum contineat, ad eum qui dominus erit,incipiet actio pertinere: quamuis cùm alterius dominium eſſet,opus à vicino factum ſit.] *l. 6. de aqua pluuia.* A contrario igitur, ſi iam damnum in præteritum datum proponeretur,qui agrum vendidit,nihilominus ageret.*l.vlt.arb.furt.cæſar.* Enimuerò illud perpetuò diſcrimen obſeruatur,vtrùm in rem,an in perſonam,vtrùm in præteritum, an in futurum actio referatur. Semel enim ex delicto nata ab actoris perſona non recedit,neque poſſeſſorem ſequitur. *l.vlt.ſi.de empt.& vend.l.25.actionum. §. in perſonam.de obl.& act.* Vt ecce quia actio de ſeruo corrupto non ad præſens, ſed ad ſerui corrupti vel recepti tempus refertur,ſi moriatur,alienetur,vel manumittatur,præteritæ vtilitatis ratio verſatur in eo iudicio, nec alienatione manumiſſionéve ſemel quæſita actio extinguitur. *l.5.& ſeqq. de ſeru. corrupt.* Idem in arboribus furtim cæſis.*d.l.vlt.* Idem in *l.64.cum fructuarius ſi.& ſeq.de vſufruct.* ¶ Cum verò damnum rei ipſi cohæret, & opus factum agro vendito nocet, futurúmque reſpicit, nouo emptori datur actio.*l.6.§.ſi quis priùs.de aqu.pluu.* Ex diuerſo ſi dominus rem alienarit,eiúſve dominium amiſerit,ceſſat actio.*l.10.ſiue fin.de cond.furt.l.16.euicta.de euict.l.15.huic.ad leg. Aquil.l.11 is qui.§.ſi poſteà.quod vi aut clam.l.24.eleganter.de pign.act.* ¶ Sed & cùm de pœnæ reſtitutione,vel in ſortem imputatione agitur,permultum intereſt,vtrùm in rem an in perſonam delictum admittatur. Nam & pignetatitius creditor, & rei vitioſæ redhibitæ emptor pœnæ quam iudicio conſequutus fuerit commodum reſtituet,vel certè in ſortem imputabit:non cum ipſe iniuria affectus doloris ſolatium tulit. *l.43.bonem.§.ſi quis ſeruum.de adil.edict. l.22.ſi pignore.de pign.act.l.15.item apud.§.ſi vſumfruct.verſic.in meam contumeliam,de iniur.l.23.vtrum.l.ſeq.de hered.petit.*

LXXI. Vlpianvs lib. lxxix. ad Edictum.

ALivd eſt capere,aliud accipere. Capere,cum effectu accipitur. Accipere, & ſi quis non accepit vt habeat. Ideóque non videtur quis capere quod erit reſtituturus. Sicut perueniſſe propriè illud dicitur, quod eſt remanſurum.

Alciatvs.

ALivd est capere. ¶ Capere verbum ad effectum acquiſitionis refertur. *l.non videtur quiſquam.ꝉ.tit.1.* atque ideo qui reſtituere tenetur,non videtur capere: atque hinc eſt,quòd ſpurius ſubſtitutus pupillariter fratri legitimo,ipſo iure quidem vniuerſorum bonorum heres erit, ſed quæ à patre prouenerunt reſtituet agnatis, quia eorum capax non eſt. *l.ſi is qui.de vulg.* Filius tamen familiàs & ſeruus, quamuis reſtituere teneantur,capere dicuntur. *cepiſſe.ꝉ.eod.* quia per eos ſtatim abſque alia reſtitutione, patri vel domino acquiritur. ¶ Aſt verbum accipere,non ita frequenter ad effectum refertur: vnde & plerunque accepiſſe dicitur, qui tamen dominium adhuc non acquiſiuit. *l. naturalis. §. 1. de præſcript. verb.* Sed confunduntur hæc aliquando, & etiam capere dicimus eum qui rapit,vel ſimpliciter aufert.*l.1.de fid.tut.* Sunt & qui accipere de manu alterius,capere verò propria autoritate intelligant.*Mod.d.l.non videtur.* quod mihi non diſplicet,vt præpoſitionē ad,pro iuxta interpretemur:quamuis ſi teſtator Titio mandet,vt fundum accipiat. *Bart.l.centurio.de vulg.* quia de teſtatoris manu capere videtur,non putem heredis traditionem expectandam.

Cum effectu. ¶ Adiuuatur hinc regula,quæ mandat cum effectu verba accipi debere: quapropter ſi exulem capienti certum præmium dari conſtituatur,nō intelligetur cepiſſe, qui ad præfectum non traxerit.*Iaſ.l.1.§.ſi.quod quiſque iuris.* vel cum armis reperiſſe,qui non ceperit. Qua ratione & qui tantum erogat,quantum acceperit,capere non dicitur,cùm in effectu nihil illi remaneat.*l.ciuitatibus.in ſi.de leg.1.* illud enim datum, legatum,donatum, conceſſum dicitur,quod deductis omnibus expenſis reliquum eſt.*l.non amplius.de leg.1.*

Perueniſſe. ¶ Propria hæc huius verbi eſt ſignificatio, vt id quod remanſurum eſt, perueniſſe dicamus. *l.ſi ipſa. quod met. cauſ.* licet plerunque ex ſubiecta materia aliter etiam non impropriè interpretemur,quod alibi attingam.*l.perueniſſe.ꝉ.eo.*

Brechævs.

ALivd est. ¶ Quàm variè, quámque multipliciter, hæc duo verba, accipere & capere apud Grammaticos & Latinos authores ſignificent, cum vel maximè videre eſt ex Laurentio Valla

lib.6

lib.6.elegan.cap.3.& 7. Sed apud noſtros Iureconſ. ſic ea verba ſignificatione diſcrepant, vt capere ſit cùm effectu & re ipſa τῷ ἔργῳ. Rem ipſam habere, & eiuſdem perſequendæ actionem: non qui per exceptionem à petitione ſummoueri poſſit, ait Vlpianus in *l.non videtur. ff.de reg. iur.* ſicut diximus de regul. Qui actionem habet, *in l.cui præcipua.§.perſequi.ĩ.hoc tit.& l.penes te.* Quare non videtur (ait Caius) quiſquam id capere, quod alij reſtituere eſt neceſſe. Vnde non dicetur is propriè cœpiſſe, qui quod ex teſtamento cœpit, niſi id totum alij reſtituat, de inofficioſo teſtamento dicturus non admitteretur. Marcellus *in l.ſi pars.§.illud.ff.de inoffic.teſtam.* Sic capere impropriè, niſi cum effectu, dicitur: vt *l.cùm ei.& gloſ.ibid.ff.de leg.2.l.cogi.§.his qui ſolidum.ff.ad SC.Trebell.*

Perueniſſe. ¶ De huius verbi ſignificatione nihil hoc loco dicemus: Nam in *l.perueniſſe.ĩ.hoc tit.* erit aliquid à nobis dicendum. vide hic Alciatum interea.

Fornerivs.

Alivd est. ¶ Capere plus eſt, Accipere minus: in illo ius, in hoc factum verſatur. Capimus cum effectu: id eſt, ſic acquirimus, vt res nobis eripi non poſſit. Nam quod euinci, quod auferri poſſit, captum, quæſitum, noſtrum non eſſe: nec in bonis, nec ad nos perueniſſe videtur, quod penes nos non remanebit. *l.164.nomen fin.ĩ.h.t.l.82.non quocunque.de leg.1.* Hinc vſucapio, pignoriſcapio, mortiſcauſacapio. Gell.*lib.7.c.10.l.3.de vſucap.* Vlp.*fragm.tit.19.* per vſum capio, dominij capio, per longum tempus capere. *l.5.l.12.his qui.l.18.damni.l.44.cum poſtulaſſem damn.inf.l.44.ult.§.filiusf.de vſucap.* Accipimus verò, & id quod in dominium noſtrum non tranſit: vt cum rem alienam emptam accepimus: quæ à domino euincatur. *l.25.ſi ita.l.28.rem.de contr.empt.l.5.§.1.de præſcrip.verb.* Cuius differentiæ vis vel in eo cernitur, quod quamuis legatarius, qui ampliùs legatorum nomine habuerit, quàm per legem Falcidiam licuerit, ſatiſdet heredi, quanti ea res eſt, tantam pecuniam dari: non ſi quid reſtitutioni fideive commiſſo obnoxium acceperit: ſed ita demùm ſi ceperit, cauere tenebitur. *l.1.l.5.ſi cui plus.l.27.ita.§.heres.ad SC.Trebel.* Sed & cum non amplius legati nomine, ad quemquam pertinere videatur, quàm deducto eo, quod explendæ conditionis cauſa datum eſſet, ſupereſſet, nihilque ex teſtamẽto capi, ſi quantũ accipitur, erogetur: Si mihi fundus *c.dignus.* (*ſi heredi.C.dedero,*) legetur, fideicommiſſum non teneor præſtare. *l.26.non amplius.l.122.ciuitatibus.de leg.1.* [Perueniſſe.] ¶ Qua ratione notata eſt Labeonis abs Iaboleno ſententia. Cum ita eſſet legatum, [Quanta pecunia ex hereditate Titij ad me peruenit tantam pecuniam heres meus Seiæ dato:] ille negabat legatarium heredi [ſi quid forte poſteà eius hereditatis nomine damnaretur] cauere oportere. hic contrà. quia non poteſt videri ad heredem perueniſſe, quod eius hereditatis nomine præſtaturus eſſet. *l.29.qui concubinam.de leg.3.* perueniſſe eum effectu accipitur. *d.l.164.nomen.hic verſ.* [Quod eſt remanſurum.] ¶ Ἀπομένειν μέλλον. Quod ita tamen exaudiendum eſt, niſi ex improbata cauſa, veluti dolo, metu, delicto peruenerit: Tunc enim ſufficiet vel momento perueniſſe. *l.127.cum prætor.ĩ.tit.ſequent.l.16.* quod diximus *in fin.& 4.ſeqq.ĩ.quod met.cauſ.l.2.l.3.l.4.l.5.de calumn.* quæ cum hac videntur iſta diſtinctione conciliandæ: Quaſi nec captum, nec perueniſſe quicquam videri debeat, quod ſcelere non iure quæſitum ſit. [Cum effectu.] ¶ Rectiùs quàm quòd à nonnullis defenditur, [Cum affectu:] Nam hoc loco Græci ἐνδυνάμως conuerterunt. Ergo capere eſt, cum effectu. *l.51.non videtur.l.190.quod euincitur.ĩ.tit.ſeq.* nec videtur, heres dediſſe, quod ita dederit, vt legatarius habere non poſſit. *d.l.39.qui concub.§.pen.* nec in rem verſum, quod verſum non durat. *l.10.ſi pro patre.de pecul.* Cicero *Philipp.2.* [non eſt implere, quod ſtatim effundas.] Sic [ſtatuit] verbum rem perfectam ſignificat. & conſummatam iniuriam, quæ effectum aliquem habuerit. *l.1.ſi.quod quiſque iur.* indicaſſe, eſt detuliſſe, arguiſſe, accuſaſſe, & conuiciſſe. *l.197.ĩ.h.t.* Qui latronem ſe inuenturum promiſerit, exhibere & tranſmittere tenetur. *l.13.ſi Barſatoram.C.de fideiuſſ.* Verba non eſſe otioſa, ſed aliquid ponderis ac momenti habere debent: quia leges non verbis, ſed ipſis rebus imponuntur. *l.109.ſi quando.de leg.1.l.2.C.comm.de leg.* [Et ſi quis non accepit.] ¶ Fugit ab editione Florentina vocula [ſic] ex vulgari, & paraphraſi Græcorum reuocanda [oon ſic accipit,] vt κἂν οὕτως τις ἐδέξατο, ἵνα ἔχῃ. Deſiderari quoque initium *cap.88.tantùm.ĩ.h.tit.* notabitur.

Hæc verba, [His rebus rectè præſtari,] hoc ſignificant, ne quid periculum vel damnum ex ea re ſtipulator ſentiret.

Alciatvs.

Hæc verba. ¶ Quod conuentus rei vendicatione propter eam rem alteri promiſit, vt ab actore indemnis ſeruetur, ita cautionem accipit, quas res tibi tradidero pro his rebus rectè præſtari ſpondes? quam cautionem etiam emptor recipit. *l.ipſi.de rei vend.* qui redhibitoria aduerſus venditorem experitur, ſi eius rei nomine, quæ redhibenda eſt, alteri aliquid ſoluere damnatus eſt. *l.redhibere.§.cauendum.de ædil.edict.* Interpretamur enim rectè, id eſt, tutò & ſecurè, hoc eſt, ſine periculo & damno. Periculum autem ad perſonam, damnum ad res ſeu pecuniam referri Accurſius credidit. Hincque argumentum accipitur, pro ſui defenſione cautiones interponi poſſe. Quare ſi malè ab aduerſario tuo metuis, licitum erit iudicem adiri, qui eum ex officio compellet, vt caueat, per ſe non fieri, vt vis aliqua tibi inferatur: idque etiam ſub pœna & datis fideiuſſoribus. *Meder.l.ſi ſuper.C.de tranſact.* Sanè & M.Varro *Rei ruſtica lib.11.* ſolitos tradit eos, qui indomitos boues emunt, ſic ſtipulari: Illóſce iuuencos ſanos, déque pecore ſano eſſe, noxiſque ſolutos rectè præſtari ſpondes? atque hanc formam M. Manilij actionibus contineri, quæ verba hoc ex reſponſo interpretationem recipiunt.

FORNERIVS.

HÆC VERBA. ¶ Reus vindicanti domino non rei corpus reſtituet: verùm etiam de dolo cauebit: verendum enim ne ſeruum quem poſſidebat, oppignerauerit, manumiſerit, vel ei malum venenum dederit: Ita viciſſim dominus recepta re poſſeſſori, (ſi forte fundi nomine damni infecti cauerit,) ſatiſdabit. *l. 18. ſi poſt. l. 19. ipſi. de rei vind.* Sed & cum vitioſum mancipium venditori redditur, emptor de dolo malo promittet: ne fortè pignori datus, ab eo, furtúmve facere, aut damnum dare iuſſus ſit (quia noxa caput, proinde dominum ſequitur) hoc quoque caſu cautio interponitur indemnitatis: cuius formula exſtat in *d. l. 19.* & hic exponitur: [Iis rebus rectè præſtari.] Id eſt, in huius rei traditione, reſtitutione, redhibitione nihil damni, nihil periculi ſtipulatorem ſentire: ſiue in totum res intereat, ſiue deprecietur fiátque deterior. *κινδυνεύειν ἢ ζημίαν.* Eiuſdem clauſulæ vſus latiſſimè patet. Si quis rem litigioſam, dubiam, controuerſam vendat, aut etiam donet, indemnem ſtipulatorem tuebitur: vt quamuis rei donatæ vitia, vel euictionem, niſi dolum adhibuerit, nemo præſtet: ſi nudo pacto promittatur euictio. quia quod alterius liberalitate obuenit, boni conſulendum eſt. *l. 62. ad res. de ædil. edict.* vt oraculum Achiuis reſpondit, *ὅπου δ' ὅτι δῶ τὰ ἐναντίων.* Strabo *lib. 6.* Qui tamen hac ſe obſtrinxerit ſtipulatione, ne quem beneficij ſpecie decipiat, & de euictione tenebitur. *l. 2. C. de euict. l. 18. Ariſto. de donat.* [His rebus.] ¶ Perperàm alij, [his verbis.] alij, [De his rebus] Græci, *ἐπὶ τούτοις τοῖς πράγμασι τὸ ὀρθῶς παρέξεσθαι ὡμολόγησε.* In his rebus, &c.

LXXII. PAVLVS lib. lxxvj. ad Edictum.

APPELLATIONE rei pars etiam continetur.

ALCIATVS.

APPELLATIONE. ¶ Qui de aliqua re quicquam conſtituit, vt de domo, inſula, fundo, de qualibet eius parte conſtituiſſe intelligitur, & id quidem propriè ſicut in genere ſpecies, in maiori ſumma minor continetur. Alioquin quæ vox totum ſignificat, propriè de parte dici non poteſt: quare ſi quis de domo loquatur, aut inſula, de toto, non de parte locutus intelligetur. *l. Titia. §. 1. de leg. 2.* Quapropter, ſi teſtes actoris fundum ab eo poſſideri dicant, de integro accipiatur, niſi alij teſtes omnino prioribus æquales, idem de reo dicant: tunc enim vt à periurio ſoluantur, fiet interpretatio, tam actorem, quàm reum eum fundum communiter pro indiuiſo poſſidere, atque id plerique omnes tradidere. *l. ſi duo. vti poſſid.* Sanè hinc colligitur, de parte ad totum valere argumentum. *l. quæ de tota. de rei vendic.* quod verum eſt, niſi alia ratio ſit in toto, quàm in parte. ¶ Pars autem tripliciter accipitur, quædam numeralis, alia integralis, alia quota. Exempli cauſa, tres, arithmetica pars eſt nouem. *Bart. l. ſi mater. §. ſi inter. de exc. rei iud.* vſusfructus pars integralis dominij eſt, ſicut paries, domus: at triens, quadrans, ſemis, quota pars eſt aſſis. ¶ Percipitur etiam alia hinc regula nimirum idem pollere generalem enumerationem, quòd particularem omnium ſpecierum. *l. omnes. C. de præſcri. 30. ann.* quod ita intelligimus, dum ſub generali ſermone ea non accipiamus, quorum ſpecialem mentionem fieri opus eſt. *l. quod tranſlationem. de offic. leg.* etenim dubium non eſt de generali ſermone multa accipi variis ex rationibus, *Rom. §. de viro. l. ſi verò. ſol. matr.* quas hic referre nimiæ curioſitatis eſſet.

BRECHÆVS.

APPELLATIONE. ¶ Quid appellatione rei contineatur, latè diximus ſuprà in *l. rei appellatione.* vide etiam quæ tradita ſunt à nobis in *l. rectè dicimus. & l. ſeq. h. t.*

FORNERIVS.

APPELLATIONE. ¶ In pleriſque iuris articulis idem in parte, quod & in toto ius eſt. pars vindicari poteſt. *l. 76. quæ de tota. de rei vind.* pars pro derelicto haberi *l. 3. pro derelict.* Is qui ſe furtum non feciſſe iurauit, de toto iuraſſe intelligitur: & ea edicti parte. [Eius rei de qua iusiurandum delatum fuerit, perinde eſt, ſiue de tota re, ſiue de parte ſit iuratum. *l. 7. ait. l. 13. ſi duo. §. idem. de iureiur.* Lex Iulia de pudicitia fundi dotalis alienationem inhibens, partem quoque quæ in dotem data ſit, alienari vetat *l. 13. dotale. de fund. dot.* Si quis ita leget, [Titio fundum do lego, vt eum pro parte habeat,] legatarius partem conſequetur: [videri enim, ait Vlpianus, fundi appellatione non totum fundum, ſed partem appellaſſe.] *l. 34. planè. 1. de leg. 1.* Et quæ in operis noui nunciatione ſtipulatio interponitur, [Quanti ea res erit,] ad totius corporis æſtimationem, & ad id quod intereſt, ſufficit. *arg. l. 5. §. qui nunciat. & l. antep. de non. oper. nunc.* Clauſula quoque rem ratam haberi in partem committitur. *l. 17. cum debitore. & ll. ſeqq. rem rat. hab.* quod & in ſtipulatione iudicatum ſolui obſeruatur. *l. 14. ſi ex duobus. l. 16. iudicatum. l. vlt. iud. ſolu.* Æquè & in illa, rem pupilli ſaluam fore, ſtatim atque quæque res ſalua non eſſe cœperit. ſi ad ſpecies curator detur, committetur ſtipulatio. *l. 1. l. 8. etſi. rem pup. ſalu. for.* illa quoque, [ne quid ædium, loci, operiſve vitio damnum factum ſit] interpoſita ſtipulatio, non tantùm ad totas ædeis, ſed etiam ad partem ædium pertinet. *l. 24. fluminum. de damn. infect.* Denique in hereditatis aditione, ea ſpecie à Terentio Clemente tractata, incapacis ſeruus inſtitutus, ante aditionem manumiſſus, vel alienatus, ipſe ſibi adit: At ſi partem capere dominus eius poteſt: eadem dicentur, de parte, quam ille capere non poteſt: [nihil enim intereſt, inquit, de vniuerſo quæratur, quod capere non poſſit, an de portione.] *l. 82. ſi ſeruus. de adquir. hered.* ¶ Sed videamus ne non hæc tranſlatitia iuris definitio perperàm ſeruetur. Præſertim quoties res, vel natura, vel iure, partium diuiſionem non recipit: cuius generis ſunt ſeruitutes. *l. 11. pro parte. de ſeruit. l. 72. ſtipulationes non. de*

verb. ob

verb.obl. Et cum ſeparatione totius, vel vtilitas partium interiret, vel plurimum de rei pretio decederet. *l.8.ſi ex toto fin.de leg.1.l.64.fundus.de contr.empt.* Quod de naue inter mercatores diuidenda, A. Caſcelium reſpondiſſe anteà retulimus. Dignitates quoque non admittere ſectionem vulgò probatur. *c.in apibus.7.q.1.c.maioribus.de preb.c.Imperialem.§.prætereà.de prohib.feud.alien.per Frid.* Accurſ. *l.7.communi.* ℥. *comm.diuid.* Caſſiodor. *lib.epiſtol.12.* [In qualitate eſt, non in quantitate peccatum. Si quidem menſuram non quærit iniuria. Imperium ſi in paruo contemnitur, in omni parte violatur. ¶ Quæ in quantitate, faciliùs, quàm quæ qualitate conſiſtunt, partibus ſecernuntur. Vt ecce ſi de hominis contumelia quæratur, qui autem alicuius tetigit, totum eum videtur tetigiſſe: qui dolium aperuit, & inde parum vini abſtulit, vel ex aceruo frumenti modium, totius furtum non facit. *l.21.vulgaris.de furt.* Si de hominis dominio agatur, ſecus. *l.5.de ſtip.ſeru.l.5.ſi.de leg.1.* Cum ſeruus venditur, ita duplæ ſtipulatio concipitur, [Si is homo euictus fuerit, pårſve eius.] Partis autem adiectionem ideò neceſſariam eſſe Paulus ait, [Quia, inquit, non poteſt videri homo euictus, cum pars eius euicta eſt.] *l.56.ſi dictum. de euict.* Qui partem in re communi habet, eam pro derelicto habere poteſt: rei verò in ſolidum propriæ dominium pro parte abiicere, pro parte retinere nemo poteſt. Hæc enim ſimul conuenire nequeunt. *l.3.pro derel.* Si vitioſarum ædium dominus non caueat, mittetur vicinus in poſſeſſionem totarum ædium: ſed ſi in plures partes diuiſa ſit domus, & tam ampla, vt ſpatia inter ruinoſam, & eam quæ vitium non facit, intercedant, in eam ſolam partem mittetur: ſi verò vnita ſit contextu ædificiorum, in totam. *l.15.ſi finita.de damn.infect.* ¶ Cæterùm cum ἀναλογία rei ſuadet, & cuiuſque portionis pars cenſetur, eiúſque vtilitas ſeorſum cernitur, idem de parte iuris, quod de toto. vt in fructibus vel è communi, vel dotali fundo perceptis ſtatuemus. *l.25.qui ſcit.verſ.qui communem.de vſur.l.7.fructus.§.quod in anno.ſol.matr.* Mihi temperare hîc ipſe non poſſum, quin conſentanea huic diſputationi Senecæ *ex lib.2. cap.13.* de ira, verba ſubiiciam. [Nefas eſt nocere patriæ, ergo ciui quoque. Nam & hic pars patriæ eſt. Sanctæ partes ſunt, ſi vniuerſum venerabile eſt: ergo & homini. Nam hic in maiore tibi vrbe ciuis eſt. Quid ſi nocere velint manus pedibus? manibus oculi?

LXXIII. VLPIANVS lib. lxxx. ad Edictum.

HÆC verba in ſtipulatione poſita, [Eam rem rectè reſtitui,] fructus continent [rectè] enim verbum pro viri boni arbitrio eſt.

ALCIATVS.

HÆC VERBA. ¶ Reſtituendi verbum ad fructus quoque pertinere, ſuprà oſtenſum eſt: quare cùm Iuriſconſultus in hac ſtipulatione, eam rem recte reſtitui, fructus contineri, propter dictionem, rectè, ſentiat, videtur in ſtipulationibus id verbum ſimpliciter poſitum fructus non comprehendere. *l.in condemnatione.§.1.℥ iu.r.* quod Iacobus & Oldradus ſentiunt. Sed ita generaliter ſuprà ſequutus non ſum: quamuis enim ex huiuſmodi contractus forma fructus debeantur, verbum tamen rectè non parui momenti eſt, cùm deberi eos arbitrio boni viri oſtendat. ¶ Sanè hinc probatur dictionem hanc, rectè, ad iuſtitiam cauſæ referri, ſicut ritè ad ritum, id eſt, ſolennitatem. *Bart.l.lecta.ſi cert. pet.*

¶ Atque hinc aliqui exiſtimauerunt, ſi iudici demandatum ſit, vt cognoſcat, an Titius rectè captus ſit, non poſſe eum diſcernere, an feriato licitóve tempore ſit captus, ſed an iuſta cauſa ſubeſſet, propter quam capi debuerit. Quæ deciſio prudentibus viris meritò diſplicet: demandantis enim mens fuit, omnem omnino quæſtionem committere. Et Iuriſconſulti differentia hac omnis ſubtili abutuntur, & doctiſſimi grammaticorum aliter tradiderunt. Varro ritè à rito, nam quod ſecundum ritus fit, id ratum & rectum eſt. Priſcianus: Ritè pro rectè, quia nihil traditur ritibus, niſi quod rectum eſſe credatur. Donatus: Rectè dicitur, quod nullo vitio verborum dicitur. Verè, ad rei ſeu ſententiæ veritatem refertur: hinc Terentius in Adelphis, Rectè & verè dicis.

BRECHÆVS.

HÆC VERBA. ¶ Qui rem rectè reſtituere tenetur, is eam cum fructibus debet reſtituere. Nam generalis rei appellatio, & cauſas ſecundas, id eſt, cauſatas, & iura complectitur. Cauſas autem rei ſecundas vocant fructus rei ipſius. *l. rei appellatio.* vbi multa de hac re teſcripſimus ſupra hoc titulo.

Recte enim. ¶ Quandocunque in rebus quæ debentur, æſtimatio pro varia temporum natura & conditione ſolet variare & mutari, & rem rectè reſtitui quis ſtipulatus ſit, idipſum arbitrio boni viri committendum erit. Hanc enim verbum, rectè, habet in ſtipulationibus ἐνέργειαν, quando res promiſſa, aut debita, in ſubſtantia incerta eſt, quatenus ad accidentia inſeparabilia attinet, quæ determinant & circuntegunt ipſam ſubſtantiam. Vnde fit vt quamuis dos incerta promittatur, nihilominus promiſſio valeat: ſed boni viri arbitrio æſtimanda præſcribendáque erit, pro modo ſcilicet facultatum. *l.cùm poſt diuortium.§.gener. l.quæro.& l.ſeq.ff.de iur.dot.l.ſi cum ea.C.de dot.promiſſ.* Tex.& Salic. *in l.ſi.C.de contrah.emp.* Sed dicunt hoc eſſe ſpeciale in dote. Quod latius tractamus *in Commentariis ad conſuet. Turon.* Et de reductione ad arbitrium boni viri, diximus in *Aphor.iuriſprud. Aphor.21. verb. Appellatio,& alibi.* Cęterùm hoc differunt ritè & rectè, quòd ritè ſignificet cauſę ordinationem & iuſta ſolennia. (Nam ritè à ritu dictum volũt Latini authores: hinc dicimus Sacra ritè peragi, non rectè, & ritus patrios, id eſt, mores.) Rectè verò, cauſæ vel rei alicuius rationem atque æquitatem. Bart.& Glo. *in l.non putauit.§.non quamuis.ff.de cont.tab.* Idem Bar.cum glo. *in l.2.in verb.recte.ff.de inoff.teſta.& in l.iuſtè poſſidet.ff.de acquir.poſſ.* rectè enim à recto derinatur.

FORN

FORNERIVS.

HÆC VERBA. ¶ Adiecta cautionibus vox [Recte] fructus cõtinet. Quamuis enim reſtituendi verbum plenam habeat ſignificationem: non tamen ſi ad id quod meum non fuit conſequendum actionem habeam, veluti ex ſtipulatu, fructus conſequar. *l.38. videamus. de vſur.* & in fideicommiſſaria hereditatis reſtitutione, non aliter veniunt fructus, quàm vel mora facta, vel latius pecuniæ nomen adiiciatur, vel ſpecialiter cogetur heres etiam fructus reſtituere. *l.18. in fideicommiſſaria. l.32. baliſta. l.57. heredis. ad Se. Treb. l.15. Centurio. de vulg. & pup. ſubſtit.* ¶ Verùm cum additur in ſtipulatione [recte reſtitui.] fructus rei arbitrio boni viri præſtabuntur. Harmenopulus, τὸ ἐπιμελῶς (πρᾶγμα ὀρθῶς ἀποκαταστῆναι) δηλοῖ μετὰ τῶν καρπῶν. Quod ſumptum ex Vlpiani 80. *lib. ad edictum*, vnde & illud manat, quòd oblata nunciatori poſt opus nouum de opere reſtituendo cautione, impunè ædificatur. Vlpianus adiicit, ſtipulationem in id committi, vt res boni viri arbitrio reſtituatur. *l. antep. §.1. & §. fine. de oper. nou. nunc.* Hic verò explicatiùs ea clauſula [*rectè reſtitui*] fructus deberi tradit. ¶ Boni autem viri arbitratu (his notis vſi V. B. A. auctore Valerio Probo) veteres dicebant, cum neutrius eorum, quorum res agebatur, ſed eius cuius nihil intererat quaſi iudicis ac periti æſtimatoris probata erat: cuius arbitrium, & ſpectata fides de negotio ſtatuebat. Vtrunque enim boni viri nomine ſignificatur, Probus ac Peritus. Publius Mimus, [Aleator quantò in arte melior, tantò peior.] Seruius in illud Virgil. [boni quoniam conuenimus ambo, Tu calamos inflare leueis, ego dicere verſus.] Et iudex, qui boni & innocentis viri officio fungi debeat. *l.4. fam. erciſc. l.137. continuus. §. cum ita. de verb. obl.* in illa lege XII. tab. de fruge noctu paſta, ac ſecta, apud Plin. *lib.18. cap.3.* [impubem prætoris arbitratu verberari] & cum ait prætor [Arbitrio iudicis, interpretatur Vlpianus, vtique quaſi boni viri: vt ille modum verberum imponat.] *l.17. ſed ſi vnius. de iniuriis.* Cato *de re ruſt. cap.144.* [ſoluito arbitratu boni.] in lege Oleæ legendæ, & faciundæ. *cap.145.* [Si quid redemptoris opera domino damni datum erit reſoluito. id viri boni arbitratu deducetur.] Idem *cap.148.* de lege vini in doliis, [viri boni arbitratu deguſtato.] *cap. ſeq.* [Si quid emptor, aut paſtores, aut pecus emptoris domino damni dederit, boni viri arbitratu reſoluat.] Eiuſdem generis ſunt & illa, Arbitratu boni fieri collationem bonorum. *l.2. de coll. bon.* Boni viri arbitrio defendi. *l. pen. l. vlt. de procur.* Vti frui boni viri arbitrio. *l.18. damni. de damn. inf. l.13. ſi cuius. de vſufr. l.1. vſuf. quemadm. cau.* ¶ In quo duo præcepta tenenda ſunt. ¶ Vnum vt ſi cuius arbitrium ſtipulationi inſeratur, ab eius perſona non recedatur: quo non arbitrante, nihil valeat ſtipulatio, ac ne pœnæ quidem adiectæ petitio ſit. *l.43. ſi quis arbitratu. l. ſeq. de verb. obl.* quia electa perſonæ fuit induſtria & probitas. *l.31. inter. de ſolut. l. vn. C. de cad. toll.* Pindarus ἕτεραι δ᾽ ἑτέρων τέχναι. ¶ Alterum, vt ſi iniquè fuerit arbitratus, res ad arbitrium boni viri reuocetur. *l.30. ſi libertus. de oper. lib.* Quinimò quamuis matris conſilio filiorum tutelam geri pater mandauerit, eòque nomine tutores liberet: nihilominus eorum officium integrum erit: ſed viris bonis conueniet ſalubre conſilium matris admittere, vel teſtatoris præceptum negligere. Quantum filio diurnum ſufficere Marina & Ianuaria æſtimabunt: tutores non contenti arbitrio mulierum, ſumptum boni viri arbitrio facient. *l.5. §. Papinianus. l.47. Titium. de admin. tut.* Semper ineſt conditio, ſi è re, & ex æquitate fuerit. *l.22. in perſonam. ⁊ ſit. ſeq. arg. l.8. in confirmando. l. pen. de confir. tut.*

LXXIIII. PAVLVS lib. ij. ad Edictum Ædilium Curulium.

SIGNATORIVS anulus ornamenti appellatione non continetur.

ALCIATVS.

SIGNATORIVS. ¶ Signatorius anulus eſt, qui characterα id eſt. ſculpturam habeat, quo vtimur, vt ſignum imprimamus. *l. ad teſtium. §. pen. de teſtam.* Erat autem id genus anuli plurimo in vſu apud antiquos: nam propter multitudinem ſeruitiorum recluſa omnia, obſignatáque à dominis tenebantur, ſicque à rapina (vt Plinius inquit) vendicabantur. ¶ Cùm ergo huiuſmodi non ornamenti cauſa, ſed cuſtodiæ principaliter fierent, meritò appellatione ornamentorum non continebantur. *l. argumento. §. ornamenta. de auro leg.* quod maximè in his procedit, qui leuis pretij eſſent, vtpote aureos quinque non excedentes, & ita iure cautum eſt. *l. diuus. de bon. damn.* ¶ Sed hanc ego ſummam hodie leuem non arbitror, idque propter noſtrorum temporum paupertatem: nam conſtat veteres Romanos fuiſſe ditiſſimos.

BRECHÆVS.

SIGNATORIVS. ¶ Guliel. Bud. noſtræ ætatis in re literaria lumen, & idem maximus ac diſertus antiquitatis interpolator, adnotauit *lib.3. de Aſſe*, ex Plinij verbis, Romæ olim annulos aureos, non ornamenti cauſa, ſed ſignandi inſtitutos, ſiue aurea pala, ſiue gemma. Itaque ornamenti gratia geſtari minimè ſolebant: ſed annulis ſignatoriis tantum vtebantur obſignandis atque occludendis literis, arcis, & cellis vinariis: vt quod his reconditum eſſet, tutius haberetur. Quod & adhuc his noſtris temporibus vulgò videmus obſeruatum. Scribit T. Liuius *lib.7. decad.3.* Quòd cum Annibal Marcello mortuo, & annulo eius cum corpore potitus eſſet, Criſpinus metuens ne eius errore annuli, qui dolus necteretur à Pœno, circa ciuitates proximas nuntios miſerat, occiſum collegam eſſe, annuloque eius hoſtem potitum: ne quibus literis crederent nomine Marcelli compoſitis, & hoc videlicet annulo Marcelli obſignatis. Cicer. *lib.2. de Orat. ad Q. Fratrem.* Ridiculum eſt (inquit) Neronianum in furace ſeruo, ſolùm eſſe, cui domi nihil ſit nec obſignatum, nec occluſum. ¶ Tradunt conſuetum quondam apud Romanos fuiſſe, vt legatis qui ad exteras gentes eſſent profecturi, aureus annulus, velut inſigne munus daretur. Et quidem foris aureo, domi autem, ferreo vtebantur, autore Plin

te Plinio *lib.33. naturalis hiſtoriæ cap.*1. quo etiam loco mulra de annulorum vſu tradit. Peſſimum, inquit, virç genus fecit qui annulum primus induit digitis. Nec hoc quis ſecerit, traditur. Nam de Promerheo omnia fabuloſa arbitror: quanquam illi quoque ferreum annulum dederit antiquitas: vinculúmq; id, non geſtamen intelligi voluerit. Scribit prærerea, io annulis ſub gēmis incluſa venena: multóſque mortis gratiâ anulos habuiſſe: cuiuſmodi fuit Demoſthenes ſummus orator Grçciæ. ¶ Antiqui Romani ſculpras in anuulis maiorum imagines habebant. Superior Aphricanus Sardonycem, q́ ſola gemmarum ceram non auferret, Polycratis aunulo celebratam fertur habuiſſe Lentulus, aui figuram, Aphricani filius, parris effigiem inſculpſit annulo. Auguſtus Octauius, Spbyngis, ac poſtmodum Alexandri magni imaginem. Pleraque alia id genus exempla profert Alex. ab Alex. *lib.2. Gem. dier. cap.*19. ¶ Tyberio principe, authore eodem Plinio, anoo ab Vrbe condita dcclxxv. annulorum authoritati forma conſtituta eſt. Quo tempore ſtatutom ne cui ius eſſet annuli aurei geſtandi, niſi cui ingenuo ipſi parri auóque paterno Seſtertia 400. cenſus fuiſſent, & lege Iulia thearrali in quatuordecim ordinibus ſedendi. T. Liuius *lib.3. decad.*3. ſcribit neminem poſſe niſi equitem annulum aureum gerere. Vnde equeſtris ordinis inſigne erat, vt diſtinguererur à plebe, vt reſtis eſt idem Plinius loco ſupra citato. Sed ramen a Cicerone *in Verr. Actio.*5. traditum eſt impetatores ſuperatis hoſtibus, optimè Republ. geſta, Scribas ſuos annulis aureis in concione ſæpe donare ſolitos. Iam verò, cur manu ſiniſtra, annulum in digito qui minimo vicinus eſt, quem etiam medicinalem vocant, vulgò geſtari videmus, feſtiuè & eleganter diſputatum eſt ab Aulo Gellio *noct. attic. lib.*10. *cap.*10. & Macrobio *lib.7. Saturn. c.*13. At è diuerticulo in viam redire licet. Signatorium anoulum ornamenti appellatione non contineri, hoc loco rectè Paul. cenſuit. quoniam hoc taotū Romanos vſos fuiſſe conſtat (vt iam admonuimus ea Plinio) obſignandi gratia. Vnde vocauit Paulus ſignatorium aunulum, in quo ſignum aliquod inſculptum erat. ¶ Vocabant autem ſignum, ſimulachrum, ſolido, ligno, lapide, auro, argento æréve effictum, quod hominis alicuius referebat imaginem: hócqoe differt à tabella, quòd ea lineis & picturis conſtet. Cicer. *Action. 6. in Verrem.* Nunquam enim ſi denariis quadringentis cupidinem illum putaſſet, commiſiſſet vt propter eum in ſermonem hominum, atque in tantam vituperationem veniret. Quis veſtrûm igitur neſcit quanti hæc æſtimentor: in auctione ſignum æneum non magnum H S. c a a. milibus vænire non vidimus? Idem *lib.3. de Orat.* Omnes enim, inquit, racito quodam ſenſu, ſine vlla arte aut ratione, quæ ſint in artibus ac rationibus recta ac praua diiudicant: Idq; cùm faciunt in ſignis & picturis, & in aliis operibus ad quorum intelligentiam à natura minùs habent inſtrumenti, &c. Idem *Actio. 6. in Verr.* Nego vllam gemmam aut margaritam, aut quicquam ex auro, aut ex ebore fictum ſignum vllum æneum, marmoteum, eburneum: nego vllam picturam neque in rabulis, neque teatilibus fuiſſe, &c. ¶ Inde Sigilla Vitruuius appellat parua ſigna, & ſimulachra in ædiculis cullocata, quaſi parietū honeſtamenta: vel etiam ſimulachra columnarum abacis inſidentia. Quod etiam Laza Bayfius adnotauit, *titul. de auro & argento legato.* Hac quidem ratione Sigillum appellamus imaginem in annulo ſculptam, quo literas ſolemus obſignare. Vide quæ etiam in hanc rem ſuprà ſcripſimus *l. ſubſignatum. hoc ipſo titulo.*

FORNERIVS.

SIGNATORIVS. ¶ Videtur hæc ſententia ac ſpecies ea veterum inſtitutis arceſſita ad ædilium curulium tanquam ad caput proprium reuocanda. ¶ Mancipia vt & iumenta interdum ornata, interdum ſine ornamentis à mangonibus & vænalitiariis vænum exponebantur. Plautus Stycho, [Vænalis ſum cum omnibus ornamentis.] Idem Curculione, [Emi virginem trigiuta minis, veſtem, aurum & decem pro his coaccedunt minæ.] Vlp. cum ait, ea quæ depoſitis rebus accedunt, non eſſe depoſita, [vt puta ſi homo, inquit, veſtitus deponatur. veſtis enim depoſita non eſt.] *l.1. depoſi.* In ædilium quoque curulium edicto ornamenra iumeotorum ab ipſis corporibus ſeparaoror. *l.38. ædiles.* §. *vendendi. de ad. ed.* Inde adeò cum dubitaretur ſi dominus cum ſeruo ornamenta quoque vendidiſſet, nec aunulum ſignatorium excepiſſer, accederétne, & emptorem ſequeretur. Paolus *libr.2. ad Edictum,* Ædilium curulium reſpondit tacitè anulum ſignatorium exceprum videri, nec ornamentorum appellatione contineri. cui ſubſcripſit Vlp. *l.25. argumento.* §. *ornamenta. de aur. & argen. leg.* Quod quanquam ea tractata ab eo quæſtione, ad muliebria ornamenta referri non inficiamur: Tameo ad çdilium quoque edictum, de ſeruorum vendirorum ornamentis reſpondiſſe hic Paulum, vel ipſa monet inſcriptio. Vt noo ram vocis ſignificatio, quàm venditoris ratio hanc interpretationem ſuaſerit: Cuius videlicet maximè interſit, ne ſignatorius ſerui anulus emptorem ſequatur: néue eo in prioris domini fraudem aburatur: In negotiis ſcilicet contrahendis, repetita die obſignandis, & quaſi venditoris adhuc ſeruus ipſum æri alieno obliget. Nam etſi à iudiciis, reſtamentis, teſtimoniis, publiciſque negotiis ſerui homines arceantur: & ſiguare actus liberi hominis habeatur. Quinctil. *declam.340. & 342. Nouel. Iuſtiniani 90. Leonis 49.* In priuatis tamen dominorum rationibus verſabantur, peculium, calendarium, fœnus, negociationem exercebaot *l.4. de eden. l. pen. ſi cer. pe. l. vlt. de inſt. act.* Merces, vinum, lagenas, ciſtas ſignabant, ſuos quoque contractus, vel peculiares, vel quorum iuregentium participes habebantur. *l.32. quod attinet.* ¶ *ſit. ſeq.* habebant ſerui ferreos anulos. Apuleius *lib.*10. Macrob. *lib.7. c.*13. Plinius *lib.33. c.1.* [Necnon & ſeruitia iam ferrum auro cingunt.] Idem *eod. lib.* [Vulgóque, inquit, ſic triumphabant: & cum corona ex auro Etruſca ſuſtinebatur a tergo: anulus tamen in digito ferreus erat, æqua fortuna triumphantis, & ſerui coronam ſuſtinentis.] Nam ſi, quod ab Iſid. *lib.19. Etymol. c.*31. proditur, verum eſt, Aureum anulum, neque ſeruus, neque libertus geſtabat in publico: ſed anulo aureo liberi vtebantur, libertini argenteo, ſerui ferreo. Si inquam ex cuiuſque gradu ac ordine, anulorum quoque dignitas cenſebatur, & vſus. Crediderim non tam anuli ſignatorij prerium, quàm vſum ac fraudis ſuſpicionem huic diſputationi cauſam præbuiſſe. [Ornamenti.] ¶ *τῶν σκευῶν.* Cæteroquin auri appellatione aurei anuli continentur *l.19. cū aurū. al. l.20. de aur. & ar. leg.* ſumptuaria ramen

nouiſſimorum principum lege cauetur, ne quis priuatus veſtitu & ornatu Imperatorum inſignia imitaretur, excepti ſunt anuli. *l.vn. C. nulli licere in frenis,&c.* ¶ Magni autem momenti ac ponderis eſt anulus ſignatorius. Q. Sempronius poſt infauſtam aduerſus Pœnos dimicationem, qua collegam Marcellum amiſerat, cum compeiiſſet potitum anulo interfecti Annibalem, literas circa municipia totius Italiæ dimiſit, ne crederent epiſtolis, ſi quæ Marcelli anulo obſignatæ proferrentur. Monitione conſecutus, vt Salapia, & aliæ vrbes fruſtrà Annibalis dolis tentarentur. Sext. Iul. Frontinus *lib. 5. Stratagematon.* M. Tullius Q. Ciceroni fratri rationem regendæ prouinciæ præſcribens, [Sit anulus tuus, inquit, non vt vas aliquod, ſed tanquam ipſe tu: non miniſter alienæ voluntatis, ſed teſtis tuæ.] Quo loco inſcitè Franc. Robortellus, *Vas aliquis emendare*, idémque ineptiùs ſponſorem ac fideiuſſorem interpretari conatus eſt. Vas τὸ σκεῦος: id eſt ſupellectilis inſtrumentum, & ornamentum: ea ferè mente, qua Seneca *lib. 1. de tranquillitate vitæ. cap. 9.* luxuriam ac nimium librorum apparatum damnans. [Pleriſque ignaris, inquit, libri non ſtudiorum inſtrumenta, ſed cœnationum ornamenta ſunt:] & aliquantò pòſt. [inter balnearia & thermas bibliotheca quoque, vt neceſſarium domus ornamentum expolitur.]

LXXV. IDEM lib. I. ad Edictum.

RESTITVERE is videtur, qui id reſtituit, quod habiturus eſſet actor, ſi controuerſia ei facta non eſſet.

ALCIATVS.

RESTITVERE. ¶ Reſtituere, eſt retrò ſtatuere, id eſt, in eum caſum rem cōſtituere, in quem fuiſſet, ſi nihil aduerſus quod facienda eſſe reſtitutio euenitſet: de quo verbo latiùs ſupra attigimus. ¶ Generalius autem eſt, quàm reddendi: reddit enim qui retrò dat, id eſt, trans ferr dominium: ac reſtituere etiam ad facta pertinet. ¶ Propriè autem reſtituere dicimur, quod accepimus. Quapropter ſi lex dicat, ſoluto matrimonio, maritum tertiam partem dotis reſtituere debere, reliquam lucrari, de dote data intelligetur, non de promiſſa. *Ang. conſ.* 158. Sed id ego non probo, cùm nulla ratio ſit, cur promiſſam minùs lucrari debeat, quàm datam: & reſtituere ſatis dicitur. ℥ *l. ſeq.* qui actionem remiſit, rémque in eum caſum conſtituit, ac ſi promiſſa non eſſet: atque ita Salicet. *in l. ſi conſtante. C. de donat. ante nupt.* cenſet, nec omiſit Iaſon *in rubr. ſolut. matr.*

BRECHÆVS.

RESTITVERE. ¶ De reſtituendi verbo, ſatis multa diximus ℥ *in l. reſtituere. hoc tit.* vbi colliges enarrationem huius capitis ſeu legis. Quo circa plura non dicentur à me hoc loco.

FORNERIVS.

RESTITVERE. ¶ Etſi ſatis iam anteà videri poſſim, de huius verbi ſignificatione diſſeruiſſe: *ad l. 25. plus eſt. l. 35. reſtituere.* ℥ *h. t.* non alienum duco, & hoc caput eodem quo & ſuperius ex fonte manare, nempe edicto ædilium indicare. Ex quo cum ſequuta rei vitioſæ redhibitione, perinde omnia ac ſi neque emptio neque venditio interceſſiſſet, in integrum reſtituantur. *l. 60. facta. de ad. ed.* ita demùm ea reſtituta videbitur, ſi id omne, quod lite non mota habiturus eſſet venditor, conſequatur, vt hîc docet Paulus. apud quem, pro *actor* quod omnibus hactenus publicatis exemplaribus exprimitur *auctor* legendum contenderim, nihil veritus à Græcorum paraphraſi recedere: ἀποκαθίστασθαι δοκεῖ, ὁ διδοὺς τῷ ἐνάγοντι, ὅπερ ἤμελλεν ἔχειν μὴ δικασάμενος. Id eſt, niſi cum eo iudicio redhibitorio egiſſet emptor. Auctor autem ſeniente Aſconio, à quo ius in re aliqua comparamus. Cic. *7. in Verr.* [a malo auctore quod emitur, diu obtineri non poteſt. habeo firmas origines ab ipſis auctoribus, quorum res fuit.] *l. 4. l. vlt. de euict. l. pen. de pign. act.* Eadem autem illâ menda codices ſæpenumerò conſpurcari, ingenti exemplorum manu oſtendemus, *ad l. 234. quos nos.* ℥ *h. t.* ¶ Cùm igitur, vt ad inſtitutam quæſtionem redeamus, res empta redhibetur, emptor quicquid occaſione rei conſequetur venditori reſtituet. Vt ecce, [Si quis ſeruum emerit, & rapto eo, vi bonorum raptorum actione quadruplum conſecutus eſt, deinde ſeruum redhibeat, reddere debebit quod accepit.] *l. 43. bouem. de ad. ed.* Sic maritus quod occaſione rei dotalis conſecutus eſt, vnà cum dote vxori, eiúſue heredibus reſtituet. *l. 16. quoties. l. 52. non ſolùm. de iur. dot.*

LXXVI. IDEM lib. Ij. ad Edictum.

DEDISSE intelligendus eſt etiam is, qui permutauit, vel compenſauit.

ALCIATVS.

DEDISSE. ¶ Quamuis verbum dare propriè de eo intelligatur, qui per traditionem dominium transfert. *l. vbi. in fi. de verb. obl.* tamen interpretatione legis etiam qui permutat, vel compenſat, dare dicitur. *l. ſi ei nup. de iur. dot.* ¶ Vnde homo liber ſciens qui tanquam ſeruus veneat, emptori tenetur, non ſolùm in eo, quod datum eſt. *l. in tantùm. de lib. cauſ.* vt verba legis indicant, ſed etiam quod ea cauſa permutatum vel compenſatum fuit. Nam & qui remittit, ſeu accepto fert, dare dicitur. *l. ſi mulier. de condictione cauſa data.* æquiparántque Iuriſconſulti dantem accepto ferenti: quod procedit etiam in conditionibus, quæ ad amuſſim implendæ ſunt. *l. ſi fundum. §. Titio. de legatis primo*, & quamuis ex vi ſermonis qui remittit, non det, cùm tamen verba omnino non repugnent, propter effectum lex dediſſe interpretatur. *l. Iulianus. de condictione & demonſtratione.* qua ratione remiſſio, quæ vltra quingentos aureos transfert, inſinuatione indiget. *l. creditori. C. de pactis.*

idque

idque communiter approbatur. ¶ Quandoque tamen non fit huiuſmodi interpretatio, vt cùm per remiſſionem, nihil iuris, ſeu commodi acquiritur. *Abbas in cap. veniens. ꝟ. de teſt.* vel aliam ob cauſam quis remittit, quam vt donet: vel cùm debitum quod remittitur, liquido non apparet. *Paul. l. contra. §. 1. de pact.* id enim facto magis, quàm rationi accedit: nam & quandoque donare licet. *Bart. l. actione. C. de tranſ.* remittere non licet, vt quia lex extorqueri remiſſionem præſumat: quia faciliùs inducitur quiſque vt remittat quàm vt det. *gloſſ. cap. ſtatutum. §. notarium. de reſcrip. in 6.* quod & Bartolus annotauit. *Bar. l. ſi duo. in fin. de verb. obl.* Sanè cùm pecunia ſolutioni præparata eſt, remiſſio alia quoque ratione vim donationis habet, quòd videlicet lex reſtitutam fingit, & in continenti curſus datam. *l. ſi ſponſalibus. §. 1. de iur. dot.*

BRECHÆVS.

DEDISSE. ¶ Cùm dare, ſit alienare ac dominium transferre, vt ſuprà admonuimus, & habetur *in l. nemo rem ſuam, & l. vbi autem apparet. § fin. ff. de verb. oblig.* tamen qui rem pro re alia quam dare tenebatur, commutauit vel compenſauit, aut ſibi accepto latum eſt, id dediſſe cenſetur. Paulus *in l. vel permutauit. ff. de lib. cauſ.* Vnde ſi mulier nuptura ei qui centum dare debebat, cum eo ita pacta eſt, pro centum quæ mihi debes, fundus Huſſeianus doti tibi erit: ſecundum id quod placuit rem pro re ſolui poſſe, & liberatio contigit, & centum in dotem erunt. Sic autem reſpondit Paulus *in l. ſi ei. ff. de iur. dot.* Idem quoq; erit & ſi eadem centum accepta feciſſet. Iabolenus *in l. ſi mulier. ff. de con. cauſ. dat.* ¶ Sed & Vlpian. cenſet verbum, Dare, non ſolùm intelligendum cùm de eo quod venditori datur, vt puta, precium, vſuræ: ſed etiam ſi quid emptionis cauſa erogatum erit. *l. debet. ff. de adilit. edict.* Tamen Specu. *tit. de emp. & vend.* tradit verbum, dare, quandoque impropriè in inſtrumentis & contractuum perſcriptionibus poni, quandoque etiam propriè: veluti cùm res data ſit accipientis, & de vera alienatione ac dominij translatione agitur: ſi modo tradens dominus erat. *l. traditio. ff. de acq. rer. dom.* Impropriè autem quandocunque ſolus vſus, ſoláue poſſeſſio rei datur: cuiuſmodi eſt contractu emphyteuſeos, locationis, & rei in clientela poſitæ ſeu in feudum datæ. In his etenim id genus conceſſionis contractibus & tabulis, dominium minimè transferri ſolet. Qua de re in contractu emptionis, dedit pro tradidit καταχρηστικῶς, & ex improprio ſcriptum cenſet Bartolus *in l. fi. ff. de cond. ob cauſam. & in l. ex empto. ad principium. ff. de act. empt.*

FORNERIVS.

DEDISSE. ¶ Dare dominium quidem transferre ſignificat. *l. 75. vbi. ſi. de verb. obl. §. ſic itaque. de act. §. eadem iuris. de inutil. ſtip.* τὸ ποιῆσαι δεσπότην. Theophilus *§. vlt. de ſtip. ſeru.* ¶ Nec minus tamen datum id intelligitur, quod cum creditore compenſatit debitor, aut permutatit. Etenim cùm volenti creditori rectè aliud pro alio ſoluitur. *§. 1. quib. mod. tol. ob.* res pro re, iet[?]uus pro pecunia, vel contrà. *l. 25. ſi ei. de iure dot. l. 21. ſi mulier. de pact. dot.* Quid intereſt nummos creditori, an pretij loco ſpeciem det, permutet, vel compendiaria compenſationis via potiùs, quàm circuitu vſus, ſi quid huic ille inuicem debet, retineat? *l. 53. dominus. de cond. indeb. l. 3. in compenſ.* ¶ Compenſatione ſit iuxta fratres collatio, remiſſione & delegatione. *l. 1. de col. bon.* qui compenſat, ſoluit. *l. 4. qui pot. in pign.* Vnde fit vt cum emptori decepto, qui ignorans liberum pro ſeruo mercatus eſt, [Quicquid propter emptionem dederit reſtituatur] additur, [vel permutauerit, vel compenſauerit eo nomine, vel obligatus fuerit: dediſſe videri.] *l. 18. in tantum. et ll. ſeq. de lib. cau.* Vt cum redhibitione facta venditor mercem, emptor pecuniam recipit: additur, vel ſi quid acceſſionis nomine dederit, quicquid emptionis cauſa erogauerit. *l. 27. debet. de ed. ed.* Quem locum, vt obiter admoneam, vulgò ex Accurſ. Bartholi, & Chaſſanei interpretatione trahunt ad id, quod noſtri dictitant *le vin de marché.* haud abſurdè meo quidem indicio Quinctilianus, ſiue quis alius, *declam. 12.* [Solent hi negotiatores præter hæc aperta pretia, priuatim aliquid ac proprium ſtipulari, vtique inquit cum rem alienam vendunt.] Sed vt ad rem, Quamuis conditiones exactè & ad vnguem, non κατ' ἴσον, id eſt verè, non per æquipollens obſeruari oporteat. *l. 44. qui heredi. l. ſeq. l. 55. Mæuius. de cond. & dem.* Conditio tamen ſoluendi per compenſationem impletur. Vnde colonus Emphyteuticarius, penſionem ideò non ſoluens, quòd dominum ſibi viciſſim debitorem habeat, non committet prædium, neque eiicietur: cum compenſatio vim ſolutionis obtineat. *l. 45. Iulianus. de cond. & dem. l. 20. ſi peculium. §. de illo. de ſtatulib.* Agnatus diſtractum à fratre ſundum auitum ab extraneo emptore, ex gentilitia redhibitione vindicaturus, pretium ex lege protimiſeôs reddere intelligitur, ſi compenſationem in concurrentem quantitatem obiiciat, Græci ἀντίλλογον vocant. *lib. 7. tit. 7. Baſilicôn.* Theophilus *§. in bonæfidei. de action.* Harmenopulus *lib. 3. tit. 9. fin.* Nec me fallit ſummæ auctoritatis viros contrariam tueri ſententiam. ¶ Verùm nos aliò non leuibus rationum momentis impellimur. Primùm quia quominus verè ſoluatur, non tam per compenſantem, quam ipſius debitorem, qui ipſe non ſoluat, ſtare videatur. *l. 3. §. cum igitur. de ſtatulib.* ¶ Deinde quòd extraneum emptorem de ære alieno diſſoluendo potiùs, quàm de prædiis alienæ familiæ comparandis ſollicitum eſſe deceat.

¶ Præterea is à quo res iure protimiſeôs euincitur, pretio reſtituto emptor eſſe deſinat, venditoriſque partes ſuſtinens rem proximo agnato redhibenti eodem pretio reuendere, & (vt Proculus *l. 10. ſi ſer. de præſcr. verb.* loquitur.) tranſcribere teneatur. Eique meritò ad pretium argenti compenſatio opponetur. *l. 7. ſi ex venditione. C. de compenſ. argum. l. 46. auferetur. §. vt venditoribus. de iure fiſci.* Quam & fiſcum debitorem eundémque creditorem, ſi in eadem ſtatione obiiciatur, ſubire receptum eſt. *l. 1. l. penult. C. de compenſ.* ¶ Poſtremò æquitas compenſationi ineſt, quæ à noſtris auctoribus identidem commendatur. *l. vnic. C. rerum amot. l. 5. de impenſ. in res dotal. fact. l. 5. l. 18. in rem. §. 1. fin. ſuprà de compenſation. l. 5. l. 6. C. eodem titulo. l. 36. inter. de adminiſtration. tut.* vt demirer ipſe (cùm ad concurrentem quantitatem ipſo iure compenſatio inducatur. *l. 4. l. vltim. C. de compenſatio. d. §. in bonæfid.*)

Gallorum moribus obtinuiſſe, vt ad eam ineundam diplomata regia implorare neceſſe ſit. *Permutauit.* ¶ *l.19.vel permutauit.de lib.cauſ.* Antiqui ante percuſſi numi vſum rudiore ſeculo,vtilia inutilibus,magna paruis ea neceſſitate commutabant.*l.1.de cont.empt.*nec pecunia,ſed mercium hanc inde retributione commercus vtebantur. Iul.Pollux *lib.9.* *τὰς ἀλλαγὰς ὡ νομίσματι γίγνεσθαι τὸ παλαιὸν ἠμείβοντο, ἀλλὰ ἀντιδόσει τῶν.* *Vel compenſauit.* ¶ Adde vel delegauit,vel debitum remiſit : vtrunque enim ſolutionis inſtar habetur. Nam qui nomen ſui debitoris in ſolutum dederit, propè eſt vt pecuniam ipſe numeraſſe videatur. *l.15.ſingularia.ſi cert.pet. l.34.qui negotia.mandat.l.49.Manta.ſolut.matr.* Quo caſu,ſi debitor cuius nomen mandatur,non ſoluendo ſit,ſuæ facilitati creditor adſcribet : ſicut & qui minus idoneum à reo fideiuſſorem acceperit. *l.4.ſ.de her. vel action.vendit. l.26.inter.§.abeſſe.mand. l.96.pupill. §.ſoror.de ſolution. l.3.de fideiuſſ.* vt & dediſſe videtur.& qui remiſit : vt & accepiſſe, qui quidpiam compendij ſenſit.*l.1.final.l.2.l.3.ſ.de calumn.* Vnde cùm mulier nuptura viro dotem daſe vellet, pecuniam ſibi debitam acceptam faciens , nuptiis non ſecutis eam condicet : [Quia nihil intereſt,inquit Iabolenus,verùm ea numeratione pecunia ad eum ſine cauſa,an per acceptilationem peruenerit.*l.10.ſi mulier.de cond.cauſ.data.*Itaque ſi maritus vxori donaturus,venditionem commentus ſit,remiſſio hactenus non valet,quatenus facta eſt locupletior. *l.5. de donat.inter vir.& vxor.* Remiſſio quippe,& acceptilatio donationis inſtar obtinent. *l.31.donationis.2.de mort.cauſ.donat.l.22.Neſennius.ſin.ad leg.Aqu.* M.Cicero Attico, [Quod enim prætori dare conſueuit, inquit, quoniam ego non acceperam,ſibi a me quodam modo dari.] Conſentanea iuri ſententia : Nam qui obligatione liberatur,capere videtur. *l.115.ſi quis obligatione. ſ.tit.ſeq.* Acceptilatio pro ſolutione cedit. Titio fundum.ſi 10.heredi dederit,lego. Si 10.heres Titio debuiſſet, eáque Titius accepta faciat,fundum vindicabit.*l.81.ſi fundum.de legat.1.*

LXXVII. IDEM lib. xlix. ad Edictum.

FRVGEM pro reditu appellari, non ſolùm quod frumentis,aut leguminibus : verùm & quod ex vino, ſyluis cæduis, cretifodinis,lapidicinis capitur. Iulianus ſcribit, fruges omnes eſſe quibus homo veſcatur, falſum eſſe non enim carnem, aut aues, feráſve, aut poma fruges dici. Frumentum autem id eſſe, quod ariſta ſe teneat, rectè Gallum definiſſe. Lupinum verò & fabam fruges potiùs dici : quia non ariſta, ſed ſiliqua continentur. quæ Seruius apud Alfenum in frumento contineri putat.

ALCIATVS.

FRVGEM. ¶ Reditus nomen generale eſt ſicuti prouentus. *Card.clem.1.de ex.prælator.*ſed obuentiones : comprendit autem omnia iura ſeu vtilitates, quæ percipi poſſunt : quam ſignificationem etiam frugem habere aliqui dixerunt. Contrà Iulianus , qui fruges eſſe , quibus homo veſcatur, cenſuit,præter carnes,& poma: quæ ſententia verior eſt,atque ita vſus obtinet. ¶ Vnde & Plinius duplex frugum genus agnoſcit,quod ariſtam habeat,vt fromenta,& quod ſiliquam,vt legumina. Antiquiores tamen latiùs accepêre, vt fruges ſint quicquid ex fructu terræ in alimoniam vertimus: qua ratione idem Plin.frugiferas arbores omnes appellat,quę fructiferę ſunt.oliuam,pyrum,pomum. Dicuntur enim fruges à fruendo,vt Varro: vel à frumine,quod ſumma pars gulæ eſt,per quam cibus in ventrem dimittitur,vt Donatus,& Seruius exiſtimarunt.

Frumentum. ¶ Ariſtam habent triticum , auena , hordeum , ſiligo Laconica. Siliquam , id eſt, folliculum , omnia legumina. ſiſama verò & papauer vaſculis continentur : at milium , & panicum nullis defenduntur integumentis,ob idque ſunt paruarum volucrum iniuriæ expoſita. ¶ Sanè quamuis frumenti appellatio amplior ſit , tamen *κατ' ἐξοχὴν* de tritico intelligimus : atque hoc communis loquendi vſus in Italia obſeruat,& ita etiam Iacobus & Bartolus exiſtimauêre.

Siliqua. ¶ Id eſt membranula, ſeu folliculo. Significat etiam fructum arboris dulcis, longum, & coloris atri,cuius Plinius quoque meminit & Horatius. Viuit ſiliquis & pane ſecundo. L.Columella fœnum græcum ſic appellari quoque cenſet. ¶ Capitur etiam in iure alio ſignificatu , nimirum pro certo pondere. *Authentic.ſed hodie. C.de epiſcop.& cleric.* nam quatuor grana ſiliquam pendunt. *Authentic.ad hac. C.de vſuris.* hoc eſt , quod Græci vocant ceration. Artifices noſtri corrupto ſermone caraton. eſt autem 74.pars ſolidi & 18.drachmæ. Theodoſiani codicis interpres, Centeſima,inquit, vſura eſt , qua in anno tres ſiliquas pro ſolido habemus. Sicilicus verò duplici drachma conſtat.*l.liberto.§.filium. de annuis legatis.* quo fit , vt quarta pars ſit vnciæ : licet plerique inemendati codices pro ſicilico ſiliquam ſcriptum habeant. ¶ Eſt & Siclus apud Hebræos maioris ponderis:ſic enim ipſi ſtateram, id eſt ſemiunciam appellant : in quem ſenſum videtur etiam L. Columellæ capi, & Græcis quibuſdam auctoribus.

Putauit. ¶ Et male : colligitur autem hinc, legato frumento,vel frugibus,etiam contineri quod adhuc in agro,in ariſta, vel ſiliqua eſt.

BRECHÆVS.

FRVGEM. ¶ Varro *in lib.de ling. Latin.* à fruendo , vel à fructu frugem dici tradit : propterea id eſſe , terra natum quo alimenti gratia vtimur , præter carnem , aues , aut feras : & quod ex arboribus

ribus,herbis,arbuſtis,culmis, ariſtis,viribus,plantis, fructum ſeu vi propria naturæ, ſeu cultu hominis ad veſcendum profert.hæc eſt generalis frugis appellatio,quæ in reditu habetur. Seruius *in libr. primum Æneid.*Generaliter,inquit,fruges omnes dicuntur.& errant qui diſcernunt frumenta à frugibus. Nam Cicero ait,olei, & frugum minutarum,cùm de leguminibus diceret:vt oſtenderet etiam frumenta fruges vocari.Hæc ille.Virgilius *libro primo Æneid.*

Tum Cererem corruptam vndis,cerealiáque arma
Expediunt feſſi rerum,frugéſque receptas,
Et torrere parant flammis,& frangere ſaxo.

Quod molere frumenta vult ſignificari,eodem interprete Seruio.Idem Virgilius *libro ſecundo Georg.*

Sed grauida fruges,& Bacchi Maſſicus humor.

Et *Ecloga tertia.*

Triſte lupus ſtabulis,maturis frugibus imbres.

Et paulò ſuprà.

Cùm faciam vitula pro frugibus,ipſe venito.

Cic.*in Verrem, Actio.*5.Non inquam,miror te aliquid excogitaſſe,ſed quòd tua ſponte,iniuſſu Populi, ſine Senatus authoritate,iura prouinciæ Siciliæ mutaris. Id repræhendo,id accuſo. L. Octauio,& C. Cottæ Conſulibus Senatus permiſit , vt vini , & olei decumas , & frugum minutarum . quas ante te Quæſtores in Sicilia vendere conſueſſent , Romæ venderent , &c. Minutas fruges hoc loco Cicero intellexit, teſte Seruio loco ſupra citato ,omnia legumina quibus veſcerentur homines Plin. *lib.*18. *nat.hiſto.cap.*7.vbi de frugibus multa tradit,& earum natura. Sunt(inquit) duo prima frugum genera:frumenta,vt triticum,hordeum:& legumina, vt faba,& Cicer. Quo loco frumenta diſcernit à leguminibus T.Liuius *lib.*4.*decad.*1. Nam etiam(inquit)illud accedit , ne tam clara pugna in eum annum transferri poſſet, quòd imbelle triennium, fermè peſtilentia inopiáque frugum circa A.Cornelium Conſulem fuit. Idem Liuius *lib.*5.*decad.*1.Eam gentem tradit fama,dulcedine frugum,maximéque vini noua tum voluptate captam. Sic Laurent.Valla frugem eſſe ſcribit *lib.*4.*cap.*25.quicquid ex fructu terræ in alimoniam vertimus. ¶ Inde μεταφορικῶς hominem bonæ frugi dicimus probum officioſúmque. Sic Vlpianus *in l.*1. §.*ſed verùm. ff.de ſer.corrup.* Dixit ſeruum bonæ frugi , quem Græci οἰκείαν ἀρετὴν appellant: quo verbo conſummata probitas ſignificatur. Hinc ad bonam frugem ſe recipere.& euadere,& ad bonam frugem redire,quod Budæus eleganter annotauit. Ideò autem homo frugi dicitur,id eſt,frugalis, quòd ex ea virtute Modeſtiæ & Temperantiæ, quæ frugalitas dicta eſt, maximos omnium bonorum noſtrorum fructus percipimus , ſicut Franc. Connanus rectè tradidit *in Com.iur.ciuil.*vbi de prædiorum fructib.agit.Ita quoſcunque ex ſolo noſtro fructus,& reditus,ſeu ſegetes,& legumina, ſeu ex arboribus poma, & ex vitibus vinum quotannis percipimus, frugum appellatione complectimur. ¶ Tamen fructus nomen generalius eſt. Nam fruge legata , animalia legata non cenſentur,nec vrbanorum ædificiorum reditus,nec quæ ex rebus quibuſcunque commoda ad victum vſúmque humanæ vitæ neceſſaria videntur : ſed qui tantùm ex terra proueniunt fructus, ſeu vi naturæ propria, ſeu ſeminis, ſeu inſitionis , & plantarum. ¶ Quare Vlpianus *in l.vſufructu.ff. hoc titul.* cenſet, legato vſufructu omneis rei legatæ fructos ad fructuarium pertinere, & aut rei ſoli, aut rei mobilis vſumfructum legatum eſſe.Rei ſoli(inquit) vt puta,ædium,vſufructu legato,quicunque rei reditus eſt,ad vſufructuarium pertinet,quæque ex ædificiis obuentiones ſunt,ex areis,& cæteris quæcunque ſunt ædium. Cuius argumento(ait Connanus *lib.*4.*Com.iur.ciuil.*)dici poteſt,bona quæ publicantur apud nos ei deberi,qui feudi,cui ea addicta ſunt,vſumfructum habet : aut ad quem fructus alio quouis titulo pertinent : puta ad maritum , ſi in feudo dotali vxoris quid huiuſmodi accreuerit : aut confiſcationis,aut alia quauis cauſſa. Idémque in feudo non dotali,ſed qui tamen vxoris ſit, cùm fructus conſtante matrimonio faciat ſuos omnium bonorum quæ vxoris ſunt. Et rectè not.Bart. *ad l.vlt.ff.ſol.mat.* & Panorm. *ad c.conſultationibus. de iur.patr.* In bonis vxoris ius patronatus,ſi quod eſt,viri eſſe. Nam hæc omnia fructus nomine, veniunt & reditus,non frugis. ¶ Videtur itaq; verbum,reditus,genus eſſe & ad fructus,& ad fruges:fruges quoq; ſpeciem eſſe ad verbum,fructus.Nam reditus qui etiam prouentus dicitur,à Græcis πρόσοδος ἀπὸ τοῦ πρόσειμι,quod prouentus percipere ſignificat:καρποῦμαι,ait Budæus,eſt obuentio,vectigal,& quæſtus πόρος, λῆμμα, κέρδος:poteſtque ſcribi duplici dd,cùm videlicet à reddo,deriuatur. Reddere enim cenſetur ager quaſi depoſitum ſemen, & operam culturæ impenſam. Qui igitur fructus ex terra redduntur domino in annos ſingulos, redditus rectè appellantur: Quæ verò obuentiones fructúſque aduentitij ex re quacunque quotannis redeunt, à redeundo, reditus dicuntur. Cicero *lib.*2.*de finib.bon.& mal.* Quid autem eſt amare, ex quo amicitiæ nomen ductum eſt,niſi velle bonis aliquem adfici maximis,etiam ſi ad ſe nihil ex iis redeat.id eſt,obueniat,vt interpretatur Budæus *in Comment.*

§. *Frumentum.* ¶ Frumenta (inquit Seruius *in Virgil. Georgicon primo.*) ſunt omnia quæ ex ſe emittunt ariſtas. Et dicitur frumentum à frumine , quod eſt gulæ prominens pars. ¶ Ceres prima omnium frumenta inuenit, cùm antea glande veſcerentur homines , teſte Plinio *libro ſeptimo, capit. quinquageſimoſexto.* Eadem molere & conficere in Attica , Italia , & Sicilia docuit : ob id dea iudicata. Frumenta quidem ſunt , vt Triticum , Siligo , Hordeum : & legumina , vt faba , & Cicer: quæ duo frugum genera eſſe tradit ipſe Plinius *libro decimooctauo naturalis hiſtoriæ , capite ſeptimo.* Quo loco multa eleganter de frumentorum & leguminum generibus ac natura perſcribit. ¶ Legumen verò Seruius,quòd manu legitur, nec ſectionem requirit, dictum putat. M.Varro *libro de re ruſtica,cap.*23. Rectius enim(inquit) in tenuiore terra,ea quæ non multo indigent ſucco, vt Cytiſum,& legumina præter Cicer:hoc enim quoque legumen & cætera quæ velluntur è terra, neque ſubſecantur,ſuccum tollunt,quæ quod ita leguntur legumina dicta. ¶ Iam verò ſi videre voles,cur legumina

cibo difficiliora ſint homini quàm frumenta, & quas fruges differentias, vel in ortu vel in fructu, vel in aliqua ſuæ ſubſtantiæ parte admittant, Theophraſtus *libro quarto*, de cauſis plantarum diligenter tradit. Sed & quæ ſint legumina, docet Galenus *libro primo De alimentorum facultatib.* ſcribens legumina appellari ea cerealia ſemina, ex quibus tamen confici panis minime ſolet: vt fabæ, piſa, [illegible], lentes, lupini, oriza, eruum, cicerculæ, fœnum græcum, & reliqua id genus.

§. *Lupinum.* ¶ Conatur hoc loci Iulianus oſtendere quid inter frumenta & legumina ſit diſcriminis, cùm ſuperius dixerat ex Gallo frumentum id eſſe quod ariſta in ſe teneat: nunc Lupinum fabámque, propterea quòd non ariſta, ſed ſiliqua continentur, fruges potius dici contendit Plinius loco ſupra citato. Omnium, inquit, ſatorum fructus, aut ſpicis continentur, vt tritici & hordei: munitúrq; interuallo ariſtarum quadruplici: aut includitur ſiliquis, vt leguminum, &c. Quę Plinij verba cum Iuliani ſententia conueniunt. ¶ Quid autem Spica ſit ſuprà dictum eſt à nobis *in l. Sylua cædua. §. ſtipula.* Sed ariſta, quæ, vt ait Seruius, ab ariditate dicta videtur, & Varro quod ea prima areſcat, eſt velut telum & ſpiculum quoddam. (vnde Spicam dictam puto, ſicut à ſpe, Varro, ſeu ſpinis quibus defenditur ipſa ſpica à circungraſſantibus auibus, & aduerſus earum morſus tanquam vallo quodam munitur, vt ait Cicero *in Catone maiore.* M. Varro ſcribit Ariſtam eſſe, quæ vt acus tenuis longa eminet è gluma. Proinde vt grani theca ſit gluma, & apex ariſta. Sed & aliquando ariſta pro ipſo frumento accipi ſolet, vt apud Virgilium *libro primo Georgicorum*:

Chaoniam pingui glandem mutauit ariſta.

¶ *Siliqua* dicitur à Seruio theca leguminis. Nam ſignificat ſolliculum quo grana leguminis conteguntur & includuntur, & ſi quid eſt leguminis perſimile. Plinius *libro decimooctauo naturalis historiæ cap.7.* Grana inquit in ſtipula crinito textu ſpicantur. In faba leguminibúſque alterius lateribus ſiliquantur. Virgilius *libro primo Georgicon*:

Vnde prius lætum ſiliqua quaſſante legumen.

Et ruſus,

Grandior vt fœtus ſiliquis fallacibus eſſet.

¶ Siliquas fallaces vocat, ait Seruius, quæ fallere plerunque ſolent. Interdum enim leguminum folliculi maiores videntur, cùm inanes ſint. Siliquam Budæus *libro tertio de Aſſe* ſcribit eſſe fructum arboris Italicæ prædulcis, digitorum hominis longitudine & pollicis latitudine: cuiuſmodi ſe vidiſſe Lutetiæ teſtatur: intus eſſe grana quæ ceratia dicuntur, nomine cum fructu communicato. Columella *lib.5. rei ruſticæ*, Siliquam Græcam appellat: quam quidam, inquit, κεράτιον vocant: nos hodie vulgò, vt opinor, lingua noſtrate *Carrouges*: Et idem *lib.2. cap.11.* fœnum græcum, quod ruſtici ſiliquam vocant: nos vulgò *Senegey*. Siliquaſtrum, quod Gręcis κεράτιον à Plinio dicitur Piperitis *lib.19.* Eſſe autem Ceratium Budæus loco iam citato, teſtatur vocabulum minuti ponderis, à grano ſiliquæ ductum. Et *libro primo de Aſſe*, denarium, argenteum fuiſſe nummum qui quatuor & viginti Siliquas penderet. Apud Priſcianum ita legitur. Siliquę tres, obolum faciunt: duo autem oboli, ſcrupulum: tria ſcrupula, drachmam: ita duodeuiginti ſiliquæ in drachma. Sic quatuor drachmæ in tribus denariis, hoc eſt duæ & ſeptuaginta ſiliquæ. hactenus ipſe Budæus. ¶ Lupinum Plinius *libro decimooctauo naturalis historiæ, cap.14. & cap.7.* tradit eſſe legumen, hominum quadrupedúmque vſui commune: ſed amarum Seruius ex Virgilio *libro primo Georgicon* ſcribit:

Aut tenues fœtus viciæ, triſtíſque lupini,

Suſtuleris fragiles calamos.

Galenus *libro primo de alimentorum facultatib.* commemorat lupinum eſſe legumen πολύχρηστον, quòd multis modis vſui eſſe ſoleat: eiúſque duram terreſtrémque eſſe ſubſtantiam: quare nec facile concoqui, craſſúmque gignere ſuccum. Reliqua de lupinorum natura docebere ampliſſimè ab ipſo Galeno. Columella *lib.2. cap.10.* Lupini, inquit, prima ratio eſt, quòd minimum operarum abſumit, & viliſſimè emitur: & maximè ex his quæ ſeruntur, iuuant agrum. Nam in vineis iam emaciatis, & aruis optimum ſtercus præbet, &c. Cui Plin. *lib.18. cap.9.* conuenit his ſcribens verbis. inter omnes autem conſtat nihil eſſe vtilius lupini ſegete, priuſquam ſiliquetur, &c.

FORNERIVS.

FRVGEM. ¶ Idem frugi, quod cæteris ferè verbis ſolet, accidit, vt modò latiùs, modò anguſtiùs accipiatur. Ac generali quidem frugum nomine ea continentur, quæ ex terræ fructu in mortalium alimoniam vertuntur: idem quod frumentum. Plinius *lib.18. cap.7.* [Duo frugum genera ſunt, inquit, frumentum, vt triticum, hordeum & legumina: vt fabæ, piſa.] Propriè tamen hæc inter ſeſe diſtinguuntur. Fructus verbo, non tantùm fruges quas terra fert, ſed etiam ſœtus pecorum, lana ouium, lac, pilus, piſcatio, venatio, aucupium, lapidicinæ, cretifodinæ, non & ea quæ natura, ſed arte proueniunt. *l.62. ſi mans. de rei vindicat. l.25. qui ſcit. l.ſequen. l.28. in pecudum. l.42. Herennius. l.45. fructus. de vſuris. l.7. fructus. l.ſequen. ſoluto matrimon.* fructus extraordinarij dicuntur a Varrone *lib. 2. cap.2. de re ruſtica.* At ne ea quidem quibus homines veſcuntur, omnia, fruges appellantur aues, feræ, piſces, poma. ¶ Frumentum à leguminibus ſeparat Vlpianus. [Siue frumentum, ſiue quid leguminis in cella habuit.] item: [Nec frumenti nec leguminum theca, arculæ fortè, vel ſportæ,] *l.3. de penu leg.* *Ariſta.* ¶ id eſt ſpica. *l.30. ſylua. §. hoc titu.* Auſonius. [Antè equidem campis quàm ſpicea ſupperetet frux.] Feſtus. [Reſtibilis ager fit, qui biennio continuo ſeritur ſarreo ſpico, id eſt ariſtato. quod ne fiat ſolent, qui prædia locant, excipere.] Neſcio vnde illa quę ab eodem refertur, conceptio iuſiurandi manarit [Meſſe frugibúſq; iurato. i. per meſsē & fruges. Theodoret. *de prouid. orat. 4.*

τοὺς

τοὺς ἀστάχυας κατωχύρωσεν ὁ τῶν ἁπάντων δημιουργός. τὰς γὰρ θήκας τῶν πυρῶν ἐνθεὶς τοὺς ἀθέρας ὡς ἰσῷ τὰ σπερμεολογα τῶν ὀρνίθων σφοδρὰ λυμαίνεσθαι τὸν καρπόν. ἀλλ' οἷον τισὶν αἰχμαῖς δοράτων ὁ ἀθὴρ ἔστι καὶ ὁ πρωτεύων ἀεί. Id eſt. Spicas ſummus rerum opifex muniit, & armauit. Quippe tritici vaginis vel folliculis ariſtas imponens, auium quæ inſidiantur morſu lædi non ſinit, has ſeu vallo à frugibus arcet & his ſeu haſtarum cuſtodibus erras fugat. *aliis leguminibus.* ¶ Inde dicta, vt Varro *lib.5. de ling. latina* tradit; quòd in frugibus variis legatur: vel vt Seruius, quòd manu legantur: nam & Græcis χέδροπα. Virgil.

> *Vidi lecta diu, & multo ſpectata labore*
> *Degenerare tamen: ni vis humana quotannis,*
> *Maxima quæque manu legeret.*

Columel. *lib.11. cap.9.* Qui & *lib. eod. cap.10.* à frumentis legumina ſeparauit. [Fruges potiùs.] Gallus frumentum anguſtiùs definiebat, Seruius verò latiùs: nec mirum, Nam cum vtrumque ab eadem ducatur origine. Feſtus frugmenta à frugibus appellata: frugem autem antiquos, fructam & fructum dixiſſe ait. vel a *frumen* vt Donato placet, id eſt ſumma gula, per quam cibum lingua demittit in ventrem, Vtrumque confundi non abſurdè auctorum teſtimonia ſecuti diximus. Plinius *lib.18. cap.2.* (de primitiis de quibus Hieronymus *in cap.44.* Ezechiel. quas Plutarchus ſympoſiacis, τὰς ἀπαρχὰς vocat) [Ac ne deguſtabant quidem nouas fruges, aut vina antequàm ſacerdotes primitias libaſſent. *Et cap.3.* frugem aratro quæſitam furtim noctu pauiſſe ac ſecuiſſe capitale erat. *lib.28. cap.2.* in xij. tabulis verba ſunt, Qui fruges excantaſſit.] M. Cicero *lib.1. offic.* [Vicinum citiùs adiuueris in frugibus percipiendis, quàm aut fratrem aut familiarem.] A. Gellius de Caſſita, [frumentis flaueſcentibus.] *lib.2. cap.29.* quibus Labeo, [frumenta quæ in herbis erant,] oppoſuit. *l.78. fiſtulas. de contr. empt.* Apuleius apologia pro ſeipſo prima. [Magia res eſt legibus delegata, iam inde antiquitùs xij. Tabulis propter incredundas frugum illecebras interdicta.] Hæc cum ita ſe habeant, meritò quis addubitet, ecquid ſit, cur huiuſce reſponſi initium ab extremo diſſentiat: nec deeſt clari nominis vir, qui ſe quod hìc diſputatur, non aſſequi fateatur. Numerò definiam. Principiò ſingulare quiddam non tam ex propria vocis ſignificatione, quæ ſub finem exponitur, quàm ex certi argumenti interpretatione ſignificari: quod ipſum Græcorum conuerſione perſpicuè cognoſcitur: τὸν καρπὸν ἀντὶ τοῦ σίτου καλεῖσθαι ἤρεσεν. οὐ μόνον τὸν ἀπὸ πυρῶν, ἢ ἐσπερμῶν, ἀλλὰ καὶ τὸν ἀπὸ οἴνου καὶ ἐλαίου τεμνόμενον. Sic de vſuris frugum Vviſigothorum legis *lib.5. tit.5. cap. pen. ita cauetur.* [Quicunque fruges aridas & humidas, id eſt vinum & oleum, vel quodcunque annonæ genus alteri commodauerit, non ampliùs ab eo propter vſuras, quàm tertiam partem accipiat.] Enimuerò ſi, quo inſcriptionũ ſimilitudo ducit ſequimur, frugis vim hìc auctam mirari deſinemus. Sumptum enim eſt hoc caput *ex lib.49.* Pauli ad edictum: vnde ſuperſunt adhuc *l.2. l.5. l.9. in diem l.11. § l.14. Antens. de aqu. pluu.* Cum Q. Mutius de eo opere quo agri colendi causà aratro factum eſſet, aquæ pluuiæ actionem non competere ait: Trebatius autem, non quod agri, ſed quod frumenti duntaxat quærendi causâ aratro factum ſit, ſolùm excepit: Generaliùs Labeo etiam ſcribit ea, [quæcunque frugum fructuumq; percipiendorum cauſa fiunt extra hanc cauſam eſſe: neque refert, quorum fructuum percipiendorum cauſa id opus fiat, Vlp. *l.1. de aqua pluuia.*

LXXVIII. PAVLVS lib.iij. ad Plautium.

INTERDVM proprietatem quoque verbum poſſeſſionis ſignificat: ſicut in eo qui poſſeſſiones ſuas legaſſet, reſponſum eſt.

ALCIATVS.

INTERDVM ¶ Non ſolùm apud Iuriſconſultos & in conſtitutionibus. *l. ſina. C. de præ. mino. l. cùm res. C. de contrah. empt.* poſſeſſio pro proprietate ipſa ſeu prædio capitur, ſed etiam apud alios auctores. Vnde poſſeſſiones vrbanæ & ruſticæ Ciceroni *in Philippic.* Et idem *in Paradoxis*, Callidi, inquit, æſtimatores prata & areas magni æſtimant, quòd ei generi poſſeſſionum à nemine noceri poteſt. ¶ Meritò igitur ſi quis dicit ſe poſſeſſiones ſuas legare, vel donare, vel aliter alienare, de ipſa proprietate intelligimus: nec enim de nuda poſſeſſione actum videtur: cùm ea non ſoleat à proprietate his verbis ſeparari: alioquin vſum quis vel vſumfructum legaret, non poſſeſſionem. *Bar. l. vxorem. §. legauerat. de lega.3.* Ad res tamen mobiles hoc legatum non extendetur: quoniam communis loquendi vſus repugnat, vt proprietatem mobilium poſſeſſionis nomine deſignemus: tametſi dubium non ſit etiam propriè mobilia poſſideri. *Iaſ. l.1. de acqu. poſſ. in prin.* ¶ Ad hanc rem pertinent, quę Feſtus quoque ſcribit: Poſſeſſiones appellantur agri latè patentes, publici, priuatique: quia non mancipatione, ſed vſu tenebantur, & vt quiſque occupauerat, poſſidebat.

BRECHÆVS.

INTERDVM. ¶ Quamuis poſſeſſionem non in dominio, ſed in vſu ponamus, & agrum proprietatem loci aſſeramus, aliquando tamen poſſeſſionem pro ipſo dominio & proprietate accipimus, non ſecundum ſignificatum proprium, ſed ſecundum captum mentémque loquentis, ac negotij, quo de agitur, rationem. Nam & Laurentius Valla profert locupletiſſima ex Cicerone & Quintiliano teſtimonia, quibus liquido apparet Latinæ linguæ authores claſſicos, verbum poſſeſſionis interdum pro dominio & rei proprietate vſurpaſſe. Cice. *Philippic.5.* Hic pecunias veſtras æſtimabat, poſſeſſiones notabat, & vrbanas, & ruſticas: huius mendicitas auiditati cõiuncta in fortunas veſtras imminebat. Sed & nos quidem Celtæ, vulgò dicimus terras noſtras & poſſeſſiones pro ipſis prędiis. & eorum proprietate ac dominio: atque etiam pro fortunis & facultatibus. Vnde multùm intereſt quis legauerit poſſeſſiones ſuas quas in ſolo Italico, an verò quas in noſtra Gallia habet. Quam rem eleganter exequitur Franc. Connanus *lib.3. Comment. iur. ciuilis. c.8.* Vide quod ſcripſi ꝰ. *in l. quæſtio eſt.*

FORN

Fornerivs.

INTERVUM. ¶ Propriè poſſeſſio minus eſt, quàm proprietas: Eſt enim ius detinendæ rei corporalis, non ipſum quod poſſidetur, corpus. *τουτέστιν ἡ σωματικὴ πραγμάτων κατοχή*. Theophilus *tit. de interd.* Harmenopulus *lib. 2. tit. 1.* & Theophilus addunt, *τῇ ψυχῇ δεσπόζοντος. tit. per quas perſ. nob. acq.* rectè: ex *l. 22. ſi ſeruus. verſ. opinione domini poſſident. de nox. act.* Et eo ſenſu ſumitur. *tit. de acq. poſſ. ff. & C. tit. de damn. inf. tit. quib. ex cauſ. in poſſ. eat. tit. de reb. auct. iud. poſſ. tit. vt in poſſ. legat. & paſſim.* Rurſus aliter *in l. 115. quæſtio. ſ. h. tit.* Vtraque ſignificatione quamuis nihil habet commune cum proprietate *l. 12. naturaliter. de acq. poſſ.* Abuſiue tamen ac metonymicôs prædia ipſa quæ a nobis poſſidentur, poſſeſſionis verbo ſignificantur. *d. l. 115. quæſtio.* Nimirum facta iuris ad rem ſeu corpus collatione: vt aliàs non rarò *l. pen. de inſt. & iur. l. 17. ſi locus. ff. de except. l. 85. quid aliud. ſ. h. tit.* Exempla cum paſſim occurrant, hæc protuliſſe ſufficiat. *l. 15. à diuo. de re iudic.* Poſſeſſio donata *l. pen. de alien. iudic. mut. cauſ.* [ne propter modicum æs alienum, magna pupilli poſſeſſio diſtrahatur. *l. 5. 6. idem. §. ſeq. de reb. eor.* Æger ſuas poſſeſſiones medico periculum amittendorum oculorum inferenti vendere compulſus *l. 3. de extraor. cog.* Sibi parentibúſque ſuis in poſſeſſione materna monumentum exſtruere. *l. 86. Pannonius. de acqui. her.* Paulus, quæ initio prædia, paulò pòſt poſſeſſiones nominat. *l. 11. Lucius. de euict.* vbi obiter pro *futuros caſus*, legi poſſe moneo, *fortuitos*, qui aduentitij dicuntur à Scæuola. *l. 6. Iulianus, qui & a quibus manumiſſ.* Nam Græci *τυχηρὰς αἰτίας* conuerterunt. Dominus poſſeſſionis ſatis accepit, ne cognitioni deſit, id eſt iudicio ſiſti *l. 7. ne quid. de dam. inf.* Qui fœnus exercent omnibus patrimonij intributionibus fungi debent. & ſi poſſeſſionem non habeant. *l. 22. filij. ad municip.* Poſſeſſor pro Emphyteuta. *l. 31. lex. de pign. l. 12. poſſeſſores. C. de fund. patrim. pro domino*, Theophilus. *§. rurſus. de action.* & in Caſſiodori formulis frequentiùs. Siculus Flaccus *de conditionibus agrorum.* [Quæ vſque ad planiciem ex ſuperiori vergunt ad ſuperiores poſſeſſores pertinent. Quicquid enim inferior poſſeſſor in ſuo ſolo agit, damno ſuperioris fit: ſiue aret, ſiue fodiat, detrahit pendentes ex ſuperiore terras: ſi verò cogerat, aut adiiciat quid, ad ſuperiora non aſcendit: ita hæc cauſa efficit, vt ſuperioribus poſſeſſoribus vſque ad planiciem ſupercilia cedant.] Labeo idem ferè apud Vlpianum ſcribit. *l. 1. ſin. de aqu. pluu. arcend.* & Columella *lib. 2. cap. 18. ſi. de re ruſtic.* [Proprietatem.] ¶ Græci hic *δεσποτείαν*, ſimpliciter vertunt, non enim eſt tantùm nuda, quæ *γυμνὴ δεσποτεία* dicitur, *Nouell. 7.* ſed plena ac directa. Quæ enim generis ad ſpeciem, eadem dominij ad proprietatem ratio cernitur. Damnum latius patet, eſtque ius [illegible]endæ, retinendæ, alienandæ dimittendæque rei, ſiue ad proprietatem, ſiue ad vſumfructum, ſiue poſſeſſionem, ſeruitutémve referatur: vti anteà *l. 25. rectè. h. t.* docuimus. Proprietas verò eſt ius perpetuum. Namque latinis proprium idem, quod æternum valere exiſtimant. Terent. *Nihil ne hominis eſt, quam proprium?* Rurſus. *Deorum voluptates propria.* Vtrobique Donatus, Seruius, & Aſcon. Pædianus in Ciceronis diuinationem. De firmæ poſſeſſionis, auctoritatiſque dominij cautione Cedrinus, *ἀσφαλῆ ταύτην παρέχοντα αὐτῷ, πάντα ἔχειν ἐν βεβαίῳ δεσποτείᾳ.*

LXXIX. Idem lib. vj. ad Edictum.

IMPENSÆ neceſſariæ ſunt, quæ ſi factæ non ſint, res aut peritura, aut deterior futura ſit.

Alciatvs.

IMPENSÆ. ¶ Neceſſariæ impenſæ dicuntur, quæ impendendi neceſſitatem habẽt, ne res vel pereat, vel deterior fiat: ſed & quæ ex conſuetudine regionis ſine dedecore omitti non poſſunt. ¶ Harum plura exempla in iure habentur, vt ſi quis aggeres coercendo torrenti faciat, in demortuarum locum alias arbores ſurroget, ædificium tuens inſtauret. Sed quid, ſi iam caſu dirutũ ſit, vt quia ab igne correptum, vel vi bellica? Et aliqui ſcribunt eſſe neceſſariam impenſam: quibus aſſentio, ſi ad villæ neceſſitatem ille locus pertinebat. Quid enim, ſi caſa agreſtis non neceſſaria vtilitati prædij eſſet: Sanè has impenſas & maritus deducit, & quilibet bonæ fidei poſſeſſor, itémque malæ. *l. domum. C. de rei ven.* niſi ſint impenſæ, quæ rei vtilitatem perpetuam non reſpiciant, ſed ſolummodò impendentis pro tempore cõmodum. *l. 2. & ſeq. ff. de impenſ. in reb. dot.* tunc enim nemo deducit, ſed fructibus imputat.

Brechævs.

IMPENSAE. ¶ Quoniam quidem frequenter accidit, vt vſufructuarius in eam rem quam vſusfructus nomine poſſidet, vel locator, quam à conductore habet, vel creditor, quam pignori accepit, multa impendiſſe ſe profiteatur: quo fit vt res ipſa forſitan impenſis cedat, niſi quoque diligenter *ἀκριβῶς* expendatur, num quòd impenſum erit, vel neceſſarium ac quò res ipſa ſarta tecta habeatur, vel vtile tantùm, non etiam neceſſarium fuerit, vel tandem amœnitatis aut voluptatis ergo. ¶ Iureconſultus hic tria impenſarum genera eleganter tradidit: neceſſarias videlicet, vtiles, & voluptarias. ¶ Neceſſariæ ſiquidem ſunt, quas ex neceſſitate vel imminentis periculi vel damni, vel refectionis oportuit fieri: quæque ita neceſſariæ erant, vt ſine his res futura longè fuiſſet deterior, vel funditus eam euerſum iri conſtaret. Inter neceſſarias impenſas, Vlpianus *in l. 1. ff. de impenſ. in re. dota. fa.* ex Labeone ait molas in mare vel flumen proiectas. Sed & ſi piſtrinum vel horreum neceſſariò factum ſit, in neceſſariis impenſis habendum eſſe ait. Proinde, Fulcinius inquit. Si ædificium tuens, quod habere mulieri vtile erat, refecerit: aut ſi deiecta oliueta inſtaurauerit, vel ſi ex ſtipulatione damni infecti nomine, ne committatur, præſtiterit: vel in valetudinem ſeruorum impenderit: vel vites propagauerit: vel arbores curauerit, vel ſeminaria pro vtilitate agri fecerit, impenſas neceſſarias feciſſe videbitur. Hoc ipſe Vlpianus, & Paulus *in d. l. 1. 2. & 3. dic. titul. de impenſ. in re. dota. fa.* Et iterum Vlpianus in

l. impen

l.impenſa.eod.tit. Impenſæ (inquit) neceſſariæ ſunt, quibus non factis dos minuitur: veluti aggeres facere, flumina auertere, ædificia vetera fulcire, itémque reficere: arbores in locum demortuarum reponere. ¶Planè & ſi nouam villam neceſſariò vſufructuarius extruxerit, vel veterem totã ſine culpa ſua collapſam reſtituerit, hæ quidem erunt impenſæ neceſſariæ, atque earundem petitionem eſſe cenſuit Papinianus *in l.diuortio. §.impendia. ff. ſoluto matrimo.* At verò impendia fructuum percipiendorum cauſa facta, veluti quod in arando ſerendóque agro impenſum eſt, quódque in tutelam ædificiorum, ægrúmve ſeruum curandum, ſi modò ex ſeruo vel ædificio fructus aliqui percipiebantur, tametſi hæc neceſſaria ſint, ea nihilominus repeti non poſſe ex Pomponio idem Papinianus tradidit *d.§.impendia.* ¶ Sed etſi in re commodata impenſas aliquas fecero, atque eaſdem modicas, veluti in curando equo, certè non repetuntur, ſicut nec cibariorum impenſæ, quę ad eum qui vtendum accepit, naturali quadam ratione pertinent. Quod cenſuit Paulus. *l.in rebus.§.poſſunt.ff.commodati.* & Bartolus *in d.l.diuortio.§.impendia.* ¶Quid ſi etiam impenſas neceſſarias fecero in eam rem quam pignoris cauſa acceperim? Equidem non retentionem tantùm, ſed etiam contrariam pignoratitiam actionem mihi competere reſpondit Pomponius. *l.ſi neceſſarias.ff.de pignor.action.* Finge enim (inquit) medicis, cùm ægrotaret ſeruus dediſſe me pecuniam, & eum deceſſiſſe. Item inſulam fulciſſe, & refeciſſe, & poſtea deuſtam eſſe, nec habere quod poſſim retinere, nihilominus pignoratitiam habeo. Idem quoque de cibariorum impenſis in rem pignori acceptam, cenſuerunt Accurſius, & Bartolus *in d.l.ſi neceſſarias.* Quoniam nullus ſit creditori vſus pignori accepti. ¶Quid item ſi in rem depoſitam neceſſariò à me quicquam impenſum ſit ſeu in victum, ſeu in refectionem depoſitæ rei, an repetam? Et repetere me poſſe iure retentionis Accurſius, & Baldus ſcripſerunt in *l.ſi quis vel pecunia.C.depoſiti.* Idque aduerſus Ioann.ſententiam. Quęſitum præterea mihi aliquando fuit. An qui in rem quam ab vſufructuario conduxerat neceſſarias impenſas feciſſet, eaſdem repeteret? Et hîc nonnihil diſtinguendum reſpondi, videlicet, num tanquam à domino, an verò tanquam à fructuario in certum tempus conduxerit, veluti in quinquennium. Nam ſi tanquam à fructuario rem conduxiſſet, ídque fructuarius intra id temporis quo rem vſufructuariam locauerat, è vita exceſſerit. Hæredem eius id quod in eam rem impendit conductor, pręſtare non debere indubitati iuris eſt. Hoc enim antè proſpicere debuit ipſe conductor fore aliquando, vt res ad dominum, extincto cum vſufructuario vſufructu, libera reuerratur. Itaque futuri temporis proſpectu, melius ſibi conſultum oportuerat: cùm & dubios varióſque rerum euentus expectare, ſed & eoſdem prænidere, niſi τὰ ζῶα ἄλογα eſſe velimus, debeamus. *l.qui bona.§.cùm inter.ff.de dam.infect.l.ſi proponis.§.1.& l.ſi exheredatus.ff.de inoffi.teſtamen.l.Lucius.§.penul.ff.ad Trebel. cap.conuenientibus.1.cauſa, quæſt.7.& cap.cùm Hadrianus. diſtinct.63.* Quod ſi non quaſi fructuarius, ſed quaſi fundi dominus locaſſet, tenebitur hæres: decepit enim conductorem. Et id quippe Imperatorem Antoninum cum diuo Seuero reſcripſiſſe tradit Vlpianus *in l.ſi quis domum bona fide.§.1.verſi. idem quæris.ff.locati.* ¶ Itaque qui bona fide in rem alienam impenſas vtiles quidem & neceſſarias fecerit, ſeu ædificando, ſeu etiam ædificium ruinam minitans aut penitus collapſum reficiendo, ipſas impenſas repetet & conſequetur. *l.planè.§.planè.ff.de petit.hered.& l.vtiles.eodem titu.* Quo loco Caius tradit vtiles & neceſſarias impenſas eſſe, quæ reficiendorum ædificiorum gratia fiunt: aut in nouale, aut cum ſeruorum gratiâ litis æſtimatio ſoluitur, quum id vtilius ſit quàm ipſos dedi. ¶Et ideò conſtat, ait Iulianus, ſi quis cùm exiſtimaret ſe heredem eſſe, inſulam hereditariam fulciſſet, nullo alio modo, quàm per retentionem impenſas ſeruare poſſe. *l.ſi in area.ad finem.ff.de condict.indebit.* Quod tamen ἐν τῷ ἀκριβοδικαίῳ iuriſque exactioris ſeu ſtrictioris eſſe, Azo cenſuit. Nam ex æqui bonique ſententia datur vtilis negotiorum geſtorum actio ei qui impendit. Accurſius in dicta *l.ſi in area. vbi citat.l.ſi pupilli.§.ſed & ſi quis.ff.de negotiis geſtis.* Sed eò loci agitur ſi alieno, non ſi ſuo ipſius nomine impenſum fuit. ¶ Trifariam autem impenſas fieri neceſſarias & vtiles dicimus. Aliæ ſiquidem fructuum è fundo colligendorum gratiâ, vt *l.ſi à patre.ff.de petit.hered.l.fin. Alia.ff.de impenſis in reb.dotal.fa.l.quòd ſi ſumptus.dicto titul.de petit.hered.* in res ipſas, & quę rerum earundem vtilitati perpetuæ cedant: vt cùm penè collapſæ ædes fulciuntur, aut aliqua in parte dirutæ reficiuntur, aut etiam cùm aliquid rei ſeruandæ cauſa eſt impenſum: ſed & cùm in fundo nouè ædificatur. In quo ſanè conſiderandum eſt, an a bonæ fidei, an verò à malæ fidei poſſeſſore quicquam impenſum alleratur, vt poſſit is qui impendit, repetere. At qualiter poſſit, videbis planè apud Accurſium, Gloſſ. *in l.in fundo.in verbo deducto.ff.de rei vendic.& gloſſ.in §.certè illud.verbo, ædificauerit. Inſtitut. de rer.diuiſ.cap.paſtoralis. & ibidem glo.in verb.quaſi de lucro.de decim.extrà.& in l.adeò.§.ex diuerſo.ff.de acquirendo rerum dom.* ¶ Quid igitur ſi quis fundum bona fide comparauit, poſtea verò, alienum reſciuit eſſe, & quo tempore certior factus in eodem fundo ędificauerit, an repetet impenſas ædificij? Et non repetere Vlpianus tradit in *l.Iulianus. dicto titul.de rei vendication.* neque exceptionem ei prodeſſe, niſi damno ſollicito: id eſt, qui ea propter ædificauit, vt futuro damno periculóque proſpiceret. Nec enim debuit in alienam aream iam certus ædificium ponere. Sed hoc ei concedendum eſt, vt ſine diſpendio domini areæ, ædificium tollat quod poſuit. Quid item ſi in fundo alieno quem imprudens emeras, ædificaſti, aut conſeuiſti, deinde euincitur? Celſus reſpondit bonum iudicem variè ex perſonis cauſiſque conſtituere debere, an videlicet impenſæ in totum vel in partem ſubduci debeant, aut nihil omnino. Finge enim (inquit) dominum eadem facturum fuiſſe. Et reddet impenſas vt fundum recipiat, vſque eò duntaxat quo precioſior factus eſt. Et ſi plus precio fundi acceſſit: ſolùm quod impenſum eſt. Finge pauperem, qui ſi reddere id cogatur, laribus ſepulchriſque auitis carendum habeat, quæ nulla alioqui ratione erat alienaturus. Sufficit tibi tollere ex his rebus quæ poſſis, ita ne deterior ſit fundus quàm ſi initio non foret ædificatum. Quòd ſi paratus ſit dominus tantundem dare quantum habiturus eſſet poſſeſſor his rebus ablatis, fiet ei poteſtas tollendi ædificij. Neque malitiis indulgendum eſt, ſi tectorium, puta quod induxerit, pictuiaſque corradere velit, nihil laturus

niſi

niſi vt officiat. Finge eam perſonam domini quæ receptum fundum mox venditura ſit niſi reddat quantum prima parte, videlicet dominum eadem facturum fuiſſe, reddi oportere diximus, eo deducto quod eſt impenſum, condemnandus eſt. *dicta l.in fundo ff.de rei vendication.* ¶ At verò redemptores operum, id eſt, qui opus aliquod extruendum ſuſcipiunt, & ſuis cæmentis ædificant, ſtatim cæmenta faciunt eorum in quorum ſolo ædificant. *l.redemptores. dicto titulo.* Sed id tamen accipiendum arbitror, vt quas fecerint in ædificando impenſas, reperant ipſi: etiam ſi conuentum pactúmque ædificij precium longè excedant: ſi modò perpetuæ rei & fundi vtilitati, quod plus pacto impenſum eſt, cedat. Non enim (ait Paulus) debet petitor ex aliena iactura lucrum facere: & idipſum officio iudicis continebitur. *dicta l.planè. ff.de petitione hereditat.* ¶ Cæterùm Ioannes Lucius Pariſienſis, vir mehercule egregius, *lib.11. Placitorum Curiæ, Titulo, de fructibus, & in rem litémque impenſ.* tradit, Bonæ fidei poſſeſſorem, fundo cedere damnatum, impenſas vtiles ac neceſſarias, rei retentione conſequi, voluptarias eius quòd intereſt nomine, perſequi poſſe, ſecundum Ioannem Spineum indicatum areſto fuiſſe xv. Calend. Maij, Anno à Martinalibus M. C C C C. X X V I I.

FORNERIVS.

IMPENSÆ. ¶ Tria ſunt impenſarum genera: neceſſariæ, vtiles, voluptuoſæ: quæ ſuis hîc ſingillarim definitionibus, exemplis, differentiis ac præceptis exponentur. ¶ Neceſſariæ quibus non factis dos deterior futura ſit. Vlpianus *fragm.tit.6.vel vt*, idem ait, quæ habent neceſſitatem impendendi, quibus non factis dos imminuitur. *l.1.l.antepenult.de impenſ.in rei dot.fact.* Veluti ædium ruinoſarum refectio, ſeruorum ægrotantium curatio: vitium propagatio, arborum pro agri vtilitate ſeminarium, neceſſariatum molendino vel piſtrino molium in mare vel flumen proiectio, oliuetorum relictorum reſtauratio. *d.l.1.l.2.l.3.eod.tit.* Quæ impunè à marito non omittentur: alioqui ob negligentiam, mulieri quanti intererit, damnabitur. *l.4.* Sed requiritur, vt ad perpetuam, non autem breuem temporariámve prædij vtilitatem pertineant: Nam quæ vnius anni vtilitati ſeruient, ad maritum pertinebunt, cum fructibus compenſabuntur, nec repetentur. *d.l.3.l.vlt.eod.tit.* Si verò perpetuæ, aut certè diuturnæ, repetentur. *l.4.l.5.eod.tit.* etiam à prædone *l.5. C.de rei vindic. l.38.planè. l.ſeq.ff.de pet.her.* Imò dotem ipſo iure minuunt. *l.5.l.penult.eod.tit.l.61.dote.de ritu nupt.l.1.de dot.præleg. l.56.ſi is qui ſtichum.§.quod dicitur.ff.de iur.dot.* quæ eiuſdē originis eſt, & cum hoc capite coniungenda. Pauli *lib. 6. ad Plautium.* vt vtriuſque admonet inſcriptio. ¶ Illud vigilanter obſeruandum eſt, neceſſitate factas impenſas quamuis res malè ceſſerit, repeti nihilominus: Sufficere, ſi ab initio iuſta marito impendendi cauſa fuerit, in tutelam videlicet ædificiorum ruentium, quæ fulſerit, ſi poſtea exuſta ſint: E diuerſo mariti negligentiam excuſari: ſi neceſſarium ſumptum omiſerit, & domus non fulta exuſta ſit. *d.l.4.* Quod autem dicitur, neceſſariis impenſis dotem ipſo iure minui, id eſt deſinere eſſe dotalem: quamuis ex veterum regula generaliter traditum videatur. *d. §. quod dicitur. d.l. penult.* Adhibenda tamen videtur diſtinctio, vt eo demùm caſu dos ſumptu neceſſario minuatur: ſi quantitas in dote ſit: finge vxorem viro in dotem tria millia dediſſe, impenſa duo millia, mille ſuperſunt doti, dos in duo millia deminuetur. *d.l.5.verſ.nam in pecunia.* Si verò corpora doti ſint, non deminutio fiet, ſed retentio ſolùm viro concedetur. *d.l.56. ſi is qui ſtichum. §. quod dicitur. d.l.5. verſic. non vt ipſa res. verſic.non enim ipſo iure corporum.* vbi fruſtrà eſt, qui corruptum locum emendaturus, pro *ipſo iure*, rectiùs *(ipſa in re)* reponendum admonuit. Ratio differentiæ inde porrò petitur, quòd quantitatis tantùm ad quantitatem non etiam corporum compenſatio admittatur. *l.1. C. de crim. expil.her.* Sicuti fructus extantes quidem à creditore retinentur: conſumpti verò compenſantur, ſortémque ipſo iure minuunt. *l.1.l.2. l.18.ſi conuenerit.2.de pign.act.l.3. C.in quib.cauſ.pign.vel hypothec.* Multò autem minus eſt retinere, quàm compenſare. Hic dominium paratur, illic ſecuritas tantùm creditori quæritur. Quæ cum eadem eſſe doceret Fr. Duarenus *in l.7.fructus. §.ob donationes.ſol.mat.* Fulgoſij errorem ſequutus, contra receptam hactenus interpretum ſententiam, non quantitatis modò, ſed ſpecierum etiam compenſationem iniri arbitratur. Quod in rebus æſtimatis non inuitus conceſſerim. *d.l.5.in eúmque.* Senecæ cuius teſtimonio abutitur, ex *lib.6.de beneficiis. cap.4.* verba retorſerim. [Pecus abegiſti, ſeruum eius occidiſti, argentum quod non emeras poſſides, æſtimatione facta debitor diſcede, qui creditor veneras.] Nam in actionibus in rem, poſt interitum. compenſatione defungentes, neceſſariò ad æſtimationem confugimus.

Res peritura. ¶ Quamuis odioſa ſit alienæ rei retentio, ac regulariter prohibita. *l. 5. C. in quibus cauſ.pign.vel hypoth.l.vlt.C.commod.cap.penult.de reſtit.ſpol.* Ob neceſſarias tamen impenſas permittitur. *l.8.ſi neceſſarias. de pign.act. l. 18. in rebus. §.poſſunt. §.ſumptus.commod. l. 15. creditoris. de furt.l.25. qua omnia. de procur.* eo & nomine poſterior creditor, cuius beneficio ac pecunia pignus alioqui periturum ſeruatur, anteriori creditori præfertur. *l.5.& 2.ll.ſeqq.qui potior. in pign.Nouell.79. de æqual. dot.§.his conſequens.* Et quia ſine alimentis viuere non poſſumus. *l.vlt. C.de alim.pup.præſt.* alimentorum nomine, etiam hominis retentio conceditur, & nauis. *l.vlt.C.de infant.expoſ.l.2.de leg.Rhod.* Ob eámque cauſam marito rerum dotalium retinendarum ius eſt. *l.5.l.pen.de impenſ.in res dot.* neque Iuſtiniani conſtitutione ſublatum. Nam quod ſumptuum nomine retentionem dotalium rerum inhibuit. *l. vn. C.de rei vxo.act.* de vtilibus tantùm accipi debet: non neceſſariis, In quibus, eodem auctore, ius in Pandectas relatum manet illibatum. *§.item ſi de dote.de act.Inſt.l.61.dote. de rit.nupt.l.56. ſi is qui.§.quod dicitur.de iur.dot.* quia nullus caſus interuenire poteſt, qui hoc genus deductionis impedire poſſit. *l.51.fundus. 2.fam.ercisc.* ¶ Nam & prædoni impenſæ neceſſariæ reſtituuntur. *l.36.ſi domino.de pet.her.l.5.C.de reiuind.* Excepto ſanè vno caſu. *l.vlt.C.de neg.geſt.*

§. j. Vtiles impenſas eſſe Fulcinius ait, quæ meliorem dotem faciant, non deteriorem eſſe non ſinant: ex quibus reditus mulieri adquiratur. Sicuti arbuſti paſtinatione vltra quàm neceſſe fuerat: item doctrinam puerorum. Quorum nomine onerari mulierem ignorantem vel inuitam non oportet: ne cogatur fundo, aut mancipiis carere. In his impenſis & piſtrinum & horreum inſulæ dotali adiectum plerumque dicemus.

Alciatvs.

Vtiles. ¶ Impenſæ quæ rem meliorem faciunt, vt arbuſti paſtinatio, doctrina puerorum, ſtercoratio, nouelletum, piſtrinum, horreúmque adiectitium, & his ſimilia. Eſt autem arbuſtum, locus quo certo ordine arbores vitium cauſa plantantur: hæ ſunt, populus, vlmus attinia, ornus. Debet autem ſaltem bis in anno paſtinari, id eſt, paſtino, quod ferramentum bifurcum eſt, fodi: huiuſmodique impenſa neceſſaria eſt: quòd ſi tertiò quoque fodiatur, erit vtilis: atque ita M. Columella *lib. 4. cap.* 28. præcipit. ¶ Has vtiles impenſas maritus non conſequitur. *l. 1. §. ſed nec. C. de rei vxor. act.* niſi volente vxore, fecerit, aut mulier eas commodè reſtituere poſſit aliunde, quàm ex fundo dotali: ſatiſque eſt ſoluendo eam eſſe, vel tempore quo impenſæ fiunt, vel quo repetuntur. *Dic. l. 1. ſ. de imp.* ¶ In cæteris verò bonæ fidei poſſeſſoribus, quatenus dominus eſt locupletior, eatenus deducuntur, tanquam eorum negotium vtiliter ſit geſtum, idque niſi dominus ipſe non fuiſſet eas facturus. *l. ſin autem. in fin. de rei ven.* Quid enim, ſi pauper erat qui de re qualis qualis fuiſſet erat vſurus? nec curaret pretioſiorem facere, vt qui venalem eam non haberet? Permittetur tamen poſſeſſori hoc caſu de impenſo id tollere. *l. in fundo. ſ. de rei ven.* quod ſine detrimento domini poteſt, ſibique vtile futurum ſit. ¶ Idémque in malæ fidei poſſeſſore. *d. l. dominum.* ſed in hoc differentia eſt, quòd prædo, ſi impenſa quam vtiliter vel etiam neceſſariò effudit, euaneſcat, vt quia res perimatur, nihil deducit. *l. planè. de petit. hered.* quod in bonæ fidei poſſeſſore aliter obſeruatur, præterquam cùm rei vendicatione agit. *l. vtique. ſ. de rei ven.* Sed & ſi ædificium aliquod à fundamentis conſtruat, ſciens ſe in alieno ædificare, videtur domino donare. *§. ex diuerſo. inſt. de rer. diuiſ.* & nihil repetit, niſi tanquam negotiorum geſtor fecerit. *d. l. dominum.* vel dominus is ſit, in cuius perſona conſiſtere donatio nequeat, vt cùm vir in hereditario vxoris fundo ædificat. *arg. l. in voluptariis. ſ. de impenſ.*

Horreum. ¶ Meritò addita eſt dictio plerunque: nam ſi magnus fundus eſt, & frugum ferax, & plurima familia colatur, & piſtrini, & horrei impenſa neceſſaria eſt. *d. l. 1. §. pe. de imp.* ſi verò modicus fundus ſit, piſtrinum & horreum ad vtilitatem ſolùm pertinet: quia locari poteſt.

Brechævs.

Vtiles. ¶ Vtiles impenſas eſſe dicimus, quæ rei commodum & vtilitatem afferunt: fructúſque ac prouentus annuos auctiores reddunt. Veluti prædiis pecora imponere, id eſt, ſtercorare, ait Vlpianus, in *l. impenſæ. §. vtiles. ff. de impenſ. in reb. dot. fac.* Nam qui frumentis arua præparare volet, ea primùm ſtercorari neceſſe erit. Quo fit vt grandi pecorum grege melior vtiliórque fundus efficiatur, non ob ſtercorationem tantùm, ſed quòd ad diem bis ſæpe mulgeri oues contingit, vt teſtatur Virgil. *in Georgicis.*

Quod ſurgente die mulſere, horíſque diurnis
Nocte premunt, quod iam tenebris & ſole cadente
Sub lucem exportant calathis.
Sæpe etiam vitula bis venit ad mulctram: Vnde lac & caſeus:
Binos alit vbere fœtus: Vnde pecoris multiplicatio. Itaque ingens eſt pecoris fœtus & multiplex: vnde ab eo pecuniam dictam veteres voluerunt.

Arbuſti. ¶ Quidam (ait Seruius) arbuſtum volunt eſſe eum locum in quo arbores ſunt. Scribit Gellius *lib.* 17. *cap.* 2. Arbuſtum celebrarius eſſe verbum: arboretum, ignobilius. Nam Arbuſtum propriè locus eſt arboribus fructiferis conſitus & maritandis vitibus, authore Palladio. Vnde & arbuſtare verbum, pro agrum arboribus vitiferis conſerere. Arbuſtorum rationem, & qualiter arboribus maritandæ ſint, vites videbis apud Plinium *hiſtoria natu. lib.* 17. *cap.* 23. Et apud Columellam *lib. de arboribus. cap.* 16.

Paſtinationes. ¶ Paſtinare verbum de vitium cultu dicitur. Eſt autem paſtinare, fodere: & repaſtinare, refodere terram vitibus conſitam. fiunt autem paſtinationes cùm computandæ ſunt vites. Quando autem & quomodo terra paſtinari debeat, docet Columella *lib.* 3. *rei ruſtica cap.* 13. Tradit igitur Paulus hoc capite, inutiles impenſas referri debere, ſi quis agrum vltra quàm neceſſe fuerat paſtinari curauerit, ſeu in ſatu vitium & malleolorum, ſeu in putanda ipſa vite. Nam ſeri ſolet vitis emundata prius occatáque & æquata paſtinatione, macro ſolo, vt tradit Columella *ſupradicto libro* 3. *cap.* 15. Intelligit autem iureconſultus vtilitatem afferri vitibus, in quarum cultu maior ſolet adhiberi cura quàm vulgò neceſſe ſit & conſuetum. Quod ergo in eam rem impenſum erit, vtilem impenſam dici vult.

Doctrinam puerorum. ¶ Hîc pueros ſeruos intelligit, *vt infrà hoc titu. l. pueri appellatio.* ¶ Quare ſi creditor pignoratos ſeruos inſtruxit artificiis, ſiquidem iam imbutos, vel imbui cœptos, vel voluntate debitoris expreſſa, & ea artificij doctrina ſeruus effectus ſit vtilior, Vlpianus reſpondit contrariam

trariam actionem competere. Si verò nihil horum intercesserit, ſiquidem artificiis neceſſariis, erit actio contraria: non tamen vt cogatur ſeruis carere pro quantitate ſumptuum debitor. Sicut enim negligere creditorem, dolus & culpa quam præſtat, non patitur, ita nec talem efficere rem pignoratam, vt grauis ſit debitori ad recuperandum: puta ſaltum grandem pignori datum ab homine qui vix vſuras ſimul & ſortem luere poteſt, nedum excolere: tu acceptum pignori excoluiſti ſic, vt magni precij faceres. Alioqui non eſt æquum, aut quærere me alios creditores, aut cogi diſtrahere quod velim receptum, aut penuria coactum derelinquere me tibi. Igitur hæc à iudice erunt diſpicienda: vt neque delicatus debitor, qui ſcilicet ne nummum quidem vnum vult exoluere, neque etiam onerosus audiatur creditor & durus, qui ad vltimum vſque quadrantem exigit: ſed temperari oportet negotium, & ad æqui boníque rationem referri. *l.ſi ſeruos. & ibidem gloſſ.de pign.act.* Quo loco Bartolus exiſtimat, ſi quo tempore dominus eſſet fortunæ copiis inſtructiſſimus, ædificium in fundo ſuo accepit, tum deinde ante ipſius ædificij inſtituti abſolutionem & colophonem; ad grauiſſimam inopiam deuenerit, ita vt cœpto operi deſiſtere cogatur, creditori qui pignori accepit, licere abſoluere.

Fornerivs.

VTILES. ❡ Vtiles, quas maritus vtiliter fecit, dotem meliorem fecerit, quibus non factis quidem non deterior, factis autem fructuoſior res efficiatur: veluti ſi oliuetum, vinetum, nouelletum in fundo fiat, ſi domui piſtrinum, adiiciatur, aut taberna. *l.5.l.6.l.antepen.de impenſ.* ❡ Quarum, ne dominus alieno damno locupletetur, repetitio datur: non autem retentio: nec (vt in neceſſariis) dos ipſo iure minuitur: niſi de voluntate mulieris factæ ſunt *l.8.vtilium.eod.tit.* [Aliud enim eſt minorem eſſe factam dotem, quod per neceſſarias impenſas accidit: aliud pignoris nomine retineri dotem ob ea, quæ mulierem inuicem præſtare æquum eſt.] *l.5.de dot.praleg.* ❡ Repetuntur autem vel actione mandati, ſi volente muliere fiant: vel negotiorum geſtorum, ſi maritus vtiliter impenderit. *d.l.8.vtilium.d.l.vn.§.nec retentio.* Niſi vel mulier viro ne ſumptum faceret, interdixerit. *d.l.vlt.C.de neg.geſt.* vel niſi cum fructibus quorum quærendorum cauſa factæ ſunt, compenſentur. *l.penult.& vlt.eod.titu.l.7.fructus.§.impendi.ſol.matrim.l.48.ſumptus.l.65.emptor.de rei vindic.* Vel niſi in eam ſummam excreſcerent impenſæ, vt ob eas fundo dotali (ſi non eſſet ſoluendo) mulier caritura videretur. *d.l.8.vtilium.hic verſ.ne cogatur fundo aut mancipiis carere.* Hæc quidem de dote. ❡ Idémne in cæteris? Quidni? *l.38.in fundo.ff.de rei vind.* Verùm occurrit perplexa Africani cum Paulo diſſenſio: Hic bonæfidei poſſeſſorem ait, vtileis impenſas etiam à creditoribus conſequuturum. *l.29.Paulus.§.domus.de pign.* Ille negat: plurimùm referre exiſtimans verùm quis coactus poſſideat, an volens emerit. Hoc quidem caſu creditoribus pignoris perſecutionem permittit, illo verò denegat. *l.44.cùm poſtulaſſem ſi.de dam.infect.* Hæc pugnantia ſunt: Neque enim rei mutatione vel detractione ius pignoris extinguitur. *l.21.domo.ff.de pign.act.* Ideóque exuſtione domus oppignerataæ remanet pignus, ſi poſteà ædificium inſtauretur. *d.§.domus.l.16.ſi fundus.ff.de pign.* Scilicet cum res quæ mutata eſt, poteſt ad priorem formam redire: aliàs pignus extinguitur. *l.62.Mincius.de rei vind.l.18.ſi conuenerit.§.ſi quis cauerit.de pig.act.* [Non deteriorem eſſe non ſinant.] ❡ Ecquis alterutram negationem in Florentino codice redundare non agnoſcat? Quam tamen Ant. Auguſtinus *lib.1.cap.2.* emendat. & hîc credulus illi non nemo, ab aliis libris abſentem nituntur obtrudere: Quàm recte ipſi viderint. Apertè Græcorum paraphraſis refragatur, *ἡ μὴν συγχωρήσας τὴν αὐτὴν χείρω.* & Vlpianus. [Vtiles ſunt, inquit, quibus non factis quidem deterior dos non fuerit, factis autem fructuoſior. *fragm.tit.6.* Arbuſti paſtinatione.] *ἐπὶ τῆς τοῦ ἄλσους φιλοκαλίας. d.§.impendi.l.15.ſemper.§.1.quod vi aut clam.* Columella *lib.4.cap.28.* Vlpianus addit, pecora prædiis imponere, id eſt, ſtercorare: Paulus, facere in fundo piſtrinum, aut tabernam adiicere. *l.veluti.l.antep.eo.tit.* Meritò autem hîc adiicitur exceptio, [vltra quàm neceſſe fuerat:] Ne ex vtilibus, voluptuoſæ & inſanæ fiant: quibus dotem exhauriri ſit iniquum. Quod non tam facilè ſemel in vniuerſum deſinire, quam per ſingula impendiorum genera æſtimare licet. *l.pen.eod.tit.* Vt ecce fundi vitium propagatione, ac nouelleti inſtitutione augeri reſpondetur. *l. .l.6.l.12.omiſſo,eo.tit.* Vlp. *d.tit.6.* Domitianum tamen, ne quis in Italia nouellaret, edixiſſe, Suetonius: Lycurgum Traciæ regem (quod falsò Lacedemoniorum legiſlatori tribuitur) vites ſtirpitus excidiſſe, Euſthatius *Iliad.ζ.* commemorat. [Doctrin.puerorum.] ❡ Id eſt ſeruorum (*l.161.illa verba.§.pueri.l.204.pueri.ff.h.t.*) eorúmque dotalium eruditionem *d.l.veluti.d.l.56.ſi is cui:* cuius cum hoc capite congruit inſcriptio. Erudiebantur enim ſerui, vt eſſent vtiliores, & vendibiliores: Ariſtoteles *lib.8.Politicôn.l.43.Titius.l.ſeq.de action.empt.l.14.ſi tibi area.de praſc.verb.l.117.ſi quid relictum.de leg.1.* Qua de re in commentariis ſelectionum copioſiùs agere conſtitui. ❡ Quod porrò ſequitur, [ne cogatur fundo, aut mancipiis carere,] æquitate ſumma nititur: ne ſpecie vtilitatis, mulier de dote agens fundo propter paſtinationem, ſeruis propter eruditionis ſumptum caritura, damno afficiatur, *d.l.43.Titius.d.l.56.ſi is cui.§.quod dicitur.arg.l.38.in fundo.de rei vind.l.pen.de impenſ.*

§.ij. VOLVPTARIÆ ſunt quæ ſpeciem duntaxat exornant, non etiam fructum augent: vt ſunt viridia, & aquæ ſalientes, incruſtationes, loricationes picturæ.

Alciatvs.

VOLVPTARIÆ. ❡ Ad ornamentũ ſolùm pertinent, *l.quod ſi fur.de imp.* præterquam in re promercali. Quapropter in prædio vrbano, ſi maritus cœnacula, quæ locari ſolent, picturis exornet, pictura erit vtilis non ſimpliciter voluptaria: tanto enim pluris cœnaculum locabitur, quia ornatius.

tius. ¶ Has impenſas niſi dominus ipſe factus fuiſſet, nec maritus, nec bonæ fidei poſſeſſor deducit *l. pro voluntariis. eo. tit.* licitum tamen ei eſt auferre, quod commodè ſeparari poteſt. In malæ verò fidei poſſeſſore diſtinguimus, vt ſi impenſa in re facta ſit, quæ ſeparationem ſui natura non admittat, videatur donaſſe. *d. §. ex diuerſo.* at ſi aliquo caſu ſeparentur, auferre tamen ei nihil liceat: ſi verò ſui natura res ſit ſeparabilis, licitum eſt ei auferre: nec enim donaſſe videtur. *l. vtiles. ē. de petit. hered.* quod auferre poteſt, & ita ipſe extrico, licet alij differentiam in modo agendi conſtituant. *Bartol. d. l. in fundo.*

Incruſtationes. ¶ Tectoria ſunt parietom, ex cruſtis marmoreis.

Loricationes. ¶ Sunt ſuperficies integendi cauſa, quæ ad pauimenta maximè pertinent, fiúntque ex calce & arena: qua de re Vitruuius *lib.* 7. plura. Eſt & lorica quæ vallis caſtrorum, vel prædiis apponebatur alio ſignificatu.

BRECHÆVS.

VOLVPTARIÆ. ¶ Sanè voluptariæ impenſæ ſuot quæ voluptatis ergo fiunt, ex quibus oulli ptouentus redeunt: vt balnea extruere. *d. l. impenſa. §. fi. ff. de impenſ. in reb. do. fa.*

Viridaria. ¶ Viridia dixit Vitruuius *lib. 6. architectura, cap. 6.* Hi (inquit) collocantur ſpectantes ad ſeptentrionem, & maximè viridia proſpicientes, &c. Et paulò pòſt iterum, Habeantque dextra ac ſiniſtra lumina feneſtrarum valuata, vti viridia de tectis, per ſpatia feneſtrarum proſpiciantur. Sunt autem (vt Philander adnotauit) loca vitentibus arboribus conſita: qualia nunc vulgò loca voluptatis. Adnotauit quoque Macrobius *lib. 1. Saturn.* Viridia cùm pro adiectiuo accipiuntur, genitiuum io ium, facere: vt viridium pratnrum. Cùm verò ipſam loci viriditatem ſignificare velis, viridiorum dicendum eſſe: vt formoſa facies viridiorum. Qui autem curandis viridariis ſunt præfecti, hos viridarios appellat Vlpianus, in *l. inſtrumenta. ff. de fund. inſt. vel inſtru. lega.* Quo loco quidam legunt topiarios. Quoniam igitur viridaria amœnitatis, & deliciarum tantùm, non etiam vtilitatis & prouentuum gratia componi ſolent, quemadmodum & violaria, voluptariæ, non neceſſariæ nec vtiles cenſebuntur viridatiorum violatiorúmque impenſæ. Varro *lib. 1. rei ruſticæ. cap. 35.* Violaria (inquit) in fundo facere non eſt vtile, ideò quòd neceſſe eſt è terra ad ea obruenda puluinos fieri: quos irrigationes, & pluuiæ, & tempeſtates abluunt, & agrum faciunt minorem.

Aquæ ſalientes. ¶ Intelligit aquas ſalientes, fontiuales, quæ ex imis terræ eruptibus in altum proſiliunt. Vitruuius *lib. 8. cap. 3.* Sunt autem (ait) etiam nonnulli fontes calidi ex quibus profluit aqua ſapore optimo, quæ in potione ita eſt ſuauis, vti nec fontinalis ab Camœnis, nec Martia ſaliens deſideretur: cuius ductus ſuper portam Exquilinam ad Thermas Diocletiani deductus eſt. Prius tamen à Nerua fuerat in Cœlium & Auentinum montem deriuatus, vt traditur à Iulio Frontino *lib. 1. de aquæ ductibus*, & ita adnotauit Philander vir egregiè doctus. Habemus ſiquidem id genus aquas ſalienteis ſeu fontes præclariſſimos in ciuitate noſtra Turonenſi paſſim tum in quadriuiis, tum verò in priuatis aliquibus ciuium domibus. Verumtamen ego arbitror hoc loco ſalienteis aquas à Iureconſulto accipi, quæ in hortis ad voluptatem pertinentibus, ex puteo, artificio quodam deduci ſolent, non quæ perpetuo & naturali ductu profluant: cuiuſmodi diximos eſſe in celeberrima noſtra ciuitate Turoni: & viſitur apud regium fontem Bleeium: vbi reſiliunt in pyramidem marmoream & deauratam, excipiuntúrque cœnatiuncula marmorea manu facta, ductu quadrifluo.

Loricationes. ¶ Vitruuius *lib. 7. cap. 1.* vocat Loricas, tectoria, corium, incruſtationes, & coronarum proiecturam quæ fieri ſolet in parietibus, vt ab aqua pluuia defenſentur. Idem Vitruuius *lib. 2. c. 8.* Cùm enim in tecto tegulæ fuerint fractæ, aut à ventis deiectæ, qua poſſit ex imbribus aqua perpluere, non patietur lorica teſtacea lædi laterem: ſed proiectura coronarum reiiciet extra perpendiculum ſtillas, & ea ratione ſeruauerit integras latericiorum parietum ſtructuras. Vnde loricare ſupertegere. Quo verbo vſus eſt Plinius de Ichneumone loquens *lib. 8. cap. 24.* Videto Budæum huoc locum doctiſſimè explicantem, vt cætera ſolet. Loricola autem apud Vegetium *lib. 4. rei militaris*, ſignificat id munimentum quod vrbium obſeſſores vltra iactum teli ędificant, foſſa, vallo, ſudibus, & turriculis inſtructa, vt erumpentibus è ciuitate poſſint obſiſtere. D. Hieronymus aduerſus Pelagianos *lib. 1. Deuteron. c. 22.* loriculam, vertit mutulum, qui io circuitu tectorum fit: ne quis io præceps labatur: quod interpretes ſeptuaginta στεφάνην dixerunt.

Picturæ. ¶ Pictura (inquit Vitruuius) imago fit eius quod eſt, ſeu poteſt eſſe: vti hominis, ædificij, nauis, reliquarúmque rerum, è quarum formis certíſque corporum finibus figurata ſimilitudine ſumuntur exempla. Reliqua de picturis & ratione pingendorum ædificiorum videbis apud eundem Vitruuium *lib. 7. cap. 5.* Et nos quoque multa in *annotationibus noſtris ad titul. de fundo inſtructo vel inſtrumento legato.*

FORNERIVS.

VOLVPTARIÆ. ¶ Impenſæ voluptooſæ, quibus neque omiſſis deterior, neque factis fructuoſior res efficiatur. ideò, quòd ſpeciem tantùm τὸ εἶδος, formam, ædificium exornent, nullámque fundo vtilitatem adferant, non repetuntur. Etiamſi voluntate mulieris impenſum ſit. Si quidem ſeparari poſſint, tollentur: ſin minus, relinquendæ ſunt. *l. 7. voluptuaria. l. 9. pro volupt. & ll. ſeq. de impenſ. in res dot.* Neque enim picturas radere, licet: ne hominum nihil proficientium, aliis modò nocentium inuidiæ ac malitiis indulgeatur. *d. l. 38. in fundo.* quoniam hominis interſit hominé beneficio affici: & quod ſine damno noſtro fiat, aliorum inſeruire vtilitatibus & cómodare debeamus. *l. 7. ſeruus. de ſer. expor. l. 2. de aq. plu. l. pe. de pact. l. quoties nec. de ſeruis.* [Vt ſunt viridia.] ¶ Aliàs, viridiaria & viridaria: loca vireotia, arboribus conſita, τὰ κλωνοφόρα γήδια: vt horti penſiles, quos ferè in tectis, feneſtríſque

ſtatuebant & adornabant.*l.13.ſi cuius.§.fructuarius.de vſufr.l.8.inſtrumento. de inſtrum.legat.* vnde in altum ſublata vel amœniorem proſpectum reddere, vel officere dicuntur.*d.l.15.quoties ſi.de ſeruitut.l.12.ædificia.de ſeruit.vrb.præd.* Martialis. [Rus eſt mihi maius in feneſtra] Victruuius *lib. 6. de architectura.cap.6.* [Lumina feneſtratum proſpiciantur.] Mendoſum Philander [rectis,] & legendum [lectis] ſuſpicatur: accubitoriis ſcilicet, e quibus cœnantes ſyluas, hortóſque proſpicerent. Ipſe necquicquam mutandum, Senecæ adductus auctoritate cenſuerim. [Pomaria, inquit *epiſt.*123. in ſummis turribus ferunt: quorum ſyluæ in tectis ac domorum faſtigiis nutant, inde ortis radicibus, quò improbè cacumina egiſſent.] ¶ Aptum & quod ſequitur voluptuarij ſumptus exemplum, [Aquæ ſalientes,] τὰ ἀναβρυτὰ ὕδατα. Si quidem apud Iabolenum, [Vaſa ænea ſalientis aquæ poſita, item ſi quid aliud deliciarum magis, quàm vſus cauſa paratum eſſet, non eſſe ſupellectilis.] Labeo, & Trebatius putant. *l.9.de ſuppel.leg.* [Incruſtationes.] ¶ Ex marmore: Græci enim hîc Latinum loricationis nomen retinentes, μαρμαρώσεις expoſuere. cruſtæ ſunt tabulæ marmoris: vnde & marmorati parietes, & cruſtati, Iſidoro *lib.19. Etymolog.cap.13.* & marmorarij. *l.2.de excuſ.artific.C.Th.* Idem & in muſiuario opere, quod cætera ornamenta ſumptu elegantiáque ſuperat, admittemus: Quod ſectilibus minutiſque varij coloris cruſtis formas effingens compingebatur. Suidas *in Acacio* de templi pictura differens, τὴν ἐκ ψηφῖδων χρυσῶν δημιουργηθεῖσαν. Iſidorus eiuſdem *lib.19. cap.14.* lithoſtrata elaborata arte picturæ, paruulis cruſtis, & teſſelis tinctis in varios colores. Plinius à pauimentis pulſa, ex humo in cameras tranſiiſſe & nouitium inuentum docet. *lib.36.cap.25.* Meminit Ælius Spartianus *in Piſcennio.* D. Auguſtinus *de ciuit.Dei lib.16.cap.8.* Victruuius *lib.7.cap.1.* operis artifices (*muſaique*) Muſiuarij nominantur à Caſſiodoro *lib.7. epiſtol. 6. l.1. C.Th.de excuſat.artific.* [Picturæ] ¶ Αἱ ζωγραφίαι: quarum ſtudio Græci Romanique veteres inſanierunt. Nicomedes Rex totum æs alienum ciuitatis, quod erat ingens diſſoluturum promiſit, à Gnidiis mercatus Praxitelis ſignum: omnia perpeti maluere. Plinius *lib.35. cap.10.* Summo ſemper in honore pictura eſt habita. *l.9.qua ratione.de acq.rer.dom.l.23.in rem.de rei vind.* Pictores liberalium artium profeſſoribus exæquantur, à tributorum illatione, & hoſpitum ſusceptione immunes. *l.vlt.C.Th.de excuſ.artif.l.8. Archiatros. C. de metat. & epidemet.* Tametſi pictores, ſtatuarios, marmorarios, ſeu luxuriæ miniſtros, in numerum liberalium artium non admittat Seneca ad Lucilium ſcribens, *epiſt.*88.

LXXX. IDEM lib. ix. ad Plautium.

IN GENERALI repetitione legatorum etiam datæ libertates continentur, ex mente legis duodecim tabularum.

ALCIATVS.

IN GENERALI. ¶ Verba legis XII. tab. erant *l.verbis.ſ.eod.* vti quis legaſſit rei ſuæ ita ius eſto. Quibus verbis generaliter tributa eſt poteſtas legatariis, legata ſua petendi. Sed an idem ſit in his, quibus libertas teſtamento legata eſt? & ex verbis videretur non eſſe idem: qui enim libertatem legat, rem ſuam non legat, quippe libertas in bonis teſtatoris non eſt: & id neque verè, neque (vt Bartolus inquit *in l.1.de leg. 1.*) cauſatiuè: ſed tamen ea mente legis idem dicendum eſt. Accurſ. hîc verbum petitione intelligit pro repetitione, quod mihi non placet, quamuis in iure verum ſit, ſub generali repetitione legatorum in ſubſtitutione facta, etiam libertates contineri. *l.cum in ſubſtitutione.de legat.3.* ¶ Quæ res argumento eſt, generali in diſpoſitione etiam ea intelligi, quæ ſpeciali priuilegio inſignita ſunt, vt libertates, dotes, teſtamenta militum, & ſimilia. *l.in fraudem.in fin. de teſt.* Quod verum, niſi priuilegium illud tolleretur: non enim veriſimile eſt generalibus verbis voluiſſe legiſlatorem corrigere eo, quæ fauore ſpecialis cauſæ indulta ſunt: vt hac in re ridiculi ſint, qui contraria prodiderunt. *l.1.3.vel.ſolut.matrim.*

BRECHÆVS.

IN GENERALI. ¶ Hoc accipiendum niſi aliud ea mente teſtatoris deprehendatur, *vt l.licet.& ibidem Bart.& doct.ff.de leg.1.* Quemadmodum in generali conceſſione, non veniunt ea quæ quis alioqui non eſſet in ſpecie veriſimiliter conceſſurus.

FORNERIVS.

IN GANERALI. ¶ In illo decemuiralis legis verſu [Vti quiſque legaſſit.] *l.1.de leg.Falcid. Nouell.22.* legandi verbo non heredis modò inſtitutio, ſubſtitutio, legatum, fideive commiſſum, continebatur, ſed & libertas. *l.120.verbis.ſ.h.t.* Vt enim aditione hereditatis legata & fideicommiſſa ſic & libertates confirmantur *l.24.ſi plures.de vulg.& pup.* Vt rupto vel irrito teſtamento, vel imperfecto, vel per querelam inofficioſi reſciſſo, nec legata nec fideicommiſſa debentur, ita & libertates intercidunt. *l.8.Papinianus.ſi.de inoff.teſt.l.17.filio.de iniuſt.rupt.irrit.teſt.l.23.ex imperfecto.de leg.3.* licet iure nouo ſola heredis inſtitutione vitiata, cætera rata maneant. *Nouell.*115. ¶ Poſtremò in generali legatorum petitione, id eſt, repetitione a ſubſtituto legatæ, libertates quoque repetitę intelliguntur, hîc. Quod cum & ab Iaboleno perſpicuè tradatur. *l.77.cum in.de leg.3.* Minimè Accurſij [petitione, id eſt, repetitione] expoſitionem, Florentinæ editionis fide, & Græcæ paraphraſeos auctoritate ſubnixam aſpernabor: τῇ γενικῇ τῶν ληγάτων ἐπαναλήψει καὶ ἐλευθερίαι ἀνέχονται. Repetitio autem fit vel codicillis poſt teſtamentum factis, vel alio teſtamento poſteriore, vel in ſubſtitutione. *l.19.legata.l.32.ſi quis à filio.de leg.1.l.63.in repetundis.de leg.3.l.28. Aurelius.§.teſtamento.de liber.leg.l.113.ſeruo.de legat.3.* Iure veteri relicta ab inſtituto legata, non præſtabantur à ſubſtituto. Cicero *Topic.* [Si paterfamilias vxori ancillarum vſumfructum legauit à filio, neque à ſecundo herede legauit, mortuo filio mulier

vſumfructum amittet.] ſed hodie, videntur in dubio quæ ab inſtituto relinquebantur, à ſubſtituto repetita: niſi voluntas teſtatoris ex coniecturis collecta refragetur. *l.74.licet.de leg.1.* Conditiones etiam in teſtamentis repetitæ intelliguntur *l.54.ſi purè.d.l.63.in repetend.de leg.3. l. vlt. de reb. dub.* Vt ecce, [Stichus liber eſto, Si rationes reddiderit, eidem fundum lego:] eadem poſteriori, quæ priori iniecta legato eſt, conditio ineſt. Libertis lego domum, ita vt de nomine meo non exeat, & adiicio, [Eu amplius illis lego fundum,] appoſita priùs de non alienanda domo conditio, ad poſterius de fundo legatum pertinet *l.82.cum ſeruus.l.107.libertis.de cond.& demon.* Seruo alieno fideicommiſſum ab vno ex heredibus ſub conditione datur, eidem heredi ſubſtituitur, quamuis purè: Tamen ſub eadem conditione ſubſtitutio facta videtur. *l.83. Latinus.fin.de leg.2.* Nepote ſub emancipationis conditione inſtituto, poſteà codicillis adiicitur, [Huc amplius prædia illa ei lego.] conditionem emancipationis tacitè repetitam videri placet. *l.77. anta.de cond.& demonſt.* ❡ Sed quoniam paulùm emanentes à via militari deflexímus, liceat impunè latiùs euagari. In primis igitur, animaduertendum eſt, adiectam heredis inſtitutioni conditionem ſubſtitutioni non ineſſe: & ſub conditione inſtituto herede, purè ſubſtituentem conditionem minimè repetere. *l.73.ſub conditione.de her.inſtit.* Satis enim viſa eſt ſubſtitutioni inſita conditio, & quod ab inſtituto legata præſtentur ab inſtituto: & quod quæ in inſtitutione exprimuntur partes, eædem in ſubſtitutione quoque retineantur. *l.72.ſi quis heres.de acqui.her. d.l.74.licet.de leg.1. l.8.qui liberis fin.de vulg.& pup.* ❡ Obſeruandum etiam, eandem in tranſlato vel adempto legato conditionem permanere: id eſt, ſub eadem qua relinquebatur conditione transferri. Niſi prior conditio prioris legatarij perſonæ cohæreret, vt minus aptè poſteriori conueniat. *l.36. Publius.l.59.in facto.de cond.& demonſt.l.24.legatum.de adim.leg.* Nec obſtat *l.62.filia.§.1.ad S.C.Trebell.* nulla videlicet in priori legato inſita conditio fuit: cuius præſtatio, fauore alumni in tempus differtur: ita fruſtrà de repetita puri legati conditione quæritur. ❡ Sed iam ex hoc diuerticulo in caſtra redeuntes, de libertate videamus: an inſtitutionis conditio in legato eidem perſonæ, eodémque teſtamento facto repetatur? Quod videtur *d.l.77.anta.l.60.duos.de cond.& demonſt. l.18. cum ſeruus.de cond.inſtit. l.vlt.fin.de dol.mal.except.* Sed hoc in legato libertatis, cui priùs adſcribebatur conditio, verum eſt: aliter atque ſi pòſt. Nec enim priùs aſſcripta conditio, cenſetur in legata libertate repetita. *l.14.cum ſeruus.de manumiſſ.teſt.* Cui non aduerſatur. *l.21. Trebatius.§.1.de her.inſtit.* Vbi data purè ſeruo libertate, eidémque hereditate ſub conditione relicta, vtrunque à conditione pendere videri poſſit, niſi locus ille ſuam à proximo (nempe *l.22.eod.tit.*) lucem mutuaretur: Vt expleta conditione liber & heres ſit: deficiente, liber tantùm. Nam libertatem ſine hereditate ſeruo dari nihil prohibet: At hereditas ſine libertate fruſtrà datur: Imò hodie ſeruus ſcriptus heres, ipſa inſtitutione liber efficitur *l.pen.C.de neceſſ.ſeru.hered.inſtit.* ❡ Poſtremò de generali & ad plura capita pertinente conditione ambigitur. Quod ipſum ex coniectura, vel verbis eliciendum, tribus ferè regulis continetur, ex *l.39.quæ conditio.de cond.& demon.* I. ❡ Si conditio prima teſtamenti parte, ante omneis gradus inſeratur, poſtremóve loco poſt omneis gradus ſubiiciatur, vniuerſi teſtamenti conditio cenſebitur: æquè ad omneis perſonas gradúſque referetur. *l.74.mulieri. de cond.& demonſt.l.3.§.filius.de lib.& poſthum. l.98.ſi plures. de legat.3.l.2.C.de impub.& aliis ſubſtit.* II. ❡ Si inſtitutionum conditio inter plures perſonas, gradúſve inſeratur, quaſíque media interiiciatur, ad præcedentes tantùm referetur, nec ad poſteriores pertinebit. *l.73.ſub conditione.de hered.inſtit.* In legatis autem faciliùs, quàm in inſtitutionum gradibus de repetita conditione coniectura capitur. *l. vnic. §. pro ſecunda. C. de caduc. tollend.* III. ❡ Si conditio non quidem inter plures gradus, verùm plures vnius gradus inſtitutorum legatariorúmve perſonas adſcribatur, ad præcedétes ſolùm referetur *l.vlt.§.Scio.de leg.2.* Excipe filiifamilias exheredationem. *d.§.filius.*

LXXXI. IDEM lib. x. ad Plautium.

CVM prætor dicat, vt opus factum reſtituatur, etiam damnum datum actor conſequi debet: Nam verbo reſtitutionis omnis vtilitas actoris continetur.

ALCIATVS.

CVM PRÆTOR. ❡ In interdictis (inquit prætor) quod vi aut clam factum eſt, reſtituas: item, quod quis ſpreta nunciatione noui operis fecit, reſtituat, & id genus ſimilia. ❡ Explicat Iuriſconſultus quid reſtituendum ſit, & non ſolùm opus. *l.ſemper.§.in hoc. ſuprà quod vi.* ſed etiam omne damnum reſarciendum eſſe teſtatur: hanc enim eſſe vim huius verbi reſtitutionis. *l.antep.§.fine.s.de oper. non.nunc.* Sed dubium eſt, cùm hic dicitur damnum reſtitui, an etiam ratio lucri ceſſantis habenda ſit. Et extat reſponſum apud Baldum *conſil. 152. in 1.* in ſimili ſpecie, eius, qui conuenerat damnum reſtituere: exiſtimat enim huius lucri rationem non habendam: aliud eſt enim damnum, aliud ceſſatio lucri. Sed hæc ſententia hoc reſponſo confutatur, quo omnem vtilitatem reſarciendam ei eſſe teſtatum eſt, cui damnum debat reſtitui. ❡ Itaque ego hæc verba ſecundum legis diſpoſitionem interpretor, vt in caſibus, in quibus de iure ceſſantis lucri ratio habetur, qui damnum reſtituere promittit, etiam ad id lucrum teneatur. Regulariter autem traditur, lucri quod quis veriſimiliter feciſſet, rationem habendam, præterquam ſi cum alterius iniuria lucrum illud acquireretur. *l.ſi vs cus.de furt.* ❡ Idem in emptionis contractu ſeruatur. *l.ſi ſterilis.§.cum per ven.de act.emp.* cùm enim emptor, ſi pecuniam non det, in legitimis ſolum vſuris condemnetur, non fuit æquum, vt venditor, ſi rem non tradat, grauiùs puniretur, ceſſantiſque lucri rationem reſolueret.

BRECHÆVS.

CVM PRÆTOR. ¶ Qni iudicis ſententia damnatus eſt opus factum reſtituere, videlicet priſtinæ integritati, id ipſum quod abſque aliqua noui operis nunciatione ſactum erit deſtruendo teuetur etiam præſtare damnnm datum ob nouum ædificum. In quo etiam lucri ceſſantis habenda erit ratio, ſecundum Alciati calculum. De reſtituendi verbo, diximus ſuprà, *in l. reſtituere.*

FORNERIVS.

CVM PRÆTOR. ¶ Quotieſcumque opus illicitè factum reſtitui iubet prætor: quod in pleriſque interdictis accidit, vt noui operis nunciatione, ne quid in loco publico, religioſóve, & quod in flumine publico, ripáve publica factum erit, ſi quid vi aut clam, & cæteris id genus: verbo reſtitutionis omnis actoris vtilitas continetur. Id eſt, ita fiat reſtitutio, vt actoris conditio in eadem cauſa ſit, ac ſi nihil eſſet factum. *l. 1. §. 1. l. 20. prætor. §. aut de nou. op. nunc. l. 15. ſemper. §. in hoc. quod vi aut clam. l. 2. §. meritò. §. reſtituas. ne quid in loc. publ.* Sed tranſlatitia totiéſque inculcata huius verbi notatio, nec quid ampliùs hìc congeram, admonet: ſi hoc vnum pro coronide ſubiecero, [Dicat] hìc Paulo, pro [interdicat] vſurparum videri. Nam Græci vertunt, *διακαλεῖται*: ſed legendum, *διαλαλεῖται*: id eſt, interdicit. Solemnia quidem Prætorum verba fuiſſe tria Varro tradit, [Do, dico, addico.] Sed nihil interdicendo definiebant, at interloquebantur tantùm, litémque præparabant. *l. 1. ſi de aqu. quotid.* Theophilus, interdictum definit *ὁμιλίαν ἢ τέρματα τὴν ὑπόθεσιν, ἀλλὰ ῥυθμίζοντα τὸ δικαστήριον, ὅπως χρὴ κρίνειν διὰ τῆς ὑποθέσεως.* Interdicta etiam *παραγγελίας* vertunt Græci, & *παραγγέλματα*. Baſilicôn *lib. 58. tit. 14.* ¶ Sed deſinamus nunc plura: ne diſputationis in opportunius differendæ tempus anſam ipſi nobis præripuiſſe videamur.

LXXXII. IDEM lib. xiiij. ad Plautium.

VERBVM [Amplius] ad eum quoque pertinet, cui nihil debetur. Sicuti ex contrario minus ſolutum videtur, etiam ſi nihil eſſet exactum.

ALCIATVS.

VERAVM AMPLIVS. ¶ Amplius & minus, comparatiua quamuis ſint, tamen ex ſubiecto argumento vim comparationis quandoque admittunt. *l. minus. ſuprà eod.* ponitúrque amplius pro toto, minus pro nihilo: verbi gratia: Quis promiſit ſe reſtituturum, ſi quid legatorum nomine ceperit amplius quàm per legem Falcidiam liceat: emergit ingens æs alienum, per quod legata omnium extinguuntur. *l. 1. §. hac verba. ſi cui plus quàm per leg.* certè totum reſtituere debebit, licet ea dictio ex proprietate ſermonis partem tantùm comprenderet. ¶ Finge conſtitutum eſſe, vt ſi prætor aliquem condemnauerit, ampliùs quàm debeat. *Bart. l. ſi ſeruus. §. ſi ita. de leg. 1.* ipſe certa pœna adficiatur: quamuis in tota ſumma quis indebitè fuerit damnatus prætor verbis legis punietur. ¶ Illud non prætereundum, hanc dictionem ſi pronomen illi addatur, rerum repetitionem facere. *l. ſi ſic. de leg. 3.* veluti cùm dicitur, hoc amplius, vel eo amplius, vel amplius quàm talem rem. Si verò ſimpliciter apponitur, actum legandi ſolùm repetere, non ipſam rem. *d. §. ſi ita.* & ita frequentiùs traditur. ¶ Cæterùm & minus aduerbium poſitiuo adiunctum contrariæ ſignificationis comparatiuum demonſtrat: vt, minus ſtultus, id eſt, prudentior. Terentius in Eunucho: Hoc nemo fuit minus ineptus, id eſt, aptior, vt Priſcianus interpretatur.

BRECHÆVS.

VERAVM AMPLIVS. ¶ Scribunt doctores noſtri verbum amplius, aliquando augere, nonnunquam etiam minuere. Vt ecce, qui Titiæ vxori ſuæ ita legat. Titiæ amplius quàm dotem aureos tot heres meus damnas eſto dare: manifeſtum eſt dotem etiam prælegaſſe: videlicet vt præter dotem, aurei legari ſint: & ipſos quidem aureos vna cum dote vxor conſequatur, ſicuti ſcripſit Iulianus in *l. qui ita. ff. de dot. præleg.* Quòd ſi ita ſcriptum erit. Amplius quàm Titio legaui, heres meus Seio decem dato: dubitandum non erit, quin & Titio ſuum legatum maneat: & Seio nihil vltra decem debeatur. Itaque hoc loco, amplius, neque augere, neque imminuere videtur: ſed ſolum adæquare. Nam cùm dixit teſtator, amplius quàm Titio legaui, videtur tantundem legare voluiſſe Seio, neque amplius, quàm Titio legauerat. Quandoquidem & vſitatum eſt fere ſic legare, Lucio Titio tot, & hoc amplius, vxori & liberis eius tot. Alphenus in *l. ſi ſeruus. §. ſi ita. ff. de leg. 1.* vbi hæc verba, hoc amplius, viſa ſunt augendi vim habere: eſſéque perinde ac ſi dixiſſet, Lucio Titio centum, & his amplius: id eſt, ſupra centum, vel magis quàm centum. Quo loquendi modo Latini in hunc ſenſum vtuntur. Cæſar *lib. 3. de bello Gallico.* Ita commutata fortuna, eos qui in ſpem potiendorum caſtrorum venerant, vndique circumuentos interficiunt: & ex hominum millibus amplius triginta, quem numerum Barbarorum ad caſtra veniſſe conſtabat, plus tertia parte interfecta. Et iterum eodem, quum iam amplius horis ſex continenter pugnaretur, &c. id eſt, magis quàm ſex horis. Idem *libro ſeptimo belli Gallici.* Omnium conſenſu, hac ſententia probata, vno die amplius viginti vrbes Biturigum incenduntur: id eſt, magis quàm viginti vrbes *τετ' δὲ καὶ πρὸς* à Græcis. Iſæus *πρόσοδος δ' αὐτῷ δύο καὶ εἴκοσι μναῖ, καὶ πρός*, id eſt, ipſe quidem prouentus, duo & viginti mnæ & amplius. Iungitur etiam eleganter accuſatiuo. Liuius capta amplius duo millia hominum: minus duo millia circa muros cæſa. Virgil. *Æclog. 3.*

Dic quibus in terris,(& eris mihi magnus Apollo,)
Treis pateat cœli ſpatium non amplius vlnas?

¶ Item eum genitiuo aliquando ponimus. Vt apud Cæſarem *lib.6.belli Gallici:* petunt atque orant vt ſibi pateat, ne communi odio Germanorum innocentes pro nocentibus pœnas pendant: ſi amplius obſidum vellet, dare pollicentur, id eſt, plures quàm iam dederant obſides. Sic ſi his verbis teſtator legauerit: Lucio Titio liberto meo amplius centum do lego. cenſeretur ipſe teſtator aliquid vltra eadem centum legaſſe. Verumtamen quòd ea indefinita oratione dubium incertúmque in quantitate redderetur legatum, magis eſt vt hoc loco, verbum, amplius, nihil augeat: ſed potius ſit confirmationis loco. *d.§.ſi ita ſcriptum.* Itaque cenſebitur ea tantummodò centum legaſſe. Quòd ſi legauerit triginta amplius centum, rectè legatum erit. Quemadmodum qui vxori centum præter dotem legauit, videtur etiam dotem prælegaſſe. *l.Seia.§.vxoris.ff.de annu.leg. Bart.in d.l.qui ita.ff.de dote præleg.* Quid ſi ſcripſit ita: lego centum ſupra dotem, an videatur dos legata? Reſpondet Iacobus Aret. eſſe legatam. Nam verbum, ſupra, includit dotem, ſicut verbum amplius. Citat in hanc rem *l.diuortio.verſic.item ſi locatio.ſol.matr.& l.ſi vno.§.pen.ff.locat.* Sic Bart. *in d.l.qui ita.* vbi tradit in eandem ſpeciem eſſe ſcriptum, in *l.Seia, cum glo.de dote præleg.* & eundem Iacob. Aret. Idem de dictione vltra, ſentire. Sed ſi ei cui nihil legatum eſt cum hac adiectione, hoc amplius, aliquid legetur, minimè dubitandum eſt, quin id quod ita legauerit, debeatur. Multóque minus dubitandum, ſi ab eo qui nihil mihi debet, ita ſtipulatus fuero: amplius quàm mihi debes, decem dare ſpondes? quin decem debeantur. *d.l.ſi ſeruus.§.ſi ex cui.ff.de legat.1.* ¶ Eſt itaque quod hoc capite Iuriſconſultus voluit, hoc verbum amplius, ad eum pertinere, cui nihil debetur. Sicuti è contrario, minus ſolutum videri etiam ſi nihil eſſet exactum. Vide quæ ſcripſi ſuprà, *in l.Minus ſolu.*

FORNERIVS.

VERBVM. ¶ Nemo ambigit quin his verbis, [Amplius, magis, minus,] regulariter augendi vis inſit, & quædam tum rerum ac perſonarum: tum quantitatis comparatio. *l.7.iuriſgentium.ſi.l.ſeq.de pact.l.7.cum hi.§.ſi quis.de tranſ.l.vlt.§.pen.C.de donat.ante nupt.l.29.mariti.§.pen.ad legem Iul.de adult.* [minus ſoluere, minus, amplius impendere.] *l.12.vt ſi.l.117.non poteſt.l.202.cum in teſtamento.ꝗ.h.t.* ¶ Interdum tamen aliter accidit, vt *l.32.minus.ꝗ.h.t.* oſtendimus. Vſitata hæc formula [Hoc amplius.] aliàs auget, aliàs minuit legatum, aliàs neutrum. *l.108.ſi ſeruus.§.ſi ita.de leg.1.l.3.§.hac verba.ſi cui plus quàm per leg.Falc.* Auget & coniungit. Vir vxori amplius quàm dotem aureos 10. legando, dotem quoque legaſſe cenſetur. *l.3.de dot.præleg.* In veteri lapide, [Huic dono Lucretia Campana amplius nomine ſuo coronam auream adiunxit.] Iſtius quoque clauſulæ in codicillis adiectione legata teſtamento data confirmantur. *l.19.legata.de leg.1.* Sed & coniungendi, & repetendi vim obtinet. *l.13.ſi ſic.l.34.nomen.l.54.ſi purè.de leg.3.l.vlt.de reb.dub.*

LXXXIII. IABOLENVS lib. v. ex Plautio.

PROPRIE bona dici non poſſunt, quæ plus incommodi, quàm commodi habent.

ALCIATVS.

PROPRIE. ¶ Cùm ſuperiùs dictum ſit, bona intelligi ære alieno deducto, oſtendit hîc generaliter Iuriſconſultus, qualecunque incommodum ſit, etiam ſi aliud quàm æs alienum, eius reſpectu propriè bona non dici. ¶ Quotieſcunque ergo alicui ſunt prædia maioris incommodi, quàm vtilitatis: is bona ea rectè non appellauit: & ideo permittitur eccleſiæ ſine aliqua ſolennitate huiuſmodi prædia alienare. *§.pen.in auth.de non alien.* tanquam bona non ſint: quod & in minore plerique ſenſerunt. *Iaſ.l.2.ꝗ.de offic.eius.* ¶ Quandoque tamen appellatione bonorum etiam æs alienum comprehenditur, itémque ea, in quibus plus incommodi eſt, vt in bonorum poſſeſſione. Sed quid in legatis? pone eum qui 60. habet, aliis 30. mihi tertiam partem bonorum legaſſe, 20. ne, an 10. conſequar? & 20. me conſequi, nec quæ aliis legata ſunt, deduci Bartolus cenſuit. *in l.ſi quis ſeruum.§.ſi.de leg.2.* quamuis enim deducto ære alieno bona intelliguntur, quæ tamen legata aliis ſunt, æs alienum ipſius teſtatoris non erant: quòd ſi ea huiuſmodi fuiſſent, vt in illis lex falcidia locum non haberet, qualia ſunt quæ ad pias cauſas transferuntur. *Auth.ſimiliter.C.ad l.Falcid.* de mea ſolùm portione fiet deductio: vnde in propoſita ſpecie cæteris legatariis 30. mihi decem, heredi 20. relinquentur, & ita plerique tradiderunt.

BRECHÆVS.

PROPRIE. ¶ Diximus ſuprà quemadmodum ea proprio, aut improprio vſu καὶ καταχρηστικῶς, ſint verba accipienda: & quid propria bonorum appellatione veniat in *l.bonorum.& in l.ſubſignatum.§.bona.& in l.princeps bona. hoc ipſo tit.* Sed nunc traditur expreſſius, non poſſe ea bona dici quæ potius nobis ſunt detrimento & incommodo, quàm vel vtilitati vel auxilio: cùm ideo bona dicta ſint quòd beent homines, id eſt, beatos efficiant: quod ipſum latius ſuprà attigimus. ¶ Sunt autem verba propria, quæ id ſignificant in quod primo denominata ſunt, tranſlata, cùm alium natura intellectum, alium loco præbent, aut autore Quintiliano *libro primo Inſtitutionum orato. cap.10.* Proprium autem ſecundum Logicos, (quod quadrifariam diuiſit Porphyrius) eſt quod in ſola totáque ſpecie, idque ſemper intelligitur: vt in homine natum eſſe ad riſum: in equo, ad hinnitum. Et hoc eſt proprium quartó modo ex ipſo Porphyrio.

¶ Eodem exemplo, bona licet appellare propria ſignificatione quæ ſemper proſunt & eadem ſunt poſſidenti vtilia: ſed quæ ne minimum quidem habeant incommodi, Græci χρήματα dicunt fortunæ copias, & bona facultatéſque hominum, ſeu res ſint immobiles, ſeu mouentes ſeſe τατ' ἐπὶ οἰκία, κτήματα, βοσκήματα, τὰ ὑπάρχοντα τὰ ὄντα παρὰ τὸ χρήσιμα εἶναι: ἢ παρὰ τὸ χρῆσθαι ſecundum Etymologicum ab vtilitate vel vſu ἀπὸ τῆς χρήσεως. ¶ Quocirca, quæ nulli vſui, nulli item ſunt vtilitati, in bonis habenda non eſſe conſtat.

FORNERIVS.

PROPRIE. ¶ Ea demum bona cenſentur quæ beant, quæque vtilitatem afferunt: omni ære alieno libera ſolutáque poſſidentur. *l.49. bonorum.* ‡. *h.t.* ſicuti fructus percepti, qui deductis impenſis ſuperſunt. *l.4. de oper. ſeru. l.7. fructus.* §. *impendia. ſol. matr.* Quod fructuum cauſa neceſſariò impenditur, onus fructuum eſt, cúmque fructibus compenſatur. *l.5. l. pen. de impenſ. in res dot.* Nec ad rem pertinet, quod *l.3. de bon. poſſ.* dicitur. Eſt enim bonorum poſſeſſio prætoria, vice hereditatis, commoda pariter damna continens, iuris magis intellectu conſtans ſucceſſio, quàm corporis poſſeſſio. *l. 119. hereditatis.* ‡. *h. tit.* Hîc de viuentis patrimonio ac bonis agitur, deducto omni ære alieno. *l.39. ſubſignatum.* ‡. *hoc tit.* Concilio Agathenſi permittitur epiſcopo non expectato collegarum conſenſu infœcundos eccleſiæ fundos alienare. *can. terrulas. 12. q. 2.* Non idem tutoribus licet: Etſi prædium pupillare ſterile, ſaxoſum cauſentur & infructuoſum: locare debent non vendere. *l. pen. de reb. eor.* Peſtilens fundus. *l. pen. C. de adilit. act.* τὸ χωρίον τὸ νοσῶδες. Iſocrates Æginet. Qualis Pupinia ab Attilio colebatur. Columella *lib. 2. cap. 4.*

LXXXIIII. PAVLVS lib. ij. ad Vitellium.

FILII appellatione omnes liberos intelligimus.

ALCIATVS.

FILII. ¶ Filium plerique ab amore dictum volunt quaſi φίλιον, ſed ſyllaba refragatur. Ipſe magis a Græco ſermone υἱὸς dictum arbitror, addito ex more Æolico digammate Φυὸς, ſicuti Φελένην ἑλένην dixerunt. Æolico autem ſermoni noſtrum ſimillimum eſſe Fab. Quintilian. tradit. Prior tamen deriuatio à cæteris approbatur, atque hanc eſſe rationem exiſtimant, quòd etiam nepotes filij dicuntur, cùm & in illis ſit mutuus aui amor. Ipſe ex ſermonis proprietate appellatione filij nepotem contineri non arbitror. *l. quod ſi nepotes. de teſt. tut.* ſed ex interpretatione, quæ in diſpoſitione legis generaliter procedit. *l. filius. ad Maced. l. ſenatus. de rit. nupt. l. 2. §. ſi mater. ff. ad Tertul.* & id etiam in odioſis, niſi ratio diuerſa aliud ſuadeat. ¶ Ecce, miles à tutela præterquam filij commilitonis excuſationem habet, quid ſi ſit nepos? certè in eo eſt diuerſa ratio: quia pater non militauit, licet auus fuerit miles. *l. ſed & milites. de excuſ. tut.* ¶ Rurſus filij fideicommiſſo grauati tametſi volente teſtatore fructus in rationem quartæ non imputant. *l. Iubemus. C. ad Treb.* quod in ſolatium grauaminis lex illis ſpecialiter indulſit, ergo ad alios trahendum non eſt. ¶ At in diſpoſitione hominis, qui de filio loquitur, de nepote non intelligetur. *§. ſi inſtit. qui dar. tut.* nec enim in eiuſmodi materia fit extenſio, niſi alicunde de mente coniiciamus. *l. liberorum.* ‡. *eod.* vt cùm alioquin dura ſeparatio induceretur. *l. Lucius. de her. inſtit.* vel extranei ſuis præponerentur, vel vſus teſtatoris hoc ſuaderet. *l. alimenta. de alim. legat.* Idem ſi natura contractus eſt, vt cùm clieus beneficiarium fundum pro ſe & filiis accipit. *Iaſ. §. inſtituens. in l. Gallus.* natura enim huius contractus eſt, vt in nepotes tranſmittatur.

BRECHÆVS.

FILII. ¶ Filium plerique ἀπὸ τοῦ φίλου dictum exiſtimant, quòd nullus æquè cenſeatur amor ac inter patrem & filium, nullus item eſſe debeat: vnde Cicer. *ad Atticum* στέργειν φυσικήν εἶναι πρὸς τὰ τέκνα dixit, id eſt, erga filios genuinam & naturalem beneuolentiam eſſe: quod Alciato non placet: putátque potius à ſermone υἱὸς addito, ex more Æolico digamma: vt ſit Φυὸς, vnde forſan Picardi ſuum verbum, fieux, deſumpſerunt. ¶ Ego verò filium à filo deductum magis arbitror, quòd ſæpius filij faciem formámque patris aut matris referre ſoleant, vt Virgil. *Æneid. 3.* de Aſcanio puero, Aſtyanactis imaginem referente.

Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat.

Nam & filum id aliquando ſignificat, & lineamenta faciei. Aulus Gellius *lib. 14. Noctium Attic. cap. 3.* Condignè (inquit) mehercule, & condecorè Chryſippus in librorum qui ſcribuntur περὶ καλοῦ καὶ ἡδονῆς, primo, os & oculos Iuſtitiæ vultúmque eius ſeueris atque venerandis verborum coloribus depinxit. Facit quippe imaginem iuſtitiæ, fierique ſolitam eſſe dicit à pictoribus rhetoribúſque antiquioribus ad hunc fermè modum, forma atque filo virginali, aſpectu vehementi & formidabili, luminibus oculorum acribus neque humilis neque atrocis: ſed reuerendæ cuiuſdam triſtitiæ dignitate, &c. ¶ Vel dicitur à filo filius, quòd ipſe ex patre progenitore, veluti filum quoddam ducitur. Theodoretus *libro primo* ἑλληνικῆς ἱστορίας. *cap. 4.* καὶ κατὰ τοῦτο, καὶ τὸ ἀεὶ εἶναι τὸν υἱὸν ἐκ τοῦ πατρὸς πεπιστεύκαμεν. ἀπαύγασμα γὰρ ἐστι καὶ χαρακτὴρ τῆς πατρικῆς ὑποστάσεως, id eſt. Et ſecundum hoc ipſum, atque etiam ſemper filium ex patre eſſe credimus. Quandoquidem forma eſt & ſplendor paternæ ſubſtantiæ. Sed de filio Dei intelligit. Quapropter mihi quidem ſanctè videtur Plato *libro ſexto de republic.* ἢ περὶ δικαίου dixiſſe Solem boni filium, id eſt, imaginem ſummi Dei patris primam: vt ſuper hunc viſibilem imaginatiúmque filium poſſis inuiſibilem & archetypum contemplari,

ſecundum

ſecundum Marſilij Ficini commentum. Sed & Euripides dixit filios parentum eſſe animam. Et Ariſtoteles *in Moralibus*, vincula & nexus parentum filios. Poëtę præterea, vt author eſt Gellius *libro* 15. *cap.* 21. appellarunt virtute, prudentia, & viribus præſtantiſſimos Iouis filios, vt Æacum, Minoa, & Sarpedona. Ferociſſimos & immanes, & alienos ab omni humanitate, tanquam è mari genitos, Neptuni filios dixerunt, Cyclopa, & Cercyona, & Leſtrygonas. ¶ Cæterùm υἱὸς à Grçcis, id eſt filius, λέγεται παρὰ τὸ ὕω τὸ βρέχω, ὁ τῆς πατρὸς καὶ τῆς μητρὸς ὢν εὐφρασία. Quæ verba proluere, rigare, potare, & pluere ſignificant. propterea (ait Etymologicus) quòd & patris & matris eſt gaudium & lætitia, filius. Quam Etymologiæ rationem non ſatis hercule perſpectam habeo. Crediderim, quòd rectiùs υἱὸς καὶ ὑιός, ἀπὸ τῆς φύω καὶ τὸ γεννῶ, φύος καὶ υἱός, dicatur: quaſi ſatus & genitus. Vnde Virgilius.

- Sate ſanguine diuûm.

Tros Anchiſiade.

¶ Vnde etiam & φύσις, quòd ſemper naſci aliquid faciat. Eſt igitur filius, φύος τοῦτ' ἐστὶ υἱός, qui ex patre matréque ſatus prodiit: hinc pater ſator & genitor dicitur.

Subit (inquit Virgil.) *Chari genitoris imago.* Et rurſus, *Hominum ſator atque deorum.* De Ioue omnium patre loquens. ¶ Quare non immeritò & Latini patrem dixerunt: quòd (vt ait Varro optimus linguæ Latinæ author) patefaciat ſemen. Nam tum eſt conceptum & idem cùm exit quod oritur. Græcis autem πατήρ: id eſt, παῖδας τηρῶν, filios ſeruans, apud Etymológicum authorem. Qua ratione rectè Deum, Patrem vocamus, quòd omnium & ſator ſit, & ſeruator. Nam, vt ait Hermes triſmegiſtus in ſermone ad Æſculap. Pater eſt ob eam cauſam quòd omnia gignit. Patris enim officium eſt omnia generare. Antiqui autem Deos, patres vocabant. Vnde apud eos nomen religionis erat, quemadmodum & dignitatis, & reuerētiæ: vt qui Senatores patres appellarent: quos Romulus centum numero, reipub. curæ præfecerat. ¶ Significat etiam pater, proauos, tritauos, abauos, maiores, & qui multis ante nos ſæculis extiterunt. Vnde à patribus noſtris accepiſſe dicimus, id eſt, ab antiquis & maioribus. Itaque cùm pater directo aſcendentium gradu, ad auos, tritauos, & vltra, protrahi ſoleat. Filius è contrario, in recto deſcendentium tramite ad nepotes, & trinepotes extenditur. Vnde in ſacro CHRISTI Euangelio ſcriptum eſt IESVM CHRISTVM eſſe filium Dauid, filium Abraham. Et alio loco, de Iudæis CHRISTVM alloquentibus his verbis ὁ πατὴρ ἡμῶν Ἀβραάμ ἐστι. Pater noſter Abraham eſt, cùm tamen ipſe pater Abraham, atque etiam Dauid infinitis propemodum ante ipſos ſæculis extiterint. Quod D. And. Tiraquellus *in tractatu, de iure primogeniorum* etiam adnotauit. ¶ Ergo filiorum appellatio ad nepotes, id eſt ad poſteros in infinitum καὶ κατὰ ἀδιέξοδον protenditur: hoc enim nepotis verbum ſignificat. Horatius *lib. Epod. Od.* 7. *in bellum ciuile.*

Vt immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

Et Virgilius *lib.* 9. *Æneid.*

Attollens humero famámque & fata nepotum.

Et alibi *lib.* 6.

At pater Anchiſes penitus conualle virenti
Incluſas animas, ſuperúmque ad lumen ituras
Luſtrabat ſtudio recolens: omnémque ſuorum
Fortè recenſebat numerum, charóſque nepotes.

Seruius hoc loco, nepotes, poſteros interpretatur, quemadmodum per nurus (inquit) fœminas dicunt. ¶ Cùm itaque Paulus hoc loco tradat filiorum appellatione omnes liberos intelligi, verbo autem liberorum, nepotes & pronepotes cæteróſque qui ex eis deſcendunt, contineri Calliſtratus *lib.* 2. *quæſtionum* ſcripſerit. *l. Liberorum.* ℸ. *h. t.* Sanè conſequens eſt, vt etiam dicamus filiorum nomen ad nepotum pronepotúmque ſignificationē extēdi, & poſteritatem denotare. Idē quoque ſcripſit Iulianus in *l. iuſta.* ℸ. *h. t. & l. Natorum appellatio.* in ſumma, quemadmodú nomine patris & matris omnes in directa linea aſcendentes complectuntur, ſic omnes in infinitum deſcendentes filiorum appellatio latè comprehendit. Quæ fuit Innocentij ſententia *in cap. Si verò, ſub fin. de ſenten. excom.* Et hæc quidem ſic accipienda ſunt, niſi vel ratio, vel loquendi vſus aliud ſuadeat. Nam (Iulianus ait) cùm vir vxori quandocunque liberos habebit, fundum legat, ſi mulier diuortio facto liberos ex alio procreauerit, deinde ſoluto ſecundo matrimonio, ad priorem maritum redierit, non intelligitur impleta cōditio: quod teſtatorem veriſimile non eſt de his liberis ſenſiſſe, qui ſe viuo ex aliis ſuſcepti fuiſſent. *l. Cùm vir. ff. de condit. & demonſtr.* Quo loco cenſuit Bartolus, cùm inter virum & vxorem de liberis agitur, de filiis ex ſuo matrimonio natis intelligendum eſſe. vt *l. ſi inter. ff. de pact. dotal.* ¶ Ergo ex ſermonis proprietate nepotes filiorum appellatione non veniunt: ſed καταχρηστικῶς, & per interpretationem. Quod Alciatus rectè adnotauit in hunc locum.

FORNERIVS.

FIIII. ¶ Filij ac patris, qui primum cognationis gradum tenent, nomine etiam vlterioris gradus perſonæ veniunt. *l.* 201. *iuſta.* ℸ. *h. t.* vt in edicto de in ius vocando, liberos, vt in parentibus, & vltra trinepotem accipimus. *l.* 10. *ſed ſi. de in ius voc.* Et quia ex omnibus cauſis filiifam. tāquam patresf. obligantur, excepto voto ac mutuo. *l.* 39. *filiusfam. de ob. & act. l.* 1. *ad Se. Maced. l.* 2. *de pollic.* Seruius in illud Virgil. *ipſe parens voueo.* Quanquam verbis ſenatuſconſulti filij tantùm contineantur, iuſta tamen interpretatione, idem & in nepotis perſona ſeruabitur. *l.* 14. *filium. de ſenat. Maced.* D. Auguſtin. *lib.* 4. *quæſt.* 57. 58. 59. *num. cap.* 29. 31. Lex quæ interdicit tutori, ne ſibi filióve pupillam nuptui det, Marcellinus Hermogenis ſcholiaſtes, νόμος, μὴ γαμεῖσθαι, τὴν ὀρφανὴν, μήτε τῷ ἐπιτρόπῳ μήτε τῷ ἐπιτρόπου παιδί. *l. pen. C. de interd. matr. l.* 59. *ſenatuſconſulto. l. ſeq. l.* 64. *libertum. de rit. nupt.* pertinet ad nepotem & auum:

niſi

niſi tutor æquo gradu vtrique coniugum coniungatur, & par affectionis cauſa, ſuſpicionem fraudis amoueat. *l. pen. de rit. nupt.* Hoc an in tutoris datione, inſtitutione, ſubſtitutione, exheredatione, legato, valeat poſtea *l. 220. liberorum. ī. h. t.* diſpiciemus. [Omneis liberos.] ¶ Vert. Maurus qui mendum hic ſubodoratus, quaſi priùs dempta h. aſpirationis indice *omnes* ſcriptum fuiſſet, reſtituit *homines liberos*: me ſubſcriptorem emendationis non habebit: tum quòd & in ſeruis quoque idem obſeruatur. *l. 12. quæſitum. verſ. vxores. de fund. inſtr.* Tum quod hunc locum Græci ſecùs interpretantur: τῇ τῶν ἐμῶν προσηγορίᾳ πάντας τοὺς παῖδας νομίζων. Ecce *Liberos*, non ἐλευθέρους: ſed παῖδας: id eſt filios verterunt, vt Euripidea Hecuba Polixenum filium familiæ anchoram vocat, θεοὶ σώσατε παῖδ' ἐμόν, ὃς μόνος οἴκων ἄγκυρ' ἔτ' ἐμῶν. ¶ Omnes ergo, id eſt cuiuſcunque gradus, ſed & adoptiui, niſi in fraudem fiat adoptio. *l. 7. patris. l. ſeq. de in ius voc. l. vlt. de bon. damnat.* quo loco elegans Adriani reſcriptum refertur. [Fauorabilem apud me cauſam liberorum Albini filiorū numerus facit: cùm ampliari imperium hominum adiectione potiùs, quàm pecuniarum copia malim.] Plinius Fabato *lib. 7. Epiſt.* [Quod verò ſcribis, inquit, oblata occaſione proconſulis, plurimos manumiſſos, vnicè lætor. Cupio enim patriam noſtram omnibus quidem rebus augeri: maximè tamē ciuium numero: id enim oppidis firmiſſimum ornamentum.] Omnes, inquam, cuiuſcunque ſexus, & ordinis: & liberorum quam filiorū voce lubentiùs veteres vſos conſtat. *tit. de lib. exhibendis, agnoſcendis, alendis, præteritis vel exheredatis. tit. de ingratis liberis, & tit. de iure liberorum. C. Th.* & in illa prætoris formula, qua prodigo bonis interdicebatur. [Quando bona paterna auitáque nequitia diſperdis, liberóſque ad egeſtatem perducis. Paul. *lib. 3. ſent. tit. 4.* ¶ Cæterùm nothos ſeu ſpurios, niſi de iure naturæ aut matris ſucceſſione agatur, vel certo patris iudicio conſtet, non haberi filiorum ſeu liberorum loco manifeſtum eſt. *l. 4. l. 5. l. 6. de in ius voc. l. vlt. de iis qui not. infam. l. vlt. de inr. delib.* Scholiaſtes Ariſtophanis Athenienſis legis meminit, τὰ νόθα τῶν πατρῴων μὴ κληρονομεῖν: quæ Romanorum, atque adeò Gallorum iure vſurpatur.

LXXXV. Marcellvs lib j. Digeſtorum.

NERATIVS Priſcus treis facere exiſtimat collegium, & hoc magis ſequendum eſt.

Alciatvs.

NERATIVS. ¶ Fuerunt fortaſſe, qui crederent duobus conſtare collegium: quandoquidem & collegæ dicantur, duo ad idem officium electi. Neratius tamen tres mauult, cuius ſententiam tanquam probabiliorem Marcellus probat. Cùm enim collegium ſit vniuerſitatis nomen, aliquid vltra dualem numerum requirit. ¶ Sunt autem varia collegia, ſicut fabrorum, qui arcendis incendiis inſtituti ſunt: dendrophororum, qui arbores cædunt, & ferrent: centonariorum, qui vilia artificia exercent, quorum artificum quamplures alibi nominantur: *l. fin. de iur. immu. & l. 1. de excuſ. artif. C.* qui quòd tenuiores ſint, poſſunt ſe collegiis cōgregare, & ſtipem conferre. ¶ Permiſſa etiam ſunt maſtigophororū, quos diſciplinatos vocant, collegia, quæ rei ſacræ cauſa conueniunt, ea & ſcholæ, & confratriæ appellantur, quippe varia ſunt nomina, collegium, corpus, militia, commilitium, ſocietas, thiaſus, ordo, cōuenticulum, ſodalitium, quæ eandem ferè vniuerſitatem ſignificant. Sunt autem iure quæcunque collegia prohibita, niſi permiſſa expreſsè reperiantur: habuere enim maiores noſtri ea ſuſpecta, nec multitudinem coire ſine legitimo rectore voluerunt: nam vidimus plerunque etiam ſub ſacri conuentus prætextu, multa improbos aduerſus pudicitiam & leges moliri, quod T. Liuius *lib. 39.* eleganter proſequitur. Extat etiam hac de re Traiani Imper. reſcriptum ad C. Cæcilium Plinium. ¶ Sanè quod de collegio hìc traditur, de familia quoque dici ſupra vidimus. *l. deteſtatio. §. fin. hoc tit.* ¶ Vbicunque autem dubitatur, aliquis in collegium admittendus ſit, an id minùs, pro admiſſione pronuntiandum Baldus reſpondit *in conſil. 183. l. 2.* id enim eſſe fauorabilius. Sed finge ſcholares, ſeu collegas certæ eccleſiæ neminem aliquo defuncto ſubrogare, vt quò pauciores ſunt, eò tutius in ſuos vſus reditus pios vertāt, quomodo prouidebitur? Et puto ſi non minori quàm trium numero ſint, non poſſe cogi vt alios ſubſtituant, vel eligant, & id huius reſponſi argumento, niſi tam ampli ſint reditus, vt rectè adminiſtrari a tam paucis nequeant. ¶ Illud conſtat, negligentes, vel fures, ab epiſcopo amoueri poſſe. *l. nulli. vbi Bald. C. de epiſc. & cler.*

Brechævs.

NERATIVS. ¶ Collegium à colligendo dictum, tradit gloſſ. *in cap. 1. extr. de vſu. in verb. collegium.* Vnde collegas dicimus eos qui ſimul habitant, quaſi vnà ſe colligant. gloſſ. *in l. 1. ff. quod cuiuſque vniuerſ.* quæ etiam M. Varronis ſententia eſt. Eam tamen non ſatis probat Alciatus, qui ab eligendo collegas dictos, quaſi in idem munus coëlectos, mauult: & qui eiuſdem ſunt poteſtatis, vt ſcribit Vlpianus *in l. collegarum. ī. hoc tit.* quos συνάρχοντας Græci appellant. At Theodoretus Cyrenenſis paſſim in ſuis hiſtoriæ eccleſiaſticæ libris τοὺς ὁμόφρονας καὶ ὁμοψύχους συλλειτουργοὺς appellat, id eſt concordes conſentientéſque collegas. Videtur itaque à colligendo dictum verbum collegij, & collega apud Latinos, ſicut apud Græcos συλλειτουργὸς παρὰ τὸ συλλέγομαι, quod apud eoſdem colligere ſignificat: & ἔργον, opus, à quo τοὺς συλλειτουργοὺς dicunt, quaſi ad idē opus collectos & acceſſitos collegas. ¶ Quapropter vt Vlpiani & Alciati ſententia verior mihi videtur eſſe, ita meliùs συλλειτουργοὺς puto dici eiuſdem muneris & adminiſtrationis collegas, ſicut erant Conſules Tribuni Plebis, & ſimiles. Etenim, ſiue ἀπὸ τῶν ἔργων aut τῆς λειτουργίας dicatur, vtrumq; miniſterium, officium, & functionem ſignificat, authore magno illo Budæo *in Commentariis linguæ Græcæ.* Qua ratione συνάρχειν συνάρχοντες, ac collegia, ſunt in quibus qui dant nomen, eliguntur, teſte Alciato *in d. l. collegarum.* ¶ Sed collegiorum

giorum quædam ſunt licita & lege probata, qualia ſunt ea quæ pro ciuili hominum ſocietate, & in artificiis antiquitus comprobatis authoritate publica fiunt, vt tradit Zaſius in *d.l. Quod cuiuſque vniuerſit. ad princip. l. fin. ff. de iure immun.* veluti collegia fabrûm, qui arcendis incendiis inſtituti ſunt: Dendrophorῶν Centonariorum, Maſtigophororum, & alia quæ hic recenſentur ab Alciato, *& lib. 1. prætermiſſorum*, quæ etiam Alexander ab Alexan. *Gen. dierum lib. 1. cap. 26.* commemorat de fratribus arualibus a Romulo primùm inſtitutis. Qui quidem ſic appellantur, quòd ſocij eſſent, & ferè pares, agreſti & paſtoritia ſodalitate coniuncti: quique mutua charitate & fœdere nexi forent. Solduni apud Aquitanos, qui poſtea ab Ægyptus vſurpati, συναποθνήσκοντες, id eſt, cõmorientes, nominati ſunt. Tum demum ſodales Titij, & Auguſtales ſodalitates. Adhæc Saliorum collegia, quorum tanta fuit dignitas, vt nullus in eum honorem admitteretur, niſi qui ex patriciis, & liber, & ciuis patrimus eſſet. Arualium ſiquidem fratrum collegium duodeno numero conſtabat: cuius ſacerdotij inſigne, ſpicea corona erat, & albæ infulæ, vt eſt apud Aulum Gellium *lib. 6. noct. Attic. cap. 7.* Sacra illi publica faciebant. Propterea vt fruges ferrent, à ſerendo, & aruis, fratres aruales dicti ſunt, authore M. Varrone *in lib. de ling. Latina.* Hæc autem collegia Cicero etiam Sodalitates appellat. Is in *libro de Senectute* ſic inquit. Primùm babui ſemper ſodales. Sodalitates autem me quæſtore conſtitutæ ſunt ſacris idæis magnæ matris acceptis. Epulabar igitur cum ſodalibus omnino modicè: ſed erat tamen quidam feruor ætatis, qua progrediente omnia in dies fiunt mitiora. ¶ Sunt item alia his temporibus collegia quæ rei ſacræ gratiâ coëunt: & ea quidem ſunt Scholæ, & quæ Confratriæ appellantur: quas Budæus κατ᾽ ἐξοχὴν dici putat ab eo quòd fratres ſint illi, inter quos cultus ille ſanctorũ quorundam intercedit: ſed propriè Phratrias nominandas eſſe ἀπὸ τῶν φρέατος. Sunt autem (inquit) Phratriæ apud Ariſtotelem, conuentus quidam hominum aut etiam conuenticula, quaſi pagi, propria ſibi ſacra peculiariáque communiter habentium: ab eo dictæ Phratriæ, quòd communi puteo vtantur, quod Græcè φρέαρ. Phratores autem Græcè dicuntur, id eſt eiuſdem phratriæ, vt Tribules. Hodie (dicit idem Budæus) epulones coëpulonéſque dici fortaſſe poſſunt, vt qui plerunque epulandi magis quàm diuini cultus gratiâ conueniant, more Gentilium epulonum. ¶ Quare hæc noſtris quidẽ temporibus, lege regia haud immeritò ſublata ſunt & abrogata. Itaque nec piſtorum collegium (quod Accurſius in *l. qui in collegio. ff. de excuſ. tut.* licitum eſſe tradit) nec alia rurſus fabrorum & artificum collegia ac Sodalitates magis hodie licent, quàm vel Regio indultu, vel ſummorum iudicum permiſſu & authoritate comprobatæ ſint. Dicimus prætetea Mathematica collegia in Academiis, veluti inclytæ Lutetiæ, vbi ſcholaſtici propemodum innumeri, diſciplinarum literarúmque gratiâ coëunt, & ad capiendum ingenij cultum concedunt. ¶ Sed & ſacrum Sorbonæ collegium appellamus præclariſſimam illam Theologorum coronam arcémque munitiſſimam, in qua fortiſſima ſacroſanctæ noſtræ fidei præſidia aduerſus acerrimos eccleſiæ hoſtes collocata ſunt. Proprerea, non à ſorbendo, vt quidam ἀλάστορες ac hæreticæ prauitatis architecti αἱρετικῶς voluerunt) Sorbona dicenda eſt, ſed quòd in ea probi illi viri ſortem bonam elegerint: docendi videlicet verbi D E I, fortitérque aduerſus hæreſes pugnandi munus ac conſeruandæ Chriſtianæ perſuaſionis prouinciam. ¶ Eſt & collegium torquatorum, id eſt, equitum ordinis: quos Rex noſter geſtamine ſuo regióque inſigniuit, & quorum eſt caput. Quod quidem à rege Ludouico huius nominis vndecimo primùm in ciuitate noſtra Turonenſi inſtitutum fuit, anno 1469. Appellauit quoque Guliel. Budæus ordinem illum magiſtrorum libellorum ſupplicum collegium: quorum inter alia munus eſt, verbis principis eos reſtituere qui formulis ceciderunt, aut captiunculis forenſibus circunſcripti, aut inconſulti à ſimplicitate lapſi ſunt, aut culpa aduocatorum, aut cognitorum incuria, aut conniuentia gratioſa, aut ſordida, aut aliàs colluſoria culpa in fraudem peremptæ litis aut deſertæ inciderunt, cum eo quòd capitalium etiminum & reis & damnatis gratiam faciunt, ad famæque integritatem reſtituunt, verbis illa quidem principalibus: ſed arbitratu ſuo indulgentes etiam ſingulorum: ſiquidem horum magiſtorum ſingulos adiri contigerit. Qui equidẽ ob eam rem (ait ipſe Budæus) inſtituti ſunt, vt in prætorio ſedentes, libellarias poſtulationes cognoſcerẽt, ad principémque iiſdem de rebus referrent, ſi quidem res principalis eſſet cognitionis: vt multa ſunt hodie quæ Principem iubere, vt olim Populum Rom. oportebat à quo populo tranſlata eſt ad reges poteſtas lege regia. ¶ Cætera denique collegia, quoniam maioribus ſemper ſuſpecta fuere, neque multitudinem vnquam ſine rectore legitimo coïre voluerunt, prohibita ſunt tanquam illicita, vt quæ contra ciuiles mores, & ad ſeditiones concitandas tãtùm inita videantur, neque ea ſint legibus comprobata, quæ conuenticula propriè & clandeſtini cõuentus nominantur, & monopolia. Bartol. *in l. fin. de colleg. illicit.* & ibidem etiam Alexand. Innocent. *in cap. cùm ab eccleſiarum. gloſſ. fina. 1. in verbo prælatis. de offic. ordin.* Abbas *in cap. dilecta. de excesſ. prælat.* Quapropter ea ipſa collegia capitis pœna ſanciri ſolent. *l. 1. & 2. C. de ſeditioſ. l. denunciamus. C. de his qui ad eccleſ. confug. l. 1. ff. de colleg. illic. cap. coniurationum. 11. cauſ. quæſt. 1.* At verò quæ quondam Romæ collegia ſublata fuerint quæ aduerſus rempub. videbantur eſſe, qualitérque poſtea reſtituta ſint, tradit Aſcon. Pædianus *in orat. contra L. Piſonem.* ¶ Sed cùm exiſtimauerit Neratius tres collegium facere, quæras fortaſſe, quot perſonæ collegium efficere poſſint? Et hîc ſanè diſtinguendum erit prophanorum ſeu laïcorum collegium ab eccleſiaſtico. Nam eccleſiaſticum, duobus conſtare poſſe dicit Cardin. Clem. *2. queſt. 14. de reſcr.* Quid ſi collegium ex eccleſiaſticis & prophanis coactum ſit & compoſitum, quo iure cenſeri debeat? Licitúmne, an verò illicitum? prophanum, an eccleſiaſticum? Siquidem prophanorum ampliores ſint facultates quàm Clericorum, prophanum cenſeri debere ſcribunt Abbas & Felin. *in cap. ex literis. ext. de conſtitut.* Prophanorum autem collegium non aliàs probandum erit quàm ſi tribus conſtet, tametſi T. Liuius duorum conſulum collegium aliquando dixerit. Sic collegiatam eccleſiam Nomothetæ põtificij dicunt, quæ tribus tantùm Canonicis conſtat, quemadmodum collegium monachorum, duobus tribúſve monachis. *cap. 1. de elect. per gloſ. in c. 1. in verb. congregatio.*

gatio.1.cauſ.quæſt.1. iuxta illud Euangelij. Quoties duo aut tres conueniunt in nomine meo, ego ſum illorum medius. At verò in Cic. *lib.3.de legib.* decem, collegium dixit. Quod enim eſt (inquit) tam deſperatum collegium, in quo nemo è decem ſana mente ſit? Quæras forſan aliquis, an Cathedralis eccleſia, ſodalitia ſeu collegiata dici aliquando poſſit? Et quidem poſſe, certiſſimi iuris eſt. *c.nouit.& cap. ſeq.de his quæ fi.à præl.* Conuerſim tamen, non omnis collegiata, cathedralis eſt. Cardin. *in Clem.vt hi. in 2.quæſt. de ata.& qualit.* Veruntamen cathedralis eccleſia, ſacerdotio alicuius eccleſiæ collegiatæ annecti poteſt. Quæ autem ſit huiuſce rei ratio, & qualiter id fiat, abundè copioſéque diſputat Geminia. *in cap.ex quo.de filiis presbyter.* Sed tandem quod ad collegiatam (ſic loquũtur illi) eccleſiam attinet, ea in ſumma dicitur eſſe quæ multis continetur ſodalibus ſeu Canonicis in vnum coëllectis, rectorem & ſuperiorem vnum habentibus qui eorum omnium ſit caput, ipſi verò membra. Gloſ. *in c. Statutum.in verb.collegiatas.de elect.& elect.pot.* Eos præterea ſodales ſeu Canonicos (vt eccleſiam ſodalitiam & collegiatam faciant) decet communi ſigillo vti. *cap. ſignificauit. de appellat.* tractum communem habere. *ca.tertio loco.de probation.* arcam denique communem. *l.1.ff.quod cuiuſque vniuerſi.* Videbis de hac re latiſſimè in *Breuiario Clementinarum. tit. de elect. Clemen. ſtatutum. concluſ.2.* & apud Felin.Sandæ. *in cap.attendentes.de præſcrip.* vbi cum Alexandro *in conſilio 457.incipien. viſis & ponderatis,* concludit, quòd eccleſia quæ quondam actu collegiata fuit, nunc verò habitu tantùm collegium habeat, collegiata tamen non deſiit dici: niſi ſuperioris mandato & authoritate collegium fuerit deſtructum. Et hæc quidem in dubio intelligenda ſunt. ¶ Sed ſi planè conſtet, conſuetudine, fundatione, ſeu priuilegio eccleſiam collegiatam eſſe, his proculdubio qualitatum circumſcriptionibus fore ſtandum Doctores noſtri adfirmant. ¶ Sed quid ſi generatim mandabitur eccleſiis collegiatis, prouideri de aliquo beneficio (his autem Gothicis verbis, & quidem ad rem pertinẽtibus modò mihi vti liceat) an etiam conuentuales intelligere debeamus? Et verius eſt vt non debeamus. Etenim quamuis collegiata nonnunquam conuentualis dicatur, id tamen de iure tãtùm, non autem de conſuetudine & communi loquendi vſu procedit. Atque in reſcriptis beneficialibus exactiſſima debet fieri interpretatio. *Gloſſ.in §.non tamen intendit.in verb.præbendas. Tit.de collat.in pragmat.ſanct.* Et in dubio mandatum, ſecundum communem vſum intelligendum erit, nec alioqui tranſlatitiam interpretationem admittet, propter improprium. Vt cùm in aliqua diœceſi mandatur de ſacerdotio ſeu beneficio prouideri, non intelligitur de ſodalitio ſacerdotio, ſeu præbenda, in eccleſia Cathedrali, *c. Quamuis.de prem.de præb.in 6.* Ideò expreſſione opus erit. Neque ſi de beneficio aut dignitate ſimpliciter & abſolutè mandatur, comprehendetur beneficium curarum, aut dignitas curata (vt vocãt.) Maior enim induſtria & ſcientia requiritur, propter animarum curam. *cap. cùm ſit. de ætat.& qualit. in nito cap.cùm in cunctis.de elect.* niſi cura eſſet illi dignitati vel beneficio annexa. *cap.ſuper eo.de præb.& dignit.in 6.c.Exirpanda.§.qui verò.eo.tit.* Aut niſi exprimeretur collegiatam eſſe aut conuentualem. ¶ Itaque conuentualis eccleſia, dicitur propriè Monachorum & regularium: generali tamen verbo poteſt ad cathedralem & collegiatam transferri. *cap.nobis.de iur.patron.* Sed propriè Collegiata accipitur pro collegiata ſæculari, & quæ neque Cathedralis ſit, neque regularis. *Gloſ.in cap. 1. in verb.Collegiatis.de elect.in pragm. ſanct.* Sed & conuentus à conueniendo dicitur, propterea quòd omnes eò conueniant. *c.1.15.diſtinct.* quemadmodum Cœnobium, locus vbi communiter viuitur: quaſi κοινὸς βίος. Et κοινώνια Aulo Gellio *lib.1.noct. Att.cap.9.* dicitur vitæ fortunarúmque communitas. Conuentum autem, Cœnobium ac monaſterium idem eſſe dicit Abbas Panorm. *in c.ina nuper. de his quæ fiunt à præl.* Quod tamen Iſidoro aliter videtur. Ille enim ex Caſſiano ſcribit ita Monaſterium à Cœnobio diſtingui: quòd monaſterium poſſit etiam vnius monachi habitatio nuncupari. Cœnobium autem nonniſi plurimorum. Cui ego ſententiæ lubentiùs ſubſcripſerim, cùm ipſa verba Græca idipſum apertè ſignificent: hócque Panorm. Abbas Græcanicæ linguæ propemodum ignarus non intellexit. Nihilominus non tam ob communem viuendi, id eſt, epulandi, rationem, cœnobium appellarunt ipſi, quàm communis amicitiæ gratiâ coëundi. Neque verò ipſorum conuiuiorum delectationem voluptatibus corporis magis quàm cœtu amicorũ metiri debemus. Bene enim (ait Cic. *in lib.de ſenect.*) maiores noſtri accubationem epularum, quòd amicorum & vitæ cõiunctionem haberet, Conuiuium nominarunt, quam Græci, qui hoc idem tum compotationem (τοῦτ᾽ ἔστι συμπόσιον) tum concœnationem vocant: vt quod in eo genere minimum eſt, id maximè probare videantur. Quippe Cathedralis eccleſiæ appellatio generalior eſt. nam reliquas omnes continet. At verò epiſcopalis, ad collegiatæ & Cathedralis eccleſiæ nomen non pertinet: neque ſub ea comprehenduntur ſacerdotia ſodalitia, ſeu præbendæ, dignitates, & ipſarum cathedralium eccleſiarum munera atque officia. *d.gloſſ.cap.1.tit. de elect.in pragmat.ſanct.in fi.gl.* Cùm igitur de rebus eccleſiæ conſtituendi gratiâ, ſodales ſeu Canonici coëunt, collegium ſeu capitulum cõgregari, ab illis dicitur. Nam idem erit ſi dicas collegium, corpus, vniuerſitatem & capitulum, vt vult Zaſius *in dicto tit.* quod cuiuſque vniuerſ.per Felin. *in cap. edoceri.de reſcript.& in c.ſacroſancta.de elect. Text. in cap. 1. 15.diſt.* Sed hoc lata quidem ſignificatione, quemadmodum etiam pro articulo nonnunquam ſumitur, vt not. Paulus *Clem.1.de rebus eccleſ.non alien.* Et ſcribit Bart.in *l. Aurelius.§.idem quæſit. ff. de libera. legat.* vnum capitulum, eſſe vnum factum cum qualitatibus ſuis, ſeu plura connexa. Vt cùm dicimus: promitto tibi decem ſub conditione: hoc eſt (inquit ipſe) vnum capitulum, id eſt, vna confeſſio ſic qualificata. Sed ſi dicatur: Promitto tibi decem pacto incontinenti appoſito, quòd mea cauſa Romam proficiſcatis, hęc ſunt plura capitula connexa. Diuerſa autem capitula, ſunt plura diuerſis facta temporibus. *Gloſſ. l. ſi quidem.C.de acceptilat.* Ad hæc, ſi incontinenti ſunt plura facta, quorum vnum ad determinationem alterius non accedit, ſed quodlibet eorum à ſe ipſo pendet, tunc diuerſa ſunt capitula. *l.etiam.§.1.ff.de minoribus. l. ſcire debemus.de verb.oblig.Bald.in l.2.verſic. dic cùm quæritur. C. de re indic.* Iam verò ſi plura ſint in aliquo inſtrumẽto capitula connexa, & vnum alij accederet, eſſétque acceſſorium, an vno eorum quaſſato,

cætera connexa acceſſoriáque quaſſari debeant? Et Innocen. *in cap. fraternitatis. de hæreticis*, quaſſanda eſſe cenſet, ſecus autem ſi diuerſa ſint & ſeparata. *argument. l. etiam. ff. de minorib. & l. cum ac. ff. de negotiis geſtis*. Vel diſtingue, vt Innocent. *in capitulo ex literis. de fide inſtrum*. Qua de re, capitulum dici puto, quòd multos, ſeu multa tum ſimilia, tum diuerſa capiat & complectatur. Significat etiam capitulum, quod Græci κεφάλαιον, rerum ſummam: vt apud Iſocratem κεφάλαιον τῶν εἰρημένων. Vnde & κεφαλαιῶσαι, in ſummam colligere dicunt. Eſt præterea capitulum Plinio, caput columnæ, & apud Vitruuium *lib. 3. cap. 3*. Capitoli autem (inquit) craſſitudo ſic facienda, vt ex nouem & dimidia, tres partes præpendeant infra aſtragalum ſummi ſcapi. Et paulò pòſt. Hæ erunt ſymmetriæ capitulorum, quæ columnæ futuræ ſunt ab minimo ad pedes quindecim. Ibidem vocat capitula puluinata, id eſt, Ionica, à puluino, quem interpretamur partem quæ inter abacum & echinum eſt, vnde volutæ propendent. Capitulum etiam eſt apud Terẽtium, & Plautum, paruum caput: & particula opuſculi ab Vlpiano dictum. *l. 1. de teſtament. milit*. Neque ego quoque prætermittam, quod Guliel. Benedict. *in capitulo Raynutius in verb. Et vxorem. de adelaſ.* vocat. Capitularios eos qui in ciuitate capitulata leges aut ſtatuunt, aut emendant: ac eas ipſas quidem leges vel capitula ab ipſis capitulariis propoſita conditáque ſeruari iubent, perinde ac ſi tota vniuerſitas illa tuliſſet. ¶ Habentur Tholoſæ huiuſcemodi Capitularij ſeu Conſules, qui κατ' ἐξοχὴν Domini de capitulo vocantur: quíque in ciuitate ac ſuburbiis ius habent, totóque (vt vulgò dicunt) gardagio, merum miſtúmque imperium: & cum Viguierio de quibuſlibet cauſis capitalibus, & criminibus in ciuitate Tholoſana & toto gardagio admiſſis pari iure quærunt: ſuntque (vt dicitur) concurrentes. Credo autem eam ob rem Capitolarios dictos eſſe à capite, quòd capitalium rerum ſint Quæſitores. Permultas equidem ſignificationes habet capitulum: ſed propriè à pontificiis Nomothetis ſignificat eccleſiam ſæcularem. *Not. in ca. ſignificatum. de præb. & dignit. ext.* Quòd ſi velis omneis huiuſce dictionis ſignificationes ad amuſſim perſequi, vide Cardin. *Clem. 1. de reg. iur. ad princ.* & Bald. *in l. fin. ad princip. C. de impub. & aliis ſubſtit.* Vbi multa de collectiuis nominibus ſcitè ſubtiliterque commentatur. Nam capitulum nomen collectiuum eſt: quod quamuis ſingulari numero proferatur, denotat nihilominus multitudinem Canonicorum. Et diximus Capitulum ſignificauerunt, vt apud Virgilium, *Pars in fruſta ſecant*, vt patet *ex cap. ſignificauerunt. de excep. cap. in cauſis. de elect.* & tradit Abb. *in c. capitulum. de reſcrip.* Sic etiam Canonicos plurali numero, pro capitulo plerunque accipimus. Vt ſi legatum quid fuerit Canonicis, & toti ſacro Sodalitio ſeu capitulo cenſetur relictum, quemadmodum ciuibus, id eſt, ciuitati. *l. ciuibus. ff. de reb. dub.* Et Virgil. *lib. 2. Æneid.*

Inuadunt vrbem vino ſomnóque ſepultam.

Vrbem, id eſt, ciues, inquit Seruius in eum locum. Ideò cùm capitulum aliquando eum locum ſignificet vbi Canonici conueniunt, vt *in cap. in cauſis. de elect.* frequentiùs tamen, & ex proprio accipitur pro corona, collegio, & comitio ſeu congregatione canonicorũ, & Sodalium coeũtium qui mutuò ſeſe fratres & confratres appellant: idque bona ratione. Nam antiquitus in primitiua eccleſia (vt dicunt) atque initio naſcentis Eccleſiæ, Chriſtiani omnes fratres appellabantur. Etenim fratres propriè dicuntur, qui vno eodémque parente nati ſunt. Atqui omnes Chriſtiani vnũm patrem habent, DEVM ſcilicet, communem noſtrum omnium patrem. Sunt ergo omnes fratres in CHRISTO, *11. cauſ. quæſt. 3. cap. ad menſam.* Sic beatus Paulus paſſim in ſuis epiſtolis, maximè Corinthios, fratres ſuos appellat, vt *1. Corinth. 2.* Ego (inquit) cùm venirem ad vos fratres, & deinceps in *eadem 1. epiſtola, cap. 10. 12. & 15.* Et vt videre eſt in actis Apoſtolorum. Obtinuit autem hæc appellatio ad ea vſque tempora quibus coacta fuit Nicena ſynodus, *vt eſt text. cum gloſſ. in cap. 2. 22. diſtinct.* ¶ Sed vt ad rem redeamus, Collegium & capitulum dicitur eſſe vbi maior pars Sodalium ſeu canonicorum adeſt, atq; eorum ad quos ea res pertinet. Quæ autem maior pars dicatur, ampliſſimè tradidimus *in Commentariis noſtris ad conſuetud. Turonenſ. ad tit. generalem. verb. Et la plus part d'iceux.* ¶ Tamen non licet cuiuis ſodalium ſeu Canonicorũ, collegium capitulúmve ingredi, tametſi ex catalogo & numero ſodalium collegij fuerit: niſi quoque ſacris iam fuerit initiatus, ſaltem in diaconatus ordinem cooptatus ac ritè promotus, ſed nec priùs ſuffragio locus erit, nec eius ſentẽtiæ in collegio dicendæ. *Clem. vt hi qui. de ætat. & qual.* ¶ Sed forſan quæras (quoniam locus hic poſtulat, vt de ea re quædam à nobis dicãtur) An Epiſcopus ſit de capitulo (vt dicunt) aut pars capituli? Et certè hoc loco diſtinguendum erit. Nam largiſſima verbi ſignificatione Prælatus venit, quaſi illius ſit corporis caput. *cap. nouit. de his quæ fi. à prælat.* Gloſſ. tamen in *d. Clem. vt hi. verb. in eiſdem*, diuerſum ſentit. Et hanc quidem Gloſſam notandam dixit Abbas *in cap. Poſt electionem. de conceſſ. præbend.* Quo loco, cùm ipſa Gloſſa aſſerit prælatum ſeu epiſcopum impropriè de capitulo eſſe cenſendum. Decanum verò propriè capituli partem dicendum, cùm Epiſcopi iura ſint à iure capitulari diſtincta: & epiſcopus & capitulum diuerſa ſint & ſeparata. *d. gloſſ. in dicta Clement.* Panormit. *d. cap. poſt electionem.* Etenim permulta poteſt ſine capitulo epiſcopus & prælatus: & idem ſine epiſcopo capitulum, quandoque etiam neutrum ſine eorum altero. Vt ſcilicet inconſulto capitulo, res eccleſiæ nec vendere nec alienare poſſit epiſcopus. Qua in re, non ſolũm capituli conſilio opus eſt, ſed & conſenſu, & ſubſcriptione ſodalium ſeu Canonicorum. *cap. 1. de his quæ fi. à prælat.* Panor. *in d. cap. 1. ad princip.* etiam ſi res ſint inferioris eccleſiæ. Geminia. in *cap. dudum. de reb. eccleſ. alien. vel non.* Innocent. *in cap. 1. de his quæ fi. à præl.* Sed hoc in rebus ad momentum pertinentibus procedit. Nam quæ paruo æſtimari ſolent, epiſcopus citra collegij & capituli authoritatem, atque inconſulto ipſo ſacro ſodalitio ſeu collegio poteſt alienare. *Gloſſ. in d. cap. 1. de his quæ fi. à prælat. & 12. cauſ. quæſt. 2. capit. Terrulas. & cap. ſeq. & c. caſellas. ſub ſi. 10. cauſ. quæſt. 2. doctor. in d. tit. de his quæ fi. à præl.* At verò in his rebus quarum ſacri ſodalitij intereſt, ne deterius habeant, quòd pauperes his ipſis ali poſſint, Sodalium & capituli conſenſus adhibendus eſt. Hoc ſentit Panormit. *in d. cap. nouit. cap. ad hoc. de offic. archid.* Quid ſi taceat capitulum, an hæc taciturnitas pro conſenſu

ſenſu

ſenſu haberi debeat? & videtur haberi, vt *cap.2.d.tit.* Sed hæc quidem in alienatione perpetua locum non habent, ad tempus verò ſic. *Gloſſ.d.cap.1.in verb.* contradicente: quo loco Abb. Panorm. not. hunc eſſe literæ ſenſum ſecundum vulgarem opinionem: quòd res alicui conceſſa, vt ea ætatem vtatur fruatur, ſeu ad vitam recipientis conceſſio facta abſque iuſtis ſolennis, in alienatione perpetua neceſſariis, valet. Quæ ſententia aduerſatur mirum in modum, *§.perpetua.12.quæſt.2.& c.nulli.de reb.eccl. non alien.* Atqui conceſſio ad vitam facta (ſic enim loquuntur ipſi) dicitur perpetua. Verùm hęc tu intellige in rebus maximi momenti: in his autem quæ ad minima pertinent, non æque. Iam ſi hanc rei ad maiora pertinentis alienationem, capitulum ratam habuerit, valet eiuſmodi alienatio ſic confirmata. *capitulo cùm vos. dicto titulo.* vbi notat Abbas quòd poſt factum, conſenſus capituli poteſt intercedere, atque id ipſum obfirmare. Sed hoc accipiendum in alienatione ad tempus facta. Nam in perpetua alienatione, non videtur locus eſſe ratihabitioni propter neceſſitatem præcedentis tractatus. ¶ Quid autem de ſolutione eius rei quæ eccleſiæ debetur: An fieri epiſcopo & capitulo debeat? Et ſanè id tutius erit. Nam epiſcopo & collegio ſeu capitulo facta ſolutio, in eccleſiæ vtilitatem verſam præſumpta ſuſpicio eſt. Paulus Caſtrenſis, *conſilio primo.* quod incipit, ego Paulus. Quod tamen verum eſſe arbitror, ſi modò verus ſit epiſcopus, nec iure caſſus occupator, ſeu (vt dicunt) intruſus: vt ſcribit Alexan. in *l.ſi vrbana.de condict.indeb.* Adde etiam *l.1.§.ſi rem ff.depoſ.* Innocent. *in cap.ſicut.de iureiuran.& quod not.in cap.dudum.de elect.la 2.& in cap.de multa.de preb. & dig.* Neque verò ſine capituli conſenſu ac conſilio licet epiſcopo Abbates & Abbatiſſas de gradu dignitatis deiicere ſeu deſtituere, neque etiam euehere, & inſtituere, aut quaſuis alias eccleſiaſticas perſonas: nec ad eccleſiam ſpectantia negotia conficere, *d.capit.nouit.& cap.ſequen.* Quandoquidem Epiſcopus, & Canonici, ſunt vnum corpus fictum repræſentatum in ſingulis huiuſce corporis membris. ¶ Dicuntur autem hi ſodales ſeu Canonici, fratres Epiſcopi, ſicut Cardinales fratres Papæ. Not. Abb. *in d.cap.nouit.& tex.in cap.1.de offic.legat.lib.6.* Vnde ad eos ſcribens Epiſcopus non appellabit filios, ſed fratres, vel ſocios. *Gloſſ.cap.eſto ſubiectus.85.diſtinct. & in capitulo quàm graue.de crim. falſ.* Ipſi tamen ad eum ſcribentes debent honoris titulo ornare, & eum appellare patrem. Panor. *in d. capitulo nouit. Text. in cap.graue. de exceſſib. prælat.* Iam verò ſi ſacro illi Sodalitio ſeu capitulo ius ſit prodendi vel nominandi ſacerdotis in locum demortui ſufficiendi, nominabit ſeu præſentabit Epiſcopus: ſed id quidem toto ſodalitio ac capitulo, aut ipſius capituli maiori parte auctore, cõſentientéque: niſi conſuetudine aliqua, atque eadem authoritate prædita & comprobata reclamante. Tueri etenim ſe non poterit Epiſcopus prætextu conſuetudinis alicuius peruerſæ, ac contra ius æquúmq; & bonum, contráque ſanctorum Patrum ſanctiones inuectæ. Hoſtienſ. *in dicto titulo.de his quæ fiunt à prælat. & capit. Ea naſcuntur.cum gloſſ.in verb.conſuetudine.d.tit.* In ſumma nihil aut parum debet, ſed nec poteſt Epiſcopus inconſultis fratribus atque inuitis facere, adeò vt neque aliis eccleſiis eccleſias concedere liceat. *cap.tua nuper.* neque parochialis, (vt ipſi loquuntur) eccleſiæ fructus & obuentiones alicui alij eccleſiæ concedere ac conferre, niſi authore Summo Pontifice, etiam ſi patronus conſenſerit. *cap.Paſtoralis.eodem tit.* vbi Abbas not. quòd Epiſcopus capituli ſui conſenſu poteſt eccleſiæ præpingui & diuiti annuam penſionem imponere pro alendis religioſis, & eximiis viris. Quod tamen procedit, quando detracta ea penſione, eccleſia ſatis habet vnde commodè ali poſſit: alioqui eſſet id quidem ipſum, quod vulgari prouerbio dici ſolet, altare vnum nudare vt alterum operias. *cap.cùm cauſam.de preb.& dign.* Panorm. *in d. cap. paſtoralis.* Alienari autem dicitur eccleſia, quando alteri eccleſiæ perpetuò conceditur, quaſi capite diminuta: vt quæ rectore proprio non gaudeat, ſed alteri ſubdita fiat. Propterea in huiuſmodi alienatione opus eſt iuſtis ſolennis, quæ in rerum eccleſiaſticarum alienatione adhiberi ſolent. Not. Abbas Panorm. *in d.cap.tua nuper.* E contrario, eccleſia vna alteri vnitur, cùm in ſacra & prophana poteſtate, altera alteri, velut filia matri ſubiicitur. Hoſtienſ. *in tit.ne ſede vac.in fine.* Quo loco omnes enumerat modos quibus eccleſiarum vnio fiat. Sed ſi iuſta aliqua & legitima cauſa vnio aliquando facta ſit, & illa poſtmodum progreſſu temporis damnoſa fiat, diſſolui poteſt. Not. Abb. *cap.1.Ne ſede vac.* Satis ſupérque videmur dixiſſe de his quæ ſine conſenſu capituli ab epiſcopis fieri conſueuerunt. Sed nonnunquam accidit, vt ipſe epiſcopus diris programmatibus diráque proſcriptione ſubnotatus, & epiſcopatu ſummotus ſit, ſeu ſuſpenſus, aut qui in ipſius epiſcopatus poſſeſſionem nullo iure inuaſerit, cùm videlicet ſacerdotium poſſidet ab alio, quàm ab eo ad quem iure ipſo collatio ſpectat, vt tradit Panormitan. *in cap. quia diuerſitatem.de conceſ.præb.* tunc vacare ſedem dicũt, ſeu verè, ſeu interpretatiuè. Hoſtien. *eodem tit.* Nihilominùs tamen nihil quod ad ius authoritatémque epiſcopi ſpectat. vacante ſede, aut mutari aut innouari debet: ea quidem ratione, ne perſonæ potiùs quàm eccleſiæ auſcultari & fauere viſi ſimus. *cap.1.ne ſede vacante.* Itaque ſacerdotia quæ ad epiſcopi ſolius collationem pertinent, ſede vacante, per capitulum conferri non poſſunt. *cap.2.eod.tit.* nec per Archiepiſcopum, ſed per Summum pontificem. Not. Abbas *in dicto cap. quia diuerſitatem. cap.1.de ſupplen. negli.prælat.lib.6.* Sed ſi promiſcuè & ad epiſcopum, & ad capitulum ſimul ſpectet communi iure collatio, aliud dicendum erit. Eorum enim altero ſummoto & ſuſpenſo, aut excommunicato, ea conferendi ſacerdotij poteſtas ad alterum deuoluitur. *cap.vnic.eod.tit.lib.6.* Sic & quod epiſcopus & capitulum vna cœperint, mortuo epiſcopo, capitulum proſequi poteſt. Cardin. *Clement.fin.quæſt.2.in op.de procur.* Sed & poteſt capitulum ſede vacante, viſitationis prouinciam capeſſere per omnẽ diœceſin. *Gloſ.Clem.1.in verb.capituli.de hæretic.* Et ea quidem exequitur quæ iure communi epiſcopo competunt: iure verò ſpeciali, nequaquam. Not. Innocent. *in cap.Cùm in cunctis.de elect.Doct.in cap.verum.de fo.comp.* & Panormit. *ibidem.* Quod memoriæ perpetuæ mandandum eſt. Diuerſum tamen videtur ſentire Felin. Sandæus *in cap. cùm olim. de præſcript.* quo loco citat Fede. *conſilio 282. incipien. domine mi:* videlicet quòd ordinarij appellatione non venit capitulum ſede vacante. Ideò (inquit) non viſitabit *iuxta Clem. attendentes. de ſtat.monach.* quæ

de

de ordinario loquitur. An autem capitulum ſede vacante, poſſit admittere reſignationes beneficiorum ex cauſſa permutationis, ad ſolius epiſcopi collationem ſpectantium, latiſſime videbis apud Federicum Senenſ. *in ſuo tractatu permutationum, quæſtion.36.* Hæc enim neque loci huius ſunt, neque inſtituti. ¶ Sed vt ad rem redeamus: non abs re hic Neratius priſcus dixit veriorem eſſe ſententiam, collegium tribus conſtare debere. Nam ſi duo tantùm ſint, adhibendus erit tertius, qui aliorum duorum ſententias diſſidenteis vel conciliet, vel alterutrius diſſidentis hæreat opinioni, vt quid à maiore Sodalitij ac collegij parte factum cenſeatur. Si enim diſſentiant (ait Vlpianus) inuenitur pars maior cuius arbitrio ſtabitur. *l. item ſi vnus. §. principaliter. ff de recept. arbitr.* At verò antequam aliqua hominum congregatio, Populus poſſit dici, opus erit decem hominum numero, *iuxta not. in cap.1. de electio.* Idem tradit Bart. *in l. prætor. ad principium. ff. vi bo. rapt.*

FORNERIVS.

NERATIVS. ¶ Vnicus ſeruus familiam non facit, ac ne duo quidem. *l.40. de verb. ſignif.* *ſuprà hoc titu.* Nec collegium: ſed tamen iura collegij per vnum retinentur, & fideicommiſſum familiæ relictum, vel vni ſeruabitur: cum ius omnium in vnum reciderit. *l.7. ſicut. quod cuiuſque vniuerſ. l.114. filius fam. §. penult. de legat.* 1. Quinctilianus *de Alexandri donatione. lib.5. cap.10.*

Tres. ¶ Sic monaſterium ſaltem tribus conſtat, *Leonis Nouell.*14. de iis qui inſtitutum monaſterium non abſoluunt. χρῆναι τὸ ἐλάχιστον τρισὶν ἀπαρκεῖν τὸ μοναστήριον κλῆσιν ὑπὸ δ' ὑφ' ἑνὸς ἔργον. Nam quod Iſidorus, vnius ſolitarij habitationem definit, *lib. 15. Etym. cap.4.* rectè id quidem, ex veriloquio, primáque vocis origine. Cum illi in ſolitudinem ſecederent, ac vrbium ingreſſu abſtinerent. *l. 1. l.2. de monachis. C. Th.* D. Hieronymus ad Paulinum. *c. ſi cupis. c. placuit. 16. quæſt. 1.* ¶ Quærat aliquis cur non duo faciant, cum pluralis locutio duorum numero contineatur. *c. pluralis. de reg.6.* Id verum in teſtimoniis. *l. vbi. de teſtibus.* Sed vt in arbitriis, propter naturalem hominum ad diſſentiendum facilitatem, tres potiſſimùm aſſumuntur. *l.17. item ſi vnus. §. principaliter. de arbitr.* vt vnus in impari ſententiarum controuerſia, ſuffragia dirimat. Nam Ariſtotelea non ponderari ſemper ſententias, ſed numerari oportere, in populari ſtatu vult: & hoc Plinius indignatur.

Collegium. ¶ τρεῖς σύστημα ποιοῦσι. Turbam aut populum plures quàm tres homines faciunt. *l.4. vi bon. rapt.* Apuleius apologia.1. [Quindecim liberi homines populus eſt &c.]

Hoc magis. ¶ Sed hoc ita, ſi publicè probatum ſit collegium: alioqui ſodalitia, corpora, collegia quibus ius coeundi non conceditur, illicita ſunt. Ideóque adiicitur in legibus, [Quibus ex Sc. coeundi ius eſt. *l.1. de colleg. illicit. l. 20. cum ſenatus. de rebus dub.* Diuus Marcus omnibus collegiis: quibus coeundi ius eſt, manumittendi poteſtatem dedit. *l.1. de manumiſſ. quæ ſeruis ad vniuerſa. imponuntur.* Cuius monumenta aliquot in veterum lapidum inſcriptionibus legimus. COLLEGIA DENDROPHOR. ROMANORVM QVIB. EX S.C. COIRE LICET ARGENTIP. E. HS. X. MILIA N. REDDIDIT. QVÆ DIVISA SVNT POPVLO PER GRADVS. item MENSORIBVS MACHINARIIS P.R. QVIB. EX S.C. COIRE LICET OB DEDICATIONEM DEDIT SING. ¶ A collegiis autem fiebant decreta, quæ temerè non reſcindebantur, ſi duabus ſaltem partibus adhibitis, facta eſſent. *l.2. l.3. l. penult. de decret. ab ord. fac.* fragmentum exſtat Romæ, EX DECRETO ORDINIS CORPORIS PISCATORVM ET VRINATORVM TOTIVS ALV. TIBERIS QVIB. EX S.C. COIRE LICET. S.P.P. Quinetiam ſodalibus qui eiuſdem collegij eſſent, lex xij. Tab. poteſtatem facit, pactionem quam velint ſibi ferre, dum ne quid ex publica lege corrumpant. *l. vlt. de colleg. illic.* Diuus Seuerus reſcripſit eos etiam, qui illicitum collegium coiſſe dicuntur, apud præfectum vrbi accuſandos. *l.1. de off. præf. vrb.* Cæterum collegia tenuiorum, de quibus eiuſdem tit. *l.1. l.13.* & κρεμαστῶν de quibus *lib.60.* Baſilicôn agitur, quid ſint, *in l.238. plebs. ff. h. t.* oſtendemus.

LXXXVI. CELSVS lib. v. Digeſtorum.

QVID aliud ſunt iura prædiorum, quàm prædia qualiter ſe habentia? vt bonitas, ſalubritas, amplitudo.

ALCIATVS.

QVID ALIVD. ¶ Iura prædiorum ſeruitutes eſſe, ſiue de ruſticis, ſiue de vrbanis loquamur, dubium non eſt. Sed Iuriſconſultus hic interpretatur clauſulam, quæ in inſtrumentis apponi conſueuit, cùm quis prædia cum iuribus ſuis reſtituere promittit: intelligitur enim, vt eius æqualitatis reddat, cuius acceperit, eiuſdem, ſcilicet, bonitatis, ſalubritatis, amplitudinis. Quapropter legendum hic eſt, æqualiter, non autem, qualiter. nam ratio ſenſus, & recti ſermonis non conſtaret. Illud tamen non negauerim, ſeruitutes ipſas qualitatem prædiorum, non autem ſubſtantiam reſpicere, *l. penult. de euic.* quapropter eas ſic deſcripſit Baldus, *auth. et qui. C. de bo. aut. iudi.* vt ſeruitus ſit accidentalis habitudo & extrinſeca qualitas prædij. Bartolus verò ſubtiliùs definiuit *in l. 1. de ſeruit.* Seruitus eſt quoddam ius prædio inhærens, quod eius vtilitatem reſpicit, vicini diminuit. Planè hoc in reſponſo, ius pro qualitate rei inhærente ponitur, ſicut & alibi pro commoditate. *l. quod dicimus. ff. eod.* Sed & pro nuda facultate plerunque vſurpatur: vt ſi dicam, Ius mihi eſt per viam publicam eundi: vel filiusfam. ſeu ſeruus adeundi ius habent: ſit enim interpretatio, ius adeundi, id eſt, facultatem, vt Aretinus ſenſit. *l. legatum. de leg.1.* ¶ Sanè Alexander eum, cui ex iuribus prædiorum quicquid vellet alienare, conceſſum erat, poſſe reditus ex fructibus perceptos diſtrahere, huius legis argumento reſpondit. *Conſil.15. in 2.*

BRECHÆVS.

QVID ALIVD. ¶ Vulgata lectio & ea quæ in Pandectis ab hinc anno Florentiæ excuſis traditur, habet, qualiter, non æqualiter: atque ita videtur etiam legiſſe Accurſius, dum, qualiter, ad prædiorum qualitatem refert. Tamen Alciatus legit æqualiter: & ea quidem ratione, quòd & ſenſus, & recti ſermonis (inquit) ratio aliàs non cōſtaret. Et mehercule Alciati lectionem magis ego probauerim propter ſequentia verba παραδειγματικῶς poſita, videlicet bonitas, ſalubritas, amplitudo, quæ hoc aduerbium æqualiter declarant: vt interpreteris, æqualiter, id eſt optime, ſalubriter, ampliſſimè. Sic enim medici dicunt corpus σύμμετρον ἢ τὸ ἐπὶ συμμετρίᾳ ἔχον, quod æqualiter ſe habet, id eſt εὔσαρκον, quadratum, ſalubre, & rectè ſeſe habens. Sed quid, an ſalubritatis verbum ad inanimata transferemus? Videtur id eſſe quidem ἄτοπον. Intelligit quippe hoc loco Celſus prædia æqualiter ſe habentia, quæ optima ſunt, & omnibus ſuis partibus conſtant. Sed & quæ iuribus ſuis ſunt prædita: qualia ſunt iter, actus, via, & aquæ ductus, *Inſtit. de ſeruit. ruſtic. præd. ad principium. & l. 1. ff. eod.* Vnde fit, vt qui prædia conducto accepit, eadem cum domino reſtituet, intelligitur eum reſtituere debere etiam iura ipſorum prædiorum, cuiuſmodi videlicet acceperat. Vel qui prædium ſuum vendidit, ille quoque vendidiſſe cenſebitur ea prædij ſui iura, quæ vnumquodque prædium, vt rectè conſtet, vulgò decent. Non enim tanti æſtimatur prædium quod his careat. Quocirca, niſi in contractu venditionis ea iura nominatis verbis prædio ſummota venditor admonuerit, tenebitur præſtare. Nam ſi in prædium venditum, niſi per vicini agrum, iri non poſſit niſi quoque ſeruitus itineris, actus, viæ, & aquæ ductus debeatur, cui vſui emptori erit prædium? Itaque cum prædium ἁπλῶς atque abſolutè venditum erit, cenſebitur vēditum cum iuribus & qualitatibus ſuis: quæ quidem ſunt, ſeruitutes, bonitas, ſalubritas, & amplitudo ipſius prædij. ¶ Qualitatem autem alicuius prædij dico, qua quale ſit illud prædium aſſerimus, & id ex longinquiore & permanentiore habitu: non ex affectione quæ aut euelli facilè aut commutari poteſt: quemadmodum calor in frigidum, aut ſanitas in ægritudinem aliquando permutari ſolet. Sic cùm quales agri ſint, interrogamus, ſi de bono agri ſeu prædij habitu reſpondendum ſit, dicemus agros eſſe fertiles, pingues, aquoſos: conſtare campis, vineis, ſyluis, quæ materiam, & ex ea reditum, ſicut modicum, ita ſtatum præſtant. Cato, vt eſt apud M. Varronem *lib. 1. rei ruſticæ. cap. 7.* gradatim præponens, alium alio agrum meliorem dicit eſſe in nouem diſcriminibus: & quòd ſit Primus, vbi vineæ poſſunt eſſe bono vino & multo. Secundus, vbi hortus irriguus. Tertius, vbi ſalicta. Quartus, vbi olíueta. Quintus, vbi pratum. Sextus, vbi campus frumentarius, Septimus, vbi cædua ſylua. Octauus, vbi arbuſtum. Nonus, vbi glandaria ſylua. Quæ autem agri ſit bonitas, & quibus argumentis iudicanda ſit, videbis apud Plin. *lib. 18. nat. hiſtoriæ. cap. 5. & 6.* ¶ Sed quo progredimur? Non eſt muneris noſtri hæc tam multis explicare. Non enim rem ruſticam agimus. Ad nos igitur redeamus. Celſus hoc loco poſuit iura, pro qualitatibus ipſi rei & prædio inhærentibus pro ratione loci vbi res ipſæ ſitæ ſunt, quod Alciatus ſatis edocuit. Quare ea lectio quæ, qualiter habet, rectè conſtare etiam videretur, circa latinitatis rationem.

FORNERIVS.

QVID ALIVD. ¶ Iura prædiorum ſunt qualitates & conditiones, quæ fundum ſequuntur, ſiue poſſideatur, vſucapiatur, oppigneretur, alienetur. Nam quæque res cum ſua conditione & cauſa tranſit. *l. 67. alienatio. de contrah. empt.* veluti pignore aut ſeruitute. *l. 17. pignoris. l. 31. lex vectigali. de pign.* Iura enim prædiorum non ea tantùm quæ hic exempli gratia proponuntur, bonitas, ſalubritas, amplitudo, habentur, ſed etiam libertas ac ſeruitus. *l. 1. l. 2. l. 6. hæc autem. de ſeru. ruſt. l. 6. ſi ſeru. vind. l. 9. creditori. de oper. non. nunc.* Quæ cum ſint incorporea ſolóque iuris intellectu conſtent. *l. 1. de rer. diuiſ. §. vlt. de reb. corp. & incorp.* eaque à corporibus ferè ſeparentur ac diſtinguantur. *l. 14. ſeruitutes. ẞ. de ſeruit. l. 23. qui bona. §. 1. de damn. infect.* Hic tamen prædia nominantur: neque id adeò abſurdè, cum qualitas ſine ſubiecto fingi nequeat: prius quid eſſe oportet, quàm de ipſius qualitate quæratur. [Non entis, nullæ ſunt qualitates.] Ideò enim ſeruitutes prædiorum appellantur, inquit Vlpianus, [quoniam ſine prædiis conſtitui non poſſunt. Nemo enim poteſt ſeruitutem adquirere, vel vrbani vel ruſtici prædij niſi qui habeat prædium.] *l. 1. comm. præd.* hæc adduntur in nonnullis exemplaribus, [nec quiſquam debere, niſi qui habet prædium:] & à Iuſtiniano referuntur. *§. ideò. de ſeruitut.* & à Theophilo agnoſcuntur, οὐδὲ γὰρ πάλιν ὀφείλειν τὶς δύναται μήτε τῶν προειρημένων δουλειῶν, εἰ μὴ ἔχει εἰσίν, ἢ ἀγρόν. Corporibus igitur annexæ & inſitæ cauſæ, corpora quadantenus cenſentur: inſeparabile accidens, perpetuóque hærens ſubiecto ipſius conditionem ac nomen æmulatur. Ea ratione Paulus ex adiuncto ſeruitutem corpus vocat. *l. 117. ſed ſi ante. de exception.* quia ſeruitus fundum ſequitur. *d. l. c.* Si aquæductus debeatur fundo, ius aquæ tranſit ad emptorem: etiamſi nihil dictum ſit: ſicuti & ipſæ fiſtulæ, per quas aqua ducitur. *l. 47. ſi aquæductus. de contr. empt.* quoniam, inquit Papinianus. [ſeruitutem non perſonæ, ſed prædia deberent. *l. 34. vnus. de ſeru. ruſt. præd.* quo ſenſu prædia ipſa tributorum nomine, id eſt prædiorum poſſeſſores conueniri, & ſententiam prædio dari legimus. *l. 7. Imperatores. de publican. l. 31. liberto. in ſi. vulg. l. qui aliena. de neg. geſt.*

Quid aliud. ¶ Pap. [quid aliud eſt commendare, quàm deponere?] *l. 24. Lucius. depoſ.* Appendix tractatæ a Celſo quæſtionis. *l. 12. qui fundum, quemadm. ſeru. amitt.* Cuius notata cum hoc capite conſentiens inſcriptio lumen eorum cæcitati prætuliſſet, qui pro *(qualiter) æqualiter* obtruſerunt. Qualiter ſe habere, quod princeps Labeitus indicauit, πῶς vel ποίως ἔχειν, eſt qualitate præditum eſſe: iura prædiorum, ipſorum qualitates. [Bonitas.] ἡ καλλονὴ, Generis nomen. *l. 3. ſi certum petat. l. 13. bonitatis. & ſeqq. de euict. l. 75. vbi. de verb. oblig. l. 25. ſi partem. de ſeru. ruſtic. præd.* In ædificiis quidem

dem cum multa alia,tum hæc ſpectantur,ſitus,cœlum, materia,& ætas *l.15.ſi quando.C.de op.pub.* Senio confectæ ædes, quæ vel refectionem deſiderent, vel non procul abſint à ruinæ periculo, minoris æſtimantur. *l.30. qui inſulam. l.35. & hac, locat. l.58.domus. de legat.1.* Victruuius *lib.1. cap.8.* Plinius *lib.36.cap.6.* In fundis verò, vicinia, cœlum, fœcunditas, ſerilitas, immunitas, libertas, regio. *l.vltim.C.de pact.inter empt.& vend. l.penult. de euict. l.1. l.8. ſi tibi. de act.empt. l.22. ſed etſi.fin. de cond. ind.* denique [ſiet in iis agris,qui non ſæpe dominos mutant : qui in iis agris prædia vendiderint,eos pigeat vendidiſſe.] Cato *cap.1. de re ruſtic.* Si tamen patronus rem à liberto, iuſto licet venditam pretio, ſua nihilominus intereſſe cauſetur : vel opportunitatis, vel vicinitatis, vel cœli affectione, Pauliana actione non vtetur. *l.1. ſi quid in fraud. patr.* Nec mirum : eſt enim rectè contractarum rerum odioſa reſciſſio. *l.3.C.de reſcind.vend.*

Salubritas. ¶ ὑγεία. Cuius magna dos. *l.penult. de reb.eor. l.1.de cloac.* Saltus paſcui, in quo peſtibiles herbæ naſcuntur, nomine actio locati, ex empto, ædilitia, de euictione datur. *l.penult. C. de ad.act.l.49.etiam.de adil.edic.l.19.ſed addes.locat.* Terræ peſtes,Plinio,Dioſcoridi *lib.4.cap.15.* Theophraſto *lib.3.de hiſtor.plantar.*

Amplitudo. ¶ (τὸ μέγεθος) modus,quantitas,fines,qualitas,cætera. *l.2.l.4.ſi.l.22.ſi in qualitate.l.42.ſi duorum.l.48.Titius.2.de act.empt.*

LXXXVII. Marcellvs lib. xij. Digeſtorum.

Vt Alphenus ait,vrbs eſt Roma, quæ muro cingeretur. Roma eſt etiam, qua continenti ædificia eſſent. Nam Romam non muro tenus exiſtimari, ex cõſuetudine cotidiana poſſe intelligi, cum diceremus Romam nos ire,etiam ſi extra vrbem habitaremus.

Alciatvs.

Vt Alphenvs. ¶ Quoniam vrbs ab vrbo parte aratri dicitur, quo ſolebant in condendis ciuitatibus maiores vti, ſicque muros deſignabant, meritò vrbs ſolum dicitur, quod muro tenus ambitur. Roma verò etiam continentia vrbi ædificia ſignificat,quod ſuprà latiùs attigimus. *l.2. ȝ.eod.* ¶ Sanè cùm vrbem ſacram appellamus,ſunt qui Hieroſolymitanam accipiant,vt Baldus *l.a.C. de nau.fœno.* Ego Romam potiùs intellexerim, ſicut & cùm æternam dicimus. *l.1. C.de ſuar. libro 11.* Auſonius:

Vrbis ab aterna deductam rege Quirino.

Vt mirum ſit, quòd literatores quidam ibi legunt, Hectoreæ. Oſtendit & id variis locis Ammianus. ¶ Cæterùm cùm Iuriſconſultus conſuetudinem loquendi in teſtimonium addocat, hinc apparet ſecundum communem vſum verba potiùs accipi,quàm ſecundum proprietatis originem : quod etiam in pœnalibus & odioſis receptum eſt. Sed hæc ita plerique declarant, vt in diſpoſitionibus peritorum, eorum vſus attendatur, *Bald.cap.1.de ſuc.feud.* ſicut in idiotarum ſermone, conſuetudo imperitorum : quod non diſplicet. In dubio autem vnum eundémque vſum eſſe credemus, nec aliter loqui plebem, quàm patritios. *l.ſi chorus.§.1. de legat.3.* Sed & ſi conſtitutum ſit, vt verba ad literam intelligantur, vel propriè, tunc communem vſum imperitorum non attendemus, eruditorum verò obſeruabimus. *Moder.in rubr. de ope.noui nuntia.* quandoquidem conſenſus eruditorum (vt Fabius ſcribit) cuiconque proprietati præualet : penes enim eorum vſum arbitrium eſt, & ius & forma loquendi, Horatio autore in arte poetica. ¶ Probato autem vſu præſentis anni, non ſequitur eundem retrò fuiſſe obſeruatum, niſi ab eo tempore cœpiſſet : cuius initij nulla eſſet memoria : quod enim tamdiu viguit,ſemper fuiſſe obſeruatum,etiam ante hominum memoriam,creditur:idque plerique omnes ſcripsêre.

Brechævs.

Vt Alphenvs. ¶ Quiſquis Alphenus ille fuerit quem Marcellus commemorat : vt literatorem videtur citaſſe. Horatius tamen ſcribit quendam Alphenum ſutorem. Sic enim ille *lib.1.ſermonum Saty.3.* ſcribit.

Vt quamuis tacet Hermogenes,cantor tamen,atque
Optimus eſt modulator:vt Alphenus vafer omni
Abiecto inſtrumento artis,clauſáque taberna
Sutor erat.

¶ Cæterùm docet Marcellus aliud eſſe Romam, aliud vrbem Romanam. Vnde teſtator qui legauit quæcunque bona Romæ haberet, cenſebitur ea etiam legaſſe quæ extra vrbis & murorum ambitum ſunt. Si verò ea legauit quæ in vrbe habebat, de his quæ iuxta ipſam vrbem locúmque mœnibus occluſum ſita ſunt,intellexiſſe videbitur:ſed iſta tamen ex vulgari loquendi conſuetudine & vſu accipienda erunt. Videto in hanc rem quæ ſuprà ſcripſimus *in l.vrbis appellatio.hoc ipſo titu.*

Fornerivs.

Vt Alphenvs. ¶ Romæ appellationem latiùs quàm vrbis patere,docuimus *l.2.ȝ.h.tit.* id nunc etiam vſu loquendi probat Alphenus Varus Iuriſconſultus, Seru.Sulpitij diſcipulus. *l.2.de orig. iur.* Ex cuius *lib.34.digeſtorum & collectaneorum* hæc laudantur:in fœdere loquit, quod inter pö.

Rom.& Carthaginenſes factum, & ſcriptum innenitur, vt Carthagioenſes quotquot annis darent popul.Rom.certum pondus argenti puri puti. A.Gellius *lib.6.cap.5.* [quæ muro cing.] ¶ Ant.Auguſtinus *lib.2.cap.2.emendat.* exiſtimat legendum, [qua:] vt & pòſt, [ea qua continentia ædificia &c.] M.Varro *lib.2.cap.2.de re ruſtic.* [Quod extra vrbem eſt ædificium, nihilomagis ideò eſt villa, quàm eorum ædificia, qui habitant extra portam flumentariam, aut in Æmilianis.] ¶ Quoties non addimus nomen, vrbis appellatione κατ᾽ ἐξοχὴν ſolam intelligimus Romam. *§.ſed ius, de iur. nat. gent. & cu.*gloſſario veteri, vrbs, *πόλις, μόνη ῥώμη.*

LXXXVIII. Celsvs lib. xviij. Digeſtorum.

Tantvm quiſque pecuniæ relinquit, quantum ex bonis eius refici poteſt. Sic dicimus, centies aureorum habere, qui tantum in prædiis, cæteriſque ſimilibus rebus habeat. Non idem eſt in fundo alieno legato, quamquam is hereditaria pecunia parari poteſt. Neque quiſquam eum qui pecuniam numeratam habet, habere dicit quidquid ex ea parari poteſt.

Alciatvs.

Propemodvm. ¶ Quæcunqne res ſecuudum pecuniam æſtimationem recipiunt, non autem pecuuia ſecuudum res: etenim iure gentium ea de cauſa ſignatus eſt numus, vt commercia rerum faciliùs celebrarentur, functionémque ex eo reciperent: quæ in rebus non eſt, vnde minùs in vſu cœpit eſſe permutatio. *l.1. de contra.empt.* ¶ Si igitur tu decem debeas, & pro his decem ego fide mea totidem modios tritici eſſe iubeam, *l.ſi ita fide.de fides* tanquam de alia repromiſerim, fideiuſſio non valet: nec enim res pecuniæ loco ſuccedit, ſed pecunia qoibuſdam caſibus loco rei. *l.imperator. in fin.de leg.2.* Planè dubium eſt, cùm quis in cenſu habere dicatur, quantùm pecuniæ ex bonis refici poteſt, quomodo ineunda ſit ratio, an ducto valore ſecundum communem æſtimationem, *l.precia. ad leg.Falc.* an ſecundum reditus, vt tanti res cenſeatur, quantum viginti annorum reditus cõferunt, *Auth.perpetua.C.de ſacroſ.eccl.* an quanti vendi poteſt: quod verius videtur, reſpõſi enim huius verba hoc indicant *l.mortis.4.in fi.ꝟ.de don.cau.mort.* ¶ Cùm enim res in pecunia functionem recipiant, tanti æſtimari debent, quantũ pecuniæ reperitur: niſi de reſciſſione propter læſionem agamus, *l.2.C.de reſc. vend.* tunc enim is cenſetur læſus, qui à communi curſu aberrat. Sed quoties rem æſtimamus eius reſpectu, qui eam acquiſiuit, ſiue titulo hereditario, ſiue ex contractu, tantum eum adeptum dicemus, quantum cnmmuni æſtimatione res vendi poteſt *d.l.precia.* nec enim adfectionis ipſius ratio eſt habenda, nec etiam quid alius tunc ſit oblaturus, cum is qui eam eſt adeptus, ne licitantis affectio deinde minuatur, non ſit compellendus eam quàm primùm vendere. Vnde ſumma ratio eſt, vt tali caſu communem valorem potiùs æſtimemus: in qua æſtimatione redituum quoque ratio habebitur quod autem communiter reperitur, *gloſſ.in d.authent.perpetua.* id iuſtum precium eſt, vtpote quod ex valore rei, non ex adſectu conſtituatur. Quapropter, cùm in lege iuſti pretij ſit mentio, de eo quod communiter perciperetur, intelligemus. *Alex.l.qui Romæ.§.coheredes.ꝟ.de verb.oblig.*

Brechævs.

Propemodvm. ¶ In Pandectis Florentiæ nuper elegantiſſimis typis excuſis hoc caput, ſeu lex incipit [tantum quiſque,] &c. Atque hæc dictio, propemodum, deeſt: ac quod ad me attinet, magis exiſtimo excurrere, ideóque hinc debere expungi. ¶ Iam verò Celſus iureconſultus hoc loco intelligi voluit res & prædia poſſe pecunia æſtimari: non autem pecuniam rebus: ac precium rerum ipſarum loco haberi: ſed res precij loco nequaquam. Vnde is pecuniæ tantumdem cenſetur apud ſe habere, quantum rerum & bonorum immobilium habet. Ac è contrario, non item. Pecuuia igitur rebus comparari non ſolet ſed res pecunia ipſa. Sanè fideinſſorem ſi ita accipero: quod ego decem credidi de ea pecunia mille modios tritici fide tua eſſe iubes? Nou obligatur fideiuſſor. Quia in aliam rem quàm qnæ credita eſt, fideiuſſor obligari non poteſt. Non enim vt æſtimatio rerum quæ mercis numero habentur in pecunia numerata fieri poteſt, ita pecnnia quoque merce æſtimanda non eſt. Nam qui pecuniam daturum ſe promiſit, non liberabitur eius fideiuſſor data merce. Sed qui mercem promiſit, è diuerſo pecunia loco mercis data, liberandus erit. In hanc ſententiam ſcribit Iabolenus *l.ſi ita fideiuſſorem.ff.de fideiuſſ.* ¶ Non idem eſt in fundo legato, quamquam is hæreditaria pecunia parari poteſt. Ecce enim Titius nummis centum acceptis, hereditatem, quæ quadringentorum erat aureorum, reſtituere rogatus, totam pecuniam iure falcidiæ, quartam videlicet trebellianicam percipere videtur: & ita diui Adriani reſcriptum intellectum voluit Papinianus, tanquam ſi ex bonis hereditariis nummos retenturus iure hereditario fuiſſet. Quod tunc quoque reſpondeudum eſt, cùm pro parte hereditatem coheredi ſuo reſtitoere rogatur: retentis videlicet iiſdem centum quæ iure hæreditario perceperit. Diuerſa eſt cauſa prædiorum pro hæreditaria parte retentornm. Quippe pecunia omnis de portione retineri poteſt: prædiorum autem alia portio, non à coherede qui domininm habet, accipitur. Cùm autem prædia maioris precij quàm portio hereditatis eſſent, in ſuperfluo prędiorum petenti fideicommiſſario falcidiam interuenire viſum eſt. Concurrentem enim pecuniam compenſari placuit. Hoc ipſum tradidit idem Papinianus *l.deducta.§.nummos.ff.ad Trebel.*

Forn

FORNERIVS.

PROPEMODVM. ¶ Multom intereſt vtrùm certum quid,ſpecies videlicet corpúſve,an verò genus, quantitaſve legetur. ¶ Priore quidem caſu,ſi domus vel fundus,ab eo,qui neutrum habet, legetur, illuſorium eſt legatū, nec heredem obligat *l.25.legans ſi.de lib.leg.l.71.ſi domus.l.7.ſi ſic.§.ſi mihi. l.108.ſi ſeruus.§. qui quinque. de lega.*1. Nam & cum certa ſpecies quæ exſtat, legatur, qualis eſt præſtatur. *l.45.ſi à ſubſtituto.de leg.*1. ¶ Poſteriore verò caſu, legata ab eo qui nullos in bonis nummos habuit,quantitas debetur:ſi modò teſtator prædia ex quibus pecunia redigi poſſit,habuerit:*hic. & l.12. ſi pecunia. de leg.2.l.25.heredes ſi.l.ſeq.fam.erc.* Nam & heres ſeruo generaliter legato, Stichum tradens,qui euincetur à legatario, non liberatur. *l.29.qui concubinam.de leg.3.* & hæc, ne quam aliam inueſtigemus, vera huius capitis ſententia videtur. ¶ Quamuis non me fallit, ab aliis intempeſtiuè diſceptari, an & quādo pretium loco rei ſuccedat. Facilius eſt ex re ac merce diſtracta pretium inuenire,quàm ex pecunia numerata quid parare ac mercari:hìc. Quòd pretia rerum pro regionis cuiuſq; temporis, loci ratione, & ſingulari ſtudio ſæpe mutantur. *l.63.pretia.ad leg.Falcid.* nummorum verò certior,publica auctoritate æſtimatio ſtatuitur. *l.1.de contr.empt.l.3.de in lit.iur.* neque nummi merce æſtimantur. *l.42.ſi ita.§.de fideiuſſ.* Quo fit vt res meis nummis empta mea non cenſeatur. *l.6.C.de rei vindic.l.4.C.com.vtr.iud.l.antep.& pen. C.ſi quis alteri vel ſibi.* Nec ex pecunia dotali, efficiatur dotalis.*l.12.ex pecunia. C.de iur.dot.* Vtque Titio ex lotio collecti nummi non grauiter oluerunt: ita nec re furtiua redacti, furtiui habentur. *l.48. qui vas ſi.de furt.* Quin & pecunia ex fundi dotalis diſtractione refecta,ex re ſcilicet,ſoli,non manet immobilis,ſed degenerat,efficitúrque mobilia,& annua, bima,trima die à viro redderur.*l.78.in fundo. §.qui fundum.de iur.dot.* vbi, peruulgatam omnium codicum fidem ſequendo,legere ſatius fuerit,*quod in numero eſt:* Id eſt quantitate:vel, ſiquid mutationi indulgere lubeat,*in numo: l.18.libertus.§ poſtumis.de alim.& cib.leg.* quàm quod Budæus maluit *in numerato*, reponere. ¶ Sed & illud haud pigeat obiter monuiſſe, in Florentina editione initium huius capitis deſiderari, ex vulgaribus libris ſuppleri, *propemodum:* & græcorum paraphraſi χεδόν. ¶ Sic cum quid generaliter definiunt iureconſulti,regulas concipiunt:ferè,propè,penè,nonnunquam, plerunque,vt tit.ſeq.cōpluribus exemplis oſtenditur. [Centies aureorum.] ¶More Romano,vt [quindecim,*pro* quindecim millia.] *l.antep.ſi cert.pet.*Nam hanc adiectionem ſuppleri oportere,Budæus de aſſe docet,& nonnullis iuris noſtri locis comprobatur.*l.5.§.de vſur.* [Decies centena.] *l.97. Aufilius ſi.de leg.3.* [Centies aureorum.] ¶ Græci hic vertunt, ἑκατὸν ταῖς ἑκατὸν χρυσοῦς. Hunc morem & Ant. Auguſtinus *lib.2.cap.6.*notarat: quem qui in effingenda cautionis in auditorio Papiniani diſceptatæ ſpecie,non obſeruarunt,toto aberrauerunt cœlo.*d.l.antep.lect.s.*

LXXXIX. POMPONIVS lib.vj. ad Sabinum.

BOVES magis armentorum quàm iumentorum generis appellantur.

ALCIATVS.

BOVES. ¶ Veteres à iungendo iumenta appellabant, quòd curru iungerentur: ea erant equi, & muli: boues verò armenta potiùs dicebantur, ab arando. *l.ſeruis.de lega.2.* vt Varro inquit, quòd principalis eorum vſus in eſſet. ¶ Igitur legatis iumentis,non videtur de bobus actum. *l.legatis.§. ſi.de leg.3.*& ædiles cùm de iumento mentionem fecēre,ſubdiderunt etiam de pecoribus,*l.ædiles.§.iumentorum.de ædil.edicto.* vt boues comprenderentur, Lucius tamen Columella *lib.6.*iumenta appellari credidit,quæ noſtrum laborem,vel onera ſubuectando,vel arando iuuarent. Sed aliter Iuriſconſulti ſentiunt: lege enim xij.Tab.à iungendo, non à iuuando iumenta dicuntur, vt A.Gellius eſt autor.Videtur tamen nobis ex eruditorum vſu Columellæ approbari ſententia.

BRECHÆVS.

BOVES. ¶ Latior eſt armentorum quàm iumentorum appellatio: complectitur enim & boues & iumenta ſimul. Sunt autem Armenta maiorum pecudum greges & agmina: veluti equorum, boum,ceruorum,& reliquorum id genus animalium ac pecorum. Dicta ſiquidem armenta, quòd hæc animalia (ait Seruius *in 3.Georgic.*) apta ſunt armis:vt ſcotia,boum cotia,equi prælio.Vnde ipſe Virg.*Æneid.3.*

Bello armantur equi:bello hæc armenta minantur.

Ceruorum etiam greges, & ſi bello minimè ſint apti, armenta appellamus. Sic idem Virgilius *libro primo Æneid.*

Nauim in conſpectu nullam,tres littore ceruos.
Proſpicit errantes:hos tota armenta ſequuntur
A tergo:& longum per valles paſcitur agmen.

¶ Varro *lib.de lingua latina*, ab arando armenta dicta tradit. Poſſent (inquit) in Latino quoque, vt in Græca à ſuis vocibus hæc eadē ficta armenta, quòd boues ideò maxime parabantur vt inde eligerent ad arandum: inde armenta dicta, poſtea litera tertia extrita. Rectius igitur, ex Varronis ſententia, boues,equi,cæteráque maiora animalia quæ aratro iungi ſolent,& arationi apta ſunt,armentorum nomine vocari debent. Greges autem minorum ſunt pecorum: veluti capellarum & ouium. Virgilius *lib.3. Georgic.* vbi de grandioribus animalibus ſatis dixiſſe ſe ſcribit, ac reliquum fore vt ad minorum greges deueniat,his verbis.

Hæc ſatis armentis: ſuperat pars altera curæ
Lanigeros agitare greges, hirtáſque capellas.

Aliquando tamen promiſcue alterum pro altero ſumitur κ̀ ἀδιαφόρως. Nam ſciendum eſt (inquit Seruius) quòd plerunque confundit authoritas. Grex & Armentum à Græcis vno verbo ἀγέλη dicitur, id eſt multitudo pecorum, aliquando etiam & hominum, ait Etymologicus author, *βοσκημάτων πλῆθος κυρίως ἢ ὅπου ἐστὶ κ̀ ἀνθρώπων.* Varro *lib. 2. rei ruſtica. cap. 5.* vbi de boum & vaccarum ætate agit. Qui, inquit, gregem armentorum emere vult, obſeruare debet primum vt ſint hæ pecudes ætate potius ad fructus ferendos integræ, quam iam expertæ: vt ſint bene compoſitæ, vt integris membris, oblongæ, amplæ, nigrantibus cornibus, latis frontibus, oculis magnis & nigris, piloſis auribus, &c. Si grege legato (ait Pomponius) aliqua pecora viuo teſtatore mortua eſſent, inque eorum locum aliqua eſſeot ſubſtituta, eundem gregem videri: & ſi diminutum ex eo grege pecus eſſet, & vel vnus bos ſupereſſet, eum vindicari poſſe, quamuis grex deſiiſſet eſſe: quemadmodum inſula legata, ſi ambuſta eſſet, area pniſſer vindicari. *l. ſi grege. ff. de lega.* 1. hoc loco bouē in gregis oomine ponit. ¶ Quocirca exiſtimarem, grege legato generatim, boues & equos, cum ouibus & capellis legato compræhendi. Nam & equorum gregem eſſe ſcribit Salice. *in l. 1. C. de abige.* Et Calliſtratus *in l. vlt. ff. eo. tit.* Quidam (inquit) decē oues gregem eſſe putauerunt, porcos etiam quinq; vel quatuor abactos: equum vnum vel bouem abigeatus crimen facere. Quo quidem loco cenſet Accurſius quinque vel quatuor equos gregem facere. ¶ Veruntamen Bartol. *in l. fi. C. de milit. veſt. lib.* 12. tradit. Armentum in dubio & iure ambiguo, de maioribus pecudibus intelligendum: Gregem verò de minutis & minoribus. Vnde qui armentum promittit, non poteſt (inquit) alia aoimalia, quàm magna præſtare. Quod etiam notandum cenſet. Et quemadmodum à grege, gregalis dicitur: ſic ab armento armentalis, id eſt ferus. Virgil. *lib. 11. Æneid.*

Hic natam in dumis, interque horrentia luſtra
Armentalis equæ mammis, & lacte ferino *Nutribat.*

Seruius, armentalis equæ (inquit) id eſt indomitæ. Vnde ſequitur. *Et lacte ferino.* Sed quæ tandem ratio eſt, cur boues armeotorum magis oomine quam iumentorum appellari dixerit Pomponius? Nam & à iungēdo, & etiam à iuuando iumenta dicta tradunt Latini authores. Cùm igitur ea boum ſit natura, vt & iuuēt homines, & iungantur aratro, iumēta rectè appellari oportere, quis negauerit? Quod ex L. Columellæ verbis *lib. 6. rei ruſtica. cap.* 1. colligere licet. Nec tamen (inquit) vlla regio eſt, in qua modò frumenta gignantur, quæ non, vt hominum, ita armentorum adiumento iuuetur: vnde etiam iumenta nomen à re traxere, quòd noſtrum laborem vel onera ſubuectando, vel arando iuuarent. D. Hierony. *in Eſayam c.* 1. Cognouit bos poſſeſſorem. Nec cōparauit eos canibus, quod eſt ſagaciſſimum genus animantium, & pro modico cibo dominorum tecta defendit: ſed ſolidioris ſenſus boui & aſino: quorum alterum carpenta trahens, duriſſimas terræ glebas vertit vomere: alterum, portat onera: & hominum in gradiendo laborem temperat. Vnde & iumenta appellantur ab eo quòd iuuant homines. Et Pſaltes ille regius & diuinus vates, cum ſummo illi atque æterno Deo gratias ageret, quòd homines & beſtias incredibili bonitate ſuſtentaret, & omni animantium generi ſpiritum vitámque largiretur, & non hominum tantùm, ſed & beſtiarum ac pecorum vitæ conſuleret & amanter proſpiceret, iumenta (inquit) & homioes ſaluos facies domine. Iumenta intellexit omnia bruta animantia tam armentorum quàm gregis, vt ex Græci interpretis verbo videre eſt. *ἀνθρώπους κ̀ κτήνη σώσεις κύριε.* Eſt ſiquidem κτῆνος Græcis iumētum, & omne pecudis genus quod mactari atque immolari ſolebat: *κτήνος παρὰ τὸ κτῶ τὸ φονεύω ἢ παρὰ τὸ κτῆμα, ἐξ οὗ κ̀ κτέανα κ̀ κτῆσις.* Nam & potiſſima pars poſſeſſionis & diuitiarum apud antiquos in pecude erat: vnde pecunia dicta, qua poſſeſſiones rerū parari & acquiri ſolent, cùm permutationes deſiere, & nummus primum percuſſus fuit. Hinc quoq; peculium dictum. Quandoquidē apud eos omne patrimonium, peculium dicebatur (inquit Seruius) à pecoribus in quibus eorum conſtabat vniuerſa ſubſtantia: vnde etiam pecunia dicta eſt à peculio. Exiſtimarem itaq; pecoris nomen generalius eſſe, & ad armenta iumentáque, ſimul & ad oues ac capellas, cæteráq; minora quadrupedia transferri. D. Hieronymus *in Eccleſiaſten, c.* 4. Vt iumētum (ait) ſum apud te, & ego ſemper tecum. Et in ouibus prophetis, homioes & pecora ſeruanda domino, & impleri terram repromiſſionis pecoribus & armentis. Videtur hoc loci Hieronym. nonnihil feciſſe diſcriminis inter pecora & armenta: niſi copulam, ET, interpretationis loco magis poſuerit. Virgilius *Eglog.* 3. pecoris verbo generatim eſt vſus, his verbis.

Dic mihi Damœta, cuium pecus, an Melibœi?
Non, verùm Ægonis.

Eſt ſiquidem ex Theocrito verſus traoſcriptus: & vt etiam Seru. admonuit.

Εἰπέ μοι ὦ Κορύδων τίνος αἱ βόες, ἦ ῥα Φιλώνδα,
Οὔκ, ἀλλ' Αἴγωνος, &c. Virgilius autem βόες pecus vertit. Et inde colligimus illum nomine pecoris boues etiam intellexiſſe. ¶ Sed hæc quidem interpretatio ad vulgarem loquendi vſum referenda eſt. Sanè propria ſignificatione iumenta dici oportet quę vel aratro, vel currui, vel trahæ, iungi apta ſunt, vel vt dorſo ferant & vehant. Vnde doſſuaria iumenta appellauit elegantiſſimo vocabulo M. Varro *lib. 2. de re ruſtica. c.* 10. quæ onus dorſo ferre poſſint. Ad quam rem (inquit) habeant iumenta doſſuaria domini: alij equas. Alij pro his quid aliud quod dorſo ferri poſſit. Quo loco depræhendimus dixiſſe equas quod vulgò iumenta appellamus.

Fornerivs.

BOves. ¶ Boues ad armenta veriùs, quàm iumenta referuntur: *οἱ βόες τῶν βουκολίων εἰσὶ μᾶλλον, ἢ τῶν ὑποζυγίων.* ¶ Armenta vel ab arando, quaſi aramenta: vel ab armis, quòd humeris, (vnde & arma nomen inueniſſe nos iam *l. 42. ʒ. hoc titul.* docuimus) opera ruſtica faciant: quòd de bobus propriè

priè accipitur. Iſidorus *libro 12. cap. 1. l. 12. plenum. §. ſed ſi. de vſu & habit.* ¶ Iumenta, quod homines iuuent, non arando tantùm, ſed ſubuectando ſarcinas, vehendo, geſtando: equi, aſini, muli, mulæ, elephantes, cameli, burdones, caballi. *d. l. 12. plenum. §. equitij. l. 49. item legato. de leg. 3. l. 2. de leg. Aquil. l. 40. qui iumenta. de furt.* Theophilus. *§. 1. de leg. Aquil. l. 15. ſi ita. de fund. inſtruct.* Theodoretus *de prouid. oratione 5.* ὄνον καὶ ἡμίονον καὶ κάμηλον ἀχθοφορεῖν κελεύει. Quadrupedes aut collo aut dorſo domamus Vlpian. *fragm. tit. 19. iumenta*, dorſuaria, oneribus ſubeundis idonea, quæ gloſſulatius interpres Baſilicôn *lib. 60. tit. 3.* νωτοφόρα eleganter expoſuit. Petronius arbiter Satyr. [Neq; ſub inſolito faſce durabat mercenarius detractor miniſterij, poſita frequentiùs ſarcina, maledicebat properantibus, affirmabátque aut proiecturum ſarcinas, aut cum onere fugiturum. Quid vos, inquit, me iumentum putatis eſſe, aut lapidariam nauem? Hominis operas locaui, non caballi.] Ammonius Marcellinus *lib. 19. de fugaci equo.* [iumentum exhauſtum curſu pondere cadaueris detinebat.] Et hanc differentiam Cato ſubindicat *de re ruſtica cap. 138.* [Boues feriis coniungere licet. Hoc licet facere, aruehant ligna, fabalia, frumentum, quod non daturus erit. Mulis equis, aſinis feriæ nullæ, niſi ſi in familia ſunt.] ¶ Sed iuris noſtri auctores in pleriſq; hoc diſcrimen obſeruarunt: Primùm cùm de armenti vel equitij vſu legato quæritur. *d. l. 12. plenum.* ¶ Deinde, quod iumentis legatis boues non debeantur. τῶν ὑποζυγίων ληγατευθέντων αἱ βόες οὐ ὀφείλονται. [Pecoribus legatis quadrupedes continentur, quæ gregatim paſcuntur: Iumentis legatis boues non continentur: nec contrà. Equis autem legatis & equæ continentur. Ouibus legatis agni non continentur. Pecudibus autem legatis, & boues, & cętera iumenta continentur. Armento autem legato etiam boues contineri conuenit, non etiam greges ouium & caprarum. Ouibus legatis neque agnos, neque arietes contineri, quidam rectè exiſtimant. Ouium verò grege legato, & arietes & agnos deberi nemo dubitat.] *d. l. 65. legatis. l. 81. ſeruus. de legatis 3.* Paulus *lib. 3. ſententiar. tit. 6.* ¶ Præterea cum boues aratores agri colendi præcipuè gratia parentur: eius loci eſſe cenſentur, vbi opus faciunt: non vbi manere conſueuerunt: cætera pecora agri ſtercorandi vel fructuum cauſa comparata, fundo inſtructo legato debentur. *l. 4. l. 8. in inſtrumento. de fund. inſtr.* Rurſus cùm oues pro numero abactarum, aut furem aut abactorem faciant: quidam decem oues gregem eſſe putauerũt: porcos etiam quinque vel quatuor abactos, Equum, bouem, vel vnum abigeatus crimen facere. *l. vlt. de abig.* Vbi verſus ſeq. [Eum quoque plenius coercendum, qui à ſtabulo abegit domitum pecus, non à ſylua nec grege.] ambiguè accipitur: vel *plenius*, id eſt, acriùs: Synopſei Baſilicôn *lib. 60. tit. 25.* σφοδρότερον τιμωρεῖσθαι. vel *leuius*, vt docti notant, πραότερον κολάζεσθαι. contrario planè ſenſu. Verùm rectiùs, in ſelectionum commentariis diſpiciemus. ¶ Ad hæc cum ædiles curules ita cauiſſent, [Qui iumenta vendunt, palam rectè dicunto, quid in quoque eorum morbi vitiique ſit:] cum anguſtiore iumentorum nomine non omne pecus contineretur, idcirco elogium edicto, tollendæ dubitationis cauſa ſubiecerunt: [Quæ de iumentorum ſanitate diximus, de cætero quoq; pecore omni vẽditores faciunto.] Vnde dubitari deſiit, an eo edicto boues quoque continerentur. Etenim iumentorum appellatione non contineri verius eſt, ſed pecoris. *l. 38. ædiles. l. 42. bouem. de æd. ed.* ¶ Poſtremò rei ruſticæ fauor boues aratores non ſinit in cauſam pignoris capi, ne pro fiſcali quidem debito. *l. 1. de pign. C. Th.* bouem culturæ terræ abſtrahere. *l. 1. de curſu public. C. Th.* Imo fundo inſtructo legato, bubulcum quoque, ſiue ibi araret, ſiue boues eius fundi aratores paſceret, contineri Paulus reſpondit. *l. 18. cùm de Lanionis. de fund. inſt.* ¶ Bouem ſanè laboris ſocium, tantæ apud priores curæ fuiſſe accepimus: vt nec occidere, neque immolare impunè licuerit. Cato, Varro, Columella *lib. 6.* Plinius *lib. 8. cap. 45.* Ælianus *variæ hiſtoria. lib. 14. cap. 42.* Iuſtinianus *legum ruſticar. tit. 3. & tit. 4. Legum Viſigothorum. lib. 8. tit. 4. Iumentorum generis.* ¶ aliàs *nomine*. Non à iuuando, vti Columellæ aliiſque placet, ſed à iungendo. Nec enim iumentum id ſolùm ſignificat, quod nunc dicitur: ſed vectabulum etiam, quod adiunctis pecoribus trahebatur: Veteres enim iumentum à iungendo dixerunt, inquit A. Gellius *lib. 20. cap. 1.* Cuius ſententiæ & Græci fauent, qui cum hic tum ſæpè aliàs, ὑποζύγια verterunt. & Vlpianus, *§. quæſitum, verſ. iugum non patiatur. §. ſequ. cum ait.* [Si plura iumenta vænierint, non omnia erunt redhibenda, propter vnius ornamentum. Nam etſi vitioſum ſit vnum iugum, non tamen propter hoc cætera iuga redhibebuntur.] *d. l. 38. ædiles.*

§. j. Hoc ſermone [dum nupta erit,] primæ nuptiæ ſignificantur.

ALCIATVS.

HOc SERMONE. ¶ Hæc dictio, dum, eam ſignificationem habet, quam donec, & quamdiu. ¶ Vnde propriè hæc verba interpretantur, donec, ſeu quandiu erit nupta: referuntúrque (vt Pompo. ait) ad primas nuptias. Cuius rei rationem arbitror, quia eis diſſolutis, verba ceſſant: amplius enim nupta non eſt: & quod ſemel deſinit, rurſus non conualeſcit. *l. ſtipulatio de dote. ff. de iur. dot.* ¶ Communi tamen calculo aliter trahitur. *Iaſ. l. diuortio. §. quod in anno. ff. ſol. mat.* videlicet regulam eſſe, vt ſermo ſimpliciter prolatus, dę primo tantùm actu intelligatur. *leg. dotis promiſſione. de iur. dotium.* eam non procedere in ſermone negatiuo. *l. ſi ſic ſtipul. ff. de verb. obl.* vt ſi teſtator mandet ne filiæ ſuæ mercatoribus nubant: nam neque ſecundas nuptias cum eis contrahere poterunt. *Old. conſ. 16.* Idémque in diſpoſitione legis: nam ſi lex velit cauſas inter agnatos compromitti, compromittendum ſemper erit, donec lis finiatur, *Alexan. l. ſi cùm dotem. §. 1. ſolut. mat.* ¶ Sed & ſi prior actus ſit nullus, de ſecundo, ita ſuadente æquitate, intelligemus. *l. hæc conditio. ff. de cond. & demonſt.* Quinetiam ſi materia ſit fauorabilis, interpretatione eam adiuuabimus, vt ſequentes quoque actus contineantur. ¶ Vnde ſi vxori ſuæ quis alimenta legauerit, etiam de ſecunda intelligetur. Et ex facto ita reſpondit Alexan. *conſ. 171. in 2. l. placet. ff. de lib. & poſth.* ¶ Idem, cùm pater filiæ, caſu, quo vidua ſit, habitationem domus relinquat: nam ſi tertiò & quartò vidua fiet, legatum conſequetur. quoniam verba hæc genera-

lia

lia ſunt: & ad rem natura ſui multiplicabilem referuntur. *Bar. conſ.30.* ¶ Sed & generaliter ea ſubiecto argumento aliter interpretabimur:quid enim ſi natura rei interpretationem requirit? vt ſi veſtitum teſtator vxori legauerit. *Bald.l.1.C.de fideicom.* vel princeps priuilegium aliquod mihi concedat:ſolent enim ea perpetua eſſe,non autem quàm primùm finiri.*Felin. cap.2.de treug.* Quid ſi ea primo actu menti diſponentis non ſatisfiat? vt ſi procuratorem ad appellandum conſtituam. *not.l.fideicommiſſ.§.ſi quis decem.de leg.3.*an à prima ſententia ſolùm appellabitur?& non ſolùm vt à prima tantùm,ſed & ab vlterioribus appellet,cùm conſtitutum videri iure reſponſum eſt.& hæc quidem communiter approbantur. ¶ Hincque Othonis Moguntini antiſtitis fraus inuiſta detegitur:is Alberto Francorum Comiti ſub iuriſiurandi fide perſuaſit, vt relicta inexpugnabili, quam inſedetat,arce ſecum ad regem,cuius filium occidiſſe inſimulabatur,deſcéderet: ſe enim vel eum regi conciliaturum, vel ſoſpitem in arcem reducturum: víxque egreſſo,tanquam melius eſſet prius prandere,iuſſit vt reuerteretur : mox finito prandio,ad regem duxit captiuum,cúmq; ad ſupplicium duceretur,antiſtitis periurium accuſanti reſpondit,ſe datæ fidei ſatisfeciſſe,religionéque eaolutum,cùm eum prandendi cauſa in arcem incolumen perduxit. Dignus perpetua nota ſacerdos,qui pignorauerit fraude periurium aſtringi,non ſolui.

BRECHÆVS.

DVM NVPTA ERIT. ¶ Multipliciter hæc dictio, dum, vſurpatur à Latinis autboribus. Aliquando enim ſignificat dummodò. Quintil. *lib.8.cap.4.* Nec ſum in hoc ſollicitus dum res ipſa diſcere volentibus appareat. Nonnunquam etiam,donec,& quandiu. Virgilius *lib.2.Æneid.*

-- Et per nus vſus.
Tectorum inter ſe Priami,poſtéſque relicti
A tergo:infœlix quà ſe dum regna manebant.

Id eſt,donec regna manebant:& abſolutus eſt ſenſus,ait Serui. ¶ Quæ quidem dictio,donec,duobus modis,teſte Valla *lib.2.elegantiar.cap.48.* accipitur. Dabo operam voluptatibus donec moriar: id eſt, vſque ad mortem:& dabo operam voluptatibus donec viuo:id eſt,quandiu viuo. Eiuſdem naturę eſt, dum , quod apud Græcos eaſdem variat ſignificationes ἕως ἕως ἄν. Significat enim ἕως modò , donec, quandiu, tantiſper,dum : ἕως ἐμπνέεται καὶ δύναται. Quoad ſpirat & poteſt. Cætera vide in Comment. Budæi. Virgil. *lib.4. Æneid.*

Dum pelago deſæuit hyems,& aquoſus Orion
Quaſſatæq; rates:dum non tractabile cælum.

Id eſt,toto eo tempore quo per tempeſtatum ac procellarum vim atque iniuriam tuta non eſt in mari nauigatio,& quandiu periculoſa erit. Sunt enim hæc verba Annæ, ſororem Didonem cómonentis ad excipiendum hoſpitio Æneam,dum per graſſantis ac ſæuientis maris tempeſtatem non licet nauigare:id eſt,donec, interea, quandiu. Nam donec B. Hieronymo teſte, aliquando tempus, aliquando etiam infinitum ſignificat:idque in ſacra ſcriptura potiſſimum. Apud Matthæum *cap.1.* καὶ παρέλαβε τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἐγίνωσκεν αὐτὴν, ἕως οὗ ἔτεκε τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν πρωτότοκον. Nunquam enim ipſe Ioſephus ἐγίνωσκεν αὐτὴν, ſeu ante, ſeu poſt nuptias:néue ante partum,neu poſt partum. Sed virgo nupta intacta omnino atque illibata permanſit. Ad eundem modum (inquit Eraſmus in Annotatio.) legis de coruo emiſſo, *Geneſ.cap.7.* qui egrediebatur,& non reuertebatur,donec ſiccarentur aquæ ſuper terram:cùm ſignificet auem nunquam fuiſſe reuerſam. Ex his quoque Euangelij verbis Heluidiani venabantur erroris ſui patrocinium, minimè animaduertentes Hebræi ſermonis proprietatem. ¶ Iam verò,dicentes, DVM NVPTA ERIT, de primis quidem nuptiis ſignificari Pomponius cenſet. veluti,cùm paterfamiliàs dicit Mariæ filiæ meæ centum dotis nomine , dum Caio nupta erit. dari volo , ſi exceſſerit è vita,Caius ante quàm ea centum accepiſſet,ac ſecundo Maria nupſerit,non tenebitur pater ad præſtandam dotem. Quoniam de primis tantùm,non de ſecundis nuptiis videtur ſtipulatus. Etenim,dotem quæ in prius matrimonium data eſt , non aliter conuerti in poſterius matrimonium dicendum eſt,quàm cum hoc agitur:dum hoc agi ſemper interpreteremur,niſi probetur aliud conueniſſe *l.dotem. ff.de iur.dot.* Quod enim vulgatum eſt,ait Papin *l.dotes.eod.tit.* dotis promiſſionem in primis duntaxat nuptiis deſtinari neque durare obligationem, ſi poſt alterius matrimonium ei nubat, cui dotem promiſerit:tunc locum habet,cum interceſſerint aliæ nuptiæ. Quo loco doctores notant ſermonem ſimpliciter atque abſolutè pronunciatum, de primo tantùm actu eſſe intelligendum. Quam rem Alciat. hoc loco eſt latiſſimè executus. Et do. Andr. Tiraq. tract. in hunc §. edidit.

FORNERIVS.

HOC SERMONE. ¶ Quædam negotia vna vice conſumuntur,quibus vna cauſa ſufficit,neque iterationem repetitionémue deſiderant : non modò quia ſint actus legitimi, vt aditio hereditatis. *l.80.ſi ſolus ſi.de acq.her.* vt ſerui optio. *l.5.de leg.1.l.20.apud.de opt.leg.* ſed etiam in parando alicuius rei dominio. Vna enim eam ea cauſa nobis acquiſitam ſuffecerit. *l.3.§.ex pluribus. de acq.poſſ.l.* Ex pluribus cauſis idem noſtrum eſſe non poteſt. *l.159.non vt ex.* ꝧ *tit.ſeq.l.14.& an eadem.de excep.rei iud.* Conditionem legato,inſtitutioni,vel ſubſtitutioni adiectam ſemel impleri oportet,vel momento extitere. *l.antep.C.de inſt.& ſubſt.l.31.in ſubſtitutione.de vulg.& pup.l.vlt.C.de ind.vid.tol.l.10.quidam.l.20. rogo.de fideic.liber.* Sic dos quæ ſemel functa eſt,ampliùs fungi non poteſt,niſi aliud matrimonium ſit. Vlpian. *de dotib.fragm.tit.7.* Filia dotem ſibi per fideicommiſſum à patre relictam,rectè etiam poſt diuortium præſtari ſtipulabitur , ne poſt primas nuptias indotata maneat. cæterùm [ſi poſteà nubat, cautionem ad ſecundas nuptias extendi non oportere,] Papin. reſpondit *l.77.cum pater.de leg.2.* Dos quæ in prius matrimonium datur, in poſterius, niſi cum agitur, non conuertitur. Stipulatio de dote reddenda ab extraneo interpoſita,facto diuortio ſtatim committitur,nec redintegrato matrimonio,

actio

actio ſtipulatori intercidit. Quod tamen vulgatur, [Dotis promiſſionem in primis duntaxat nuptiis deſtinare.] neque durare obligationem, ſi poſt alterius matrimonium ei nubat, cui dotem promiſerat: tunc locum habet, cùm interceſſerunt aliæ nuptiæ. *l.30.dotem. l.65.ſtipulatio. l.68.dotis. de iur.dot.* Quamuis autem tacito conſenſu, dos iiſdem conditionibus ac legibus tanta ad ſecundum, quanta apud priorem viſum fuit, quaſi repetita ac renouata transeat. *l.40.diuus .eod.tit.* Tamen hoc inter ipſos tantùm coniuges ſeruatur: nec extraneo ſtipulationem diuortio ſecuto commiſſam reconciliatum matrimonium auferet. *l.29.cum maritus.§.Titius.de pact.dot.* Nec facilè quæſita actio amittitur. *l.vlt.ſ.de pact.* Et cùm quæ contrahendo primùm negotio forma adhibetur, eadem in redintegrando deſideretur. *l.7.ſi vt. C.de nupt.* conſequens eſt extranei, qui dotem in primo matrimonio promiſerit, conſenſum & in ſecundo requirendum. alioqui quod ad ipſum attinet, non repetita, dos nec renouata cenſebitur. *d.§.Titius.l.42.in inſulam.ſi.ſol.matr.* Sed & illud in patre dotem ſibi reddi ſtipulato ſeruatur, licet defuncta ſit in matrimonio filia, ipſe capitali crimine damnetur, dos fiſco non committatur, [quoniam ad primas nuptias pertinet.] *l.26.inter.de pact.dot.* *Prima nupt.* ❡ Quæ fauore digniores, quàm ſecundæ, ac tertiæ ac deinceps, quæ incontinentiæ ſuſpicione laborant: Viduitas genus pudicitię. Quinctil. *declam.306.* Tertullianus, Ambroſius, Hieronymus, matrimonium ſecundum, quaſi honeſtum adulterium deteſtantur. Athenagoras *εὐπρεπῆς μοιχεία, δεύτερος γάμος.* Val. Maximus *lib.2.cap.1.* [multorum matrimoniorum experientiam, inquit, quaſi legitimæ cuiuſdam intemperantiæ ſignum eſſe credentes.] Iuſtinianus *Nouel.22.* περὶ δευτερογαμούντων. Leo *Nouel.90.* περὶ τριγαμίας. Pręclarè Theologus primas nuptias, legē, ſecundas beneficio indulgeri, Tertias ſubarionē exlegem, quartas belluinam omniſque humanitatis expertē vitam vocat: τὸ πρῶτον συνοικέσιον, νόμος. τὸ δεύτερον, συγχώρησις. τὸ τρίτον, παρανομία χειρόθεσις, τὸ τέταρτον, θηριώδης βίος. Exuit enim omnem pudorem, mulier quæ toties nubit: nec liberorum tutelam geſſit, niſi ſecundis nuptiis renunciet. *Nouel.118.125.* Vide Caſſiodor. *lib.4.epiſt.12.* Tertiò nubentem infamia notari lege, Marcellinus interpres Hermogenis, περὶ στάσεων, indicat, Νόμος, τὴν τρὶς γαμηθεῖσαν, ἄτιμον εἶναι.

§. ij. INTER edere & reddere rationes, multum intereſt. Nec is qui edere iuſſus ſit, reliquum reddere debet. Nam & argentarius edere rationem videtur, etiamſi quod reliquum ſit apud eum, non ſoluat.

ALCIATVS.

INTER REDDERE. ❡ Edere, eſt rationes exhibere. *l.1.ſ.de eden.* & copiam deſcribendi facere. ❡ Reddere verò eſt computare, & reliqua reſtituere. *l.cum ſeruus.de cond.& demon.* quod ſi ad reliqua quis non tenetur, nec quidem rationes reddere debet. *l.qui libert.§.1.de euict.* Hincque eſt quod vulgò dicimus, vbi duo propter vnum, ibi vnum. ❡ Edere autem tenentur argentarij, tanquam fides eorum publicè approbata ſit. habebant enim argentarij tabernas in foro, & priuatorum pecunias ſub fœnore locabant, eligebantúrque magnæ fidei homines, & eorum codicibus fides dabatur. Hodie verò per cheirographa debitorum manu ſubſcripta, & à proxeneta agnita res tractatur. at nummularij & trapezitæ, & menſarij, collectarijque, inferioris gradus erant, nec tantæ autoritatis: quod etiam ex Plauto facilè eſt dignoſcere.

BRECHÆVS.

INTER REDDERE RATIONES. ❡ Verbum edere, diuerſa ſignificat. Nam aliquando eſt quod nunc vulgus dicit, dare per ſcriptum, vel per declarationem. Vt cùm beneficiarius prædij clientelaris poſſeſſor, patrono ſuo edit rerum in clientela ſua poſitarum catalogum. Et Vlpian. *l.1.§.de edendo.* tradit æquiſſimum eſſe eum qui acturus eſt, edere actionem: vt proinde ſciat reus vtrum cedere, an contendere vltra debeat. Et ſi contendendum putet, veniat inſtructus ad agendum cognita actione qua conueniatur. Nunc vulgus forenſium dicit dare copiam ſuæ petitionis. Quod Regia Franciſci primi conſtitutione cautum eſt. Edere (ait ipſe Vlpia.) etiam eſt copiam deſcribendi facere, vel in libello complecti, & dare vel dictare. Eum quoque edere Labeo ait, qui aduerſaria ſua ad album producit, vt demonſtret quid dictaturus eſt, vel in dicendo quo vti velit. Solebant autem apud Roman. oratores ſuas orationes edere. Quidam tamen (vt docet Cicero *in Bruto.*) non edebant, contenti in foro egiſſe: quidam domi confectas in publicum emittebant. ❡ Hodie verò in decuriis forenſibus idipſum ab aduocatis ſolet obſeruari, vt actiones ſuas actuario edant, aut eas ab actuariis exceptas ociosè recognoſcant poſtridie vel alio quouis die. Olim, inquit Budæus, in officio actorum, i. apud acta, erant qui actuarij, qui ſcribæ, qui exceptores, quiq; etiam aliquando Subadiuuæ dicti ſunt. Quæ miniſteria hodie ferè omnia, aut eis ſimilia, in officio actorum ampliſſimę curiæ eſſe cernimus. ❡ Hoc igitur inter edere & reddere rationes intereſt, quòd edere tantùm ſit rationes commonſtrare, & earundem copiam facere, & exhibere. Prętor ait, argentarię menſæ exercitores, rationes quæ ad ſe pertinent, edent adiecto die & conſule. Huius edicti (inquit Vlpianus) ratio æquiſſima eſt. Nam cùm ſingulorum rationes argentarij conficiant, ęquum fuit, id quod mei cauſa confectum eſt, meum quodammodo inſtrumentum mihi edi. *l.Prætor. ff. eodem.* At verò reddere rationes, eſt legendas offerre primum: deinde computandas vt explorari poſſit computationes probè an improbè referantur, accepta rectè celata, an non rectè. Ita enim incipit quidē res à facto: peruenit autem ad pecuniam. Quidam, inquit Calliſtr. aiunt eum reddidiſſe rationes, ſi reliqua (quæ Græci ἐλλείμματα dicunt) reddiderit. *l.cum ſeruus. ff.de cond.& demon.* Et ὑπεύθυνος à Gręcis dicitur is qui reddendis rationibus eſt obnoxius: è diuerſo ἀνυπεύθυνος vulgus noſtrum vocat, computabiles. ❡ Dicebant etiam referre rationes ad ærarium: & id pertinere ad Imperatores exercituum ex prouinciis decedentes, qui rationes

ſuas

ſuas ad ærarium referebant, id eſt, computum ſuum reddebant. Quæ omnia paſſim Budæus doctè & eleganter annotauit. Et Cicero rationem vitæ & magiſtratus geſti, aut curationis repoſci dixit, id eſt, acta ſua probare Magiſtratibus & populo: quod vernacula lingua authore Budæo, ſyndicare dicitur. λογισταὶ ἢ ἐξετασταὶ ratiociniis præerant: iſque magiſtratibus ius reddunt qui rationes ad ærarium referre debent: ab his enim rationem adminiſtratæ procurationis exigunt. ¶ Rationem quidem Labeo ait eſſe, vltrò citróque dandi, accipiendi, credendi, obligandi, ſoluendi ſui gratiá negotiationem: nec vllam negotiationem à nuda duntaxat ſolutione debiti incipere: nec ſi pignus acceperit aut mandatum, compellendum edere: hoc enim extra rationem eſſe. Sed & quod ſolui conſtituit argentarius, edere debet: nam & hoc ex argentaria venit. Eò itaq; pertinet quod hoc loco Pomponius ſcripſit, argentarium edere rationes videri, etiamſi qood reliquum apud eum ſit, non ſoluat. ¶ Qui autem reddit rationes, is τὰ ἐλλείμματα, id eſt, reliqua tenetur reddere. Vide in hanc rem quæ ſcripſi ꝫ *an l. poteſt reliquorum.*

Fornerivs.

INter edere. ¶ Rationes reddere & edere differunt, illud plus hoc minus. Nam qui edere iubetur, reliqua non ſoluit: ſed cognoſcendi, legendi, deſcribendi poteſtatem facit, ei cuius intereſt: ſin minus, tenetur in id quod intereſt. *l.8. quædam. de eden.* ¶ Atq; vt in ſuperiore rhematio, *Dum nupta erit*, primæ nuptiæ ſignificantur: ita hìc, qui edere iubetur, ſemel tantùm tenetur rationes edere, non ſæpius. *l.1. C. de dilat.* niſi cum iterum ex integro edi, idonea ſuadet ratio. ſed non ampliùs, quàm bis. & qui ſæpiùs recognitionem, ac diſpunctionem poſtulat, de calumnia iuret. *l.6. ſi. l.7. veluti. de edend. l.15. cum plures. de reb. auct. iud. poſſ.* Edere actor tenetur aduerſario, Reus actori non item. *l.1. l.5. C. de eden.* ¶ Argentarius ſemper, ſiue cum eo litigem, ſiue cum alio experiar: Quoniam aliorum rationes conficiebant, & adſeruabant, quaſi fide publica: vndique ad eos, vti hodie ad notarios, tabellionéſue, confugiebatur. *d. l.6. l.8. quædam. §. nummularios. de edend.* Gellius *lib.14. cap.2.* Ideóque viri boni à Plauto, Cicerone, ab Iſocrate *in Trapez.* πιστοὶ, id eſt fideles, nominantur, quibus, vt idem ait, διὰ τὴν πίστιν creditur. Edere autem videtur argentarius, quanuis reliquum non ſoluat: alieno ſcilicet negotio adhibitus, non ex ſuo negotio conuentus. Qui autem alienas rationes, pecunias, negotiationem adminiſtrant, vt ſocius, ſerui inſtitores, ſtatuliberi, procuratores, tutores, curatores, cæteri, reddere etiam tenentur: & reliqua perſoluere. *l.69. qui libertatis. §. ſeruus. de euict.* vnde frequens illa conditio, [Si rationes reddiderit.] *l.81. Iulius. l. ſeq. l. antep. de cond. & demonſt. l.12. Lucius. l.28. Aurelius. de lib. leg. l.6. ſi ſtatuliber. ſi. l.26. libertate. l. antep. de ſtatulib. l.7. hac venditio. de contr. empt. l. antep. de peculio leg.* ¶ Et quoniam rationes reddere, non tantùm eſt, eas cognoſcendas, legendas, examinandas, excutiendas, diſpungendáſque proponere & exhibere: verùm etiam reliqua ſoluere *l.31. ſi ſeruo. de ſtatuli.* Efficitur, eum cui libertas [Si rationes reddiderit,] relinquitur, ante reliqua illata, libertatem non conſequi. *l.4. C. de teſtam. manumiſ.* niſi heredis culpa, non ſtatuliberi fraude minus ſolutum ſit. *l.32. quamuis. de con. & dem. l.31. ſi ſeruo. ſi. de ſtatul.* Debitores quoque reipub. ad honores inuitari non poſſe certum eſt. niſi prius in id quod debetur reip. ſatisfecerint. *l.6. reſcripto. de mu. & ho.* Reliquatores enim ex honoris & magiſtratus adminiſtratione, ad remp. capeſſendam non admittebantur, lege Attica: & ne quis rationibus non relatis corona donaretur, τὸν ὑπεύθυνον μὴ στεφανοῦν. Demoſthenes pro Cteſiphonte. ¶ Sicuti clerici ad ratiocinia obligati interim promoueri prohibentur. *ti.19. lib.1. decretal.* ſumptum ex Carthaginienſi concilio.

XC. Vlpianvs lib. xvij. ad Sabinum.

QVi vti optimæ maximæque ſunt, ædeis tradit, non hoc dicit, ſeruitutem illis deberi: ſed illud ſolùm, ipſas ædeis liberas eſſe, hoc eſt, nulli ſeruire.

Alciatvs.

QVi vti. ¶ Clauſula eſt in alienationib. rerum immobilium poni ſolita, quum dicimus, nos prædium vti optimum maximúmque eſt, tradere: quæ clauſula nihil de eius bonitate, amplitudinéque diminutum eſſe ſignificat, & ideo liberum dari: quia ſi ſeruitutem aliquam deberet, de eius iure diceretur diminutum. Quamuis ergo hac clauſula fundum liberum eſſe oſtendamus, non tamen ideo deberi illi aliquam ſeruitutem per vicinos pollicemur. *l. pen. ꝫ. de euict.* ¶ Sanè qui fundum ſimpliciter vendit, ſi ſeruitutem debeat, talem, qualis eſt præſtare debet. *l. cùm venderes. de contr. emption.* competit tamen emptori actio quanto minoris, ſi ſeruitutis ignarus rem emit. *l. quoties. de adil. ed.* poterit etiam ex empto agere. *l. in venditio. de actio. empt.* ¶ Quòd ſi additum ſit optimum maximúmque vendi, tãquam fides ſeruata non ſit, nec venditor parte ſua adimpleuerit, poſſe etiam ad reſciſſionem contractus agi verius eſt. Sed & ſi vicinus ſeruitutem imponi aduerſus emptorem obtinuerit, per actionem de euictione prouidebitur. *l. pen. de euictio.* atque ita ego ſentio, licet Accurſius aliter, qui eo ſolùm caſu talem, qualis eſt, fundum præſtandum credidit, cùm venditor expreſsè prædixit, ſe eum vti optimus maximus eſt nolle præſtare. *d. l. cùm venderes.* quæ interpretatio Iuriſconſulti verbis non quadrat.

Brechævs.

QVi vti. ¶ Solent vulgò Notarij & pactorum perſcriptores apud noſtrates in contrahendis ac diſtrahendis rebus, nuncupata verba hæc deſcribere: *Tout ainſi que les choſes ſe pourſuiuent & comportent.* Idque aſſueta magis formula, quàm rectè expenſo animi iudicio, vt ſunt vulgò rudes atque imperiti. At multæ quidem inde oriuntur controuerſiæ. Si quis enim ita domum ſuam vendidit, cuius tamen particulam aliquam alij ante diſtraxerat, aut toti ipſi venditæ rei ſeruitutem impo-

ſuerat

ſuerat, vnde longè minus vtilis commodáue domino futura ſit, an teneatur ipſe venditor rem totam atque integram, aut liberam ſeruitute præſtare emptori qui vti optimæ maximæq; ædes eſſent, emit? Et in hac parte nonnihil diſtinguendum fuit. Aut enim quod ante venditionem poſteriorem ex toto ipſi rei venditę detractum eſt, ita afficit incommodo totam ipſam rem, aut ſi qua tandem ſeruitus eſt impoſita, vt re vẽdita, neq; cõmode neq; liberè vti emptori fuerit integrum, vt frequenter ſolet accidere: & id quidẽ vitij emptori venditor tacuit, tunc ſanè debet tantundem pręſtare venditor, quantò minoris emiſſet emptor, ſi reſciuiſſet vel hanc ſeruitutem impoſitam, vel particulam illam detractam à toto ipſius rei venditæ. Vlpianus *in l. quoties. ff. de ædil. edict.* Itaque tenetur venditor emptori, de dolo replicatione, ad id quod intereſt, quod vitium rei à ſe venditæ conſultò reticuerit. *l. Quarcitur. §. ſi venditor. d. tit. de ædil. ed. l. Iulianus. §. quod autem dicimus. ff. de actio. empt.* Aut iterum, quæ ſeruitus impoſita eſt rei venditæ, nihil eam ipſam rem incommodat, nec eapropter minus licebit vti re empta: vel ſi quid ante detractum eſt & ſeparatum, quanuis ædibus venditis adfixum, earum nihilominus vſum commodúmque nequaquam minuit, nihil hercule venditorem peccaſſe dixerimus. Nam ſi quid voluptatis gratiâ tantùm ædibus appoſitum erat, & cùm eaſdem venderet venditor, detraxit, vt ſunt picturę, Icones, & alia id genus, tametſi adiecerit venditur, VTI OPT. MAX. ędes ſunt, idipſum tamen vt præſtet, conſtat eum non teneri, quandoquidem hæc pactorum formulæ verba, VTI OPT. MAX. ad vtilitatem commodúmque rei venditæ, non ad voluptatem, referenda ſunt. Qua de cauſa, cum fundum venderes, non adieceris ita VTI OPTIMVS MAXIMVSQVE eſt, Celſus ſcribit non liberum, ſed qualis eſſet fundus, præſtari oportere: idémque in prædiis vrbanis eſſe dicendum: *l. cùm venderes. ff. de contr. emp.* Sed id tamen accipiendum, vt abſque ſeruitute, quæ vſum rei imminuat, fundus tradatur, *vt l. pen. de euict. & l. in venditione. ff. de act. emp.* In venditione (inquit Papinianus) ſuper annuâ penſitatione pro aquæ ductu intra domum Romæ conſtitutam nihil commoratum eſt, deceptus ob eam rem, ex empto habebit actionem. Itaque ſi conueniatur ob precium ex vendito, ratio improuiſi oneris habebitur. Vnde (ait Accurſius) fiet compenſatio, ſi pro ſeruitutis vſu quicquam ab emptore perſolutum ſit, vt *l. quoniam. C. de compenſat.* vide quæ ſcripſi in *l. non tantum. ĩ. hoc tit.*

FORNERIVS.

QVI VTI. ¶ Frequens in traditionibus, ſtipulationibus, emptionibus, teſtamentis clauſula hæc veteribus fuit, [Vti optimæ maximæque ædes ſunt.] vel [Vti optim. Max. fundus.] qua ſignificabant, nullam ædibus venditis vel legatis ſeruitutem impoſitam, eas liberas quidem eſſe: non autem ipſis alienas ſeruire ædes. Quod inculcatur *& l. 169. non tantùm. ĩ. h. t.* ¶ Hæc autem verba, *Optima, maxima.* (quæ auctore Val. Probo duabus apud priſcos literis. O. M. notabantur) idem valent, quod, liberum, plenum, ἀνυπεύθυνον, nulli obnoxium, vel ſubditum. *vt in l. 59. cùm venderes. de contr. em. l. 22. fundo. de fund. inſtr. l. 48. cum fundus. l. pen. ĩ. de euict.* & in capite teſtamenti M. Megonij, [Optima maximáque ſunt, finibus ſuis quæ mea fuerunt.] M. Cicero. *de Aruſpicum reſponſis.* [Multæ ſunt domus in hac vrbe, atque haud ſcio an penè cunctæ, iure optimo: ſed tamen iure priuato, iure hereditario, iure auctoritatis iure mancipij, iure nexi: Nego eſſe vllam domum aliam, priuato, eodem quoque optima lege, publico verò omni præcipuo & humano & diuino iure munitam.] Idem *de lege Agraria in Rullum.* [Optimo enim iure ea ſunt prędia, quę optima conditione ſunt.] *Et de Serui Sulpitij ſtatua Philippica 9.* [Quod ſepulchrum, inquit, ipſius liberorum, poſterorúmque eius ſit, quod optimo iure ſepulchrum publicè datum ſit.] Idem *vltima in P. Rullum*, verba Seruilię legis referens, *Ea omnia*, inquit, *eo iure ſint, vt quæ optimo iure priuata ſunt.* ¶ Opponitur quod paulò pòſt eodem capite ſequitur, *non obſignata omnia* id eſt, obnoxia: Quid Athenis ἄσικτον χωρίον, ex Arpocratione, & Heſychio tradidimus. ¶ Sic optimo iure poſſidere *l. 29. fideiuſſor. §. pater. de pign.* Optimo iure venire in poſſeſſionem, id eſt minimè ob ætatam, apud Quinctilianum, *declam. 336.* Dos non optimo iure, Theodoſio, quòd ſcilicet oneribus matrimonij ſeruiat. *l. 20. pro oneribus. C. de iur. dot. l. 7. dotis. ĩ. de iur. dot.* [Nec inter, inquit, lucratiuas numerabitur, nec deſcriptionis oneri ſubiacebit. Nec enim iuris optimi eſt matrimonium: Cùm tot tantíſque ſuis difficultatib. opprimatur, aduentitiis etiam cumulare ponderibus.] *l. vn. de impon. lucr. deſcript. lib. 10. C.* Sic *optima lege* creabatur Dictator, inquit Feſtus, cui pleniſſimum ius tribuebatur: Id eſt vt Suidas expunit. ἀνυπεύθυνον ἔχων ἀρχὴν, καὶ ἀνυπεύθυνον. Sic optima lege virgo Veſtalis à pontifice maximo capiebatur, quæ (vt Fabius Pictor apud A. Gellium *lib. 1. cap. 12.* ſcribit) ſine emancipatione, ac ſine capitis deminutione, à patris poteſtate diſcedebat. Inde & illud, quòd Tullius ſecunda de lege Agraria oratione, queritur P. Rullum decemuirus agris diuidendis optima lege: id eſt regia penè, & ſoluta legibus, liberáque poteſtate, creaſſe. Quæ cùm ita ſint, facilè adducor, vt *l. 1. tit. 3. lib. 11. C. Th.* emendaturus pro *opimos* reſtituam, *optimos*, id eſt, vt paulò poſt ſequitur, immunes. *Ædes trad.* ¶ Rectè dixit ædes. In fundo fortaſſe ſecus: quo conceſſo, tacitè non modò iter, ſed & neceſſaria ad ſeruitutis vſum ſubſtructio ſequitur. *l. 9. ſi cui. de ſeruit.* Imo verò fundo legato VT OPTIMVS MAXIMVSQVE EST, retia apraria, & cætera venationis inſtrumenta continebuntur. *l. 22. fundo. de fund. inſt.* *Nulli ſeruire.* ¶ Quod ferè præſumitur: niſi impoſita prædio ſeruitus oſtendatur. *l. 8. altius. C. de ſeruit.* Pluris autem ęſtimatur fundus liber: contráque permultum de fundi pretio, qui ſeruitutem debet, decedit: eo nomine quanti minoris venditor tenetur, qui ſciens ſeruitutem celauerit, *l. 1. l. 8. ſi tibi liberum: de act. emp. l. 61. quotiens. de æd. ed. l. 69. qui libertatis. §. pen. l. pen. de euict.*

XCI. PAVLVS lib. ij. Fideicommiſſorum.

MEORVM & tuorum appellatione actiones quoque contineri dicendum eſt.

Alciatvs.

Meorvm. ¶ Quoniam meum dicitur id, quod vendicare poſſum. *l. Quintus.* ꝭ. *de aur. & arg.* conſtéique actiones tanquam res incorporales non vendicari, videbatur hac appellatione eas non contineri, ſed Iuriſconſultus aliter cenſuit. Qui ergo omnia ſua, vel omnes res ſuas donat, & nomina debitorum donaſſe intelligetur. & ita communiter traditum eſt *l. ſi legatus. §. ſi quis. l. nam quod. §. fi. ad Treb.* idem enim eſt, ſiue omnia mea dixerim, ſiue addito vniuerſali ſubſtantiuo, omnes res meas, ſeu bona mea dicam. ¶ Sed ſi generale ſubſtantiuum appoſitū proponatur, vt ſi quis dicat, argentum meum, veſtes meas, hæc pronomina ad dominium vel quaſi dominium referentur *l. ſeruos autem. de leg. 3.* niſi ſubiecta materia aliud velit, vt cum ſeruo, vel monacho pecunia ſua legetur, nec enim illi quicquam in dominio habere poſſunt. *l. 4. de man.* vel cùm de famulis ſuis quis loquitur. nam ſi in dominio eos ſuo haberet, ſerui eſſent, non famuli. ¶ Sed & cùm colonus vineas ſuas, armiger (quem hippagium vocant) equos ſuos dicit, ratione curæ intelligitur, non dominij. *gl. l. 2. in pr. de orig. iur.* Quoties verò ſubſtantiuo particulari id pronominis iungitur, demonſtrationē facit, præterquam ſi futurum reſpiciat: vt cùm lego Stichum, qui meus erit, tunc conditionale legatum eſt. *l. 4. de lega. 1.* Celebre eſt Biantis illud dictum, cùm patria ſua capta, omnes cum rebus ſuis fugerent, ipſe interrogatus, cur ſolus bona ſua non aſportaret: Ego, inquit, omnia mea mecum porto. Inde oſtendens bona animi propria & noſtra eſſe, non corporis. Scribit Philoſtratus, Cyrum Perſ. regem cùm exercitum in Odryſios moueret, oraculum Orphei conſuluiſſe, reſponſúmq; accepiſſe, τὰ ἐμὰ ὦ κῦρε σὰ, id eſt, mea ô Cyre tua, quod ille interpretatus eſt, tanquam Odryſios, quibus Orpheus imperauit, ſubacturus: cùm ad genus mortis alluderet. Sicut enim Orpheus à mulieribus interfectus eſt, ita Cyrus à Maſſagetarum regina. ¶ Quibus exemplis conſtat has dictiones lariſſimæ ſignificationis eſſe.

Brechævs.

Meorvm. ¶ Principio omnium gentium cùm homines hominum cauſa generatos procreatóſq; ſe eſſe cognoſcerent, ac quandam vitæ ſocietatem, & communitatem iniiſſent, omnia inter ſe fecerant communia: nec cuiquam fas erat proprij aliquid ſibi aſſumere. ¶ At verò poſtquam ſæua inceſſit habendi libido, diſtincta tandem fuere populorum arbitratu paſſim dominia, & agris termini adpoſiti: cœperúntque hæc duo, [meum, & tuum.] Inde regna & imperia: inde quoque bella orta ſunt, & captiuitates ſecutæ: inde lites, iurgia, diſſidia inter homines hominum, & omnis malorum colluuies ac errorum ilias. Quid autem vitium habeant in ciuitate hæc verba, [meum & non meum, tuum & non tuum:] videbis apud Platonem *lib. 5. de Repub.* Exinde ius ortum & leges, quas Græci τοὺς νόμους περὶ τὸ νέμειν appellarunt, & dominiorum diſtinctionem ac rerum diuiſionem. Quod ſatis diffusè tradidimus *in commentariis noſtris ad ſtatuta municipalia præfecturæ Turonen.* Quapropter dicimus, meo iure, tuo iure, ſuo iure. Et meo iure agere, & iure meo decedere, i. mea, tua, ſua facultate vel authoritate, vel conceſſa, mihi omnium conſenſu, libertate & poteſtate, teſte Budęo. ¶ Meum igitur idipſum aſſerere poſſum, quod à me abſque mea iniuria auferri nequit. Agricolam tamen qui domino ſuo agrum colit, poſſe eum agrum ſuum dicere Accur. ſcripſit *in l. 2. de orig. iur. in verb. non quia Papyrius.* citátque in eam rem *l. cùm aliquis. C. de iur. del.* Cui ego quidem vix ſubſcripſerim, niſi ex improprio accipias. Quod enim à me reuocari poteſt (ait Connan. *lib. 5. Com. iur. ci. c. 4.*) meum non dicitur, ſicut non liberatur debitor dando rem quam debet, niſi eam perpetuò meam efficiat. Vnde fit vt credam mutuum impropriè dictum à Iureconſulto, quòd ex meo tuum fiat. Nam quod mutuum datur, non ita fit accipientis, vt idipſum vel quiduis aliud eiuſdem naturæ & qualitatis reſtitui aliquando non debeat. Vnde ex contractu mutui naſcitur actio quæ vocatur cōdictio certi. Quippe nummi qui eo animo dati ſunt nunquam vt reſtituantur, non mutui ſed magis donationis ergò traditi cēſentur. Quid ſi aliquid meum eſſe bona fide aſſero, cùm tamen re vera meum non ſit, an iure meum dicam? Scribit Vlp. mulierem, ſi intercedendi animo, alienum ſuum eſſe ſeruum reſponderit, quaſi interceſſerit, auxilio Velleiani Senatuſc. vti debere. Planè ſi pro bona fide ſibi ſeruiente reſponderit, non videri interceſſiſſe. *l. ſi mulier intercedendi. ff. ad Velleia.* Quandoquidem quòd conſultò ſciénſque rem alienam meam dixerim, non ideò meam iure mihi vindicare poſſum. Sed cum bona fide, vt qui rem alienam, meam eſſe crederem, eandem tradidi, meam cenſebor tradidiſſe, ſed ita demum vt doli mali actione liberer. *l. ſi mulier in iure. d. tit. ad Vel.* Planè id meum quidem eſt, quod pro iure quodammodo meo licet mihi aſſerere & vindicare. *l. Quintus. §. argento. & §. ſeq. ff. de aur. & arg. leg.* Argento (inquit Vlp.) omni legato quod ſuum eſſet, ſine dubio non debetur id quod in credito eſt: hoc ideò quod non videtur ſuum eſſe, quod vindicari non poteſt. Et paulò ꝭ. Cui legatum eſt aurum omne quod ſuum eſſet cùm moreretur, eius omne aurum fiet quod tunc paterfamiliâs cùm moreretur, vindicare potuit ſuum eſſe. Hoc autem intelligi vult Bart. vt quod meum eſt poſſit à me vindicari vel per publicianā, vel rei vendicatione: quia cum titulo & bona fide poſſideo, & meum aſſero. Nec cùm intendo actionem, ſatis fuerit libello meo ſcribere fuiſſe meum, ſed meum eſſe: vt ſi petam fundum qui fuit meus: quamuis hoc videatur vulgati doctorum ſententiæ aduerſari, dicentium eſſe ſatis libellum præſumptiuè concludi. Quod quidem diſcutit Bart. *in l. certum. §. 1. ff. de confeſ.* ¶ Id igitur propriè meum dicere poſſum, quod ad me dominij iure pertinet. Nam hæc verba *meum & tuum*, dominij ius ſignificant, vt tradit Bald. *in rub. C. de ver. ſig.* & ipſe quoque Bart. *locis ſ. citatis.* Qua ratione (ait Paul.) rectè dicimus eum fundum totum noſtrum eſſe, etiam cùm vſusfructus alienus eſt: quia vſusfructus dominij pars, ſed ſeruitutis ſit, vt via & iter: nec falsò dictum eſt meum eſſe cuius non poteſt vlla pars dici alterius eſſe. Vnde, meum id eſſe cenſebitur quod in bonis meis eſt. Sed rem in bonis noſtris intelligimur habere, quoties poſſidentes, exceptionem, aut amittentes, actionem ad eam rem recuperandam, habemus. Modeſtin. *l. rem in bonis. ff. de acq. re. do.* Quare cùm in bonis meis dicatur id eſſe quod meum

eſt, &c

eſt,& bonorum appellatione generali iura & actiones veniant, vt *l. bonorum. & l. Princeps bona. Suprà hoc tit.* conſequens eſt, vt *meorum & tuorum* appellatione, iura quoque & actiones rectè comprehendantur. Martianus in *l. ſi legatus. §. ſi quis bona. ff. ad Senatuſc. Trebell.* Hinc eſt, quòd ſi quis bona ſua legauit, actiones quoque ad ea bona conſequenda legaſſe cenſetur. Quod ipſum quomodo præſcribi ac limitari debeat, eſt apud Bart. *in d. l. quintus. §. argento.* ¶ Quæras autem, an cùm legaui bona mea, videar ſimul legaſſe ea quæ non in totum ſunt mea, verùm in partem, aut quæ mihi cum alio ſunt communia? Et verius eſt, vt videar legaſſe eam tantùm quam habeo in re communi partem, quamuis totum partium, meum appellare poſſim, ſed non vltra partem meam, de eo toto ſtatuere. In eam ſententiam ſcribit Bald. *in l. 1. C. de com. re. alien.* Citat in hanc rem. *l. duo fratres. ff. de acquir. hered. l. Seruus communis omnium. ff. de ſtipul. ſeru. l. Serui electione. §. Labeo. ff. de leg.* 1. Quandoquidem cum dico id meum eſſe quod mihi cum alio commune eſt, non id ex propria verbi ſignificatione accipiendum erit, ſed ex improprio καὶ καταχρηστικῶς ac tranſlaritia interpretatione, vt cenſet Bart. in *l. illud. ff. de ritu nupt.* Illud dubitationis eſt (inquit Caius) an & qui communem libertam vxorem duxerit, ad hoc ius admittatur. Iabolenus negauit. Quia non propriè dicitur eius liberta, quæ etiam alterius ſit. Aliis contra viſum eſt: quia libertam eius eſſe negari nõ poteſt, licet alterius quoq; ſit liberta. Quam ſententiam plerique rectè probauerunt. Vbi tamen Caius videtur ſentire, meum poſſe id dici quod commune ſit. Sed Pomponius in *l. Pupillus. §. fin. ī. b. t.* Verbum ſuum (ait) ambiguum eſt, vtrum de toto, an de parte ſignificet. Et ideò qui iurat ſuum non eſſe, adiicere debet, neque commune eſſe. Quare eum meum aliquid aſſero, id ipſum non in partem, ſed in totum propriè meum dico. De qua re vide apud Bart. *in d. l. Serui electione. de leg.* 1. Dyn. & Accurſ. not. *in l. id quod noſtrum. ī. de reg. iur.* Quo loco vide Guliel. Mayner. multa in hanc rem ſcribentem.

FORNERIVS.

MEORVM.] ¶ Meum & mihi debitum hoc differunt, quòd illud propriè ad dominium, hoc ad actionem referatur: Itaque qui ſeruos ſuos, pecuniámve ſuam legat, de iis qui ſint pleno iure teſtantis ſenſiſſe, non ea quæ in nominibus ſint, aut in fructu, aut pignori habeat, legaſſe intelligitur. *l. 73. ſuos. de leg.* 1. M. Cicero Topic. [Non ſi vxori vir legauit omne argentum, quod ſuum eſſet, idcircò quæ in nominibus fuerunt, legata ſunt. Multum enim differt, in arcáne poſitu ſit argentum, an in tabulis debeatur.] Id eſt, vt Vlpianus, Argento omni legato, quod ſuum eſſet, non debetur id quod in credito eſſet. *l. 27. Quintus. de aur. & arg. leg.* hoc ideò, inquit, quia non videtur ſuum eſſe, quod vindicari non poſſit. Res enim noſtras propriè vindicamus, creditas cõdicimus. *l. 9. ſi ego. de iur. dot. l. 27. quicquid. de acq. rer. dom. verſ. appellamus. de actioatb.* Sed tamen aliquando ſuum id eſt, ſibi debitum. *l. 57. ſi & me. ſi cert. pet. l. 44. repetitio. de cond. ind.* Cicero de nouis tabulis ſeu χρεῶν ἀποκοπῇ diſſerens *lib. 2. offic.* [Ne ſit æs alienum, quod reip. noceat: vt locupletes ſuum perdant, debitores lucrentur alienum. Quinctilianus *declam.* 273. [Quamuis ad te bona pertinerent adulteri, recepturus tamen creditor ſuum fuerit.] Quoniam qui actionẽ habet, ſpe certè rem habere intelligitur, & petere ſuum recipereque creditor, id eſt ſibi debitum dicitur. *l. 1. § fine autem. ſi quar. rer. act. l. 36. cum is qui. de ſolut. l. 21. vt mihi. de donat. l. 5. §. ſi cum. de dol. except.* ¶ Vnde cùm in contrahendo mutuo dominij tranſlatio, meique datio requiratur, dubitatum fuit, an & de mihi debito, ita in creditum poſſet, quod artificio breuis manus benigniùs admittitur. *l. 15. ſingularia. ſi cert. pet.* Et quoniam Fideicõmiſſa, (de quibus accipiendum eſſe hunc locum vel ipſius admonet inſcriptio) humaniore ſemper interpretatione adiuuantur, non dubitatur, quin ſi paterfamilias bona ſua, vel omnia ſua reſtitui heredem rogauerit, fideicommiſſariam reſtitutionem intelligendam eſſe, de actionibus quoque: [Nam meorum & tuorum appellatione etiam actiones contineri.] *l. 14. nam quod. l. ſeq. l. 30. ſi legatus. ad S. C. Trebel.* ¶ Apud ſe habere id quiſque videtur, de quo actionem habet: habetur enim iuris effectu ac poteſtate, quod peti poteſt. *l. 143. is apud. ī. hoc tit. l. 15. is qui actionem. ī. tit. ſeq.*

XCII. IDEM lib. vij. Quæſtionum.

PROXIMVS eſt, Qui nemo antecedit: ſupremus eſt quem nemo ſequitur.

ALCIATVS.

PROXIMVS. ¶ Superlatiuum nomen eſt, & ideo ex natura ſua poſitiuũ præſupponere deberet: *l. vbi. de verb. obligat.* ſicut optimus præſupponit cæterorum meliorem, & maximus ampliorem. *l. illa verba. ī. eo.* ſed tamẽ in iure hoc non ſeruamus. ¶ Et cùm lex proximo agnato hereditatẽ deferat, ſi vnus ſolùm ſuperſit, is proximus dicetur. *l. 2. §. proximi. vnde co.* Quod & de dictione primus, obſeruandũ eſt: vnde primogenitus dicetur, quem nemo ſequitur, dum ante ſe neminẽ habeat. *ca. Ioſeph. extra eo.* Sed & lex quæ primogenito regnũ defert, in eo locũ ſibi vendicabit, cuius fratres maiores natu ante delatã heredit. deceſſere: quod etiã approbat Bald. *l. ſi quis. §. talem. C. de ſec. nupt.* quoties quis ſibi & primogenito emphyteuticũ ius acquirit. *l. a. C. de iur. emphyt.* ſatis eſt. n. ne aliquẽ ante ſe habeat. ¶ Quod & in pluribus recipiendũ eſt, vt duo eiuſdẽ gradus, ambo ad ſucceſſionẽ admittãtur. Et ſi corona muralis ab Imperatore illi promiſſa ſit, qui primus murum aſcenderit, ſi duo eodem tempore aſcenderint, vtriq; ſua debebitur: verum eſt enim eos primos, quos nemo anteceſſit: & ita obſeruaſſe P. Scipionẽ autor T. Liuius eſt, *lib. 26.* nec noſtrates Doct. omnino reclamant. *l. 1. qui filiabas. §. t. de leg.* 1. ¶ Et quod de proximo dictũ eſt, eadẽ ratione in ſupremo receptum eſt, vt ſupremus dicatur, quem nemo ſequitur. vt cùm prætor bon. poſſ. ſecundùm Tab. ſupremas pollicetur: *l. 1. §. 1. de bon. poſſ. ſec. Tab.* fitq; hac ratione, vt ſi vnus ſupereſt, idẽ proximus & ſupremus ſit. Quod adnotandũ eſt, cum quis ei, qui ſupremus morietur, ſubſtituit. *l. qui duos. de reb. dub.* ¶ His cõſequens eſt quæſtio, cùm filio teſtator ſubſtituit eum qui tunc ſecundogenitus erit filiorum ſororis ſuę, & defuncto primo, colligat ſecundus cum tertiogenito: putauerim enim tertium admitti, quia tunc is ſecundogenitus eſt filiorum ſororis: & ita ex facto conſultus reſpondi.

BRECHÆVS.

PROXIMVS. ¶ Quandocunq; lex proximo hereditatem defert ab inteſtato, is proximus intelligitur quem nemo alius anteit ſuccedendi iure: atqui tunc cùm repudiatur hereditas primus eſt, vt ſcribit Vlp. *in l. poſt conſanguineos. § proximum. ff. de ſuis & legit. hered.* Quod facto teſtamento intelligendum Accurſius cenſuit. Nondum enim condito teſtaméto, tempus mortis conſiderandum erit, quo mortuus eſt is de cuius agitur ſucceſſione. Quòd ſi teſtamento facto quiſquam deceſſerit, per hoc tempus requiritur quo certum eſſe cœperit nullum ex teſtamento heredem futurum. Tunc enim propriè inteſtatus quiſque deceſſiſſe intelligitur, *§. proximus. Inſtit. de legit. agnat. ſucceſſ. l. ſi ex duobus. ff. vnde legit.* Et alio loco Vlpianus ait, proximum accipere nos oportere eo tempore quo bonorum poſſeſſio defertur. Si quis igitur proximus cognatus, dum heredes ſcripti deliberant, diem ſuum obierit, ſequens quaſi proximus admittetur: hoc eſt, quicunque fuerit tunc deprehenſus proximum locum obtinere. Proximus etiam accipitur qui ſolus eſt, quamuis propriè proximus ex pluribus dicatur. *l. 1. §. proximus. ff. vnde cog.* Sic è diuerſo, ſupremus dicitur vltimus, & quem nemo vrdiue ſequitur. Vnde dies ſupremos, & ſuprema morientis mandata. Virgil. *lib. 3. Æneid.*

Nec minùs Andromache digreſſu mæſta ſupremo

Fert picturatas auri ſub tegmine veſtes, Supremo, id eſt, vltimo, poſtquàm eorum deſperabat aſpectum, ait Seruius. Et *eodem lib. paulò ſup.*

Sanguinis & ſacri pateras, animámque ſepulchro

Condimus, & magna ſupremum voce ciemus.

¶ Qui duos (inquit Tryphon *l. qui duos. ff. de reb. dub.*) impuberes filios habebat, ei qui ſupremus moreretur, Titium ſubſtituit, duo impuberes ſimul in naue perierunt, quæſitum eſt, an ſubſtituto, & cuius hereditas deferatur? Dixi, ſi ordine vita deceſſiſſent, priori mortuo frater ab inteſtato heres erit poſteriori ſubſtitutus. Is eſt tamen hereditate etiam ante defuncti filij habebit hereditatem. In propoſita autem quæſtione, vbi ſimul perierunt, cùm neutri frater ſuperſtes fuerit, quaſi vtrique vltimi deceſſiſſe videantur: an verò neutri, quia comparatio poſterioris decedentis ex facto prioris mortui ſumitur, quæritur. Sed ſuperior ſententia magis admittenda eſt, vt vtrique heres ſit. Nam & qui vnicum filium habet, ſi ſupremo morienti ſubſtituit, non videtur inutiliter ſubſtituiſſe: & proximus agnatus intelligitur etiam qui ſolus eſt, quique neminem antecedit: & hic vtrique (quia neuter eorum alteri ſuperſtes fuit) vltimi primique obierunt. Sic etiam diuinus ille Hippocrates dixit, τὰ ἔσχατα νοσήματα, τοῦτ' ἐστι μέγιστα, μετ' οὐκ ἔστιν ἄλλα, vt Galenus in eum locum eſt interpretatus. ¶ Præterea & circumiacentes locos, rectè proximos appellauerimus. Sic enim Eraſmus in *Annot. in nouum teſtam. Marci, 6. cap.* ἀπόλυσον αὐτοὺς ἵνα ἀπελθόντες εἰς τοὺς κύκλῳ ἀγροὺς καὶ κώμας, &c. Dimitte illos vt abeant in circumiacentes agros ac vicos. Vulgata verſio habet, proximas villas, quod etiam rectè verſum erat. Vide reliqua quæ ſcripſi ꝑ *in l. proximi appellatione.*

FORNERIVS.

PROXIMVS. ¶ Perpetuum non eſt, vt in iis quæ inuicem comparantur ex Dialecticorum legibus, altero poſito, alterum quoque poni neceſſe ſit. ¶ Supremus moritur, etiam vnicus, ſupremę tabulæ habentur & ſolæ: optimus maximus fundus etiam ſolus. *l. 162. in vulgari. l. ſeq. ꝑ. h. t.* Primus etiam, quem alter non ſequitur Hieronymus in Heluidium, [Mos eſt ſcripturarum, inquit, vt primogenitum non eum vocent, quem fratres ſequantur, ſed eum qui primus natus ſit.] *c. 5. de verb. ſign.* Primus, inquam, non is ſolus dicitur, qui ante alios eſt, ſed & is, quem præcedit nemo. *l. 34. ex duobus. de vulg. & pup.* vt proximus hic, ante quem nemo ſit. *& l. 1. §. proximus. ꝑ. vnde cognat.* ¶ Quid igitur, Si præmio ei qui primus aſcendiſſet murum propoſito, duo pariter aſcenderint, an vterque, an neuter conſequetur? Quia nulla hic ordinis ratio notari poteſt, nec alter alterũ anteuertit, imò ipſi ſibi æqua animi fortitudine inuicem obſtant. *l. 42. qui duos. l. ſeq. de her. inſtit.* quidam præmium denegandum vtrique cenſent: quoniam nulla inter pares victoriæ laus, & nulla prioris aut poſterioris comparatio ſumitur. *l. 9. qui duos. l. 10. ſi fuerit. de reb. dub. l. 13. ſi reus. de duobus reis.* Hæc quidem ſummo iure: verùm ex æquitate cùm reip. interſit fortium militum animos præmiis accendere, ac benè, quàm malè merendo, vtrique potiùs, quàm neutri præmium oſtenſum (P. Scipionis exemplo) dependere, humanius fuerit. [Nemo antecedit.] ¶ Agathocles Peripateticus, cùm arrogantiùs gloriaretur, quòd vnicus ipſe, atque adeo è Dialecticis primus, arguitè Demonax apud Lucianum, [Si quidem primus es, inquit, non es ſolus. Si verò ſolus, minimè primus.] Philippus cùm multos eſſe Rom. duces: ſe verò ſolum & vnicum Macedonibus imperare diceret: Tu verò, dicebat Quinctus, ipſe te ſublatis cognatis & amicis, ſolùm effeciſti. Plutarchus *Apophi.*

XCIII. CELSVS lib. xix. Digeſtorum.

MOVENTIVM, item mobilium appellatione idem ſignificamus. Si tamen apparet, defunctum animalia dumtaxat, quia ſe ipſa mouerent, mouentia vocaſſe. Quod verum eſt.

ALCIATVS.

MOVENTIVM. ¶ Licet mouentis actiuam ſignificationem reſpiciant, ſicut mobilia paſſiuam, tamen pro eodem accipiuntur, niſi aliter de mente conſtet: vt in edicto prætoris, *l. à diuo. §. 2. de re iud.* in quo executionē rei iudicatę nõ priùs fieri debere in mouẽtib. vt equis, mulis, aſinis, bobus, & ſimilib. oſtẽditur, quàm in mobilibus facta ſit, dum tamẽ id debitori cõmodius videatur. ¶ Dũ

ergo

ergò hoc in reſponſo legitur, ſi tamen apparet, caſtigatior lectio eſt, ſi non apparet, & id etiam Latini ſermonis ratio poſtulat. ¶ Sed an nomina vel iura mobilium vel immobilium appellatione comprendentur? Et non comprendi certum eſt, *l. quam Tuberonis. de pec. d. §. 2.* ſeparata quippe eſt ſpecies. Sed ſi ſub altera prædictarum ſpecierum hæc quoque collocanda eſt, vt quia conſtet de omnibus bonis actum, de eis iudicabimus, quod de actionibus, vt ſi rem mobilem petam, id nomen inter mobilia computetur: ſi rem immobilem, inter immobilia. Et hoc Dinus probauit *in l. poteſt. ſupra de auth. tut.* quod ex vi ſermonis non eſt, ſed ex interpretatione legis, quoniam qui actionem habet, rem ipſam habere videtur. Sed & ſi conſtitutione prohibitum ſit, quæcunque bona, ſiue mobilia, ſiue immobilia, in extraneos transferri, de iuribus quoque actum videtur: iura enim impropriè inter immobilia computantur. ¶ At illa dictio, quæcunque, propter generalitatem etiam ad hoſce improprios caſos trahitur. *Rom. l. in tempus. in fin. de vſuc.* Vnde, quicunque heres, etiam impropriè heredē comprendit: & cùm de quibuſcunque contractibus loquimur, *Modeſt. l. vnius. §. cogniturum. 5. de quæſt.* etiam de abuſiuis dicimus: quod tamen procedit, cùm nulla differentiæ ratio adſignari poteſt. ¶ Et quod de nominibus diximus, in annuis quoque reditibus locum habet, *Clem. exiui. de verb. ſignif.* in quibus tamen fit huiuſmodi diſtinctio, vt ſi perpetuò debeantur, immobilibus æquiparentur: ſi verò breui tempore ſint duraturi, mobilibus. *cap. querelam. de elect.* ¶ Sed hanc ego diſtinctionem ita intelligo, vt ſi dies ceſſit, incipiántque iam deberi, mobilibus æquiparentur. nam cùm actio inde competat, videtur res ipſa haberi, alioquin immobilium potiùs ſimilitudinem in eis approbo. ¶ Illud non prætereundum, iura quandoque mobilibus potiùs adſcribi quàm immobilibus, quoties ratio hoc ſuadet, vt ſi lex prohibeat bona mobilia curialium ſub cuiuſquam aſpectu diuidi, *l. 2. C. quando, & quibus quarta pars.* ne paupertas alicuius detegatur: nam etiam iura continebuntur: illa enim latere, in abſconditoque eſſe poſſunt, quod de immobilibus dici nequit. ¶ Sanè nec illud omittendum eſt, quod ſententiarum receptarum *lib. 3. tit. 9. de vſuſfructu.* ſcriptum Paul. Iuriſconſ. reliquit. *l. ſi chorus. de legat. 3.* is, Mobilibus, inquit legatis, aurum vel argentum non debetur, niſi de his quoque manifeſte ſenſiſſe teſtatorem poſſit oſtendi.

BRECHÆVS.

MOVENTIVM. ¶ Sermone quidem proprio, mobilia ſunt quæ ſupellectilis, quæ inſtrumenti penuſve nomine continentur: vt lectus, veſtis, menſa, & cætera id genus. Sed mouentia, ſunt animalia viuentia quæ poſſeſſionis noſtræ ſunt. Tamen plerunque alterum pro altero καὶ συμμιγῶς vſurpari ſolet. Vlp. *in l. à diuo Pio. §. 2. de re iud.* In venditione (inquit) pignorum captorum facienda, primò quidem res mobiles & animalia capi pignori iubentur, & diſtrahi. Quòd ſi nulla mouentia ſint, a pignoribus ſoli initium faciunt. Ibi ſanè mouentia pro mobilibus poſuit Vlp. Cęterùm an molæ aquariæ & fluuiatiles mobilium nomine contineantur, & quid appellatione mobilium veniat, diximus in *Procheiro omnium conſuetud. Franciæ:* & iterum latiùs *in commentariis noſtris ad ſtatuta municipalia ſeu conſuetudines Turonenſis præfecturæ: tit. Des choſes qui ſont reputees meuble.* Quare illuc, cum viſum erit, confugies. ¶ Ait igitur hoc loco Celſus mouentium atque mobilium eandem eſſe ſignificationem niſi teſtatorem aliud ſenſiſſe appareat. Vt cùm mouentia omnia quis legauerit, cenſetur animalia ſua duntaxat legaſſe, neque alia mobilia intellexiſſe: quia animalia motu prædita ſeipſa quidem mouerent, mouentia appellauit. Sic Vlpianus *l. 1. ad princip. ff. de ædilit. edict.* mouentia & mobilia, ἐκ παραλλήλου καὶ ὡς κατὰ τὸ αὐτὸ poſuit.

FORNERIVS.

MOVENTIVM. Subtilis inter mouentia ac mobilia differentia plerunque negligitur. Vt diuerſa ſæpe diſtinguuntur ac ſeparantur. *l. pen. C. de iur. dot. l. 1. de ædil. edict. l. vn. C. de rei vx. act. l. 2. l. 3. C. de quadr. præſcr. l. 4. C. fam. erc.* Sæpe & in Græcis Imperatorum conſtitutionibus, τὰ κινητὰ καὶ αὐτοκίνητα. ¶ Mouentia quidem ſunt animata, proprio & à ſeſe, nec aliunde accerſito motu prædita, vt pecudes, ſerui: vt Muſæi Leander αὐτὸς ἐὼν ἐρέτης, αὐτόστολος, αὐτόματος νηῦς. Mobilia verò quæ anima carent, moueri tamen, & in alium transferri locum poſſunt, vt pecunia, candelabrum, veſtis, menſa, cæteraque id genus. Neſcio an adhuc quiſquam quod a Græcis interpretibus acceptum tradam inuectorum & illatorum diſcrimen animaduerterit. Vt illa quidem ſint mobilia, τὰ κινητὰ, οἷον χρυσὸς, ἐσθὴς, καὶ τὰ λοιπά: Hæc verò τὰ αὐτοκίνητα, οἷον βόες, ἵπποι, οἶκος, καὶ τὰ ὅμοια. *lib. 20. Baſilic. tit. 1.* Sed hanc differentiam non obſeruari, vtroque nomine idem ſignificari Celſus ait, niſi teſtator aliud ſenſerit: Nihil refert vtrum mobilia, an mouentia legauerit, déque legato mouentium ſerui, iumenta, pecora, cæteraque animantia, vt contra mouentibus legatis, res etiam inanimatæ debeantur. *l. 2. de ſupp. leg. l. vlt. de reg. reis.* [Si tamen.] ¶ Mendoſa hoc loco Florentina editio: *Si,* pro *niſi, εἰ μὴ.* Eſt enim exceptio quædam, quæ ex libris dudum in vulgus editis, & Græcorum verſione reſtituitur. Τὰ κινητὰ καὶ κινούμενα, τὰ αὐτὰ δηλοῖ εἰ μὴ ἄρα δειχθῇ ὁ διαθέμενος τὰ κινούμενα, νοήσας ἐπὶ τῶν ἐμψύχων. Accedit eadem, licet in re diſſimili, Pauli oratio, [Mobilibus legatis aurum, vel argentum non debetur, niſi de iis quoque manifeſtè ſenſiſſe teſtatorem poſſit oſtendi.] *lib. 3. ſentent. tit. 6.* Sed quoniam nunc diuertendi nō commorandi locus eſt, non conſtitui, tum vberem de mobilibus & immobilibus diſputandi materiem ac ſegetem hiſce ſcholiorum anguſtiis concludere: reliqua in eum, quem propediem publicę luci deſpondemus, commentarium referemus.

XCIIII. IDEM lib. xx. Digeſtorum.

VERBVM reddendi quanquam ſignificatum habet retrodandi; recipit tamen & per ſe dandi ſignificationem.

ALCIATVS.

VERBVM *reddendi.* ¶ Reddere quandoque capitur ſimpliciter pro dare: *l. Lucius. §.1. l. heres. de leg.3.* vnde ſi teſtator alicui centum reddi iubet, quamuis nihil ipſe accepiſſet, tamen legatum deberi dubium non eſt. Quod tamen Accurſius ex interpretatione legis eſſe arbitratur. *l.5.§.eleganter.de poſſ.* non ex ſermonis proprietate: reddere enim propriè eſt retrò dare. nam plerunque per abuſum hanc præpoſitionem ſuperfluè addimus: vt cùm Lucilius dixit, Repudium remiſſum, id eſt, ſimpliciter miſſum: & Terentius, Renuntio futurum, id eſt, nuntio: quod nec Grammatici omiſêre. ¶ Verbum autem dandi propriè reddendi ſignificatum habet: quia qui reddit, vtique dat: qui repetit, petit. Hinc dicimus, ſoluto matrimonio dotem peti, *Bart. in rub. ſol. matr.* quoniam id verbum generalius eſt, & repetitionem quoque continet. Sanè huius legis argumento reſpondit Bart. *conſil.123. ancip. fullum ſic ſe.* cùm duo fratres in diuiſione certum fundum excepiſſent, pro dote vxori reddenda, tametſi non conſtet vllam dotem eos accepiſſe, tamen fieri interpretationem tanquam dotem dari ſimpliciter ſtipulati ſint: quo caſu abſenti mulieri fauore dotis actio quæritur. Quod & in verbo, reſtituendi, quoſdam approbaſſe ſuprà retuli *in l. reſtituere. ē eod.*

BRECHÆVS.

VERBVM *reddendi.* ¶ Quamuis REDDERE propriè ſit quod vel acceptum vel ablatum eſt, reſtituere: accipitur tamen aliquando pro DARE. Sic apud Cicer. reddere literas, pro tradere & dare literas. Quintilianus, Si (inquit) verum eſt poſt vetuſta ſecula & innumerabiles annos reddi rurſus aliis corporibus animas, fortaſſis in me renatus ſit aliquis ex illis. Reddi animas pro dari intellexit, teſte Laurentio Valla. *lib.2. Reddere exta* dixit Virgil. ſed Sacerdotum verbo, ait Seruius. Reddi enim dicebantur exta, cùm probata & elixa, aræ ſuperponebantur. Virgilius *lib.2. Georgic.*

Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.

¶ At verò apud Celſum in *l. cùm quidam vxori. ff. de leg.2.* Cùm vir dotem vxori ſuæ reddidiſſet, & 40. ei legare voluiſſet, & quanquam ſciret dotem ei redditam, hoc tamen prætextu ac colore verborum vſus eſſet [Iubeo quadraginta reddi vxori,] quaſi dotis reddendæ nomine eam ſummam legaſſet, 40. legati non dotis nomine deberi conſtat. Verbum enim reddendi, (ait ipſe Celſus) quanquam ſignificationem habeat retrò dandi, recipit tamen & per ſe dandi ſignificationem. vide quæ ſcripſi *ē in l. plus eſt in verb. Reſtitutionis.*

FORNERIVS.

VERBVM. ¶ Verbum reddere, etiam dare ſignificat, *ἀποδοῦναι, καὶ τὴν δόσιν ἀποδοῦ.* Quanquam reddere is propriè videtur, qui de ſuo dat. *l.1.§. eleganter. depoſit.* Apud Demoſthenem *in orat. de inſula Haloneſſo.* Caſſiodorus *lib.10. epiſt.27.* [non dare, ſed reddere videtur expenſas, quiſquis tributariis aliquo remedio ſubuenire feſtinat.] Seneca *lib.7. de Beneficiis, cap.19.* [Reddere non eſt, inquit, id quod debeas, ei cuius eſt, volenti dare.] *cap.20.* [Quàm diligenter illud excuterem, ſi non redderem, ſed darem:] Symmachus. [Iſtum mihi reddidiſti, potius quàm dediſti.] ¶ Hoc argumento Labeonem ac Trebatium vſos reſpondiſſe, Si heres ſeruo pecuniam ad negotiandum dediſſet, ſtatuliberum eam ipſam numerando, liberari ex teſtamento non poſſe. Iabolenus ait, [quia reddere eam magis, quàm dare videretur.] *l.39. Stichum. de ſtatulib.* Val. Maximus *lib.2. cap.8.* Q. Fuluio & L. Opimio triumphandi poteſtatem à ſenatu negatam ſcribit: non quidem inuidia partum, ſed ſumma iuris obſeruandi diligentia, quo cautum erat: Vt pro aucto imperio, non pro recuperatis quæ pop. Rom. fuiſſent, triumphus decerneretur. [Tantum enim intereſt, adiicias aliquid, an detractum reſtituas, quantum diſtat beneficij initium ab iniuriæ fine.] ¶ Vnde apud Vlpianum, Si ſeruus argento ſubſtracto, vel aliis rebus diſtractis nummos corraſos dederit, perueniet ad libertatem: quamuis ſi nummos ſubtractos dediſſet, non perueniret. [Nec enim videtur dediſſe, ſed magis reddidiſſe.] *l.3. de ſtatulib.* Ratio differentiæ, quòd priori caſu nummi ex re furtiua diſtracta redacti, furtiui non ſint. *l.48. qui vas. ff. de furt.* Poſteriore iuſſus dare, conditionem dandi, reddendo non impleat. *d.l.3.§. ſi decem.* ¶ Perpetua tamen non eſt ea differentia. Cùm enim vir vxori ſuæ dotem reddidiſſet, quadraginta ei legare voluiſſet, & quanquam ſciret dotem redditam, hoc tamen prętextu vſus eſſet, quaſi dotis reddendę nomine, eam ſummam legaret, Celſus huius capitis auctor, quadraginta deberi exiſtimat. *l.21. Quidam. 1. de leg.2.* Reddi quidem non poteſt vxori, quod ipſa iam à viro acceperit: at dari poteſt, nec falſa demonſtratio perimit legatum. *l.10. Quintilius. de aur. & arg. leg.* Itaque qui vxori legauerat bonorum ſuorum decimam, & mancipia & ſpecies argenti, quas expreſſerat, eidem annulos & veſtem reddi ab heredibus petit, quaſi propria vxoris fuiſſent: Quæſitum eſt, ſi vxoris non fuerint, an præſtari ex cauſa legati deberent: Scæuola reſpondit, legandi animo dediſſe ea videri, niſi contrarium ab herede approbetur. *l.18. qui vxori. de aur. & arg. leg.* Nimirum reddendi verbum, quanquam ſignificationem retrò dandi habeat, recipit tamen & per ſe dandi ſignificationem, vt hic dicitur. Ideóque falſam cauſam legato non obeſſe, quòd legandi ratio legato non cohæreat, verius eſt. *l.17. demonſtratio. §. quod autem. l.33. falſa. l.72. cum tale. §. falſam. de cond. & demonſtr.* Quod *lib.3. Selectionum, cap.15.* probauimus.

XCV. MARCELLVS lib. xiiij. Digeſtorum.

POTEST reliquorum appellatio & vniuerſos ſignificare.

ALCIA

ALCIATVS.

POTEST. ¶ Reliquorum appellatio propriè ad partem reſtantem refertur, à qua ſermonis proprietate in dubio nunquam recedimus. *Mod. l. 2. C. de hered. inſtit.* ¶ Vnde ſi ex fideiuſſoribus alter decem promiſerit, alter reliquum, ſi primus ſoluere nequeat, non tamen ſecundus in totum condemnabitur. Sed & teſtator, qui illud quod reſiduum eſt pecuniarum, apud argentarium eccleſiæ legat, ſi deinde nouis lucris eam ſummam auxerit, non tamen totam legaſſe videtur. *Paul. l. cùm ſtipulamur. §. de verb. oblig.* ſed id ſolùm, quod tunc erat. ¶ Quapropter Barbarij ſententiam nõ probo, *conſil. 33. in* 1. qui cùm Romanus Pontifex cuidam præpoſito indulſiſſet, vt de reditibus ſacerdotiorum liberè teſtaretur, dum tamen de reſiduo liberalem ſe erga eccleſiam exhiberet, reſpondit ſaltem dimidiam partem appellatione reſidui contineri: quod ipſe non approbo, cùm reſiduum propriè de quacunque reſtante parte dicatur: ſatis ergo erit, ſi boni viri arbitratu munificus ſit. Sed & eadem ratione factum eſt, vt qui 10. pro reſiduo ſoluerit, cenſeatur liberatus: *l. ſi ex pluribus. de acce.* cùm enim creditor eam ſummam ſibi reſtare fateatur, conſequens eſt, vt, ea perſoluta, debitor liberetur. ¶ Recedimus tamen quandoque à proprietate ſermonis, vt quia hoc materia ſuadeat, vel narrantis intentio: fitque eo caſu, vt reſiduum quandoque totum, quandoque nihil inducat. *l. 2. C. de hered. inſt.* Finge teſtatorem ex ſemiſſe ſpurium inſtituiſſe, ex reſiduo Titium: cùm ſpurius ſit incapax, videtur Titius in vniuerſum inſtitutus, nec enim pro parte ſolùm voluit teſtatus decedere. Qua ratione ſi quis partem domus vxori leget, quam viuens ipſe ſolebat inhabitare, ſi integram inhabitabat, tota debebitur: *l. vxori. de legat. 3.* ſiue quia videtur partem dixiſſe reſpectu aliarum domuum, ſiue quia præualet intentio, ex aliis verbis coniecta, proprietati verborum. ¶ Finge è conuerſo Titium ex aſſe inſtitutum, Sempronium in reſiduo, certè nihil ei debebitur, cùm nihil ſuperſit. *l. item quod. §. ſed ſi. & l. quis non. de hered. inſtit.* Non recedimus ergo à priore ſignificatione, niſi ex coniectura voluntatis, atque ſic communiter dici conſueuit.

BRECHÆVS.

POTEST. ¶ Reliqua, quæ Græci τὰ ἐλλείμματα dicunt, vt ſuprà *in l. bones. §. inter reddere.* admonuimus, intelligi oportet, quodcunque ex maiori ſumma reſtat, & reliquum eſt. Tamen ad vniuerſos protrahi Marcus ſcribit: id eſt, vel ad vniuerſam ſummam, vel ad vniuerſos in ſolidum. Vt ſi ex multis ſeruis quos habebas, vnius optionem cuidam legaueris, reliquos verò cuidam alij, ſiquidem minimè ille optauerit, vniuerſi omnes alij debebuntur. Vel ſi ex redditis rationibus centum debeantur, ac duo fideiuſſores intercesſerint, quorum alter 90. exoluturum ſe nomine debitoris receperit, alter verò reliquum totius ſummæ, ac qui promiſit 90. non ſoluendo fuit, ſanè qui pro reliquo tantùm fideiuſſit, vniuerſum τὸν δὲ λοιπὸς σύμπας ſoluere compellendus erit. Quod tamen accipiendum fuerit, ſi in ſolidum illi fideiuſſerint. ¶ Quæſtio (inquit Vlp.) hæc & in eo tractatur. Si quis libertatem dederit ſeruis duobus, ſi rationes reddiderint. Iuli. enim tractat, ſi reddere alter ſit paratus, alter non ſit, an alter per alterum impediatur? Et rectiſſimè ait, ſiquidem ſeparatim rationes gesſerint, ſufficere ad libertatem adipiſcendam, ei qui ſuas rationes reddiderit. Si verò ſimul, non alias videri eum paruiſſe, niſi vtriuſque reliqua exoluerit. In reliquis accipere debemus, vt ipſa rationum volumina reddantur. Eſt in *l. ſi ita fuerit. §. quæſtio. ff. de manumiſſ. teſt.* Quod ipſum ait Connanus *lib. 6. commen. iur. ciuil. c. 7.* in reliquatoribus vectigalium & tutelarum, & ſimilium adminiſtrationum apparet, qui tametſi totum omnino debeant, tamen reliquati eſſe dicuntur, & eorum nomina rectè appellantur reliqua. Sunt autem reliquatores, qui ex reliquis rationum æs alienum contraxerunt, quod reliquari verbum ſignificat, vt patet ex Paulo *in l. Lucius Titius curator. ff. de adminiſt. & per tut.* Non ex eo (inquit) quid adultus eum qui prædia eius coluit, procuratorem habere voluit: debitum quod ex conductione reliquatus eſt, agnouiſſe eum videri: id eſt, reliquum quod ex conductione debebat. Hoc λοιπάζεσθαι Græcis dicitur, & λοιπάδες reliquatores, qui quod alieni debent, ex aſſe & integro non perſoluunt, ſed alicuius partis debitores adhuc remanent. Vide Pet. Crinitum *lib. 15. de honeſt. diſcip. cap. 3.* & Vlpianum *in l. reſcripto. §. ſed eos. ff. de mun. & hon.* ¶ Sed eos demum rerum publicarum debitores accipere debemus, qui ex adminiſtratione Reip. reliquantur: id eſt, qui ex reliquo debitores remanent. ¶ Hic autem πρὸς ἴσως forſan quæras, An creditor qui faſſus eſt ſe accepiſſe decem ex reliquo totius debiti, planè videatur cõfeſſus ſibi à ſuo debitore perſolutum eſſe integrè? Hanc quidem quæſtionem diſcutit Scæuola in *l. Si ex pluribus. ff. de ſolut. & liber.* Si (inquit) ex pluribus cauſis & chirographis creditor ita cauit: Titius Mæuius, dico me accepiſſe & habere, & accepto tuliſſe Caio Titio reliquum omne poſt rationem poſitam eius pecuniæ quam mihi Stichus Caij Titij ſeruus cauerat. Quæſitum eſt, an ex cæteris cheirographis in quæ Stichus non cauerat, ſed ipſe debitor, integra maneat actio, id eſt, ex reliquis cheirographis per ipſum debitorem cautis? Reſpond. eam ſolam obligationem diſſolutam ex qua ſolutum proponeretur. ¶ Hoc ipſum latiùs tradidi in *Aphor. iuriſprud. in verb. Confeſſio. Aphor. 51.* Itẽ de vniuerſi appellatione & ſignificatione, ampliſſimè diximus in *comment. noſtris ad ſtatuta municipalia ſeu conſuet. Turon. præfect. ad tit. generalem in ver. Generales.*

FORNERIVS.

POTEST. ¶ Hic quoque, vti in ſuperiore capite propria verbi ſignificatio negligitur. ¶ Reliquum, reſiduum, ſuperfluum, cæterum (λοιπὸν καὶ ἕτερον) aliquid, quod antecedat, vnde pendeat, quóque referatur, neceſſariò ponit. *l. 41. vxorem. ff. de leg. 3. l. 89. ex pluribus. l. 97. cum ex pluribus. de ſolut.* & ita Valentin. *legũ Nou. lib. 2. tit. 7.* ratiocinatur: [Dici reliqua nõ poſſunt: vnde nõ reſidua pars, ſed omnis, quæ ſperari poteſt, ſumma debetur.] ¶ Itaq; ſi teſtator toto aſſe diſtributo, alium ſiue parte heredẽ ſcripſerit, alioqui in aliũ aſſem vocaretur: at ſi expleto aſſe ſcripſerit, *Ex reliqua parte heres eſto.*

[quoniam nihil reliquum eſt, ex nulla parte heres inſtitutus eſt.] Seius Mæuium ex parte quam per leges capere poſſit, heredē inſtituit, ex reliqua Titium: ſi Mæuius ſolidum capere poterit, Titius adiectus aut ſubſtitutus heres non erit. Quòd ſi non ſit facta mentio reliqui, tantundem in altero aſſe habebit Mæuius, quantum Titius in primo. Quod ſi Mæuius nullius capax ſit, in totum ſubſtitutus admittetur. [*l.17. Item l.78. qui non.& ll.ſeqq. de hered.inſt.* ¶ Verùm reliquorum appellatio interdum & vniuerſos ſignificat. Rectiùs fortè, *vniuerſum*, τὸ πᾶν, Græci hoc loco: Τῷ ὀνόματι τῶν λοιπῶν, καὶ τὸ πᾶν σημαίνεται. veluti cùm ius omnium collegarum in vnum reciderit. *l.7. ſicut, in ſi.quod cuiuſque vniuerſ.* Quinctilianus *de donatione Alexandri lib.5.cap.*10. Appellatione reſidui totum ſignificatur, iure portionis coniuncti non capacis, vel repudiantis accreſcentis. *d.l.78.qui non.* Heres ea reſidua parte inſtitutus incapaci herede adſcripto, ex aſſe heres eſt, *l.2.C.de hered.inſt.l.vn.C.quand.non pet.part.* Idem & in legatariis obtinet *l. vn. C. de cad. toll.* Optione duorum ſeruorum Titio data, ſi reliqui Mæuio legentur, ceſſante primo in electione, reliquorum appellatione omnes ad Mæuium pertinebunt. *l.17. cum optio.de opt.leg.160.cæterorum.*ꝫ.*h.t.*

XCVI. Celsvs lib. xxv. Digeſtorum.

LITVS eſt quouſque maximus fluctus à mari peruenit: Idq́ue Marcum Tullium aiunt, cùm arbiter eſſet, primùm conſtituiſſe.

Alciatvs.

LITTVS. ¶ Littus propriè maris eſt, ripa fluminum. Veteres tamen μεταφορικῶς littus de quacunque extremitate dixerunt, qua ratione Verg. *Iacet*, inquit, *ingens littore truncus.* ¶ Illud ſic definiuit Gallus Aquilius, vt littus ſit quouſque hybernus fluctus eluderet, vt apud M. Ciceronem in Topicis relatum eſt: ita autem apud eum ſcriptū eſt, Solebat Aquilius collega, & familiaris meus, cùm de littoribus ageretur, quæ omnia publica eſſe vultis, quærentibus iis ad quos id pertinebat, quid eſſet littus ita definire, quà fluctus eluderet. ¶ Sunt autem hyberni fluctus maximi, quòd eo tempore circiter vergiliarum occaſum tempeſtatibus maria conturbantur: quamobrem ex die tertio Iduum Nouembris, vſque in diem 6. Iduum Martij, maria clauduntur, vt *lib.4.rei militaris* Vegetius ſcribit: quod tamen in præſentia non obſeruatur. Nihil enim inauſum reliquit noſtrorum temporum auaritia.

Brechævs.

LITTVS. ¶ Loca maris proxima, & quæ ipſo mari allui ſolent, Littora dicuntur, vel quòd ad ea mare allidat: vnde littus dictum exiſtimant. Quidam tamen à litando tradunt littus deriuatum: Ideóque, locum etiam eſſe ante aras ſacrum, quam quidem etymologiam non probauit Seruius, cùm litare verbum primam corripiat. Virgilius *lib.4. Æneid.*

-Sacriſque litatis
Indulge hoſpitio, cauſáſque innecte morandi.

Sed Donatus eapropter locum iuxta aras littus appellari ſcripſit, quòd nauigantes eundo ac redeundo in littore litabant & ſacrificabant. Sanè littus a Græcis ἀκτὴ dicitur ἀπό τινος [illegible], apud Etymolog. ¶ Propriè autem Littus maris eſt: ripa verò, fluminis: ſed alterum pro altero aliquando a Poëtis vſurpatur. Eſt ſiquidem Littus maris quatenus hybernus fluctus maximus excurrit. *§.flumina.Inſtit.de rer.diuiſ.* At Gallus Aquilius apud Cicer. *in Topicis* littus definitione complexus eſt, vt ſit quà fluctus eluderet. Solebat igitur (ait) Aquilius collega & familiaris meus, cùm de littoribus ageretur, quæ omnia publica eſſe vultis, quærentibus his ad quos id pertinebat, quid eſſet littus, ita diffiuire, quà fluctus eluderet. ¶ Ripam Vlpianus in *l.1.§.ripa autem.ff.de flum.* ſcripſit eſſe id quod flumen tenet, naturalem curſus ſui rigorem continens. ¶ Hoc capitis initium eò pertinet, vt dirimatur controuerſia agri ad littus maris ripámve fluminis vendiri. Littora (inquit Paul. *in l. littora. de contrah. empt.*) quæ fundo vendito coniuncta ſunt, in modum non computantur: quia nullius ſunt, ſed iure gentium vacant omnibus, nec viæ publicæ, aut loca ſacra & religioſa. Itaque vt proficiant, venditori caueri ſolet, vt viæ, item littora & loca publica in modum cedant. Alioqui enim minimè cederent: vt *l.ſed quod.§.1.ff.de peric.& com.rei ven.* ¶ Alterius præterea quæſtionis eſt. Titius emit ſtagnum quoddam inſigne, & circa illud, pedes decem qui ripam conficiant: poſtmodùm excreuit aqua excurrens eam menſuram decempedalem, & alios iterum decem pedes alluit, An decem illi pedes qui poſt emptum ſtagnum acceſſerunt aliis decem pedibus emptoris fiant? Reſpondit Proculus exiſtimare ſe eatenus ſtagnum quod emit, Titius veniſſe quatenus tunc fuit, & circa illud, decem pedes qui tunc fuerunt: nec ob eam rem quòd ſtagnum poſtea creuit, latiùs illud poſſidere debere quàm emit. *l. Rutilia Polla, d.tit.de contrahend. empt.* Quo loco notat Bartolus verba contractus ad tempus ipſius contractus referri debere.

Fornerivs.

LITTVS. ¶ Multa de littoribus, ripis, nauigandi, ædificandi, piſcandi iure, multa de alluuionibus, & inſularum enatarum dominio diſputātur *l.7.adeò.l.14.quod in littore.l.ſeq.l.50.quamuis de acq. rerum dominio. §.ripparum. §.littorum. de rer. diuiſ. l. 1. ne quid in loc. pub. titulo de fluminibus. l.13. iniuriarum.de iniur. l.vn.vt in flum.pub.* ¶ Ripa autem definitur, ab Vlpiano id quod flumen continet, naturalem rigorē curſus ſui tenēs. Cæterùm ſi quando imbribus, vel mari vel qua alia ratione ad tempus exereuit, ripas non mutat. Nemo dixerit, Nilum, qui incremento ſuo Ægyptum operit, ripas ſuas mutare, vel ampliare. Paul. Ripa putatur eſſe, quæ pleniſſimum flumen continet. *l.1.l. pen.de flum.*

Flum

Flumen multò longiùs euagatur, definitúrque eſſe, quouſque maximus fluctus à mari peruenit: qua maximè fluctus exæſtuat, eludit *hîc.& l.112.litus.ff.h.t.* Seneca *lib.1.de benefic.cap.*10. [Vt fluctus quos æſtus accedens longiùs extulit, recedens interiore litorum veſtigio tenuit.] Ait [maximus] id eſt, decumanus: Hygenus de limitib. [Sæpe propter portum colonia ad mare ponitur, cuius fines ad aquã non poſſunt excedere: hoc eſt litore terminantur: cum & ipſa colonia ſit in litore, fines à decumano maximo, &c.] Vel vt Iuſtinianus, hybernus. Nam & æſtate vſque ad eum locum litus definiemus. *§. flumininum. de rer.diuiſ.* Theophilus, αἰγιαλός ἐστι μέχρις οὗ τὸ χειμέριον μέγιστον ἔξεισι κῦμα. ὥστε ὅσον κἂν τῷ θέρει μέχρις τῶν ἐκείνων τὸν αἰγιαλὸν ὁριζόμεθα. In ripis contrà, ſpectatur rigor naturalis, & certior curſus æſtatis, quàm hyemis, perpetuam ſui menſuram retinens. *l.1.§.ripa.de flum. l.vn.ne quid in flumin.* Quamuis æſtate flumina quædam augeantur, vt Nilus: In Ponto quoque quidam amnes creſcant: (idque quattuor ex cauſis, quas ex Theophraſto Seneca *lib.3.cap.26.natur.quæſt.* refert) & Ligeris ineunte Vere liquefactis in monte niuibus intumeſcat: Tamen cum ab iis quæ vt plurimùm accidunt, definitiones ac regulæ repetantur. *l.3.4.5.de legib.l.3.ſi pars hered.pet.* Iuſtinianus maximum hybernum meritò nominauit. *d.§.flumininum.* ¶ Portò litorum & nauigationis opportunæ magnam curam fuiſſe, cum ex eo apparet, quòd ne quid ad barbaros exportaretur, obſeruabantur. *lib.12.C.tit.de litorum & itinerum cuſtodia.* Caſſiodorus *lib. 7. epiſtol.23.* & ne deterior nauigatio fieret, permulta ſunt à Prætoribus *lib. 43. Pandectarum tit.*12.13.14.15. interdicta propoſita. Retanda quoque flumina, id eſt, purganda publicè redempta haberent. Gellius *lib.11. cap.* 7. vt noſtrates, *balizer la riuiere de Loire.* Cuius aggeres ſummo ſtudio ac ſumptu accolæ tuentur: per chomata ſeu aggeres, quibus exæſtuantium, & extra alueum erumpentium aquarum impetus, ab agris inundatione periclitaturis arceantur. *l.vn.de ripa mun.tit.C.de Nil.agger.non rump. l.pen. ff.de extr.crim.* Franciçæ legis *lib.4.cap.10.de aggeribus iuxta Ligerim faciendis.* [Vt bonus miſſus eidem operi præponatur: Et hoc Pippino per noſtrum miſſum mandetur, vt & ille ad hoc miſſum ordinet, quatenus prædictum opus perficiatur. M.Tullium.] ¶ Laudatur à Pomponio. *l.2.§.poſt hoc.de orig.iur.* Tryphonino *l.32. Cicero. de pœn.* Papiniano *l.7.in quæſtionibus.ad leg.Iul.maieſt.* Vlpiano *l.7.Fulcinius.quib.ex cauſ.in poſ.eat.* definitio latitationis in defenſione Quinctiana notatur. [Aiunt.] ¶ Celſus obaudierat. Neque enim vſquam, quod quidem meminerim, alibi, quàm Topicis, hæc littoris, quam Aquilio tribuit, definitio proditur. [Solebat igitur, inquit, Aquilius collega & familiaris tuus, cum de littoribus ageretur, quæ omnia publica eſſe vultis quærentibus iis, ad quos id pertinebat, ita definire, Qua fluctus eluderet.] Quattuor auctorum definitiones vides in idem recidere.

§. j. PRÆDIA dicimus aliquorum eſſe, non vtique communiter habentium ea, ſed vel alio aliud habente.

ALCIATVS.

PRÆDIA. ¶ Tres fratres certa prædia habent diuiſa, nec in alterius portione vllum ius eſt alteri, an rectè dicemus prædia illa eſſe illorum fratrum. *l.rectè.§. Quintus.ff.eod.* Et huiuſmodi ſermone videbatur potiùs ſignificari, eſſe communia, & indiuiſa: ſed tamen etiam, facta diuiſione, rectè ſic dici, Iuriſconſultus ait: debent enim verba congruè adaptari. *l.Gallus.§.1.ff.de lib.& poſthum.* & ſecundum debitum ordinem intelligi, vt quamuis de vniuerſo verba concipi videantur, de ſingulis vniuerſi partibus actum cenſeamus. ¶ Nam & ſi teſtator pluribus filiis inſtitutis ſubiiciat. *Alex. l.Titia.ad l.Falcid.* Si aliquis eorum deceſſerit, volo hereditatem meam pauperibus diſtribui. aliquo decedente, erogabimus non hereditatem totam, ſed eam portionem, quæ decedentis fuerat: ſitque vniuerſi interpretatio pro ſingulis eius portionibus. qua ratione & quandoque genus pro ſingulis ſuis partibus accipimus, & pro tempore exponimus, pro qualibet temporis parte. *glo.c.generali.§.illos.de elect.in 6.* Sed & ſi lex aliquid pecuniæ indicat agenti ad domum, etiam qui partem vendicat tenebitur. *Mod.l.2.§.ſi tamen.de verb.oblig.*

Vel alio. ¶ Id eſt, etiam alio. Vel, coniunctio quandoq; argumentatiua eſt, vt hîc, & apud Verg. Vel Priamo miſeranda manus. Sicut è conuerſo diminutiua, veluti cùm lex mandat Chriſtianis. *c.decet. de immun.eccleſ.in 6.* vt animum demittant, quod vel capitis inclinatione reſtentur. capitur ibi vel, id eſt, ſaltem. Quandoque diſiunctiua, vt, promittis Stichum vel Pamphilum? Quandoque coniunctiua, vt in eo qui ſibi vel heredibus ſtipulatur. *c.1.de eo qui ſibi in feud.* Quandoque exemplaris, vt apud Terentium: Vel hic Pamphilus quoties iurabat Bacchidi, id eſt, veluti Pamphilus. Aliquando correctiua, vt ſi dicam, Tiburi vel Romæ optimè viuitur: interpretamur enim, vel potius Romæ. Plerunque declaratiua, vel, pro id eſt, vt cùm inter genus & ſpeciem ponitur, veluti in lege Aquilia, quadrupedem vel pecudem.

FORNERIVS.

PRÆDIA. ¶ Appendix ſuperioris definitionis eſſe videtur. Littorum & riparum vſus publicus iure gentium: ſed proprietas harum eorum eſt, quorum prædiis hærent. Illorum proprietas nullius eſt. *§.riparum.§.ſeq.de rer.diuiſ.* Ædificare autem in littore cuique, paſcere, piſcari, quod ſine alterius incommodo & iniuria fiat, licet. *l.6.in tantum.eod.tit.l.14.quod in littore.l.ſeq.l.50.quamuis.de acq.rer.dom.* Flumen quidem aliò auertere opere manufacto prohibetur: munire ripam permittitur. *l.1.C.de alluuionib.* Lacus & ſtagna licet interdum creſcant, interdum exareſcant, ſuos tamen terminos retinent: ideóque ius alluuionis in his non agnoſcitur: ſicut nec in agris limitatis. *l.12.lacus.l.16.in agris.de acquir.rer.dom.* ¶ Prædia autem erant alia communia municipibus & colonis: veluti ſyluæ

& com

& compaſcuaque, (vt Siculus Flaccus *de condit. agror.* ait) proximi quique vicini, id eſt, qui ea contingunt, paſcunt. Erant & occupatorij agri, vel arcifinales, quibus victor populus occupando nomen dedit. Bellis enim geſtis, victores populi terras omnes ex quibus victos eiecerunt, publicè atque vniuerſaliter territorium dixerunt, intra quos fines ius dicendi eſſet: deinde vt quiſque virtute colendi occupauit, arcendo vicinum, arcifinalem dixit. Vt idem auctor ſcribit. ¶ Rectè igitur vtroque modo prædia aliquorum eſſe diximus, non vtique (ſolum) communiter habentium ea: vt ſunt compaſcua, publica iuregentium, vel cum cæteris ciuibus communia: verumetiam alio aliud habente: id eſt, quæ in ſingulorum dominium tranſierunt. Vt ſunt occupatorij. Nam quod mihi cum alio commune eſt, meum iure defendere poſſum. *l.5.l.6.de leg.1.* Imò alienum. *l.46.illud.de rit.nupt.l.239.pupillus.ꝫ.h.t.* Poſſunt hæc non videri pugnantia? Imò verum eſt, rem mihi cum alio communem, meam quoque non abſolutè, ſed in partem tantùm: contráq; non alienam omninò, ſed in partem *l.20.ſi is cum quo.ꝫ.comm.diuid.l.25.recte.ꝫ.h.t.l.5.de ſtipul.ſeru.* Vt hic prædia noſtra vel tanquam ſingulorum propria, vel tanquam vniuerſorum cum aliis communia: vt compaſcua, vt templa, Baſilicæ, theatra, via publica, cætera. *§.vniuerſitatis.§.ſingulorum.de rer.diuiſ.* Ea autem quæ cuiquam cum alio ſingularis dominij iure communia ſunt, ſingulorum in alienatione, diuiſione, oppigneratione, ſeruitutis impoſitione voluntatem deſiderant. *l.6.in tantum.de re. diuiſ.l.2.de ſeruit.l.vlt.comm.præd.l.28.Sabinus.commun.diuidund.§.religioſum.de rerum diuiſ.* Quæ verò nobis communia ſunt, iure vniuerſi, adhibito maioris partis conſenſu, vendi, alienari, etiam quibuſdam inuitis nihil vetat. Nam quod in collegiis, municipiis, decuriis, comitiis, ſenatu, maior pars decreuerit, perinde ratum habetur, ac ſi ab omnibus decerneretur. *l.19.quod maior.ad municip.& de incol.l.160.aliud.§.refertur.ꝫ.tit.ſeq.* ¶ Ita multum in refellendis teſtibus intereſt, vtrùm tanquam in re ſibi cum ſocio communi, an in cauſa vniuerſitatis adhibiti dicantur: quod vniuerſorum, ſingulorum non eſt proprium: quod ab vniuerſis debetur, ſinguli non debent: nec quod vniuerſitati, idem & ſingulis debetur. Ciuitatis libertus, ſingulos ciues impunè in ius vocabit: ſyndicus ſeu procurator vniuerſitatis, aut collegij nomine damnatus, iudicati actione non conuenietur. *d.l.6.in tantum.§.vniuerſitatis.de rer.diuiſ.l.10.ſed ſi hac.§.qui manumittuntur.de in ius voc.l.2.quod cuiuſque vniuerſ.* Seneca. [Non potes, inquit, ob id quenquam appellare, quod ſpargis in populum. Quid ergo? Nihil debetur pro hoc. Tibi tanquam ab vno, nihil. Cum omnibus ſoluam, quod cum omnibus debeo.] Ita enim interpungẽdum ac reſtituendum illum cenſeo locum. *lib.6.de benefic.cap.18.* vt ſequentis proximè capitis diſputatione confirmatur. [Quid ergo, inquit, ſi princeps ciuitatem dederit omnibus Gallis, ſi immunitatem Hiſpanis, nihilne hoc nomine (ſinguli) debebunt? Quidni debeant? Debebunt autem non tanquam proprium beneficium, ſed tanquam publici partem.] Et pòſt paulò. [Ego quoque illi non tanquam proprium debebo: ſed quomodo vnus è populo, non tanquam pro me ſoluam, ſed tanquam pro patria conferam.] Totum hoc è iure tractum. *l.7.ſicut.quod cuiuſque vniuerſ.l.4.§.actor.de re iud.* vt & quod apud eundem *cap.20.eiuſdem libri ſequitur.* [Si quis patriæ meæ pecuniam credat, non dicam me illius debitorem, nec hoc æs alienum profitebor: aut candidatus, aut reus, ad exſoluendum tamen hoc portionem meam dabo. ¶ Hæc ille: quæ nos ex manuſcriptis emendatiora protulimus. Quæ diſtinctio in ponderandis teſtimoniis accuratè perpendetur. *c.ſuper.c.tuis.extra de teſtib.c.etſi Chriſtus.de iureiur.* Notatur *l.9.omnibus.C.de teſtibus.l.10.nullus.ꝫ.de teſtibus.*

XCVII. IDEM lib. xxxij. Digeſtorum.

CVM STIPVLAMVR, [Quanta pecunia ex hereditate Titij ad te peruenerit:] res ipſas quæ peruenerunt, non pretia earum ſpectare videmur.

ALCIATVS.

CVM STIPVLAMVR. ¶ Cùm pecuniæ verbum generale ſit. *l.venditorem.de her.vend.* ſi emptor hereditatis ſtipuletur à venditore, quanta pecunia ex hereditate ad eum peruenerit, ſpecies ipſas ſtipulatus videtur, non pretia earum. *l.quiſquis.de leg.3.* idem ſi quantas ſummas ſit ſtipulatus: quod etiam in legatis obſeruatur: verba enim huiuſmodi de certis corporibus non impropriè accipientur. ¶ Sed quid ſi aliquis quantitatis nomine vſus fuerit? Et ſpecies comprendi eodem argumento proditum eſt. *Bart.l.1.C.de ſenten.qua pro eo,quod.* Mihi res dubia videtur: dictio enim quantus, ad amplitudinem refertur: at quantitas non videtur ſecundum vſum accipi pro certis ſpeciebus. ¶ Sed an hæc ſtipulatio etiam iura comprendet? Et dubium non eſt comprendi. *l.pecunia.ꝫ.eod.* ſortiuntur enim nomina naturam rerum corporalium, & eius loci eſſe exiſtimantur, vbi debitores conueniri poſſunt. *Alex.conſil.16.in 1.*

BRECHÆVS.

CVM STIPVLAMVR. ¶ Hæc verba, [Quanta ſomma pecuniæ,] non ad numeratam tantùm pecuniam debẽt referri, ſed ad res etiam corporales: vt prædia, mancipia, veſtes, & id genus alia. *l.quiſquis.de leg.3.*

FORNERIVS.

CVM STIPVLAMVR. ¶ Aſſidua hæc inter emptorem & venditorem hereditatis ſtipulatio interponebatur, [Quanta pecunia ex hereditate ad te peruenerit, dolóve malo factum eſt, eritve quominus perueniat] *l.36.ſi creditor.ꝫ.de pecul.* Qua vt omninò venditor ne quid ad ſe perueniret,

tenebatur *l.50.in illa.de verb.obl.* Sed & illud ne pretia corporum, ſeu ſpecierum, pro rebus ipſis reſtituendo liberaretur. Res enim ipſas, (vt hic dicitur) non pretia earum, nummóſve ſtipulando ſpectaſſe videmur. Quid ita? An quia generale pecuniæ nomen, non ſemper quantitatem, ſed ſpecies quoque complectitur? *l.pecunia.§.h.t.l.95.quiſquis.de leg.3.* Quod Accurſius probat:& alij ſequuntur. Quod verbum ex re ſubiecta, aliquando nummos ſignificat, vt S.C.Macedonio: aliquando res quæ pondere, numero, menſura continentur. *l.30.talis.de leg.1.* Sed hic ipſe aliud controuerti exiſtimo. Cum emptor hereditatis heredis loco habeatur, venditor autem, ius omne quod habuit, in eum tranſtulerit, ſpectari quantitatem, niſi aliud actum ſit, quæ ex hereditate, in id tempus quo venditio fit, peruenerit. *l.2.§.in hereditate.de hered.vel act.vend.* Quid ſi nulla hereditas, aut ſi qua fortè erat, ea non ad venditorem pertineret? Illam æſtimari: aut ſi nulla eſt, pretium duntaxat, & ſi quid in eam rem impenſum eſt, & id quod intereſt emptori præſtari oportere placuit. *l.7.cum hereditatem.& 3.lll.ſeqq.eod.tit.* ¶ At finge venditorem ex hereditate interpoſita ſtipulatione, rem hereditariam perſecutum alij vendidiſſe, quid emptori præſtabit? Nam bis non committetur ſtipulatio, vt & rem & pretium debeat. Diſtinguitur: ſi quidem rei venditionem, ſtipulatio ſequatur, pretium debebit: Si verò anteceſſit ſtipulatio, deinde rem nactus eſt: tunc rem debebit. Æquè ſi ſeruum vendiderit, & is deceſſerit: vel eum à poſſidente vindicando, litis æſtimationem conſequatur: rem vtique non pretium, nec actionem præſtabit. Quamuis in rei ſingularis actione fortè ſecus. Vt acutè diſputatur à Paulo. *l.21.venditor.de her.vel act.vend.* ¶ Sed ex aduerſo, Si quis rem meam poſſidens ſine cauſa, licet bona fide vendiderit, tenebitur mihi ea perempta certi condictione, pretium reſtituere. *l.23.ſi eum.§.ſi cert.pet.* Quamuis vulgò in particularibus pretium loco rei non ſuccedere, definiatur: quod aliud ſit res, aliud pretium. *l.48.qui vas ſi.l.52.ſi quis.§.ſi Titius.de furt.* Tamen quia pretium apud eum ſine cauſa manere, ac locupletari meo damno ſanè durum eſſet, condictio pretij dabitur. *l.2.de condict.ſine cauſ.* Idque ex æquitate, cuius non aliena exempla ſuppeditantur. *l.32.ſi me.§.ſi cert.pet. l.30.ſeruus.de act.empt.l.19.ſi ipſe.quod met.cauſ.* [Spectare videmur.] ¶ Rectius fortè, [Stipulari.] Græci hic, αὐτὰ τὰ πράγματα δοκῶ ἐπερωτᾶν, οὐ μὴν τὰ τιμήματα αὐτῶν. Non eſt autem huius inſtituti, reliqua quæ ex teſtamentis, quibus [Quicquid ex hereditate ſupereſt] reſtitui iubetur, congerere. *l.70.imperator.& ll.ſeqq.de legat.2.*

XCVIII. IDEM lib. xxix. Digeſtorum.

CVM biſſextus Kalendis eſt, nihil refert, vtrùm priore, an poſteriore die quis natus ſit: & deinceps ſextum Kalendas eius natalis dies eſt. Nam id biduum pro vno die habetur, ſed poſterior dies intercalatur, non prior. Ideò quo anno intercalatum non eſt, ſexto Kalendas natus, cum biſſextum Kalendis eſt, priorem diem natalem habet.

§.j. Cato putat menſem intercalarem addititium eſſe. Omnéſque eius dies pro momento temporis obſeruat, extremóque diei menſis Februarij attribuit Quintus Mucius.

§.ij. Menſis autem intercalaris conſtat ex diebus viginti octo.

ALCIATVS.

CVM BISSEXTVS. Habuere veteres Romani inſtitutum à Romulo annum 10.menſium, qui erat dierum 304.incipiebátque Martio menſe: quæ ratio cùm neque ſolis, neq; lunæ curſui conueniret, Numa duos menſes addidit, Ianuarium & Februarium, atque ita dies diſtribuit, vt omnino 355. eſſent. ¶ Sed quia hæc quoque conſtitutio non quadrabat, neceſſariò intercalaris menſis conſtitutus eſt, id eſt, menſis interpoſititius, arbitratu Pontificum, qui alternis annis nunc 22. dies, nunc 23.intercalabant. Is menſis additicius erat, & prope finem Februarij, quia is vltimus anni, inſerebatur. ¶ Sed hunc quoque modum curſui ſolis non conuenire, cùm C. Iulius Cæſar animaduertiſſet, 10. dies addidit, intercalariúmque menſem ſuſtulit. Et quoniam ſolis curſus annuos quadrantem quoque, id eſt, ſex horas occupat, ſingulis quibuſque quadrienniis diem inſeruit, qui Biſſextus dicitur: intercalatur enim, id eſt, vocato populo, inſeritur is dies poſt eum, qui ſextus Calendarum Martij eſt, & duo loco vnius habentur. ¶ Vera ergo eſt Mutij ſententia, qui menſem intercalarem, id eſt, in quo intercalatur, ſeu inſeritur Biſſextus, dixit eſſe dierum 29. Quæ verò M.Cato diſſeruit, computationi præſenti non reſpondent: floruit enim ille ante Cæſarem, quo tempore reformatus annus nondum erat, ſed alternis annis 22.& 23.dies inſerebantur, qui dies totum menſem intercalarem faciebant, & non aliter quàm ſi ſolùm momentum temporis occuparent, obſeruabantur. ¶ Sed dum illum menſem extremo diei Februarij Cato attribuit, videri poteſt Græcos imitatus, qui ἐμβολίμους ſuos, id eſt, exemptiles menſes ſub finem anni ſuperaddebant. Romani verò 6.diebus anteuertebant poſt celebrata Terminalia, ne veterem religionis ſuæ (vt Macrobius ſcribit) morem conturbarent. Nam, vt etiam libro 26. Ammianus Marcellinus tradit, dies is Biſſextus, Romanis rebus infauſtus atque ater erat. ¶ Diuiditur autem menſis in Calendas, Nonas, Idus. ¶ Calendarum primus eſt dies: tunc enim pontifex calato, id eſt, vocato populo pronuntiabat, quot dies à Calendis ad Nonas ſupereſſent, καλεῖν enim Græcè idem eſt, quod voco. Confluere autem Nonarum die in vrbem

popula

populares oportebat, vt addiſcerent, quid eo menſe in diuinis humaniſque rebus faciendum eſſet. ¶ Erántque Nonarum aliæ quintanæ, aliæ ſeptimanæ: & ſic dictæ ſunt, quaſi nouæ obſeruationis initium, quæ ex noua luna aſſumebatur: vnde ex eius ortu nunc celeriùs, nunc tardiùs duorum dierum lapſu celebrabantur. ¶ Idus verò ab Hetruſco ſermone dicuntur, apud quos Iduare eſt diuidere. ¶ Is autem dies diuidit menſem: nam eo lapſo, computamus dierum numerum, quatenus à ſequentibus Calendis diſtant. Vnde cùm dicimus, ſexto Calendas, ſextum diem intelligimus, qui ante Calendas eſt. Dies autem menſium his carminibus annotari poſſunt:

Septembris, Iunij, Aprilis trigintaq; nono
Menſe dies, vnum adde aliis, duo Februus aufert.

At Nonarum Iduumque ratio non abſimili diſticho ſic vulgò tradita eſt:

Sex Maius Nonas, October, Iulius, & Mars,
Quatuor at reliqui. tenet Idus quilibet octo.

In Calendis. ¶ Non ſolùm primus dies Calendarum ſimpliciter Calendæ appellatur, ſed omnes dies *l.3.§.minorem.de min.* qui poſtridie Idus incipiunt: vſque ad ſequentem menſem: idque fortè exemplo Græcorum, qui primam partem menſis ἱςαμένου vocant, ſecundam μεσοῦντα, tertiam quæ poſt vigeſimum diem eſt, φθίνοντα.

Intercalatur. ¶ Id eſt, inſeritur, & ſuprà numerum additur: quod oſtendit etiam Græcus ſermo, qui ὑπερβαίνοντας dies appellat, quos nos intercalares. Sic autem dicitur, quoniam, calato, id eſt, vocato populo, olim Pontifex pronuntiabat, quando menſis intercalaris habendus eſſet: quòd cùm quandoque propter gratiam negligeretur, annique ratio non conſtaret, C. Cæſar eum menſem ſuſtulit, & ſingulis quadrienniis vnam diem intercalariam fecit, vt ſuprà retulimus.

Cato. ¶ Hic eſt qui M. Porcij filius fuit, & egregios de iuris diſciplina libros reliquit, vt ſcribit Gellius: & vt ex eius lectione conſtat, fuit longè antiquior Cæſare, vt meritò eius ſententia præſenti computationi non quadret, ſed antiquiori, cùm menſis intercalarius alternis inſereretur, quem Cæſar deinde ſuſtulit, additis vnicuique anno decem diebus, vt Tranquillus ſcribit.

Pro momento. ¶ Cùm igitur omnes illi dies pro momento haberentur, meritò in vltima die computandi fuerant: ſicut hodie duo dies pro vno habentur. Sanè ſcribit Accurſius, 10. momenta punctum conficere, & quatuor puncta horam. Latini tamen auctores momentum ſimpliciter accipiunt pro breui tempore, ſicut & punctum. Horat. Quid enim concurritur horæ momento. Terent. Tum temporis mihi punctum ad hanc rem. Minutis verò ſexaginta conſtare horam receptum ex auctoritate prudentium eſt: at Boëtius *lib. Geomet. vlt.* puncto minus eſſe minutum, rurſus minuto momentum, auctor eſt.

Attribuit. ¶ More Græcorum. Latini enim ſexto Calendas Martias inſerebant, ne ſtatæ eorum ceremoniæ confunderentur.

Quintus. ¶ Mutij ſententia eſt vera, ſi intercalarem menſem accipiamus, id eſt, in quo fit intercalatio: ſi enim de toto intercalari menſe intelligamus, qui apud veteres fuit, is 22. dierum erat, vt Macrobius eſt auctor, alternìſque annis variabatur, quod latius ipſe attingit.

Diebus 29. ¶ Quamuis ergo dies intercalaris pro eodem habeatur, cum eo, qui eſt ſextus ad Calendas, neque computetur: ſi tamen diſpoſitio de certo dierum numero tractet, vt ſi liceat venditori intra triginta dies redimere, etiam biſſextilis dies computabitur *l.2.§.de diuerſ. præſcript.* ¶ Sed hic conſueuit dubitari, iudex mihi dilationem menſtruam concedit, de quot diebus intelligemus? & cùm menſis abſolutè fit mentio, traditum eſt triginta dies computari. *l. fin. §.1. C. de iur. delib. Alex. conſil. 114. in 5.* tot enim diebus cùm tardiſſimè à coitu ſolis luna remoratur, ad ſuas vices redit, curſúmque conficit. ¶ Menſes autem a luna dictos, ex Græcis accepimus, apud quos menſes μῆνας, Luna μήνη dicitur. ¶ Quòd ſi in materia fauorabili agatur. *l. vbi. ʒ. tit. 1.* vbi lex duorum menſium mentionem facit, & qui 61. die venerit, audietur: quod etiam procedere exiſtimauerim, ſi lex duorum menſium vtilium terminum ſtatuat. Quòd ſi à certa die terminus menſis adſignetur, vt ſi quinta die Auguſti iudex dicat, ſe mihi menſis terminum conſtituere *l.2. l. fi. §.1. C. de temp. app.* vſque ad 5. Septembris durabit, complectetúrque hac ratione vnum & 30. dies.

BRECHÆVS.

CVM BISSEXTVS. ¶ Trecentis ſexaginta quinque diebus conſtare annum tum hodie vulgò obſeruamus, tum etiam ex Iuliano docemur in *l. ita vulneratus. §. æſtimatio. ff. ad leg. Aquil.* & ex Paulo, *in l. cùm heres. §. Stichus ſi heredi. ff. de ſtatulib.* Et hoc quidem temporibus C. Iulij Cæſaris, qui Faſtos corrigens, (ait Tranquillus) annum ad curſum Solis ſic accommodauit, vt videlicet trecentorum ſexaginta quinque dierum eſſet: & intercalario menſe ſublato, vnus dies quarto quoque anno intercalaretur: imitatus Ægyptios teſte Macrobio *lib.1. Saturn. c.14.* ſolos diuinarum rerum omnium conſcios, qui Solem curſum ſuum conficere totidem diebus & quadrante dignouerunt. Nam ſicut Lunaris annus, menſis eſt, quia Luna paulò minus quàm menſem in Zodiaci circuitione conſumit: ita Solis annus hoc dierum numero colligendus eſt, quem peragit, dum ad id ſignum ſe denuo vertit, ex quo digreſſus eſt. Vnde annus vertens vocatur. ¶ Scribit ex Dione Xiphilinus in Iulio Cæſare, inter alias multas leges quas ipſe Cæſar tulit, dies anni qui antea non omnino conuenirent, emendaſſe. Cùm enim ad Lunæ periodos & circuitos quadrabant menſes, ad eundem modum in præſentia conſtituit, ſeptem dies ſexaginta aliis diebus adiiciens, qui quidem ad quadrantem perfectámque ſupputandorum dierum rationem conferre videbantur. Idipſum autem Cæſar ex Alexandria, vbi commoratus erat, accepit & aduexit: prætetquàm quod apud illos ſinguli menſes triginta dierum numero conſtant: deinde addunt toti anno dies quinque. At verò Cæſar ad eos menſes, & duos

duos alios, quos detraxit vni, coaptauit. Adiunxit quidem quinto cuique anno eundem vnum diem, qui quadrantem impleret. Sic itaque annos conſtituit, vt nulla ferè ſit horarum mutatio. Conſtat enim annos mille quadringentos ſexaginta vnum, vno alio tantùm die intercalari oportere. Eiuſdem Xiphilini hæc verba ſunt, Ἐνομοθέτησε δὲ ἄλλα τε πολλά, καὶ τὰς ἡμέρας τῆς ἐτῶν οὐ πάντη ὁμολογούσας σφίσιν. ἀρχ γὰρ τὰ, τῇ σελήνῃ ὡς καὶ ὡς ἔτι καὶ τότε τοὺς μῆνας ἄγειν, κατεστήσατο ἐς τὸν νῦν τρόπον, ἑπτὰ ταῖς ἑξήκοντα ἡμέρας ἐμβαλλών, ὅσαι περ ἐς τὴν ἀπαρτιλογίαν παρέφερον. τοῦτο δὲ ἐκ τῆς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ διατριβῆς ἔλαβε. πλὴν καθ᾽ ὅσον ἐκεῖνοι μὲν τριακονθημέρους τοὺς μῆνας λογίζονται, ἔπειτα ἐπὶ παντὶ τῷ ἔτει τὰς πέντε ἡμέρας ἐπάγουσιν, ὁ δὲ δὴ Καῖσαρ ἐς μῆνας ταύτας τε καὶ τὰς ἑτέρας δύο ἃς ἀφ᾽ ἑνὸς μηνὸς ἀφεῖλεν, ἐνήρμοσε. τὴν μέντοι μίαν τὴν ἐκ τῶν τεταρτημορίων συμπληρουμένην διὰ πέντε καὶ αὐτὸς ἐτῶν ἐσήγαγεν, ὥστε μηδὲν ἔτι τὰς ὥρας αὐτῶν πλὴν ἐλαχίστου παραλλάττειν. ἐν γοῦν χιλίοις καὶ τετρακοσίοις καὶ ἑξήκοντα καὶ ἑνὶ ἔτει μιᾶς ἄλλης ἡμέρας ἐμβολίμου δέονται.
¶ Baſſus Arati interpres (ait Cælius Rhodiginus *lib.24.lect.antiq.*) tricenis diebus à Sole tranſcurri ſigna tradit, deniſque horis ac ſemiſſe, id eſt, horæ dimidio. Hinc ſemiſſis incremento diem confici vnum quarto quoque anno biſſexti nomine, ex quadrantibus conſurgentem. Inde Plinius *lib. 2. nat. hiſtor. cap.*8. tradit Solis meatum eſſe partium quidem trecentarum ſexaginta: ſed vt obſeruatio vmbrarum eius redeat ad notas, quinos annis dies adiici, ſupérque quartam partem diei. Quamobrem quinto anno, vnus intercalaris dies additur, vt temporum ratio facilius Solis itineri congruat. Iulius ergo Cæſar, decem dies obſeruationi veteri ſuperadiecit (ait Macrob. *lib.1.c.14.*) vt vnum annum 365. dies, quibus Sol luſtrat Zodiacum, efficerent. Et ne quadrans deeſſet, ſtatuit vt quarto quoque anno, ſacerdotes qui curabant, menſibus ac diebus vnum intercalarent diem; eo ſcilicet menſe ac loco, quo etiam apud veteres menſis intercalabatur: id eſt, ante quinque vltimos Februarij menſis dies: idque biſſextum cenſuit nominandum. Quo autem magis impoſterum (ait Suetonius) è Calendis Ianuariis nobis temporum ratio congrueret, inter Nouembrem ac Decembrem menſem, interiecit duos alios: fuitque is annus quo hæc conſtituebantur, 15. menſium cum intercalario, qui ea conſuetudine in eum annum inciderat. Plinius *lib.18.c.25.* Cæſar (inquit) dictator, annos ad Solis curſum redigens ſingulos, Soſigene perito eius ſcientiæ adhibito. Et ea ipſa ratio poſtea errore comperto, correcta eſt: ita vt duodecim annis continuis non intercalaretur, quia cœperat ſydera annus morari, qui prius antecedebat. In eum igitur ordinem ac rationem fuere anni ab ipſo Cæſare conſtituti, vt quarto quoq; anno dies vnus intercalaretur: qui quidem dies, & annus intercalaris appellatur. Nam cum annus ad Solis curſum coaptatus, præter 365. dies, ſex etiam horæ ſuperfluerent, neceſſe quidem fuit, vt quarto anno, præter eum numerum dies adderetur vnus, qui quater ſexies horis illis excurrentibus perficeretur. ¶ Ecce tamen noſtræ ætatis diligentiores Aſtrologi (vt teſtis eſt Lilius Gregorius) pro quadrante annuo, intercalaris diei parte, non ſex, ſed quinque duntaxat horas cenſent integras & minuta circiter 49. vt ſingulo quoque quadriennio minuta 44. ſuperfluo intercalentur, quæ in ſpatio annorum centum & triginta ferè diem vnum integrum conſtituant, qui quidem nimio plus ſatis intercaletur. ¶ Calendæ autem intercalares quæ ſint, ſcitè ſubtilitérque ipſe Lilius Grego. adnotauit *in eo libro quem ſcripſit de annis & menſibus.* Calendæ igitur (inquit) intercalares erant eius menſis qui apud Romanos intercalabatur poſt menſis Februarij diem 23. hoc eſt inter 6. & 5. Calen. Martij. Vnde cùm Cæſar tres menſes in confuſionis anno intercalauit, hoc eſt, vnum 23. dierum in menſe Februarij, & reliquos duos inter Nouembrem & Decembrem, omnes ipſæ tres Calendæ intercalares fuerunt. ¶ Sed vt ad rem veniamus, ſcite oportet biſſextum ideò nominari, quòd cum dies ille intercalaris incidit, bis ſexto Calendas Martias dicamus ſecundum eccleſiæ ritum, & loquendi modum. Duo namque dies, ſexto Calen. Martias computantur: intercalaris videlicet is qui vltimo anni diei adiicitur. Itaque hoc biduum biſſexti pro vno tantùm die reputatur. Ideo, cùm Prætor edicit: quod cum minore 25. annis natu geſtum eſſe dicetur, vti quæque res erit, animaduertam: videndum eſt (inquit Vlpianus in *l.3. §. minorem. ff. de minoribus 25. ann.*) an etiam diem natalis ſui ad hoc dicimus, an horam in qua natus eſt, vt ſi captus ſit reſtituatur? Et cùm nondum compleuerit, ita erit dicendum, vt à momento in momentum tempus ſpectetur. Proinde, & ſi biſſexto natus eſt, ſiue priore, ſiue poſteriore die, Celſus ſcribit nihil referre. Nam id biduum pro vno die habetur, & poſterior dies Calendarum intercalatur. Quod igitur vltimo anni die ante natiuitatis horam cum eo geſtum eſt, qui 25. ætatis annum attigit, ſanè cum minore geſtum cenſebitur eſſe, donec horæ natalis diei, momentum etiam poſtremum effluxerit: nec aliòqui poterit dici vigeſimus quintus annus adimpletus & perfectus. Et ſic in reſtituendis minoribus, tempus ætatis de momento in momentum ſpectatur: niſi fauore rei qua de agitur, aliud oporteat agi. Vt cùm lex prohibet minores ante 25. annum ad rempub. adminiſtrandam accerſi atque admitti, nulla hîc momentorum ratio habenda eſt: annus enim vigeſimus quintus cœptus, pro completo habetur. Sed hoc quidem in honoribus fauoris cauſa conſtitutum eſt, vt pro plenis inchoatos accipiamus. Vlpia. *in l. ad rempub. ff. de muner. & honor.* At regulariter, inquit ibidem Accurſius, diuerſum obſeruatur: vt in *d. l. cùm heres. §. Stichus ſi hæredi.* Nam quandocunque temporis ſpatium lex præſtituit, vt actionibus diei annuæ, cuiuſmodi eſt actio iuris protomiseos ſeu retractus actionibus redhibitoriis & iniuriarum, vltimus dies inceptus pro pleno non habebitur. nec de momento ad momentum erit ſupputatio. Non putabam, inquit Paulus, diem fideicommiſſi veniſſe, cum 16. annum ingreſſus fuiſſet is cui erat relictum, ad 16. annum perueniſſet: & ita etiam Aurelius Imperator Antoninus ad appellationem ex Germania iudicauit. *l. non putabam. ff. de cond. & demonſtr.* Hoc ipſum ampliſſimè diſcuſſit Franc. Connanus *lib.3. Comment. iur. ciuil. cap. 12.* ¶ Iam verò id quæſtionis eſt: an ſi dies intercalaris & biſſextus incidat in eum annum qui conſanguineo lege municipali præſcriptus eſt in redhibitione gentilitia, hoc biduum pro vno tantùm die æſtimari debeat? Et æſtimandum Andr. Tiraquellus cenſuit, *in tractatu eiuſdem argumenti. §.1. glo.10. in verb.* [*L'an & iour.*] *num.119. & in §.3. in verb.* [*n'ha que huict iours.*] *gloſſ.2. nu.6. in*

ſumma

ſumma. Bartolus in *d. §. minorem.* ἀναλυτικῶς cenſuit, ſi ad anni & menſis rationem præſtitutum tempus referas, biduum in anno intercalari pro vno tantùm die haberi. Si verò ad dierum dinumerationem, biduum omnino ineundum eſſe. Et hanc puto veriorem fuiſſe ſententiam.

Intercalatur. ¶ Quando primùm intercalatum ſit, docet Macrob. *lib.* 1. Eſt autem intercalare, interſerere: & menſis Februarius intercalari ob hoc dicitur, quòd ei dies vnus interſeritur, qui à Græcis ἐμβόλιμος καὶ ἐμβολισμαῖος eadem ratione, & ἐμβολισμὸς intercalario. Ægyptij exhalationes ſyderum atque ſtabilitates appellant, teſte Euſebio & Beato Hieronymo: imò biſſextum, inquiunt, ob rememorationem lucis atque dierum & noctium, quæ luminibus triduum anteceſſerunt, ideò quòd tres dies ſine authore Sole proceſſerunt. Itaque intercalare eſt interponere Budæo interprete in *d. §. minorem.* quod Græci ἐμβάλλειν dicunt & παρεμβάλλειν. Vide etiam ipſum Budæum in hunc locum ampliſſimè ſcribentem. Reliqua Alciatus doctè perſequitur, & Bartholo. Cæpola hoc loci.

FORNERIVS.

CVM BISSEXTVS. ¶ Annus trecentis ſexaginta quinque diebus conſtat. *l. 51. ita vulneratus. ad leg. Aquil. l. 4. cum heres. §. Stichus. de ſtatulib. l. 134. annicvlus. 1. ȷ̃ h. t.* Quam definitionem Thaleti Mileſio Diog. Laertius acceptam refert *lib.* 1. τάς τε ὥρας τοῦ ἐνιαυτοῦ φασὶν αὐτὸν εὑρεῖν, καὶ εἰς τριακοσίας ἑξήκοντα πέντε ἡμέρας διελεῖν. Hinc gymnoſophiſtæ Sienneuſis ciuitatis Hydapſi Æthiopum regi, de Ægyptiorum antiquitatibus ſciſcitanti reſponderunt, Neilum nihil aliud eſſe, quàm annum: idque nomine ſignificari: cuius literæ cunctæ Νεῖλος. numerum 365. expleant: quot ſcilicet anni dies definiuntur, vt Heliodorus *lib.* 9. Chariclex auctor eſt. Καὶ οὐδὲν ἄλλ' ἢ τὸν ἐνιαυτὸν ἀντικρύς ἐστι τὸν Νεῖλον. τοῦτο καὶ τὰ τῆς προσηγορίας ἐνδεδειγμένης. τῶν γὰρ κατὰ τὴν ὀνομασίαν στοιχείων εἰς ψήφους μεταλαμβανομένων, πέντε καὶ ἑξήκοντα καὶ τριακόσιαι μονάδες, ὅσαι καὶ τοῦ ἔτους ἡμέραι συναχθέντα. ¶ Verum cùm exactiùs rationem temporum ineuntibus, ſex præterea ſemenſis 365. diebus ſingulis annis horæ redundantes, quæ quarto quoque anno diem integrum conficerent, inuenirentur: placuit intercalatio, quæ Biſſextum introduxit: De quo à Marcellino *lib.* 26. Cenſorino, de die natali ſcripta non attingam: ſed inſtituti memor intra iuris ciuilis cancellos meme continebo: Michaelis Violæi pij iuxtà ac eruditi Archimandritæ Eunrciani, qui in eo argumento verſatur, accuratas lucubrationes expectari iubeo. Huius autem diſputationis vſus erit, cum duo dies pro vno habeantur, in vſucapionibus, reſtitutionibus minorum, tutelis, nuptiis, teſtamentis, ac dimetiendo variis in negotiis temporum interuallo. *l. 3. §. minorem. de minorib. l. 6. in omnibus. de obl. & act. l. 5. qui teſtam. fac. poſſ. l. 6. in vſucapionib. l. ſeq. de vſurp. & vſucap. l. pen. de diuerſ. temp. præſcrip.* ¶ Sed cum biduum pro vno die computetur, an intercalaris, ſeu ἐμβολιμαῖος dies iudicato proficiat. Marcellus multis enumeratis actionum temporalium exemplis diſputat, an conſtituto ad agendum, ſoluendum, vſucapiendum, commiſſoriæ legis pactum tempore, proſit adiectitius dies: cúmque priùs ex quorundam ſententia dixiſſet, id ſine dubio exiſtimandum eſſe: ita tamen concludit, vt planè diſſentiat: [mihi contrà, inquit, videtur.] *l. 2. de diuerſ. temp. præſcript.* Qui verſus an ad ſuperiora omnia diſputationis capita, an ad proximum tantùm referatur, meritò ambigitur. Quod probabilius: quia ſubiicit, [Et ſi quis fundum ea lege vendiderit, vt niſi in diebus triginta pretium eſſet ſolutum, inemptus eſſet fundus: dies intercalaris proficiet emptori:] Et tandem, [mihi contra inquit, videtur.] *d. l.* 2. Cato putat. ¶ Ex naufragio tot librorum quos Cato de iure conſcripſiſſe dicitur. *l. 2. de orig. iur.* Gell. *lib. 13. cap.* 18. ratas in Oceano iuris tabulas enataſſe ſuperſtites hodie conſpicimus. *§. vlt. de adopt. l. 44. ſi ſocer. ſolut. matr. l. 10. idem. de ad. edict. l. 4. de verb. obl.* denique regulam Catonianam *l. 41. cætera. § tractari. de leg. 1. lib. 24. Pandect. tit.* 7. hic denique de menſe intercalari. [Menſem.] ¶ Fere triginta cuique menſi dies attribuebantur: Nam & ſeptimo menſe natum infantem ex Hippocrate Paulus & Vlpianus centeſimo octogeſimo ſecundo die natum iuſtum definiunt. *l. 12. ſeptimo. de ſtat. hom. l. 3. ſi. de ſuis & legit.* Et cum lex duorum menſium proponendis à tutelæ munere excuſationibus mentionem facit, etiam qui ſexageſimo primo die venerit, audietur. *l. 101. vbi lex. ȷ̃. tit. ſeq.* Et cum ædiles edicto iudicium redhibitorium rei venditæ nomine, intra duos menſeis pollicentur, etiam ſexageſimo primo die in iudicium venientem audient. *l. 28. ſi venditor. de ædil. edict.* Quamuis duorum menſium tempus ſexaginta diebus terminetur. *l. 31. quod ſi nolit. §. ſi quid ita allo tit.* Menſibus ſingulis triginta dies aſſcriptos ex Pamphilæ ænigmate de anno colligitur, apud Diog. Laertium *lib. 1. in Cleobulo.* εἷς ὁ πατήρ, παῖδες δὲ δυώδεκα: τῶν δ' ἑκάστῳ παῖδες τριάκοντα. Quamquam Arcadum anni trimeſtres fuerint. Plinius *lib. 7. cap.* 48. ac Licinius præfectus Galliæ, cum ſingulis menſibus tributum penderetur, 14. menſeis conſtituerit: cuius commentum Dion Nicæus *lib.* 55. deprehenſum commemorat.

XCIX. VLPIANVS lib. j. de Officio conſulis.

NOTIONEM accipere poſſumus, & cognitionem & iuriſdictionem.

ALCIATVS.

NOTIONEM. ¶ Notionis verbum generale eſt, & non ſolùm ad eos pertinet, qui iuriſdictionem habent, ſed & qui ſimplicem cognoſcendi facultatem. Quare aſſeſſores ſiue amici, qui in conſilium Proconſulum adhibentur, cùm etiam ipſi cognoſcant, dicuntur habere notionem. Arbitri quoque, quos ex compromiſſo adimus, habent notionem. Cùm enim ex pacto priuatorum

iuriſd

iuriſdictio conferri nequeat *l. priuatorum. C. de iuriſdict. omn. iud.* conſequens eſt, vt ſaltem notionem habere dicantur. ¶ Quare cùm Iuriſconſultus *l. ait prætor. de re iudic.* exequendas eſſe eorum ſententias, qui notionem habent, atteſtetur, etiam de arbitria intellexiſſe videtur, quorum ſententiæ vel per pœnæ petitionem *l. diem. §. ſtari. de arb.* vel per exceptionem, vel etiam per actionem in factum, ſi arbiter à iudice datus ſit, executionem ſortiuntur *l. ab arbitro. qui ſatiſ.* Hodie etiam ſi a partibus ſimpliciter ſint electi, & ἐμολογεία, id eſt, approbatio ſubſequuta ſit. *l. 4. & ſeq. C. de arb.* Sed & ſi ſub pœna, etiam rato manente pacto, compromiſſum ſit, oriri actionem in factum crebrius receptum eſt. *d. l. ait.* licet aliqui ſufficere pœnæ petitionem exiſtimauerint, quorum ſententia communi calculo locum ſibi tantummodo vendicat, cùm actum non eſt, vt ratum ſit pactum. ¶ Sed an is cui mandata eſt iuriſdictio, notionem ſolùm habeat? quod pleriſque videtur. *l. 1 in fi. de offic. eius.* nihil enim proprium habet. Nobis magis ea ſententia probatur, vt habere iuriſdictionem dicatur, licet alieno iure, & beneficio. ¶ Sed nunquid is cui cauſæ cognitio conceſſa eſt definire poterit? Et ſi a lege concedatur, dubium non eſt poſſe. *l. 3. §. cognoſcit. de offic. præfect. vig.* ſi verò ab homine, Bartolus negat. quoniam aliud ſit cognoſcere, aliud definire *l. vbi. C. de fal.* Nam & ſi alicui mandetur, vt cauſam audiat, non iudicandi munus, ſed referendi mandatum videtur. *Cle. auditor. de reſc.* Ego, ſi ordinatio cognitio demandata per principem ſit, putauerim etiam ius decernendi conceſſum: ſolent enim ordinarij ipſi iudicare, non autem referre *l. 1. C. ſi contra ius l. fi. C. vbi ſen.*

BRECHÆVS.

NOTIONEM. ¶ Verbum cognoſcere, à iureconſultis vſurpatur, pro Iudicis perſonam induere, & inter litigantes ſententia controuerſiam dirimere: vnde ad iuriſdictionem pertinet. Græci illud dicunt διαγιγνώσκειν pro poteſtate ius dicere, vt iudex in ſua prouincia. Budæo teſte *in Commentariis linguæ Græcæ*. Itaque cùm ante iudicem non ſuum quis vocatus compellitur ab ipſo iudice coram ſe diſceptare, dum is iudex legitimum partium ſe iudicem pronuntiat, cenſetur cognitionem cauſæ vſurpare, id eſt iuriſdictionem ſibi arrogare. Cùm tamen reſcripto princeps alicui cognitionem demandat, id exactè & ſtrictè accipiendum cenſuit Iaſon in *l. cùm prolatis. ff. de re iudic.* Tantùm enim vſque ad ſententiam intelligit. At verò quandocunque à lege cognitio conceditur, ferendæ quoque ſententiæ poteſtas cenſetur conceſſa. Solent (inquit Vlpian. *de offic. procon.*) etiam cuſtodiarum cognitionem mandare legatis: ſed vt præaudiant cuſtodias ad ſe remittant. Sic multum intereſt cognitio à lege conceſſa ſit, an verò ab homine. Quippe cognitionis nomen ad ea plerunque iudicia refertur, vt ſcribit Connanus *libro primo Commentario iuris ciuilis. cap. 16.* quæ extra ordinem habentur. Tradit tamen Calliſtratus, aut de muneribus & honoribus gerendis plerunque cognitionem eſſe, aut in pecuniariæ rei diſceptatione verſari, aut cùm de exiſtimatione alicuius cognoſcitur, aut de capitali crimine quæritur. *l. cognitionum. ff. de variis & extraord. cognitionib.* Sæpe etiam ſuſpecti tutoris cognitio ſolet demandari. teſte Martiano *in l. cognitio. ff. de offic. iurid. Alex.* Ex quibus patet cognitionis verbum tum ad ciuiles, tum etiam ad criminoſas cauſas & capitales pertinere. Ergo iuriſdictionis verbum eſt cognitio. Quod omnino verum non eſt. Cùm enim cauſa omnis quæ iuriſdictionis authoritate diſcuti ac terminari ſolet, verſetur in cognitione ſententia, & executione: cognitio autem vſque ad ſententiam iudicis protrahatur tantùm, ſæpè quidem fit, vt cui cognitio competit, ferre ſententiam is nequeat: executionem item, quæ ſententiæ ipſius effectus dicitur, nullam propemodum habeat. Quare demandata ſimpliciter cognitione, non videtur demandata executio. *not. in l. de qua re. ff. de iudic. in cap. Adhæc. de offic. Archid.* Inno. *in cap. propoſuit. verſ. Quidam tamen dicunt. de conceſ. præb.* ¶ Qui igitur cognitionem habet, non habet propterea iuriſdictionem: quam habenti, & cognoſcendi, & ferendæ & exequendæ ius eſt ſententiæ. Fit tamen aliquando, vt cui executio demandata eſt, cognitionis quoque ius ille habeat: cùm videlicet in exequenda ſententia, diſceptatio inter partes incidit, & controuerſia fit ea ipſa ſententia: ſcribit Conſtantinus Imp. ad Pontianum conſulem Campaniæ, eum, cui quamuis non cognitio, ſed executio mandatur, de veritate rei acquirere poſſe: vt ſi fraus interceſſerit, de omni negotio cognoſcat. *l. & ſi non. C. ſi contra ius vel vtil. public.* Sed & Vlpian. *in l. pen. ff. de iuriſd. omn. iud.* videtur ſentire, eum poſſe ſententiam quoque ferre qui cognitionem habet. Cùm (inquit) quædam puella, apud competentem iudicem litem ſuſceperit, deinde condemnata ſit, poſteáq; ad viri matrimonium alterius iuriſdictioni ſubiecti peruenerit, quærebatur, an prioris iudicis ſententia exequi poſſit? Dixi poſſe, quia ante fuerat ſententia dicta. Sed & ſi poſt ſuſceptam cognitionem, ante ſententiam hoc euenerit, idem putarem: ſententiáque à priore iudice rectè feretur. Breuiter, vbicunque iudicis vel authoritas, vel conſenſus exigitur, ſemper intelligitur neceſſaria cauſæ cognitio, vt not. Zaſius *in l. ſed ſi hac. §. prætor ait. ff. de in ius voc.* Duplicem autem cauſæ cognitionem idem Vl. Zaſius docuit *in l. quamuis. cod. titul.* Qua ratione crediderim eum etiam iuriſdictionem habere, qui cognitionem habet. Vt cùm dicimus merum imperium eſſe gladij poteſtatem ad animaduertendum in facinoroſos homines, interpretamur poteſtatem cognoſcendi & iudicandi de quibuſcunque criminoſis cauſis, *vt l. ſolent. ff. de offic. procon.* ¶ Iraque mihi ſanè videtur fruſtra Vlp. ſcripſiſſe hoc loci, verbum notionis generalius & cognitione, & iuriſdictione eſſe: cùm etiam notionis nomen ad eos pertineat, qui iuriſdictionẽ non habent, ſed habẽt de quauis alia cauſa notionem, ſicut ipſemet Vlp. tradidit *in l. ait Prætor. ff. de re iud.* ait prætor. Cuius de ea re iuriſdictio eſt: melius, inquit Vlp. ſcripſiſſet, cuius de ea re notio eſt. Sed exiſtimauit Accur. hoc ideo dixiſſe Vlp. quod verbũ notionis tãquam generalius, ad plures extẽderetur. Quã Accur. ſentẽtiam nequaquã probauerim. Verbũ. n. cognitionis maius eſt notione, & ad plura negotia trãsferri ſolet. Quod ex Cic. elegãter admonuit Conn. *lib. 1. c. 16.* Cic. *pro domo ſua ad Pont.* Omnis, inquit, notio Pontificũ, cùm adoptarer, eſſe debuit: niſi fortè ex te ita quæſitum eſt, num perturbari remp. ſeditionib. velles? & ob

eam cauſam adoptari, non vt filius eſſes, ſed Tribunus plebis fieres, & funditus euerteres ciuitatem? Reſpondiſti, credo te ita velle. Pontificibus bona cauſa viſa eſt: approbarunt, &c. Nulla tamen (ait Connanus) Pontificum iuriſdictio erat: ſed ipſorum fuit animaduertere, an omnia fuerant iuſte & legitimè obſeruata. Ad eos de rebus & negotiis ſine quæſtione referebatur. Vnde T. Liuius *lib. 9. 3. Decad.* ad collegium Pontificum relatum de expiandis, quæ Locris in templo Proſerpinæ tacta, violata, elatáque inde eſſent, Tribuniplebis cum prætore & decem legatis profecti M. Claudius Marcel. & Cincius Alimentius, iiſq; ædilis plebis datus eſt: quem ſi aut in Sicilia prętoris edicto audiens non eſſet Scipio, aut iam in Aphricam traiecisſet, compræhendere Tribuni iuberent, ac iure ſacroſanctæ poteſtatis reducerent. His Liuij verbis patet Pontificibus tantùm notionem fuiſſe: iuriſdictionem autem penes Prætorem, & poteſtatem ad Tribunos plebis pertinere. ¶ Qui igitur notionem habet, cognitionem & iuriſdictionem non habet. Nam iuriſdictionem de publico introductam, conſtat & publica & priuata iudicia ſpectare: ſic iuris dicendi poteſtatem obtinere. Quam rem ampliſſime *in Commentariis noſtris ad leges municipales ſeu conſuetudines præfectura Turenſis* exequuti ſumus. Sed & videtur cognitionis eadem eſſe ratio quæ iuriſdictionis. Feneſtella *de Præfecto vrbis & vigilum. capite xxiij.* De incenſoribus (inquit) effractoribus, furibus, raptoribus, apud præfectum vigilum cognitio eſt: niſi ſi quæ tam atrox, tam famoſa perſona ſit, vt ad præfectum vrbi remittenda videatur. Et quoniam incendia plerunque culpa oriuntur inhabitantium, aut fuſtibus caſtigat eos qui negligentius ignem habuerunt, aut ſeuera obiurgatione comminatur, fuſtium caſtigationem remittit. Vides, Lector, ex ipſo Locio Feneſtella *de magiſtrat. Roman.* eidem exequendi ios eſſe, cui cognitionis ius eſt. Sic cognitionem ſob notione minimè contineri: ſed ſcribit Connanus *eodem lib. 1. cap. 16.* & iudicia principum nominari cognitiones, quod iure ordinario iuriſdictionem nullam habebant, vt nec populus in cuius locum venerant: ſed de quibuſdam extra ordinem cognoſcebant, quę ſcilicet ſuę cognitioni reſeruauerant, aut quę noua erant, nullis dum iudiciis definita. ¶ Cognoſcere tamen ego puto proprium eſſe iudicum quibus imperium mandata iuriſdictione transfertur. Sic enim & in eum ſenſum paſſim apud Iureconſultos legimus. De qua re (inquit Iulian. *ff. de iudic.*) cognouerit iudex, (maximè lite apud eum conteſtata, ſcribit Accurſ.) de ea quoque pronuntiare cogendus erit. Ex quo colligere licet, eum qui cognoſcit, ſententiam quoque ferre & pronunciare poſſe. Has ſi quidem antinomias conciliari oportet ex diſtinctione quam ſuprà fecimus. Vel etiam diſtinguendum fuerit, an de ordinaria, an verò de recuperatoria & demandata iuriſdictione agatur.

FORNERIVS.

NOTIONAM. ¶ Ex inſcriptionum ſimilitudine, (Vlp. *lib. 1. de officio conſulis*, vnde ſumpta eſt *l. 7. oratione. ṡ. de feriis & dilation.*) facile quo referendum ſit hoc caput, coniecturam capio: nempe ad dilationum dandarum quæſtionem, quæ oratione D. Marci definitur. Ex cuius argumento hîc quoque de iuriſdictione, de continentibus inſulis, de inſtrumentis, de ſeruis qui actui pręfuerint, diſputat Vlpianus. ¶ Initio ait Notionis nomen eſſe generale, quo & cognitio iuriſdictioque continetur. Idque & in edicti Prætoris de re iudicata formula, vt anguſtiore perſpicitur, [Cuius ea de re iuriſdictio eſt,] Vlpianus notans, melius inquit, pro iuriſdictionis nomine, Prætor notionis vocem vſurpaſſet, quę latius patet, refertúrque ad nudam negotij diſceptationem iuriſdictioni minimè cohęrentem. *l. 5. de re iud.* Iuriſdictionem & imperium ſoli habent magiſtratus: notionem, cognitionem, etiam iudices pedanei, & arbitri. Imò hæc duo plerunque confunduntur, vt hic. Et *γνῶναι*, Heſychius interpretatur *κρῖναι*, Arpocration apud Demoſthenem *γνῶναι* pro *κρῖναι* vſurpatam obſeruauit. Id inde fit, quòd iudices cauſa cognita de re ſeu lite pronuntiare coguntur. *l. 74. de qua re. de iudic.* quod & Iuſtinianus *Nouell. 60.* conſtituit, *αὐτὰς τὰς ἄρχοντας καὶ αὐτῶν τῶν ἐγνωσμένων ὑποθέσεων ἐφεξῆς καὶ κρίνειν τὰς ὑποθέσεις.* Id eſt, Iuliano Patricio interprete. Si quis ex magiſtratibus Conſtantinopolitanæ ciuitatis cauſam audierit, non audeat poſt litis conteſtationem, in totum eam derelinquere. Seneca Tragicus, [Si iudicas, cognoſce: Si regnas, iube.] Cognitor, pro recuperatore, iudice: cognoſcere, pro iudicare, cognitio, pro iudicio. Symmachus *lib. 1. epiſt. 32.* Quinctilianus *declam. 300. in fin.* [Nam ſemper erroris odium penes cognoſcenteis eſt: aliquando cauſa profertur, interim defenditur.] Id eſt abſolui poteſt etiam nocens, ſi cauſam adferat. *vt in l. 17. denunciaſſe. in fi. ad leg. Iul. de adult.* Idem *declam. 310.* [Non putauerunt illi, qui cognoſcebant priorum iudicum reſcindendam eſſe ſententiam.

§. j. CONTINENTES prouincias accipere debemus eas, quæ Italiæ iunctæ ſunt: vt puta Galliam. Sed & prouinciam Siciliam magis inter continentes accipere nos oportet, quæ modico freto Italià diuiditur.

ALCIATVS.

CONTINENTES. ¶ Prouinciæ dictæ ſunt, quòd procul ab Italia armis victæ fuerant: in has Proconſules & legati mittebantur, qui ios redderent, & tributa exigerent. ¶ Aliæ antè erant continentes, aliæ tranſmarinæ. Continentes, vt Gallia, Illyricum, Rhetia, Vandelici, Pannonia, Germania: Tranſmarinæ, Aſia, Aphrica, Syria, Cyprus, Achaia. Sed dubitatũ eſt, quid de Sicilia? videbatur enim tranſmarina quoniam ab Italia mari dirimitur. Sed tamen cùm illud fretum modicum ſit, magis probat Iuriſc. vt & ipſa inter continentes ſit. Hincque apparet Italorum appellatione non contineri Siculos, tametſi olim, priuſquam, irrumpente freto, dirimerētur, aliud eſſet, nec obeſt, quòd cùm inſula ſit Italię vicina, pars potiùs Italię ſit eæſtimanda, quã prouincia. *l. inſula. de iud.* nã cùm in eam prętor deſtin

deſtinaretur, ſicut in cæteras prouincias, eſſétque ampliſſima & viris & vrbibus, maior exiſtimata eſt, quàm vt inſula appellaretur. ¶ Refert autem plurimum, vt ſciamus prouinciæ continentes an tranſmarinæ ſint: propter dilationes, quæ in illis breuiores, in his prolixiores concedi debent. *l.1.C.de dilat.* Scribit Dion, edicto diuum Auguſtum prohibuiſſe, ne ſenatores iniuſſu principis extra terram Italiam peregrinarentur, præterquàm in Siciliam, & prouinciam Narbonenſem: illam, quia Italię continens propinquaque eſt: hanc, quia imbellis & nouandis rebus minimè apta. Tacitus tamen libro 12. egregiæ erga patres Narbonenſium reuerentiæ, hoc tributum à Claudio atteſtatur. ¶ Sanè quantum ſit ad iuriſdictionem, hodie quælibet ciuitas, quæ merum imperium habeat, ſuóſque ſibi magiſtratus conſtituat, prouinciæ æquiparatur *l.cùm in longi.C.de longi temp.praſcr.* ¶ In iure verò pontificio prouincia pro diœceſi accipitur. *6.q.2.ſciote.* in qua decem vel vndecim ſint ciuitates, quibus is, qui dominatur, rex dici poteſt.

BRECHÆVS.

CONTINENTEIS PROVINCIAS. ¶ Quid ſit prouincia, & quo primùm tempore cœptæ ſint prouinciæ, ampliſſimè tradidimus *in noſtris commentariis ad conſuetud. Turonenſem verb.* du païs. *Titul. generali.* ¶ Permultæ ſanè prouinciæ Romanorum fuerunt: ſed quæ Italicis oris adhærebant, ac erant conterminæ nullo maris interſtitio, continentes dicebantur, quemadmodum Romam dicimus etiam continentia ædificia, id eſt, quæ vrbi Romanæ adhærent & contigua ſunt. ¶ Quas igitur gentes Romani procul euicerant, imperióque ſuo adiunxerant, Prouincias appellabant: vt puta Galliam prouinciam, inquit Vlpian. Eam autem Galliam prouinciam Narbonenſem fuiſſe, videre eſt ex Pomponij Melæ verbis *lib.2.* de Gallia loquentis. Pars, ait, noſtro mari adpoſita, fuit aliquando Bracchata, nunc Narbonenſis, magis culta & magis conſita: ideóque etiam lætior Cicero *de prouinciis conſular.* Nemo ſapienter de Republ. noſtra cogitauit iam inde à principio huius imperij, quin Galliam maximè timendam huic imperio putaret. Sed propter vim, ac multitudinem gentium illarum, nunquam eſt antea cum omnibus dimicatum, reſtitimus ſemper laceſſiti: nunc denique eſt perfectum vt imperij noſtri, terrarúmq; illarum idem eſſet extremum. Et rurſus ibidem ſopra, ad principium orationis. Quatuor, inquit, ſunt prouinciæ, P C. de quibus adhuc intellign ſententias eſſe dictas: Galliæ duæ, quas hoc tempore vno imperio videmus eſſe coniunctas, &c. Quo in loco, vt teſtis eſt Vadianus, Narbonenſem & Comatam intellexiſſe videtur, in quas peculiariter ex Gallia quæ intra Alpes eſt, diuiditur. ¶ De Sicilia Plinius *lib.3.naturalis hiſtor.cap.8.* in hæc propemodum verba ſcribit. Verùm ante omnes claritate Sicilia, Sicania à Thucydide dicta, Trinacria à pluribus, aut Triquetra à triangula ſpecie, circuitu patens, vt author eſt Agrippa. 618. M. paſſ. quondam Brutio agro cohærens, mox interfuſo mari auulſa. 12. M. in longitudinem freto: in latitudinem autem M. iuxta columnam Rhegiam. Ab hoc dehiſcendi argumento, Rhegium Græci nomen dedere oppido, in margine Italiæ ſito. In eo freto, eſt ſcopulus Scylla, item Carybdis, mare vorticoſum, &c. Hoc equidem Rhegium Græci ῥήγιον παρὰ τὸ ῥήγνυειν, id eſt, ab erumpendo ſeu dehiſcendo: quòd ſit illic ſinus maris dehiſcens. Quare ſcribit Mela *lib.2.* Sicilia, vt ferunt, aliquando continens, & agro Brutio annexa: poſt freto maris Siculi abciſſa eſt. Id anguſtum & anceps altero curſu, modò in Tuſcum, modò in Ionium pelagus perfluit, atrox, ſæuum, & Scyllæ Carybdiſque ſæuis nominibus inclytum. Scylla, ſaxum eſt: Carybdis, mare, vtrumque noxium appulſis. Hæc ille. Hinc ego credo Vlpianum ſcripſiſſe Siciliam inter continentes prouincias magis accipiendam, propterea quòd modico freto ab Italia diuiditur. Hoc fretum Græci πορθμὸν appellant, teſte eodem Mela *lib.1.* παρὰ τὸ πείρω, author etymologicus, quod traiicio ſignificat. Vnde πόρθμος fretum ſeu ſinus traiectu facilis, & mare vtrinque amplexum, τουτ' ἐστὶ θάλασσα ἐστενωμένη ἴσχυς. Plinius *lib.3. cap.5.* Vnde irrupit Athlanticum ab aliis, magnum: quà intrat, Porthmos à Græcis: à nobis, Gaditanum fretum cùm intrauit. Eam igitur maris anguſtiam, quale eſt fretum illud quod Siciliam Italiæ abſcidit, & Gaditanum, quo extima Betica à Mauritaniæ ora diuiditur, πορθμὸν Græci appellant: quemadmodum, inquit Vadianus, ἰσθμὸν terram exilem maria diuidentem, aut magis Peninſulam continenti annexam vocant: Vnde & παρισθμια, vt author eſt Gale. *in Aphoriſm. Hippocratis lib.3.* vocant Medici eum locum qui os & gulam interiacet: quæ per tranſlationem quandam ita nominantur ab his qui propriè dicuntur Iſthmi. Sunt autem anguſti quidam terræ tranſitus inter duo maria ſitæ. hæc ipſe Galenus. Dicuntur alio nomine ἀντιάδες, ἀπὸ τοῦ ἀντικεῖσθαι ἀλλήλαις, quod inuicem oppoſitæ ſint. Plinius Tonſillas vocat *lib.11. cap.37.* Sunt autem glandulæ ad radicem linguæ vtrinque adpoſitæ, quas vulgus amigdalas dicit, quod & Fuchſius adnotauit. ¶ Hæc autem lex ſeu caput ab Vlpiano traditum, ad eas pertinet controuerſias quæ de abſentibus emuniendis ſæpè excitantur. Veluti quando eum, qui ad iudicium trahendus eſt, coram præſentémque & audientem citari oportere dicimus, & ſi patria locoque abſens fuerit, programmate publico: nihili ſanè erit citatio ac vocatio in ius domum tantũ denunciata, niſi quoque obiiciatur reum tum fuiſſe extra continentia territorij. *Authent. de exhibitione reorum. §. ſi verò etiam. l. Fulcinius. §. illud. ff. ex quibus cauſis in poſſeſſionem eatur.* Alciatus *in l. abſentem. §. hoc titul. l. dies cautioni. §. Prætor ait. verſicul. abeſſe. ff. de damn. infect.* dicimus *in l. mulieris appellatione. §. abeſt. ſuprà hoc titul.* ¶ Quid igitur ſi extra Torouenſem prouinciam vel præfecturam, in villam quandam aut caſtellum iuxta continentia ipſius prouinciæ, exiguo tamen flumine ſeu riuo interiecto, quis ſe contulerit, an propterea abſens cenſebitur, quòd non inuentus ſit in eo loco vbi requirendus eſt? Et quidem puto non cenſeri, argumento huius legis. Nam quod modicum eſt, non debet conſiderari. *argumentum l. in rebus. §. poſſunt. ff. commodati.* vbi ad eum modica impendia pertinent, qui tamen alioqui maiores impenſas præſtare non tenetur.

FORNERIVS.

CONTINENTES. ¶ Quoniam cuiuſque iuriſdictionis fines circumſcripti ſunt:non modò,quòd extra territorium iuſdicenti impune non paretur : nec iudicatum ab eo videri debet , qui poteſtatem non habuit. *l.vlt.de iuriſd.l.pen.de iudic.l.1.ſi.ad Sc. Tert. l.1.§.hac autem.quod quiſq.iur.l.2.ſi. de pœn.* Sed etiam quòd dilationum ſpatia ex locorum diſtantia, aut propinquitate moderantur iudices. *c.6.cupientes.de elect.6.* vel ex perſonarum conditione,qualitate,contumacia.vel obſequio,prout iudicantis religioni videbitur.*l.2.de re iudic.l.1.C.de dilation.* ¶ Anni ſpatium in litibus finiendis conſtitutum. [Cùm fiſcus litem patiatur , aut inferat , anni ſpatium ad determinandam cauſam ſpectari oportet : quia hoc ad inſtruendum ſatis eſt, & diutius non oportet.priuatorum ſiue fiſci emolumenta fatigari.*l.4.C.Th.de iu.fiſ.* Vltimum finem ſtrepitus criminalis anni ſpatio,&c.] *l.2.C.Th.ad l.Cor. de fal.* Si intra prouinciam res agatur,duo menſes ſufficiunt:ſi ex cõtigua,perſonæ atq; inſtructiones neceſſariæ putabuntur,quatuor:ſi ex trãſmarina,ſex.Cùm de cauſæ meritis interpoſita prouocatione tractabitur, ſi in eadem prouincia litigantes verſentur, intra vigeſimum diem : ſi ex contigua, intra quadrageſimum diem negotium terminetur. *l.13.in omnibus. de iure fiſci. C.Th. Nouell.69.* Duo item menſes dantur,vt quis euocetur : hinc ſata cauſarum & dies fatales. *l.20.iudices.l.41.rationales.de appellationib.C.Th.* ¶ En opinor cur Vlp.*continentes* hic prouincias definiat: Id eſt cohærentes,continuatas,connexas. *l.40.ſi duo.§.ſi fortè. de adq.poſſ.* A.Gellius [continens & quaſi connexus cum principatu cordis videretur.*lib.10. c.10.ſub finem.* In iunctis prouinciis breuiores dilationes:in diſiunctis, aut tranſmarinis laxiores indulgeri oportebit. *l.4.l.13.de iur.fiſc. C.Th. Italia iuncta ſunt.* ¶ Inſulæ Italiæ pars ſunt.*l.9.Inſula.§.de iud.* Quatum,vt Ariſt.docet,aliæ ſunt ἐξαίρετοι, præcipuóque iure cenſentur: vt de Britannia,Cypro,Creta dicere poſſe videmur:Aliç ἀφωρισμέναι,finitimis partibus attributç ſubſunt:quemadmodum & ciuitatis iuriſdictionem ad vicos,ſeu burgos,qui ei reip.reſpondent, indéque ius petunt (*reſortiſſent*) pertinere dicimus. *l.30.qui ex vico.§.ad munic.* Cuius generis Sicilia, quæ quanuis ſit inſula,quoniam aliquando adhæſit Italiæ,ac modici freti ſpatio diſiungitur, Vt Plinius *lib.2.cap.90.& 91.* Virgil.*Æneid.1.* Philo Iudæus,quòd mundus ſit incorruptus: τὸ παλαιὸν ἠπείρῳ Ἰταλίας Σικελίαν συνάπτεσθαι. In qua eſt Selinus. *l.1.ſi.§.iti.proximo.* ¶ Nam quod Florentinæ Pandectæ *Cicilia* habent,vitioſè ſcriptum,ex Ptolomęo,Plinio,& Stephano in Selectionum commentarii docuimus:Vulgatamq; ab Ant.Auguſtino *lib.1.c.9.emendationum.* oppugnatam Hetruſcæ prætulimus.

§. ij. INSTRVMENTORVM appellatione quæ comprehendantur, perquàm difficilè erit ſeparare. quæ enim propriè ſint inſtrumenta,propter quæ dilatio danda ſit,inde dignoſcemus:ſi in præſentiam perſonę quę inſtruere poſſit,dilatio petatur.Putà qui actum geſſit,licet in ſeruitute,vel qui actor fuit conſtitutus:putem videri inſtrumentorum cauſa peti dilationem.

ALCIATVS.

INSTRVMENTORVM. ¶ In cauſis pecuniariis dilatio vnica debet concedi. *l.1. C.de dilat.* & ſecundum locorum diſtantiam temperari : in ea debet actor per omne probationum genus intentionem ſuam adiuuare:quòd ſi ſpecialiter ad aliquod capitulum dilatio conceſſa ſit. *l.ſi.vbi Alc.de fer.* nihil obſtat, quin ad alia capitula plures dentur : quod ſeruandum non eſt, vbi generalis dilatio ſit ſemel data,vel etiam ſpecialis.ratione enim eius ſpeciei,ſecunda dari non debet.*l.oratione.de fer.* atque ita oratione D.Marci cauetur. ¶ Vtilitatis tamen cauſa receptũ eſt,vt etiam ſecunda dari,cauſa cognita poſſit:vt ſi ſub ſacramenti religione allegetur aliquid inopinatum emerſiſſe,vel impedimẽtum adfuiſſe.*d.l.ſi.* ¶ Sed & propter inſtrumenta cauſæ dilatio dãda eſt,quod Iuriſc.hic declarat,veluti cùm pars allegat aliquem de ea re inſtructum eſſe, & ideo certum terminum conſtitui petat , intra quem illi ſui copiam facere,adeſſéque poſſit. nam ſi veriſimile ſit eum eſſe inſtructum, vt quia allegetur ab eo negotium fuiſſe tractatum,dilatio concedenda erit. ¶ Hinc ergo probatur,inſtrumẽtorum appellatione etiam teſtes contineri. *l.1.de fid.inſtr.* & quidem propriè.& ipſi enim cauſam inſtruunt,vnde meritò inſtrumenta appellantur.Idémque in ſcripturis priuatis. Ex communi tamen loquendi vſu aliud eſſe Doct.ſentiunt.vnde in ſtatutis municipalib.quę ſtrictam interpretationem accipere ſolent, ea appellatione,de teſtibus,huiuſmodique ſcriptnris,non intelligemos.*Im.in rub.ext.de fid.inſtru.* & ſi,publicatis atteſtationibus, iudex dilationem inſtrumentorum cauſa concedat, de teſtib.non accipietur. *Alex.d.l.oratione.* quoniam licet ſcripturæ vſque ad cõcluſionem cauſæ produci poſſint.*c.cùm dilectus.de fid.inſt.* teſtes poſt publicationem non admittuntur.*c.de teſtib.ext.de teſt.* ¶ *Separare,diſtinguere.* Cùm.n.arbit.iud.hoc tributum ſit,qui ex veriſimilib.coniecturis ſubodoret,an is,cuius abſentia allegatur,cauſam inſtruere poſſit, perquàm,i.valde difficile eſt certam doctrinam tradere,cùm ex qualitate negotij coniecturæ oriuntur. ¶ *Quę enim.* Interrogatiuè legendum hoc modo : Quæ enim propriè ſint inſtrumenta,propter quę dilatio danda ſit,vnde cognoſcemus?non autem inde. ¶ *In præſentiam.* Id eſt,donec ſi præſens.hæc.n.eſt natura præpoſitionis iunctæ accuſatiuo caſui:vt cùm Verg. dixit.In lucémque tuliſſet,i.vſque ad lucem:quod à Seruio,Diomedéq; Grammaticis animaduerſum eſt. ¶ *In ſeruitute.* Poteſt ergo liber homo teſtimonium eius rei perhibere,quã cùm ſeruus eſſet vidit, & maior 25.ann.de eo atteſtari ꝙ cùm minor eſſet,cognouit.*l.excipiunt.§.1.ad Sil.* dũ tamen proximus pubertati.Sed quoties lex ad ſubſtantiam negotij certum teſtium numerũ requirit,vt in teſtamentis, neceſſe eſt tunc cùm negotium agatur,eſſe liberum.*§.ſed cùm. Inſt.de teſt.* Illud conſtat,qui impręſentiarum infamis ſit,ſi teſtimonium dicat,fidem non facere,etiam earum rerum,quas inculpatus adhuc viderat.*l.3.§.dua.de Carb.*

BRECH

BRECHÆVS.

INSTRVMENTORVM. ¶ In lite præclarè & rectè ordinanda, curſúmque eius inoffenſum ſi teneas, operæprecium eſt, dies legitimos proferendis atque edendis inſtrumentis litigatoribus præſtituere ac præſcribere. At inſtrumentorum appellatione, tabulas ſimul & hominum teſtimonia, hoc loco intelligi vult Vlp. Quapropter ſcripſit Imper. Dioclet. *in l.1. C. de dilation.* Quoniam, inquit, plerunque euenit, vt iudex inſtrumentorum vel perſonarum gratiâ dilationem dare rerum neceſſitate cogatur, ſpatium inſtructionis exhibendæ poſtulatum dari conuenit. Quod hac ratione arbitramur eſſe moderandum, vt ſi ex ea prouincia vbi lis agitur, vel perſona vel inſtrumenta poſcantur, non amplius quam tres menſes indulgeantur. Si verò ex continentibus prouinciis, ſex menſes cuſtodiri, iuſtiuſ eſt. In tranſmarina autem dilatione, ix. menſes computari oportebit. De inſtrumentis, & eorum editione & prolatione permulta, nec ea quidem vulgaria diximus *in Aphoriſm. iuriſprud. in verb. inſtrumentum.*

FORNERIVS.

INSTRVMENTORVM. ¶ Hic quoque articulus eodem pertinet: vt ratione inſtrumentorum vel teſtium, qui deſiderantur, dilationes litigantibus concedantur. *l.1. C. de dilat. d. l.7. aratione. ‡. de feriis.* ¶ Inſtrumentorum autem nomine hic tabulæ, ac teſtes ſignificantur. Vtroque enim modo cauſæ inſtruuntur. *l.1. de fide inſtr.* Caius [Vt ea pars ſola rationum quæ ad inſtruendum aliquem pertinet, inſpiciatur & deſcribatur.] *l.10. argentarius. de eden.* Vlpianus, [Plerunque authenticæ rationes ſunt neceſſariæ actori ad inſtruenda ea, quæ poſtea emergunt ad notitiam eius (ſcilicet ſerui actoris) ſpectantia.] *l.8. Pomponius. ‡. fam. erc.* Iulius Aquila, [Ad inſtruendam diligentiam iudicantis & pupillorum vtilitatem admittendam, ſeruos quoque ipſorum interrogari poſſe.] *l.34. ad inſtruendam. ‡. de adm. tut. l.10. cum ſuper. C. de rei vin.* Idem Iulius Aquila [Religio prætoris a pupillari ſeruo detegente fraudes inſtruatur.] *l. vlt. de ſuſp. tut.* Vlpia. [copiam inſtrumentorum inſpiciendorum facere, vt perinde ſe inſtruere poſſint, expediat nécne agnoſcere hereditatem.] *l.5. de inr. del.* Hygenus *de limit. agrar.* [Locorum vocabula inſcribemus: non exiguum vetuſtatis ſolet eſſe inſtrumentum, ſi locorum inſignium menſuræ & vocabula æris inſcriptionibus conſtent.] Frontinus *de lim. agr.* [Syluas ad pop. R. multis locis pertinere ex veteribus inſtrumentis cognoſcimus.] inſtrumenta probitatis ſalubritatis, boni ſeculi, pro documentis, argumentis, Symmachus *lib.1. epiſt.54. lib.8. epiſt.16. lib.4. epiſt.3.* Corn. Tacitus *lib.20.* [nullum maius ſeculi boni argumentum, quam bonos amicos.] Inſtrumenta ſunt etiam perſonæ quæ ad litis inſtructionem conferunt. *l.1. ‡. de fid. inſtrum.* Græci hunc verſum ſic exponunt, *δυνάμεθα θεῖναι τὰ πρὸς ἀπόδειξιν τῆς δίκης συμβαλλόμενα πρόσωπα.* Perſonæ neceſſariæ, id eſt teſtes. *l.10. quoniam. C. de teſtib.* Inſtructa perſona, pro procuratore, cui litis exercendæ cura mandatur. Caſſiod. *lib.4. epiſt.44.46. lib.5. epiſt.12.* Quinctilian. *lib.5. c.6.* de iureiurando diſſerens, [ſi præter alia cauſæ adminicula, adiicit ex abundanti. *c.7. de teſtib.* circa eiuſmodi quoque inſtrumenta firmanda, vel deſtruenda multum habet operis oratio.] Idem *declam.338.* [Inſtrumentum excutere tuæ cauſæ volo. Teſtimonio inquis, vtor eius quem tu patrem dicis. Putemus iſtud eſſe teſtimonium: vnius eſt, &c.] ¶ Non iniuria ergo Vlpianus ait, perquam difficilem eſſe, quæ inſtrumentorum appellatione contineantur, ſeparationem ac diſtinctionem. Nam vt cætera argumenta prætercam, ſimilitudo perſonarum ac tabularum in duobus cernitur. Tum quòd qui in aliquos inuiti teſtimonium dicere lege Iulia non coguntur. *l.4. l.5. de teſtib. l. vlt. de gradib.* iidem, nec aduerſus eoſdem codices vel inſtrumenta, vel quid aliud proferre & exhibere compellantur, contráque qui inſtrumenta edere, iidem & teſtimonium dicere cogantur. Baſilicôn *lib.7. tit. vlt. ἐκεῖνοι γὰρ ἀναγκάζονται προφέρειν αὐτοῖς ἢ δικαιώματα, εἰ μὴ καὶ μαρτυρεῖν κατά τινος ἀναγκαζόμενοι. καθ' ὧν γὰρ προσώπων ἄκων τις οὐ μαρτυρεῖ, τούτων οὔτε προκομίζειν συντάς ἢ δικαιώματα ἢ ἕτερόν τι τοιοῦτον ἀναγκάζεται.* Tum quòd vt inſtrumentorum, ſic & perſonarum neceſſariarum cauſa dilationes petentibus iudicem concedere oporteat: cùm inſtrumenta ſint etiam perſonæ, quæ ad iudicij litiſque inſtructionem conferant. Quo in genere habentur ſerui, non eo ſenſu quo prædiorum inſtrumenta *ἔμψυχα ὄργανα*, Ariſtoteli *lib.8. Ethicarum. cap.11.* Varroni vocalia *lib.1. cap.17. de re ruſtic.* Vlp. *l.8. in inſtrumenta. l.12. quæſitum. de fun. inſtruct.* ſed quia rationes domini, litémq; poſſint inſtruere. *l.1. C. de bon. proſcr. l.22. lex quæ. C. de adm. tut.* *Perquàm difficile.* ¶ Vti cætera omnia quæ in facto verſantur, quæque à circumſtantiarum varietate pendent, vix certa aliqua lege definiuntur. *l. pen. de impenſ. in res dat. fact. l.14. de acceſſionibus. de diuerſ. præſcript. l.16. aut facta. de pœn. l.7. quæſtionis. ſuprà, de quæſtionib.* ¶ Sic dilationum litigatoribus dandarum ſpatia, cùm in certam non cadant regulam, iudicis religioni committuntur: quaſi arbitrariè pro locorum longitudine, ac conditione perſonarum. *l.2. de re iudic.* *Quæ enim.* ¶ Abſurdè hic ſcripturam hactenus probatam immutat Alciatus, interrogatiuè ita legens, [Quæ enim propriè ſunt inſtruméta propter quæ dilatio danda ſit, vnde cognoſcemus?] non autem *inde*: immò cùm recta ſint omnia, ne quid minuatur, auctor ero. [Qui actum geſſit, licet in ſeruitute.] Quamuis à iudiciis ac teſtamentis ſeruile teſtimonium reiiciatur. *l.10. quoniam. C. de teſtib. l.6. idem. ‡. de teſtib.* Geta Terentianus, [Seruum hominem cauſas orare leges vetant, nec teſtimonij dictio eſt:] Tamen de ſuo ipſius geſtu interrogatus reſpondebit. cùm alia probatio ad eruendam veritatem non ſupereſt. *l.7. ſeruus. de teſtib.* Plerunque torti malo coacti fatentur. *l.15. interrogati. C. de quæſtio. l.7. cùm probatio. ‡. de probat.* At licet, reorum damnatorum ſupplicium non extrahatur. *l.1. C. de cuſtod. reor.* Tamen ſi velocior pœna alteri damnum eſſet allatura, veluti ſi ſtatim afficeretur ſupplicio, domino non redditæ rationes intercideret, differetur. *l.1. C. de bon. proſcript.* Cum is ſeruus qui actum domini geſſiſſe diceretur, in commiſſum cecidiſſet, venire non debuiſſe, ſed pro eo viri boni arbitratu æſtimationem ſolui oportuiſſe reſcriptum eſt. *l. vltim. de publicanis.* Manumiſſus autem, quia nouus homo cenſetur. *l.98. qui res. §. aream. de ſolutionibus. l.27. ſeruum. de adimendis legat.* de iis quæ ſeruus ipſe viderit, teſtimonium liber dicet. Eius temporis ſpectatur teſtis conditio,

 cum

eum adhibetur. *l.22.heredes. §.conditionem. ff.qui teſtam.fac. l.1.C.de teſtam. §.ſed cum.de teſtam. Inſt.* Qui pares eſſe deſierunt, non ideò minùs idonei teſtes manent, earum rerum, quas cum adhuc pares eſſent, meminerint geri, ſi lis inter dominum & vaſſallum de inueſtitura oriatur. *lib.2.tit.19.de Feud.* Cùm negotium geritur, liberum eſſe oportet teſtem. *tit.de teſtam.ord.* infami tempore teſtimonij fides derogatur, quamuis de ea re iuratus dicat, quam integra adhuc exiſtimatione compertam habuiſſet. *l.3.§.dua.de Carbon.edict.* Sed an vt quæ quis ſeruus vidit, manumiſſus teſtari poteſt, ita etiam minor vbi maior factus fuerit? Si quidem eius rei quæ gerebatur, ſenſum habuerit. *l.14.excipiuntur ff.ad Sc. Syllan.* de Trebio Germano, Corn. Tacitus. Quod ſi impuberis ætatis imbecilliore iudicio præditus, minùs intellexerit, periculoſum fuerit, ei credere. *l.vlt.de iur.& fact.ign.l.3.§.proinde.ad Sc.Maced.l.6. pupill.quòd falſ.tut.l.26.qui iuraſſe.de iureiur.* vt fortè ſi infans ſit, quod ea ætas quæ videt ignorat. *l.1. C.de falſ.mon.* Sed vt in cæteris, ita hic quoque prudens iudex animi ſui motum ea reipſa, & circunſtantiis informabit, & quantum cuique teſti habendum, vel derogandum fidei, religioſè diſpiciet. *d. l.14.excipiuntur. l.3.§.adeòque.de teſtib.* Theophilus *§.pupillus. de inutil.ſtip.* ¶ Cæterùm an quæ quis in ſeruitute geſſerit, manumiſſo obſunt. *l.7.iuriſgentium.aliàs l.8.& ſumm.de pact.l.4.l.vlt.de iis qui not. infam.l.19.atquin. §. Scæuola.de neg.geſt.* commodiùs & copioſiùs aliquandò diſſeremus. *Peti dilationem.* ¶ Cuius definiendæ ratio ſemel in vniuerſum certa lege non conſtat. Interdum ea iuſtis cauſis, & certis perſonis ſuſpenditur cognitio: Veluti ſi inſtrumenta litis apud eos eſſe dicantur, qui reipub. cauſa aberunt: humanum eſt, propter fortuitos caſus dilationem accipi. Veluti cum pater litigator filium, vxor virum, filius parentem amiſit: & in ſimilibus cauſis ad aliquem modum cognitio ſuſtinetur, id eſt differtur. *l.36.interdum.ff.de iud.exemplum.l.1.C.de bon.proſcript.* ¶ Hoc tamen præcipitur, ne ſæpius dilationes rationum edendarum nomine poſtulentur, ſemel tantùm, certe bis concedantur. *l.1.C.de dilat.l.6.fi.l.7.ff.de edend.l.15.cùm plures.de reb.auct.iud.poſſid.* Actori, quia paratus meditatúſque ad iudicium accedit, nulla dilatio danda reo, in cuius poteſtate non eſt quando conueniatur, plures indulgendæ. *l.2. C.de dilat. l.5.fi. de dol.mal.except.* In pecuniariis cauſis omnes dilationes ſingulis cauſis plus ſemel non tribui. In capitalibus autem reo tres dilationes, accuſatori duas dari: ſed vtrumque cauſa cognita, Paulus ait *l.vlt.de feriis.* Olim accuſatori ad cauſam agendam, duas horas, reo treis dari ſolitas Dion Nicæus *lib.39.* ſcribit: Certè ſemper reo plures, accuſatori pauciores. Aſcon. Pædian. *in Milonianam.& 3.Verrinam* auctor eſt. Paulus eum nullam in crimine adulterij dilationem dandam dixiſſet, ſubiiciens exceptionem, [Niſi vt perſonæ exhibeantur, inquit, aut iudex qualitate negotij motus, hoc cauſa cognita permiſerit.] *Lantep.ad l.Iul.de adult.* Crebræ dilationes, quibus res in longius tempus extrahuntur, fruſtrationis & calumniæ ſuſpicione laborant. *l.233.ſi calumnur.ff.hoc tit.* quæ lites concinnatorum arte efficiunt immortaleis: magno litigantium diſpendio. *l.u. properandum. C.de iudic. l.80.eas.de cond.& demonſt.* Vt interdum protinus iudicio vinci, quàm poſt tot velitationes forenſes ac ſtrophas tandem obtinere, ſatius exiſtimem. *l.6.ff.de min.* Martialis *lib.7.*

Lis te bis decimæ numerantem frigora brumæ,
Conterit vna tribus Gargiliane foris.
Ah miſer & demens, viginti litigat annis
Quiſquam, cui vinci Gargiliane licet?

¶ Amm. Marcellinus tabularum deſcribens fraudes *lib.30.* [Si quem ſemel intra retia ceperint, inquit, caſſibus mille impedicant, per morborum ſimulationem viciſſim conſultò ceſſantes: vtque peruulgati iuris profertur lectio vna, ſeptem vendibiles introitus præparant, dilationum examina longiſſima contexentes: & cum nudatis litigatoribus dies ceſſerint, & menſes, & anni tandem obtrita vetuſtate controuerſia intromiſſa.] & pòſt aliquantò: [vt nondùm patroni poſt ſpeciem litis triennium editam cauſentur inſtructos, ſpatioque prorogati temporis impetrato, quaſi cum Antæo vetere colluctati flagitant pulueris periculoſi mercedem.] ¶ Hæc ille de ſui ſeculi veteratoribus, quid ſi in hæc quibus nutricula *δικῶν* Gallia lites ex litibus ſerit, tempora incidiſſet?

C. IDEM lib. ij. de officio conſulis.

SPECIOSAS perſonas accipere debemus clariſſimorum perſonas vtriuſq; ſexus. Item eorum quæ ornamentis ſenatoriis vtuntur.

ALCIATVS.

SPECIOSAS. ¶ Quatuor eſſe in iure dignitatum nomina, recentiores tradiderunt. *l.1.de Offic.cuns.* Superilluſtres, vt Senatores, Conſules, Patritios, Dictatores. Illuſtres, vt Pręfectum prætorio, Pręfectum vrbis, Quęſtorem. Spectabiles, Prætorem, Pręfectum vigilum & Auguſtalem. Clariſſimos, Præſidem prouincię, & procuratorem Cęſaris. Sed hanc ſententiam ipſe nunquam probaui, & quandoque diffuſioribus adnotationibus oſtendi longè & latè à vero abeſſe. Nam & hoc reſponſo ſatis apparet, ſpectabilē, ſeu quod idem eſt, ſpecioſum à clariſſimo non differre. ¶ Itaq; ſciendum eſt, ſenatores dignitate clariſſimos fuiſſe. *l.fœmina.de Sen.* quod in iure apertiſſimè variis ex locis probatur *l.2.C.de his qui ven.* & oſtēdit Lamp. in Seuero, qui præfectis prætorij ſui eum tribuiſſe Senatoriam dignitatē tradit, vt clariſſimi dicerētur. Quapropter & in iure Opel. Macr. qui priuſquam imperaret, pręfectus prętorio Seueri fuit, clariſſimus appellatur. *l.1.C.de ſen.pas.* ¶ Et quia ex his Senatoribus aliqui conſularia prętoriáq; ornamēta conſequebātur, vel principis indulgētia, vel quia eos magiſtratus geſſerant, omnéſq; latū clauum habebāt, ſpecioſi, ſpectabiles, illuſtréſue, propter ornamēta ipſa propriè ſunt dicti. Deligebātur autem ſorte ex Conſularib. Procōſules, ſicut ex Pręroriis, qui in prouincias P.R. attributas, eum poteſtate mittebātur. Cęſar verò in prouincias quas ſuę curæ reſeruauerat, pręſides vel legatos mittebat: qui ſi ex ſenatu eſſent, Clariſſimi erāt, alioquin ſola Perfectiſſimatus dignitate fruebantur

bantur *l.1.C.de perfect.dign.lib.12.* Meminit eius rei Ammianus Marcellinus *lib.21.* Quæ autem eſſent Conſulates, prætoriæque prouinciæ in calce operis ſuis Strabo Amaſinus refert.

Vtriuſque ſexus. ¶ Fœminæ enim maritorum dignitate illuſtrantur *l.1.de ſenat.* Vnde quæ clariſſimo viro nupta eſt, etiam ipſa fit clariſſima. Addit Angelus, fœminam naturalem, ſi legitimo viro iuncta ſit, effici legitimam. *§.quod verò.in auth.quibus mod.nat.effic.ſui.* Quod ita intellexerim, vt eas dignitates conſequi poſſit, quas aliæ legitimo concubitu ortæ ex mariti perſona habent. *l.ſi quis.C. dona.lib.in fin.*

Ornamentis. ¶ Id eſt, veſte laticlauia. Gerebant enim Senatores latum clauum, idque ampliſſimi ordinis inſigne erat *l.ſi Rufinus.C.de teſtam.milit.* Concedebantur etiam aliis conſularia, aliis prætoria, aliis præfectoria, aliquibus & quæſtoria ornamenta. Conſularium prætoriorúmq; inſignia erant, ſella curulis & trabea veſtis *l.fin.C.vt dign.ord.* Decernebantur & quibuſdam triumphalia ornamenta, ea ſunt tunica palmata, & toga picta: nam cùm omnia bella principis auſpiciis gererentur, legatis prætoribúſque, vel ducibus, qui hoſtes ſuperaſſent, triumphus decerni non poterat, quia alienis auſpicus vicerant: vnde repertum, vt ſaltem triumphalia ornamenta conſequerentur. Conceſſit tamen Beliſario Iuſtinianus, vt de Partis triumpharet, quamuis non ſuis auſpiciis viciſſet.

BRECHÆVS.

SPECIOSAS. ¶ Si quando obtigit ingenuorum hereditates deſerri ad poſteros & ſucceſſores, tam fœminarum quàm maſculorum erit hereditas. Vel ſi quicquam ſpecioſis perſonis teſtamento relictum eſt, vtriuſque ſexus perſonas clariſſimas accipi oportet. Quæ autem clariſſimæ perſonæ intelligantur, & quæ clariſſimatus ſit dignitas, ampliſſime & luculenter tradidit do. Andr. Tiraquellus *in Tractatu de nobilitate.cap.2.& deinceps.* Illum tu libenter legito. Maximam enim ſtudiis tuis acceſſionem inde feceris.

Ornamentis Senatoriis. ¶ Erant quippe ornamenta Senatoria, quæ Senatum ab Equite diſtinguebant, teſte Plin. *lib.33.natur.hiſt.* Laticlaui tunica, quam Græci *χιτῶνα πλατύσημον* appellant, Latini tunicam palmatam, vt adnotauit Laza. Bayfi. ex Strabone *lib.3.* erat ornamentu & inſigne ſenatoriæ dignitatis. Item quoque Purpura, ius ſpectandi in Orcheſtra, & epulandi publice, tam in epulo Iouis, in Capitolio, quàm ludorum cauſa. Erat equidem Laticlauus, ſenatoria veſtis, qua Senatus dignitas & ampliſſimus ordo notabatur. Nonnunquam etiam Senatoribus vti penulis licebat, quamuis cultu tenuiſſimo eſſent. Multa alia in hanc rem ſcribit Alex. Neapol. *lib.4.genial.* Cicero *in Oratione pro Cluen.* togam prętextam reponit inter ornamenta ſenatoria, teſte eod. Bayfio. Quæ igitur perſonæ his ornamentis ſenatoriis vterentur, ſpecioſas ipſas & clariſſimas dici & nominari licebat. Filia ſiquidem hominis ingenui ingenua ab ortu cenſebitur eſſe perinde ac filius. Quòd ſi homini plebeio nupſerit, qui ex ea naſcentur filij, plebeiam patris ſequentur conditionem: atque è diuerſo erit ſentiendum. Quæ omnia latiùs *in commen.ad conſuet.Turon.* præfecturæ ſunt à nobis tradita, & pertractata.

FORNERIVS.

SPECIOSAS. ¶ Domitius Vlp. tres de officio conſulis (malè in huius cap. inſcriptione *proconſulis*) libros conſcripſerat, ex quorum reliquiis tenuibus ſuperſunt quædam: veluti lex ſuperior *ex lib.1.* lex ſequens *ex lib.2. Ex tertio verò l.15.à diuo.de re iud.* Sed & Marcellus libros plures, certè quinque de officio conſulis ediderat: Ex quinto reliqua eſt, *l.2.ne de ſtatu defunct.* Paulus libros tres, *vnde l.8.de pollicitationibus.de pollic.* quæ tamen Vlpiano vulgò tribuitur. Specioſæ perſonæ definiuntur, clariſſimorum virorum ac mulierum: *ἐπίσημα πρόσωπα λέγεται, τὰ τῶν λαμπροτάτων ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν*: hoc Græci modò: In Archetypo illud ampliùs, item eorum, (quæ ſenatoriis ornamentis vtuntur. Cuius inſpectionis vſus cum in multis iuris articulis, tum his potiſſimùm cernitur. Primùm in contrahendis nuptiis, quę inter Senatores ſenatorúmque liberos, cum libertinis ac plebeiis interdicebantur. *l.16.oratione.l.23.lege.l.27.ſi quis in l.31.ſi ſenatori. l.ſeq.l.34.generali.ſi.l.42.ſemper.l.ſeq. §.ſenatus.l.44.lege Iulia.l.47.ſenatoris.l.49.obſeruandum.l.58.à Diuo.ſ.de rit.nupt.* Vnde quod Marinus in Proclo ſcribit mulierem patricio nupſiſſe *κατὰ νόμον*, ſic accipio, ſecundum legem Iuliam, ſcilicet de maritandis ordinibus. Xylander verterat, legitimè: quaſi eſſet in græco, *νομίμως*. ¶ Deinde cum de aſſeruandis teſtamēti tabulis ambigitur, apud digniorem deponentur: ingenuum libertino, amplioris honori inferiori præferemus. *l.vlt.de fid.inſtru.* vt & in teſtimoniis examinandis, dignitas ſpectabitur. *l.2.l.21.ob carmen.§.ſi teſtes.de teſtib.* & eiuſdem rei nomine plures ad agendum occurrēt, experiri idoneiorem ex fide & dignitate prætor decernet. *l.2.de pop.act.l.16.ſi plures. de accuſ.l.3.de lib.homin.exhib.* Prætereà cum iiſdem delictis humiliores abiectioréſque grauiùs, quàm illuſtriores atque honeſtiores puniantur, vt innumeris iuris auctoribus conſtat: tum illud, vt clariſſimi viri, ſenatores, decuriones, milites, veterani, eorúmve liberi rei ne torqueantur, ne fidiculis, equuleo, & tormentis ſeruilibus aut plebeiis ſubiiciantur *l.antep.l.pen.C.de quæſt.l.21.ſi quis decurio.C.de falſ.l.4.l.33.omnes iudices.l.42.militaribus.C.de decurion.* Inter τὰ τῆς βουλευτῶν προνόμια recenſetur τὸ μὴ τυπτέσθαι *Nouell.45.* Id eſt, non torqueri: vt rectè Iul. Patricius expoſuit. *l.10.feneram.C.de dign.* Accuſati de grauiore crimine extra carcerem ſub fideiuſſione habentur. *l.antep.C.de dign.* Excipitur ſanè vnicum læſæ maieſtatis crimen: in quo ex Valentiniani, Valentis & Gratiani conſtitutionibus (quarum argumentum Am. Marcellinus *lib.28.* refert) omnium reorum conditio exæquatur. *l.4.C.ad leg.Iul.maieſt.l.antep.C.de quæſtion.* Praterea illuſtres perſonæ teſtimonij in aliena lite dicendi, vel iurandi cauſa non adeunt iudicem: ſed ad eas domum additur, vt quod dixerint excipiatur. *l.15.ad perſonas.de iureiur.* de epiſcopis. *Nouell.126.l.7.C.de epiſcop.& cleric.* ad Vrgulaniam, quòd teſtis in quadam cauſa in forum venire dedignaretur, miſſum Prætorem qui domi interrogaret, refert Corn. Tacitus *lib.2.* Ad hæc illuſtres per procuratorem litigant, & in actione iniuriarum agunt & conueniuntur. *l.vlt.C.de iniur.l.penult.C.de*

dignit

dignit. l.vlt. C.vbi ſenatores vel clariſſ. Sed & in contrahendarum vſurarum modo, alia illuſtrium ac cæterorum ratio habita eſt. *l.antep.C.de vſur.* ¶ Poſtremò nobiliores, illuſtriores à plebeiis veſtibus & ornamentis & dignitate diſtinguuntur. *tit.de honoratorum vehiculis.C.* Honores ſeruis & libertis denegati, *l.vn.C.de lege Viſcellia. l.vn.C.quand.crim.act.ciuil.præiud.* honores & ornamenta petulantiùs adrectantes à iudice coerceri iubentur, & proſpiciendum, ne nimia dominorum in ſeruos indulgentia ampliſſimus ordo inquinetur *l.15.item apud.§.adiicitur. de iniur.l.1.de colluſ.deteg.* Seruorum veſtes Vaccinio tingebãtur. Plinius *lib.6.cap.18.* Senatores Laticlauo a cæteris diſtinguebantur: Suetonius *in Auguſto*. Alexãdrũ Paulum & Vlpianũ auctores fuiſſe Lampridius narrat, vt equites Rom. à ſenatoribus claui qualitate diſcernerentur. Qui autem fuerint illuſtres, clariſſimi, ſpecioſi, egregij, ἔνδοξοι, συγκλητικοί, huc operoſa diligentia ideò cogerere non lubet, quòd iam alij docere conati ſunt: & via ſit huius temporis vlla cum veterum dignitatibus collatio: quæ ne in Ro. quidem imperio eadem, ſed perpetuò immutata fuit: ſimilis pene calculo, cuius dignitas, pro loci quoque dignitate intenditur aut remittitur. Adeatur *tit.C.de dignit.* atque adeò *liber 12.Codic.* perlegatur.

Veriuſque ſexus. ¶ Vxor nupta claro & illuſtri, dignitatem à viro mutuatur. *l.1.l.8.fœminæ.ff.de ſenat.* Neque ſolùm mulier viri forum ſequitur. *l.65.exigere.de iudic.* ſed etiam cõditionem & honores. *l.1.C.de dignit.l.vlt.C.de incolis.* Vnde Plinius *lib.6.epiſt.32.* [Nuptura Nonio Celeri, cui ratio ciuilium officiorum neceſſitatem quandam nitoris imponit, debet ſecundum conditiones mariti, veſte, comitatu augeri: quibus non quidem augetur dignitas, ornatur tamen & inſtruitur.] ¶ Contrà verò mulier patricia ac nobilis, inferiori nubens, tranſiens ad plebem, de ſua dignitate deiicitur.

Ornamentis ſenatoriis vtuntur. Conceſſu ac beneficio principis: à quo tanquàm Oceano, omnium dignitatum fontes emanarunt: in cuius arbitrio eſt, quoties videbitur, non modò honorum inſignia, ſed ipſas etiam libere dignitates, ac magiſtratus conferre. *l.3.de offic.præt. l.57.quidam. de re iud.l.2.C. de crim.ſacrileg.* Imò inuitis video prætoriæ dignitatis ornamenta Conſtantinum obtuliſſe vltrò ſplendidioris fortunæ hominibus. Zoſimus, *hiſtor.lib.2.* βουλόμενος δὲ καὶ τοῖς ἐν λαμπρᾷ τύχῃ ἀφεστῶσί τι λυπηρὸν, ἕκαστον εἰς τὴν τοῦ πραίτωρος ἀξίαν ἐκάλει. καὶ τῷ προκαλύμματι τῆς τιμῆς ἀργυρίου σταθμὸν ἀπῄτει πολύν. Prætoria ornamenta liberto à Senatu decreta Plinius indignatur. Nam & a ſenatu quoque decernebantur: in antiquo lapide Rom. [Cn.Octauius Titiuius capito ab epiſtolis diui Neruæ eod. auctore ex S.c.prætoriis ornamentis donatus.] In via quoque Tiburtina monumentum ſe adnotaſſe, Montano ſcribit Plinius *lib.7.epiſt.29. lib.8. epiſt.6.* in quo ita: [Huic ſenatus ob fidem pietatémque erga patronos ornamenta prætoria decreuit.] ¶ Magiſtratuum porrò inſignia erant, Sella curulis, Sella eburnea conſulibus. Caſſiodorus *lib 6.epiſt.1.* Iuſtinianus *Nouell.24.* Prætoris Piſidiæ παράσημα deſcribens δίφρους ἐξ ἀργύρου, καὶ πέλεκυν καὶ ῥάβδους. Seneca *lib.1.de beneficiis.cap.5.* [Quid faſces, quid tribunal, & currus? nihil horum honor eſt: ſed honorum inſigne.] Carpentum iudiciale, Marcellinus *lib.29.* Carrucis intra vrbem vti permiſit Iulianus Imperator. *l.vn.C.Th.lib.14.tit.12. & Cod.de honoratorum vehiculis.* ¶ Sed hîc de veſtibus & ornamentis præcipuè agi exiſtimo. de quibus etiam illud cautum memini, vt ſenatores intra vrbem penulam aut togam, non chlamidem induerent: *lib.14.Cod. Theod. tit.10.l.1.* de habitu, quo oportet vti intra vrbem. [Nullus ſenatorum habitum ſibi vindicet militarem: ſed chlamydum terrore depoſito, quieta colobiorum ac penularum induat veſtimenta: Cum autem vel conuentis, &c. togatum eundem eſſe iubemus.] Caſſiodorus *lib.7.epiſt.1.* [Quamuis omnium dignitatum officia à manu ſecludantur armata, & ciuilibus veſtibus videantur indui, qui diſtractionem publicam docentur operari: Tua tamen dignitas à terroribus ornatur: quæ gladio bellico, rebus etiam pacatis accingitur.] Cornutus ad illud Perſij *è ſatyra 5.* [Verba togæ ſequeris.] Quia toga Romani in pace vtebantur, belli tempore paludamentis: Togæ inquit, ſimilitudinem in operimentis ſimulacrorum vel picturarum aſpicimus, [eáſque ſtatuas togatas vocamus.] de quibus veterem quæ Romæ etiamnum extat, inſcriptionem, accipiu. [Statuam poni habitu ciuili in foro diui Traiani pecunia publica cenſuit. ¶ Verùm vt ad inſtitutum redeam, etiam eos qui renera magiſtratu non fungerentur, ornamenta tamen ſenatoriæ, prætoriæ, Tribunitiæ, quæſtoriæ, triumphalis dignitatis conſecutos clariſſimis annumerari, deſinet mirari, quiſquis pleraque in ſpeciem tantùm magiſtratuum inſignia Romæ inſtituta, & imaginarios honores & ſine cingulo, dignitatis codicillos recordetur. *l.2.vt dignitat.ord.ſeruet.* C.Plinius Apollinari *Epiſt.9. lib.2.* Sexto latum clauum à Cæſare noſtro, ego quæſturam impetraui. Suetonius *de Claudio*, [Inſtituit & imaginariæ militiæ genus, quod vocatur ſupernumerorum: quo abſentes & titulo tenus fungerentur.] Impuberes pueri, & infantes militabant. *l.vlt.C.de milit.teſtam.* Vegetius *lib.1.cap.4.* [Quicunque infantes vel pueri militare cœperunt, ſterni eos inter vltimos iuſſimus.] *l.14.quicunque. C.Th.de re mil.* Sterni id eſt, conſcribi, cenſeri, in numeros referri, *enrooller.l.5.C.Th.de domeſtic.* Senatorum affluentem numerum deformi & incũdita turba, ad modum priſtinum redacturus Auguſtus: [Seruauit, inquit Suetonius, inſigne veſtis, & ius ſpectandi in Orcheſtra, epulandique publice ius.] Non diſſimile illud Zenonis, [Ne tamen, inquit indulti honoris inane nomen retinere videantur, dignitatum titulis potiantur: per ſubſtitutos ſuarum periculo facultatum, curialibus muneribus reſpondentes, habeant integra, illibatáque priuilegia dignitatis.] *l.antep.C.de decurionibus.* Conſtantius verò & Conſtans cum tariorem Carthaginenſem ſenatum & exiguos curiales redemptis honorum inſignibus reſidere intellexiſſent, [dum vniuerſi indebitæ dignitatis infulas fœda familiaris rei vexatione mercarentur: *conſtituerunt*, iſtiuſmodi viri demptis honoribus imaginariis, huiuſmodi illi erunt, quos fuerant conſecuti ciuicis muneribus ſubiugentur.] *l.27.rarum.C.Th.de decurion.* ¶ Quid in epiſcopis imaginariis, titulo, & vrbium (quæ ab infeſto Chriſtiani nominis hoſte Turca obtinentur) ornamentis vtuntur, ſtatuemus? Eos nimirum epiſcoporum dignitate fungi: Quamuis enim concilij Carthaginenſis decretis caueatur, μηδένα ἀπολελυμένως χειροτονεῖσθαι: Facere tamen ſpem poſtliminij (*arg.l.9.ad quod.de leg.1.*) ſublatis tandem erro-

ribus,vt aliquando reſtituantur:ac *Moribus antiquis res ſtet Romana viriſque.*

CI. MODESTINVS lib. ix. Differentiarum.

INTER ſtuprum & adulterium hoc intereſſe quidam putant, quòd adulterium in nuptam, ſtuprum in viduam committitur. Sed lex Iulia de adulteriis hoc verbo indifferenter vtitur.

ALCIATVS.

INTER STVPRVM. ¶ Adulterium propriè in nupta committitur, ſtuprum in vidua, vel virgine, ſeu qualibet alia muliere, quæ corpore quæſtum non faciat. In puero quoque perpetrari ſtuprum, alibi traditur. *l.ſtuprum.§.1.de adult.* ¶Horum criminum variæ pœnæ conſtitutæ ſunt. In adulteros gladius *l.quamuis.C.de adulte.*niſi quòd nobiliores deportantur *l.Claudius.de his quib.vt indign.* Mulier hodie in monaſterium detruditur. ¶ Stupratores virginum vel viduarum ex lege Iulia coercitione corporali, *§ 2.inſtit.de publ.iud.*vt fuſtium,flagellorum,plumbatarum,verberibus,relegationéque adfliguntur. Honeſtioris ordinis viri,dimidia parte bonorum mulctantur:extra ordinem tamen ſolent omnes extremo ſupplicio adfici. *l.1.in fi.de extraor.cri.* Hodie iure canonico, qui virginis florem delibat,vel ipſe eam in vxorem accipere,vel dotem,quácum alij nubat,præſtare compellitur.*c.1.de adult.* ¶At cùm vir nubit in fœminam viris porrecturam,armantur iura gladio. *l.cùm vir.C.de adult.* notatúrque ipſo iure vterque infamia.Quapropter ex facto reſponſum eſt,etiam priuſquam accuſati ſint, ſi moriantur,ab eis conditum teſtamentum non valere:hos enim improbos & inteſtabiles lex appellat,quod Plautus ciuis meus eleganter diſputauit.*In conſiliis Barba.lo vlt.in 1.* Sane hinc apparet tam adulterium quàm ſtuprum lege Iulia puniri. ¶Quo fit,vt ex huiuſmodi damnato coitu nati,paternorum bonorum ſint incapaces. *Authen.ex complexu. C.de inceſt.nup* quippe hos nec alij quidem leges Quiritium iubêt. Qua pœna excipiuntur hi,qui propriè naturales ſunt,videlicet ex concubina domi retenta vxoria quadam honeſtate. His addendi & ſpurij ſunt. *l.ſi ea.C.de adulter.* quos ex meretrice ſuſcepimus. Sed & ſi ex pediſſeca, clientáve aliqua viliore orti ſint, idem iuris videtur. *l.qua adulterium.C.eod.*has enim propter vtilitatem conſtat legum laqueis non innodari.*Salyc.d. authent.ex complexu.* ¶ Sed quid in dubio præſumemus,an capacem,an incapacem filium?Et à Baldo reſponſum eſt, *Conſi.262.in* 1.non cenſeri naturales in dubio filios:quia ad licitum cõcubinatum multa requiruntur, quæ rarò in vnam conueniunt.*l.3.de lib.& poſthu.* Idem adnotauit, ſi quem inſtituam tanquam filium certæ mulieris,& probetur ex me ortum,incapacem præſumi. Ego edictum ad teſtamenti factionem pertinens prohibitorium eſſe ſcio,*l.ſi quæramus.de teſt.*& ideò quemlibet capacem eſſe, qui non probetur incapax,quamobrem alio non conſtituto,putarem hunc admittendum,idque benignius eſt.

Indifferenter. ¶ Alibi lex Græcè καταχρηστικώτερον appellat *l.inter liberas.§.1.de adulter.*id eſt, abuſiuius,vt inde colligatur,in conſtitutione pœnali verba etiam per ſummum abuſum accipi, quando ex ipſius lectione conſtat,eius auctorem indifferenter,&promiſcuè ea voce vti ſolitum tanquã propria.

BRECHÆVS.

INTER STVPRVM. ¶Quantum ab adulterio ſtuprum diſſideat,ſatis compertum eſt his qui Latinos authores euoluerunt. ¶ Eſt autem adulterium,quando quis ſacrum coniugij thorum maculauit,& cum nupta muliere rem habuit. Aul.Gell.*lib.10.noct.attica.c.23.* De iure autem (inquit) occidendi ita ſcriptum eſt:in adulterio vxorem tuam ſi deprehendiſſes,ſine iudicio impunè necares.Illa te (ſi adulteres) digito non auderet contingere:neque ius eſt.Quintianus.

--Arcano in connubialia iura
Veris adulterio.

¶ Qua ratione rectiſſimè mihi videtur Alciatus *lib.7.c.5.* παρέργων iuris tradidiſſe adulterium dictum quaſi ad alterius thorum:exemplo Cuculli auis quæ à Græcis κόκκυξ dicitur:ad vocis cuius imitationẽ noſtrates Galli appellant *Cocu.* Nam veteres Græci ὔψιλον,per u,latinum pronunciabant:& quidem hac tempeſtate pleriq; noſtrorũ.Propriè igitur (ait Papin.*l.inter liberas.§.lex Iulia.ff.ad leg.de adulte.*) adulterium in nuptã cõmittitur propter partum ex altero conceptum cõpoſito nomine:Stuprum verò in virginem viduámve:quod Græci διακόρευσιν dicunt.Nam διακορεύειν virginem ſtuprare ſignificat, à Cicerone ſtuprum offerre,à Terentio autem,virginitatem imminuere & vitiare eleganter dictum. διαφθείρειν τὴν κόρην.vnde etiam διαφθορά. Quod verbum vſurpatur à Galeno *lib.2.loco adfectorum,* pro ciborũ corruptione:cùm videlicet vitio humorum calor naturalis non poteſt cibos concoquere.Quo fit vt vtraque lectio probanda ſit,videlicet διακόρευσιν ἢ διαφθοράν: quamuis Alciat. *lib.1.diſpunctio.c.26.*legat διακόρευσιν. At Lauren. Vall.& Budæus διαφθοράν. Quam quidem Papiniani definitionem. *l.inter liberas.§.lex Iulia.ff.ad leg.Iul.de adul.*ipſe Vall.comprobat,addens tamen legem Iuliam rectè hęc duo appellaſſe συμμιγῶς ſeu promiſcuè:non quòd omne ſtuprum ſit adulterium: ſed quòd omne adulterium ſit ſtuprum.Neque,inquit,rectè iuriſconſulti excipiunt ſtuprum à nupta:quum etiam in quotidiano ſermone ſic loquamur. Cicero *Act.vlt.in C.Verrem.* Noctu ſtupri cauſa in vrbem inferri ſolitus eſt ad mulierem nuptam vni,propoſitam omnibus.Budæus quoque permultis exemplis ac teſtimoniis docet ſtuprum pro adulterio plerumque poni : quod,inquit ipſe,parùm videtur Papinianus animaduertiſſe. ¶ Primus omnium in adulteros legem tulit Aegiuus vir Hyettus poſt Moluri cædem in vxoris adulterio depræhẽſi:quam legem poſtea eſt imitatus Draco Athenis. Cæl.*lib.20.lectio. antiq.cap.25.* ¶ Permulta alia in hanc rem videbis apud Dom. Andr. Tiraquell. *in tractatu de legibus connubial.*Et nos quoque *in Commentariis noſtris ad conſuetud. Turonenſ.titulo, De douare de femme noble. Articul.8.*

FORN

FORNERIVS.

INTER STVPRVM. ¶ Libros differentiarum conſcripſit Modeſtinus Ex ix.ſumptum hoc caput quo vocabulorum aliquot differentias minus obſeruari admonet. Adulterium a ſtupro, ſtuprator ab adultero diſtinguitur. *l.43.palam.de ri.nupt.l.6.inter.ad leg.Iul de adult.* Adulteri, alienarum nuptiarum temeratores. *§.2.de public.iudic.* Adulterium μοιχεία propriè in nuptam, Stuprũ φθορὰ, in viduam, vel virginem, vel puerum committitur. *hic.* & *l.34.ſtuprum.ad leg.Iul.de adult.* Verùm lex Iulia promiſcuè & καταχρηστικώτερον vtrumque dicit. *d.l.6.* Exemplum: Nam quod ait lex [Adulterij damnatam ſi quis duxerit vxorem, ea lege teneri.] placuit & ad ſtuprum referri. *l.29.mariti. ad leg.Iul.de adult.* ¶ Adulter & adultera dicuntur, inquit Feſtus, quia & ille ad alteram, & hęc ad alterum ſe conferunt. Papinianus, [propter partum ex altero conceptum compoſito nomine.] *d.l.6.* Quamuis enim caſtitas in viro: vt & in vxore deſideretur: & iniquum ſit, maritum ab vxore pudicitiam exigere, quam ipſe non exhibeat. *l.13.ſi vxor.ad leg.Iul.de adul. l.5. C.Gregoriano tit.vlt.* Nec liceat viro, quod vxori non liceat. *D. Ambroſius lib.1.cap.4.de Abrahamo.* Tamen ob ſobolis certitudinem, & partus ſuppoſitionem adulterium in vxore grauius eſt: Aul.Gellius *lib.10.cap.23.Sopater declamatione vltim.* De quo fruſtrà Zonaras in apoſtolic.can.48.Baſilicôn ſcholiaſtes *lib.60.tit.38.* dubitaſſe videtur. ſed hoc aliàs.

In viduam. ¶ Non quamlibet, ſed duntaxat honeſtè viuentem. *d.§.item lex Iulia.* Nam in ea quæ vulgaro pudore matrisfamilias nomen amiſerit admiſſum ſtuprum non vindicabitur. *l.13.ſi vxor.verſ. quamuis ſi vidua.ff.ad leg.Iul.de adult.l.22.ſi ea.l.29.qua adulterium.C.eod.* Idem ſi vel veſte meretricia, non matronali vteretur, vel in ſcena, taberna, caupona meritoria, parum pudicitiæ conſulens verſaretur. *l.15.item apud.§.ſi quis virgines. de iniur.* Parmeno Terentianus meritò exclamat, [Quis homo pro mœcho vnquam vidit in domo meretricia prehendi quenquam?] *arg.l.43.palam.de ritu nupt.* Addit Modeſtinus. *d.l.34.ſtuprum.* *Puerum.* ¶ Varia in pædicones pœna legibus conſtituta fuit. *d.l.1.§.qui puero.ff.de extr.crim.* *Quinctil.lib.4.c.2.l.31.cum vir. C.ad leg.Iul.de adult.d l.29. mariti.fin.d.§.item lex Iulia.* Sed & qui muliebria patiebantur, infamia notabantur, a poſtulando, concionibus & comitiis prohibebantur: Niſi vis illata a prædonibus vel hoſte diceretur. *l.1.§.remouet.de poſtul.* lege etiã Scantinia tenebantur, de qua Auſonius, Sueto.in Domitiano, Prudẽtius *hymno 10.de Romano Antiocheno.*

Qui ſi citetur legibus veſtris reus,
Laqueis minacis implicitus Iuliæ
Luet ſeueram vincens & Scantiniam.

Scantinio Capitolino tribunoplebis Claud. Marcellus diem ad populum dixit quòd filium ſuum de ſtupro appellaſſet: *Val.* Maximus *lib.6.de pudicitia.* *Virginem.* ¶ honeſtam ſcilicet *d.§.ſi quis virgines.* viripotentem: alioqui pœna irrogabitur alia. *l.38.ſi quis aliquid.§.qui nondum.ff.de pœn.* lege Attica aut ducere, aut dotare corruptam virginem ſtuprator cogebatur. In fictis declamationũ tum Græcorum tum latinorum legibus, rapta aut mortem, aut bona raptoris optare poterat. ¶ Illud ex Leonis nouella notatu dignum ſuccurrit, ſi quis ſponſam, quam vt virginem duxit, tempore nuptiarum ab alio iam violatam probet, dimitti quidem à ſponſo poſſe, non tamen adulterij damnari: quod videlicet eiuſmodi flagitium ante nuptias admiſerit: Harmenopulus *lib.4.tit.12.* ἐξὸν τῷ νυμφίῳ ... παραυτίκα ... ἀποπέμψαι ... διὰ τὸ πρὸ τοῦ γάμου ... τὸ ἁμάρτημα. ¶ Sed nec ipſi quidem ſponſo impunè rapere ſponſam ius eſt: nam & nuptiæ inter eos prohibentur. *l.vn.de rapt. virg. Nouell.143.& Nouell.150.*

§.j. DIVORTIVM inter virum & vxorem fieri dicitur: repudium verò ſponſæ remitti videtur: quod & in vxoris perſonam non abſurdè cadit.

ALCIATVS.

DIVORTIVM. ¶ Diuortium propriè in coniugibus eſt, Repudium ſponſæ mittitur. Hodie iure pontificio neutrum permittitur, ſed ſolùm ſeparatio ex certis cauſis: nec interim licet aliam ducere, etiam ſi ſeparationi vxor cauſam dederit: veluti ſi ipſa adulterium commiſit, vel impietatis in Deum, quam hæreſim vocant, ſit rea. ¶ Aliter tamen aliqui ex antiquis patribus olim obſeruauêre, inter quos Ambroſius, qui ex iuſta cauſa marito ius facit diuertendi, atque aliam ducendi: non enim hos homo ſeparat, ſed Deus, quando ita optimis antiſtitibus propter malos fœminæ mores videtur: quod & latè diſputat Eraſmus *in priorem Pauli ad Corinth.epiſt.1.Corinth.c.7.* nec eſt veriſimile, Iuſtinianum puſſimum Imperatorem, hunc tractatum non fuiſſe de iure ciuili amputaturum, ſi paſſim tempeſtate ſua pontificius ille canon obſeruatus fuiſſet: vt fortè credendum ſit, licere pontifici eos canones tollere, & ius Romanum obſeruari permittere, ſi velit. Nam & hodie filiusfa.eo iure, etiam patre reclamante, matrimonium contrahere poteſt, cùm tamen ius ciuile aduerſetur, *§.1.Inſtitut.de nuptiis.* & Eoatiſtus Rom.Pon. in vetuſtiſſimis decretis, vnde pleraque Gratianus compilauit, illud expreſſim approbet.

Sponſæ. ¶ Vxorem tamen repudiari etiam alibi legitur. *l.ſi qua.ff.de ritu nupt.* ſicut etiam aliquando diuortium dicitur, cùm de facto tantum matrimonium fuit. *l.quod Seruius.de condict.ob tur.* Res enim quandoque legitimi actus appellationem ſortiuntur, quamuis de facto ſolùm tenuerint: vnde ſuprà adnotaui, poſſe dici eum emiſſe, qui de facto emit.

BRECHÆVS.

DIVORTIVM. ¶ Nihil hoc loco de ea re dicetur à nobis. Id autem erit *in l.inter diuortium & repudium.ff.hoc titul.*

FORNERIVS.

DIVORTIVM. ¶ Altera differentia, quæ & ipſa negligi ſolet annotatur. Diuortium ſeparatio quædam, Ciceroni de oratore, & Frontino de aquæductib. [Aquarum diuortia.] Tertulliano de anima, Mors definitur corporis & animæ diuortium, *διάλυσις*, diſſolutio: Sed vſu obtinuit, vt frequentiùs ad nuptiarum reſciſſionem, referretur: ac diuertere coniuges viderentur, cum nô in eadem ampliùs familia pariter verſantur, diſcedunt. ¶ Formulam hanc in repudiis & renuntiatione vſitatam Caius ait, [Tuas res tibi habeto. *item*, Tuas res tibi agito:] *l.2. de diuort. & repud.* Eo alludit Plautus *Trinummo.* [Apageſis amor, tuas res tibi habe: Amicus ne mihi fias vnquam.] Petronius Arbiter. [Quoniam fidem ſcelere violaſti, & communem amicitiam, res tuas ocyus tolle.] Theodorus Balſamon *in Apoſtolicum can.48.* Quinctilian. *declam.262.* Vxori res ſuas vir habere iubebat, non peculiares tantùm: Plautus *Amphitryone,* [Valeas, tibi habe res tuas, redde meas. Iuben' mi ire comites:] ſed maximè dotem *l.2. ſolut. matr.* idque antiquo more, cuius Homeri interpres meminit: *ἔθος ἦν ἐπεί τις ἐκὼν ἐξ οἴκου γυναῖκα ἀποπέμψειε, χρήματα ἀποτίνειν τῆς αὐτῆς συγγενείᾳ, ἢ τῷ πατρί.* ¶ Illa etiam verba in ſponſalibus diſſoluendis, & affinitate renuntianda probata ſunt, [Conditione tua non vtor,] *d.l.2. id eſt nuptus. l.1. C. de ſponſalib. l.19. qui liberos. de rit. nupt. l. vlt. de ſponſalib.* Senec. *lib.1. controuerſ.6.* [conditionem nuptiarum inuentam.] Plautus *Sticho,* [Vtrum conditio penſior, virginem vel viduam ducere?] Eleganter Seneca *de ſuperſtitionib.* [Matrimonia deorum iungimus, quoſdam tamen cœlibes relinquimus, quaſi conditio defecerit, & præſertim, cum quædam viduæ ſint.] D. Auguſtinus *de ciuit. Dei lib.6.c.10. Diuortium inter virum & vxor.* ¶ Græci hic expoſuêre *διάζευξιν*: & Harmenopulus *lib.6. tit. vlt.* Photius verò *Nomocan. tit.13.c.30.* *δίεσιν*, id eſt ſonus muſicus *χωρίζων τὴν διὰ πασῶν ἁρμονίαν*, qui omnium tonorum concentum ſeparat, vnde & *διχασμὸς*, ſeu diſtantia nuncupatur. Quum itaque coniuges vnius côcentus *ἁρμονίας* inſtar obtineant, ſi ſeparatio intercedat, fiet *δίεσις*. Idem & D. Ambroſius *lib.8. cap.2. in Lucam* annotauit. ¶ Diuortium autem non eſt, niſi verum, quod animo perpetuam conſtituendi diſſenſionem, ſeu diſceſſionem, ſeu diuiſionem fiat. Itaque calore iracundiæ dimiſſa, mox reuerſa vxor, diuertiſſe non videtur, nec diuortium, ſed friuolum, vel fribuſculum potius dicitur *l.48. quicquid calore. tit. ſeq.* Iſidorus *ſub finem. lib.10. Etymolog. l.32. cum hic. de donat. inter vir. & vxor.* Vnde ſi pœnituit eum qui perferendum diuortij libellum tradidit, nihilominus per ignorâtiam mutatæ voluntatis oblatum, durat matrimonium, niſi is qui accepit, voluit diſcidium *l.3. l.7. ſi pœnituit. de diuort.* In diuortio perſeuerantia quædam, ac perpetuus animorum in diuerſas partes euntium diſſenſus, non iurgium requiritur *l.31. quod ſi non. de iur. dot. l.27. ſi liberis. de pact. dot.* Nam & eam diuortij notationem afferunt à diuerſitate mentium (fortè *euntium*) quia in diuerſas partes eunt, qui diſtrahunt matrimonium. *d.l.2. de diuor. l.191. inter. ff. h.t.* ¶ Quib. autê ex cauſis diuortia permittantur, repetas licet *ex l.8. conſenſu. C. de repud. Nouel.22. & 117.* Illud penè exciderat, quod innominatus ſcholiaſtes *Baſilicôn lib.49. ad l.78. cum in fundo. de iur. dot.* rectè monet, mulierem poſt diuortium fieri inimicam viro: Idque in teſtimoniis ſpectandum: vt infeſtæ in virum dicere teſtimonium paratæ minus credatur. Itaque mulier grauida repudiata cum filium enixa abſente marito ſpurium in actis profeſſa eſſet, Scæuola reſpondit iratæ matris profeſſionem, neque patriæ poteſtati, neque hereditati legitimæ obeſſe: ſed veritati locum ſuperfore. *l. antep. de prob.* Altera vxor prægnans repudiata enixa filium non dubitauit exponere *l.29. vxorem. de manumiſſ. teſt.* altera poſt diuortium prægnans vim viſceribus intulit, [ne iam inimico marito filium procrearet.] *l.39. Cicero de pœn.* Inimicus maritus vocatur *d.l.78. In fundo. Sponſa remiſit.* ¶ fortè *miſit*: vt alias ſæpe. *l.4. l.8. diuin. eod. tit.* Græci hîc *νύμφη ἀποζεύγνυσιν*. & Harmenop. *d. tit. vlt.* vbi eleganter hunc enarrat locum. *Et in vxoris perſonam cadit.* ¶ Ac ſi diceret, promiſcuè vtroque vocabulo leges abutuntur: Paul. per calorem miſſo repudio, ſi breui reuerſa vxor eſt, nec diuertiſſe videtur *d.l.3.* Diuortium non cadit in ſpôſam, ſed repudium *d.l.191. inter. ff. h.t.* quia nondum vxor, ſed ſperata tantùm fuit: quæ nunquam in viri manum conuenerit, non poteſt ab eo videri ſeparata: cum priuatio habitum arguat. *l.4. de iuſtic. l.116. decem. de verb. ob.* ¶ Inter ſponſam & vxorem has ſimilitudines & differentias notare licet. Primùm in luctu. *l.6. furti. l.9. vxores. l. ſeq. de iis qui not. infa.* Deinde in ritu nuptiarum *l.14. adoptiuus. fin. l.60. ſi quis tutor. §. quamuis. l.16. ratione. de ritu nupt. l.15. tutor. de ſponſal. cap.2. de conuerſ. coniug. c.5. de bigamis.* Tertio ſponſus, ſi quæ ſperatæ puellæ contumelia fiat, actionem iniuriarum habet. *l.15. item apud. §. ſponſum. de iniur.* Poſtremò iure mariti ſponſus adulterij accuſare poteſt *l.7. propter. C. ad leg. Iul. de adult.* Baſilicôn ſcholium *lib.60. tit.37. verſ. iure mariti. & lib.45. tit.4.* Gloſſularius notat ſponſum in pleriſque maritum imitari. Vt mirum videri non debeat, ſi propter communia inter ſponſam & vxorem iura, repudium quod propriè ad ſponſam refertur, etiam in vxorem cadat.

§. II. VERVM eſt morbum eſſe temporalem corporis imbecillitatem: Vitium verò perpetuum corporis impedimentum. Veluti ſi talum excuſſit: Nam & Luſcus vtique vitioſus eſt.

ALCIATVS.

VERVM. ¶ Varia inter antiquos fuit opinio, quid inter ſe morbus, & vitium differrent: & Modeſtinus hic morbum temporalem, vitium perpetuum dixit, cui ſententiæ etiam Nonius Marcellus accedit: at Sabinus vitium generalius nomen eſſe definiuit, *l.1. §. ſed ſciendum. de ædil. ædict.* quod etiam ad animum referatur. Sed & balbum vitioſum eſſe, non morboſum. Vlpianus pro eodem accipi vitium & morbum ait, quamuis in edicto ædilium curulium tollendæ dubitationis cauſa bis *κατὰ τοῦ αὐτοῦ* idem dictum ſit. ¶ M. Cicero morbum totius corporis corruptionem exiſtimauit: ægrotationê, ſi imbecillitas accedat, vitium, cùm partes corporis inter ſe diſſidêt, vt diſtortio membrorum,

& de

& deformitas.Extat Comi antiquum monumentum hac inſcriptione:

Morborum vitia,& vita mala maxima fugi.
Nunc careo pœnis,pace fruor placida.

Huius Iuriſconſultorum controuerſiæ etiam Gellius *lib.Noct.Atti.4.cap.*11.meminit.

Luſcus. ¶ Qualis fuit Annibal,Sertorius,Philippus,Antigonus,omnes optimi Imperatores, cùm tamen vnoculi & coclites eſſent.Sanè oculorum vitia ſic declarat Vlpian. *l.item Opſius.de adil.edict.* ¶ Sed & μύωπα morboſum eſſe conſtat:idem vbi homo neque matutino tempore, neque veſpertino videt,quod genus morbi Græci vocant νυκτάλωπίαν,eluſcationem eam eſſe.quidam putant,vbi homo lumine adhibito nihil videt,hæc ille in correctis exẽplaribus.Sunt Miopes,quaſi minus videntes dicas: cuius vocis etiam apud Nonium eſt mentio. Nyctalopes verò Latini lucioſos vocant, Feſto auctore.Horum duplex ſpecies,alij interdiu vident,noctu nihil,quorum Paulus Ægineta, Aleaand *lib.*1.Celſus 6.meminêre: ſed & Plinius horum nocturnas cæcitudines commemorat. Alij parum interdiu vident,veſpere aut noctu acie acutiore ſunt, vt Galenus in Iſagoge ſua teſtatur: horum quoque Plinius aciem veſpertinam appellat. Vtrunque id malum breuiter & elegãter Iuriſconſultus definit, licet impetitis anſam calumniandi dederit,non nyctalopa,ſed cæcum ab eo deſcribi cauillantibus.

BRECHÆVS.

VERVM EST MORBVM. ¶ Non in prædiis ſolùm(ait Cicero)ius ciuile ductum à natura malitiam fraudémque vindicat: ſed & in mancipiorum venditione venditorum fraus omnis excluditur. Qui enim ſcire debuit de ſanitate, de fuga, de furtis, præſtat edicto Ædilium. Vnde Vlpianus, *l.1.ff.h.t.*aiunt, inquit, ædiles, qui mancipia vendunt, certiores faciant emptores, quid morbi vitiive cuique ſit. Qua ratione, refert ſcire quid inter morbum & vitium ſit diſcriminis, vbi actio redhibitoria intenditur:& ne in venditione mancipij vel vitioſi,vel morboſi decipiatur emptor.Aliter enim conſideratur animal morbo,aliter vitio adfectum.Aliter item animi,aliter verò corporis vitium.Nã animi vitium ita demum præſtabit venditor,ſi promiſit:ſi minus, non. Et ideo nominatim de errone & fugitiuo excipitur.Hoc enim animi vitium eſt,non corporis. Vnde quædam iumẽta pauida & calcitroſa morboſis non eſſe annumeranda dixerunt:animi enim non corporis hoc vitium eſſe. In ſumma,ſiquidem animi tantum vitium eſt,redhiberi non poteſt,niſi dictum eſt hoc abeſſe, & non abeſt. Ex empto tamen agi poteſt,ſi ſciens id vitium animi reticuit.Si autem corporis ſolius vitium eſt,aut & corporis & animi miſtum vitium,redhibitio locum habebit.*l.ob qua vitia.§idem Pomponius.& §.ſequenti.ff.de adilit.edict.* Sed qualiter morbum definias, qualiter etiam vitium, viderimus. Equidem ait Galenus *lib.1. de ſanitate tuenda*, quæ corpus noſtrum oblædunt corrumpúntque, ea ſunt genere duplicia.Altera ſanè nobiſcum congenita,& quæ vitare nequeas, quæque ea ipſis generationis principiis,veluti radice oriuntur.Altera,quæ & declinare poſſis & orta à nobis non ſunt:quę tamen non minus quàm illa,corpus noſtrum conficiunt. ¶Eſt igitur Morbus totius corporis corruptio,ſicut definiuit Cicero *lib.4.Tuſcula.quæſtionum.*Galenus & Hippocrates dixerunt eſſe διάθεσιν παρὰ φύσιν.Et ipſe Galenus *lib.1. de differentiis morborum* ſcripſit, morbum vel actionis corporis vel conſtitutionis ipſius eſſe vitium.Nam cùm tota corporis ſymmetria bonúſque habitus ſecundum naturam ſeſe habere dicatur,fit ſanè vt τὰ πάθη quæ corporis functiones earúmque inter ſe σύνταξιν ad actiones idoneam impediant,rectè morbum appellare debeamus, & adfectum contra naturam. Rectè itaque Vlpianus ſcripſit, apud Sabinum morbum ſic definitum eſſe, habitum cuiuſque corporis contra naturam, qui vſum eius ad id faciat deteriorem, cuius cauſa natura nobis eius corporis ſanitatem dedit. Id autem aliàs in toto corpore,aliàs in parte accidere.Nanque totius corporis morbus eſt,puta phthiſis,febris:partis,veluti cæcitas:licet homo ita natus ſit. Vitiúmque à morbo multum differre:puta,ſi quis balbus ſit:nam hunc vitioſum eſſe magis quàm morboſum.*l.1.§.ſed ſciendum.ff.de adilit.edict.*Ex quibus verbis iuriſconſultus videtur inter morbum & vitium id differentiæ dediſſe, quòd morbus totam corporis conſtitutionem occupet, neque tamen ſit perpetuus, ſed ad tempus: vitium verò ſit perpetuum,καὶ κατὰ τὴν ἀντιπάθειαν: idque aliqua tantum in parte corporis: hoc eſt τὸ ἔλλειμμα τῆς φυσικῆς δυνάμεως, vt ſi quis ſit luſcus, balbus, claudus, gibboſus, & cætera id genus, pathemata. Propria ſiquidem appellatione, febris morbus eſt temporarius: ex quo tum teualeſcit eger, cùm calor ille præter naturalis γενόμενος naturali calore viribus ſuperiore ἐπικρατεῖται. Eſt enim febris à noſtris dicta ex efferueſcentia: quemadmodum à Græcis πυρετὸς ἀπὸ τοῦ πυρός: quoniam, vt ait Galenus, eſt calida & ſicca paſſio, ἀπὸ τοῦ πυρῶδες. Quid? an epilepſia correpti edicto ædilium contineantur tanquam morboſi? Et videndum eſt. Quippe Epilepſia eſt omnium corporis partium conuulſio, non perpetua quidem, at ex interuallis, in qua mentis ſenſúſque, ac omnium facultatum animæ noxa eſt,à materia craſſa & frigida,pituita vel melancholia. quæ,vt ferè Arabes ſenſerunt,priores cerebri ventriculos occupat,his ducti argumentis,quia in epilepſia neque vident,neque audiunt,&omnium ſenſuum functionibus,communi quoque ſenſu prohibentur: deinde,quia ſternutatione ſtatim liberantur. Vtuntur præterea,ſed malè,authoritate Galeni.Etenim Galenus ipſe *lib.3. & 4.de locis affect.* ſexto ἐπιδημιῶν, omnes cerebri ventriculos in epilepſia occupari ſcribit: ſed medium præcipuè, & eum qui à poſteriore cerebro ad ſpinam pertinet. Grauiſſima equidem eſt epilepſia & quæ curari nequit,cùm in caſu illo ſtertor grauis, ſtridor dentium, peruerſio partium faciei, vehemens corporis totius iactatio,multa ſpuma,inuolũtaria ſeminis effuſio,& ſub caſum acclamatio.Vbi verò alia quædam abſunt,reliqua autem leuia ſunt,leuis epilepſia eſt. Triplex eſt epilepſiæ genus.Primùm, affecto cerebro interceptis ſcilicet ventriculis ea ratione quam diximus. Alterum, vitio ſtomachi: de quo lege Galeni hiſtoriam *libro quinto de locis affect. capite 5.* de grammatico quodam: vbi & curandi

rationem

rationem inuenias. Tertium genus, conſenſu reliquarum partium: quia videlicet in matrice, in extremo digito & alia quauis parte corporis materia quædam virulenta latet: qualis ſæpe in longo abſceſſu ſubiectis carnibus & oſſe corruptis: vel ſpiritus quidam venenoſus: vnde aura quædam, odor vel vapor ad cerebrum aſcendit, & epilepſiam commouet. De quibus omnibus lege *cap. 7 lib. 3. de locis affect.* Sed an morbus ſit temporarius, an verò perpetuus & qui nulla ratione curari poſſit. Et Hippocrat *lib. 2. Aphoriſm. in 45. Aphor.* tradit poſſe: maximè mutatione ætatis, & temporum, & locorum, & victuum: περὶ ἐπιληπτικῶν τοῖσι νέοισιν ἀπαλλαγὴν αἱ μεταβολαὶ μάλιστα τῆς ἡλικίης καὶ τῶν ὡρέων, καὶ τῶν τόπων, καὶ τῶν διαιτέων ποιοῦσι. Qui quidem Aphoriſmus eſt de epilepſia quæ fit κατὰ τὴν συμπάθειαν & per conſenſum. Et item *lib. 5. Aphoriſ. in Aphor. 7.* τὰ ἐπιληπτικὰ ὁκόσοισι πρὸ τῆς ἥβης γίνεται μετάστασιν ἴσχει, ὁκόσοισι δὲ πέντε καὶ εἴκοσιν ἐτέων γίνεται, τουτέοισι τὰ πολλὰ συναποθνήσκει. Quæ epilepſia morbúſve comitialis ante pubertatis annos corripuit, mutatur & ſoluitur. At quibuſcunque anno vigeſimo quinto obuenit illis vt plurimùm commoritur. Videto etiam in hanc rem eundem Hippocr. *lib. 2. Aphor. 45. & Aphoriſm. 28. lib. 3.* Et quæ eleganter Galenus ſcripſit *in Commentariis.* Experientia quippe docuit, idque veteres & recentiores Medici ſcriptum reliquerunt, partim natura pugnante, partim medicamentis & ratione vitæ leues epilepſias, etiam in quadragenariis curari poſſe. Leues autem epilepſias ſupraſcriptis ſignis definias. Morbus hic pueris eſt familiaris: vnde morbus puerilis appellatur: atque in poetis remedia, maxima ex parte ad nutrices transferenda ſunt. De quo tamen vetus quæſtio habita eſt ante tempora Hippocratis. De qua ex Hippocrate & Galeno ſic habeto. Non defuerunt (inquit Galenus ex Hippocr.) qui putauerint alimenta medicamentoſa nihil medicamenti retinere, vbi concocta in ſanguinem verſa, & in lac mutata fuerint. Atque inde collegerunt, lac nutricis nun prodeſſe pueris, quatenus ad medicamenti rationem attinet. Veriſimilius tamen, iudicio Hippocratis & Galeni, vim aliquam medicamentiupereſſe in lacte. Vnde præcipiunt dari mulieribus aut capris medicata alimenta, ex quibus lac vim medicamenti contrahat, & inde pueri purgentur, qui alioqui inepti ſunt ſumendis pharmacis. Addunt argumenta, quòd in Doride, Bœotia, Theſſalia, Attico agro, cothurnicum eſus medicatus eſt, & purgat, quia illic elleboro plurimom veſcantur aues. Addunt Arcades, qui nullis pharmacis ad corporis purgationem vtantur, ſed tantùm lacte verno, & maximè bubulo: quia omnino tæ boues medicatis etiam herbis veſcantur. ¶ Quare (vt ad nos iam redeamus) qui epilepticum mancipium vendidit, actione redhibitoria teneri eum exiſtimo: cùm etiam ex Pomponio Vlpianus aſſerat, non tantùm ad perpetuos morbos, verumetiam ad temporales edictum ædil. pertinere *l. Pomponius. h. t.*

Si luſcus. ¶ Antiqui luſcos coclites dixerunt, qui à Græcis ἑτερόφθαλμοι dicuntur: vt qui altero oculo ſint capti μονόφθαλμοι. Plinius accepit Coclites, vt altero oculo ab ortu priuati eſſent. Vnoculos dixit Plautus. Myopes οἱ μύωπες καὶ νυκτάλωπες à Latinis luſcioſi ſunt qui intueri, niſi conniuentibus oculis, nequeunt: παρὰ τὸ μύειν καὶ συμμύειν, quod conniuere ſignificat. Beatus Petrus epiſtola ſecunda, ᾧ γὰρ μὴ πάρεστι ταῦτα τυφλός ἐστι μυωπάζων. Eſt enim μυωπάζειν contractis palpebris cernere. Latini, inquit Budæus, μύωπας luſcioſos luſcitioſos, & nuſcitioſos vocant. Sed μυωπάζειν loco Petri ſuprà citato poſitum manu tentare ſignificat, μεταφορικῶς videlicet à muribus, qui vel parietem aut quiduis aliud quod illis obuium fuerit proſequuntur, donec ad cauum aliquod, quo ſe condant, peruenerint. Eſt enim is B. Petri ſenſus. Quandoquidem cui hæc ipſa deſunt, is cæcus eſt, & manu viam tentans, oblitus ſeſe à peccatis veteribus purgatum fuiſſe. ¶ Myopa igitur redhiberi non debere certius eſt: quoniam morboſus non eſt aduerſus Vlpiani ſententiam in *d. l. idem Offilius.* niſi id vitium morbo poſtea eſſet contractum, vt ſcribit Gellius *lib. 4. noct. Attic. cap. 2.* Quo loco citat verba Maſſurij Sabini ex *lib. iuris ciuilis ſecundo.* Furioſus mutúſve, cuíve quod membrum lacerum læſúmque eſt, aut obeſt quo ipſe minus aptus ſit, morboſi ſunt. Qui non longè videt: tam ſanus eſt quàm qui tardius currit. Quid autem de lippo, an redhiberi eum oporteat? Sanè Lippi, qui à Græcis γλαμῶντες, καὶ λημῶντες ſunt quibus ex oculis defluit humor putris, veluti lachrymæ quædam. Ophthalmia lippitudo quidem in genere, inflammatio eſt oculi, propriè tamen eius tunicæ extimæ quæ à pericranio orta, in oculum replicatur: totúmque ſuo thalamo connectit. Eſt autem Thalamus cauitas oculi oſſibus conſtans: atque ex eo tunicam appellant conſolidatiuam & coniunctiuam. Venas ſecum deportat in oculum ex fronte & temporibus per quas defluit ſanguis, vnde generatur Ophthalmia. Itaque fronti & temporibus affiguntur ἀνακολλήματα quæ reprimant, & curſum materiæ intercipiant. Atque in particularibus Phlebotomiis, venæ illæ quæcunque ad angulos oculi pertinent diuiduntur: nonnunquam arteriæ. Sed & eadem ratione cucurbitulæ occipiti cano, ceruici, & ſcapulis admouentur: præcipuè verò qua parte venæ iugulares exteriores in occiput attolluntur. Quia venæ anteriores capitis, à venis occipitis propagantur. Variæ ſiquidem ſunt viſus oculorúmque debilitatis cauſæ. Læſa etenim viſione, vel totum corpus in cauſa eſt, vel (quod ſæpe fit) ventriculus. Aliquando cerebrum: nonnunquam etiam prima mali cauſa in oculo ſita eſt. Itaque, de hoc oculi vitio & aliis, quæ vel totius corporis, vel partis alicuius conſenſu fiunt, lege *librum quartum Galeni, de locis affect.* Vbi incolumi reliquo corpore, oculus laborat, vitium ferè in ſpiritu eſt, qui à cerebro per neruum opticum in cryſtallinum humorem defluit. Aliquando in neruo optico: ſæpe etiam in cryſtallino humore, qui primum videndi inſtrumentum eſt. Sæpius etiam in rhagoïde & eo foramine quod ad pupillam habet. Fit quoque, vt is humor, qui quaſi propugnaculum prætenditur cryſtallino, cauſa ſit mali. Præterea cicatrix ducta in cornea quæ pupillæ præiacet, viſum lædit, aut intercipit. Rarior eſt cauſa in vinculis & muſculis qui oculo inſeruiunt. Itaque vt vitium intelligatur, recognoſcenda eſt perfectio viſus. Relicta itaque controuerſia Platonis & Ariſtot. vt intelligamus quomodo perficiatur viſio, proponatur nobis obiectum aliquod, & in eo circulum animo effingamus in cuius medio ſit centrum: deinde à centro & circunferentia

x circu

circuli lineæ rectæ ducantur, quæ in pupillæ foramine coëant in conum: rurſus, ſi lubet, concipiamus mente multos alios minores circulos incluſos in primo illo maiore circulo, quibus omnibus etiam ſit commune, atque inde lineæ ſimiliter rectæ cum aliis lineis in conum colligantur, & intercedente luce animæ proponantur: atque his poſitis ponamus à cryſtallino humore radios viſorios quaſi lineas à circulo ductas foras vertere ad pupillum vbi in conum coëant, in pupilla vel contractu, vel familiaritate vel aliter adductæ ſpecies per lineas à circulo exteriori animæ repræſentantur: hinc fit viſio. Oportet ergo & pupillam, & vias tum exteriores tum interiores, qua radij vel lineæ & ſpecies ducuntur, ſine vitio eſſe: atque in his, gratia exempli, vitium eſt aër craſſior & tenebroſior. Aërem ergo mediocriter habere neceſſe eſt, vt coni illi ad viſionem coëant, nec inde oculi offendantur. Itaque in tenebris viſio non fit: longáque conſuetudine tenebrarum viſus hebetatur. Id autem Plato eſſe putat, quia ignei radij oculorum nocte extinguantur. Melius verò Ariſtoteles, quia per denſitatem aëris ſpecies & radij intercipiantur, quibus obtuſior viſus factus eſt e tenebris. Remedio ſunt iucundiſſimi colores: ſed hi præcipuè qui ad album magis inclinant: in quibus præcipuam laudem habet cæruleus. Is enim oculis, vt vult Galenus, gratiſſimus eſt. Ariſtoteles viridem colorem videtur prætuliſſe. Sed vt tenebræ & color niger oculos lædunt, multò magis candor, & maximè cui ſplendor eſt coniunctus. Nigro quidem, ſpiritus nimium contrahuntur: candore, nimium diffluunt: ſplendore, diſſoluuntur. Cui quidem rei facit, quòd qui oculis inconniuentibus Solem intuentur, aut læduntur grauiter, aut in totum occæcantur. Adhæc hiſtoria Attilij Reguli, & militum Xenophontis. Ille reſectis palpebris & aduerſus Solis radios occæcatus eſt. His verò oculi grauiter læſi ſunt, cum diutius in niuibus iter feciſſent. Dionyſius Syracuſanus domum habuit quæ tota nimio ſplendore fulgebat, in quam ex longis tenebris reos transferebat vt eos excæcaret. Sed natura, ne ſubito ſplendore cryſtallinus humor læderetur, palpebras, tunicas, & humorem illum tenuem interpoſuit, quæ vim ſplendoris frangerent: & contra fulgorem Solis aut lucernæ obiecta manus efficit vt melius cernamus. Quæ omnia argumento ſunt oculum nimio ſplendore & candore oblædi. Itaque ſi cui ſplendore nimio vel candore læſa viſio eſt, loco mediocriter obſcuro, colore fuſco, & his qui ad nigrum vergunt, reficere ac recreare oportet. Sequitur extima tunica quæ inflammatione, tumore præter naturam, & adnatis quibuſdam vitiis viſum lædit. Eadem quoque vitia in cornea eſſe poſſunt: ſed graue malum eſt vbi vel ea corrugata, vel vulnerata cicatricem duxit: multò magis ſi rugæ vel cicatrix pupillæ prætenditur. Debet hæc tunica alba eſſe, lenis, & tenuis. Denſior enim, craſſior & humidior viſum offendit: ita & ſi color eius mutatus eſt. In denſiore & craſſiore viſus obtunditur: in humidiore, vis quoque diſcernendi minor eſt: quemadmodum in ſpeculis habitu conſperſis, color immutatus efficit, vt aliter colorata obiecta appareant, eo modo quo per vitra picta ſpectantibus obiecta, picta apparent: & morbo regio tinctis oculis pallida omnia oſtenduntur. Rupta venula, & effuſo in corneam ſanguine, omnia apparent ſanguinea. Vulnus corneæ ſi profundum eſt, efficit vt Rhagoïdes inita effuſo tenui humore in cryſtallinum concidat: & inde ferè ſequitur cæcitas. Rariſſimum enim, quod ſcripſit Galenus puero confiſus ſtylo oculus, effuſus humor tenuis, curatum vlcus, & paulatim inſtauratus humor, viſúſque in integrum reſtitutus eſt. In cornea corrugata, qualis ſenibus, nimia ſiccitas eſt, & inde hebetior viſus: atque inde factum, vt veteres ſcripſerint exercitia multa corporis nocere oculis. Sed in corrugata cornea animaduertere oportet, quia vel pupilla, minor ſeipſa facta eſt: túmque non in ſola cornea vitium eſt, ſed tenuis quoque humor imminutus: vtrunque vitium viſum obtundit: idque deſperatum eſt. Magna quidem vis eſt in foramine Rhagoidis quod ad pupillam eſt, in quod coni illi coeunt. In eo vitia ſunt, quia maius, minus, diuulſum, ruptum. Maius ſemper in vitio eſt: quia in eo iuſtus conus colligi non poteſt, ſed radij diſſipantur. Paruum foramen illud, viſum acuit, ſi naturale & iam inde ab vtero eſt. In eo enim firmus conus eſt: & vnde ac in longinquo cernimus: & fideliter obiecta diſcernimus. Si verò caſu aliquo minus eſt, viſum offendit. Diuulſum in latera non ita nocet: ſurſum verò aut deorſum facit, vt res vna gemina videatur. In Rhagoide vitia, ſunt tenſio & laxitas. Tenſio ampliorem pupillam: laxitas minorem facit. Vtrunque viſioni nocet. Tenditur ſiccata, humectata, & copia. In tenui humore qui inter cryſtallinum & Rhagoïden medius eſt, vitia ſunt: quia copioſior, paucior, craſſior, & colore à natura euarians. Eſt autem interpoſitus à natura quaſi propugnaculum quoddam cryſtallini: ne is ſcilicet, ſubito ſplendore offendatur: deinde etiam, vt humiditatem cryſtallini foueat. Craſſior efficit, vt quæ longè ſunt, videamus: neque propinqua fideliter diſcernamus. Craſſior quoque aliquando efficit, vt in totum viſus adimatur: quale eſt in ſuffuſis. Nam ſi humor ille adeò concreuit, vt totam pupillam obtenebret, omnino viſus ademptus eſt. Si parte aliqua naturaliter habet qua pupillæ prætenditur, in multis obiectis vnicum aut alterum cernitur: reliqua non videntur. Si qua in parte centrum pupillæ eſt incraſſatum, reliqua naturaliter habent, partibus in ambitum puris, omnia feneſtrata videbuntur. Si aliis partibus craſſis, aliis puris, varia quædam ſimulachra proponuntur oculis: culex, muſca, & alia id genus. Spiritus autem viſorius, ſi multus, purus, & æthereus eſt, efficit vt res è longinquo videantur, & exactè diſcernantur. Si paucus, ſed purus, tantùm res propinquas videt & diſcernit. Craſſus & multus, longè remota videt: ſed parum diſcernit. Humidior & exiguus, neque exactè, neque longè videt. Atque his indiciis vitia in ratione videndi diſtinguenda ſunt. Cæſiis oculis, purior ferè ſpiritus eſt & humor cryſtallinus: nigris craſſior & turbidior: vtriſque tamen & multus & paucus eſſe poteſt. Sed oculi cæſij celerius conſeneſcunt, & facilius à rebus exterius offenduntur. Loco non ita lucido, & ſub noctem acutius cernunt. Contra fit in nigris oculis. In veſpertina acie ſubtilior ſpiritus: vt quibuſdam animalibus quæ acutius noctu quàm interdiu cernunt. Hoc idem fit, vt & minima cernant, pingnántque, ſed ea tantùm quæ in proximo ſunt. Contrahunt

palpeb

palpebras & oculum, alioqui non vident: idque vt exiguam vim ſpirituum in anguſtum contrahant. Ex hac quoque ratione, qui craſſiorem ſpiritum habent, oculos reuocant, vt ſenes: vt craſſior ſpiritus conum efficiat: atque hinc cernunt maiuſcula: quia conus craſſior eſt, & maiores literas fingunt. Hinc quoque nata opticorum ratio in ſpecularibus. Fingunt enim conuexa, concaua & plana, conuexis minores, concauis maiores: planis æquales formæ prætenduntur. Vt enim oculares radij maiorem vel minorem conum colligunt, ita formæ apparent. Addunt quoque tenuitatem materiæ & craſſitiem. Craſſities maiores formas & literas facit. Vnde craſſiora ſpecularia ſenibus comparant. Qua ratione & Sol veſpere, & matutino maior apparet: minor meridie. Itaque, vt his omnibus indiciis copioſior, paucior, craſſior, tenuior intelligetur ſpiritus, ita remedia comparanda. Subitus caſus cæcitatis obſtructum ferè neruum opticum oſtendit. ¶ Eſt etiam nomen à Græcis vſurpatum καταῤῥάκτης. Inde frequens vox Arabibus, Catatacta, qui nomen hoc dediſſe ſuffuſioni poſſunt, quòd exiſtimarint ſuffuſionem fieri aquæ defluxu in oculum. Vnde & aquam deſcendentem morbum hunc appellant. Galenus cauſam huius morbi ſtatuit in tenui humore, qui cryſtallino & pupillæ medius eſt. De cuius vſu & varietate in ſuffuſis *c. 1. lib. 4. de locis affect. & 2. de ſymptom. cauſ.* Ex quibus ſigna petenda ſunt quibus ſuffuſionem veram ab ea quæ fit conſenſu corporis dignoſcas. Vocatus Medicus ad ſuffuſum, primùm animaduertat oportet conditionem ſuffuſionis, vt intelligat quæ curabilis & quomodo: quæque ſit incurabilis. Spectet itaque pupillam, quæ ſi pura eſt, ſed ægro neque libera viſio, & ſcintillæ quædam, ſplendores, idôla, animalcula, flocci, circuli oculis prætenduntur: vbi neque figura, neque color pupillæ mutatus eſt, leuis hæc ſuffuſio & curabilis eſt. Deinde interrogandus æger eſt, num præceſſerit aliquis grauis morbus: capitis dolor, vulnus, concuſſio. Nam ab his deterior eſt ſuffuſio. In ſenibus & pueris difficilior cura eſt. Adhæc ſpectanda ſuffuſionis magnitudo, concretio, color, motus: peior eſt quantò maior eſt. Liquidior, quæque digitis preſſa, diffluit, punctionem non tolerat: & aliis curanda erit remediis. Durior, deſperata eſt: quæ ſcilicet digito preſſa non cedit, neque ampliatur. Quæ verò concreuit mediocriter, & ad prementem digitum dilatatur, partim medicamentis, partim acu poteſt curari. Pura atque pellucida ſuffuſio, qualis ferè eſt circa initia, minus mala eſt: ſed poſtea conturbatur, niſi occurras. Si ſuffuſionis color cæruleus, aut auri ſimilis, ſi nitentis ferri vel marinæ aquæ colorem refert, curabilis eſt. Quæ verò colore & corpore grandinem vel gypſum imitatur, quæ item nigra, quæ ſine ſplendore cernitur, incurabilis eſt. Fert autem hæc ad candorem vergit ſine ſplendore. In motu ſi diffluit preſſa digito, crudior eſt: ſi non dilatatur, durior. Si verò mediocriter dilatatur neque diſſoluitur, matura eſt: hicque tentatis aliis remediis, acus imperari poteſt. Hoc remedium quod acu petitur, peritiſſimum chirurgum deſiderat: atque id quidem inuentum à capra tradunt, quæ ſuffuſos oculos acumine iunci compunctos, ſanguinem exonerat & liberat ſuffuſione. Idem quoque caper efficit: ſed acumine rubi. Cœlo ſereno & temperato, decreſcente Luna, configendus eſt oculus. Addunt & Aſtrologi, alio ſigno quàm Ariete & Geminis. ¶ Hæc ferè omnia ſunt τὰ ἐκλελεγμένα quæ de oculorum morbis & vitiis à medicis tradita, magno ſtudio didicimus: quæque, quòd ad rem noſtram facerent, libuit hoc loci reperere: ne cuiquam forſan videatur hoc ipſum ἄτοπον καὶ πάρεργον iureconſultum τὰ θεραπευτικὰ præter inſtitutum tractare. ¶ Vt igitur e diuerticulo in viam redeamus (ſi quando digreſſi videmur) quoniam ſuprà diximus ex Vlpiano, animi vitium redhiberi & præſtari debere, ſiquidem id promiſſum ſit, iam diſcutiamus quid & quale ſit ipſum animi vitium. Quomodo (inquit Cicero *lib. 3. Tuſcul. quæſt.*) in corpore eſt morbus, ægrotatio & vitium, ſic in animo. At quæ à Græcis τὰ νοσήματα καὶ τὰ ἀῤῥωστήματα dicuntur, Cicero vertit morbos & ægrotationes. Morbum autem (vt prædiximus) diffinit eſſe totius corporis corruptionem. Ægrotationem, morbum cum imbecillitate. Vitium, cùm partes corporis inter ſe diſſident. Itaque Morbus & ægrotatio, ex totius valetudinis corporis conquaſſatione & perturbatione gignuntur. Vitium integra valetudine ipſum eſſe cernitur. Vitia affectiones ſunt manentes. Perturbationes autem mouentes, vt non poſſint affectionum manentium partes eſſe. Perturbationem autem Cicero loco ſuprà commemorato, ex Zenonis ſententia ſic diffinit, vt ſit, quod ipſe Zeno πάθος dicit, auerſa à recta ratione contra naturam animi commotio. Quidam verò breuius perturbationem appetitum vehementiorem eſſe dicunt. Ægritudinem animi, aduerſante ratione, contractionem. Huius generis ſunt ira, metus, odium, ſtultitia, cupiditas, & cætera quæ ab eodem Cicerone recenſentur. Et ipſa quidem ex intemperata corporis mole atque humorum prauorum vitiis animo enaſci par eſt. Cum enim atra bilis torrefacta manat in venas, ac diutius in venis ipſis medulliſque inſederit, & viſceribus inhærens inueterauerit, tandem peruadit animi arcem καὶ τὸ ἡγεμονικόν: tum deinde in furorem vertitur, melancholico illo humore torrefacto, cerebri ventriculos afficiente, mentémque occupante, ſiue illa ſit φυσώδης καὶ ὑποχονδριακή. Vnde ſenſerunt Hippocrates, Plato, Ariſtoteles, Galenus & reliqui Philoſophiæ naturalis architecti, vitioſos corporis humores malam animo temperaturam gignere. Et Galenus ipſe tractatum eiuſdem argumenti edidit. Idem *libro primo, de ſanitate tuenda*. Qui enim (inquit) iuſto ſunt ad iram magis procliues, aut animo planè demiſſo, aut ſenſiles magis, aut inſenſiles, aut præter modum guloſi, hos parum idoneo temperamento eſſe, iis partibus quibus prædictorum ſingula adminiſtrant, neceſſe eſt. Hoc fuſius in his libris quos de placitis Platonis & Hippocratis conſcripſit. Idem etiam paulò infrà. Corrumpuntur animi mores praua conſuetudine cuiuſque horum, cibi, potionis, exercitationis, videndi, audiendi, totius denique muſices. ¶ Habes igitur, lector, quæ de corporis atque animi vitiis enucleatè, vt loquitur Marcus Tullius, diſputata ſunt à Stoicis: quoniam & hic locus aliquando poſtulat, vt ea de re aliquid à nobis diceretur, vt quæ ad ædilitij edicti rationem pertineat. Cùm enim quæreretur, an qui κατὰ περιόδους, atque ex interuallis furioſus eſt, aut phanaticus, redhiberi debeat, profuerit noſſe quid corporis, quid item ſit animi vitium: atque vnde contrahatur. Apud Iu-

liuum, inquit Vlpianus *d.l.1.de ædil.edict.* quæritur, ſi ſeruus inter phanaticos non ſemper caput iactaret, & aliqua profatus eſſet, an nihilominus ſanus videretur? Et ait Iulianus, nihilominus hunc ſanum eſſe. Neque enim nos inquit, minus animi vitio aliquos ſanos eſſe intelligere debemus: alioqui, inquit, futurum vt in infinitum hac ratione multos ſanos eſſe negaremus: vt puta leuem, ſuperſtitioſum, iracundum, contumacem, & ſi quæ ſimilia ſunt animi vitia, magis enim de corporis ſanitate, quam de animi vitiis repromitti. Interdum tamen, inquit, vitium corporale vſque ad animum peruenire & eum vitiare: veluti contingeret phrenetico: quia id ei ex febribus acciderit. Quid ergo ſi quod ſit animi vitium tale, vt à venditore excipi oporteret, neque id venditor, cùm ſciret, pronunciaſſet? ex empto eum teneri. Idem Iulianus ait: quamuis aliquando quis circa phana bachatus ſit, & reſponſa reddiderit, tamen ſi nunc hoc non faciat, nullum vitium eſſe: neque eo nomine quòd aliquando id fecerit, actio erit: ſicuti ſi aliquando febrem habuit. Cæterùm, ſi nihilominus maneret in eo vitio, vt circa phana bacchari ſoleret, & quaſi demens reſponſa daret, etiam ſi per luxuriam id factum eſt, vitium tamen id eſſe animi, non corporis: ideóque redhiberi non poſſe: quoniam ædiles de corporis vitiis loquuntur. Attamen ea empto actionem admittit. Idem etiam dicit in his qui præter modum timidi, cupidi, auarique ſunt aut iracundi. Sed an animi vitium, pœnitentia purgari ſoleat? Vide quæ in hanc rem ſcripſimus *in Aphor. iuriſprudentiæ. verb. furioſus.* Et latius in annotationibus quas edidimus *ad tit. de ædil. edict. in Pandectis.* Hæc verò nunc ſatis erunt.

FORNERIVS.

VERVM EST. ¶ Tertia hîc quoque inter morbum ac vitium differentia confunditur. *& l. 1. verſic. ego puto. de ædil. edict.* ¶ Morbum definiunt corporis ad tempus malè affecti imbecillitatem. *νόσον πρόσκαιρον τοῦ σώματος ἀσθένειαν.* Labeoni Morbus eſt [habitus cuiuſque corporis contra naturam, qui vſum eius facit deteriorem.] Eúmque vel in toto corpore: vt febrim, *φθίσιν*: vel partis, vt cæcitatem, pedum debilitatem. Balbum, atypum, vitioſos magis, quàm morboſos. Cui morbus ſit, eum etiam vitioſum: non contrà: Poſſe enim quem vitioſum eſſe, non morboſum tamen. Gellius *lib. 4. cap. 2.* [Imbecillitatem.] ¶ Vel impedimentum. Epictetus, *νόσος σώματος ἐστὶν ἐμπόδιον.* Quem locum edieſſerens Simplicius, rectè impedimentum ait definiri, non autem vitium ſeu malum *οὐ γὰρ κακὸν τῷ σώματι ἡ νόσος, οὐδ' ἡ φθορά, ἀλλ' ἐμπόδιον τῶν ἐνεργειῶν αὐτοῦ.* qualis eſt ſonticus, qui à rebus agendis auocat *l. 113. morbus. ff. hoc tit.* [Corporis.] ¶ Non enim animi vitia, niſi in corpus penetrent, præſtantur: nec eorum nomine vendita mancipia, corpore alioqui ſano, vt aleatorem, mendacem, impoſtorem, litigioſum, temulentum redhiberi placuit. Cicero *lib. 3. offic. l. 1. fin. l. 4. l. vlt. de ædil. edict.* Vitium verò perpetuum corporis impedimentum hîc. *πάθος διηνεκὲς τοῦ σώματος ἐμπόδιον.* ¶ Vtriuſque definitionis exemplum hîc propoſitum exiſtimo: Morbi quidem excuſſus talus: luxatus enim reſtitui poteſt. Plinius *lib. 25. cap. 11.* [Talis tumentibus limus aquaticus cum oleo ſubactus mirè prodeſt.] Niſi ita excuſſus eſſet, vt nulla medendi ſpe, perpetuò cogeret [tali pedare,] id eſt, vt Feſtus exponit, vacillare pedibus, & quaſi talis inſiſtere. ¶ Vitij verò exemplum, Luſcus, qui altero captus oculo, vſum videndi non recipit *d. cap. 2.* Vt Adriani Imp. ſeruum, cui dominus iratus oculum effoderat, reſpondiſſe Galenus ait. Sed huic noſtræ interpretationi Florentina reſtagatur editio. [Nam & luſcus itaque vitioſus eſt.] aliàs, [ita &c.] deinde pòſt, [vtique.] & nonnullam hîc varietatem agnouiſſe videtur Accurſius. ¶ Sed qui ſint vitioſi morboſive. quáque ratione diſtinguantur, vt ſit vel redhibitioni, vel excuſationi locus, in 17. prioribus reſponſis. *tit. de ædil. edict. & d. cap. 2.* diffuſiùs exponitur. ¶ Illud vtrobique diligenter excipiendum. morbum non aliàs niſi iuſtum, ac ſonticum conſiderari. Nam leuis febricula. aut vetus quartana, nec vitioſum ſeruum efficit, nec rebus gerendis nocet: nec vſum miniſteriúmque hominis impedit. *l. 1. §. proinde. l. 4. l. vlt. de ædil. edict.* Iulianus, cum dixiſſet, Si rei iudicandæ tempore alter ex litigatoribus febrem habuiſſet, rem non videri iudicatam: ſubiungit poſſe tamen dici, eſſe aliquam & febrium differentiam.] Nam ſi quis ſanus alias ac robuſtus, tempore iudicandi leuiſſima febre correptus fuerit: aut ſi quis tam veterem quartanam habeat, vt in ea omnibus negotiis ſupereſſe ſoleat, poterit dici morbum ſonticum non habere.] *l. 60. quæſitum. de re iudic.* Hippocrates *lib. 1. Epidem. ſect. 3. Aphoriſm. 4.* *ἀσφαλέστατος δὲ πάντων, καὶ ῥήϊστος καὶ μακρότατος ὁ τεταρταῖος.* Galenus ſuperiorem enarrans locum, *ἐν δὲ τῷ τεταρταίῳ. καὶ μάλιστ' ὅταν ᾖ μέτριος, ἔνεστι καὶ πράττειν ταῖς μέσαις τῶν παροξυσμῶν ἡμέραις, ὥς τι καὶ πράττειν ἐνίοτε τῶν συνήθων.* ¶ Sed occurrit de muto controuerſia, quem morboſum Vlpianus ait, ſicut nec eum ſanum, cui lingua abſciſſa ſit. Caius negat. *l. 3. l. 8. ſi cum. l. ſeq. de æd. ed.* Verum eſt, eum vitioſum: ſed ob eiuſmodi vitium non redhibitionem, ſed actionem duntaxat ex empto quanti minoris dari *l. 4. eo. tit.* Quæ quid inter ſe differant, aperiam in *l. 242. malum. ff. h. t.* ¶ Supereſt, vt admoneam, Iureconſultos non abſurdè ſuas definitiones variè, ex ſubiecti argumenti occaſione fingere. Cum de ſeruorum venditione, ac redhibitione agitur, morbum non leuiculum, ſed perpetuum intelligunt. Venuleius. [Quoties morbus ſonticus nominatur, eum ſignificari Caſſius ait, qui noceat: nocere autem intelligi, qui perpetuus eſt, non qui tempore finiatur. Sed morbum ſonticum eum videri, qui inciderit in hominem, poſtquam is natus ſit. Sontes enim nocentes dici.] *l. vlt. de ædil. ed.* Quod de mancipiorum venditione accipiendum eſt: in quo vitium & morbum ex abundanti ædiles, *κατὰ τὸ αὐτὸ*, bis idem dixiſſe, Vlpianus ait. *l. 1. §. ſed ſciendum. eo. tit.* Cum verò de iudiciis agitur, ſufficit eum cui dies ad prætorem iudicémve dicitur, iurare morbum, *ἐξόμνυσθαι*: eáque ſe tum cum ſiſti debet, valetudine affectum, vt adeſſe nequeat. *d. l. 60. quæſitum.* Conſtantinopolitanæ ſynodi. *c. 16.* Si morbus, æuitáſve vitium ſit, comperendinabitur res, vt ait Feſtus, in tertium diem conſtituetur, ſeu diffindetur dies, ex lege XII. tabularum. Nam & mulieri grauidæ, non propter valetudinem, ſed quòd impedita non ſteterit iudicio, exceptio dabitur *l. 2. ſi quis cautionib. l. 22. quid tamen. §. ſi quis. de arbitr. l. 75. ſi prætor. fin. de iudic. l. 53. contumacia. verſic.*

pœnam

pœnam. de re iudic. l. antep. de re milit. Tib. Graccus pro concione ad milites, Referri ad me iubebo, citatoſque ſingulos iureiurando adigam: niſi quibus morbus cauſa erit. T. Liuius *lib.* 24. Quibus in locis morbum accipe, qui impedimento eſt, eo momento ne adſit, is cuius præſentia requiritur. vti & apud A. Gellium *lib. 20. cap. 1.*

§. iij. SERVIS legatis etiam ancillas deberi quidam putant: quaſi commune nomen vtrumque ſexum contineat.

ALCIATVS.

SERVIS. ¶ Satis ſuprà perſtrinximus. *l. 1. §. eod.* quando maſculinum concipiat fœmininum, oſtendimuſque per extenſionem communi vſu approbatam, ex Baldi ſententia, id fieri. ¶ At hoc reſponſo videtur potius ex proprietate ſermonis eſſe *l. ſeruis de leg. 3.* dum nomen id commune appellat, & ita aliqui adnotarunt: interpretatúrque Angelus commune eſſe nomen in ſubſtantia. *Angel. l. quicunque. C. de ſeru. fug.* licet non ita ſit in prolatione ſermonis. Ipſe arbitror etiam in prolatione eſſe commune: ſerua enim, datiuum habet pluralem ſeruis, ſicut ſerous: vnde meritò ex proprietate ſermonis etiam ancillas continet, non ex ea regula, quòd maſculinum concipiat fœmininum: ſed ex alia, quæ habet, verba generaliter accipienda, quatenus ex vi ſermonis inferre poſſunt. *l. 1. de alea inf.* ¶ Et quod de ſeruis dicitur, idem de dictione filiis, dicendum eſt: veteres enim non filiabus ſolum, ſed etiam filiis fœminino genere protuliſſe conſtat. Ego cùm ius dicerem, & in teſtamento patris conditione filio appoſita, ſi ſine filiis deceſſiſſet, aliqui de maſculis tantùm intelligendum putarent, quibuſdam coniecturis, quòd videlicet propriam filiam teſtator excluſerat, & quòd ex lege municipali maſculi fœminis præferrentur, conſului quàm plurimos notæ prudentiæ patresfamilias, an ſi ipſi illis verbis teſtarentur, decedente filio neptem ſuam excludi vellent: negauerunt omnes, & huiuſmodi ſermone, de vtroque ſexu, ſeu communiter intelligere profeſſi ſunt, ſcrupuloſam recentiorum interpretationem omnes vno ore damnantes.

FORNERIVS.

SERVIS. ¶ Tacitè quartam inter ſeruos & ancillas differentiam non obſeruari docet. ¶ Serui appellatio etiam ad ancillam refertur. *l. 40. de teſtatio. §. h. t.* legato ſeruorum ancillæ continentur. hic. *l. ſeruis. de leg. 3.* Sic pupilli appellatione veniunt & pupillæ. *l. 20. hæc autem. l. ſeq. §. de adopt.* proptereà quòd, vt hic dicitur, commune ſit & aptum vtrique ſexui nomen: ſicut verbum hoc. [Si quis] fœminas æquè ac mares complectitur. *l. 14. rectiſſimè. l. ſeq. ſuprà de lib. cauſ. l. 7. ſi quis id. de iuriſdict. l. 1. §. hoc tit.*

CII. IDEM lib. vij. Regularum.

DEROGATVR legi, aut abrogatur. Derogatur legi, cum pars detrahitur: Abrogatur legi, cum prorſus tollitur.

ALCIATVS.

DEROGATVR. ¶ Ferebantur leges per populi rogationem: quia Quirites vel à Conſulibus, vel a Tribunis rogabantur, vellent, iuberéntne, quid fieri: qui ſi ſciuiſſent, id eſt, confirmaſſent, lata, ſanctaque lex erat. Quæ & alio nomine rogatio dici poteſt. ¶ Vnde & adoptionis ſpecies eſt arrogatio: quia vt A. Gellius ſcribit non niſi lege lata, & per populi rogationem fieri poterat: hodie verò reſcripto principis opus eſt. *l. 1. de manda. princip.* poſtquam populus Romanus omne imperium in Auguſtum tranſtulit: quamuis hac in re aliter alij ſentiant. *l. 2. de adopt.* ¶ Eadem ratione dicitur derogatio, per quam aliquid diminuitur de vi & effectu rogationis, id eſt, legis: ſicut abrogatio cum tota penitus tollitur, vt etiam ii. *Rhetor.* M. Ciceronis declarat Victorinus.

BRECHÆVS.

DEROGATVR. ¶ Olim apud Romanos cùm legem ferri oporteret, rogabatur populus, an vellet eam ferri. Ita etiam quando omnino lex illa tollenda eſſet & inducenda, rogabatur periode populus num vellet eam tolli. Vnde abrogationis nomen. Et idem omnino fuit abrogandæ, quod & ferendæ legis ſolemne apud populum legitimè & in comitiis congregatum. De qua re eleganter ſcripſit Connanus *lib. 1. Comment. iur. ciuil. cap. 13.* ¶ Eſt igitur abrogare legem, eam ipſam omnino tollere & antiquare, hoc eſt diſſuadere. Græci ἀποψηφίζεσθαι τὸν νόμον. Liuius *lib. 4. Decad. 4.* Nam & legem vllam omnino abrogari eſt indignatus, & eam præcipuè legem quæ luxuriæ muliebris coercendæ cauſa lata eſſet. Et paolò pòſt. Ego enim, quemadmodum ex his legibus quæ non in tempus aliquod, ſed perpetuæ vtilitatis cauſa in æternum latæ ſunt, nullam abrogari debere fateor: niſi quam aut vſus coarguit, aut ſtatus aliquis reipub. inutilem fecit: ſic quas tempora aliqua deſiderarunt leges, mortales (vt ita dicam) & temporibus ipſis mutabiles: quæ in pace latæ ſunt plerunque bellum abrogat, &c. Et Cic. *lib. 2. rhetor. ad Herennium.* Cùm, inquit, duæ leges inter ſe diſcrepent, videndum eſt primùm num quæ abrogatio, aut derogatio ſit. Et ibidē paulò pòſt. Item illa defenſio tenuis eſt cùm oſtenditur, id factum eſſe quod ea lex ſanciat, cui legi abrogatū aut derogatū ſit, id quod poſteriori lege ſancitū ſit, eſſe neglectum. ¶ Derogare itaq; Feſtus eſſe ait. Cùm quid ex lege veteri, quominus fiat, ſancitur lege noua. Derogatio detractio ipſa legis. Græci id παραγράφειν dicūt: hoc eſt,

inquit Budæus, ἀλλήλοις νόμους φέρειν. quaſi legem cum lege, & rogationem cum rogatione componere ἀντεισφέρειν, legi latæ legem contrariam ferre:& vt Feſtus ſcribit, legem legi obrogare. Cicero *lib.3. epiſt. ad Attic.* Sed (inquit) vides nunquam eſſe obſeruatas ſanctiones earum legum quæ abrogarentur.Nam ſi id eſſet,nulla fere abrogari poſſet. Neque enim vlla eſt quæ non ipſa ſe ſepiat difficultate abrogationis. Sed cùm lex abrogatur,illud ipſum rogatur,quomodo eam abrogari oporteat. Hoc cùm re vera ita ſit, & cùm ita ſemper habitum obſeruatúmque ſit, octo noſtri Tribun.pleb.caput poſuerunt hoc: [Si quid in hac rogatione ſcriptum eſt,quod per legem Clodiam promulgare,abrogare,derogare,obrogare, ſine fraude ſua non liceat, &c. μεταποιεῖν τὸν νόμον derogare legi, vel obrogare aliquid legi. Abrogare verò legem eſt ἀποχειροτονεῖν, ἀναλύειν, καταλύειν, ἀκυροῦν, ἀναιρεῖν, hoc eſt antiquare,teſte ipſo Budæo. Sed & Cicero in *oratione pro L.Flacco* dixit, fidem teſti Græco derogare ſe nolle,pro detrahere.

FORNERIVS.

DEROGATVR. ¶ Legum mutationem humanorum negotiorum varietati Plato tribuit, *in eo libro,qui Ciuilis inſcribitur*, quòd nulla lex tam circumſpecte ferri queat, quæ omnibus iuſta æquè ac commoda ſtatuere videatur. Quod ab Ariſtotele elegãter in vtranque partem diſſeritur, *lib.2.c.6.Politic.lib.5.Ethic.c.7.c.8.* ¶ Interdum autem tota lex prorſus, interdum pars tantùm tollitur.Feſtus,derogare eſt,cum quid ex lege vetere, quominus fiat, ſancitur lege noua: Derogare ergo detrahere eſt,Græci hic,ἀπομειοῦται νόμου τι,Rogatur,cum fertur magiſtratu rogante,[Vultis,iubetis.] *§.lex.§.ſeq.de iur.nat.gent.& ciu.* [Si quis poſt hanc legem rogatam.] *l.1.de leg. Falcid.* hinc rogatio pro lege, Gellio *lib.10.cap.20.* Quinctiliano,*declam.254.& 339.* ¶ Abrogatur, cum tollitur omninò, ἀπ᾽ ἀναιρεῖται, ὅταν παντελῶς ὁ νόμος ἀναιρεῖται. Derogatur, cum prioris pars tollitur: ſubrogatur, cum adiicitur aliquid primæ legi: obrogatur, cum mutatur ex prima lege. Vlpianus *fragm. tit.1.* Theodoſius.[Habet ſecundarum cogitationum ſubtilior exactiórque cura,vt ſi quid in legibus ferendis,poſt imperum primum deliberatio properata deliquerit,hoc conſilio propenſiore reuocetur.Permittit enim conſuetudo ipſa rerum, adſtipulantur innumera vetuſtatis exempla multas leges à ſuis latoribus adempta aut addita parte poſſe corrigi, multas tractatu maturiore penitùs abrogari] Hæc ille *Nouell.2.de inuaſorib.* ¶ Quid mirum ſi variis ſeculis,ex cauſa,& temporum conditione variæ leges ſtatuantur,Cum Iuriſconſultos interdum variaſſe, nec Papinianum ac Scæuolam in eadem permanſiſſe ſententia videamus? *l.vlt.C.de furt.l.6.cum venditor. l.ſeq. de ſeru.export. l.33.qui bona. §.ſi quis duobus.de acquir.rer.dom.l.25.ſed & ſi quid.§.ſi duos.de vſufruct.* Ideò reſponſa ſua conſultoribus non ſignabant. *l.2. de orig.iur.* ¶ Sanctionibus legum pœna ſæpe ſubiiciebatur, vel capitis vel pecuniæ, vel infamiæ,vel pudoris: vt in lege Valeria, [Si quis contra fecerit, improbè factum eſto:] id legis vinculum,inquit T.Liuius *lib.10.* ſatis viſum eſt,quod pudor eſt. Aliquando poſteriore lege ſuperioris abrogatrice ſanctio ipſa tollebatur,vt in lege regia, quæ de imperio lata Romæ exſtat: [Si quis huiuſce legis ergo aduerſus leges,rogationes,plebiſve ſcita Senatuſve conſulta fecit fecerit, id ei ne fraudi eſto.] Exſtat & in antiquis inſcriptinnibus legis verſus,[Quominus ea quæ in hoc capite ſcripta ſunt,ita fiunt. fiant, eius hac lege nihil rogatur.] Impunitas tranſlatio, id eſt, vulgati vſitatoque legis nouæ capite oſtendebatur. Cicero *lib.3.ad Attic.epiſt.23.* [Videſne,inquit,nunquam eſſe obſeruatas ſanctiones earum legum,quæ abrogarentur.Nam ſi id eſſet,nulla fere lex abrogari poſſet. Neque enim vlla eſt, quæ non ipſa ſe ſæpiat difficultate abrogationir.] Paulò verò deinde pòſt exemplum proponit eiuſmodi, [Si quid hac rogatione ſcriptum eſt, quod per leges, pleb.ve sc. hoc eſt, quod per legem Clodiam promulgare,abrogare, derogare, obrogare, S. F. ſua non liceat, non licuerit,quódve ei qui promulgauit,abrogauit,derogauit,obrogauit, ob eam rem pœnæ mulctæ ne ſit, E. H. L. N. R.] ¶ Odioſa ſane fuit legum publicè probatarum reſciſſio: niſi quæ vtilitas abrogationem ſuaderet *l.3.de conſtit.princ.* Apud Spartanos nefas habebatur,vllam priſcarum nouare legum: cuius cauſam Pauſanias reddebat:quoniam legibus conuenit auctoritas in homines,non hominibus in legem.Ei qui tentaſſet,nec obtinuiſſet, apud Locros laqueus, Vt Ariſtoteles & Demoſthenes ferunt, præmium ſanciebatur.Niceni concilij *cap.6.*veteres mores obſeruari iubentur.τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω. Fictæ, vt videtur, legis meminit Quinctilianus *declam. 263.* [Qui tribus rogationibus contradixerit, nec tenuerit, ignominioſus eſto.] nec tenuerit,id eſt,ſuadendo non obtinuerit,vicerit.*l.8. ... de diuerſ.offic.l.47.cum ex falſis. §. de manumiſſ.teſtament.* Suetonius de Domitiano. [Vt accuſatori, inquit, qui cauſam non teneret exilium pœna eſſet.] ¶ Aliquando tamen leges vel tacitè contrariæ conſuetudinis vſu, vel aperta legis poſterioris abrogatione mutantur. *§.vlt. de iur. nat. gent.vel ciu.l.26.non eſt.cum ll.ſeqq.de legib.* Athenienſes Solonis, quem vt iuſtiſſimum coluerunt κατὰ μικρὸν τῶν νόμων τινὰς διέφθειραν. Ælianus *lib. 2. Varia hiſtor.* & nouiſſimæ leges prioribus ſublatis dominantur. Modeſtinus αἱ μεταγενέστεραι διατάξεις ἰσχυρότεραι τῶν πρὸ αὐτῶν εἰσιν. *l. vlt. de conſtitut.princip.XII.tabulis* Vt quodcunque populus poſtremum iuſſiſſet, ſciuiſſet, id ius ratúmque eſſet cauebatur. Plinius *epiſtola penult. libr. 2.* Solemne in Græcia refert, leges quas contrarias prioribus legibus arguebant, aliarum collatione conuincere. Solon cauiſſe dicitur, vt qui vllam ex receptis legibus abrogaret, aliam ſubrogaret. Vlpianus in Leptinianæ Demoſthenis enarratione, ὁ Σόλων προσέταξε τὸν λύοντά τινα τῶν κειμένων νόμων, τι θεῖναι ἕτερον. ¶ Legum opportunitates,& medelas pro temporum moribus,& pro rerumpub.generibus,ac pro vtilitatum præſentium rationibus,próque vitiorum quibus medendum eſt, feruoribus, mutari atque flecti, neque vno ſtatu conſiſtere. Sext.Cæcilius eleganter apud A.Gellium *initio lib.20.* diſputat.

CIII. IDEM lib. viij. Regularum.

LICET capitalis Latinè loquentibus omnis cauſa exiſtimationis videatur: pœnæ tamen appellatio capitalis, Mortis, vel amiſſionis ciuitatis intelligenda eſt.

ALCIATVS.

LICET. ¶ Capitalis cauſa quælibet intelligitur, quæ ad exiſtimationem refertur: ſed ſi pœnam capitalem dicimus, de ea intelligimus, cùm vita, libertas, vel ciuitas perditur. *l. 2. de public. iud. l. 2. de pœnis.* ¶ Corruptus autem eſt codex: in aliquibus enim legitur, non tamen in alijs deeſt negatio, ſed omnino legendum eſt, pœnæ tamen. Hinc argumentum colligitur, ſi in lege municipali pœna capitalis ſeu capitis ſimpliciter conſtituitur, non omnino de morte intelligendum ſed vt in pœnis mitiora ſequamur, exilium irrogandum. *gl. l. 1. C, ne man. Chriſt.* Fuêre & qui ſolam infamiam notam ſufficere exiſtimauerunt: vnde traditum eſt, ſicut beneficiarius cliens domini vitam pro virili tueri debet, alioquin beneficio priuatur, ita etiam exiſtimationem, quoniam famæ periculum vitæ æquiparatur. *l. iuſta. de man. vind.* Sed & cùm ſacerdoti capitale ſupplicium decernitur, excommunicationis plerique intellexerunt. *cap. 1. de homicid.* ¶ Verùm hæc ego iure conſiſtere non arbitror: capitalis enim cauſa, de infamia, vel relegatione nonniſi impropriè accipitur, vt interpretes omnes huius reſponſi argumento tradiderunt. At in inferendis pœnis etiam ſermonis proprietas maximè obſeruatur. *l. cùm lege. de teſta.* Quod ſi delictum ita atrox ſit, vt iure communi ſummo ſupplicio emendetur, non eſt credendum, legis municipalis auctores, aliter capitalem pœnam accepiſſe quàm mortis. *Imo. d. l. 2.* Quod etiam fatendum eſt, quoties eo iure exilium nulli facinori pro pœna additur: nec enim de eo actum veriſimile eſt, præſertim cùm vulgaris loquendi vſus hodie pœnam capitalem tantùm intelligat, cùm amputatur caput. Et ideo Iuriſconſultus hic ex Latino ſermone latam illam ſignificationem cauſæ capitali tribuit, non autem ex eo quo vulgares & idiotæ vtuntur. ¶ Sed an membri amputatio pœna capitalis ſit? *l. qui manus. §. de teſtam.* Et non eſſe receptum eſt, niſi fortè craſſiore ſignificatione id nomen accipiamus: non enim membrum amputari poteſt, quin reus exiſtimationis ſuæ detrimentum patiatur. *l. nullam. C. ex quib. cauſ. irrog. inſam.* ¶ Iure autem veteri huiuſmodi pœna non inferebatur, ſed hodie in quibuſdam caſibus, ex cõſtitutionibus indicta eſt. *l. 2. C. de ſer. fugit.*

[Mortis.] ¶ A principio vrbis conditæ, pro delictis grauioribus pœna mortis reis ingerebatur: verberibus enim a lictoribus affecti necabantur, vel arbori infelici ſuſpendebantur. Verum M. Porcius Cato legem tulit, ne quis ciuis Romanus verberibus necaretur, ſed ex delicto in exilium mitteretur. Solebant tamen Senatores ex magna cauſa more maiorum, id eſt, eorum qui ante legem Porciam vixere, reos punire, vt in L. Catilinę collegas obſeruatum fuiſſe Salluſtius tradit. Imperatoribus quoque, quoniam legibus ſoluti eſſent, ad necem ciuem Romanum condemnare permiſſum erat, vt in Auguſto Dion eſt auctor. In exteros autem rarò quoque pœna mortis conſtituta fuit, ſed damnatio in metallum, vel in inſulam ſufficere viſa eſt: aliquis enim eorum vſus erat, cùm opus facere compellerentur, & tamen merita pœna afficiebantur. Siquidem vt C. Cęſar apud Salluſtium inquit, in luctu & miſerijs, mors ærumnarum requies, non cruciatus eſt. ¶ At hodie in pœnis mera carnificina eſt, & per leges municipales vel ſtrangulantur, vel decollantur, vel exuruntur, vel mutilantur rei: qui ſi in opus publicum damnarentur, & perpetuam pœnam ſubirent, idcircóque acriorem, & maiori cæteris exemplo eſſent, publicéque vtilitatem aliquam adferrent, vt negari non poſſit, vt in pleriſque alijs rebus, ſic hac quoque in parte ab antiquis recentiores legumlatores ſuperati.

BRECHÆVS.

LICET. Quamuis cauſa capitalis, & capitale crimen propria ſignificatione dicatur, ex quo pœnam mortis irrogari oportet, tamen καταχρηστικῶς: & ex interpretatione, ad famam exiſtimationemque, & ad ſtatum ſæpe transferri ſolet. Vt cùm de capite & fortunis alicuius agitur, de exiſtimatione & fama, ac facultatibus intelligi par eſt. Sic in oratione ſua pro Quintio, Cicero de capite & fortunis Quintij dicere ſe obteſtatur. Petebat enim Næuius aduerſarius vt ei ex edicto bona poſſidere liceret, ideò quod Quintius vadimonium non obierat. Vnde dicimus capite & fortunis cauere, quod vulgus forenſinm, obligare ſe, ſua bona & corpus. ¶ Dicimus igitur capitalem cauſam, capitale crimen, & capitale iudicium. Inde homo capitaliter damnatus qui morte, exilio, deportatione, aut aquæ & ignis interdictione plectitur. *l. capitalium. ad princip. ff. de pœnis. l. ſed etſi quis. §. 1. ff. ſi quis cautio. l. edicto. §. 1. ff. de bon. poſſ.* Paulus in *l. 2. ff. de pub. iudic.* ¶ Publicorum (inquit) iudiciorum, quædam capitalia ſunt, quædam non capitalia. Capitalia ſunt, ex quibus pœna, mors, aut exilium eſt: hoc eſt, aquæ & ignis interdictio. Per has enim pœnas eximitur caput de ciuitate. Nam cætera, non exilia, ſed relegationes propriè dicuntur: tunc enim ciuitas retinetur. Non capitalia ſunt, ex quibus pecuniaria, aut in corpus aliqua coërctio eſt. Et cùm de crimine capitali tranſigere vel paciſci Impp. permiſerunt, excepto adulterio, de eo crimine propter quod mortis pœna infligi debet intellexerũt. Cum verò capitis reum, aut capite damnatum aliquem iudex pronuntiat. id ad mortem omnino eſt transferẽdum. Hermogenia. *in l. raptores. C. de epiſc. & cler.* Raptores virginum vel viduarum, vel diaconiſſarum quæ Deo fuerint dedicatæ peſſimum criminum peccantes, capitis ſupplicio plectendos eſſe decernimus: quod non ſolùm ad iniuriam hominum, ſed & ad ipſius omnipotentis Dei irreuerentiam committitur. Qui itaque huiuſmodi crimen commiſerint, & qui eis auxilium tempore euaſionis præbuerint, vbi inuenti fuerint in ipſa rapina, & adhuc flagrante crimine comprehenſi à parentibus ſanctimonialium, virginum, vel viduarum, aut earum conſanguineis, vel tutoribus ſeu curatoribus

ribus conuicti interficiantur. Capitis igitur ſupplicio plectendos raptores Virginum dixit, id eſt, morti dandos & interficiendos. Hinc æſtimare litem capitis dixerunt, criminaliter intendere actionem, non rei perſecutoriam: & vt vulgus loquitur, concluſiones capitales concipere, Budæo teſte. Et capitis anquirere dixit Liuius. ¶ Ea autem erat in homines capitales & facinoroſos animaduertẽdi ratio, vt primùm ad Triumuiros capitales crimina deferrentur: hi vt ad prætorem delata referrẽt, prætor iudicium conſeſſumque cogeret, iudicéſque in conſilium mitteret: Triumuiri illi capitales rurſus decretum conſilij exequerentur. Hi tres viri capitales, vt ſcribit Pomponius Lætus *de magiſtrat.* erant qui carceris cuſtodiam haberent: vt ſi animaduerti oporteret, interuentu eorum fieret *l.2.de orig.iur.* T. Liuius *Dec.3.lib.5.* Primò (inquit) ſecretæ bonorum indignationes exaudiebantur: deinde ad patres, etiam ad publicam querimoniam exceſſit res incuſati grauiter ab Senatu Ædiles Triumuirique capitales quod non prohiberent. Athenis erant *οἱ ἕνδεκα*, vndecim viri, quos etiam *νομοφύλακας* appellabant, ſimiles Triumuiris Romanis. ¶ Dicimus quoque capitales homines, id eſt, flagitioſos & facinoroſos, & qui in necem ac perniciem bonorum grauiter incumbunt: quique ob admiſſa delicta mortis pœna digni ſunt. Cicero *Philip.* 5. legi epiſtolam Antonij, quam ad quendam P. Septimium capitalem hominem collegam ſuum miſerat. Idem in *C. Verrem, act.4.* Hoc erat etiam capitalior, quòd idem pecuniam his, qui ab iſto aliquid mercabãtur, fœnori dabat. Hinc & capitale odium, quod caput & vitam alterius petit. Sic capitalis morbus, & capitale vitium. Quod Laurent. Vallen. *libro 4. elegant. c.*109. adnotauit.

Fornerivs.

LICET. ¶ Caput tria ſignificat, libertatem, familiam, ciuitatem: hinc triplex quoque capitis minutio, maxima ex delicto tria illa ſimul: media ciuitatem duntaxat, non libertatem tollit. Minima familiam *τὴν συγγένειαν* atrogatione vel emancipatione mutat *tit.de capit.deminut.Inſtit.* ¶ Capitis minutio, id eſt prioris ſtatus mutatio *l.1.de capit.minut.* *κατὰ τὸ πρῶτον ἐναλλαγή.* Capitis accuſare. *l.17.dies.de iur.patr.* capitale diſcrimen. Valentiniani *Nouel.de Epiſcop.aud.* capitalis rei iudicium *l.1.ad leg.Corn.de ſicar.* capitale crimen. *l.18.tranſigere. C.de tranſ.l.15.poſt contractum.de donat.* capitalis damnatio. Symmachos *lib.10.epiſt.51.* Cicero *lib.4.de repub.* [Probris & iniuriis poetarũ ſubiectam vitam, famámque habere noluerunt, capite etiam puniri ſancientes, tale carmen condere ſi quis auderet.] D. Auguſtinus *lib.2.cap.12.de ciuit.Dei.* Capitalem fraudem admittere, Vlpiano, tale quid delinquere, propter quod capite puniendus ſit. *l.23.cùm autem.de ædil edict.* Capitale) priſcum iuris verbum, *l.6.omne.de pœn.l.vlt.de term.mot.*) facinùs quod capitis pœna luitur. Feſtus: quod Arrius *capital admiſit*, Iuſtinianus *ἐν στρατιωτικοῖς νόμοις, κεφαλικῶς τιμωρεῖται.* Seneca *lib.4.controuerſ.*17. [Quidam & accuſare, & damnare poſſunt, & occidere. Quidam tam mites ſunt, vt nõ poſſint in caput ne teſtimonium quidem dicere.] en ſenſu, ſeruus in caput domini non torquetur. *l.2.l.3.l.11.etiam.l.16.repetit.l.18.vnius.§. ſeruo.de quaeſt.* [Exiſtimationis.] ¶ *ἀτιμώσεως.* gloſſarium vetus. rectè. M. Tullius pro Q. Roſcio Comœdo. [Priuata iudicia ſummæ exiſtimationis, & penè capitis tria hæc ſunt, Fiduciæ, Tutelæ, Societatis.] Quibus videlicet damnati notãtur infamia, *l.1.de iis qui not.infam.§.ex quibuſdam.de pœn.temer.litig.* Caliſtratus, Exiſtimatio eſt inlæſus ſtatus, legibus ac moribus cõprobatus: qui ex delicto noſtro auctoritate legum aut minuitur, aut conſumitur. Minuitur, quoties manente libertate, circa ſtatum dignitatis pœna plectimur. Sicuti cùm relegatur quis, vel cùm ordine mouetur, vel cùm prohibetur honoribus fungi, vel cùm plebeius fuſtibus cæditur, vel in opus publicum datur, vel cùm in eam cauſam quis incidit, quæ edicto perpetuo infamiæ cauſa enumeratur. Conſumitur quoties magna capitis minutio interuenit, id eſt, cùm libertas adimitur: velut cùm aqua & igni interdicitur. Hæc ille. *l.pen.de ext.cog.* Ex quibus intelligitur, non abs re hîc Modeſtinum exiſtimationis minutionem à capitali diſtinxiſſe. Famæ minutio non eſt capitalis. Infames & relegati ad bonorum poſſeſſionem & hereditates admittuntur, a quibus capitalis rei damnati remouentur. *l.13.edicto.de bon.poſſ.l.1.§.qui operas.§.filio.§.capitis.ad Sc.Tertyl.* ¶ Quo fit, vt minus placeat, quod quibuſdam libris hic, *Non tamen*: aliis *pœna tamen*, vtriſque vitioſè & abſurdè ſcriptum offendimus: Florentiæ multò rectius, *Tamen*, quod ex aduerſo reſpondet *τῷ licet.* Suffragatur Græcorum hîc, & Harmenopoli *lib.vlt tit.vlt.* ſuccinctior huius capitis interpretatio, *τῷ κεφαλικῷ θανάτῳ ἐλαύνεσθαι, ἢ πολιτείας ἐκπίπτειν.* ¶ Adde quòd cùm patronus libertum capitis accuſans à bonorum poſſeſſione contra tabulas excludatur, Labeo capitis accuſationem eam definiat, cuius pœna mors, aut exilium, igníſve & aquæ interdictio eſſet. *l.10.cum.de iur.patr.d.l.13.edicto.* Et alibi rei capitalis damnatus ſic accipiatur, ex qua cauſa damnato, vel mors, vel ciuitatis amiſſio, vel ſeruitus contingat: item iudicia capitalia, ex quibus mors aut exilium irrogetur. *l.2.de pœnis.l.2.public.iud.l.4.ſi quis caput.* Quinctilianus *declam.*331. [Quid intereſt, quæ res fecerit iſtud capitis iudicium: Nam & tu crimen grauius obieciſti, quam priores obiecerunt. Vis ſcire quam hoc verum ſit, ſemel iniuriarum damnato ignoſcitur, iterum damnato ignominia inuritur. At illud morte dignum videtur, ſi is qui bis iam damnatus eſt, iniuriam facit. Nam hoc tale videtur, quale hominem occidere. Ergo tu id obieciſti quod lex morte dignum putauit, quod lex capite taxauit, capitis ergo accuſauiſti.] Hæc ſic ille, iis quæ à Ireconſultis traduntur conſentanea: vt à Florentini codicis fide recedere ſtultitiæ, veritati ſcripturæ non concedere, peruicaciæ eſſe videatur. Accedit & quòd omnibus ferè ex Modeſtini *lib.8.regularum* (vnde hoc ſumitur caput) legibus, de grauiorum delictorum pœnis actum animaduertam. *l.27.eos.ad legem Cornel.de falſ.l.12.infans.ad leg.Cornel.de ſicar.l.antep.ad leg.Iul.de vi priuat.l.35.accuſatores.ad leg.Iul.de adulter.l.23.fine.de pœn.* Poſtremò Conſtantinus cum ita ſcripſiſſet, [ſupplicio capitali, ſi id exigat magnitudo cõmiſſi, vel deportatione ei, qui falſum commiſerit, imminẽre. *l.antep.C.ad leg.Corn.de falſ.* Leonis conſtitutione lux acceſſit obſcuriori legi, vt ſi ex falſu adſcripto mors eſſet ſubeunda reo, falſarius capite plecteretur, ſeu truncaretur:

τὸν ἐκεῖνόν τινα πλαστογραφήσαντα δι' ὧν τὸ πλαστογράφημα ἰσχὺν λαμβάνει, θανάτῳ ὑπαλοῦν τὸν καθ' οὗ συνεπλάσθη, αὐτὸν ἀφεθῆναι ἔρημον τῆς τιμωρίας, καὶ καθ' ἑτέρου ἐστὶ ταῦτα παραμυθεῖσθαι, ἀποτίμησθαι. ❡ Reliquum eſt, vt ſuperioris diſputationis fructū & effecta colligamus. ❡ Primùm in capitalib. criminibus, quæ mortis pœnā ingerūt, licita tranſactio eſt. *d.l.18.transfigere.* Ignoſcitur reo, qui aduerſariū corrūpendo ſanguinē ſuum redemerit. *l.1.de bon.cor.* neq; ſolùm accuſatorē, ſed iudicem ipſum quacunque expediendæ ſalutis ratione, corrumpere licere Stephanus Græcus ſcholiaſtes Baſilic. *lib. 60. tit.53.* tradit. ❡ Deinde excuſatur is, qui rei capitalis antè condemnatus iudicio ſe ſiſtere non potuit: damnatus, porrò non delatus duntaxat reus: huic enim non ignoſcitur. *d. l.4.ſi quis caut.* Præterea patronus libertum rei capitalis accuſans, à bonorum petitione excluditur. *d.l.10.enim.* Rurſus damnatis rei capitalis (quia Rom. ciues eſſe deſierunt, deportatione facti peregrini & extorres, heredes non ſunt) bonorum poſſeſſio à Prætore denegatur: Niſi vel à principe reſtituantur. *d. l.13.edicto.l.1.C.de ſentent. paſſ.* Vel de milite agatur, qui quamuis deportatus, ſingulari iure ſuccedit. *l.7.ſi deportati.de leg. 3.l. 13. Idem eſt.§.& deportati aliàs.l.14. neque.de milit.teſt.* Vel de filio, qui humanitatis cauſa ad matris hereditatem admittitur. *d.§.qui operas.* Licet cum peregrinis non ſit teſtamenti factio. Vlp. *fragm. tit. 20.& 22.* ❡ Poſtremò cùm publicatio bonorum, & ciuitatis amiſſio, teſtamenti factionem adimat, palàm eſt reum capitali crimine damnatum, heredem inſtituere non poſſe: Niſi (quod prouocatio iudicati effectum ſuſpendat, *l.6.de iis qui no.infam. l.1. ad Turpilian.*) appellauerit: & medio tempore pendente appellatione, fecerit teſtamentum, & ita deceſſerit: Valet eius teſtamentum *l.13.qui à latrunibus.§.qui teſtam.fac.* [& ita deceſſerit,] inquit Marcianus. Id eſt poſtea, deinde εἶτα. Quod quò rarius minúſque vulgò notum, eò lubentius obiter animaduertendum, ac ſimilium exemplorum collatione illuſtrandum cenſeo. Marcellus, [Viuo Mæuio, Seius conſul deſignatus eſt, & munus edidit, deinde ex Calend. Ianuariis conſulatum ingreſſus eſt, atque ita Mæuius deceſſit.] *l.,6. Publius.de cond.& demonſt.* M. Tullius *in Cluentiana,* [Aliquot dies ægrotaſſe, & ita eſſe mortuum.] Modeſtinus, [Illæ pœnæ ab ingrato exiguntur, vel pars bonorum eius aufertur, & patrono datur, vel fuſtibus cæditur, & ita abſoluitur.] *l.7.diuus.de iur.patr.* Vlpian. [Fuſtibus eum caſtigandum dimittere, & ita ei ſuperdici,] *ἀφιέναι μὴ ἐμμεῖναι.l.13.ſi duo.fin.de iureiur.* Paulus, [Cauſa cognita aduerſus eum iudicium prætor dare debet, vt lis conteſtetur, & ita in prouinciam transferatur. *l.28.ſed etſi.de iudic.* Idem *lib.5. ſentent. tit. 18.* [ad forum remittendus eſt, atque ita conuictus in duplum.] Iulianus. [Si nolit excuſationem petere, remoto eo à tutela, ita litem de hereditate expedire.] *l.20.ſi pupillum.de excuſ.tut.* Caius. [Iubendus eſt parere conditioni, & adire, & ita reſtituere.] *l.63.facta.§.ſi ſub conditione,ad Sc.Treb.*

CIIII. Idem lib. ij. Excuſationum.

Ἡ τῶν τέκνων προσηγορία καὶ εἰς τοὺς ἐγγόνους ἐκτείνεται.

NAtorum appellatio & ad nepotes extenditur.

Alciatus.

NATORVM. ❡ C. Herennius Modeſtinus libros de excuſationibus ſex conſcripſit, & hos quidem Græco ſermone, quorum bonam partem in Digeſtis Iuſtinianus referri iuſſit, leguntúrque hodie inde excepta pleraque *lib. 27.* ſed ab indocto aliquo in Latinum ſermonem tranſlata: in eorum ii. id reſponſum habetur, quod ſub hunc titulum Tribonianus collocauit: Ἡ τῶν τέκνων προσηγορία καὶ ἐπὶ τοὺς ἐγγόνους ἐκτείνεται. Veriſimile autem eſt à Bulgaro Latinitatem conſecutum fuiſſe, eo, quo in præſentia legitur, modo. ❡ Sanè hinc notandum eſt, per extenſionem filios nepotes appellari, idemque in Græco ſermone eſſe, vt hinc argumentum ſit, etiam in noſtro vulgari idiomate idem obſeruandum. Qua ratione, ſi in viri imperiti teſtamento mentio liberorum, quæ latior eſt quàm filiorum, reperiatur, putarim ſecundùm iuris diſtinctionem intelligi: quod & Bartolus probat: veriſimile enim eſt tabularium eius emphaſeos verba Latinè ſcripſiſſe, cuius fuerant vulgaria ab illiterato prolata. ❡ Sed an, quod de natorum appellatione hîc dicitur, locū ſibi vendicet etiam, cùm de prognatis ſeu progenitis fit mentio? Et horum appellatione propriè nepotes contineri magis crediderim. præpoſitio enim hoc inducere videtur, ſicut cùm proauum, pronepotem, proſocerum dicimus: nam & progenitores, pro quibuſcunque aſcendentibus accipiuntur.

Brechæus.

TῶN τέκνων. ❡ Oſtendimus ſuprà in *l. filij appellatione. hoc tit.* qualiter filiorum nomen ad nepotes pronepotéſque & deinceps protrahatur: eam quoque rem tradit hoc loco Modeſtinus: Τῶν τέκνων, inquit, προσηγορία, &c. Etenim τέκνα Græci vocant natos ſeu filios, παρὰ τὸ τίκω, vt eſt apud Etymolog. authorem. Vnde τεκνοποιῶ καὶ τεκνοποιοῦμαι, τοῦτ' ἐστι παιδοποιῶ παιδοποιοῦμαι, liberos gigno & ſuſcipio. Et τέκνωσις propagatio generis: ac τεκνογονίαν Ariſtoteles vocat puerperium. Idem Ariſtot. τεκνοῦσθαι de fœminis, τεκνοῦν verò, de maribus dicit.

Ad nepotes. ἐπὶ τοὺς ἐγγόνους. ❡ Quod etiam ad poſteros interpretari potuit: & quidem rectè. Sunt enim ἔγγονοι filij filiæúe, nepotes vel neptes: & deinceps poſteri ex his deſcendentes.

Fornerius.

NATORVM. ❡ Liberorum filiorum, natorúmve appellatio etiam ad nepotes extenditur: quæ ſententia quò ſit potiſſimùm referenda, vel ſola huius capitis admonet inſcriptio. Numero liberorum parentes ab oneribus non excuſantur, *l.1.C.de his qui num.liber.* ſed à tutelæ munere tres filij Romæ, quatuor in Italia, quinque in prouincia patrem liberant. *§.1.de excuſat.tut.* Quum autem omnis excuſatio ſua æquitate nitatur *l.1.de vacat.& excuſ.mun.* in liberis hæc maximè diſpiciuntur,

vt ſint legitimi, naturales, nati iam, ſuperſtites, non adoptiui, non concepti tantùm in vtero, non poſthumi, non captiui, *l.2.ꝭ.de excuſ.tut.d.§.1.& 2.inſtit.eod.t.l.2.C.de iis qui num.* Nepotes tamen in locum parentum ſuccedentes, vice eorum prodeſſe ſolent. Nam patre mortuo auo proſunt, & plures vnius vicem ſupplent. *l.3.C.qui num.lib.* οὐ μόνον δὲ υἱοὶ ἄρρεν ... δύναται, καὶ θυγατέρες, ἀλλὰ καὶ ἐγγόνοι, ἐξ υἱῶν ἀρρένων τεχθέντες. *d.l.2.* (vbi & hoc caput, ex eodem deductum fonte ad verbum inculcatur.) *ꝭ.de excuſ.tut.* Sed & in illo edicti Prætorij capite, [Parentem, patronum, patronam, liberos patroni, patronæ, in ius ſine permiſſu meo ne quis vocet,] liberos, vt in parentibus & vltra trinepotem accipimus. *l.4.l.10.ſed ſi hac.ꝭ.de in ius voc.* Filij appellatio in negotiis fauore dignioribus intenditur, & ad poſtremos gradus porrigitur: In odioſis magis contrahitur. *l.56.cognoſcere.l.84.filij.ꝭ.h.t.l.201.iuſta.l.220.liberorum.ꝭ.h.tit.*

CV. IDEM lib. xj. Reſponſorum.

MODESTINVS reſpondit, his verbis [Libertis libertabúſque meis,] libertum libertæ teſtatoris non contineri.

ALCIATVS.

MODESTINVS. ¶ Solent teſtatores veſtiarium, vel alimenta libertis, libertabúſque ſuis legare: quæri potuit, an liberti libertorum intelligerentur: & hic traditur non contineri, quod dubium non eſt, niſi cùm teſtator eos quoque libertos ſuos conſueuiſſet appellare: quæ conſuetudo vel ex patrisfamilias epiſtolis, etiam nunciatiuè prolatis verbis, probari poteſt: *l.alimenta.de alim.leg.* vt ſi ſcriptum ſit, Ρουφίνῳ ἡμετέρῳ ἀπελευθέρῳ. ¶ Hincque argumentum ſumitur, ſocij mei ſocium non eſſe ſocium meum. *l.ſocij.ꝭ.tit.1.* Itémque, inimici mei amicum, mihi inimicum non eſſe, niſi in perniciem meam vinculo amicitiæ ſeſe coniunxerint, ſimúlq; conſpirauerint. *gloſſ.l.1.§.cùm patronus.de offic.præf.vrb.* Qua ratione & clientis mei cliens, clientulus mihi non eſt. Si tamen beneficiarij fundi, quem a me qui in fidem acceperit, *gl.l.31.diſt.leguntur.* cauſa aliquem clientem acquiſiuerit, poteſt ille παχυμερέστερον cliens meus dici: Sicut colonus meus appellari poteſt is, qui à colono meo in re mea ius conductionis accepit. *Bald. l.1. C.com.de leg.* Quod & in ſecundo emphyteuta dicendum videtur, & hoc ex lata interpretatione. Qua ratione ſubditi alicui purpurato regio, in quem Rex omne ſuum ius penitus tranſtulit, Regis ſubditi propriè non dicuntur: *Mod.d.l.ſocij.* impropriè verò ſecus eſt. ¶ Quarum deciſionum eam eſſe rationem arbitror, quòd verba de eo, quod prius eſt, propriè accipiuntur: non de eo, quod poſterius, per quæ aliam perſonam aſſumunt *l.qui liberos.§.1.de vul.*

BRECHÆVS.

MODESTINVS. ¶ Quamuis teſtator, cùm legauit libertis libertabúſque ſuis, indefinitè videatur legaſſe omnibus, hoc tamen legato libertum libertæ non comprehendi reſpondit Modeſtinus. Nam liberti mei filius, libertus meus non eſt: ſic nec ſocij mei ſocius: nec hominis mei homo cliénſve, non eſt meus. Idipſum tamen qualiter accipiendum ſit, ampliſſimè docuimus in *Comment.ad ſtatuta municipalia Turonenſis præfecturæ, tit. Des donations entre roturiers. artic. primo.* Vide in hanc rem quæ ꝭ.tradidi in *l.ſciendum.hoc tit.*

FORNERIVS.

MODESTINVS. ¶ Diſſimilis à ſuperioris capitis argumento ſententia. Quamuis filiorum appellatione nepotes contineantur: his tamen verbis, *libertis libertabúſque meis*, Libertorum liberti non ſignificantur. Itaque ſi quis quid libertis ſuis teſtamento reliquerit, liberti libertus non admittetur ad legatum. *l.16.alimenta.de alim.& cibar.leg.* Si verò filiis, nepotes etiam vocabuntur. *l.220.liberorum.ꝭ.hoc tit.* Ferè fit, vt quæ ſpecialem ac perſonæ cohærentem rationem habent, vis perſonam egrediantur, vt certis perſonis, non rebus cauſiſque tributa priuilegia, vt legata, vt beneficia, quæ ſingulari quodam iure ob meritum cuipiam conceduntur. *l.1.de conſtit.princip.l.68.in omnibus cauſis.l.191.Neratius.l.196.priuilegia.ꝭ.tit.ſeq.l.9.nec adiecit.pro ſoc.* Cuiuſmodi eſt etiam libertatis datio, & inde deſcendens ius patronus, obſeruantia libertorum, obſequiorúmque erga patronos, & operarum obligatio, quæ non ita facilè primum perſonarum gradum exeunt. ¶ Quare cùm teſtator duobus libertis heredibus inſtitutis, [Fundum Cornelianũ de nomine ſuo exire] vetuiſſet: alter ancillam manumiſiſſet, eique partem fundi legaſſet: negat Scæuola collibertum partem fideicommiſſi petiturum. *l.38.pater.§.duobus.de leg.3.* Ius patronatus perſonale eſt. *l.58.licet.ꝭ.h.t.l.8.liberi.de aſſignat.liberi.* Perſonale obſequium, & reuerentia perſonalis. *l.7.licet.l.ſeq.de obſeq.parent.& patron.* Legatarius legatarij mei, non eſt meus legatarius: Debitor debitoris mei, non eſt mihi debitor. *l.antep.C.ſi cert.pet.l.pen.C.de obl.& act.* Socij mei ſocius, non cenſetur mihi quoque ſocius. *l.19.qui admittitur.l.ſeq.pro ſocio.* Quia in ſocietate coeunda hominum fides ſpectatur & induſtria, quam nõ eandem ſemper in omnibus experimur. *l.31.inter.de ſolut.l.vn.C.de caduc.toll.* etiam ſi in perpetuum contrahatur, non tamen inter heredes continuatur: ſed alterius ſociorum morte diſſoluitur. *l.65.actione.§.morte.pro ſocio.* Qua de cauſa, nec ſocij mei ſocius, mihi ſocius intelligitur. *l.47.conſilij.ꝭ.tit.ſeq.* ¶ Cuius regulæ argumento Accurſij, (quæ Bartolo & ſequacibus in *l.14.de acceſſionibus.de diuerſ.temp.præſcript.* artiſit) ſententiam minime probauerim. Adſtruunt illi exemplo ſocij, vaſſallum mei vaſalli non eſſe in mea clientela: inter quos maxima diuerſitatis ratio cernitur. In ſociis præcipuè diligentia probitaſque deligitur: in clientibus, à patrono collati primùm prædij ius inſpicitur, reſolutóque ſemel iure dantis, Ius quoque accipientis (*de l'arriereuaſſal*) extinguitur. *l.31.lex vectigali.ꝭ.de pign.* Feudum quædam eſt veluti ſpecies ſeruitutis: & fundus quiſque cum ſua conditione publicatur. *l.23.via.de ſeruit.*

ſeruit. ruſtic. præd. l. 22. res quæ. §. res autem. ff. de iur. fiſc. Feudo autem iniuria vaſſalli primi commiſſo, cõſequenter & quæ ab ipſo cunque promanauerint, intelliguntur eſſe commiſſa. *§. illud. de prohibit. feud. alien. per Frideric.* Alioqui dominus directus fraudaretur, cuius vaſallus ſubdiuiſo in plura membra feudo, in reliquum (quòd minimum fortè ſibi recepiſſet, duntaxat ea delicto plecteretur, ſecutis interim ſubuaſſallis, qui alienatam prædij beneficiarij partem in prototypi patroni præiudicium retinerent. Hæc igitur vnde iſti ratiocinandi anſam arripuerunt, ſimilitudo rectè quadrare non videtur.

CVI. IDEM libro ſingulari de præſcriptionibus.

DIMISSORIÆ litteræ dicuntur, quæ vulgò apoſtoli dicuntur. Dimiſſoriæ autem dictæ, quòd cauſa ad eum qui appellatus eſt, dimittitur.

ALCIATVS.

DIMISSORIÆ. ¶ Apoſtoli dicuntur nuntij ἀπὸ τοῦ ἀποστέλλειν, quod eſt remittere. Sunt & de lemborum genere naues quædam Demoſtheni. Significat etiam in iure dimiſſorias literas. Cùm enim à ſententia iudicis appellatur, debet is, qui appellat, inſtanter ab eo petere huiuſmodi literas, quibus ſecundus iudex de cauſa inſtrui poſſit: tenerúrque is, à quo petiti ſunt, eos apoſtolos dare: qui ſi appellationi detulit, dimiſſorij dicuntur: *l. fin. C. de appell.* ſi non detulit, refutatorij. Omnes autem obſequij aduerſus ſuperiorem teſtimonium præſtant: vnde & ſi dubitetur, an deferendum ſit, dari debent, *cap. 1. de appell. in 6.* & ideò reuerentiales quibuſdam appellantur. ¶ Sanè qui apoſtolos non petit, appellationi renuntiare intelligitur. *Cle. quamuis. de appell.* Idem ſi in termino, quem ſibi iudex eorum accipiendorum cauſa ſtatuerit, non compareat. Succurri tamen in his caſibus ruſticitati quidam exiſtimauerunt: nec enim omnes hanc iuris obſeruationem nouerunt: ſed id ego affirmare non auſim. *Guid. Pap. q. 436.*

BRECHÆVS.

DIMISSORIÆ. ¶ Apud Græcos ἀπόστολοι multifariam accipiuntur. Sunt autem ἀπόστολοι, claſſium apparatus expeditionéſque maritimæ, & de claſſibus ipſis proficiſcentibus, ἀποστέλλεσθαι dicunt Budæo teſte. Et ἀποστέλλειν, curſum nauis aliquo dirigere & contendere. ¶ Sed hæc nihil ad rem. Nam & etiam apud Hippocratem *in Aphoriſ.* ἀποστέλλειν, id eſt, μὴ τρέφειν. Sic enim *Aphor. 12. lib. 1.* Ἐν τῇσι παροξυνομένῃσιν ἀποστέλλεσθαι χρή. In acceſſionibus cibum ſubtrahere oportet & non nutrire: pleraque alia ſunt huius verbi ſignificata, τὰ δὲ παρέργα. At verò Modeſtinus hoc loco Apoſtolos vocat eas literas quæ ab eo à quo appellatum eſt, ad eum qui de appellatione cogniturus eſt, ſiue ad principem, ſiue quem alium dimittuntur, quas literas dimiſſorias appellant. Senſus autem literarum talis eſt. Appellaſſe puta Lucium Titium à ſententia illius quæ inter illos dicta eſt. Sic tradit Marcellus in *l. 1. ff. de libel. dimiſſo.* ¶ Dicti ſunt autem Apoſtoli à verbo Græco ἀποστέλλω καὶ ἀποστέλλομαι, quod mittere ſignificat aliquem cum mandato: vnde ἐπίσταλμα. Notat Eraſmus Roterod. in *Ioan. cap. 1. & in Matth. cap. 2.* ἀποστέλλειν eſſe literas mittere, ἀποστέλλειν emittere cum mandatis aliquem, vt ſ. admonuimus. Eſt etiam verbum, ait Budæus, ἐξαποστέλλω, pro mitto nuntium & emitto: hoc eſt, ἀπολύω, ἀποπέμπω καὶ διαποστέλλω, vnde διαποστολὴ, internuncij miſſio, hoc eſt τοῦ διαγγελλοῦντος. ¶ Bene igitur Modeſtinus dixit literas dimiſſorias ea ratione dictas, quòd per eas cauſa ad eum qui appellatus eſt dimittitur. Is autem iudex à quo prouocatur dimittit cauſam ad eum, ad quẽ prouocatio eſt, id eſt ἀποστέλλει, ἀπολύει. Apoſtoli quippe illi petendi ſunt: atque eos petiiſſe ſufficit intra tempus inſtanter & ſæpius: vt ſi non accipiat, id ipſum conteſtetur. Nam inſtantiam petentis dimiſſorias, conſtitutiones deſiderant. Æquum eſt igitur, ſi per eum ſteterit qui debebat dare literas, quominus det, ne hoc accipienti noceat. *d. l. prima. de libellis dimiſſoriis.* Atqui tempus intra quod petendi ſunt Apoſtoli, eſt dierum triginta à lata ſententia. *l. iudicibus. C. de appellation.* ¶ Sed hæc quidem Franciſci primi conſtitutione, anno M. D. XXXIX. promulgata, pro cauſis breui explicandis, abrogata ſunt & antiquata: vt iam neceſſe non ſit hominibus qui legibus & iure ciuili Romanorum reguntur ac diſceptant, huiuſcemodi Apoſtolos petere. Tamen in foro Pontificio adhuc obſeruatur.

FORNERIVS.

DIMISSORIÆ. ¶ Duplici nomine obſeruanda huius capitis inſcriptio eſt: tum quòd rectior in Florentino exſtat exemplari, quàm vulgatis editionibus exprimatur. Inter Herennij Modeſtini monobibla (ſi quæ præfixo Pandectis librorum à Iureconſultis conſcriptorum indici fides) recenſetur, *De præſcriptionibus*, vnde *l. 12. nihil. de inoffic. teſt. l. 20. qui ſuſpectum. de appellat. l. 10. non puto. de iur. fiſc.* Tum quòd hic ea exceptio quæ appellanti, quòd apoſtolos non petierit, obiiciebatur, intelligitur. De qua ſic Iul. Paulus *lib. 5. ſentent. tit. 34.* [Qui intra tempora præſtituta dimiſſorias non poſtulauerit, vel acceperit, vel reddiderit, præſcriptione ab agendo,] id eſt, perſequenda appellatione [ſubmouetur.] ¶ Quatuor autem ſunt tempora, appellandi, apoſtolorum, præſentationis, & appellationis exercendæ, qui intra quintum interpoſitæ appellationis diem peti, accipi, & reddi ſolebant. *d. tit. 34.* Verùm enimuerò Diocletianus & Maximianus Impp. ita conſtituerunt, Apoſtolos poſt interpoſitam prouocationem, etiam non petente appellatore, ſine aliqua dilatione iudicem dare oportere, cautione de exercenda appellatione in poſterum non præbenda.] *l. 6. C. de appell.* Itaque quod apud Paulum de præſcriptione, quæ appellantem ob dimiſſorias litteras non poſtulatas ſubmonebat, refertur, abrogatur: ſicut & moribus noſtris ea lege regia 1539. in foro laico, apoſtolorum petitio, acceptio & redditio minimè neceſſaria eſt. Iure tamen Pontificio id etiamnum obſeruatur: vt ſicut iure Romano, poſt appellationem interpoſitam, literæ dentur ab eo à quo appellatum eſt, ad eum qui

de

de appellatione cogniturus eſt *l. vn. ꝟ. de libell. dimiſſ.* Etſi autem appellatio ad iniquitatem vel imperitiam iudicantium corrigendam comparetur *l. 1. de appell.* Non poteſt tamen poſt ſententiam à ſe dictam, interpoſita appellatione iudex, libellos dimiſſorios ſeu apoſtolos denegare, nec prouocatorem iniuria vel conuicio afficere. *l. 2. C. Th. de appell.* ſicut nec viciſſim, qui appellarunt, illudere iudici, eive conuicium facere debent. Alioqui notabuntur infamia, & iudicis arbitrio punientur. Paulus *lib. 5. tit. 5. & tit. 35. l. 42. iudici. de iniur. l. 8. illud. de appellat.* Aſcon. Pædianus in *3. Verrinam* ſcribit, nefas fuiſſe iudicem præſentem vituperare.

CVII. Idem lib. xxv. Pandectarum.

ASSIGNARE libertum, hoc eſt, teſtificari, cuius ex liberis libertum eum eſſe voluit.

Alciatvs.

ASSIGNARE. ¶ Velleio Ruffo, & Hoſtorio Scapula Coss. Senatuſconſulto conceſſum eſt patri plures liberos habenti, cui filiorum velit, libertos ſuos aſſignare: *l. 1. de aſſig. lib.* & licet huiuſmodi aſſignatio neque legati, neque fideicommiſſi vim habeat, quæritur tamen ius patronatus ei filio, cui fuit aſſignatum. ¶ Sanè verbum aſſignare, ambiguum eſt, & ad tranſlationem dominij referri poteſt, *l. 4. de euict.* & ad ſolam pignoris vel cuſtodiæ conceſſionem. *l. 1. §. antep. ꝟ. de vent. in poſſ.* Quapropter cauſa aſſignationis obſeruari debet, ſi enim tranſlationi dominij ſufficit, ſolam cuſtodiam commiſiſſe *l. cùm pater. §. pluribus. de leg. 2.* Quod & in dubio recipiendum eſt, ne donatio præſumatur: & ita Bartol. & plerique omnes declarant. *Bartol. l. ſi conſti. ſolut. matrim.*

Brechævs.

ASSIGNARE. ¶ Iam quid ſit Aſſignare, obſignare, & ſubſignare, ſuprà eſt à nobis ſcriptum in *l. ſubſignatum. hoc tit.* Sed quid ſit libertum aſſignare, videbis apud Vlpianum in *l. 1. ff. de aſſign. libert.* Et id mehercule perexiguæ vtilitatis eſt. Multa prætérea Alciatus in hanc rem tradit.

Fornerivs.

ASSIGNARE. ¶ Licet libertorum iura quodammodo perſonalia ſint, vt in alium via transferantur. *l. 58. licet. l. 105.* Modeſtinus. *ꝟ. hoc tit. l. 8. libert. de aſſign. lib.* ſingulari quodam iure libertorum aſſignatio permiſſa eſt. [Si quis duos pluréſue liberos iuſtis nuptiis quæſitos in poteſtate haberet, de liberto libertáue ſua ſignificaſſet, cuius ex liberis ſuis eum libertum eámue libertam eſſe vellet, is eáue quandoque is qui eum libertum eámue manumiſit. inter viuos vel teſtamento, in ciuitate eſſe deſiiſſet, ſolus ei patronus, ſoláue patrona eſſet, perinde atque ſi ab eo eáue libertatem conſecutus eſt.] *l. 1. de aſſign. lib.* *Teſtificari.* ¶ quibuſcúque verbis, vel nutu, vel teſtamento, vel codicillis, vel viuus: purè, ſub conditione, ex die certa, in diem certam, per epiſtolam, vel teſtationem, vel chirographum, *d. l. 1. l. 7. aſſignare. l. 10. ſub conditione. l. vlt. eod. tit.* *Libertum.* ¶ Quamuis ſingulari ſermone ſenatuſconſultum ſcriptum eſt, tamen & pluribus libertis, & plures libertos libertáſque poſſe aſſignari certum eſt. *d. l. 1. arg. l. 158. in vſu. ꝟ. h. t.* *Cuius.* ¶ id eſt præcipuum addidit. Nam & in veteſe iuris gloſſatio, Theophilóque *lib. 3. tit. 8. inſtit.* Aſſignatio, [illegible] exponitur. & *lib. 49. Baſilic. tit. 5.* [illegible] *Ex liberis.* ¶ in poteſtate: emancipato enim non aſſignatur libertus. *d. l. 1. §. datur. de aſſign. libert. Inſtit.* Quamuis autem vni ex liberis (æqualiter alioqui ſucceſſuris) parens libertum aſſignet, vt is ſolus iura patroni habeat, cæteriſque patroni liberis, nullus ad liberti ſucceſſionem pateat aditus: Non tamen hoc perpetuum ius eſt. ¶ In primis, ſi is cui libertus aſſignatur, nullis relictis liberis decedat, reſtituto patronatus iure, cæteri patroni liberi ſuccedent liberto. *§. 1. de aſſignat. lib. Inſt. l. 2. l. 3. l. 4. 5. ꝟ. de aſſign. lib.* ¶ Deinde ſi is cui aſſignatus eſt libertus, capitis accuſauerit, non poterit bonorum contra tabulas poſſeſſionem petere, fratribúſque ſuis non obſtabit. *l. 3. §. capitis. de bon. libert.* Prætereà & illo caſu libertus ſine patrono eſt, quum detecta domini nece, libertatem pro præmio conſecutus, orcinus fit, id eſt, nullius libertus. *l. 4. de bon. libert. l. 5. qui ſine manumiſſ.* Scilicet vt fides religióque ſeruorum alacriùs pro vindicanda dominorum ſalute excubaret. *l. 1. Cod. quib. ex cauſ. ſerui pro præm. lib.* Rurſus niſi teſtator ipſe, ac ſuum ipſius non alienum aſſignaret. Nec enim parentis libertum, etiam ſibi aſſignatum, iterum teſtator aſſignabit. *d. l. 8. libert.* Imò nec arbiter familiæ erciſcundæ, facta cæterarum rerum diuiſione, libertos rectè inter coheredes diuiſerit. *l. vlt. de iure patronat. l. 41. quædam. famil. erciſc.* ¶ Poſtremò non aſſignatur libertus inuito: nec enim cuiquam beneficium ingratis obtruditur *l. hoc iure. de donat. l. 69. Inuito. ꝟ. tit. prox.* cuius inſcriptio, ad quæſtionem de aſſignatione libertorum referendam eſſe arguit: cùm ex Pauli *lib. ſingulari de aſſignatione libertorum* deriuetur. Cuius tamen nulla in indice librorum ex quibus hæc legum fragmenta colliguntur, mentio fit.

CVIII. Idem lib. iiij. Pandectarum.

DEBITOR intelligitur is, à quo inuito exigi pecunia poteſt.

Alciatvs.

DEBITOR. ¶ Suprà declarauimus quo ſignificatu accipiendus ſit creditor, *l. creditores. & l. conditionalis. ꝟ. eodem.* & quo debitor, latiorémque harum vocum expoſitionem oſtendimus: hîc Iuriſconſultus nos admonet, quomodo ſtrictè debitorem accipiamus, vt is ſit, à quo inuito exigere

poſſim

poſſimus. ¶ Qua ex definitione apparet eum qui ſub conditione vel in diem debeat, propriè debitorem non eſſe: poſtquam autem conditio euenerit, retrò fingitur verè debitorem fuiſſe. ¶ Sed an is, cui promiſſum fuit non petere per certum tempus, ſit debitor? interim enim exigi pecunia ab eo nequit. *l.creditor.ſuprà eodem.* & ſimilem eum illi crediderim, qui in diem debet. ¶Colligitur autem hinc argumentum: ſi lex à tutela debitorem generaliter reiiciat: ſi item conſtitutum ſit, ne debitor vectigalia redimere poſſit, eum contineri, qui propriè ſit debitor, non autem conditionalem, vel qui in diem debeat. Iaſon. *l.1.in fi.ſi certum petatur.* Sed hæc mihi ſententia non placet: ratio enim huiuſmodi legum eſt, vt magis conſultum ſit Reipublicæ vel pupillo: vnde cùm conditio ad tempus promiſſionis retrò trahatur, *l.is cui.ſuprà de actio.* poſſet Reſpublica vel pupillus à priore creditore excludi: largè igitur debitoris nomen erit accipiendum, cùm par ratio vtroque in caſu hoc ſuadeat. Aret. *l.ſi fideiuſſor.de leg.1.*

Exigi. ¶ Id eſt, ab inuito extorqueri: hæc enim huius eſt verbi ſignificatio, vt Accurſius probat. *l.fideicommiſſ.§.ſi rem.de leg.3.*

BRECHÆVS.

DEBITOR. ¶ Scripſimus ſuprà *in l.Creditores,* quis dicendus ſit creditor, quis item debitor: quare illuc, ſi lubet, accedes.

FORNERIVS.

DEBITOR. ¶ Debere, credere, conueniri: debitor, creditor: agere, petere, exigere, conuenire, oppoſitè referuntur: propriè creditor eſt, cui quacunque ex cauſa debetur, qui poteſt exigere. *l.10. creditores. cum ll. ſeqq. ſuprà hoc titu.* Creditores autem quibus ſub conditione in diémue debetur, quamuis propter ſpem nonnunquam creditores habeantur. *l.42.is cui. de ob.& act. l.6.in poſſeſſionem. quibus ex cauſis in poſſ.eat. l.4. de ſeparat.* Non ſunt tamen ſimpliciter creditores, quibus necdum debetur: nec ante diei vel conditionis euentum ius exigendi eſt. *l.54.conditionales.l. ſeq.ſuprà h.titul.* ¶ Eadem ratione debitor propriè is dicitur, qui iuris ciuilis vinculo tenetur, à quo inuito pecunia iudicio extorqueri poteſt. Eſt enim obligatio iuris vinculum, quo neceſſitate obſtringimur, alicuius rei ſoluendæ. *§.1.de obligatio.* ſic litterarum obligatio, δ᾽ ἐγγραφὸν χρέος, Nomocanonis *titul.4.cap.12.* & Sudas, τὸ δέον, interpretatur, ἀναγκαῖον, à vinciendo, quod homines in officio contineat. Vnde fit, vt debitor in diem vel ſub conditione obligatus debitor ante euentum conditionis non cenſeatur. *l.213. cedere. ꝟ.hoc titul.§. ex conditionali.de verbor.oblig.* Sicuti nec is qui ſub eiuſmodi conditione [Si voluero,] promiſerit: cum in ipſius poteſtate ſit, ne teneatur. *l.7.ſub hac. de obl.& act.l.3.fin.mandat. l.2.vulgo. l.3.quod certo loco.* ¶ Poſtremò, qui natura debet quia non ciuili, ſed gentium iure, pudore tantùm & æquitate eum dare oportet. *l.cum amplius.§.is natura infrà titul.ſeq.l.25.ſed & ſi. §.conſuluit. de petit.hered.* non ſunt debitorum loco. *d.l.10.creditores.* Seneca *lib.6.de beneficiis, cap. 4.* [Manet itaque beneficium, quamuis non debeatur. Sicuti quædam pecuniæ, de quibus ius creditori non dicitur, debentur, ſed non exiguntur.] Licet ad nouandum, fideiubendum compenſandum, excipiendum, conſtituendum, retinendum, condictionem indebiti inhibendum valet naturalis obligatio: non tamen ſatis ad agendum eſt efficax.

Exigi poteſt. ¶ Poteſtate iuris ſcilicet: Nam & qui ſoluendo non eſt, nihilominus debet. *l.4. de hered.vel act.vend.* & qui bonis ceſſit, ſi quando ad pinguiorem fortunam redierit, poterit ex integro à creditoribus conueniri. *§.vlt. de action.l.3. de bon.auct.iud.poſſid.* Sed moleſtiorem inopia debitoris exactionem ita efficit: vt creditoris actio quaſi inanis habeatur: Quòd eius qui nihil habet, periculo nihil fiat, *ut.5. ideóque l.ſeq de dol.l.12.itaque.de furt.* Martialis.

Sexto nihil debes, nil debes, Sexte, fatemur:
Debet enim, ſi quis ſoluere Sexte, poteſt.

¶ Quod de ciuili obligatione duntaxat accipiendum eſt: Namque ſi pecunia ex delicto deberetur, quod nummis non poſſet rependere, tergo lueret. *l.vltima. de in ius vocand. l.7. ſi quis id quod.de iuriſd.* Ne rei familiaris inopia freti homines tenuiores ad confidentiùs delinquendum, quaſi impunitate propoſita adducerentur. *l.1. §.generaliter. de pœn.* Caſſiodorus *libro nono, epiſtola ſecunda & decimaoctaua. libro quarto epiſtola decima, libro decimo, epiſtola 28.* Vlpianus *l.35.ſi quis.de iniur.* Tanti intereſt, quanam ex cauſa debeatur.

Inuito. ¶ Alioqui debitor non eſt. Si pater filiæ nomine pecuniam certam in dotem promittens, pactus ſit, [ne inuitus eam ſolueret,] nihil ab eo exigendum putat Iabolenus: quia id quod pacto conuento, ne inuitus exigeretur conuenerit, in dotis cauſam eſſe non videretur. *l.vlt. de pact. dot.* ¶ Sed & humanitatis cauſa, debitoribus latior aliquando relaxatio temporis indulgetur. *l.13.ratum. de ſolut.* Seneca *lib.1.de beneficiis.cap.2.* [Nemo beneficia in calendario ſcribit: Nec auarus exactor ad horam & diem creditorem appellat. Quem locum Muretus *lib.12. cap.1.* verè quidem, ſed non ea, qua indicat parte corruptum ratus, non veretur, pro *creditorem* ſubſtituere *debitorem.* Si quid ipſe auſim, extremam ſyllabam expunxerim, *creditor:* niſi quis fortè ſic malit, [ad diem crediti reum appellat.] vt crediti dies, nihil aliud ſit, quàm obligationis exigendæ. Paulus: [cum ad diem pecunia non ſolueretur.] *l.30. qui ratiario. de pign. act.* Seneca *de conſolatione ad Marciam.cap.10.* [Nos oportet in promptu habere quæ in certum diem data ſunt, & appellatos ſine querela reddere. Peſſimi eſt debitoris, creditori facere conuicium. ¶ Sed rurſus acerbior ad rem attentioris creditoris cupiditas, qui cum ſacco paratus, pecuniam mox recepturus, debitorem aggreditur improbatur. *l.105. quod dicimus.de ſolut.& lib.*

CVIIII. Idem lib. v. Pandectarum.

BONÆ fidei emptor eſſe videtur, qui ignorauit eam rem alienam eſſe: aut putauit eum qui vendidit, ius vendendi habere, puta procuratorem aut tutorem eſſe.

ALCIATVS.

BONÆ FIDEI. ¶ Multùm intereſt ſcire, quando quis bonæ fidei poſſeſſor ſit: is enim & fructus lucratur, & longo tempore præſcribit. *l. ſi fur. §. 1. de vſuc.* ¶ Hic autem Iuriſc. eum eſſe bonæ fidei oſtēdit, qui titulum habet, ſeu ab eo quem dominū arbitratur, ſeu ab eo quem domini procuratorem aut tutorem exiſtimat. *l. quicunque. in fin. de pub.* Quòd ſi credulitati illi ſuæ iniuſta fatuáve aliqua cauſa anſam dederit, nihilominus fructus lucrabitur. *l. igitur. §. poteſt. de liber. cau.* quoniam vt eos ſuos faciat, ſufficit, ſi dolo careat. Huiuſmodi autē cauſa, licet in bona fide poſſeſſorem non conſtituat, efficit tamen, ne malæ fidei videatur, *l. ſed etſi. §. ſcire. de petit. hered. Bart.* idque ſatis eſt & fructuum acquiſitioni, & longiſſimæ præſcriptioni. *l. 1. C. vbi cau. ſtat.* itémque ei poſſeſſioni, de qua ſummariæ litis inſtruendę cauſa ſolet tractari. *d. §. poteſt.* At vſucapioni, & 10. vel 20. an. præſcriptioni non ſufficit. *l. fi. pro ſuo.* hæc enim non niſi bonæ fidei poſſeſſorem adiuuant. Præſumitur autem regulariter bona fides *l. penult. C. de euict.* etiam in eo qui iuris errore lapſus ſit, niſi contractui lex ſpecialiter reſiſtat: veluti cùm cenſitorum venditio abſque agro, cui aſcripti ſunt, celebratur. *l. quemadmodum. C. de agrico. & cenſi.* Idem ſi in iure naturali, vel quaſi naturali, vel etiam in ciuili iure veriſimiliter omnibus explorato, euidentiſſimóque erretur. *Docto. l. ex conſenſu. §. fina. de app. Angel. Imol. Raph.* atque ita pleriſque viſum eſt. ¶ Sed & qui domino contradicente emit, malæ eſt fidei. *l. ſi fundum. C. de rei ven.* & qui dolo venditorem pellexit, *l. dolus. C. de reſc. vend.* quíque ab eo emit, quem vendendi ius non habere ſciebat. *leg. qui à quolibet. de contra. emp.* ¶ Sed an bona fides in eo præſumatur, qui nullum habet titulum? Et niſi de poſſeſſore antiquiore conſtet, præſumi receptum eſt. Bart. *l. Celſus. de vſuc.* Quod verum arbitror, ſi is perſuaſum habet ad ſe rem pertinuiſſe: alioquin quod ſuum non eſt, ſcire debet ad alios ſpectare. *l. fin. C. vnde vi.* Cæterùm & quoties poſſeſſioni ius commune reſiſtit, bona fides non præſumitur. Quapropter qui ius ſeruitutis præſcripſiſſe aſſeritur, bonam fidem probare debet, *cap. 1. de præſcri. in 6.* cum pro cuiuſque rei libertate regulariter præſumamus *l. altius. C. de ſer. & aq.*

BRECHÆVS.

BONÆ FIDEI. ¶ Nulla ſanè (inquit Cicero) pernicies vitæ maior inueniri poteſt, quàm in malitia ſimulatio intelligentiæ: hoc enim & naturali iuri, & æquitati, & honeſto repugnat, vt conſultò ac conſcij rem alienam apud nos retineamus & poſſideamus, eandem noſtram eſſe nobis mentiri: quippe quoniam dolo, malitia & fraude minimè careamus: atque ea propter longè abſumus à vere ac præclara quidem illa ſententia, [Vt inter bonos bene agier oportet & ſine fraudatione.] Quare qui vel à fure, vel à falſo procuratore rem emit alienam, ille verò certa exploratáque fiducia perſuaſum habet, rem fuiſſe eius à quo emit, dolo caret, & ex æquo & bono agit: ac tum demum bonæ fidei emptor eſſe dicetur. Neque enim, vt bona fides adſit, opinione tantùm opus eſt, ſed certa fide & explorata, à qua fraus omnis, dolus, & ſimulatio intelligentiæ omnino abſit. Hæc autem bona fides eſt quæ à Græcis ἐπιείκεια καὶ χρηστότης dicitur, Budæo teſte, id eſt, æquitas, humanitas, & probitas, quæ alienæ rei vſurpationem conſultò non admittat. Qua ratione eleganter Tryphonius *in l. bona fides. ff. depoſi.* Bona fides, ait, quæ in contractibus exigitur, æquitatem ſummam deſiderat. Cicero *lib. 3. Officio.* Qu.quidem Scæuola, inquit, Pontifex maximus ſummam vim eſſe dicebat in omnibus arbitriis in quibus ageretur ex fide bona: fideique nomen exiſtimabat manare latiſſimè, idque verſari in tutelis, ſocietatibus, fiduciis, mandatis, rebus emptis, venditis, conductis, locatis, quibus vitæ ſocietas continetur. In his magni eſſe iudicis ſtatuere: præſertim cùm in pleriſque eſſent iudicia contraria, quid quenque cuique præſtare oporteret. Quocirca aſtutiæ tollendæ ſunt, eáque malitia quæ vult illa quidem videri ſe eſſe prudentiam: ſed abeſt ab ea, diſtárque plurimùm. ¶ Eſt igitur bona fides fraudi dolóque contraria, ait Paulus. Vnde ſi dolo malo aut fraudandi cauſa ſocietas inita ſit, ipſo iure nullius eſt momenti. *Lex verò. §. finali. ff. pro ſocio.* Ideò autem in bonæ fidei iudiciis Societas collocata eſt. Sed & bona fides quæ in contractibus requiritur, non ſolùm in eo eſt vt ne fraudenetur ſe, ſed vt ne quid legibus & moribus alienum committant, ſicuti eleganter ſcripſit Franc. Connanus *libro ſeptimo commentariorum iur. ciuil. cap.* 14. vbi de mandato agit. Sed qualiter, rogo, bonæ fidei emptorem poſſeſſorémve dignoſcas penitus tradit Paulus *in l. poteſt. ff. de vſucapio.* poſſe pluribus modis accidere, vt quis rem alienam aliquo errore deceptus, tanquam ſuam fortè aut vendat, aut donet: & ob id à bonæ fidei poſſeſſore res vſucapi poſſit: veluti, ſi hæres rem à defuncto commodatam aut locatam, vel apud eum depoſitam, exiſtimans rem hereditariam eſſe, alienauerit. Item ſi quis aliqua exiſtimatione deceptus crediderit ad ſe hereditatem pertinere quæ ad eum non pertineat, & rem hereditariam alienauerit. Fundi quoque alieni poteſt aliquis ſine vi nanciſci poſſeſſionem, quæ vel ex negligentia domini vacet, vel quia dominus, ſine ſucceſſore deceſſerit, vel longo tempore abfuerit. Quare ipſe quidem non poteſt vſucapere: quia intelligit alienum ſe poſſidere, & ob id mala fide poſſidere: ſed ſi alij bona fide accipienti tradiderit, poterit vſucapere. Quia nec vi poſſeſſum, nec furtiuum poſſidet. Item & ſi dubius iuris ſui quis fuerit, non vſucapiet. In dubiis enim, ait Connanus, certa fides eſſe non poteſt, nec caret iniquitate quod facis, ſi dubitas bene ſit an ſecus. Idem & in eo qui errat in iure. Nam iuris error neminem excuſat: nec poteſt eius fides legibus comprobari

quæ

quæ ciuilibus præceptis repugnat. Vnde ſcripſit Paulus nunqoam in vſucapiouibus errorem iuris poſſeſſoribus prodeſſe. *l.nunquam.ff.de vſucapionibus.* Quocirca qui alienum fundum poſſidendi animo eſt iogreſſus, is veluti inuaſor & prædo, ipſum fundum occupatum reſtituere domioo tenebitur. Ridiculum eſt etenim quòd aliquis rem alienam per ignorantiam, videlicet ignorans cuius ea res ſit, ſciens tamen ſuam oon eſſe, poſſederit. Scire namque debent omnes quod ſuum non eſt, ad alios modis omnibus pertinere. Alioqui vſurpaſſe non poſſediſſe iure debet cenſeri. *l.cùm quærebatur. C. vnde vi.* At forſan quætas, quaodo præſumpta ſuſpitio eſt adfuiſſe bonam fidem vſucapienti? Et ſanè quandocuoque dubia atqne incetta eſt booę fidei interpretatio, pro poſſeſſore eſt reſpondendum, quòd videlicet bona fide nitatur. Traditur *in l.penult.* & ibidem à Bartolo. *C.de euictio.* Gloſſ. *in capitulo ſi diligenti. in verbo bona fide. de præſcript.* Vide Alciatum in huuc locum, de hac re amplius diſſereotem.

Fornerivs.

Bonæ fidei. ¶ Bona fides nihil aliud eſt, quàm alienæ rei conſcientia: mala fides, conſcientia: & veluti contraria opponuotur. *l.19.ſi vxor.de donat.inter virum & vxorem.* multiſque nominibus differunt. ¶ Vt ecce fructus ex re aliena percepti bonæ fidei poſſeſſori adquiruntur. *§.ſi quis à non domino.de rerum diuiſ.l.22.certum.C.de rei vindic.* Quia quod ad fructus attinet loco domioi habetur poſſeſſor bonæ fidei. *l.48.bonafides.de acquirend.rerum dom.* Quemadmodum quod ex cuiuſque re naſcitur, ipſius domini fit. *l.5.§ idem. l.49. ſolum.ſi.de rei vend.l.12.ex eo. ad exhib.* ita booæ fidei poſſeſſoris præmium eſt, fructuum alieno ex prædio coactorum acquiſitio. ¶ Deinde bona fides vſucapioni prodeſt, præſertim iuſta poſſidendi cauſa accedente, quæ vix ſine titulo præſumitor. *l.27.Celſus. de vſurp.& vſucap.* Per cooſeqnens & Publicianæ in rem actioni conducit. *§.aquè.de action.tot.titu.ī.de Publician.in rem act.* Vnde fit, vt quemadmodum furto res domino ablata, oiſi in ipſius poteſtatem reuerſa non vſucapitur: ex lege xij.Tab. & lege Atrinia. *l.4. de vſucap. §.furtiuæ. de vſucap.inſtit.* A. Gellius *lib.17. cap.7.* ita qui rem à bonæ fidei poſſeſſore vſucapi cœptam furto ſuſtulerit, non aliter vſucapiendi conditionem in accipientem transferet, quàm ſi ad bonæfidei poſſeſſorem, tanquam dominum reuertatur. *l.7.qui fundum.§.ſi tutor.ī.pro emptor.* Quò fit, vt dominus interdum pro bonæfidei poſſeſſore vſurpetur. *l.17.ſerui.de furt.l.6.certe.§.Iulianus.de precar.* qnia tantum bona fides poſſeſſori præſtat, quantum veritas: quoties lex impedimento non eſt, vt Iulia, Plotia de vi, data contra repetundarum legem. *§.nouiſſimè.de vſucap.l.136.bonafides.ī.tit.ſeq.l.penult.ī.ad legem Iul.repet.l.24.vbi lex. de vſucap. Ignorantis.* ¶ Nam qui à quolibet etiam ignoto rem emit, quam putat ipſius eſſe, bona fide emit: ſi modò iuſtam credendi vel erraodi cauſam habuerit, vſucapiet pro emptore. *l.11.quòd vulgò.pro empt.l.44.iuſto.l.penult.de vſucap.* noo ſi in iore aut ſopinè erret. *l.31.ſi fur.eo.tit.* Veluti ſi ſine tutoris auctoritate à pupillo emat, vel falſo tutore, quem ſcit totorem non eſſe: non videtur bonafide emere. *l.27.qui à quolibet. de contr.empt.* Legis Franciсæ *lib.3. cap.24.* cauetur. [Vt nullus comparet caballum, bouem & iumenta, vel alia, niſi illum homioem cognoſcat, qui eum vendit, aot de quo pago eſt: vel vbi manet, qui eſt ei ſenior: id eſt dominus. Iure autem Romaoo quia procurator domino comparatur. *l.22. in perſonam. ī.tit.l.ſeq.* ſat eſt ab illo emere. *l.14. Papinianus. de Publician. in rem act. l.33. fundi. §.item ſi amicus. de acquir. poſſ. l. t. de excep. rei vend. & trad.* Idem bic quoque in tutore, qui loco domini babetur. *d. l.7. qui fundum. §.ſi tutor. l.11. ſi quis. quod vi aut clam. l.56. interdum. §.qui tutelam. de furt.* Adde curatorem, ſeo magiſtrum bonorum, de quo Theophilus *lib.3. inſtitut.titul. de ſucceſſ. ſublat.* Addé & iudicem, quo auctore, qui rem comparauit, malæ fidei poſſeſſor non cenſetur. *l. 137. qui auctore. ī.titul. ſeq. l.14. at ſi quis. §.ſed ſi aduta. de religio. & ſumpt.fun.* Procuratorem autem hìc accipimus, qui ſpeciale diſtraheodæ rei mandatum habet. Vix enim eſt, vt is cui lis in iudicio exercenda committitur, alienaodi, donandi, tranſigendi, iurandi facultatem habeat: Qui veteribus cognitor ferè dicebatur. Cicero *pro Cecinna.* Aſconius *in diuinationem*, Paulus *lib.1. ſentent.titul. 2.* hic ni fallor *perſona* nomine ſignificatur, apud Caſſiodorum *lib.4. epiſtol. 44. 46. lib.5. epiſt.12. l.1. C.ſi per vim vel al.mod.* Tertullianus, *de corona milit.* [Tribuno defertur, & perſona iam ex ordine acceſſerat,] id eſt procurator ſeu cauſidicus. Feſtus *in Ordinarius.* hic verò niſi in lite iudicio perſequenda domini loco non eſt. *l.4.fin. ī.de appell.l.11. procurator. ī.de dol.except. l.1. C.de ſent.& interloc.omn.iud.* ¶ Sed videamus an is, qui ignorans rem alienam emit, & antequam ex ea fructus perciperet, alienam reſciuit, malæ fidei poſſeſſor habeatur. Iulianus eum in colligendis fructibus bonæfidei poſſeſſorem videri: eique interim perceptos fructus donec res euincatur, acquiri reſpondit. Perinde ac ſi diceret, malam fidem ſuperuenientem oihil percipiendis quærendiſque fructibus obeſſe. *l.25. qui ſcit. fin.de vſur.* Contrariam ſententiam Vlpianus Paulos, Pomponius (non poſſeſſionis initium, vti Iulianus, ſed ſingula ipſius momenta ſpectantes) probant. *l.23. qui bona, verſ.cæterum.l.48.bonafides. de acquir.rer.dom.* Verùm bis verbis, [Donec res euicta, bona fides denotatur: quæ eſt alienæ rei ignorantia: ſicuti conſcientia alienæ rei, malafides: ideóque poſt litem conteſtatam omnes incipiunt malafide poſſidere: Cum vix ad iudicem, niſi mora præcedente peruenjatur. *l.3. de vſur.* Emptor autem, vt hoc auctarium adiuciam, ideò in quærendis fructibus, meliore cæteris, conditione eſt: quòd illius quidem fides tempore contractus, ac traditionis ſpectetur: hos verò tempore traditionis bona fide poſſediſſe ſufficiat. *l.2.pro emptor.* Ille igitur fructus quoſcunque ſuos faciet. *d.l.48. bonafidei emptor.de acq.rer.dom.* hi tantùm eos, qoi cultura & cura prouenerint. *d.l.25.qui ſcit.l.45.fructus.de vſur.* Non me fallit, hoc diſſidium longè aliter, variéque compoſitum ab aliis: mihi non diſplicet ex Iureconſultorum verbis petita diſtinctio.

CX. IDEM lib. vj. Pandectarum.

SEQVESTER dicitur, apud quem plures eandem rem, de qua controuerſia eſt, depoſuerunt: dictus ab eo, quòd occurrenti, aut quaſi ſequenti eos qui contendunt, committitur.

ALCIATVS.

SEQVESTER. ¶ Sequeſtrum hîc dici proditum eſt, quaſi occurrentem controuerſiæ, ſequentémque litigatores. Lauinius tamẽ in libro quem ſcripſit de verbis ſordidis, ſequeſtrum dici mauult, quòd eius vtraque pars fidem ſequatur: idque etiam A. Gellius. *lib.* 20. probat, & mihi non diſplicet. Etymologia enim a Iuriſconſulto hîc tradita ſubdura eſt. in quem & illud intorqueri poteſt, quòd occurrere & ſequi pro ſimilibus accipit, cùm penitus ſint diuerſa. Occurrit qui aduerſum tendit, ſequitur qui pòſt venit. ¶ In hoc autem differunt ſequeſtres à depoſitariis, *l. propriè. depoſit.* quòd illi plurium partium ſe medios gerunt, hi etiam ab vno deliguntur. Hinc apparet errare magiſtratus, qui ſub prętextu vt iurgiis & ſeditionibus obuiam eant, fructus penes alteram partium ſequeſtro deponunt: debet enim ſequeſter eſſe medius, non ex colligatoribus eligi. Bald. *cap. 1. de ſequeſt. poſſ.* ¶ Quòd ſi iudex verearur, ne fructus rei controuerſiæ diſſipentur, non eos ſequeſtro tradere, ſed deſcribere ſimpliciter debet, vt finita lite victori conſultum ſit. *l. fin. §. ex quadrante. de doli except.* ¶ Sed quæ actio aduerſus ſequeſtrum competit? Et nemo dubitat, depoſiti actionem ſequeſtrariam. *l. et apud. l. ſi in Aſia. depoſ.* Addunt quidam, etiam pręſcriptis verbis agi poſſe, vt aduerſus eum, qui quos ſponſionis cauſa annulos accepit, reddere negat. *l. ſi rem. in fi. de praſcript. verbis.* Sed hic ſequeſter non eſt: nec enim ab vtraque parte annulus depoſitus fuit, nec de eo vlla erat controuerſia.

BRECHÆVS.

SEQVESTER. ¶ Sunt, inquit Aſconius *in action. 2. in Verrem*, Sequeſtres apud quos pecunia deponitur: interpretes, per quos inducitur pactio. ¶ Sequeſter autem à Græcis μεσίγγυος, hoc eſt interuentor: & μεσεγγυῶμαι verbum, vt annotauit Budæus *in comment.* ſignificat apud ſequeſtrem pecuniam deponendam ſtipulor & contendo. Idipſum verò depoſitum, μεσέγγυημα: quod ſequeſtrò poſitum, per aduerbium dicitur, teſte Aul. Gellio. *lib. 20. noct. Attica. cap.* 10. Quo loco ipſe tradit ex P. Lauini *lib. de verbis ſordidis*, Sequeſtrem olim dictum vulgò Sculnam, quaſi Seculnam. Vtrunque ſiquidem vocabulum à ſequendo factum, quòd eius qui electus ſit, vtraque pars fidem ſequatur. Quę ſanè etymologia verior eſt quàm quæ à Modeſtino hoc loco traditur: abſurda enim eſt, & Alciato diſplicet. Equidem cùm inter duos de fundo aut aliqua alia re cõtrouerſia eſt iuris ambigui, de fundo poſſeſſor moribus deduci ſolet, ac fundus ipſe poſſidendus ſequeſtro traditur tantiſper dum explicatur lis de poſſeſſione apud iudicem: & alter diſceptatorum rem iudicio euicerit atque abſtulerit Franciſc. Connan. *lib. 7. Commentariorum iuris ciuil. cap.* 4. vbi de depoſito tractat. Eſt tamen (inquit) vnum depoſitionis genus, in quo ſuſpicor mercedem cuſtodiæ aliquam ſolitam dari, quod ea neceſſariò fieret, & iudicis authoritate plerunque, quæ ſequeſtratio appellatur: ipſi qui rem ſuſceperunt ſequeſtres, noſtra lingua commiſſarios vocamus: quaſi qui rerum cuſtodiæ ſunt commiſſi. Et hi operæ ſuæ ſalarium aliquod habere ſolent. Sequeſtres ergo non poſſunt ab vno committi, ſed à pluribus inter quos res eſt controuerſa ſcilicet. ¶ Propriè (inquit Paulus) in ſequeſtro eſt depoſitum quod à pluribus in ſolidum certa conditione cuſtodiendum reddendúmque traditur. *l. propriè. ff. depo.* Et Florentinus in *l. licet. hoc titul.* Attamen, inquit, apud ſequeſtrum non niſi plures deponere poſſunt. Gloſſ. *in c. examinata. extr. de iudic.* Aliquando tamen poteſt vnus rem controuerſam ſequeſtro ponere: veluti iudex, vt *c. 1. de ſequeſtr. poſſ. & fruct. & c. olim. de reſcrip.* Permulta in hanc rem luculenter ſcripſit Ioan. Coraſius vir noſtra ætate eruditus, *lib. 3. Miſcellaneorum. cap. 2.* ¶ Sequeſtres etiam appellauit Cicero interpretes ambitus, & corrumpendarum tribuum conductores. Sic ille *in Oratio. pro M. Calio.* Hoc tamen dico, non modò ſi ſocios coniurationis, ſed niſi inimiciſſimus iſtius ſceleris fuiſſet, nunquam coniurationis accuſatione adoleſcentiam ſuam potiſſimùm commendare voluiſſet: quod haud ſcio an de ambitu & de criminibus iſtius ſodalium, ac ſequeſtrium, quoniam huc incidi, ſimiliter reſpondendum putem. Idem, *actio. 4. in Verrem.* Qui tabulas tenet? qui ſcribit? qui monet? qui proximus eſt? Is eſt C. Clodius qui in Sicilia ſequeſter iſtius, interpres confector negotiorum, prope collega Timarchidi numerabatur. Aſconius *in 1. actio. in Verrem*, in eum locum vbi Cicero ait, [Sed omnino improbitas id quod populus iamdiu flagitat, &c.] Et corrupti iudices, inquit, & corruptores eorum, & ſequeſtres, & interpretes, & emiſſarij, & omne quod vitij eſt. Huiuſcemodi à Græcis ἐργολάβους appellati Budæus teſtatur, id eſt, ſycophantas & quadruplatores, quæſtui delationes habentes: qui compendia ſua comparant ex alienis diſpendiis & calamitatibus. Cuius quidem generis noſtra ætas propemodùm habet infinitos. Eſt autem ἐργολαβεῖν vt tradidit ipſe Budæus, propriè redempturas facere, vt Mancipes & Conductores ſolent: quod & μισθοῦν & ὠνεῖσθαι dicitur. ¶ Iam verò qualiter compelli quis poſſit vt ſequeſtri onus obeat, & multa alia in hanc rem videbis apud Barc. in *l. intereſſe puto. ff. de acquir. poſſeſ.* & apud Ioan. Imbertum, *lib. 1. Inſtitut. forenſ.*

FORNERIVS.

SEQVESTER. ¶ Sequeſtratio ſpecies eſt depoſiti: cum non ab vno, ſed pluribus contendentibus res controuerſa tertio cuipiam ſeruanda datur, qui medius, interpres, internuncius

cius, pararius, conciliator, eligitur. 5. *l.12. ſi in Aſia. d. l.17. licet. depoſ. l.18. ſi gratuitam. de præſc. verb.* μεσίτης. *Nouell.*90. hic à Græcis & *tit. vlt. lib.*13. *Baſilicôn*, μεσεγγυητὴς appellatur. ¶ Multum autem refert, voluntaria ſit, an neceſſaria ſequeſtratio. Illa enim quòd mutuo vtriuſque contrahentium, contendentiúmve cõſenſu fiat, cum virum bonum cui plus quàm ſibi inuicem fidei habeant, vltrò adeunt, nullo iure prohibetur. *l.39. ſi ſoluturus. ff. de ſolut. l.39. intereſſe. de acq. poſſ.* Hæc verò quòd intercedente iudicis auctoritate, alterutro litigantium poſtulante fiat, regulariter in actione perſonali prohibetur. *l. vn. C. de prohib. pecun. ſequeſtr.* Tum quòd actore ſuam intentionẽ probante, nihil ſupereſt, niſi vt eum vnde petitur, ad ſolutionem condemnet, vel ſi non ſatis probetur, abſoluat iudex. *l.4. C. de edend. l.2. C. de prob.* Tum quòd quædam executionis, & pignerationis ſpecies videtur ſequeſtratio: nec ab executione incipere oporteat. *l.58. ſi cum nulla. de iudic.* Excipiuntur vulgò aliquot caſus. Veluti quoties per publicum inſtrumentum deberi quidem conſtat: debitor tamen eiuſmodi tabulas exceptione oppugnat: interim pecuniam apud creditorem oblata reſtituendi cum opus erit, cautione deponere cogetur. *l.2. l.3. C. de edict. D. Adrian. toll. l. ſcripturas. C. qui pot. in pign. l. vlt. C. ſi cert. pet.* Sed & in retinendæ poſſeſſionis interdicto, cum vterque litigãtium, commodum poſſeſſionis ambiens, rem qua de agitur ſe poſſidere contendit, periculúmque nequa vis fiat ſuadet, vt res vtrique ablata ſequeſtrò deponatur. Faber. *§. retinendæ. de interd.* Bal. *l. vlt. C. de ord. cogn.* Occurrendum enim ne litigantes ad arma veniant. *l.13. ſi cuius. vulg. l. æquiſſimum. de vſufr.* Idem vſuuenit ſi de puellæ, (cuius plures proci nuptias ambiant.) pudicitia aut raptu, metus impendeat: aut nimiam viri ſæuitiam vxor accuſet, vel vxorem ſe eſſe neget, æquiſſimum ſanè fuerit, pendente quæſtione perſonas eiuſmodi ſequeſtrari. *c.8. ex tranſmiſſa. de reſtit. ſpol.* Vt interdum liberi noſtri deponuntur. *l.3. de lib. exh.* Vt mota ſtatus quæſtione, qui liberale iudicium patitur, pendente lite, ipſe pariter cum rebus quas ſuas aſſerat, domini neget eſſe, deponitur. *l. vlt. C. de ord. cogn. l. vlt. C. quib. ad lib. procl. non lic.* Vt ſine alterius iniuria, aliò interim poſſeſſio transferatur. Sicut Claudius Imper. peregrinitatis reum ſubinde veſtem mutare iuſſit: cum vtrùm, togatus an palliatus cauſam diceret ambigeretur: vt hoc commento præiudicium neutri fieret. Suetonius. Sic ſi diſſentiant contrahentes, & emptor quidem rem, antequam pretium ipſe numerarit ſibi tradi: venditor verò pretium re nondum tradita ſolui deſideret: ſequeſtrationis remedium: Accurſio placet. *l.13. Iulianus. §. offerri. de act. empt.* Non ſecus ac orta de fundi proprietate inter dominum & colonum controuerſia: dum lis agitur, ſi colonus de fructibus præſtandis non caueat, interim ſequeſtrabuntur. *l.19. litibus. C. de agric. & cenſ.* Niſi alterum ex litigantibus triennalis poſſeſſio tueretur. *clem.1. de ſequeſtr. poſſ. & fruct.* ¶ Sed plurimùm referre exiſtimo: vtrùm condictione quis, an vindicatione experiatur: illa tanquam creditores nobis debitum, hac verò domini noſtrum petimus: regulariter in actionibus perſonalibus (quibus exponendis *lib.4. C.* occupatur) ceſſat ſequeſtratio. *d. l. vn. verſ. quelibet contractu. & verb. debitorem.* In reiuindicatione, non item. Nam ſi actor reum conuentum fructus pendente iudicio lædere, ædes corrumpere, graſſari ac populari verius, quàm poſſidere deprehenderit, iure meritóque poſtulabit, vt res ei ablata ſequeſtretur. *l.21. Imperatores. fin. de appellat. l.5. vt legat. nom. l.5. C. quorum appell.* & generaliter quoties quæ iuſta cauſa ſubeſt, vt periculo occurratur. *l.1. §. ſi frater. de collat. bon. l.9. ſi quis affirmauit. §. Labeo. vulg. l.10. ſi oleum. de dol. cap.1. ext. de ſequeſtr. c. d. c.8. ex tranſmiſſa. c.13. litteras. de reſt. ſpol.* Veluti ſi colonus conductum fundum deſerere velit, vel ſeruus ad libertatem proclamare. *l. vlt. C. de agr. & cenſ. l. vlt. C. de aſſert. toll. l. vlt. C. quib. ad libert. procl. c.2. ex litteris. extr. de dol.* Idque maximè ſi vereamur, ne poſſeſſor rem mobilem interuertat, corrumpat, vel in eum fugæ ſuſpicio cadat. res interim apud officium deponetur. *l.7. ſi fideiuſſor. ſi. qui ſatiſd. cog. l.22. ſi cum dotem. §. ſin autem. ſol. matr. d. l.21. Imperatores. l.5. quorum appel. non recip. l.4. de appel. can. vlt. 3. q. 2. Plures eandem rem depoſ.* ¶ In ſolidum, εἰς ὁλόκληρον. *lib.13. Baſilicôn* περὶ μεσεγγυητῶν. *tit. vlt.* Quare dubium non eſt, quin ſequeſtraria depoſiti actio in ſequeſtrem ex contractu nominato detur. *l.5. l.12. ſi in Aſia. depoſ.* Neque iis audio, qui etiam præſcriptis verbis in eum agi poſſe exiſtimant: Ad quam in ſubſidium deſcẽditur, cum ceſſantibus iudiciis proditis, & vulgaribus actionibus, proprium negotij contracti nomen non inueniunt: vel de eo ambigitur. *l.1. l.2. l.3. de præſc. verb. l.2. C. de pact. inter empt. & vend. l.10. ſi oleum. §. Labeo. de dol. l.50. Labeo. de contr. empt.* ¶ Nec eorum ſententiæ patrocinatur ſponſionis exemplum apud Vlpianum: in qua cum eo, qui anulos depoſitos victori non reddit, præſcriptis verbis agitur. *l.17. ſi gratuitam. de praeſcript. verb.* Tum quòd vna res duntaxat, eáque controuerſa apud ſequeſtrem deponitur verſ. [rem de qua controuerſia eſt:] Græci hic ἐπίδικον παρατίθεται πρᾶγμα. & *d. tit. vlt. lib.13.* φιλονεικίας αὐτοῖς ἤγουμένης. At ibi nulla de anulo lis mota dicitur: Duo ſponſione certantes, anulos ea lege depoſuerunt, vt victor pro præmio victi auferret annulum. Neq; verò pignus eſt: nec alter alteri debitor creditórve proponitur: nec propriè depoſitum: quod non victori, ſed deponenti ſoli omninò reddi oporteret. *l.1. §. ſi prædo. ff. depoſit. l. pen. C. eod.* Itaque tutius eſt præſcriptis verbis experiri. *l.18. ſi apud. l. ſeq. de praeſcript. verb. arg. l.1. de æſtimat. act.* *Occurrenti & quaſi ſequenti.* ¶ id eſt μεσεγγυητῇ. qui vt Palæmon alter paſtoribus muſicum certamen depoſito pignore inſtituentibus occurrit. ¶ Sequeſtrem & Sequeſtrem & Seculnam à ſequendo deducit, quòd eius qui electus eſt, vtraque pars fidem ſequatur. Gellius *lib.20. cap.10.* Iſidorus *lib.10. Etymolog.* Macrobius. *Saturnal. lib.3. cap.17.* in gloſſario vetere Sculna exponitur σωματοφύλαξ. Tertullianus *de reſurrectione.* [Hic ſequeſter Dei atque hominum appellatur, ex vtriuſque partis depoſito commiſſo ſibi, carnis quoque depoſitum ſeruat in ſemetipſo arrhabonem ſummæ totius. & *poſt paulo.* In depoſito eſt vbicunque apud Deum per fideliſſimum ſequeſtrem Dei & hominum IESVM CHRISTVM: qui & homini Deum, & hominem Deo redderet.] Quo ſenſu idem Apoſtolo μεσίτης θεοῦ καὶ ἀνθρώπων nominatur. *Occurrenti & quaſi ſequenti.* ¶ Non deeſt qui hunc verſum ideò deprauatum ſuſpicetur, quòd abſurdè quis iiſdem occurrere, atque idem ſequi videatur: Qua ſuſpicione facilè liberetur: ſi nullum, in iis quæ coniunctim dicuntur, ordinem obſeruari: neque quicquam, vtrùm priùs

 poſt

poſteriúſve ſcribatur aut dicatur intereſſe meminerit. *l.14.quidam. de pecul.leg.* Seneca *epiſt.60.* [Sequuntur pericula & occurrunt. *l.27.petens. C.de pact.* ſtipulatione, quæ placiti ſeruandi cauſa ſecuta eſt:ſeu anteceſſit pactum, ſeu pòſt ſtatim interpoſitum ſit.] Vbi vir doctus, mendoſè *ſecuta* vulgaribus in libris, pro *facta* ſcriptum arbitratur. *Committuntur.* ¶ Id eſt commendatur, deponitur, quod à pluribus in ſolidum certa conditione cuſtodiendum reddendúmque traditur. *l.6.propriè.depoſ.* Neque enim ſequeſter poſſidet, ſed cuſtodit tantùm. Rei enim nō modò proprietas ſed & poſſeſſio apud deponētes manet. Niſi nominatim, ea depoſitione id agatur, vt depoſita poſſeſſio in ſequeſtrē tranſlata, neutri litigantium proſit. *l.17.licet.depoſ.l.39.intereſſe.de adq.poſſ.* Neque enim in hoc poſſidet, vt rem vſucapiat, ex eáve perceptos fructus interim ſequeſter faciat ſuos: ſed poſſeſſionis omne emolumentum victori ſeruet: quaſi non tam verè poſſeſſor ipſe ſit, quàm alienæ poſſeſſionis inſtrumentum: Mulieris prægnantis exemplo, non ſibi, ſed ventri, partuiq́; naſcituro poſſidentis. *l.5.de vent.in poſſ.mit.*

CXI. IABOLENVS lib. vj. ex Caſſio.

CENSERI eſt conſtituere, & præcipere. Vnde etiam dicere ſolemus, cenſeo hoc facias: & ſemet aliquid cenſuiſſe. Inde Cenſoris nomen videtur eſſe tractum.

ALCIATVS.

CENSERE. ¶ Cenſere propriè eſt ſententiam ſuam exponere. *l.item.§.pridie.de petit.hered.* & conſtituere. Solebant autem à Cōſulibus Senatores interrogari, quid fieri placeret: Populus verò Romanus, vellet, iuberétne. Quapropter ſenatum cēſuiſſe, populum iuſſiſſe, rectè dicimus. Hocq́; loquendi modo plena ſunt antiquiorum autorum volumina: quamuis & cēſere ſit præcipere: quæ enim cenſuerat ſenatus, obſeruanda omnino erant. *§ S.conſultum. inſti.de iur.nat.* Hinc & cenſores dicti, qui quinto quoq; anno de ciuium moribus iudicarent, præſentis tranſactæq́; vitæ rationem perquirerent, indignos honoribus abdicarent, famoſos notarent, publica locarent, cenſum ciuium peragerent, perquàm neceſſarius rectè inſtitutis vrbibus magiſtratus, qui tamen hodie nuſquam eſt, cùm ea quæ ad auaritiam pecuniarúmq; æruſcarionem pertinent officia, mirum in modum coaluerint, vbiq; laqueos tendentibus Satrapis, hallucinantibus Theologis, adulantibus Iuriſconſultis, perſuadentibúſq; omnia principibus licere, ſummámq; eorum & liberam eſſe poteſtatem. ¶ Quod certè in Italia verum non eſt: Romani enim cæteris Italis fœdere in ſocietatem attractis, in Auguſtum lege regia non niſi ius transferre potuerunt, quod ipſi ex fœdere habebant: vt ridiculum ſit affirmare, Pontificibus, Ducibus, & quos Germanica voce Marchiones vocāt, abſolutam in ſubditos poteſtatem competere, quæ nec ipſi Imperatori in Italos competit, vnde illi cauſam habent. Atque hinc eſt quòd ſuprà in tractatu de cenſibus, *l.1.§.de cenſ.* ius Italicum à prouincialium iure diſtinguitur: illi in cenſum vniuerſas facultates deferre tenebantur, & tributum ſoluebant: ita liberi erant, æquóque cum Romanis iure agebant. ¶ Solæ antiquam indolem retinuerunt in Germania ciuitates, quas illi francas vocant: vt enim Imperatoris faſtigium libenter agnoſcunt, ita tributis ſe atteri, violentia vrgeri, tyrannide opprimi non patiuntur.

BRECHÆVS.

CENSERE. ¶ Verbum Cenſendi multas & varias habere ſignificationes proditum eſt à Latinę linguæ architectis. Quippe Cenſere nonnunquam iubere eſt. Cic. *lib.1.officio.* Sēper cum Gręcis Latina coniunxi, neq; id in philoſophia ſolùm, ſed in dicēdi exercitatione: idem tibi cenſeo faciendū, vt par ſis, &c. Verba ſunt Ciceronis patris ad Ciceronem filium quem admonet vt exemplo ſuo literas perdiſcat. Idem, inquit, tibi cenſeo faciendum, id eſt, iubeo. Eſt etiam cenſere, deliberare & ſententiam ſuam dicere. Vnde dicebant, [Senatus cenſuit, populus decreuit, &c.] Bud. *in Annotatio. ad leg. poſterio. de orig. iur.* ſcripſit Cenſere id eſſe quod nunc opinari dicunt, ἐνάγειν ψῆφον: & προθεῖναι ψῆφον cenſendi poteſtatem facere, & calculum proponere, apud Demoſthen. Cenſere præterea idem eſt quod ſuccenſere apud Varronem. Ne vobis, inquit, cenſeam, ſi ad me referretis. Cenſere item eſt τιμᾶν & τιμᾶν mulctare, corrigere, & nota afficere: vnde & Cenſores dicti, quinto quoque anno, vt ait Aſconius, creari ſolebant. ¶ Hi prorſus Ciues ſic notabant, vt qui Senator eſſet, eiiceretur Senatu: qui Eques Romanus, equum publicum perderet: qui Plebeius, in Ceritum tabulas referretur, & ærarius fieret: ac per hoc non eſſet in albo centuriæ ſuæ, ſcilicet ad hoc vt eſſet ciuis, ſed tātummodo vt pro capite ſuo tributi nomine æra penderet. Iidem, completo quinquennio luſtrabant, & *Solitaurilia* ſacrificia de ſue, oue, tauro faciebant. Eorum notam ſucceſſores plerunque ſoluebant. Hæc hactenus Aſconius. Multa item alia de Cenſoria poteſtate Luc. Feneſtella. *cap.de Cenſoribus* tradidit. Cenſores igitur quinto quoque anno populum luſtrabant, i. purgabant in campo Martio. Primus omnium Seruius rerum luſtrum inſtituit: inſtructum exercitum *Suouetaurilibus* luſtrauit, i. ad luſtrandum populum ſuem, ouem, taurum immolauit: quod poſtea Cenſores exequuti ſunt. Inde luſtrum appellatum. Munus cenſorium erat cenſum agere: apud quos etiam vnuſquiſq; tenebatur nomen & rem profiteri. Id poſtea, inquit Liuius, Cenſores tenuere, vt populum recenſerēt: nomina Ciuium & eorum cenſum in tabulas referrent, ac tandem luſtrum conderent. Cic. *in Orat. pro Aulo Cluentio,* dicit Cēſores eſſe præfectos moribus: magiſtros veteris diſciplinę & ſeueritatis. Liu. *lib.4.* Cenſores vacui ab operū locandorū cura propter inopiam ærarij ad mores hominū regendos animū aduerterunt, caſtigandáq; vitia quæ velut diutinos morbos ægra corpora ex ſeſe gignunt, nata bello erāt. Et idem *lib.10.decad.4.* in concione Q. Cæcilij Metelli ad Cenſores. Nō obliti, ait, ſumus Cenſores, vos paulò ante ab vniuerſo P.Ro. morib. noſtris præpoſitos eſſe: & nos à vobis & admoneri, & regi, nō vos à nobis debere.

Aulus

Aulus Gellius *lib.4.noctium attic. cap.12.* Si quis agrum ſuum paſſus fuerat ſordeſcere,eúmque indiligenter curabat,ac neque arauerat,neque purgauerat, ſine quis arborem ſuam vineámque habuerat derelictim, non id ſine pœna fuit : ſed erat opus cenſorium,cenſoréſque ærarium faciebant. Item ſi quis Eques Romanus equum habere gracilentum,aut parum nitidum viſus erat, impolitiæ notabatur. Poſt annum vrbis conditæ 400. ferè & 70. quo tempore bellum cum Rege Pyrrho ſumptum eſt C.Fabric. Lucinus,& Q.Æmylius Papus cenſſ.Romæ fuerunt : & P.Cornelium Ruffinum,qui ſecun. Coſ.& Dict.fuerat,Senatu mouerunt : cauſámque iſti notæ ſubſcripſere,quòd eum comperiſſent argenti facti cœnæ gratiâ decem pondo habere.Quod etiam ipſe Gellius teſtatur *lib.decimoſeptimo, capitulo viceſimoprimo,& eodem vltimo.*Vide multa alia de nota cenſoria apud Budæum *in annota.* Cenſorem M.Varro dictum tradit *in libro de lingua Latina,*quòd ad eius cenſionem,id eſt,arbitrium cenſeretur populus.At verò tametſi grauis eſſet nota cenſorum,iudicij tamen vim nullam habebat:animaduerſionéſque illas cenſorias,præiudicia tantùm fuiſſe conſtat,non iudicia. ¶ Nam qui à cenſoribus notati aut præteriti fuerant , poſtea poſtulari ad ſubſellia poterant : vbi niſi damnarentur, pro nihilo erat cenſoria animaduerſio:ignominioſa nihilominus erat.Cicero *libro quarto de Republ.*Cenſoris, inquit , iudicium nihil ferè damnato adfert præter ruborem. Itaque quòd omnis ea iudicatio verſatur tantummodo in nomine animaduerſio illa ignominia dicta eſt. Cætero,cenſeri eſt precium & æſtimationem mereri,à Græcis *τιμᾶν*,vt admonuit Budæus *in Annota.*

Fornerivs.

CENSERI. ¶ Iabolenus libros 15.ex Caſſio ſcripſit:hoc caput ex 6.ſumptum:in quo varij nec vnius argumenti tractatæ quæſtiones difficiliorem fontis , vnde hic riuulus ducitur, inueſtigationem efficiunt:Reliquiæ aut de iure patronatus,operis libertorum,ſtatuliberis ferè ſunt.*l.21.opera.l.33. impoſ.de oper.libert.l.28.ſi heredis. de ſtatulib.*aut de adoption.aut de iuriſdictione, muneribus & honoribus.*l.2.de iuriſ.l.12.cui.de mun. & hon.* denique nuſquam in his libris habita de cenſoribus mentio, ne ad quam certam iuris partem hæc definitio referatur, confirmare auſim, impedit. ¶ Cenſere decernere eſt & conſtituere. Cicero Lentulo, [Craſſus treis legatos decernit , nec excludit Pompeium. cenſet enim etiam ex iis qui cum imperio ſunt.] Seneca in Ludo de morte Claudij , inducit Iouem aduocato Deorum ſenatu,[Ego,inquit,pro ſententia mea hoc cenſeo:atque ita ex tabella recitauit,&c. *Semet aliquid cenſuiſſe.* ¶ Græcorum conuerſio quanuis cum editione Florentina conſentiat , (*καὶ τὸ καθ' ἑαυτὸν τίμιον κεκρικέναι*) Vulgatam tamen ſcripturam (*Senatum aliqui cenſui.*) non omninò repudiauerim:cùm ſolemnis illa ſenatuſconſulti clauſula,ſingularibus literarum notis D.E.R. I.C.*de ea re ita cenſuerunt*,toties occurrat,apud Ciceronem,Frontinum de aquæductib. *l.2.ad Sc.Vel. l.20.item veniunt.§.prædic.de pet.her.* & ſexies in Pandectis hoc initio reſpondeatur,*Senatus cenſuit.l.3. de edend.l.1.de vſufr.ear.rer.l.52.ſenatus cenſuit.de contr.empt. l.35.ſenatus.de mort.cauſ.don.l.14.ſenatus. de accuſ.l.15.ſenatus.de iur.fiſc.*& illud *nihil nouandum cenſeo.l.1.de reb.eor.*Feſtus *de ſenatuſconſultis,qui hoc cenſetis,illuc tranſite,qui alia omnia in hanc partem.*Sillius Italicus.*lib.2.*[Factáque cenſendi patrum de more poteſtas.] Sed plura de re ſat nota piget exempla congerere. *Cenſoris nomen.* ¶ Cenſuræ initium fuit rei à parua origine ductæ,quæ deinde tanto incremento aucta eſt (inquit T.Liuius *deca. 4.lib.1.*) vt morum diſciplinæque Romanæ penes eam regimen ſenatus, equitúmque centuriæ decoris dedecoriſque diſcrimen ſub ditione eius magiſtratus, publicorum ius , priuatorúmque locorum, vectigalia pop.Rom.ſub nutu atque arbitrio eſſent.& poſt,cenſores ab re appellati ſunt. Aſcon.Pædianus *in Cicer.diuinationem,*ait:Regendis moribus ciuitatis cenſores quinto quoque anno creari ſolitos. Hi prorſus ciueis ſic notabât,vt qui ſenator eſſet,eiiceretur ſenatu:qui eques Romanus,equũ publicum perderet:qui plebeius,in Ceritum tabulas referretur & ærarius fieret. ¶ Exempla animaduerſionis ac notæ cenſoriæ petere licet à Cicer.*Cluentiana,& lib.4.de rep.*Val.Max.*lib.2.c.4.*Gel.*lib.4. c.20.lib.7.c.vlt.*Idem ſingulorum ciuium facultatibus cenſendis æſtimandíſque præerant, vt Dionyſ. Halicarn.*lib.4.*ſcribit,& Theophilus *tit.de iis qui ſunt ſui vel al.iur.*Quamobrem apud Sudam cenſor exponitur, *τιμητὰς ῥωμαῖοι ὀνομάζουσι τοὺς ἐξετασταὺς τῶν πολιτικῶν πραγμάτων πρὸς τὸ εὔφρον καὶ ἀρχαιότροπον ἑκάστου τῶν πολιτῶν ἐπιστρέφοντας τὸν βίον.* ¶ Extſtat apud Treb. Pollionem Decij ad Valerianum epiſtola, qua ſic poteſtas & officium Cenſorum deſcribitur,vt mihi inſtar accuratioris expoſitionis ſubiicienda videatur. [Totius orbis humani ſuſcipe cenſuram,quam tibi detulit Rom.reſpublica : quam ſolus mereris,iudicaturus de moribus noſtris. Tu æſtimabis, qui manere in curia debeant, tu equeſtrem ordinem in antiquum ſtatum rediges : tu cenſibus modum pones,tu vectigalia formabis,diuides ſtatum, reſpublicas recenſebis : tibi legum ſcribendarum auctoritas dabitur:tibi de ordinibus militum iudicandum eſt:tu arma reſpicies:tu de noſtro palatio,tu de iudicibus,tu de præfectis eminentiſſimis iudicabis. Excepto denique præfecto vrbis Romæ, exceptis coſſ.ordinariis,& ſacrorum rege,ac maxima virgine Veſtalium : ſi tamen incorrupta permanebit,de omnibus ſententias feres.] Hæc ille. Ex quibus, iiſque quæ à Dione ſcribuntur, quanta ſit vt cæteris in rebus humanis mutatio,ſic in magiſtratibus & reip.muneribus viciſſitudo cognoſcitur. ¶ Porrò de Auguſti edicto,cuius Euangel. Lucæ mentio habetur : quo inſtituit vt vniuerſæ ciuitates,& priuatim & publicè res ſuas ruſticas & vrbanas profiterentur,Dion *lib.56.*& Caſſiod.*lib.3.epiſt.52.* [Auguſti ſi quidem temporibus orbis Romanis agris diuiſus, cenſuque deſcriptus eſt,vt poſſeſſio ſua nulli haberetur incerta, quam pro tributorum ſuſceperat quantitate ſoluenda.] Ex quo titul. de Cenſibus pendet interpretatio:& cenſualis profeſſio,& magiſter cenſus,apud quem deponebantur tabulæ publicæ & priuatæ, rerúmque eum priuatis contractatum inſtrumenta aſſeruabantur. *l.30.orphanotrophos.l.36.repetita.C.de epiſc.& cler.l.18.teſtamenta.l.23.conſulta.C.de teſtam.l.vlt.C.de iur.emphyt.l.2.l.4.C.de prime.agen in reb.l.30.in hac.l.32.ſecundum.C.de donat.l.vlt.C.de mun.& hon.* Amm.Marcellin. *lib.19.Nouel.Leonis 42.* Ipſe etiam nonnihil

lib.t

lib.1.cap.24.ſelectionum diſſerui.

CXII. IDEM lib. xij. ex Caſſio.

LITTVS publicum eſt eatenus, quà maximè fluctus exæſtuat. Idémque iuris eſt in lacu, niſi is totus priuatus eſt.

ALCIATVS.

LITTVS. ¶ Quod de littore maris ſuprà vidimus, producitur per Iuriſconſult. etiam ad lacus, dum tamen priuati non ſint: ſed & ſi Reipublicæ ſit, qui ſoleat piſcatoribus locari, vt eſt Thraſimenus Peruſij, videtur priuatorum naturam ſequi, idque in alluuionis tract. Bartol. probat. *Verbo flumen. in fi.* Publicum ergo lacum propriè accipiemus, qui in vſu publico ſit, & in quo vnicuiq; piſcari fas eſt. Sanè lacus eſt, qui perpetuam habet aquam. *l.1. vt in flum. pub.* Stagnum, quod temporalem, vt ſi hyeme tantùm. Foſſa receptaculum eſt aquæ, manu factum. ¶ In eo autem priuatus lacus à publico differt, quòd publicus eatenus publicum littus habet, quatenus hybernus fluctus maximus exæſtuat: at in priuato id tantùm littoris conſtituitur, quatenus actum eſt. *l. rutilia. de contr. emp.* & in eius venditione tempus contractus obſeruamus.

BRECHÆVS.

LITTVS: ¶ Vſqueadeò littus omni hominum generi commune eſt, vt interim in nullius hominis ſingularis, at populi totius & multitudinis patrimonio cenſeatur eſſe, argument. *l. vulgo concepti. ff. de ſtatu hominum.* Hac ſi quidem ratione, quod adhuc in naturali primáq; libertate ſua permaneat, quæ ante occupationem fuit. *l. quod in littore. ff. de acq. rer. dom.* ¶ Idem quoque de lacu dicendum Iabolenus cenſuit: niſi in priuati alicuius patrimonio omnino repoſitus ſit. Multa de littoris ſignificatione ſuprà tradidimus.

FORNERIVS.

LITTVS. ¶ Littora publici iuris eſſe iuriſconſultis placere, ſcribit ad Trebatium M. Tullius: idque quà maximus fluctus eluderet. *l.96. littus. ſ. h. tit.* quod & in definiendo lacu publico obſeruatur. *l. vn. de rip. mun. l.1. §. caput. de aqua quot. l.3. §. ſi aqua. de riuis. l. vn. de fonte.* Ex quo fit vt in littore publico ædificandi & paſcendi cuique ius ſit: itidem & in lacu publico: & quod in vtroque inuentum fuerit, occupanti concedatur. *l.5. riparum. l. ſeq. de rer. diui.* Deinde, publicanus, qui lacum (vt Lucrinum, de quo Feſtus) a municipibus conduxerit, ſi piſcari prohibeatur, vtile interdictum competat, ob vectigalis fauorem. *l. vn. ſ. vt in flum. publ.* Poſtremò in eum qui in iniuriam publicam lacum ſpurcarit, aut contaminarit, grauiter animaduertatur. *l.1. de extraordin. crimin.* Excipit Iabolenus. *Niſi is totus priuatus eſt.* ¶ Lacus quidam priuati iuris ſunt, & in ſingulorum dominio, in quibus ſiue creſcentibus, ſiue exareſcentibus non agnoſcitur alluuio, terminos retinent ſuos, eiuſdémque cuius priùs erant, domini manent. *l. antep. de aqu. plu. l.12. lacus. de acq. rer. dom. l.69. Rutilia. de cont. empt.* Cùmque eſſent priuati iuris piſcatorij, & portus à priuatis in cenſum deferebantur. *l.4. de cenſib.* Aliena enim deferre non licebat: certe falſa eiuſmodi poſſeſſio nec domino nocuiſſet, nec profitentem dominum effeciſſet. *l. antep. de acq. rer. dominio. l.25. ſolemnibus. C. de reiuend.* Et quanuis mari (quod omnibus natura patet) ſeruitus imponi priuata lege nequeat. *l.13. venditor. comm. præd.* Tamen ſi lacus perpetuus in fundo eſt, nauigandi quoque ſeruitus, vt perueniatur ad fundum vicinum, imponi poteſt. *l.23. via. de ſeru. præd. ruſtic.* Perpetuus, inquit Paulus *lib.15. ad Sabinum.* Nam vt idem *eod. lib.* ſcribit, Omnes ſeruitutes prædiorum perpetuas cauſas habere debent: & ideò neque ex lacu, neque ex ſtagno concedi aquæductus poteſt. *l.28. foramen. de ſeruit. præd. vrb.* Obiter autem inde obſeruare licet, Paulum dum lacus alios perpetuos, alios non perpetuos conſtituit, ab Vlpiano (qui lacum quod perpetuam aquam, ſtagnum, quod temporalem haberet, definiit) diſſenſiſſe. *l. vn. vt in flum. pub.* ¶ Sed vt ad rem redeam, priuati iuris ſunt lacus & ſtagna, quæ poſſidendo piſces quoque poſſideri videntur. *l.3. §. item feras. de acq. poſſeſſione.* vnde ius piſcandi diuerſum in lacu & in mari. Qui quemquam in mari piſcari, vel euerriculum ducere prohibet, iniuriarum conuenitur. Ne antè ſuum quidem Prætorium piſcari alium prohibebit: quia mare ſit omnium commune: & littora, ſicut aër. [Vſurpatum tamen nullo iure *Vlpian. ait.* Vt quis prohiberi poſſit, ante meas ædes, vel prætorium meum piſcari. Quare ſi quis prohibeatur, iniuriarum agi poſſe: In lacu tamen qui dominij mei eſt: vtique piſcari aliquem prohibere poſſe.] *l.13. iniuriarum. ſi. de iniur.* ¶ Incurrit huc controuerſa de piſcandi iure quæſtio, de qua diuerſa Martianus ac Papinianus ſenſiſſe feruntur. Ille ait. [Eum qui in fluminis publici diuerticulo ſolus pluribus annis piſcatus ſit, alterum eodem iure vti prohibere poſſe.] *l.7. ſi quiſquam. de diuerſ. temp. præſcrip.* Hic contrà. [Præſcriptio, inquit, longæ poſſeſſionis, ad obtinenda loca iuregentium publica concedi non ſolet.] *l.45. præſcriptio vulgò. l. vlt. de vſurp. & vſuc.* Idque duobus confirmat exemplis, quorum prius (depoſito in littore, poſteáque funditùs diruto, derelictóue ædificio) propter ancipitem variámq; ſcripturam paulò obſcurius: Poſterius de piſcatione apertius: quo exceptionem dari oportere negat. Hæc mihi nulla inter ſe pugna videntur diſſidere: vt non ſint audiendi, qui vel Martiano negationem addendam arbitrantur: vel mutilum ipſius reſponſum arguunt. Non enim ille de mancipij ſeu proprietatis vſucapione, ſed de ædificandi piſcandíque, (quod cuique patet) iure agit: De quo idem ipſe, *eodem li.3. inſtitutionum. vnde eſt d. l.7. ſi quiſquam,* diſſeruit. Licere omnibus in mari piſcari, caſam qua ſe recipiat in littore ponere: in tantùm vt & ſoli domini conſtituantur, qui ibi ædificant, *l.5. de rer. diuiſ.* Domini inquam, ædificij, non ſoli: vt ſint quaſi ſuperficiarij: & quandiu ædificium manet. quo dilapſo, quaſi poſtliminij iure locus ad priſtinam cauſam reuertatur: vt ſi quis alius eodem in loco ædificauerit, ipſius quoque fiat. *l.6. in tantum. de rer. diuiſ.* Quandiu ergo poſſidet, exceptionem alteri

alteri piſcaturo,poſſeſſionémque ſuam interpellanti opponet. Si verò non de iure,ſed proprietate ac dominio diuerticuli publici fluminis obtinendo agatur,præſcriptio ceſſabit. *d.l.præſcriptio.al.l.vlt.de vſucap.* Quemadmodum ſolum publicum priuati ædificio occupari non debet: ſed tollendum ædificium eſt:ſi noceat:ſin minus,ſoli occupati nomine penſio ſeu ſolarium penditur.*l.2.§.ſi quis nemine.ne quid in loc.pub.*Caſſiodor.*lib.3.epiſt.31.*Sic ſi quid nauigationi obſtet tollendum eſt.*l.2.de flumin.& tot. ſeqq.arg.d.l.13. venditor.* Quo alludens Seneca, [Paterno agro & auito expellor, inquit, quid ante auum tuum,quis iſtum agrum tenuit? Cuius non dico hominis,ſed populi fuerit,expedire potes? Non dominus iſtò,ſed colonus intraſti.Cuius colonus es? Si bene tecum agitur,heredis. Negant Iuriſconſulti quicquam vſucapi, quod publicum eſt. Publicum eſt hoc quod tenes,& quidem generis humani.] Hæc ille Stoicè diſputans.*lib.13.epiſt.89.*

CXIII. IDEM lib. xiiij. ex Caſſio.

MORBVS ſonticus eſt,qui cuique rei nocet.

ALCIATVS.

MORBVS. ¶ Lege 12.tabularum qui morbo laborabat in ius venire non cogebatur,niſi aduerſarius iumentum illi dediſſet,vel plauſtrum,quo veheretur. Accipit autem ea lex morbum pro aliqua imbecillitate & inualentia, alioqnin vbi vitæ periculum vertitur, morbum ſonticum appellat,quaſi maiore, vimque nocendi habentem, vt Sext. Cæcilius Iuriſconſultus apud Aulum Gell. interpretatur. Hoc morbo qui affectus erat,neque in ius venire ſed nec procuratorem mittere cogebatur.*l.2.§.ſi quis in iudi.*̄*ſi quis caut.* ſententiáque aduerſus eum lata nullius erat momenti. *l.quæſitum.de re iudi.* iubebat enim lex iudicij diem eſſe diffiſſum, cuius nominis rationem ex Seruio grammatico *in 6.Æneid.* commentario colligere licet. Is in iure diem fiſſum dici interpretatur, qui partim religioſus,partim faſtus eſt.Idem opinor qui & interciſus à Macrob.appellatur. Cùm ergo aliqua negotia expedienda erant,quæ propter religionem differre oportebat,dies diffindebatur,id eſt,ſcindebatur in ſequentem. Meminit huius vocis præter Aulum Gellium Liuius quoque *ab vrbe condita lib.9.*Sed & Horatius *lib.2.Sermon.* Nihil hic diffindere poſſum,id eſt,differre, quo minus pro te pronuntiem. Atque ita ipſe ſentio, licet indiſcuſſum id verbum Politianus *in Miſcellaneis. cap.40.*reliquerit, idcirco non omnes ſuam in ſententiam trahere potuerit. ¶ Sanè iuriſconſultus hic ſimpliciter ſonticum morbum diffinit, qui cuique rei, intellige de qua agitur, nocet. Et ideò ne quis in ius veniat,ſonticus morbus accipietur,qui grauior eſt nocétque,ne venire poſſit,vt magna febris. *d. l. quæſitum.* ne verò mancipium veniat,ſonticus accipietur,perpetuus vel reciduus. *l.fi.de ad.ed.* non enim eſt veriſimile emptorem,ſi huiuſmodi morbo laborare ſeruum ſciuiſſet,fuiſſe empturum.

BRECHÆVS.

MORBVS. ¶ Suprà ſatis docuimus quid morbus ſignificet: quando ſit perpetuus,quando verò κατ' ἐπίδοσιν inuadere dicatur:nunc quid ſit morbus ſonticus,videndum eſt. ¶ Tradit Feſtus Pompeius verbum Sontire ſignificare aliqua in re obeſſe & grauiter nocere: vnde Sonticus morbus qui rebus agendis ac negotiis conficiendis obeſt nocétque. Elius Stilo,vt ſcribit P.Crinitus *lib.25.de honeſta diſciplina.cap.11.* ſonticum exiſtimauit pro noxio dictum: vnde ſontes homines pro noxiis & deperditis. Hanc tamen vocem,ſontire, propter nimiam antiquitatem atque inſolentiam magis intelligendam eſſe quàm vſurpandam. Quoties,inquit Venuleius,morbus ſonticus nominatur,eum ſignificari Caſſius ait qui noceat: nocere autem intelligi,qui perpetuus eſt.non qui tempore finiatur. Sed morbum ſonticum eum videri,qui inciderit in hominem poſtquam ſanatus ſit.Sontes enim nocentes dicuntur. Hoc *in l.fi.ff.de ædil.edict.* Qui igitur morbus non omnino ſanatus eſt, at poſtquam ſanatus eſt redit aliqua ex cauſa,ſonticus dicetur. Cauſam autem cur morbus recidiuus ſit,Hippocr. *lib.2. Aphoriſmorum* tradit *Aph.12.* videlicet τὰ λειπόμενα τῶν μοχθηρῶν χυμῶν μετὰ κρίσιν quando poſt iudicationem aliquid humoris noxij morbúmque facientis relinquitur, quod vel naturæ vis non euicerit & concoxerit, vel pharmaci facultas non expulerit. τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα ἐν τῇσι νούσοισι μετὰ κρίσιν ὑποστροφὰς ποιέειν εἴωθεν. Sic etiam reliquiæ morbi paulatim ſoluti recidiuam faciunt: regenerat morbum priori ſimilem: ſed tamen aliquando diuerſi generis. Nam recidiuas prioribus diſſimiles faciunt hæc tria,generatio alterius humoris ex vitioſa diæta: regeneratio ſanguinis in alium humorem, mutatio partis, vt cùm ex largo potu in quartana pituita gignitur. Hæc enim relicta & putreſcens in primis quidem venis facit quotidianam: hepar obſtruens, hydropen: in articulos decumbens, arthritidem. Hos itaque morbos, iuxta Venuleij ſententiam, ſonticos rectè appellauerimus. & vt Aulus Gellius *lib. 20. noct. Attic. cap.1.* ex Sext.Cæcilio Iureconſult. & Phauorino Philoſopho ait, vehementiores morbos vim grauiter nocendi habentes: quos tamen non per ſe morbos, ſed ſonticos appellant. ¶ Iam verò qui morbis id genus detinerentur, is παρ' ἑαυτῷ διαστρέφειν, vt Demoſthenicis & Platonicis verbis vtar, & vt ſiſteret in iudicio non poterat compelli, ſed iubebat iudex diem diffindi. Iulianus *in l.quæſitum.§.ſonticus.ff.de re iud.* Quod ipſum quid ſit,conſule Budæum *in annot.ad l.2.ff.ſi quis caut.* Id nempe ex bono & æquo factum exiſtimat Alexan.ab Alexandro *lib.6.genial.dier.cap.10.* quòd lex, ſi cliens morbo ſontico impediatur, iubet diem iudicij diffuſum. Siquidem ſequuti iureconſulti legem xij.Tab.interpretari,morbo impedito iudiciorum tempora dilabi voluere. ¶ Hę verò dilationes quæ propter ſonticum morbum aliámne iuſtam ac legitimam cauſam iureiurando poſtulabantur & impetrabantur,à Græcis ὑπώμοτοι ἀναβολαὶ dicuntur,& ὑπωμοσίαι,Budæo teſte.

FORN

FORNERIVS.

MORBVS. ¶ Paulò liberiùs à Græcis hæc Iaboleni definitio conuerſa videri poſſit, νόσος ἐλάττωσίς ἐστι, ἡ ἐπὶ ἔστιν πράγματι λυμαινομένη: quòd labefactet, corrumpat, perniciem rei internúmque afferat: Imò noceat tantùm & negotio gerendo ſit impedimento. Alioqui non morbus eſſet, ſed vitium. *l.101.inter. ꝺ.h.t.* ¶ Sunt autem Iuriſconſultorum definitiones ad ſubiecti argumenti conditionem aptandæ potiùs, quam veteratoriè ad ſeueriorem dialecticarum legum normam exigendæ. Non hic igitur de morbis vitiiſque, quorum nomine redhibitio mancipiorum ſequitur. *l.vlt.de ad.ed.* ſed de excuſationum quæ in multis negotiis obtenduntur, cauſis agitur. vt in vadimoniis obeundis, rebus iudicandis, &c. Tutor ob valetudinem aduerſam impeditus, quòd auctor ſactus non ſit, non tenetur. *l.10.inter.de auct.tut.* Si nemo eos defendat, quibus permiſſum eſt corpus habere collegij, ſocietatis, reipub. res communes eorum poſſidebuntur: & ſi moniti non excitentur ad defenſionem ſui venire iubebuntur: abſentia & morbus à Caio comparantur, [Et quidem non eſſe actorem, inquit, vel ſyndicum, tunc quoque intelligimus, cùm is abſit, aut valetudine impediatur, aut inhabilis ſit ad agendum.] *l.1.quod cuiuſ.vniuerſ.* Miles qui ad delectum citatus non venit excuſatur. Polyb. *lib.6.* A.Gellius *lib.16.c.4. l.4.de re milit.* Item qui iudicandæ rei operam dare non potuit, morbo vel infirmitate impeditus. *l.18.ſi longius.l.46.iudex.l.75.ſi prætor.ff.de iudic. l.21.quid tamen.§.ſi quis.de arbitr. l.4.de re milit.* ſecundum hoc Athalaricus rex Abundantio præpoſito, de vacatione militi ob morbum tribuenda, in hæc verba reſcripſit: [Nam & iſte quidem rationabilis ordo eſt, militia tandem ſoluere qui impares laboribus probantur exiſtere. Curialis enim ſi nulla valetudine corporis continetur, ad ſolas deceptiones apponitur: & dum adeſſe quid prodeſt, ſi eum continget defectum viribus inueniri? Similis quippe eſt abſenti, à quo non potuerint imperata compleri.] Caſſiodor. *lib.9.epiſt.4.* Idem in libertis operarum debitoribus aduerſa valetudine interceptis conſtituitur. *l.15.libertus.de.oper.lib.* Cùm non ſtat per me, quominus officio fungar: vi morbi impedito ſalarium de publico nihilominus penditur *in l.4.de offic.aſſeſſ.l.19.ſed addes.ff. l.38.qui operas. l.ſeq.locati. l.1.§.pen.de extraord.cogn. l.poſt duos.C.de aduocat.diuerſ.iudic.* Nulla in eo contumacia argui poteſt, qui iudicio adeſſe, vel in ſenatum venire non potuit: Si modo ſit cauſa ſontica, id eſt iuſta & idonea: Nec enim leuiculus morbus, aut vetus quartana conſiderabitur. *l.53.contumacia. l.60.quæſitum.de re iudic. l.4.de ad.ed.* ¶ Si alter ex litigantibus, vel iudex morbo conflictetur, iudicij dies diffindetur, & in perendinum litis diſceptatio reiicietur. *l.2.ſi quis caut.* legis xij. tabularum verba feruntur hæc, [Si in ius vocat, ſi morbus æuitáſue vitium eſſet, &c.] Morbus in ea lege non febriculoſus, neque nimium grauis, ſed vitium aliquod imbecillitatis atque inualentiæ demonſtratur, non periculum vitæ oſtenditur. Gellius *lib.20.c.1.* Feſtus, Prohibere comitia dicitur vitiare diem morbo, qui vulgo quidem maior, cæteroquin ob id ipſum comitialis appellatur. Vitiare, i. impedire: Cauſa ſontica, vitium, idonea excuſatio, pro eodem Næuius. [Sonticam eſſe oportet cauſam, quamobrem perdas mulierem.] Morbo igitur homines à rebus agendis auocari excuſantur. *l.1.l.2.l.3.C.de iis qui morb.excuſ. l.46.iudex.de iudic.* ne quis in ius, in ſenatum, ad concilum venire cogatur. *l.15.ad perſonas. de iureiur. diſtinct.18.* Cicero *in Antonium. Philippic.1.* [Eáne res agebatur, vt ægrotos venire in Senatum oporteret.] Synodi Conſtantinopolitanæ *can.16.* ¶ Epiſcopus pluſquam ſex menſes abeſſe non debet, niſi à graui morbo, qui omninò ne moueri poſſit, efficiat, detineatur. Sed non quilibet morbus vacationem tribuit. *d.l.60.quæſitum.* Interdum etiam morbum cauſari non ſufficit, veluti tabellioni. Iuſtinianus *Nouel.44.* καὶ μὴ θέλετ' ἰσχῦσαι οἱ συμβολαιογράφοι προφάσει εἰς νόσους τυχὸν ἀναχωροῦντες, ἢ εἰς ἀσχολίας τοιαύτας. Subiicit remedium, ἀξίωσι, &c. Cùm epiſcopus animi corporíſue morbo, ſenio, valetudine præpeditus par muneri obeundo eſſe deſiit, vt ipſum dignitatis gradu deiicere, ita eccleſię negotia deſeri iniquum foret: inuenta ratio eſt, vt curator ei & quaſi cuſtos apponatur: vt Alexandro Narciſſo ſenectute minus idoneo Hieroſolymorum Epiſcopo. Euſebius *lib.6.cap.9.eccleſ.hiſtor.* Curator autem iſte, ſi quidem furioſo datus, qui quando ſanitatem mentis recepturus ſit, ignoretur: omnia planè geret. *arg.l.48.inter.de admin.tut.l.ex. Ambiguitatem.ff.C.de vſufr.c.quamuis.7.q.1.tit.de cler.ægrot.6.cap.grandi. de ſupplen.neg.prælat.6.cap.15. cui.de elect.in 6.*

CXIIII. IDEM lib. xv. ex Caſſio.

SOLVENDO. nemo eſſe intelligitur, niſi qui ſolidum poteſt ſoluere.

ALCIATVS.

SOLVENDO. ¶ An quis ſit ſoluendo creditori ſuo hoc attenditur, vt ſolidum poſſit ſoluere. ¶ Quapropter cùm lex fulloni aduerſus furem actionem det *l.itaque.de furt.* ſi is ſullo domino ſoluendo ſit, niſi poſſit ſolidum dare, concedenda ei non erit actio, ne compellatur dominus ex vno iudicio duo facere: vt videlicet contra fullonem ex locato agat, & quantò minùs conſequetur, aduerſus furem condicat: id enim ei damnoſum eſſet: ſed qui cum duobus contraxit, graue ſibi exiſtimare non debet, ſi contra duos experiundum erit: qua ratione vt quis ſoluendo dicatur, etiam fideiuſſoris facultates ei aggregandæ erunt. *l.ſi plures.§.præterea.de fideiuſſo.* ſatis enim eſt, ſi per alium ſoluendo ſit. *l.nemo dubitat.ꝺ.tit.1.* Sed & qui in nominibus æs ſuum habet, ſoluendo dicitur. *l.facere.vbi Alex.ſol.mat.* compelli enim poterit in executione condemnationis, vt nomina vendat, vel exigat: quod intelligendum ſi debitores idonei ſunt, & bonam fidem agnoſcunt. *l.à diuo.§.ſi.ꝺ.de re iud.* Sanè is cuius bona venierunt, ſuſpectus eſt tanquam ſoluendo non ſit. *l.tres tutores.in fi.de adm.tut.*

Solidum. ¶ Adnotat hinc Accurſius, factum non videri, quod perfectum non ſit. *l.rei.§.ſi.ꝺ.eod.* quæ regula in his procedit, quæ indiuidua appellamus. *Bar.l.gracè.§.illud.de fideiuſ.* Ea quatuor modis accipi receptum eſt: Natura, vt ſeruitutes. Voluntate contrahentium, vt in eo qui in binos arbitros

compro

compromiſerit, vel binos ſymphoniacos emerit:non enim veriſimile eſt altero fuiſſe contentum. Forma, vt in fideiuſſione, quæ principali obligatione grauior eſſe nequit, aliàs penitus vitiatur. Acceſſione, vt cùm quis Iudęo fundum cum colonis Chriſtianis vendit: coloni enim a fundo ſeparari poſſunt. *l. quemadmodum. C. de agric. lib. 11.*

Brechævs.

SOLVENDO. ¶ Iuris ciuilis regula illud conſtat, eum qui pro alio fideiuſſerit, teneri in ſolidum. *l. inter eos. ff. de fideiuſſor.* Id autem locum habet etiam in aliis omnibus qui nomine alieno obligantur: tametſi nuncupatis verbis cautum non ſit in ſolidum eos teneri. Scæuola *in l. creditor. §. duob. ff. mandati.* Paulus *in l. vlt. §. ſi vnus. ff. quod iuſſu.* Aliter tamen in duobus reis conſtituendis, tam veteri quàm nouo iure præſcriptum eſt. Vlpia. *in l. reos. §. cum tabulis. ff. de duob. reis.* Cùm tabulis, inquit, eſſet compræhenſum illum & illum centum aureos ſtipulatos, neque adiectum ita vt duo rei ſtipulandi eſſent, virilem partem ſinguli ſtipulati videbantur. Et è contrario, cùm ita cautum inueniretur: tot aureos dari ſtipulatus eſt Iulius Carpius: ſpopondimus ergo Antonius Achilleius & Cornelius: diuidi in partes viriles debere dixi: quia non fuerat adiectum, ſingulos in ſolidum ſpopondiſſe, ita vt duo rei promittendi fierent. Palam eſt igitur duos reos ſtipulandi pro virili parte teneri ſolum, niſi pacto conuenerit in ſolidum obligari: *authen. Hoc ita ſi pactum. C. de duob. re.* Sed quis eſt Iaboleni ſenſus, ſoluendo neminem intelligendum, niſi qui ſolidum poteſt ſoluere? Certe ſi plures fideiuſſores fuerint, quotquot erunt numero, ſinguli in ſolidum tenentur. *§. ſi plures. instit. de fideiuſſ.* Cuius quidem rei eam eſſe rationem exiſtimant, quòd fideiuſſores & qui pro aliis ſe obligarint, reorum ac debitorum vicem ſubeunt. Vnde ſi debitor bonis ſuis ceſſerit, & cum eo creditor experiatur, defenditur per exceptionem, ſi bonis ſuis ceſſerit. Sed hæc exceptio non datur fideiuſſoribus, ideò ſcilicet, quòd qui alios pro debitore obligat, hoc maximè proſpicit, vt dum facultatibus lapſus fuerit debitor, poſſit ab his, quos pro eo obligauit ſuum conſequi. *§. 1. instit. de fideiuſſo. & §. vlt. instit. de replication.* At ex pluribus fideiuſſoribus nemo ſoluendo eſſe dicetur, niſi qui totum debitum pro quo omnes fideiuſſerint, poſſit eſoluere. Vide in eam rem *l. nemo dubitat.* & ibidem Philip. Decium *ff. de reg. iuris.* Iam verò forſan quæras, ſi fideiuſſorum vnus ſolidum ſoluerit, qualiter a reliquis aliis partes viriles recuperet & reperat? Sanè per beneficium epiſtolæ diui Adriani. De qua re vide *in §. ſi plures.* & ibidem Angel. Areti. *instit. de fideiuſſ.* & Gulielmum Maynerium *in d. l. nemo dubitat.*

Fornerivs.

SOLVENDO. ¶ Soluere eſt facti: nec in numeratione tantùm conſiſtit. *l. 49. ſolutam. de ſolut.* ſed etiam id, quod quis ſe facturum receperit, perficere ſignificat: Victruuius *lib. 10. cap. 6.* Paconius ducendo & reducendo pecuniam contriuit: vt ad ſoluendum non eſſet. Vlpian. [Soluere dicimus eum, qui id facit, quod facere promiſit.] *l. 176. ſolutionis. ꝟ. h. t.* Ideóque pars debiti inuito creditori obtrudi non debet. *§. 1. quib. mod. sol. obl. l. 41. tutor. §. Lucius. de vſur.* ¶ Non eſt igitur ſoluendo, niſi qui poteſt ſolidum ſoluere: ὅλον λύῃ, vel cuius nomine iudicatũ ſolui ſatiſdatur. *l. 95. nemo dubitat. ꝟ. tit. ſeq.* Hanc etiam ſententiam Theologi attigerunt. Gregorius *in Iob. lib. 22. cap. 6.* [Non eſt abſolutus debitor, qui multa, inquit, ſed qui omnia reddidit: nec ad brauium victorię peruenit, qui in magna parte ſpectaculi velociter currit, ſi iuxta metas veniens in hoc quod eſt reliquum, deficit. Nec ad quælibet deſtinata loca pergentibus inchoando prodeſt, longum iter carpere, ſi non etiam totum valeant adimplere.] Etenim quæ in faciendo conſiſtunt: vt ſolutio, operis conſtructio, e ſ ædificatio, partis effectionem non recipiunt. *l. 5. ꝟ. h. tit. l. 72. ſtipulationes non diuiduntur. de verb. obl.* Inde toties in iure dicitur, ſolidum non partem ſolui oportere. *l. 3. C. locati. l. vlt. C. de furt.* ¶ Qui ſoluendo non eſt, poteſt heredem neceſſarium ſeruum manumittere: niſi pignori dederit. Nam oppigneratus non aliter ad libertatem, niſi facta totius debiti ſolutione perueniet. *l. 1. C. de neceſſ. ſeru. her.* Idq́ue propter regulam qua dicitur, *partis ſolutione non liberari pignus.* μέρος καταβάλλων οὐκ ἐλευθεροῖ τὸ ἐνέχυρον. Baſilicôn *lib. 7. tit. 7. l. 19. qui pignori. ꝟ. de pign.* Nec vſurarum curſus, ſortis parte ſoluta vel depoſita ſiſtitur. *l. 19. acceptam. C. de vſur. l. 9. obſignatione. C. de ſolut.* nec pœnæ commiſſum vitabitur. *l. 5. ſi. de verb. oblig.* Nec colonus ſeu Emphyteuta mercedis parte domino depenſa, quominus fundo vel ædibus eiiciatur, efficiet. *l. 2. C. de iur. Emphyteut.* *Solidum.* ¶ Solidum interpretatur Calliſtratus non ſolui, non minus quantitate, quàm die. *l. 85. ſolidum. de ſol.* Videtur autem hoc dixiſſe, cum de fideiuſſoribus tractaret, quomodo & quando locupletes, aut non ſoluendo eſſe intelligantur. Soluendo enim non intelligitur fideiuſſor, niſi qui ſolidum creditori ſoluit. minus autem ſoluit, qui tardius ſoluit. *l. 12. ſi cui. ꝟ. h. t.* Definebam, iámque aliò properans plura hìc notare ſuperſedebam, niſi interpretum me inueteratus, nupérque interpolatus error, quaſi iniecta manu reuocaret. ¶ Inter omneis conuenit fideiuſſores ita obligari non poſſe, vt plus debeant, quàm is debeat pro quo obligantur. Nam eorum obligatio acceſſio quædam eſt principalis obligationis: nęc plus eſſe in acceſſione poteſt, quà in re principali. *§. fideiuſſores. de fideiuſſor. Instit.* Illud autem adſtruunt fideiuſſorem in duriorem cauſam acceptum penitus non obſtringi. Verbi gratia, ſi pro reo promittente x. fideiuſſor in xv. acceſſerit, prorſus inutilis ſit obligatio, ac ne in x. quidem valeat. Quid ita? Tum quòd formula fideiuſſionis, vt quidem illis placet, indiuidua eſt: Tum quòd Vlpiano auctore, [qui pro aliis obligantur, ſi fuerint in duriorem cauſam adhibiti, placuit eos omninò non obligari. *l. 8. græce. §. illud. de fideiuſſor.* Vtraque frigidior ſubleſtiórque ratio. Nec enim alia vnquam fideiuſſionis, quam ſtipulationis concipiendæ formula prodita eſt: cum hæc illi ſemper ineſſe dicatur. *l. 5. de verb. oblig. §. vlt. de fideiuſſ. l. 12. blandum. C. eod.* At ſtipulatio eiuſmodi diuidua eſt. *l. 1. §. ſi ſtipulanti. de verb. oblig.* ergo & fideiuſſio. Si vir cum muliere fideiubeat, ſubducta mulieris perſona tanquam inutili, in viri perſona vtilis manebit fideiuſſio. *l. 48. ſi Titius & Seia. ꝟ. de fideiuſſor.* Harmenopulus *lib. 3. tit. 6. in fin.* Nec verò Vlpiani verba (quæ vt ab Accurſianis relata,

etiam

etiamnum Florentina editione leguntur: Impoſuerunt Haloander & Alciatus, qui ſeciùs euulgarunt.) *eos omnino non obligari*: captari decet. Nec eam habent ſententiam, vt prorſus corruat fideiuſſio. Baſilicôn *lib.7.tit.14.* ὁ ὑπὲρ ἑτέρου ἑαυτὸν παρεμβάλλων, ἐὰν πληρέστερον ὁμολογήσῃ τοῦ πρωτοτύπου, οὐδ᾽ ὅλως ἐνέχεται. non omninò, i. non in ſolidum tenebitur. Africanus, [Mulier & Titius cùm in rem communem mutuarentur, eiuſdem pecuniæ rei facti ſunt, non omnino mulierem pro parte ſocij videri interceſſiſſe dicebam:] & paulò mox, [Tunc pro parte interceſſionem factam videri.] *l.17.vir.in fin. ad Sc.Velleia.* ¶ Illud extra omnem controuerſiam eſt, quem & in partem rei & in partem ſummæ fideiubere poſſe. *l.9.fideiuſſores.l.34.hi qui.l.68.fideiuſſores.de fideiuſſ.* Cùm verò dandæ quantitatis ſtipulationes partium diuiſionem recipiant: & vtile per inutile minimè vitietur. *d.§.ſi ſtipulanti. l.a.de verb.oblig.* Quid vetat quominus reo in .debente, fideiuſſor in 15. acceptus (inutili 5. adiectione detracta) ſaltem in 10. id eſt vtilem quantitatem obligetur? Quemadmodum & re contracta obligatio, vt puta mutuum hactenus valeat, quatenus res interceſſerit. *l.17.ſi tibi.de pact. l.11.rogaſti.§.ſi tibi.ſi cert. pet.* ac promiſſarum ſupra ſtatutum modum vſurarum ſtipulatio, non tota corruat, ſed ad legitimum finem redacta, ac detracto ſuperfluo valeat? *l.9.pecuniæ.l.29.placuit. de vſur.* Si quis c. aureos debens, ducentos conſtituat, in c. tantumodo teneatur, quia ea pecunia debita eſt. *l.11.hactenus.de constit.pec.* Denique ſi à curatore dotis conſtituendæ cauſa conſtitutum, amplius doti promiſſum eſt, quàm facultates mulieris valent, ipſo quidem iure non valet promiſſio: ſed vtrùm tota obligatio, an quod ampliùs promiſſum eſt, quàm oportuit promitti, infirmetur? Terentius Clemens, [Vtilius eſt, inquit, dicere id quod ſuperfluum eſt tantummodo infirmari. *l.61.fine generalis.de iur.dot.*

CXV. IDEM lib. iiij. Epiſtularum.

QVÆSTIO eſt, fundus à poſſeſſione vel agro vel prædio quid diſtet. Fundus eſt omne, quicquid ſolo tenetur. Ager eſt, ſi ſpecies fundi ad vſum hominis comparatur.

POSSESSIO ab agro iuris proprietate diſtat. Quidquid enim adprehendimus, cuius proprietas ad nos non pertinet, aut nec poteſt pertinere, hoc poſſeſſionem appellamus. Poſſeſſio ergo vſus, ager proprietas loci eſt. Prædium vtriuſque ſupraſcriptæ generale nomen eſt. Nam & ager & poſſeſſio huius appellationis ſpecies ſunt.

ALCIATVS.

QVÆSTIO. ¶ Declarat Modeſt. quid inter ſe differant iiij. hæc vocabula, fundus, ager, poſſeſſio, prædium. ¶ Et fundum generaliter accipit pro omni eo, quod ſolo continetur. *l.fund.§.e.* deducitúrque à verbo fundere: hinc & μεταφορικῶς fundus pro authore accipitur, vt Feſtus inquit, Sic apud Cic. *in oratio.pro Cn.Corn.* Fundi populi & apud Plautum in Trinummo: Fundus potior, id eſt, pes, & fundamentum promiſſionis. ¶ Ager verò non tam latam habet ſignificationem, ſed eum fundum ſignificat, in quo agatur, vnde & nomen ſumpſit ſecundum M. Varronem. Ager ergo eſt, qui colitur, & qui fructuum cauſa habetur, cùm fundus quamlibet ſoli ſuperficiem, etiam incultam, & nulli vſui deſtinatam, in qua aliquid fundari poſſit, ſignificet. ¶ Poſſeſſio is eſt fundus, qui non iure ſeu mancipatione nobis comparatus eſt, ſed vſu & præſcriptione quæſitus, vt etiam Feſtus ſcribit: & ideò eius proprietas ad nos non pertinet. Sed & ſi pertinere non poſſit, vt quia res ſacra, poſſideri tamen poteſt, poſſeſſióq; dicitur. ¶ Prædium tam ad poſſeſſionem, quam ad agrum refertur: vnde ſiue quis per mancipationem, vel in iure ceſſionem, agrum, ſiue per vſum poſſeſſionem acquiſiuiſſet, rectè ſuum prædium appellabit. ¶ Tradidit autem Modeſtinus hanc differentiam, legem xij. tabularum interpretans, quo iure duplex tantummodo alienationis ſpecies erat, quæ per nexum, & quæ per ceſſionem fiebat. *Cu.l.1.C.de vſu.tranſ.rer.* vt M. Cic. *in Topicis* declarat. Per vſucapionem verò proprietas non acquirebatur, licet iuris authoritate poſſeſſor defenderetur. ¶ Hinc eodem in opere Tullius vſucapionem authoritatem appellat ex lege xij. tabul. Authoritas, inquit, vſus fundi biennium eſt, ſit ergo & ædium. Idem *Officiorum lib.1.* ex eadem lege. Aduerſus hoſtem æterna authoritas. ¶ In lege quoque Attinia, cuius A. Gel. *lib.17.* meminit, dicebatur, quod ſubreptum erit, eius rei æterna authoritas eſto, id eſt æternum tempus antequam vſucapiatur. Venuleius authoritatem ius eſſe interpretatur, quo author, id eſt, dominus rem ſuam vendicare poteſt: vnde amittit, inquit, authoritatem, id eſt, actionem pro euictione placet. *l.fi.de euict.* Et ita accipiendum hoc reſponſum ipſe arbitror: quo ſenſu ridiculus ipſe Valla erit, qui cùm vulgari interpretationi, vir alioqui non vulgaris adhæſiſſet, Iuriſconſultum noſtrum increpat, muſca planè, quod dicitur, elephantum. Illud non negauerim, in poſteriore iuris diſciplina, hanc differentiam non fuiſſe obſeruatam, cuius rei nos etiam Accurſius admonet.

Poſſeſſio. ¶ Colligi hinc poteſt diffinitio poſſeſſionis, vt ſit vſus rei à proprietate vel iure ſeparatus. Hinc vſucapio, id eſt, acquiſitio, quæ per vſum, hoc eſt, poſſeſſionem fit. Ælius quoque Gallus, cuius reſponſa frequenter in ff. citantur. *l.nec vtile. ff.ex quib.cauſ.ma.tor.* poſſeſſionem definiuit eſſe vſum fundi, vel ædificij, atque id Feſt. Pomp. refert. Sed & Corn. Fronto: In habente, inquit, onus, in poſſidente vſus eſt. Idcirco autem à iure dixi ſe parari poſſeſſionem, tum vt oſtenderem ab eo vſu, qui ſeruitutis ſpecies eſt, differre: tum etiam vt eos ſequerer, qui poſſeſſionem facti, non iuris eſſe cēſuerunt: quod apertiſſimè multis in locis Iuriſconſ. atteſtati ſunt. *l.nec vtilem. l.1.§.1.& 2.de acq.poſſ.*

Nec

Nec quicquam me mouet, quòd etiam ius poſſeſſionis aliquando legimus: ex facto enim ius oritur. *l. ſi ex plagis. §. in clino. ad leg. Aquil.* & ius habere is quoque, qui ea pignore prætorio detinet, dicitur. *l. ſi finita. §. pen. de dam. infect.* nec idcirco conſequens eſt, contrectationem illam eſſe iuris. ¶ Summè autem ridiculi videntur, qui inter acquiſitionem, retentionem, amiſſionémque poſſeſſionis diſtinguunt, cùm hi actus manifeſtè ab ipſa poſſeſſione non differant: ſicut nec procreatio, vita, mors hominis ab homine differunt, nec qui naſcendo homo fuit, moriendo eſt aſinus. Quapropter ſi cùm poſſeſſio acquiritur facti eſt, & acquiſitam & amiſſam conſequens eſt facti eſſe. *l. nemo. C. de acq. poſ.* Eius poſſeſſionis duplex eſt ratio, ſeu qualitas. nam cùm quis corpore poſſidet, vſúmque rei apprehenſę percipit, naturaliter poſſidere dicitur: quòd ſi verè ipſe rei non inſiſtat, neque vſum percipiat, ſed per interpretationem legis, ciuiliter quoque poſſidet. Qua ratione per fructuarium, & eum qui precario rogauit, poſſidemus. *l. certè. §. 1. de precar.* & licet ipſi naturaliter fundo inſiſtant, tamen propriè non poſſident: quia nomine noſtro ſunt in prædio. *l. 1. in fi. ī. de oper. no. nun.* ¶ Ciuilis igitur poſſeſſio ſemper iuſta eſt, quoniam lex interpretationem illam, non niſi iuſta ea cauſa adhibet. At naturalis quandoque iniuſta eſt, ſiue quia res prohibita poſſideri. *l. quod Seruius. de acq. poſſ.* vt liber homo: ſiue quia perſona incapax, & ſeruus. *l. 4. §. fin. eod. tit.* ſiue cauſa iniuſta, vt raptor: ſiue iure ciuili inualida. *l. 1. §. 2.* vt cùm pater filio, maritus vxori donat. *l. 1. §. deiicitur. de vi & vi arm.* Et ita ipſe ſentio, licet alij aliter diffuſiſſimis tractibus & à quibuſdam recentioribus vſque ad nauſeam auctis.

Brechævs.

Qvæstio. ¶ Cùm in iure quæreretur, quid eſſet fundus, quid poſſeſſio, ager, vel prædium, quantúmque inter ſeſe propria ſignificatione differrent, totam ſanè hanc quæſtionem, finitione vniuſcuiuſque verbi, eleganter diſcuſſit Iabolenus. Fundus (inquit) eſt omne quicquid ſolo tenetur, id eſt fundamentum eius rei quæ ſolo fundatur. At M. Varro *in libr. de Lingua Latina,* ſcripſit fundum dictum, quòd ager videbatur pecudum ac pecuniæ eſſe fundamentum: vel quòd fundat quotannis multa. Florentinus autem tradit fundi appellatione omne ædificium, omnémque agrum contineri. *l. fundi. infrà.* Iam verò quid ſit ager, ſatis ſupérque declarauimus ſuprà *in l. ager. & l. locus eſt.* nunc verò de poſſeſſione eſt aliquid dicendum. Eſt ergo poſſeſſio, ius retinendi patrimonij quod vel vſu, vel iure ciuili per acquiſitionem, noſtrum tandem effecimus, vel naturaliter tenemus: quæ a Græcis ob id dicta eſt κατοχὴ καὶ κατάσχεσις ἀπὸ τοῦ κατέχειν, quod detinere & occupare ſignificat. Quæ quidem poſſeſſio à iure gentium ortum habuit. Priuata enim nulla natura ſunt, ſed aut veteri occupatione, vt qui quondam in vacua venerunt, aut victoria, vt qui bello potiti ſunt, aut lege, pactione, conditione, ſorte. Ex quo fit, inquit Cicero, vt ager Arpinas, Arpinatium dicatur: Tuſculanus, Tuſculanorum. Similiſque eſt priuatarum poſſeſſionum deſcriptio. Ex quo quia ſuum cuiuſque fit eorum quæ natura fuerant communia, quod cuique obtigit, id quiſque teneat. Hæc ille hactenus. ¶ Sed an meri iuris, an verò facti ſit poſſeſſio, certatum eſt ſententiis. Sunt enim qui eam in facti potius quàm in iuris ratione conſtituant. In quam ſententiam videtur itum ab Alciato *in Commentario de quinque pedum praſcrip.* vbi multa de poſſeſſionis interpretatione agit. Franc. Connanus *lib. 1. Commentar. iur. ciuil. cap. 5.* poſſeſſionem iuris eſſe cenſuit. Multifariam in hanc rem diſtinguunt Bartol. Bald. & reliqui doctores noſtri. Sanè quæ à iure naturali orta eſt poſſeſſio, vt quum ante diſtincta dominia quod quiſque agri, terræ, vel maris habitationis gratia, aut cultus & arationis ſibi cœperat, vt eo ad vitam vti frui liceret, factum illa quidem reſpicit, ſaltem plus facti quam iuris habet. Fuit (ait Connanus) in primis iſtis naturalibus, propria cuiuſque poſſeſſio, dominium non fuit. Sed hoc ius dominij ad maiorem rerum cuſtodiam, & futuræ neceſſitatis ſubſidium, communis poſtea omnium nationum conſenſus excogitauit. Quando igitur cum poſſeſſione coniunctum commiſtúmque fuit, iure gentium dominium, tunc poſſeſſionem, iuris plus habere quàm facti dixerunt. Quippe natura nobis rerum dominium non dedit, ſed vſum tantùm, aut earundem vſus noſtri cauſa poſſeſſionem. Quid enim his rebus, nobis vita functis opus eſt? Sed legibus & iure populorum poſtea effectum fuit, vt cùm rerum dominio potiri ſuperſtites cenſeremur, idipſum morientes, hæredibus noſtris ac poſteris mанciparemus, poſſeſſionémque velut per manus traderemus. Vnde pro ipſo dominio poſſeſſionem aliquando ponimus: vt ſ. *in l. interdum,* eſt à nobis ampliſſimè annotatum. Sic traditum eſt *Pſalm. 2.* αἴτησαι παρ' ἐμοῦ καὶ δώσω σοι ἔθνη τὴν κληρονομίαν σου, καὶ τὴν κατάσχεσίν σου τὰ πέρατα τῆς γῆς. Require à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. At hoc loci poſſeſſionem ab agro diſtinguit Modeſtinus, iuris proprietate, id eſt mancipio, ſeu dominio. Poſſeſſionem enim, vſum tantùm vult eſſe, id eſt vſus noſtri cauſa, occupationem: agrum verò dominium ipſum, & ius dominij, proprietatémque loci, ac tandem ius ipſum poſſidendi dominij τουτ' ἔστι κτῆσις, ſeu κτῆμα. Vnde κτηματικὸς idem eſt quod χρηματικὸς, id eſt pecuniæ, bonorum & prædiorum abundè & copioſè diues, multæque hereditatis poſſeſſor. Nam & εἰς τὰ κτήματα παριέναι dicunt Græci, quod nos hereditatem adire, & bona prædia ἔγγεια κτήματα ἢ χωρία, ἔγγειος οὐσία. Sic M. Curius ad Ciceronem, *lib. 8. epiſtol. famil.* Sum enim (inquit) χρήσει μὲν tuus, κτήσει δὲ, Attici noſtri: ergo fructus eſt tuus: mancipium, illius. Hic κτῆσιν, Alciato teſte, poſſeſſionem, ius ipſum acquiſitum vſu, intelligit, quod à mancipio non admodum diſtat. Sed ego quidem ἀκριβέστερον mancipium ipſum ac verum dominium & proprietatem intellexiſſe exiſtimauerim. χρῆσιν δὲ vſum tantùm & vſumfructum: in qua quidem ſignificatione Modeſtinus hoc loco, poſſeſſionem videtur accipere. ¶ Prædij autem appellatio, vtrumque & poſſeſſionem ſcilicet, & agrum complectitur, tanquam genus ſuas ſpecies & differentias. Prædium enim eſt ipſa res, cuius qui dominus ſit, fructus iure ſuo percipit atque his vtitur fruitur.

Necenim iure is poterit dicere, hic eſt ager meus, prædium meum, niſi quoque agri aut prædij eiuſdem ſit dominus. In poſſeſſionis nomine, ſecus licet. Quandoquidem & fundi alicuius poſſeſſorem potero me aſſerere, idq́ue vſu, occupatione, & apprehenſione, tametſi is fundus alienus ſit. ¶ Sed & propria ſignificatione poſſeſſor dicitur qui dominus non eſt. Qui enim fundum ſuum poſſidet, dominus potius appellatur quàm poſſeſſor, ait Connan. *lib. 3.* quoniam fructus omnes quos de ſuo fundo percipit, pars dominij ſunt, eóſque iure domini, non poſſeſſoris authoritate percipit. Atque is eſt huius capitis ſenſus, cùm poſſeſſionem hoc loco appellat quicquid apprehendimus, cuius proprietas ad nos non pertinet nec pertinere poteſt. ¶ Cæterùm, an poſſeſſio dicta ſit à pedibus, vel ſedibus ponendis, videto Alc. id tradentem eleganter *in c. 1. lib. 2. diſpunct.*

Fornerivs.

Qvæstio. ¶ Fundus dicitur ager, inquit Feſtus, quòd planus ſit, ad ſimilitudinem vaſorum: cuius appellatione omne ædificium & omnis ager continetur. Cuius nihil eſt, niſi quod terra ſe tenet. *l. 17. fundi. ff. de act. empt.* Ager verò tanquam ſpecies, ſub fundo continetur. *vt l. 211. fundi. ff. h. t.* oſtendemus. *Poſſeſſio.* ¶ Longe alio ſenſu poſſeſſionis nomen hìc, ac *Digeſt. & C. tit. de acq. poſſ.* ſumitur: non pro iure inſiſtendi rei corporali, vt à Theophilo *tit. de interd.* & Harmenopul. *in titu. lib. 3.* definitur, νομὴ ἐστὶ φυσικὴ σωματικοῦ πράγματος, ψυχῇ δεσπόζοντος κατοχή: cuius adipiſcendæ, retinendæ, recuperandæ gratia comparata ſunt interdicta. Si eſſet ius, cur ab agro iuris proprietate diſtingueretur? ¶ Eſt igitur poſſeſſio prædium quod iure vectigali, tributarióue, non proprietatis mancipiiue iure à colonis obtinetur, vt Theophilus docet. *§. per traditionem. in fin. de rer. diuiſ.* Iſid. *lib. 15. Etymolog. cap. 13.* Vectigales agri, & tributarij, prouinciales, poſſeſſiones ſunt. *d. §. per traditionem.* quas qui obtinent non tam domini, quàm poſſeſſores nominantur. *l. 1. ſi ag. vect. l. 12. poſſeſſores. ſi. C. de fun. pat.* De quarum vſucapione, ſeruitute, pignore aliquando tractatur. *l. 12. cum ſponſus. § in vectigalib. de publ. l. 15. ſi finita. §. ſi de vectigalibus adibus. de dam. infect. l. 3. C. de ſer. & aqu.* ¶ Poſſeſſor pro Emphyteuticario, ſeu vectigali colono. *l. 31. lex vectigali. de pign. l. 1. l. pen. C. de collat. fund. patr.* Vlpianus, ius Emphyteuticum & embateuticon videtur nominaſſe. *l. 3. de reb. eor.* Quod vnde dicatur certatur inter eruditiores. Adr. Turnebus literatorum Coryphæus *lib. 3. c. 25. aduerſarior.* legit ἐμβαλευτικόν, quaſi dicas inſititium, quòd ἐμβαλεύειν, idem quod ἐμφυτεύειν, inſerere, valeat: ſed omnes libri diſſentiunt. Alc verò *lib. 2. c. 36. parerg.* Ius creditori permiſſum ingrediendi propria auctoritate, debitoris fundum. Perperam. tum quòd ἐμβατεία, ſeu ἐμβάδεια, non eſt id quod nunc quærimus, embateuticon: ſed ius quæſitum in obnoxij debitoris bona: tum quòd verbis Græcis affingitur, atque additur [propria auctoritate] & vt ipſe interpretatur Alciatus, iure pignoris in bona debitoris poſſidenda mitti. Quod Etymologici auctor, defugeret: & nos qui iuri docendo nomen dedimus, prorſus auerſamur: nec creditori impunè ius ſibi dicere permiſſum contendimus. id ſi conetur, iure crediti cadat aliiſque pœnis adficiatur. *l. 13. extat. quod met. cau. l. pen. ad leg. Iul. de vi priu. l. 7. meminerint. C. vnde vi.* Ego verò ſic exiſtimo, cum ἐμβατεύειν, (vnde ἐμβατεύειν νόμος, Clementi Alexand. *in protreptic.* quòd ad ingrediendum hortetur) ſit ingredi: nihil aliud eſſe embateuticum ius, quàm poſſeſſionem, quam Iabolenus ab agro iuris proprietate diſtare tradit: [Quicquid enim (inquit) adprehendimus, cuius proprietas ad nos non pertinet, aut nec pertinere poteſt, poſſeſſionem appellamus.] Quo quid apertius? Iam quod proximè concluditur, quis niſi cæcitate perditus, non videat? [poſſeſſio ergo vſus, ager proprietas loci eſt.] hoc ſenſu cum ſæpe aliàs accipitur, tum *in l. 3. l. 6. in quibus. l. ſeq. l. tit. ins. C. de fund. patr. l. 1. l. pen. C. de collat. fund. l. t. l. 3. C. de fund. rei priu.* Feſtus. [Poſſeſſiones appellantur, agri latè patentes, publici, priuatique, qui non mancipatione, ſed vſu tenebantur.] id eſt, quorum proprietas, verum directúmque dominium, ad alium, quàm qui colebat, pertinebat. *d. l. 31. lex vectigali. de pign.* ¶ Hęc cum ita ſe habeant, animaduertere licet eorum ἐξύμνησιν, qui in cudenda hìc noua poſſeſſionis definitione, pueriliter ineptiunt.

CXVI. Idem lib. vij. Epiſtularum.

QVisqvis mihi alius filij filiúſve heres ſit,] Labeo non videri filiam contineri: Proculus contrà. Mihi Labeo videtur verborum figuram ſequi, Proculus mentem teſtantis. Reſpondit, non dubito, quin Labeoni ſententia vera non ſit.

Alciatvs.

Qvisqvis. ¶ Cùm teſtator vnum ex filiis exheredem feciſſet, alios etiam poſthumos hac clauſula inſtituit, [Quiſquis mihi alius filij filiúſue heres ſit.] dubitatum fuit an filia contineretur, & ex proprietate verbi non contineri Labeo, ſed ex mente Proculus exiſtimauit: quapropter ſi aliquibus coniecturis de contraria mente appareat, Labeonis ſententia obſeruabitur, veluti cùm teſtator propriis filiabus excluſis, filium inſtituit, & ſi ſine filiis deceſſerit, Sēpronium: natis enim filiabus, non deficere conditionem pleriq; exiſtimauerunt: nam cùm proprias filias pater excluſerit, veriſimile eſt moltò fortius voluiſſe ab hereditate neptes reiici. Sed hóc mihi non ſufficere videtur. proprias enim filias propter filij maſculi maiorem amorem excluſit: at Sempronium teſtator non ita amaſſe exiſtimandus eſt, vt neptibus ſuis prætulerit: efficacior eſt igitur coniectura, cùm ex lege municipali ab inteſtato ſuccedentes maſculi fœminas excludunt: videtur enim teſtator, cùm de filiis mentionem fecit, eos ad ſucceſſionem vocaſſe, quemadmodum à lege vocãtur: præſumpta enim teſtatoris mens, per quam maſculinum concipit fœmininum, illi præſumptioni cedit, qua ſecundum leges voluntatem

ſuam

ſuam quemlibet regere. *Bart. in l. heredes. § ita. ad Treb.* accommodaréque dicimus,& in præſumptionum conflictu illi potius adhæremus,quæ verborum proprietate defenditur. ¶ Ceterùm & ſi conſtitutum ſit verba teſtamentorum ad literam, & ſine interpretatione intelligi debere, quod filiis relictum erit,filiæ non præſtabitur.atque hoc Iaſoni viſum eſt. *Iaſ. l. qui filiabus. de leg.* 1. Sed hac in quæſtione id ipſe non approbauerim, cùm potiùs credendum ſit antiquorum exemplo de fœmina quoque actum fuiſſe: ſiquidem Næuius Plautúſque caſu dandi filiis, non filiabus dixerunt, vt Priſcianus *lib.* 7. probat. Quapropter ſatis videtur ad literam poſſe accipi de fœminis, vt meritò ſententia Labeonis figuram verborum conſiderantis, nihil nos moueat, cùm etiam vis verborum expoſitioni huic non reſragetur:tametſi ex frequentiore vſu fortè aliud ſit ſtatuendum. ¶ Additur & à pleriſque alia coniectura, vt ſi in aliqua parte teſtamenti filiorum maſculorum mentionem teſtator fecisset, quamuis alio in loco ſimpliciter filios nominet, videatur ſemper de maſculis tantùm intellexiſſe, ſed id non omnino verum eſt,vt ĩ. attingam. *l. Herennius. ĩ. eod.*

Brechævs.

QVISQVIS. ¶ Verbum [Quiſquis] in teſtamentis,& in hæredis inſtitutione,ex propria ſignificatione ad fœminas minime porrigitur. Vt cùm ſcripſit teſtator, [Quiſquis mihi alius filij filiúſue heres ſit,] Proculus aduerſus Labeonis calculum, filiam non contineri negat. Verumtamen ſi teſtatorem aliud ſenſiſſe vel ex coniecturis quibuſdam appareat, vera erit Proculi ſententia. Nam coniectare licet,maluiſſe patrem, nullis filiis maſculis exiſtentibus,filias,quàm extrarium ſubſtituiſſe:idque propter amorem patrium qui erga liberos eſt propenſior. Vlp. *in l. ſi quis ita. ff. de teſtam. tutel.* Si quis, inquit,ita dixerit, [Filiis meis tutorem do,] In ea conditione eſt, vt tam filiis quam filiabus dediſſe videatur. Filiorum enim appellatione, & filiæ continentur. Et id quidem ob vulgariorem loquendi vſum. Aliàs enim ſi fœmineo vocabulo,videlicet,[filiabus meis tutorem do.] filios complexus minimè teſtator cenſeretur. Exemplo namque turpiſſimum eſt, fœminino vocabulo etiam maſculos contineri. *l. ſi ita ſcriptum. ff. de leg.* 2. vide quæ in eam rem ſcripſi ſ. *in l.* 1. ¶ Ceteru hæc dictio quiſquis, coniuncta verbo futuri temporis,vt, [quiſquis mihi heres erit,] vim habet ſubſtitutionis ſub conditione factæ. Vlp. *in l. qui liberis. & in eandem l. Bart. ff. de vulg. & pup. ſubſt.* Sed ea quidem ſubſtitutio, [Quiſquis mihi heres erit,idem filio impuberi heres eſto,] ad eum tantùm qui ex teſtamento,non qui ab inteſtato heres extiterit porrigitur. *d. l. qui liberis. §. hac verba.* Et ideò neque pater qui per filium, neque dominus qui per ſeruum,heres extiterit, ad ſubſtitutionem admittetur, neque heredis heres: quia non ex iudicio veniunt,hoc eſt ex voluntate teſtatoris.

Fornerivs.

QVISQVIS. ¶ Sexus diſcrimen nomine, iure, vſúque diſtinguitur: aliúdque in filio & in filia plerunque ſolet obſeruari. Sed vt liberta nomine liberti continetur. *l.* 172. *lib. erit. ĩ. h. t.* ſic filij appellatione filiæ,hic. & *l.* 201. *iuſta. ĩ. h. t.* præſertim vbi cauſæ fauor aliquis oſtenditur. Veluti cum filiis quid legatur,tutórue datur. *l.* 16. *ſi quis ita. de teſt. tut. l.* 45. *ſi ita ſcriptum. de leg.* 2. Veluti ſi heredes filij vel teſtamento,vel lege ſint,filiæ quoque heredes erunt:vel ea Solonis lege, quam Demoſthenes interpretatur, contra Stephanum, not. *l.* 1. ſ. *h. t.* In odioſis verò negotiis, cuiuſmodi ea heredatio eſt, humanius eſt, ne filiorum nomine filias comprehendamus. *l.* 2. ſ. *de lib. & poſt.* ¶ De huius formulæ, [Quiſquis mihi alius filij filiúſue heres ſit,] ſententia Labeonis & Proculi pugna proponitur:hic teſtatoris mẽtem. ille verborum proprietatem ſequebatur, Vt & apud Rhetores frequens ῥητῶ καὶ διανοίας diſceptatio tractatur. Iabol. (de quo Plin. *lib.* 5. *epiſt.* 15.) ſecundum Proculum pronuntians [non dubito] inquit. (ſic aliàs προθύμως, & ſine cunctatione reſpondiſſe animaduertitur. *l.* 12. *non dubito. de ſeru. l.* 36. *ſi pecuniam. ſi cert. pet. l.* 76. *ſi in ex parte. de acquir. her. l.* 19. *ſi hominem. fin. de vſuc. l. pen. quæ in fraud. cred.*) [quin Labeonis ſententia vera non ſit.] ¶ id eſt filij appellatione filia quoque continetur: quod hîc vno verſu extulerunt Græci: τῇ τοῦ υἱοῦ προσηγορίᾳ καὶ ἡ θυγάτηρ περιέχεται, maximè ea coniectura voluntatis,quæ vt in legibus, ſic in teſtamentis præcipuè dominatur. *l.* 5. *C. de legib. l.* 6. ſ. *h. t. l.* 202. *liberorum. h. t. l.* 19. *in conditionibus. de cond. & demonſt.* Eſt enim callidi & verſuti interpretis verba anxiè captare, mentem ſcribentis negligere. *l. pen. ad exhib. l.* 17. *ſcire. l.* 29. *contra.* ſ. *de legib.* Ideóque à verborum proprietate,ne quid vitij,abſurdíque conſequatur,impunè receditur. *l.* 69. *non aliter. l.* 52. *librorum. de leg.* 3. *l.* 7. *Labeo. de ſup. leg.* Imò etiam ſermonis abuſus vt res in tuto ſit,toleratur. *l.* 6. *inſulam. de præſcr. verb. l.* 8. *item prætor. de ſuis & legit. her. l.* 20. *ſi tibi. ſi cer. pet. l.* 68. *teſtatorem. de leg.* 3. Theophraſtus apud Stobæum *c.* 37. verba dicebat rebus, non res verbis aptari oportere, Ὀλίγον οἱ ἀγαθοὶ νόμων δέονται. οὐ γὰρ τὰ πράγματα πρὸς τοὺς νόμους, ἀλλ' οἱ νόμοι πρὸς τὰ πράγματα τίθενται. *l.* 2. *C. com. de leg.* Hylarius, [Intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi:quia non ſermoni res,ſed rei eſt ſermo ſubiectus.] *c.* 6. *extr. de verb. ſign.* Democritus,apud Plutarchum, περὶ παίδων ἀγωγῆς, verba rerum vmbram, λόγον ἔργου σκιὴν dictitabat. Annius Latinorum prætor. [Ad ſummam rerum noſtrarum pertinere arbitror, (inquit) vt cogiteris magis,quid agendum, quàm quid loquendum ſit: quoniam facilè erit explicatis conſiliis,accommodare rebus verba.] Hæc Liuius. Meritò igitur ab Iaboleno repudiatur Labeonis verborum proprietate nitentis ſententia. D. Aug. *lib.* 2. *c.* 28. *de conſen. Euang.* [Rem planè vtiliſſimam diſcimus,& pernecesſariam,nihil in cuiuſq; verbis nos debere inſpicere, niſi voluntatem,cui debent verba ſeruire:nec mentiri quemquam,ſi aliis verbis dixerit,quod ille voluerit, cuius verba non dicit neque miſeri aucupes vocum apicibus quodammodo literarum putent ligandam eſſe veritatem. cum vtique non in verbis tantùm, ſed etiam in cæteris omnib. ſignis animorum, non ſit niſi ipſe animus inquirendus.] Vt res valeat, potiùs quàm pereat. *l.* 12. *quoties. de reb. dub. l.* 23. *cum quæſtio. C. de legat.* Alioqui veritatem ſequuti, ſermonis proprietati ſeruiemus. *l.* 122. *Seruius.* ĩ. *h. t.* Cum rerum vocabula non mutentur,hominum mutentur. *d. l.* 7. *Labeo. l.* 4. *de leg.* 1. Plato Cratylo. Gell. *lib.* 10. *cap.* 4.

CXVII. Idem lib. ix. Epiſtularum.

Non poteſt videri minus ſoluiſſe is, in quem amplioris ſummæ actio non competit.

Alciatus.

Non potest. ¶ Finge, decem tibi ex ſorte debebam, ſed propter moram meam intererat tua plus accipere, Iudex me condemnauit in ſortem, an ea ſoluta, dicar minus ſoluiſſe? Et hic traditur non videri. eius enim quod ea mora debebam, actio nulla tibi competebat, ſed totum officio iudicis continebatur, quod lata ſententia amplius non interponitur. *l.5.C.dep.* Idémque eſt in fideiuſſore qui actionis arbitrariæ nomine intercedit: quod enim propter rei moram ea arbitrio iudex auget, ſi non ſoluerit, non tamen minus ſoluiſſe videri poteſt, cùm huius damni cauſa nulla aduerſus eum actio competat. *l.ſi.de eo quod cer.* ¶ Sed pone, aliquis fideiuſſit hoc modo, ea his quæ Titius tibi debet, quanto minùs ſoluet, ſpondeo: is Titius miles eſt, ita quòd niſi in eo quod facere poteſt conueniri nequit, an fideiuſſor tenebitur? *l.ſi cùm.de re iud.* Et puto teneri: aduerſus enim Titium amplioris ſummæ actio mero iure competit, licet per exceptionem illi conſulatur. ¶ Sed & ei cui pignoris retinendi ius eſt, minus ſolutum videtur: tametſi actio illi non competat, vt in chirographario creditore. *l.1. C.etiam ob chirogr.* & eo qui ſub pignore mutuauit, & nudo pacto cauit de vſuris. *l.per retentionem.C.de vſur.*

Brechæus.

Non potest. ¶ Totam ille videtur obligationem diſſoluiſſe, ſi nulla ſuperſit actio qua poſſit ob ampliorem ſummam conueniri. Vt ecce, ſi duo, fideiuſſionis nomine, ſed ſinguli centum promiſerint, atque eorundem alter quinquaginta exoluerit, certè quia in ſolidum ad ea centum obligati non ſunt, totam ſummam videtur ſoluiſſe: propterea quòd nulla aduerſum eum actio, ob alia quinquaginta perſoluenda competit. Item ſi à fideiuſſore quinquaginta pœnæ nomine ſtipulatus fuero, ſi in iudicium reus non venerit, petiturus à reo centum, at verò dolo malo Sempronij factum fuerit quominus in iudicium reus venerit, eadem centum a Sempronio conſequar. Nam fuit quidem ille in cauſa quòd ea actio quam aduerſus reum intendebam, mihi temporis lapſu perierit. Tanti enim mea intereſſuiſſe videtur: quia ſi in iudicium veniſſet, actio mihi in centum aduerſus reum, vel aduerſus heredem eius competebat, licet fideiuſſor minorem mihi ſummam promiſerit. Fideiuſſor ergo, ſi eadem quinquaginta, quæ pœnæ nomine, ſi in iudicium reus non veniſſet, promiſerat, perſoluerit, non cenſebitur minus ſoluiſſe. Quandoquidem in ea centum, quæ à reo poſcebantur, conueniri non poteſt. Vlp. *in l.3.§.ſi.ff.de eo per quem fact.erit quom.quis ind.ſiſt.* At in ea interpretatione variatum eſt ſententiis & dubitatum. Diſcute gloſſam *in d.§.fin.*

Fornerius.

Non potest. ¶ Vt ſoluere eſt totius obligationis cauſam tollere. *l.114.ſoluendo.ꝫ.h.t.* ita is in quem maioris pecuniæ actio non datur, minus ſoluere non intelligitur. hic. Sicut nec ibi mora contrahitur, vbi non eſt petitio. *l.antep.ſi cert.pet.l.88.nulla.ꝫ.tit.ſeq.* Imò qui exceptionem qua ſe tueatur, habet, moram non facit. *l.26.ſi non ſortem.§.indebitum.de cond.ind.l.112.nihil intereſt.tit.ſequen.* Vnde fit, vt vſura, ſeu moræ pœna minimè debeatur. *l.21.ſecundum. de vſur.* Et fideiuſſor pupilli, qui exceptionem habeat, in mora non conſtituatur. *l.127.ſi pupillus.de ver.ob.* Et ſi intra legitimos iudicati faciendi dies, debitor damnatus rem amiſerit, interitu liberetur. *l.14.item ſi cum.§.quatenus.ver.item ſi homo. de eo quod met. cauſ.* quoniam intra iudicati faciendi tempora reus conueniri non poterat. *l.7. intra. l.31.debitoribus. de re iudic.* Nam xxx. dies induciarum lege xij. Tabul. conſtituti, iuſti quòd ius agendi ſiſterent dicebantur. Aul. Gellius *lib.xx.cap.1.* Macrob. *lib.1.cap.16.Satur.l.3.C.de vſur.rei iudic.* Quid igitur? an fideiuſſor pro reo exceptione tuto acceptus conuenietur? Si vel naturalis ſit, cui accedit obligatio, tenebitur. *§.1.de fideiuſſ.inſt.l.1.l.2.ſuprà eodem.* nec in ampliorem, duriorémue cauſam fideiuſſiſſe dicetur: cum in eandem nec maiorem quantitatem (licet ſtrictiùs efficaciúſque) teneatur. *l.11.ſi quis quendam.ſi quis cautionibus.* Id enim ipſum fideiuſſoribus datis agitur, vt res creditoris tutiore loco ſit: vtque imbecillior obligatio eiuſmodi cautione ſtabiliatur atque confirmetur. *l.1.de obl. & action.§.vltim.de replication.* ob eámque cauſam fideiuſſores, τοὺς βεβαιωτὰς, Iuſtinianus *Nouell.4.* id eſt, confirmatores, vel (vt Donatus *in Eunuchum act.1.ſcen.2.*) credendi auctores appellauit. ¶ Quædam ſunt in rem, ipſi cauſæ negotióque cohærentes exceptiones, non reo tantùm, ſed omnibus acceſſionibus, etiam inuito reo competunt. *l.19. omnes. de exception. l.15.ſi ſtipulatus. l.33.ex perſona.l.52. amiſſo.de fideiuſſ.* Perſonales verò non egrediuntur reorum perſonam, nec eorum heredibus, fideiuſſoribúſue accommodari ſolent. *l.7.exceptiones.de exception.§.penultim.& vltim.de replicatiоn.* cuiuſmodi eſt priuilegium, μέχρι δυνάμεως, quod vulgò [competentiæ] dictitant, vt quatenus facere poſſint, damnati conueniantur. *d.§.vltim.l.24.ſi fideiuſſor.l.ſequen.de re iudic.* *Actio non competit.* ¶ Pleraque tamen quæ iure actionis perſequi non licet, retentionis iure conſequimur, vt ſumptus litis, vt impenſas in rem factas, vt pignus ea vna cauſa datum, ob debitum aliud retinere, etiam & vſuras. *l. vnic. Cod. etiam ob chirograph. l. 22. pignoribus. Cod. de vſuris. l. 26. ſi non ſortem. §.ſi centum. de condictione indebiti. l.8. ſi neceſſarias. de pigneratitia actione.* Itaque creditor pecuniam à debitore accipiendo videtur tacitè pœnam remittere. *l. vltim. quod cert. loc.* Imò hoc ipſo quod petit pretium, pacto commiſſorio renunciat. *l. 38. Æmilius. de minoribus. l. 4. l. penultim. de leg. commiſſoria.*

¶ Perm

¶ Permultum autem refert, quid actionis iure, an officio tantùm iudicis veluti vſura, debeatur. Priore caſu omiſſum alio adhuc iudicio perſequi nihil vetat: poſteriore quod omiſſum fuerit, non poterit ampliùs peti *l.1.C.de iudic.l.4.C.de vſur.l.4.C.depoſit.l.3.C.de fruct.& lit.exp.*

CXVIII. IDEM lib. ij. ad Quintum Mutium.

HOSTES hi ſunt, qui nobis, aut quibus nos publicè bellum decreuimus. Cæteri latrones, aut prædones ſunt.

ALCIATVS.

HOSTES. ¶ Nationum aliæ pop.Rom. ſubditæ erant, vt prouinciales, aliæ fœderatæ, quo iure quædam ciuitates & in Aſia, & in Hiſpania, aliiſq; prouinciis vtebantur. *l.non dubito.de cap.* ſic etiam Ætolos ſe Romanis iunxiſſe, T.Liuius *lib.37.* eſt autor. aliæ penitus liberæ, & ſuis legibus relictæ, niſi quòd maieſtatem pop.Rom. comiter obſeruare tenebantur, vt Maſſilienſes: aliæ hoſtiles, vt Parthi & Germani, quorum illi propter æmulationem, hi pro libertate aduerſus Romanos ſemper pugnauerunt, donec tandem imperium euerterunt Turcę, qui ex Perſide prouenerant, orientale: Gothi, Hunni, Vandali, omnes ex Germania, occidentale: quod tamen Caroli Magni auſpiciis rurſus inſtauratum eſt. Aliæ nec hoſtiles, nec aliquo modo illis coniunctæ, vt Scythæ, quos Tartaros vocamus, quíque Mæotiam incolunt. *l.4.§.1.de cap.* ¶ At cùm Antonini conſtitutione omnes qui in orbe Romano erant, ciues Romani effecti ſint *l.in orbe.de ſtat.hom.* ſequitur omnes Chriſtianos hodie pop.R. eſſe: quo iure exciderunt, qui in Aſia, Aphricáue, cęteriſque prouinciis ſedem Chriſti non agnoſcunt. hi enim hoſtes pop.Rom. ſunt, & ciuitatis Romanæ ius amiſerunt. Hinc eſt quòd cum Turcis, & Saracenis indictum nobis eſt bellum: ſuntque viciſſim iura poſtliminij, & capti in bello efficiuntur capientium. At inter Chriſtianos aliud eſt: cùm enim ex lege Chriſti omnes ſint fratres. *9.q.3.c.ad menſam.* quę inter eos mouentur arma, plus quàm ciuilia ſunt, vnde ius poſtliminij in his non eſt. *l.ſi quis.§.ſi.de cap.* ¶ Hinc videmos antiquiſſima conſuetudine introductum, vt capti libertate non amittant, ſed præſtita victori pecunia (λύτρον Græci vocant) veniam recedendi impetrent. Qua ratione etiam arbitror, capta in huiuſmodi bello, capientium non fieri: & id præſertim in eo, quod forum conſcientiæ vocamus, licet Theologi, vel ματαιόλογοι potiùs, quidam, aliter ſenſerint, niſi ab his capta ſint, qui libertatem ſuam tuentur, & iniuſtè ab aliquo tyranno vexantur: vnicuique enim iure naturali permittitur defenſio, quam nec Chriſtiana lex nobis abſtulit. alioquin ſi duos principes de imperio belligerent, ridiculum eſt credere permiſſum eſſe militibus, alterutrius ſubditos ſpoliare, cùm eorum nihil interſit, vter regnet: paratique ſint illi victoris imperio obſequi, & quod Petrus in priori epiſtola præcipit, ὑποτάγητε πάσῃ ἀνθρωπίνῃ εἴτε βασιλεῖ, εἴτε ἡγεμόσι διὰ τὸν κύριον.

BRECHÆVS.

HOSTES. ¶ Hoſtes Romani appellabant eos qui nec prouinciales, nec fœderati pop.Rom. erant: aduerſus quos, ob id quod nec imperio Rom. nec legibus parebant, bellum ipſe pop.Rom. decreuerat. Propterea veteres hoſtem peregrinum appellabant, qui ſuis, non alienis legibus viueret: quódque æquum exiſtimabat, ſequeretur. Nunc (ait Varro *lib.de ling.Lat.*) perduellem dicunt. Nam hoſtire æquare dicebát. Vnde hoſtorium pro rutro illo ac bacillo rotundo accipiendum putat P.Crinitus *lib.13.de honeſt.diſcipl.* quo in menſuris frumenti cumuli exæquantur. Hoſtimentum exæquationem Cæl.Rhodog. ſcribit eſſe, *lib.25.lect.antiq.c.30.* Eſt igitur hoſtis qui cum aliis inimicitias exercet, propriè autem cùm alienis & peregrinis, cuiuſmodi à Græcis πολέμιος. Qui verò cum domeſticis, inimicus potius dicendus erit, id eſt, ἐχθρός. Promiſcuè tamen ſæpius alterum pro altero, tam à Græcis quàm Latinis vſurpari ſolet, vt apud Homerum:

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσίν, ἄλλο δὲ εἴπῃ.
Ille perinde mihi eſt inimicus vt infera porta,
Qui promptum ore habet, aſt aliud ſub pectore clauſum.

Nam & inferorum portæ pergrinæ ſunt nobis: & domeſticus is eſt inimicus quem arguimus aliud habere in pręcordiis latens quod ore loquatur. Vnico tamen hoc verbo, ἐχθρός, vtrunque eſt complexus: quòd modò hoſtem modò etiam peregrinum ſignificat. ¶ Sed & hoſtem aliquando pro homine feroce & ſæuiente accipimus: vt apud Virg. Iupiter hoſtis, i. ferox, vt Seruius interpretatur, *lib.12.Æneid.*

-- Non me tua feruida terrent
Dicta ferox: Dij me terrent, & Iupiter hoſtis.

¶ Hoc autem capite docet Pomponius multum referre quis ab hoſtibus captus ſit, an verò à latronibus. Hoſtes, inquit Vlpianus. *ff.de capt.& poſtlim.reuer.* ſunt quibus bellum publicè Populus Romanus decreuit, vel ipſi Populo Romano: cæteri verò latrunculi vel prædones appellantur. Et ideò, qui à latronibus captus eſt, ſeruus latronum non eſt, nec poſtliminium illi neceſſarium eſt. Ab hoſtibus autem captus, puta à Germanis ſeu Parthis, & ſeruus hoſtium, & poſtliminio ſtatum recuperat priſtinum.

Cæteri latrones. ¶ Dicti ſunt latrones quaſi lateroнes, vel quòd latentes itineribus publicis, inſidientur viatoribus. Dicuntur etiam latrones, ſtipatores ἢ σωματοφύλακες, qui tutelæ gratiâ dominorum ſuorum lateribus aſſident, ſeu mercede conducti milites, vt ait Seruius, ἀπὸ τὸ λατρεύειν, quod ſeruire ſpe mercedis, & obſequi ſignificat. Nã motis erat, vt hos imperator & circa ſe haberet,

& primos mitteret ad omne diſcrimen. Latrones, ait Varro *in lib. de ling. Lat.* dicti à latere, qui circum latera erant Regi, atque ad latera habebant ferrum: quos poſtea à ſtipatione, Stipatores appellarunt, & qui conducebantur. Ea enim merces dicitur Græcè κέρδος: ab eo veteres Poëtæ nonnunquam milites appellant Latrones: quod item vti milites cùm ferro, aut quòd latent ad inſidias faciendas. Virgilius *lib. 12. Æneid.* latronem pro venatore vſurpauit, his verbis:

-Pœnorum qualis in aruis
Saucius ille grauis venantum vulnere pectus.
Tum demum mouet arma leo: gaudétque comantes
Excutiens ceruice toros: fixúmque latronis
Impauidus frangit telum.

FORNERIVS.

HOSTES. ¶ Quoniam multa legibus de iure belli, hoſtium, captiuorum, ſeruitute, poſtliminio cauentur, non abs re, qui ſint habẽdi hoſtes, quidque à latronibus ac prædonibus differant conſtituitur. Etenim aduerſus hoſteis iura, religioſè & illiberato propè omnium gentium conſenſu ſeruantur. Ecce imprimis, (vt de innumeris, quantum inſtituti commentarij ratio feret, pauca delibemus) veluti trophæis, dedicatiſque Deo rebus parcere. Victruuius, de Rhodiis *lib. 2. cap. 8.* Dion *lib. 42.* de Mithridate Triarij triumphum non euertente, καθελεῖν γὰρ τὸ ἐν βαρβάρῳ οὐκ ἐτόλμησεν, ὡς καὶ τοῖς ἐμπολεμικοῖς θεοῖς ἱερωμένον. Plutarchus de Cæſare, amicis cohortantibus, vt tolleretur, non paſſus, ἱερὸν ἡγούμενος: neque ſepulcra aut ſacella, quibus religio inerat, Græci mouebant. Romani antequam captas vrbes expugnarent, inde euocabant ſacra. *l. antep. de rer. diuiſ.* Macrobius *lib. 3. Saturnal. cap. 2. & 3. l. 36. cum loca. de religioſ. & ſumpt. fun.* Hoſtes patriæ & proditores nec lugẽdi nec ſepeliendi ſunt. *l. 35. minimè. de relig. & ſumpt. fun.* Eamque fuiſſe vetuſtiſſimam legem, ſcholiaſtes Homericæ Iliados ex verbis Hectoris commemorat: ἐντεῦθεν νόμον, τὸν προδόντα μὴ τῇ πόλει θάπτεσθαι, μηδὲ τῶν νομοθετούντων ἐκεῖθεν. Sed neque ad hoſtes quicquam deferri impunè poteſt. *l. 1. l. 2. C. quæ res export.* Leonis *Nouell. 63.* ¶ Ab hoſtibus reuerſi iure poſtliminij omnia priſtina iura recipiunt, bona, poteſtatem patriam, teſtamenti factionem, cætera. *tot. tit. de captiu. & poſtlim. reuerſ.* Si modò inuiti incurſione barbarica, & irruptionis neceſſitate abducti ſint, non ſi vltrò ad hoſtes tranſierint, *l. 1. l. 2. C. Th. de poſtlim.* Transfugæ enim maiore, quàm hoſtes odio habebantur. Quinctilianus *declam. 317.* quia (vt apud Feſtum Ælius Gallus definit) aut liber, aut ſeruus, aut hoſtis ſui voluntate ad hoſtes tranſierint: de quorum ſupplicio Paulus. [Transfugæ ad hoſtes, vel conſiliorum noſtrorum renunciatores, aut viui exuruntur, aut furcæ ſuſpenduntur.] *l. 38. ſi quis aliquid. de pœn.* Tarruntenus Maternus. [Proditores, transfugæ plerunque capite puniuntur, & exauctorati torquentur: Nam pro hoſte, non pro milite habentur.] *l. 7. proditores. de re milit.* Cum regulariter miles non torqueatur. *l. 1. l. 3. C. de Veteran.* Nullum etiam transfugæ poſtliminium eſt. [Nam qui malo conſilio, & proditoris animo patriam reliquit, hoſtium numero habendus eſt.] *l. 19. poſtliminium. de captiu.* Nam qui cum inimico meo copulat amicitiam, mihi inimicus eſt. *l. 28. liberi. C. de inoff. teſtam.* Seneca *lib. 3. declam. 1.* Quinctilian. *declam. 257.* Tertullianus, *de præſcriptionibus aduerſus hæret.* [Quis miles ab infœderatis, ne dicam ab hoſtibus regibus donatiuum & ſtipendium captat, niſi planè deſertor, & trãsfuga, & rebellis?] Hodie ſanè in eum qui ad hoſtẽ tranſierit, deinde ſponte ad ſuos redierit, mitiùs animaduertitur. Iure veteri, reuerſus, ad beſtias vel furcas damnabatur, quamuis milites nihil eorum paterentur. *l. 3. de re milit.* At Leonis *Nouella 67.* ne reſipiſcendi ſpes durioris pœnæ metu ciui præcidatur, ei qui ſemel duntaxat transfugerit, reditus impunè permittitur, ſi iterum, in triennalem ſeruitutem væníre iubetur: ſi tertium, in perpetuæ ſeruitutis iugum addicitur.

Cæteri latrones aut prædones ſunt. ¶ λῃσταὶ ἢ κλέπται, latrunculi. *l. 1. de legat. 1.* in quos iuriſdictionem qui habet, latrunculator, & quia ipſos perſequitur ac coërcet, ex re ipſa nomen inuenit, λῃστοδιώκτης. *l. 61. ſolemus. de iudic. Nouel. 8. & 128.* Qui quoniam nullo publicè legitiméque, éxque more maiorum & gentium inſtitutis indicto bello graſſantur, & prædas agunt. *d. l. 24. hoſtes. l. 9. ſi decurrunt. quibus ex cauſ. maior.* meritò cum hic, tum ſæpe aliàs ab hoſtibus diſtinguuntur. *l. 1. §. remouet. de poſtul.* [Vis hoſtium, prædonum, latronum, &c.] *l. 30. in ratione. ad leg. Falcid.* [prædonum hoſtiúmve incurſu.] *l. 1. de ob. & act.* Quinctilianus in quadam declamatione, de addicto manumiſſo differens: [Plurimùm autem refert, inquit, an ſeruire meritò dicamus, & eos, qui in piratas inciderint, & eos, qui ab hoſte ſint capti.] Herodianus in *Commodo, ſeu lib. 1.* ὡς μηκέτι λῃστῶν, ἀλλὰ καὶ πολεμίων ἔχειν ἀξίωμα, non iam latronum, ſed iuſtorum hoſtium haberent auctoritatem. ¶ A latronibus capti, cùm liberi maneant, poſſunt facere teſtamentum, capti ab hoſtibus non item. *l. 13. qui à latronibus. qui teſtam. fac.* Leonis tamen conſtitutione captiuis teſtamenti factio reſtituitur, *Nouel. 40.* Sed & eiuſdem principis *Nouel. 36.* ex captiuis nati, ſi libertatem conſequantur, parentum apud hoſteis decedentium hereditatem obtinent: Cùm olim ei, cuius pater in hoſtium poteſtate eſſet, neque magiſtratum gerere, neq; remp. capeſſere licuiſſe ex T. Liuij *lib. 27.* A. V. C. colligere videor. [Seruilium negabant iure aut Tribuni plebis fuiſſe, aut ædilem eſſe, quòd patrem eius, quem triumuirum agrarium à Boiis circa Mutinam occiſum eſſe opinioni per decem annos fuerat, viuere atq; in hoſtium poteſtate eſſe ſatis conſtabat. Latrones furca, cruce aut ſuſpẽdio plectũtur. *l. 28. capitalium. §. famoſos. de pœn.* Quamuis in latrocinio perpetrãdo plures cõuenerint, pari omnes pœna afficiũtur, tametſi parẽ operã ſceleri nõ adhibuerint. Leonis *Nou. 70. publicè bellũ.* ¶ aliàs publicũ: ſicuti legiſſe vidẽtur Græci, δημόσιον ψηφιζόμεθα πόλεμον. Sed Floren. edit. magis placet: publicè. i. per feciałẽ, more inſtitutóq; maiorũ. de quo A. Gell. *lib. 16. c. 4.* Vlp. [Hoſtes ſunt, quibus bellũ publicè pop. R. decreuit: vel ipſi pop. R. Cæteri latrũculi, vel prędones appellãtur. Et ideò qui à latronib. captus eſt, ſeruus latronũ non eſt. Nec poſtliminiũ ei neceſſariũ eſt.

Ab

Ab hoſtibus autem captus, ſeruus eſt hoſtium, & poſtliminio ſtatum priſtinum recuperat.] *l. 24. hoſtes. de capt. & poſtl. reuerſ.* nec tantùm autem capto poſtliminium ſuccurrit, ſed etiam ibi nato. *l. 15. ab hoſtibus. quibus ex cauſ. ma.* ¶ Sed de vſucapione eius qui apud hoſtes fuit, eleganter quæritur. *l. 15. ſi is qui. de vſucap. l. 12. in bello. l. pen. de captiu.* quod tractabitur accuratius. *l. 234. quos nos. ꝟ. h. t.*

CXIX. IDEM lib. iij. ad Quintum Mucium.

HEREDITATIS appellatio ſine dubio continet etiam damnoſam hereditatem. Iuris enim nomen eſt, ſicuti bonorum poſſeſſio.

ALCIATVS.

HEREDITATIS. ¶ Nomina iuris alia ſunt particularia, vt obligatio, ſeruitus, dominium: alia vniuerſalia. ea tripliciter aſſumuntur: aut enim vniuerſitas ſolius facti, ſeu corporum eſt, vt grex, chorus, familia: aut iuris & facti mixtim, vt peculium, dos, patrimonium: aut ſolius iuris, vt hereditas: ea enim nomen ſeruat, etiam ſi nulla corpora hereditaria ſint. *l. hereditas. de petit. hered.* idémque arbitror, ſi nihil ſit in hereditate. Vnde ſi quis nec alienum, neque ſuum æs habens decedat, poterit ſe proximus agnatus eius heredem appellare, quamuis in hereditate nihil omnino ſit: nomen enim hereditas eſt iuris, per quod perſona defuncti repræſentatur, non autem facultatum. At peculium, cùm ſolius iuris non ſit, vt nomen ſuum habeat, aliquid requirit. Idem in dote & patrimonio. ¶ In his vniuerſalibus propter æs alienum non fit deductio corporum: vnde ſi ſeruus debeat domino plus, quàm ſit in peculio, corpora tamen peculia remanent. *l. peculium. §. pen. de pecul.* & ſi vxor debeat marito, propter expenſas neceſſarias in fundo dotali factas, plus quàm fundus valeat, remanet tamen ex Pompo. Vlpianique ſententia fundus dotalis, licet Scæuola omnino deſinere. *l. quod dicitur. de impen.* Paulus, ſoluta pecunia, reuerti in cauſam dotis, cenſuerint *l. ſi is qui. §. 1. de iure dot.* diminuitur tamen vniuerſitas ipſa, licet corpora non diminuantur, cenſebitúrque tanto minus in peculio & dote eſſe. ¶ Sanè quæ corporum vniuerſalia ſunt, particulariter vendicari nequeunt, ſed vniuerſaliter: vt grex *l. vendicatio. de rei vend.* Atque iuris communionem habent, in vniuerſum non vendicatur, ſed particulariter: quamobrem nec peculium, neque dotem vendicamus, ſed rem peculiarem, & fundum dotalem *l. ſi peculium. de pecul. leg.*

Bonorum poſſeſſio. ¶ Atqui aliud dicendum ex vi verbi videbatur. *l. princeps. ꝟ. eod.* cùm bona, deducto ære alieno, intelligantur, nec damnoſa eſſe poſſint: ſed in hac compoſitione propriam naturam non ſeruant: cùm enim vniuerſas facultates bonorum poſſeſſione proſequamur, abſurdum eſſet, commoda ad nos omnia pertinere, & nulla incommoda. *l. 3. de bon. poſſ.*

BRECHÆVS.

HEREDITATIS. ¶ Nomen eſt meri iuris hereditas: nihil enim in ſe facti continet. Et ideò dicitur filius mortui patris heres. etiam ſi nihil bonorum decedens poſſideret pater. Qua ratione, ſi plus damni quàm lucri ex hereditate conſequeretur, diceretur nihilominus heres: & ad legata & onera hereditatis tenebitur. Vnde cùm pupillis liceat ſine tutoris authoritate ea agere quæ e re ſua erunt, non poſſunt tamen hereditatem adire, neque bonorum poſſeſſionem petere, neque hereditatem ex fideicommiſſo ſuſcipere, niſi tutore authore: quamuis illa lucroſa ſit, ne vllum damnum habeant. *Inſtit. de author. tut. §. neque hereditatem.* vbi gloſſa ampliſſ. Heres enim, adeundo hereditatem, obligatur, & cenſetur quaſi contrahere cum legatariis & creditoribus. *l. apud. §. fi. cum l. ſeq. ff. ex quibus cauſis in poſſeſſ. eatur.* Quare ſi hereditatem aliter aditurus non eſſem, quàm cautum mihi fuiſſet damnum præſtari, & hoc mandatum interceſſiſſet, mandati actionem fore, exiſtimauit Iulianus in *l. ſi hereditatem. ad princ. ff. manda.* Quod aliter in legato dicendum eſt. Quid autem ſit hereditatis verbum, latè diſcuſſimus ſuprà *in l. nihil eſt aliud.*

FORNERIVS.

HEREDITATIS. ¶ Quo iure fuit deceſſor, eodem & heres erit: quippe ſucceſſor iuris vniuerſi: etiam vitiorum defuncti. *l. 60. heredem. ꝟ. tit. ſeq. l. 50. hereditas. de her. pet. l. 24. nihil. ꝟ. h. t. Nouel.* 48. à quo æs alienum, non à legatario, vel donatario creditores hereditarij exigent. *l. vlt. C. de her. act.* quoniam totius iuris ſucceſſoris onus eſt, non ſingularis. *l. 50. ſi fideicommiſſum. de iudic. l. 72. mulier. de iur. dot. l. 15. aris. C. de donat.* Ideóque ſæpe accidit, vt plus damni, quàm lucri habeat heredi tas: cuius adeundæ gratia heredi tempus deliberandi à Prætore conceditur. *tit. de iure deliberandi, ꝟ. & C. Nouell. 1.* Hereditatis enim nomine etiam damnoſa hereditas intelligitur hic. Seneca *lib. 2. cap. 49. Natural. quæſtion.* fallacia fulgura definit, [quæ per ſpeciem alicuius boni nocent, dant conſulatum malo futurum gerentibus: & hereditatem, cuius compendium magno ſit luendum incommodo.] Ambroſius *lib. 9. epiſtol. ad Clementiam:* [Sunt, inquit, heredes ſine re, & cum re.] Idem *lib. 3. de offic. cap. 11.* [non ego in adeundis hereditatibus digitorum percuſſiones, & nudi ſucceſſoris fabulationes notabo.] nudum eo ſenſu, quo Symmachus de Ara victoriæ, nudum immunitatis nomen Veſtalium dixit. Nudum heredis nomen. *l. 3. C. de inoff. don.* inane honoris nomen. *l. antep. C. de decur.* ¶ Et quoniam ſemel heres, nunquam poſteà deſinit eſſe heres *l. 88. ei qui ſoluendo. de her. inſt. l. 2. §. venditor. ꝟ. de her. vel act. vend. l. 2. C. eo.* Plerique à teſtatoribus ſcripti heredes reſtituere ex fideicommiſſo rogati, hereditatem litium vel æris alieni metu deterriti, adire recuſabant: niſi interpoſitis ſtipulationibus & cautionibus: vt omne onus in fideicommiſſarium reſtituta hereditate tranſiret: id eſt, periculo ipſius adiretur hereditas. *l. 1. l. 63. facta. ad SC. Treb. §. reſtituta. de fideicom. her.* [meo periculo adito

lo adito.] *l.4. cod.tit.* καὶ μὴ ὦ μοι κληρονόμενον. Baſilicôn *lib.35.tit.10.* Et præclarè Theophilus ſæpe hoc iactari tradit, τὸ ἀνόματον ὄνομα τῆς κληρονομίας ἅπαξ ἐμπαγῆ τινὶ δυσχερῶς ἐφ᾽ ἕτερον μεθίστασθαι. Nam vbi ſemel adierit heres, ius omne in eum tranſcribitur, non tantùm ſingularum rerum, ſed nominum, obligationum & actionum. *l.37. heres. de acquir. hered. l.23. cum heredes. de acquir. poſſ.* Itaque æri alieno obſtringitur, vt nihil referat, ſoluendo ſit hereditas, an non. *l.8. more. de acquirend. hered. l.10. ſi te bonis. Cod. de iure deliberandi.* ſiue res in ea inueniantur, ſiue non. *l.14. ſi ſorori. Cod. de iur. deliberand.* Quamuis enim ſit inanis, nihilominus hereditas iuris poteſtate intelligitur: quamuis corpora nulla ſint. *d.l.50. hereditas.* tenetúrque creditoribus hereditariis reſpondere. *l.1.l.3. de bon. poſſ.* Etiam pupillus, qui ad æris alieni ſoluendi dilationem ætatis prætextu non vtetur. *l.4. C. de her. act.* Si tamen auctore tutore adierit. Nam ſolus adire non poteſt, quamuis lucroſa ſit, ac ne damnum quidem vllum habeat. *§. ſed neque. de auct. tut. inſt. l.9. obligari. ff. de auct. tut.* quia licet cæteris in rebus ſine tutoris auctoritate meliorem ſuam conditionem facere liceat: Hic tamen aliter ius eſt: vt neque pupillus, ſine tutore, nec tutor ſine pupillo adeat hereditatem: nec ſine domino ſeruus, nec dominus ſine ſeruo. *l.3. C. de her. inſtit.* Nec pater ſine filio, nec filius ſine patre. *l. vlt. C. de bon. quæ lib. l.6. qui in aliena. l.25. ſi quis mihi. § iuſſum. de acqu. her.* ¶ Damnoſa igitur interdum hereditas, legatum minimè. *l.32. ſi hereditatem. ff. mand.* Cur igitur, inquies, lucratiuis titulis annumeratur? *l. vnic. C. de impon. lucr. deſcript.* nempe quòd eſt modus acquirendi iure ciuili introductus: nec quiſquam, niſi circumſpectè ac priùs exploratis patrimonij viribus defuncti hereditatem adire præſumatur: Suæ enim ſtultitiæ acceptum ferat, ſi neglecto iuris deliberandi beneficio temerè adierit, cum non cogeretur. Maximè cum hodie inuentario facto tutiùs adire liceat. *l.16. nec emere. l. vlt. C. de iur. delib. Nouell. 1. in fin.* [Iuris enim nomen eſt.] ¶ Et quidem vniuerſalis. Vnde venditor inanis hereditatis, vel obæratæ euictionem emptori non præſtabit. *l.1. C. de euict.* Ius enim vendidit, non corpora ſingularia. *l.1. de rei vind. d.l.37. heres.* ſicut ſi nomen debitoris vendatur. *l.4. de her. vel act. vend.* Inde etiam accidit, vt iacens, necdum adita hereditas loco domini habeatur, & defuncti vicem referat. *§. ſeruus. de ſtipul. ſer. l.22. mortuo. de fideiuſſ. l.34. hereditas. de acq. rer. dom.* Denique vt pro parte aditi, repudiariue non poſſit. *l.2. l.53. qui ex duabus. l. cum hereditate. de acq. her.* [Sicuti bonorum poſſeſſio.] ¶ Poteſt & bonorum poſſeſſio damnoſa eſſe: Bonorum poſſeſſio cum re, & ſine re. Vlpianus *fragm. tit. 23. in fin.* Quæ ſemel admiſſa, commoda & incommoda hereditaria, itémque dominium rerum, quæ in his bonis ſunt, tribuit. Nam hęc omnia in bonis ſunt coniuncta. In omnibus enim vice heredum bonorum poſſeſſores habentur. *l.1. l.2. de bon. poſſ.* Nec ad rem pertinet, quòd bona intelligantur ea demùm quæ beant, deductiſque oneribus vtilitatem poſſeſſoribus adferant. *l.39. ſubſignatum. l.49. bonorum. l.83. propriè. ff. h. t.* Id enim de ſingulis rebus accipiendum eſt. Hic verò bona vniuerſitatis ſucceſſionem ſignificant. *l.208. bonorum. ff. h. t.* quia in ius demortui ſucceditur, ſuſcipitúrque eius rei commodum & incommodum: ſiue bona ſoluendo ſint, ſiue non: ſiue damnum habeant, ſiue lucrum. *l.3. ff. de bon. poſſeſſ.* Prætor heredem facere non poteſt, ſed bonorum poſſeſſorem. *§.1. de bon. poſſeſſ.* In multis conueniunt. Sed opportuniùs multiplicem hereditatis ac bonorum poſſeſſionis ſimilitudinem ac differentiam. *d.l.208. bonorum. ff. hoc tit.* colligemus.

CXX. IDEM lib. v. ad Quintum Mutium.

VERBIS legis duodecim tabularum his, [Vti legaſſit ſuæ rei, ita ius eſto,] latiſſima poteſtas tributa videtur & heredis inſtituendi, & legata & libertates dandi, tutelas quoque conſtituendi. Sed id interpretatione coanguſtatum eſt, vel legum, vel auctoritate iura conſtituentium.

ALCIATVS.

VERBIS. ¶ In duodecim Tabulis lex hæc poſita in verbis fuerat: [Vti quis legaſſit,] id eſt, legauerit, [ſuæ rei ita ius eſto.] Quam legem Iuriſconſultus interpretatur, vt liberam facultatem teſtatori reliquerit, non ad legata ſolùm, ſed etiam in heredis inſtitutione, libertatum datione, tutelarum conſtitutione. ¶ Legare enim verbum, licet ex frequentiore vſu ſimpliciter de his, quæ particulariter verbis directis in teſtamento relinquuntur, intelligatur, tamen latiorem etiam ſignificationem habuit, idémque eſt legare, quòd decernere, & mandare: vnde & delegare dicimus. ¶ In teſtamentis tamen, in quibus verba ſecundum teſtatorum conſuetudinem accipiuntur, verbum legandi obliquum eſt. Vnde in ſubſtitutione, quam his verbis filio pupillo pater facit, quandocunque deceſſerit filius meus, omnia bona mea Titio lego: receptum eſt. *Bart. l. Centurio. de vulg. ff.* vt omni tempore pro fideicommiſſaria accipiatur: niſi ex alia parte teſtamenti aliud appareat. *c. Raynaldus. de teſt.* Quid enim ſi aliquando Titium heredem appellet? quid, ſi dixerit, Seium in dimidia parte heredem facio, Titio aliam dimidiam lego? *l. mulier. §. fin. ad Treb.* Quid ſi dictum eſſet, ſi filios in pupillari ætate deceſſerit omnem eius hereditatem Titio lego? *Bald. l. fin. C. fam. erciſc. in fin.* Arguitur enim his caſibus mens teſtatoris directè non per fideicommiſſum inſtituere volentis. Idem, ſi nemine inſtituto, hereditatem ſuam ſe legare dixerit: videtur enim tunc verbum legare ad inſtitutionem referri, quod plerique probant *Bal. & Corn. l.2. C. commu. de leg.* Sed & ſi conſtitutum ſit, ne maritus habens filios aliquid vxori legare poſſit, crediderim inſtitutionem quoque vetari: eadem enim eſt ratio, & verba inferre hoc poſſunt. *l. filium. §. ſed ſi portio. de leg. præſt.* tametſi aliter Corn. reſponderit *conſil. 186. in 1.* Quomodocunque igitur de re ſua quis decreuiſſet, ex XII. Tabul. verbis obſeruandum fuerat. Vnde cùm eo iure pater in filios plenam poteſtatem, iúſque necis & vitæ haberet. *l. in ſuis. de lib. & poſthum*

poſthum. ſi tutores illis conſtituebat, de re ſua decernere dicebatur. ¶ Coanguſtata autem fuit hæc poteſtas variis legibus & Senatuſconſultis: & in primis Auguſti tempore, vt Dion ſcribit, C. Falcidius Tribunus plebis legem tulit, ne quis plus teſtamento legaret, quàm vt quarta pars heredibus ſuperesſet. Addit Hieronymus in chronica Euſebij, quartam partem heredibus neceſſariò relinqui debuiſſe, ſi quatuor aut minus eſſent: ſi autem plus quatuor, medietatem: eo tenore, vt ſiue liberis, ſiue propinquis, vel exteris pater ſua legaret, illa pars, quam Falcidius conſtituit, niſi pater interdixerit, & legatis fruentibus, & eiſdem carentibus æqualiter diuideretur. ¶ Ælius quoque Sentius, & Fuſius Caninius libertatum conferendarum ius reſtrinxerunt. *inſtit. qui manu. non poſſ.* Nam ille in fraudem creditorum manumitti vetuit, minoribúſque vigintiquinque annis, niſi cauſa cognita, hoc ius non conceſſit. At lege Fuſia, *inſtit. de lege Fuſia, Can. tol.* quoniam plerique nimis liberales, prodigíque cùm morerentur, erant, certus fuit conſtitutus numerus vltra quem teſtamento libertas ſeruis dari non poterat: quam rem diffusè Caius *tit. 2. de nu. ſer. Inſtitut. lib. 1.* proſequitur. Sed Iuſtiniani conſtitutione aliter cautum eſt: Pegaſiano quoque Senatuſconſulto, & Trebelliano, eadem poteſtas, quæ ex lege XII. tab. competebat diminuta fuit. tum etiam aliis legibus, quæ teſtamenti factionem certis perſonis auferebant. ¶ Sed & generaliter proditum eſt, neminem facere poſſe, quominùs in ſuo teſtamento leges ſibi locum vendicent, vt quamuis teſtatoris voluntas poteſtati legis æquiparetur. *§. diſponat. in auth. de nupt.* non tamen iuri publico derogare poſſit: quod in his legibus conſiſtit, quæ bonos mores reſpiciunt, vel certam formam inducunt, vel clauſulam derogatoriam habent. *l. nemo. de legat. 1.*

Brechævs.

VERBIS. ¶ Antiquis duodecim Tabularum legibus, teſtatori cuique erat liberum de rebus ſuis pro arbitrio conſtituere, támque eius poteſtas latè patebat in extremis mandatis, vt quod quiſque teſtamento ſtatuiſſet, etiam ſi vniuerſorum bonorum legatum eſſet, ſeu in fraudem heredum, ſeu creditorum, ſeu aliorum, id ius ratúmque eſſet. Quod Iuſtinianus *in Nouellis.* Περὶ δευτερογαμούντων *de ſecundò nuben.* repetit his verbis. Νομοθετείτω μὲν γὰρ ἕκαστος ἐπὶ τοῖς ἑαυτοῦ τοῖς εἰκότως, καὶ ἔστω νόμος ἡ τούτου βουλή, καθάπερ καὶ ὁ παλαιότατος ἡμῶν τῶν νόμων καὶ πρῶτος σχεδὸν τὴν πολιτείαν ῥωμαίοις διατάξας φησὶ (ζημιὸν ἢ τῶν δώδεκα δέλτων) κατὰ τὴν ἀρχαίαν καὶ πάτριον γλῶτταν οὑτωσί πως λέγων [Vti legaſſit quiſque de re ſua ita ius eſto.] μηδενὸς δυναμένου περὶ τὴν ἐκείνου γνώμην ἰδίᾳ ἄν εἴ τι τῶν πάντων, ἕτερόν τι διατυποῦν ἐν τοῖς ἀλλοτρίοις, &c. Id eſt, vt eleganter vertit Haloander. Sanciat enim quiſque in rebus ſuis, vt dignum eſt, & pro lege voluntas eius eſto: quemadmodum nobis lex etiam omnium vetuſtiſſima, & quæ prima fere Romani conſtituit Rempublicam, nempe duodecim Tabularum, vetere & patria lingua. his penè verbis, inquit, [Vti legaſſit quiſque de re ſua, ita ius eſto,] nemini facta poteſtate vt in rebus alienis aliquid præter eius voluntatem diſponat, neque ſi ſacram impetret formam, aut quicquam omnium, &c. In barbara eáque vulgari tranſlatione & planè Gothica authenticorũ, hoc ipſum citatur *ſub titulo, De nuptiis. collat. 4. §. diſponat itaque.* ¶ Sed hæc quidem poſterioribus imperatorum conſtitutionibus coanguſtata ac circunſcripta ſunt: idem quoque & ſtatutis municipalibus præfecturarum huius ampliſſimi Regni Franciæ, maximè verò Turonenſis noſtræ patriæ. ¶ Quamuis enim legandi verbum latè pateat, idémque ſignificet quod mandare & decernere, vt hoc loco videtur velle Pomponius, tamen ſi quis apud nos vel aſſem, vel ſemiſſem legauerit, non valebit legatum, nec vltra trientem protrahetur. Hucuſque enim coanguſtauit lex noſtra municipalis legatorum rationem.

Fornerivs.

VERBIS. ¶ Teſtamentorum iura ſummæ auctoritatis veteribus fuere, vt quid de rebus quiſque ſuis poſt mortem ſuam fieri vellet, ſtatueret ac teſtaretur: vt tum demùm proximus agnatus ad ſucceſſionem, ſi inteſtatus decederet, vocaretur *l. 195. pronuntiatio. ∫. h. t. l. 9. ſi quis. de lib. & poſthum.* Veteri lege XII. tabularum, [Vti legaſſit ſuæ rei ita ius eſto.] Vox [Quiſque] quæ vulgatibus libris irrepſit, à Florentino abeſt: quam tamen Theophilus retinet initio *tit. de leg. Falcid.* itáque extulit, ὡς ἂν διατυπώσῃ τις ἐπὶ τῇ οἰκείᾳ περιουσίᾳ, τοῦτο νόμος ἔστω. & Iuſtinianus *Nouell. 22.* eúmque verſiculum antiquo patrióque ſermone expreſſum ipſe Græcè ſcribens edidit, κατὰ τὴν ἀρχαίαν καὶ πάτριον γλῶτταν. vt idem πάτριον φωνήν. *Nouel. 13. 15. 69. 146.* Rectiùs igitur detracto [Quiſque] Pomponius antiquæ legis ſententiam retulit: alij περιφραστικῶς, [Vti paterfamilias,] ex ingenio, & ad iuris rationem aptè: Nam filiusfamilias non teſtatur, ne volente quidem patre. *l. 6. qui in poteſtate. ∫. qui teſtam. fac. poſſ.* de re enim ſua quemque teſtari oportet: hic [rei ſuæ] at nihil ſuum habet, vt de eo teſtari poſſit. Vlpian. *fragm. tit. 20.* Niſi in tribus, ex cauſa caſtrenſi, ex teſtamento, ex ſcientia, Scholium ſynopſeos Baſilic. *lib. 35. pag. 329.* τὸ ἀπὸ στρατείας, ἀπὸ διαθήκης, καὶ ἀπὸ ἐπιστήμης. [Suæ rei] ¶ Id eſt, ſuper pecunia tutelâve ſua: de quo *l. 53. ſæpe. ∫. h. t.* Plato *lib. 11. de legib.* ἐξεῖναι τὰ ἑαυτοῦ διατίθεσθαι ἁπλῶς, ὅπως ἄν τις ἐθέλῃ τὸ παράπαν. ſed idem *eodem in libro,* non multò pòſt, legem de teſtamentorum ac heredum inſtituendorum libertate omnihil immutat, νόμος δέ, ὃς δ᾿ ἂν γράφῃ τὰ ἑαυτοῦ διατιθέμενος, παῖδας ὢν ὢν πατήρ, &c. Nam & quod hic [heredis inſtituendi] exempli loco additum eſt, non abſolutam ſuorum prætereundorum aut ſine cauſa exheredandorum poteſtatem patri familiâs tribuit. *tit. de inoff. teſt. Nouell. 1. 18. 115.* [Tutelas quoque conſtituendi.] ¶ Tutelarum quoque teſtamentariarum conſtituendarum poteſtas parentibus lege XII. tab. conceſſa initio libera, nulliſque circumſcripta terminis, tandem vel auctoritate legum, vel interpretatione iura conſtituentium (ſic enim hîc legendum cenſeo, id eſt, iuriſconſultorum *l. 74. ſi ita. ∫. de her. inſtit.*) coanguſtata eſt. Vt ad eos tantùm, qui teſtatori futuri eſſent heredes, pertineret. *l. 1. de teſtam. tut. §. permiſſum. de tutel. Inſt.* Suorum enim nomine (quod ex lege XII. tabularum manat. *l. 220. liberorum. ∫. h. t. l. vlt. de bon. damn.*) patria poteſtas ſignificatur: Sui,

ὑπεξούσιοι

ὑπεξούσιοι. Vnde & materfamilias inter ſuos numerabatur: in manum viri conueniebat, in tutela ipſius erat, & ei heres. A. Gellius *lib.10.cap.6.* Vlpian. *fragm.l.195. pronunciatio. §. familia. ff. h.t.* Dionyſ. Halycarnaſſ. *lib. 2.* τελευτήσαντος τὲ ἀνδρὸς γυνὴ κληρονόμος ἐγίνετο τῶν χρημάτων, ὡς θυγάτηρ πατρός. Vnde ſuum heredem, ſuúmque filium dicimus, pro eo quod eſt, in poteſtate. *l.18. nepos. de leg. præſt. l. pen. verſ. & vereor. de bon poſſ. contr. tab.* Nec quicquam minuit, quòd ea ratione ſeruus quod ſit in poteſtate, ſuus quoque heres dici poſſet. Nam quoties ſuum dicimus, id nomen ad hereditatem referimus: ſuóſque heredes quaſi αὐτοκληρονόμους appellamus, quomodo Seneca ſuum aſſentatorem dixit, *lib.5. de benefic. cap.7.* & ſuum fratrem, *cap.10.* Ideóque non adire, ſed retinere hereditatem, non furari quid ex hereditate ſed ſurripere: non expilare, ſed leniore verbo, amouere dicuntur. *l.12. ſi patronus. 2. fin. de bon. lib. l.71. ſi ſeruum. §. prætor. de acquir. her.* non heredes fieri, ſed exiſtere, ἀναφαίνεσθαι, apparere. *l.11. in ſuis. de lib. & poſth. l. vlt. §. ſin verò. C. de cur. furioſ.* Theophilus *de bon. poſſ. & §. ſi nantem. de her. qual. & diff.* Nec tamen ſufficiet, ad tutelam ex teſtamento conſtituendam, vt liberi ſint in poteſtate: ſed vt in proximi poteſtate. Ideóque nepotibus auus ita demùm tutores dabit, ſi eo mortuo, non ſint in patris poteſtatem recaſuri. *§. itaque. de tutel.* Sed hæc iure veteri XII. tab. obtinuere: mediæ autem Iuriſprudentiæ auctoribus, tutorem etiam emancipato dari poſſe placuit: datúmque omnimodo, id eſt, ſine inquiſitione confirmari. *l.1. l.6. ſi filio. de confir. tut. §. vlt. de tutel. Inſt.* Quod etiam in naturalibus (ſi quid tamen eis teſtamento relinquatur) obtinet. *l. vlt. C. de confirm. tut. l.7. naturalis. ff. eod.* Quinetiam mater quamuis liberos in poteſtate non habeat, tamen quin illis inſtitutis tutores dare poſſit, nulla dubitatio eſt. *l.4. ff. de teſtam. tut.* nec mirum, cum id etiam extraneis aliquando permittatur: vt in ſpecie. *d. l.4.* Cæterùm aliis, niſi quos in poteſtate habeant, tutores dare licet, ne militibus quidem. *l.41. miles. § mulier. ff. de mil. teſt.* [Coanguſtatum eſt.] ¶ Generale igitur effatum illud, [Diſponat teſtator, & erit lex:] *Nouell.22.* non perpetuò ſeruabitur. Quid enim ſi quid impium & bonis moribus aduerſum teſtator legauerit? vt vſufructuario ſatiſdationem, tutori reddendarum rationum neceſſitatem remiſerit: vel minùs probos ac fideles imprudens liberis tutores dederit? Voluntati teſtatoris vtique pupillorum vtilitatem, & iuris auctoritatem opponemus. *l. pen. de cond. inſt. l. pen. de confirm. tut. l.5. §. quidam decedens. de admin. tut.* lex enim vincit teſtamentum, nec poteſt quiſquam ita cauere, quominus leges in ſuo teſtamento locum obtineant. *l.55. nemo. de leg. 1.* Quinctilianus *declam.374.* [Hæc lex publica eſt, ad omnes pertinet: teſtamentum priuatum eſt. Potentius eſt quod in albo legitur, quàm quod teſtamento.] Plato quidem *lib.11. de legibus*, teſtatorum aduerſus legumlatores querimonias refert. Sed excipitur ſemper legis auctoritas. *l.2. quod pœna nom. l. vlt. de colleg. illic.* ne quid abſurdum, probroſum, impoſſibile, legibus interdictum, teſtatoris voluntate præcipiatur: alioqui impunè negligetur. *l. vn. C. de iis quæ pœn. nom.* Quod & disertè excipit Iuſtinianus *Nouell.22.* εἰ τὸ πρεσβεύειν τὸ ἀρχὴν νέμομεν ἔσται, μή τις αὐτὸ νόμος κωλύσειεν. Iubet mandatis teſtatoris pareri, niſi lex vetet. προσήκειν τὰς τῶν τελευτώντων διατυπώσεις, ὅσαι μὴ μάχονται νόμοις, πάσῃ πληροῦσθαι σπουδῇ. ¶ Contracta igitur, & coanguſtata eſt legandi libertas, iuriſque præceptis alligata. *d. l.55. nemo.* Legibus teſtamentariis, Voconiæ, Falcidiæ, Caniniæ, Æliæ Sentiæ, & Sc. obnoxia. Præterquàm quòd ætas, mentiſque ſanitas, & αὐτεξουσία in teſtatore requirantur. *l.2. l.5. l.6. qui teſtament. fac. poſſ.* Nam & Tiberij teſtamentum hoc colore reſcidit Caligula, quòd à furioſo & mente capto factum argueretur. Xyphilinus ex Dione, τὰς διαθήκας τοῦ Τιβερίου εἰς τὸ συνέδριον πέμψας ἀκύρους ἐποίησεν, ὡς καὶ παραφρονήσαντος αὐτοῦ.

CXXI. Idem lib. vj. ad Quintum Mutium.

VSVRA pecuniæ, quam percipimus, in fructu non eſt: quia non ex ipſo corpore, ſed ex alia cauſa eſt, id eſt noua obligatione.

Alciatvs.

VSVRA. ¶ Vſura ſortis acceſſio eſt, quæ propter mutuò datæ pecuniæ vſum, vel etiam moram exigitur. Ea iure ciuili vſque ad legitimum modum permiſſa fuit, *l. eos. C. de vſuris.* ſed diuinis Chriſti traditionibus omnino prohibita. Cùm enim non niſi ab indigentibus ex quadam neceſſitate, ſub fœnore mutuò pecuniæ acciperentur, accidebat plerunque, vt ipſi propter certitudinem promiſſionis ſoluere tenerentur, cùm nullos fructus rerum ſuarum percepiſſent, ſicque ad inopiam redigebantur: quapropter legibus fœnebre hoc malum temperatum eſt. At Chriſtus non conuenire exiſtimauit mutua, quæ amicorum cauſa inducta ſunt, in lucri certitudinem vertere: atq; ideo vetuit, ex mutuo quicquam ſperari. ¶ Apud Ariſtophanem in Nubibus deſcribitur τόκος (ſic enim à partu vſura dicitur, ſicut à fœtu fœnus) eſſe bellua quæpiam quæ ex proceſſu temporis argentum ſemper numeroſiore fœtura progeneret. ¶ Eam in fructu non eſſe, hoc eſt, naturaliter ex re non oriri, Iuriſconſultus hîc tradit, ſed extrinſecus prouenire. Debetur enim ex alia cauſa, id eſt. obligatione: quandoquidem vſuræ ex contractu principali non debentur, *l.3. C. de vſu.* ſed opus eſt ſtipulatione: ſunt enim odioſæ. & ideo ex pacto nudo non debentur, ex earum ſolutione obligatio non arguitur. *l. creditor. eod. tit.* ex lapſu temporis earum remiſſio faciliter præſumitur. *l. cùm quidam. §. 1. ff. eod.* debentur tamen ex quorundam contractuum natura. *l. videamus. eod. tit.* ¶ Illud conſtat, quoties ex mora fructus non debentur, nec vſuras deberi. Sanè vſuras, quas ex peculio profectitio filius lucratur, non eſſe peculij Oldrad. Albericúſque exiſtimant, quoniam hic peruenire extrinſecus dicantur. Sed non dubito contrariam ſententiam veriorem eſſe: qualecunque enim lucrum peculio accedit. *glo. Bald. in l. cùm oporter. C. de bon. quæ lib.* atque ideo ſi pater peculium petat, eas conſequi debebit, & reſtituere: ſed ſi tanquam vſuras petat, improbè petit, vt pleriſque viſum eſt. *46. diſtin. ſicut.* In generali tamen

peculij

peculij conceſſione non eſt exiſtimandum, mandaſſe patrem filio, vt fœneret: id enim turpe eſſet, & reprobum *l. ſi procurator. de cond. indeb.* quod genus mandati in dubio præſumendum non eſt. ¶ Extat Plutarchi libellus περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι, quo vniuerſam fœnerandi rationem damnat, quòd contra naturæ regulam ſit, quæ eſt, ex nihilo nihil gigni: quod paupertati vnicum eius ſolatium nempe animi ſecuritatem, auferat: quòd nondum natos fructus deuoret: quod qui accipiunt ſub vſuris verſuram ex verſura facientes, nunquam ſe extricant, quòd ſimiles Phinei ſint, cui Harpyæ victum deuorabant: quòd vt plurimùm ex luxu æs illud alienum contrahebat: conſulitq; potiùs heredium quodlibet vendendum quàm mutuò à daniſta quicquam accipiendum. ¶ Apud nos certè publicè intereſſet legem ciuilem obſeruari *l. eos. C. de vſur.* quæ certum modum fœnerantib. conſtituit, vt qui eum excederent, plecterentur: nam propter Canonum prohibitionem, non niſi peſſimus quiſque & impudentiſſimus fœnerat, qui cambij vel eius, quod intereſt, nomine vel alio ficto titulo indigentem, atque neceſſitate, quod humaniores non reperiat, compulſum, deglubit, nec epiſcopi & ſacerdotes id hominum genus vllo modo coërcent, ſed adiuuant potiùs, ſuis quoque pecunijs daniſtæ in id lucrum clàm creditis, quod & Diuus Cyprianus conqueritur.

Brechævs.

VSVRA. ¶ Filiusfamilias grandem pecuniam ex vectigali & fructibus, atque obuentionib. paterni prædij à redemptoribus accepit, quam quidem pecuniam ſibi poſtea a patre datam, Titio fœnori dedit: Quærebatur, vtri Titius vſuras redderet, filio, an verò patri, & ad quem vſuræ ipſæ pertinerent: Reſponſum fuit ad filium pertinere: vt quæ non ex re patris viderentur partæ, ſed ex re filij ipſius per donationem, ſeu quamuis aliam ſtipulationem. Quemadmodum ſi vxor nummis à viro, aut ab eo qui in eius poteſtate eſſet, ſibi donatis, fundum emerit, deinde cùm eius factus fuerit, eum ipſum viro, aut cuiuis alij donationis cauſa tradiderit, ratam eſſe donationem Labeo ſcripſit. *ff. de donat. inter vir. & vxo. l. ſi.* Si quid igitur filius acquirat ex propria pecunia, quam non ex eius ſubſtantia in cuius poteſtate conſtitutus ſit, ſed ab alijs quibuſcunque cauſis, ſeu labore, ſeu induſtria, aut fortunæ liberalitate acquiſierit ſibi, hoc ipſum filij non patris erit: quoniam non ex vſu pecuniæ paternæ eſt acquiſitum: ſed pecuniam pecunia propria pepeciſſe cenſebitur filius. Ad eum itaque vſura ſpectat. Iuſtinianus *in l. cùm oportet. C. de bonis quæ liberis in poteſtate patris conſtituuntur.* Ioannes Faber *in §. igitur liberi. Inſtitu. per quas perſonas nobis acquiritur.* Quo loco tradit Angelus Aretinus lucrum quod ex ea pecunia acceſſit, non eſſe fratribus communicandum: cùm aduentitium ſit, non ex ſubſtantia patris *l. ſi. C. de collation.* Alioqui enim, vſura pecuniæ quæ ex ipſo corpore fundi enata eſt, in fructu eſſe dicetur. Vnde tradidit Vlpianus *in l. vſura. ff. de vſuris.* Vſuræ, inquit, vicem fructuum obtinent: & meritò non debent à fructibus ſeparari: & ita in legatis & fideicommiſſis, & in tutelæ actione, & in cæteris iudicijs bonæ fidei ſeruatur. Hoc idem igitur in cæteris obuentionib. dicemus. Cuius quidem rei eam eſſe rationem arbitror, quòd fructus nomine venit quicquid emolumenti de ea re quam vtendi fruendi gratiâ habemus, capimus. Quare ea pecunia quam mea pecunia peperit, in fructu rerum mearum erit reponenda. Inde ab vſu vſura venit, quę etiam ipſum vſum ſignificat. Cic. *libro tertio Epiſtolarum familiar.* Quod cùm ita ſit, perficiam profectò, vt longi temporis vſuram, qua caruimus intermiſſa noſtra conſuetudine, & gratia, & crebritate, & magnitudine officiorum meorum ſarciam. Et apud Senecam, Si mihi diei vnius vſuram permiſiſſet, &c. Vſuram etiam Latini fœnus appellant à fœtu, idque imitatione Græci ſermonis τόκος a partu pecuniæ: cùm pecunia pecuniam, veluti fœtum quendam pariat, τὸ ἀργύριον αὐτοῦ οὐκ ἔδωκεν ἐπὶ τόκῳ. Qui argentum ſuum non dedit ad vſuram, apud Pſalmographum regium, i. qui fœneratus non eſt: quod etiam Græci τοκοφορεῖν καὶ δανείζειν dicunt. ¶ Iam quid ſit vſura, & vnde dicatur Carolus Molinæus ſatis, vt mihi videtur, aperuit *in eo libro quem de vſuris ſcripſit.* ¶ Vſura autem apud antiquos, duplex fuit, Terreſtris & Nautica. Terreſtris, id eſt, ἔγγειος, menſtrua erat. Nautica iterum duplex fuit: vna quæ in alteram tantùm nauigationem ſtatuebatur, à Græcis Heteroplus dicta: altera ita contrahebatur, vt non aliter deberetur, nec ipſa nec ſors eius, quàm ſi nauis ſoſpes cum mercibus domum rediiſſet. Hanc Amphoteroplum dicunt, quaſi in commeatum remeatúmque taxatam: Cuius quoque meminit Modeſtinus *in l. 1. ff. de nautico fœnore.* Merces, inquit, ſi periculo creditoris nauigent, traiectitiæ pecuniæ erunt loco. Hoc etiam annotauit Budæus *lib. 1. de aſſe*, eo loco vbi docet ex Demoſth. πρὸς φορμίωνα, vſuram nauticam non menſtruam fuiſſe: ſed vna in omne tempus nauigationis & negotiationis conſtitutione taxatam. At verò terreſtres vſuræ omnes menſtruæ erant, & in ſingulas Calendas cedebat earum dies. Hoc eſt, tricesimo & vltimo die menſis, qui ab Atticis ἔνη καὶ νέα dicitur, quod confinium ſit deficientis Lunæ & renaſcentis: hoc eſt, veteris & nouæ: quo die cedebat fœnorum petitio, hoc eſt, Calendis, quæ νουμηνία etiam dicitur à Græcis, Budæo teſte. Vnde & Calendarium dicebatur Codex, in quem ſingulis calendis quod acceptum expenſúmque eſſet, referebant. Quare vſura centeſima dicebatur quod menſe centeſimo ſortem æquet: quæ drachmalis à Græcis καὶ ἑκατοστὴ dicitur. Eſt enim Drachma centeſima pars Minæ, teſte Budæo. Sic igitur fit, vt vſura centeſima ſortem æquare dicatur, quia centeſimo menſe drachma in Minam euadit. Vt enim Romani ab Aſſibus, ſic Græci à Drachmis vſuras denominarunt: vt nos hodie, ait Budæus, à denarijs. Vſuram centeſimam, Paulus *in l. lecta. Si cert. pet.* dixit, cùm in denarios centenos, ſingulos denarios dari nobis ſtipulamur. Sic duodecim vſuræ nomine, centenario accedunt, & centeſimis calendis ſeu menſe centeſimo ſortem vſuræ æquant, vt ſuprà diximus, & videre eſt *ex libro tertio Sidonij Apollinaris.* Vſuram verò ſemiſſem appellant dimidiam centeſimæ, in qua ſenarius anniuerſarius è centenario conficitur. Vnciaria, eſt cùm centenarius ſingulos parit. ¶ Valent his noſtris temporibus aduerſus præſcriptum Chriſti id genus vſuræ immodicæ, magno quidem hominum detrimento: ſed hæ veluti φωλεύοντες: coram enim non licet: his namq; eſt pœ

eſt pœna regiarum conſtitutionum. Sed cùm ideò non audeant ſibi nominatim ſtipulari vſuras, ait Connanus *libro 7. commentariorum iuris ciuilis in titu. de reb. creditis.* Res debitoribus vendunt ingenti precio, tolerabili tamen, ne hinc fraus pateat: tum emptorem apponunt qui ab his mercatur eas viliſſimo. Vtinam hæc hominum fœneratorum colluuies tandem diſpereat. Antiquitus cùm quis ære alieno vſus ſic oppreſſus eſſet, atque obſtrictus vt cuperet coniurare, ſi quiſquam reciperet, & demum ſoluendo non eſſet, vocatus in ius lege xij. tabul. in temporariam ſeruitutem creditori addicebatur. Quæ res, inquit Liuius, olim multas ſeditiones excitauit. Hinc ſeceſſio plebis in montem ſacrum facta. Hinc M. Manlius qui iudicatos pecuniæ & addictos, ſoluta pecunia duci vetabat, damnatus & e ſaxo Tarpeio deturbatus eſt. Videmus hodie ſane mercatorum permultos hac æris alieni ratione, quo ſæpe obruuntur inopes, vſuráq; multiplici omnia corrodente, ac velut tabe peſtifera ad corpus item correpente, propemodum extinctos & deperditos. ¶ Sed vt ad rem propoſitã redeamus: Pomponius hoc loco ſentit vſuram pecuniæ quam percipimus, in fructu non eſſe, quando videlicet non ex ipſo corpore pecuniæ naſcitur, veluti fructus illi annui ex terra arboribúſue bene cultis: ſed ex alia cauſa, ſeu ex noua obligatione ſtipulationéque: vt ſ. ex ſpecie facti docuimus. Iam verò quoniam mutuata pecunia vtatur debitor, vſura dicta, rei ipſius, id eſt, pecuniæ, fructus cenſebitur. *d. l. vſura. ff. eodem.* ¶ Sed & ſi quis alienam pecuniam gerendis negotiis accepit, ſtatim à geſtis negotiis, vſuras præſtare cogitur, eius videlicet pecuniæ, quæ purgatis neceſſariis ſumptibus ſupereſt. Papinianus *l. qui aliena. ff. de negotiis geſtis.* Et id quidem intelligendum erit, ſi pecuniam dominus conſueuit fœnerari. *l. qui ſemiſſes. ff. de vſuris.* Gloſſ. *in d. l. aliena.* Quiſquis autem pecuniam pupilli & minoris tractauerit, ſeu tutor ac curator, ſeu mater fuerit, vſuras præſtare cogendus eſt. *l. ſi mater. C. de vſuris.* Paulus *in l. at qui natura. §. non tantùm ſortem. d. tit. de neg. geſtis.* Idem quoque dicendum cenſuit Tryphonius *in l. qui ſine vſuris. eod. tit. de neg. geſt.* ac etiam de eo qui Reipub. pecuniam adminiſtrauit: vt maximas vſuras debeant, id eſt, centeſimas: beſſales enim non puto accipiendum: quamuis ſumma eſſet Beſſis, & quam nefas erat excedere: quæque veluti nimium grauis cuiuis concedi non ſolet. Sic vſura pœnam complectitur, & id quod intereſt. *l. vlt. ff. de eo quod certo loc.* At cùm vſuræ, ait Alciat. *in d. l. lecta. Si cert. pet.* hodie de chriſtiana republ. eiectæ ſint, non tam ad vocum ſignificationes attendendum eſt, quàm ne fraus legi fiat, ſub nomine pœnæ. Etenim qui centum accepit ea conditione & lege, vt niſi eadem centum intra calend. Martias perſoluat, decem præſtare nomine pœnæ teneatur, ſi intra eum diem Calendarum partem debiti totius exoluerit, ceſſat integra pœnæ præſtatio, quamuis ſummo iure agi poſſit vt tota pœna debeatur: *capit. ſuam. extrà de pœnis.* Quinetiam creditor qui partem ſortis recepit intra præſtitutum adiectúmque pœnæ diem, cenſetur pœnam illam & vſuras remiſiſſe. Paulus *l. ſi poſt moram. ſub fin. ff. de eo quod certo loco.* Gloſſ. ampliſſimè *in d. capit. ſuam.* Et hæc quidem ſententiæ locus eſt in pœnis hominum & contrahentium pacto adiectis: non item ſi à lege vel ſtatuto pœna ipſa præſcripta ſit. Gloſſa *in d. l. ſi poſt moram. in verbo videatur.* ¶ Iam verò quandocunque de fœnoris iniquitate eſt quæſtio, de ea re iudex eccleſiaſticus, non autem prophanus cognoſcit. Ita confirmat permultis authoritatibus & exemplis Gulielmus Maynerius *in l. quis iuſſu. de regulis iuris. ſub numero 70.* Sed hodie in hoc regno Franciæ prophani iuridici, & hi quidem Regij in fœneratorum ſcelus animaduertunt: ac de ea re edita promulgatáque eſt conſtitutio Regia.

Fornerivs.

VSVRA. ¶ Redacta ex nummis vſura in fructu non numeratur. *ὁ τόκος τῶν ἀργυρίων οὐκ ἔστι καρπός.* Nummi per ſe conſiderati certa æſtimatione conſtant, intrinſecam habent qualitatem, quantitatem, *τὸ ποσὸν*: quæ non augetur, aut minuitur. *l. 1. de contr. empt.* Niſi cauſa extrinſecus accedente, vt mora. *l. 3. de in lit. iur.* ob eámque cauſam Pomponius perceptam ex vſura pecuniam (quòd ex ipſo corpore non naſcatur) in fructu habendam eſſe negat. ¶ Nummus ſterilis & infœcundus ſuapte natura non parit nummum: vt Ariſtoteles ait: ſed ciuili tantùm ratione, vt commercia inter homines tueantur. Itaque ſi poſſeſſor hereditatis inuentam in hereditate pecuniam non attigerit, non conuenietur in vſuras. *l. 20. item veniunt. de pet. her.* Neque procurator, neque negotiorum geſtor, pro pecunia otioſa domino, qui non fœnerabat, mandantis inſtitutum ſecutus, non debebit quicquam vſurarum nomine præſtare. *l. 13. qui ſemiſſes. de vſur.* vbi quod à Scæuola dicitur, *Depoſitam habuiſſet* (ſic enim [non poſitam] legendum, vt *l. 6. de pig. act.*) interpretor, ſepoſitam minimè fœnebrem ſeruaſſet: Eleganter Didymus *Iliados Homerica ζ.* ἀπόθετα καὶ ἀργὰ χρήματα conditos & otioſos nummos vocat. ¶ Sed & (vt ad rem redeam) Bonæ fidei poſſeſſor vſuras pecuniæ venditis rebus hereditariis collectas, niſi locupletior factus, reddere non cogitur. *l. 1. C. de pet. her.* Vt ſocius ex communis pecuniæ ſuo nomine fœneratione perceptarum vſurarum nihil ſocio impertiet: ſed quia ſuo periculo credidit, vſuras ſibi retinebit. *l. 67. ſi vnus. pro ſocio.* Idémque in eo reſponſum, qui hereditarios nummos fœnori occupaſſet, niſi mora in reſtitutione fieret, nihil eo nomine fideicommiſſario præſtaturum: quòd periculum nominum adierit. *l. 44. poſtulante. ad Sc. Trebel.* Denique ſi creditor pluris fundum pigneratum vendiderit, pecuniáque ipſe vtatur, vel fœneret, vſuram debet: At ſi otioſam habuerit, nihil præſtabit. *d. l. 6. quamuis. de pig. act.* Alia fructuum à creditore ex pignore perceptorum ratio: ſortem enim extenuant. *l. 1. l. 2. l. vlt. C. de pig. act. l. 12. reſcriptum. §. ſi aliena. ſ. de diſtra. pign.* *Ipſo corpore.* ¶ Vt fructus ex fundis percepti, partus, fœtúſq; pecorum, operę ſeruorum, vectura nauium, & iumentorum, mercedes à colonis acceptæ (ἐνοίκια. Baſilicôn *lib. 35. tit. 11.*) areæ, tabernæ, officinæ locatæ penſiones, fructibus annumerantur. *l. 25. ſed etſi. ſi. ll. ſeqq. l. 29. mercedes. de pet. her. l. 36. prædiorum. de vſur.* Ex re enim mea ortum, illiúſue occaſione quæſitum, meum quoque cenſetur. *l. 12. de eo. ad exh. l. 47. ſolùm. de reivind. l. 2. l. 6. item. l. 10. acquiritur. de acq. rer. dom.* Athenis actio *καρποῦ δίκη*, qua actor non tantùm rem, ſed & ex ea fructus vindicabat: vt Harpocration ac Suidas tradunt. Ciuiles autem

eiuſm

eiuſmodi ſtuctus, qui ex rerum vſu, vt penſiones, nauis locatæ penſio, ab vſura pecuniæ diſtinguuntur: quòd poſſeſſor qui eos non perceperit, cum poſſet, nihilominus teneatur: in pecunia otioſa non item: Ratio differentiæ, quia cum nauis ad nauigandum comparata ſit, periculo poſſeſſoris ceſſabit. Pecunia non ſemper propter nominum periculum fœnori collocatur. Honeſtiùs eſt nauim quàm pecuniam exercere. *l.62.ſi nauis.de rei vind.* Odioſiores vſuræ: imò iam Leonis (quæ exſtat apud Harmenopulum *lib.3.tit.7.*) conſtitutione prohibitæ. ¶ Cur igitur, inquies fructuum vicem obtinere, neque à fructibus meritò ſeparandæ dicuntur? *l.34.vſura. de vſur.* Nempe quòd ſi idonea cur petantur, ratio ſubſit, (ſemper enim cauſa, cur quid debeatur, præcedat oportet. *l.12.huiuſmodi. quando dies legat. l.2.§.circa.de dol.except.*) conditionem fructuum ſequuntur, cum fructibus comparantur, & ſæpe compenſantur. *l.27.patri.l.40.minor.§.prædia.de minor.l.65.emptor.de rei vind.* Veluti ſi emptor tradita re fruatur, æquum eſt, pretij non ſoluti vſuras pendere. *l.vlt.de peric. & com.rei vend. l.12.Iulianus.de act.empt.l.5.C.eo.tit.l.2. C.de vſur.* Quamuis enim diuerſa fructuum atque vſurarum origo ſit. *d.l.62.ſi nauis, & hic.* Tamen æquitate coniunguntur, iiſdémque ferè cauſis petuntur, Papin. [Placuit vt ad diem non ſolutis vſuris, fructus hypothecarum vſuris compenſarentur.] *l.1.de pign.* Qui ſine decreto prædia Curialium in Oſdruena compararint, receptis pretiis reſtituere, ita vt, [ſi vſuras vel ſumptus rei melioratæ popoſcerint, à venditore percipiant, fructus inuicem redditur.] *l.2.de præd. & mancip. Curial.C.Th.* Paulus, [Cùm debitor gratuita pecunia vtitur, poterit creditor de fructibus rei ſibi pigneratæ ad modum legitimarum vſurarum retinere.] *l.antep.quib.ex cauſ.pign.tac.* Herede accepta à Titio quartæ partis hereditatis pecunia reſtituere rogato, fideicommiſſarius tardiùs exſolutæ pecuniæ ideò vſuras non inferet, quòd quantò tardiùs pecuniam det, tantò tardius ad fideicommiſſum peruenïens medij temporis fructus perdat. *l.63.facta.§.reſcripto.ad Sc.Trebell.* Capto in cauſam iudicati diſtractoque pignore deinde euicto, reus pretio liberatus, ex empto de pretio tantùm & vſuris habita fructuum ratione conuenietur. *l.antep.§.de euict.* Fructus rerum, mercedes ſeruorum, vſuris legatorum comparantur. *l.1. C.de vſur.& fruct.legat.l.1.C.de iis quæ vt indign.* Sed in vtroque generaliter obſeruandum eſt, fructus, qui non percepti non peterentur, reſtitui oportere, & vſuras quæ ab otioſis depoſitiſque nummis non perceptæ, minimè exigerentur, perceptas exigi poſſe. *d.l.6.quamuis ſi.* Omne enim lucrum auferendum eſt. *l.18.poſt.de petit.hered.* Quamuis enim ex flagitio & contra bonos mores præſtari nihil oporteat. *l.5.de vſur.* Ne tamen inhoneſtos quæſtus poſſeſſores ferant etiam ex lupanaribus & meritoriarum ancillarum proſtitutione perceptos reſtituent: [Ne honeſta interpretatio non honeſto quæſtui lucrum poſſeſſori faciat.] *l.27.ancillarum.l.52.ſi poſſeſſor. de petit.hered.* ¶ Tranſlatitium & illud eſt, fructus eos demum intelligi, qui deductis impenſis ſuperfuerint. *l.7 fructus.ſol.matr.l.1.C.de fruct.& lit.expenſ.* Sicuti bona intelliguntur, quæ deducto ære alieno ſuperſunt. *l.39.ſubſignatum.§.bo.* ſic in ineunda fructuum ratione, quod in eos cogendos impenſum eſt, deducetur. Nec aduerſatur Iabolenus *l.40.quibus.§.1.verſic.non deductis fructibus.de cond.& dem.* Regula de eo impenſarum genere accipitur, quæ in quærendis, redigendis, cogendis, ſeruandiſque fructibus fiunt: quæque fructus minuunt. *l.46.quod in fructus.de vſur.* non autem de aliis quibuslibet. *arg.l.36.ſi à patre.alias ſi à domino ſi.l.ſeq.de petit.her.* Iabolenus de eiuſmodi ſumptibus non agit. *d.§.1.* neque enim eſſent heredi dandi: cum alioqui nullus caſus interuenire poſſit, qui hoc genus deductionis impediat. *l.52.fundus.fam.erciſc.*

CXXII. IDEM lib. viij. ad Quintum Mutium.

SERVIVS ait, ſi ita ſcriptum ſit, [Filio filiiſque meis hoſce tutores do,] maſculis dumtaxat tutores datos: quoniam ſingulari caſu hoc, filio, ad pluralem videtur tranſiſſe, continentem eundem ſexum quem ſingularis prior poſitus habuiſſet. Sed hoc facti, non iuris habet quæſtionem: poteſt enim fieri, vt ſingulari caſu de filio ſenſerit, deinde pleniùs omnibus liberis proſpexiſſe in tutore dando voluerit. Quod magis rationabile eſſe videtur.

ALCIATVS.

HERENNIVS. ¶ Cùm teſtator plures filios impuberes habens, ſimpliciter ſcribit, filio tutores do, propter incertitudinem de omnibus ſenſiſſe videtur. *l.ſi quis ita. de teſtam.tut.* non enim eſt ratio, cur magis de vno, quàm de alio accipiamus, meritò omnes continentur. ¶ At ſi dixerit, filio filiiſque meis, quidam fœminas non comprendi dixerunt, quaſi nominum maſculini generis geminatio mentem eius arguat eiuſmodi eſſe, vt de fœminis non intellexerit. Sed id Pomponio non placet, quandoquidem huius geminationis alia potius coniectura aſſumenda ſit: nimirum cùm de ſingulari dixiſſet, ad pluralem numerum tranſitum feciſſe, vt omnibus filiis conſuleret: & ideò a regula non eſſe recedendum, vt filiorum appellatione filiæ quoque contineantur. Et hinc ſumi argumentum poteſt, cùm in teſtamento filiorum maſculorum mentionem teſtator fecit, ſi alia in parte ſimpliciter filios nominet, etiam fœminas contineri. ¶ Quapropter in hac ſubſtitutione, filios meos maſculos inſtituo, ſi ſine filiis deceſſerint, Sempronius heres eſto: nata filia, Sempronius conditione defectus cenſebitur: ſi enim neptes teſtator excludere voluiſſet, vtrique qualitatem priorem repetiiſſet, vt Ancharanus *conſil.110.* Ananiáſque reſpondit: idémque Iaſ. *l.qui filiabus.* Alex. *conſil.40.*

in 4. recentioribúſque quibuſdam viſum eſt. Aliis tamen idem non videtur, maximáque controuerſi iuris hæc eſt quæſtio: ſed priorem ſententiam ego magis probo, niſi aliqua verba addita proponantur, quæ vim repetitionis habeant, vt cùm conditio ſic concipitur, ſi deceſſerit ſine filiis maſculis, vel nepotibus: videtur enim maſculis repetitum. *Com.conſil.*127. Idem ſi filiabus in re certa inſtitutis, & maſculis heredibus relictis ſcriptum ſit, omnes filios meos inuicem ſubſtituo, intelligemus de maſculis. *Bart.l.Lucius.de vul.* ſubſtitutum enim in portionibus hereditariis videtur, quæ nullæ apud filias erant. Quod & in ea ſpecie traditum eſt, cùm dictum eſt. Si quis eorum deceſſerit, portio ſuperſtitibus relinquatur. *Bart.l.fin.ad Trebel.* eorum enim, id eſt, maſculorum, accipimus, qui ipſi heredes fuêre. Sed & in ea conditione, Si filij mei ſine filiis morientur, vel ex eis vnus tantùm remaneat, & filios non habeat, tunc ille, qui remanſerit filius maſculus, centum Titio det. Reſpondit Nicolaus Abbas *conſil.36.in 1.* ſi fœmina ſuperſit, non videri conditionem eueniſſe: quoniam licet prius filium ſimpliciter appellauerit, dum tamen paulò inferius addidit maſculinum, ſatis oſtendit de fœmina non intellexiſſe.

Eundem ſexum. ¶ Atqui filiis, in dandi caſu, etiam de fœminis intelligitur, vt ex Næuij Plautiq; authoritate Priſcianus *lib.* 7. docet. Sed Iuriſconſultus ad temporum ſuorum frequentiorem vſum reſpexit, quo filiabus plerunque dicebant, non filiis.

Facti quæſtionem. ¶ Propter incertitudinem voluntatis teſtatoris, quæ ex coniecturis colligitur, ius verò ſemper certum eſt: vnde & articulis iuris reſpondere non cogimur. *l.ornamentorum.de auro leg.* Probabilis tamen in iure eſt dubitatio propter altercationem ſententiarum, ſuccurritúrque in eo erranti, ſicut ſi in facto erraret. *Soc.in rub.de reb.dub.*

Liberis. ¶ Sed an nepotibus? & hic videtur probari de eis quoque intelligi: quod tamen falſum eſt. *l.ſed ſi nep.de teſt.tut.* cùm teſtator filiis tutores dedit: nec Iuriſconſultus hic vult idem eſſe, ſiue filiis, ſiue liberis dictum ſit: ſed ideo dixit liberis, vt elegantius loqueretur, nec idem verbum repeteret. Si tamen ſolos duos filios teſtator haberet, & ex alio præmortuo plures nepotes, putarem de eis quoque ſenſiſſe eum videri, ne ſubiiciendo dictionem filiis, videatur incontinenti ſe correxiſſe.

BRECHÆVS.

HERENNIVS. ¶ Hæc lex ad teſtamentarios tutores pertinet, vt filiis filiiſque dati, filiabus quoque dati videantur. Sic filiorum appellatione, filias comprehendi traditum eſt. Sed & ſi quis filio tutorem dederit, cùm tamen plures habeat filios, an filiis omnibus dediſſe cenſebitur? Et de hoc Pomponius dubitat. At cenſet Vlpianus magis eſſe vt omnibus dediſſe videatur. *l.ſi quis ten.ff.de teſtam.tut.* §.1. Sed controuerſi iuris eſt quæſtio, an filias etiam comprehendiſſe cenſeatur ſub numero ſingulari maſculini generis. Et ego aduerſus Cæpollæ Veronenſis anguſtias arbitror comprehendi: idque tam ex præſumpta mente teſtatoris qui omnibus ſuis filiis ex æquo conſultum voluit, ſuadente idipſum amore naturali erga omnes filios, niſi aliud appareret, quam quòd hoc loci maſculinum complectitur fœmininum, vt ſuprà ampliſſimè docuimus in *l.1.hoc tit.* Sic & ſi quis filiis ſuis vel filiabus tutores dederit, cenſuit Vlpianus poſthumæ quoque videri datos: quia filiæ appellatione etiam poſthuma continetur. *l.ſi quis filiabus.d.tit.de teſtam.tut.* Videto latius Alciat. in hunc locum.

FORNERIVS.

SERVIVS. ¶ Inſcribitur hoc caput, Pompon. *lib.8.ad Q. Mutium:* cui non modò epigraphe, ſed & ſententia iiſdem penè verbis contexta congruit. *l.43.ſi ita relictum.l.ſeq.l.45.ſi ita ſcriptum.* ꝟ.*de leg.2.* Etſi autem parum intereſt, verùm (ex varietate, quàm hic notarat Accurſius) Herennius, vt vulgaribus in codicibus, an vt Florentiæ, Seruius, ſcribatur: hanc tamen illi lectionem ideò prætulerim: quòd Pomponius ad Q. Mutium inſcripſerit: id eſt Scæuolam: in quem ſcimus Seruium Sulpitium notas edidiſſe, citatique in reprehenſis Scæuolæ capitibus ab A. Gellio *lib.4.cap.1.* eundémque in notatis Scæuolæ laudatum. *l.30. Mutius.* ꝟ.*pro ſocio.* Quo ex genere à Iuſtiniano quædam improbantur. §.*de illa.de Societate.Inſt.* & à Pomponio, [Hæc, inquit, Q. Mutius refert, & vera ſunt: Nec vtimur Seruij ſententia, qui putabat, &c.] *l.71.qui re.* ꝟ.*de furt.* Celſus quoque ipſius ſententiam apertè reiiciens, [Si ancillas omnes, inquit, & quod ex iis natum erit teſtator legauerit, vna mortua Seruius partum eius negat deberi: quia acceſſionis loco legatus ſit. Quod falſum puto: & nec verbis, nec voluntati defuncti accommodata hæc ſententia eſt.] *l.63.ſi ancillas.de leg.1.* ¶ Hic autem teſtamentariæ tutelæ formula excutitur, Cùm paterfamilias ita legaſſet, [Filio filiiſque meis hoſce tutores do.] verùm ſeruata Latini ſermonis proprietate, maribus tantùm proſpexiſſe & ab eiuſdem generis ſingulari, ad eiuſdem ſexus numerum multitudinis, qui filiabus non conueniat, tranſiiſſe cenſeatur? Reſpondit, hoc quidem in voluntatis quæſtione verſari: ſed vero ſimilius omnibus liberis tutorem à teſtatore datum videri. Adde quòd filiorum nomine filiæ continerentur. *l.1.* ꝟ.*h.t.* Non contrà filiarum nomine filij accipiantur. Itaque his verbis, [Filiabus meis centum aureos do,] dubitatur an maſculini generis & fœminini liberis legatum debeatur: vt & illis, [Filiis meis hoſce tutores do:] ſed placuit, de maribus non cogitaſſe teſtatorem, [Exemplo enim peſſimum eſſe fœminino vocabulo etiam maſculos contineri.] *l.45.ſi ita ſcriptum.de leg.2.* Tum quòd inferiores à ſuperioribus, obſcuros ab illuſtrioribus non contrà, dignitatem lucémque mutuari decet. *l.8. fœmina. de ſenat.* defendi vxores à viris, non viros ab vxoribus æquum eſt. §.*patitur. de iniur.inſt.l.2.* ꝟ.*eod.* Tum quòd neſcio quid mollitiei, & ignauiæ proximum crimen ineſt ei ſermoni, quo viros vel mulierum ſermone compellamus, vel muliebribus operibus addicimus. *Æneid.9.*

O vera Phrygia, neque enim Phryges, ite per alta
Dindyma. Imitatione Homericæ *Iliad.2.in oratione Therſitis ad Græcos.*
ὦ πέπονες, κάκ' ἐλέγχε', ἀχαιΐδ' ἐς, οὐκ ἔτ' ἀχαιοί.

Et lib

Et lib.7.Iliad.

ὤ μοι ἀπειλητῆρες ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτ᾽ ἀχαιοί.

¶ Conſtantinus, (vt eius vitæ *lib.*2.Euſeb.) quoſdam probri gratia ad opera muliebria damnatos liberauit. Paulus Diaconus *lib.*18.Sophia Narſeti Eunucho mandaſſe fertur, vt cum puellis in gynæcio, lanarum penſa faceret diuidere. Ille reſpondit, talem ſe telam orſurum, qualem ipſa dum viueret, deponere non poſſet. Apud Zonaram in imperio Mauritij *tomo* 3. victo muliebris veſtis miſſa ignominiæ cauſa, Qua viri vti prohibebantur: Tertullianus de Pallio, & de Idololatria, Ioannes Chryſoſtomus *Homelia* 26.*ad Corinth.*1.*cap.*11.Eſt enim propudioſum viros muliebribus cenſeri notis. ¶ Vnde etiam aliquando dubitatum, an viri a fœminis iure adoptarentur. §.*fœmina.de adoption.Instit.* M. Tullius *lib.* 7. *ad Atticum epistol.* 8. [Dolabellam video Liuiæ teſtamento cum duobus coheredibus eſſe in triente, ſed iuberi mutare nomen. Eſt πολιτικὸν σκέμμα, rectúmne ſit nobili adoleſcenti mutare nomen mulieris teſtamento.] Feſtus Pompeius auctor eſt, Fabium inductum magnitudine pecuniæ vxorem duxiſſe Octacilij Maluntani filiam, ea conditione, vt qui primus natus eſſet, prænomine aui materni Numerius appellaretur. Sed Leo & eunuchis & mulieribus, qui liberos non ſuſceperint, adoptare permittit. *Nouell.*26.& 27. [Hoſce tutores.] ¶ Nominatim & ἐμφατικῶς: *vt d. l.* 45. *ſi tua.* id eſt certos quoſdam, quorum fides & probitas eſſet explorata teſtatori: quia incertus teſtamento tutor non datur. *l.*20.*tutor. l.*30.*duo. de teſtam.tut.* [Sed hoc facti, non iuris habet quæſtionem.] ¶ Id eſt totum hoc pendet à voluntate teſtatoris, qui & de filiabus ſenſiſſe probari poteſt: non filiis duntaxat conſulere voluiſſe. Sæpenumerò autem Iuriſconſulti facti quæſtionem eſſe reſpondent, quoties rem magis probationibus egere, quàm vlla iuris regula definiri poſſe ſignificant: In cauſa ius poſitum eſſe, facti quæſtionem inducere, diſceptationem in facto conſiſtere. *l.* 52.*ſi ex plagis.* §.*inclino. de leg. Aquil. l.*34.*Neſennius.de neg.geſt.* facti magis, quam iuris quæſtio eſt: *l.*41.*eum qui cal. l.*94.*triticum. l.*2.*ſi.de donat.* Aliquando tamen quibus coniecturis, iuris rationem aſſequi poſſimus, admonent, Paulus. [Facti quæſtio eſt, ſed veriſimile eſt id actum. vt *l.*13.*inſulam.qui potior.in pign.* Celſus, quo animo maritus in rem impenderit, facti non iuris quæſtionem eſſe fatetur: coniecturam tamen eius rei, ex modo & genere impenſæ non eſſe difficilem. *l.*47.*vtrum. de donat. inter vir.& vxor.* Meri autem facti diſceptationem (cum ex circumſtantiis pendeat, neque facile certa iuris ratione conſtet) ad Iureconſultos deferri non oportet. *l.pen.de impenſ. in res dot. l.antep.de diuerſ.temp.præſcript.* Quinctilian. *lib.*4.*cap.*2.*lib.*7.*cap.*7. Veluti cum de moræ contractæ, aut quanti cuiuſque interſit definitione rogantur, conſultores reiiciunt *l.*32.*mora.de vſur. l.*24.*quatenus.de reg.iur.* [Tu magis ſcire potes.] *l.*3.*de teſtib.* Reſpondi, [ex cauſis perſoniſque eum, cuius notio ſit, æſtimaturum, an actio danda ſit.] *l.vlt.ſi.de obl.& act.* Caliſtratus. facti quæſtio eſt, [& ideò me conſuli ea de re non oportet.] *l. pen. de lege Fabia de plagiar.* Paulus, [Si id non apparet, non ius deficit, ſed probatio.] *d.l.*30.*duo.* Sic iudices debent ſupplere ea quæ ſunt iuris, quæ facti minimè. *tit.C.vt quæ deſunt aduoc.* Iudicibus de iure dubitantibus præſides reſpondere ſolent, de facto conſulentibus minimè. *l.*79.*eum quem.de iudic.* facti quæſtio in iudicis poteſtate poſita eſt. *l.*1.*ad Sc. Turpillianum.* Sed hoc iterum cum *ad cap.*131.*aliud.*[j.] *hoc tit.* peruenerimus, excutietur.

CXXIII. IDEM lib. xxvj. ad Quintum Mutium.

VERBVM ERIT interdum etiam præteritum, nec ſolùm futurum tempus demonſtrat. Quod eſt nobis neceſſarium ſcire, & cùm codicilli ita confirmati teſtamento fuerint, [Quod in codicillis ſcriptum erit,] vtrúmne futuri temporis demonſtratio fiat, an etiam præteriti, ſi ante ſcriptos codicillos quis relinquat. Quod quidem ex voluntate ſcribentis interpretandum eſt. Quemadmodum autem hoc verbum [eſt] non ſolùm præſens, ſed & præteritum tempus ſignificat: ita & hoc verbum [erit] non ſolùm futurum, ſed interdum etiam præteritum tempus demonſtrat. Nam cum dicimus, [Lucius Titius ſolutus eſt ab obligatione.] & præteritum, & præſens ſignificamus. Sicut hoc, [Lucius Titius alligatus eſt.] Et idem fit, cum ita loquimur, [Troia capta eſt.] Non enim ad præſentis facti demonſtrationem refertur is ſermo, ſed ad præteritum.

ALCIATVS.

VERBVM ERIT. ¶ Explicat Iuriſconſultus, quomodo verbum, erit, ad præteritum trahatur: in quo articulo dubitaſſe veteres legis Atiniæ interpretes *lib.*17.*cap.*7. Aulus Gellius tradit: qua de re P.Nigidius in hunc modum diſſeruit. ¶ Verbum, eſſe, atque erit, quando per ſe ponuntur, habent, atque retinent tempus ſuum: cùm verò præterito iunguntur, vim temporis ſui admittunt, & in præteritum contenduot, cùm enim dico, in campo eſt, in comitio eſt, tempus inſtans ſignifico: item cùm dico, in campo erit, tempus futurum demonſtro: at cùm dico, ſactum eſt, ſcriptum eſt, ſubreptum eſt, quanquam verbum, eſt, temporis ſit præſentis, confunditur tamen cum præterito, & non minus præſens, quàm præteritum oſtendit. Idem cùm dico, ſubreptum erit,

non duo, ſed vnum verbum eſt, quod vnica patiendi declinatione non ſolum futurum, ſed & præteritum indicat: hæc ille. Vnde apertiſſime Iuriſconſulti reſponſum hoc declaratur. ¶ Cæterùm in iure perquàm ambigua quæſtio eſt, quando ad futurum tempus incerta diſpoſitio producenda ſit: & in his caſibus, quibus ſuprà retuli, præſens tempus etiam ad futura referri. *l. verbum oportet. ſ. eodem.* dubium non eſt, multò magis indefinitum referri debere: id enim omnia tempora comprendere poteſt, propriè tamen de præſenti actum potiùs intelligitur, idque regulariter obſeruatur. Quaptopter in contractu emptionis, tempus præſens inſpicitur. *l. Rutilia. de contrahen. empt.* in reſcriptis, compromiſſis, renuntiationibus feriarum, conceſſione ſacerdotiorum, de futuris litibus, *Iaſ. l. ſi ſtipulatus fuer. §. 1. ſ. de verb. oblig.* ferijs, ſacerdotijs non accipietur: & publicatio bonorum. *d. l. ſi tibi. §. ſi cuius. ſ. mandat.* immunitas ædicularum, bona præſentia, ædiculáſque continebit. *cap. cùm capella. de priuileg.* ¶ Non obſeruatur tamen hæc regula certis caſibus, veluti in vniuerſalibus, vt ſi quis gregem leget, vel peculium: capita enim, quæ accedunt etiam gregi imputantur. *l. grege. de legat.* 1. Idem ſi me familiámque meam hoſpitari promiſeris: ſi enim mihi familia iuſte augeatur, nihilominus eam recipere debebis. *Alexand. 178. in 2.* niſi magnum tibi damnum immineret. *c. quanto. de cenſi.* ¶ Sed & ſi generaliter omnia bona ſua, vel eorum vſumfructum quis legauerit, in vniuerſum diſpoſuiſſe intelligetur, & idcirco futura bona comprendet. *l. quoties. §. ſi. de vſufr.* ¶ In priuilegijs quoque, ne contra naturam ſuam temporalia ſint, de ſubrogatis intelligemus: vt ſi antiſtiti conceſſum ſit, vt quatuor eius clerici, tametſi ab eccleſia abſentes, ſacerdotiorum fructus acquirant. *Gem. c. ſi. eod. tit. in 6.* Idémque quoties de ſolo concedentis damno agitur: fit enim pleniſſima interpretatio, atque ideo de futuris quoque actum cenſetur, ne diuerſum ius iiſdem de rebus conſtituamus. *c. quia circa. de priuil.* ¶ Cæterùm & ſi contrahentes futura prouidere potuerunt, generaliter de eis quoque promiſſio accipietur: vt ſi quis promiſerit luminibus non officere. *l. ſi ſeruitus. ſ. de ſeruit. vrb.* Quod etiam alia ratione niti poteſt: qui enim ſibi ita cauet, non idcirco renuntiare intelligitur, quominus ſibi liceat ampliores feneſtras facere: abſurdúmque eſſet, ſi illis per vicinum obſtrui luminibus liceret: quam rationem in non diſſimili caſu Titus Liuius *lib. 30.* adfert.

¶ In fœdere Romanorum Carthaginenſiúmque cautum erat, ne alteri alteris, ſociíſve bellum inferrent: deinde Romani Saguntinos in ſocios adſciuerunt, quibus Carthaginenſes intulere bellum: quæſitum fuit, an id ex fœdere liceret, videreturque futuris ſocijs ea conuentione proſpectum: qua in re Liuius, Si in priore, inquit, fœdere ſtaretur, ſatis cautum erat Saguntinis, ſocijs vtrorumque exceptis. Nam neque additum erat, his, qui tunc eſſent: nec, ne qui poſtea aſſumerentur. Et cùm aſſumere nouos liceret ſocios, quis æquum cenſeret, aut ob nulla quemquam merita in amicitiam recipi, aut receptos in fidem non defendi? Tantùm ne Carthaginenſium ſocij, aut ſolicitarentur ad defectionem, aut ſua ſponte deſciſcentes reciperentur. ¶ Angelus *conſil. 240.* in propoſita ſpecie ideo ad futuros ſocios fœdus trahi exiſtimauit, quoniam mutua promiſſio eſt, quæ vtrique vtilis eſſe poteſt. Sed ipſe etiam, ſi ab altera tantùm parte promiſſum ſit, idem opinor. *argu. d. l. ſi ſeruitus.* quod & frequentius *Io. And. in rubr. de treug. in Specul.* receptum videtur. *Iaſ. d. §. cùm ſtipulamur.*

Codicillis. ¶ Legata codicillis iure veteri dari non poterant, vt *Inſtitutionum lib. 2.* Caius ſcribit, & ex recentioribus aliqui tradiderunt. *Raph. Aret. l. 1. de leg. 1.* niſi hi codicilli teſtamento confirmati eſſent. Pone ergo ſic in teſtamento dictum, quòd in codicillis ſcriptum erit. *l. Plotiana. de iure codicil.* vel quod quibuſq; tabulis reliquero, valere volo: intelligentur hæc verba, cùm moriar, quodcunque codicillis, vel tabulis reperietur ſcriptum, ſiue ante teſtamentum ſcriptæ ſint tabulæ, ſiue poſt.

BRECHÆVS.

VERBVM ERIT. ¶ De verbo futuri temporis diximus ſuprà in *l. verbum oportebit. hoc tit.* Cæterùm hoc capite Pomponius docet verbum futuri temporis aliquando ad præteritum referri, idem etiam verbum præſentis temporis ad præteritum, idque ſecundum adiecti ſermonis qualitatem & rationem temporis, loci & rei qua de agitur. Siquis enim dicat, Petrus eſt orans in templo, hoc præſens tempus ſignificat, neque poteſt aut ad præteritum aut ad futurum protrahi: quoniam ſolum quod inſtat, quódque præſens eſt demonſtratur. At ſi dixeris, factum eſt, ſurreptum eſt, quanquam verbum ſit præſentis temporis, confunditur tamen cum præterito & præſens eſſe deſinit. Nam rei iam peractæ qualitatem exprimit: quod præteritum tempus ſignificat. Quandocunque igitur τὰ ἐνεστῶτα per ſe ponuntur, tempus ſuum retinent: ſic etiam de futuris & præteritis temporibus ſentiendum. Quod & Aulus Gellius annotauit *lib. 17. noct. Attic. cap. 7.* Iam verò vbi negotij ratio aliud ſuadet, & mens & conſuetudo loquentis aut ſcribentis conſideranda eſt. Vt ſi teſtator dicat, quicquid auri vel argenti in arca mea erit, id pauperibus volo erogari. Hoc quidem accipi debet & intelligi de omni argento aurove quod iamdiu in arca teſtator habuit habétque tempore teſtamenti, non de eo quod in poſterum, vel eo mortuo habiturus erit. ¶ Sic futurum pro præterito & præſenti ſimul ponitur: vt *l. ſi vxori. §. cùm ita legatum. ff. de auro & argento legato.* Sic etiam futurum indefinitè poſitum, pro præſenti accipitur apud Latinos authores. Idem Aulus Gellius *noct. Attic. lib. 1. cap. 7.* ex Tertio Annali, Q. Quadrigarij. Dum hi (inquit) conciderentur, hoſtium copias ibi occupatas futurum, id eſt, eſſe. Ibi verbum eſt, indefinitum quod Græci ἀπαρέμφατον vocant. Et apud Prophetam Iſayam, *cap. 47.* deſcende, & ſede in terra virgo Babylonis filia, &c. Id eſt, ſedebis. Quod eſt citatum à Beato Hieronymo *in Epiſtola ad Euſtochium. & in cap. ſi Paulus, triceſimaſecunda cauſa quæſtione quinta.* Quo loco Gloſſa *in verbo ſede,* notat inde argumentum eſſe, quòd verbum præſentis temporis ponatur loco futuri: ſicut è contrario, futuri loco præſentis: & verbum præſentis temporis pro præterito: vt, ex concupiſcentia omnia mala oriuntur, id eſt, orta ſunt, ſecundum

dum Gloſſam *in capitulo, nam concupiſcentiam. extra de conſtitut.* Vbi Panorm. idem ſentit cum gloſſ. eodem ſenſu, pactorum perſcriptores & Notarij ſcribunt in tabulis & ſyngraphis contractuum emptionis & venditionis, [Ceſſit, vendidit.] Quæ quamuis præteriti ſint temporis, tamen ad præſens transferuntur, id eſt, vendit & cedit, &c. eo videlicet tempore quo initi contractus dicitur. Vide latiùs in eam rem Bartholomæum Cæpol. citantem Bartolum in *l. poſt dotem. verſic.* Expeditis lecturis veniamus ad quæſtionem, ſub *princip. ff. ſolut. matrim.* & in *l. ſi ita ſtipulatus. §. Chryſogonus. de verb. obl.* & in *l. prædia. ff. de acquir. poſſ.* Quando verò transferantur tempora, videlicet, præſens in præteritum, & futurum in præſens tradit Quintilianus *lib. 9. c. 3.*

FORNERIVS.

VERBVM. ¶ Vt verbum [Oportebit] tam præſens, quàm præteritum tempus notat. *l. 8. ꝫ. hoc tit.* Sic verbum [eſt] & [erit] variam ex re ſubiecta interpretationem ſumere, vt inſtans, exactum, & futurum demonſtret, exemplis oſtenditur. Vt ecce in teſtamenti clauſula codicillorum confirmatrice, [Quod in codicillis ſcriptum erit.] Quoniam duo ſunt codicillorum genera, confirmati, non confirmati: Confirmatorum duo item genera. Nam aut præcedunt teſtamentum. [Quem heredem codicillis fecero.] *l. 77. Aſſe. de hered. inſtit.* Aut ſequuntur teſtamentum: [Si quid ad hoc teſtamentum pertinens reliquero, valere volo:] codicilli ante teſtamentum facti continentur *l. antepen. de iur. codicil.* Non confirmati rurſus in duas ſpecies diuiduntur. Nam aut teſtamentum factum eſt, aut inteſtatus eſt. Et ſciendum non confirmatis, niſi fideicommiſſum continerent, non valuiſſe. *l. 3. princ. l. 5. de iur. codicil.* Plinius *epiſt. 40. lib. 2.* Sed poſteà teſtamento facto etiamſi codicilli in eo facti confirmati non eſſent, vires ex eo capere. *d. l. 3.* Cùm igitur aut in futurum confirmentur, aut in præteritum *l. 8. conficiuntur. eod. tit.* fit, vt clauſulæ verba hæc, [Scriptum erit,] vel [Scripſero,] æquè vtrique tempori congrua, vtriuſque temporis ſignificationem habeant. hic. & *d. l. antepen.* Etenim eò comparati ſunt codicilli, vt ſi quid voluntati teſtatoris deſit, ſuppleatur: vel corrigatur. *l. 18. libertis. §. 1. de alimen. & cib. leg. l. 6. Diui. de iur. codicil.* Codicillus à Theophilo, Harmenopulo *lib. 5. tit. 7. definitur,* ἐλλιπῶς ἐν τῇ διαθήκῃ γνώμης τις ἄτυπος ἀναπλήρωσις. Moſchopulo verò ὁ τῆς διαθήκης διόρθωσις. Ex voluntate igitur teſtatoris ad vtrum tempus hæc potiùs oratio, Iano bifronti ſimilis referatur, ſtatuemus. Vt & in illa legis Atiniæ (de qua *l. 4. fin. de vſucap.*) exceptione, [Quod ſurreptum erit, niſi in domini poteſtatem redierit, eius æterna auctoritas eſto.] [Surreptum erit.] non duo, ſed verbum ex præterito pariter ac futuro conflatum tempore. Gellius *lib. 17. cap. 7.* vtriuſque vim diuerſa tamen ratione obtinet. Namque cùm non nudo conſilio delicta, ſed reipſa contrahantur. *§. 1. de oblig. quæ ex delict. l. 1. de priuat. delict.* Surrepta res non ſola animi cogitatione, ſed contrectatione demum ſequuta intelligitur. *l. 1. §. ſola. de furt. l. 225. fugitiuus. ꝫ. hoc tit.* Ecce cur [ſurreptum.] Iam illud [erit] ex conditione legum in futurum collatarum neceſſariò concipitur. ¶ Legum munus eſt, quid ſequendum, fugiendumve ſit, præſcribere: futuriſque dare formam negotiis, non ad facta præterita reuocare. *l. 7. leges. C. de legibus.* [Si quis poſt hanc legem rogatam.] *l. 1. ad leg. Falcid.* Demoſthenes Timocratem, quòd ſua lege cum futuris præterita confunderet reprehendens ait, δέον νομοθετοῦντα περὶ τῶν μελλόντων ἐσεσθαι. M. Tullius C. Verrem, quòd edictum etiam in præteritum concepiſſet exagitans, 3. *actione.* [Dic quæſo, inquit, cætera: delectat enim me hominis grauitas, ſcientia iuris, auctoritas. (Qui ab Aulo Poſtumio, Qu. Fuluio cenſoribus póſtve ea fecit, fecerit.) Quis vnquam edixit iſto modo? quis vnquam eius rei fraudem aut periculum propoſuit edicto, quæ neque poſt edictum prouideri potuit? Iure, legibus, auctoritate omnium, qui conſulebantur, teſtamentum P. Annius fecerat, non improbum, non inofficioſum, non inhumanum. Quod ſi feciſſet: tamen poſt illius mortem, nihil de teſtamento illius, noui iuris conſtitui oporteret.] Eadem vſus ratione Iuſtinianus, cum heredum nomen vel ſcribi, vel nuncupari conſtitueret, idque in poſterum tantùm in teſtamentis conficiendis obſeruari vellet, [Quid enim, inquit, antiquitas peccauit, quæ præſentis legis inſcia, priſtinam ſecuta eſt obſeruationem.] *l. 29. iubemus. C. de teſtam.* Sed & *Nouell. 22.* Neminem eorum, qui prioribus legibus freti contraxerint, in crimen vocari patitur, quod non & futurum prouiderint, κρατείτω δὲ ὁ νόμος ἐπὶ τοῖς μετὰ ταῦτα ἅπασι γινομένοις συμβολαίοις τε καὶ συναλλάγμασι. οὐ γὰρ δὴ παρηχηκός τι αὐτοῖς νομοθετήσομεν. Et cum eiuſdem Nouellæ extremo, tum aliàs ſæpe, ſe legem in futurum tantùm, non in præteritum valituram condere profitetur. ἐγὼ τοίνυν ὁ παρὼν νόμος τῷ μέλλοντι χρόνῳ νομοθετῶν, καὶ οὐδὲν τῶν ἐμπροσθεν προσαπτόμενος. *Nouell. 90. 99. l. vlt. C. de legit. her. l. 2. §. ſed prædictum. C. de iuram. propt. calum.* Quippe ſecundum leges, quæ inſtitutæ litis tempore obtinebant, iudicare oportet. *Nouell. 115. cap. 2. cap. vlt. de conſtitut.* Ideóque Seneca *lib. 6. controuerſ. 34.* ſic excipit. [Decretum in futurum factum eſt, non in præteritum.] Niſi vel legis auctor, vt ipſa ad negotia etiam ante promulgationem contracta referatur, diſertè excipiat. *d. l. 7. leges. Nouell. 86.* Quod tum maximè accidit, cum eiuſmodi res agitur, quæ quamuis nulla lege ſanciatur, ſatis tamen ſuo momento ciues, quid facto ſit opus, admoneat: vt in grauioribus, & a natura ipſa damnatis flagitiis, vel quoties aliqua reip. ſingularis vtilitas, vel eximius cauſæ fauor legiſlatorem impellens, oſtenditur. Vt in M. Plætorij tribuniplebis ſcito, apud Cenſorinum de die natali. [Prætor vrbanus, qui nunc eſt, quique poſthac fiet, duo lictores apud ſe habeto: iſque ad ſupremam ius inter ciueis dicito.] Anaſtaſius, [conſtitutione Zenonis, ex die, ex quo promulgata eſt, ſuas vires obtinente.] *l. 65. diue. C. de decurion.* Inſtinianus legem qua donationes, emptiones, ædificationes magiſtratibus interdicit, ad præterita quoque, niſi tranſactionibus, aut iudicationibus ſopita negotia produxit. *l. vnic. Cod. de contr. iud.* Quod poſteà tamen abrogauit Leo. *Nouell. 84.* Odio quoque fœneratorum, Conſtantinus cum legem commiſſoriam in pignoribus gliſcere animaduerteret, omnem ipſius memoriam deleturus, cum præteritis præſentia quoque depellit &

futura prohibet. *l.vlt.C.de pact.pign.* ob eandem cauſam vſuræ ſiue ante,ſiue poſt interdictum Lateranenſis concilij receptæ, reſtitui iubentur.*c.5.de vſur.* Scilicet cum rei turpitudo ipſa per ſe fugienda eſt,etiam ſancita lege in præteritum probiberi poteſt. Cicero.*3.in C.Verrem.* Alia exempla ſumas licet ex *l.pen.C.de ſacroſ.eccleſ.* Valentiniani *Nouell.12.de epiſc.aud.ſi.* Iuſtin. *Nouell.22.fin.123.124* & aliis innumeris,quas,ne de fece nunc haurire videamur,omittemus. [Verbum (eſt) non ſolùm] ❡ Secus tamen ſeruata verbi proprietate. Argentum quod domi meæ erit, cum moriar lego. Aurum quod eius cauſa paratum erit: Stichus qui meus eſt,vel qui meus erit,cum moriar: Iſtiuſmodi formulis temporis demonſtratio ineſt:vt id tantùm, quod mortis tempore (niſi alienatio neceſſaria fuerit) reperietur,vel eſſe ſoleret,debeatur.*l.5.l.6.Stichum.de leg.1.l.34.ſcribit.l.pen.de aur.& arg.leg.* [Troia capta eſt.] ❡ Etſi non defuerint,qui fabuloſa,quæ de euerſione Troiana iactantur,aſſerant: Dionis Chryſoſtomi exſtat, *τρωϊκὸς,ὑπὲρ τοῦ Ἴλιον μὴ ἁλῶναι.* Truades tamen & Ilienſes, iuris Italici priuilegio vtuntur. *l.pen. l. vlt. de cenſib.* Origini Romanæ coniuncti propter inclitam ciuitatis nobilitatem à munere tutelæ vacationem conſequuti. *l.17.non tantum. de excuſ. tut.* Æneæ Troiano reip.Romanæ initia accepta refert Iuſtinianus *Nouel.47.Αἰνείας ἡμῖν ὁ πρῶς ὁ βασιλεὺς τῆς πολιτείας ἐξῆρχε. Αἰνειάδαι τε καὶ ἐξ ἐκείνου καλούμεθα.* Mineruam [vt Turnebo *lib.7.c.21.videtur.*] Ilienſem: vel potiùs vt circumfertur,Melienſem,heredem inſtitui poſſe Vlpianus ſcribit, *fragm.tit.22.* ❡ Summa igitur huius capitis ſententia concludatur,verbo [eſt,] tam præſens,quàm futurum tempus,ſicut & verbo [erit,] ſignificari. Quod compendiuſè Græci extulerunt. *τὸ [ἐστὶ] καὶ τὸν ἐνεστῶτα, καὶ τὸν παρεληλυθότα σημαίνει, ὥσπερ καὶ τὸ [εἶν.]*

CXXIIII. PROCVLVS lib. ij. Epiſtularum.

HÆC VERBA [Ille aut ille] non ſolùm diſiunctiua, ſed etiam ſubdiſiunctiuæ orationis ſunt. Diſiunctiuum eſt, veluti cum dicimus, [Aut dies, aut nox eſt,] quorum poſito altero, neceſſe eſt tolli alterum. Item ſublato altero, poni alterum. Ita ſimili figuratione verbum poteſt eſſe ſubdiſiunctiuum. Subdiſiunctiui autem genera ſunt duo: vnum cum ex propoſitis finibus ita non poteſt vterque eſſe, vt poſſit neuter eſſe. Veluti cum dicimus, [Aut ſedet, aut ambulat.] Nam vt nemo poteſt vtrumque ſimul facere, ita aliquis poteſt neutrum, veluti is qui accumbit. Alterius generis eſt, cum ex propoſitis finibus ita non poteſt neuter eſſe: vt poſſit vtrumque eſſe. Veluti cum dicimus, [Omne animal aut facit, aut patitur.] Nullum eſt enim quod nec faciat nec patiatur:at poteſt ſimul & facere & pati.

ALCIATVS.

HÆC VERBA ILLE. ❡ Diſiunctiua eſt, quæ inter contraria ponitur,quorum vno poſito,alterum tollitur,ſublato ponitur. ❡ Subdiſiunctiua eſt,quæ diuerſa diuidit,ſiue ea ſimul eſſe poſſint,ſiue non poſſint. ❡ Intelligo autem hoc in loco contraria,quæ nullo medio inuicem repugnant;diuerſa quæ medium habent,vt ſedere,& ambulare: medium enim eſt accumbere, & ſtare. Idem ſi inuicem non repugnent,vt in homine actiua,& paſſiua qualitas: ſed & quoties ſenſus coniungitur, licet verba diſiungantur, ſubiectiua eſt, vt Alexander ſiue Paris. *Bart.in rub.C.de naut.lib.11.* Idémque ſi aurum, vel argentum à te petam: non enim alterum peto, vt alterum excludam, cùm vtrunque ſim paratus accipere.Communi autem vocabulo tam diſiunctiuam,quàm ſubdiſiunctiuam, recentiores alternatiuam vocant, quam vocem non omnino barbaram exiſtimo, vel veteribus quibuſdam vſitatam.

Aut dies. ❡ Hinc argumentum colligitur,quoties diei fit mentio,ad differentiam noctis, de naturali intelligi, non de ciuili. Eſt autem naturalis ab ortu ad occaſum ſolis, vt Cenſorinus tradit: quapropter poſt occaſum,tametſi lux aliqua adſit,nox dicitur, ſicut ante ortum albeſcente cœlo: idque pleriſque viſum eſt. *Bart.l.aut facta.§.tempus.ſ.de pœn.*

Poſito altero. ❡ Natura enim oppoſitorum eſt,vt ſe inuicem tollant non vt ponant: hinc ſolemus dicere,contrariorum contrariam iuris diſpoſitionem eſſe: quod verum, ſi contraria inuicem ratione nitantur. *l.fuit.de acquir.hered.* alioquin ſi eadem vtriuſque eſt ratio, tunc eadem contrariorum (vt vulgò dicitur) eſt diſciplina.

Ita ſimili. ❡ Caſtigatior lectio,item.

Finibus. ❡ Id eſt,terminis. Sunt autem termini prædicatiuarum partes,verbáque quibus propoſitio connectitur. ❡ Sed hîc finibus vſus eſt Iuriſconſultus, vt oſtenderet, inter has propoſitiones medium quidam eſſe,atque ideo inter diuerſa,non inter contraria ſubdiſiunctiuam poni.

Accumbit,qui iacet. ❡ Occumbit,qui in faciem cadit:hinc milites, qui morientes mordicus humum captabant,occumbere dicebantur.Incubat,qui fouet:hinc gallina incubatrix.

Aut facit. ❡ Accurſius ridiculè ad coitum hæc refert, cùm Iuriſconſultus velit in quocunque animali eſſe adfectus, ſeu qualitates actiuas, & paſſiuas, quod à dialecticis acceptum eſt, qui in ſubiecto has 10. prædicationes conſtituunt, Subſtantiam, Qualitatem, Quantitatem, Relationem,

Locum

Locum, Tempus, Situm, Habitum, Actionem, Paſſionem: quæ ſi quis intelligere cupit, librum Ariſtoſel. περὶ κατηγοριῶν conſulat. Sanè & Plutarchus hiſtoricæ narrationis argumenta hæc eſſe prodidit, Perſonam, Cauſam, Locum, Tempus, Inſtrumentum, Actionem, Perpeſſionem, Modum. Qua in diſtinctione Ariſtotelem videtur imitatus.

BRECHÆVS.

HÆC VERBA. ¶ Diſiunctiuam rectius & latinius ex Cicerone diſiunctionem appellauerimus, vt iam ſuprà admonuimus. ¶ Eſt autem diſiunctio, quam etiam noſtri doctores non omnino perperam alternatiuam vocant, quæ inter ambas orationes, eáſque diuerſas poſita, earundem alteram elidit. Vnde ſatis erit, ſi ipſius diſiunctionis partium altera & vera & legitima ſit. *l. ſi quis ita ſtipulatus fuerit decem aureos. ff. de verb. oblig.* Si quis, inquit Scæuola, ita ſtipulatus fuerit, decem aureos dabis, ſi nauis ex Aſia venerit, aut conſul factus fuerit? Sufficit vnum factum. Et contra dabis ſi non venerit, & conſul factus non eſt? Sufficit vnum non eſſe factum, vt *l. generaliter. C. de inſtitutionib. & ſubſtitutionib.* Gloſſ. *in l. ſi heredi plures. ff. de conditionib. inſtitut.* ¶ Aliter autem ſi copulatiua non diſiunctiua interſereretur. Vt ſi quis ita ſtipuletur. Centum dare ſpondes, ſi nauis ex Aſia venerit, & Conſul factus eſt? Certè non aliàs dabitur quàm ſi vtrunque factum ſit. Sic diſiunctio ſit ex contrariis. Cicero *lib. 4. Academ. quæſtio.* Nam, inquit, ſi è contrariis diſiunctio (contraria autem ea dico, cùm alterum aiat, alterum neget.) ſi talis diſiunctio falſa poteſt eſſe, nulla vera eſt. Vocat autem diſiunctionem ex contrariis, propoſitionem quam vocant de diſiuncto extremo: cuius partes ſunt termini contradictorij. Aut viuet Hermachus, aut non viuet. Horum duorum neceſſarium eſt alterum eſſe: cùm omne (ait ipſe Cicero paulò ſuprà) quod ita diſiunctum ſit, quaſi, aut etiam, aut non, non modò verum eſſe, ſed etiam neceſſarium. Quod aduerſus Epicuri totam dialecticam contemnentis & irridentis, ſententiam diſputat. Item hoc exemplum diſiunctionis idem Cicero *lib. 4. rhetorico. ad Herennium profert.* Formæ dignitas, aut morbo defloreſcit, aut vetuſtate extinguitur. Hic vnamquanque rem certo verbo concludi videmus. Eſt enim diſiunctio, ſecundum eundem Ciceronem, cùm eorum de quibus dicimus, aut vtrunque, aut vnumquodque certo concluditur verbo. Idem quoque tractauimus ſuprà *in l. coniunctionem hoc titulo.* ¶ In ſumma, diſiunctio eſt quæ deiungit verba & ſenſum, vt tradit Bartolus *in l. 1. ff. de conditionib. & demonſtrationib.* Aliquando tamen verba deiungit tantùm, ſed ſenſum non deiungit: vt aut domum aut habitationem dabis: verba deiuncta ſunt, vt quæ ſint diuerſa: ſed ſenſus idem nec deiunctus. ¶ Sed quæras, ſi negatiuis verbis ſit concepta diſiunctio, vt, Siue equum non dederis ſiue bouem, an ſufficiat alteram partem eſſe veram, vt committatur ſtipulatio? Anceps ſane atque ambigua eſt iuris controuerſi quæſtio. Angelus *in d. l. ſi quis ita,* cenſet vtranque diſiunctionis negatiuæ partem veram eſſe debere. In contrariam eunt ſententiam Alexand. de Imola, & Ioannes de Imola, *in capitulo inter cæteras. de reſcriptis.* Sunt argumenta vtrinque valentia, ſed pugnantia. Vldari. Zaſius *in d. l. ſi ita quis.* Antinomiam ſcitè ſubtiliterque diſſoluit: videlicet vt aut committatur, aut effugiatur obligatio: ſicque veram eſſe vtriuſq; ſententiam. Nam ad veritatem diſiunctionis negatiuæ, neceſſaria eſt vtriuſque partis verificatio, ſi obligationem effugias. Vt ſi illud aut illud factum non erit: oportet vtrumque factum non eſſe. Iulianus *in l. ſi is qui ducenta. §. cùm ita ſtipulationem. ff. de rebus dubus.* Etenim quamuis diſiunctio videatur inter diuerſa poſita, poſſunt tamen eſſe ſimul vera. Quia cùm ſignificatio non ex vniuerſo, ſed ex aliquo ſumitur, ſi veri aliquid inſit, efficit totam orationem veram: ſicut è contrario duæ orationes pugnantia continenses, ſimul falſæ ſunt, quando videlicet ex vniuerſo ſumitur ſignificatio. Veluti, Si qui liberorum partim puberes partim impuberes deceſſerint: nam & hoc falſum erit omnes impuberes deceſſiſſe: & illud, omnes puberes deceſſiſſe. Id accidit, quia ſignificatio quę ſumitur ex vniuerſo in quo aliquid falſum eſt, totam orationem falſam efficit. Animaduertendum eſt igitur quid ſit de quo quæritur. Nam cùm ita concipio, ſi illud aut illud factum non fuerit, quæri debet, an aliquid factum non ſit. Illius effectus hic eſt, vt neutrū fiat: huius autem eſt, vt vtrunque fiat. Nec in illo prodeſt aliquid nō feciſſe, ſi aliquid factū ſit: neque in hoc aliquid feciſſe, ſi aliquid factum non ſit. Si ergo promiſſor vult effugere pœnā, neceſſe erit illi vtrunq; pręſtare diſiunctionis: ſi in obligationē vult incidere, ſatis erit, ſi altera diſiunctioois pars vera ſit, vt obligatio cōmittatur. Sic pugnantes de hac re ſententias oportet conciliari. ¶ Quid ergo ſi poſita diſiunctio fuerit inter verba æquiualētia? Equidē declaratiue vel expoſitiuè cenſetur poſita. Vt cùm noſtra lege monicipali Turonēſium cauetur, cēſum aut vectigal minore tēporis ſpatio vſurpari nō poſſe quàm triginta annorū: hîc diſiunctio interpretationis loco poſita ſic accipi debet, vt intelligat cenſum idem eſſe quod vectigal, quod à fundo ipſo penſitari debet. ¶ Sed quando interſeritur verbis varia ſignificantibus, tunc verba & ſenſum deiungit, vt docuit Bar. *in l. 1. ff. de reb. dub.* Notat etiam Zaſ. *in d. l. ſi ita quis.* Iam quandocunque inter legatarios, aut inter heredes collocatur, reſolui ſolet in cōiunctionem, vt ſi teſtator ſcribat: ille vel ille mihi hæres eſto: vel illi aut illi do lego, aut dari volo: vel illum aut illum tutorem liberum vel tutorem eſſe volo, vel iubeo. Diſiunctiuam, Aut, pro Et, accipiendam ſcripſit Iuſtinianus Ioanni præfecto præto. *l. cùm quidam ſic. hoc titulo de verb. ſignifi. C.* vt ipſa diſiunctio videatur copulatiuo modo prolata eſſe, & magis συνάπτειν, vt & primam perſonam inducat & ſecundam non repellat. Quod ſanc verum fatebimur, niſi eidem orationi coniunctio ac diſiunctio ſimul adiiciantur. Tunc enim propriam retinet ſignificationem: vt ſi dicas: Petrum & Carolum heredes eſſe volo, aut eorum alterum: vel Stichum Sempronio do lego, & ſi Sempronius Stichum intra annum non manumiſerit, eundem Stichum Titio do lego, Iulianus *l. ſi fundum ſub conditione. §. 1. de lega. 1.* reſpondit Sempronium interim totum Stichum habituſum, & ſi quidem intra annum manumiſiſſet, liberum Stichum effectum: ſi autem hoc non feciſſet, totum ad Titium pertinere: & id non iure accreſcendi (ait eo loco Bald.) ſed iure decreſcendi. ¶ Col-

hge

lige igitur, & habeto in ſumma, diſiunctionem non tantùm verba deiungere, ſed & etiam ſenſum: cum tamen propria ſit diſiunctionis natura, vt verba deiungat, ſenſum autem coniungat: quod cenſuit Accurſius in *l. ad protegendum. C. de in litem iurando.* Seu hoc quidem erit expendendum ex natura verbi ſeu orationis cui adiecta eſt diſiunctio. Bartol. & Iaſ. *in l. ſi ita quis ſtipuletur. ff. de verb. obliga.* Reliqua in hoc reſponſum, vide apud And. Alciatum.

FORNERIVS.

HÆC VERBA. ¶ Coniunctæ orationis parteis omnes veras eſſe oportet: diſiunctæ alteram ſufficit. *l. 5. de cond. instit. l. 45. quod vulgò. de manumiſſ. teſt.* Coniunctio tamen interdum pro diſiunctione ſumitur. *l. 29. coniunctionem. ῾. h. t.* Et contra: Quamuis enim in alternatione altero ex duobus contenti ſimus. *l. 110. in eo quod. ῾. in ſeq. l. 51. ſub diuerſis. de cond. & dem.* Aliquando tamen non omninò diſiunctiua eſt, ſed & ſubdiſiunctiua, [hoc aut illud] oratio, vtrumque dari fieríve deſiderat. *l. 53. ſæpe. ῾. h. t.* Quod hic ita Græci perſtrinxere. *οὐ πάντως διαζευκτικὸς ἐστὶν ἀλλ' ἰδ' ὅτε καὶ ὑποζευκτικὸς, δεῖ τὰ δύο γίνεσθαι, ἢ δοθῆναι.* Iure quidem veteri, ſtipulatio ſerui duorum dominorum, [Illi aut illi dare ſpondes?] quia veri eorum actionem acquiſierit, incertum eſt, non valebat. *l. 9. item ſi. l. ſeq. de ſtip. ſeru.* ſicut cæteris in negotiis, inexplicabilem nimiæ obſcuritatis difficultatem habentibus accidebat. *l. 2. verſ. ſi quis inſulam. de eo quod cert. loc. l. 13. cum ex pluribus. de man. teſtam.* Sed Iuſtinianus eiuſmodi incertam tutelæ, legati, libertatis dationem, heredíſue inſtitutionem ambiguam, [Ille aut ille,] in coniunctionem. Et, reſolui conſtituit: magis vt ſit *παραδιάζευξις*, quæ durioris ſententiæ vitandæ gratia, primam perſonam inducat. nec ſecundam excludat. *l. 4. C. de verb. ſign. l. 6. C. de inſt. & ſubſt.* Ne abſurda interpretatio conſequatur, veriſimili voluntatis, quæ præcipue dominatur, coniecturà ducimur. *l. 69. non aliter. de leg. 3. l. 19. in conditionibus. de cond. & dem.*

Non poteſt vterque eſſe. ¶ Alternatio negatiuè concepta, ſi hoc aut illud non feceris, dabis? ſic vtrunque ſuo complexu continet: vt alterum ad vitandam commiſſi pœnam non ſufficiat: & coniunctioni abuſiua diſiunctio comparetur. Veluti ſi decem aureos dari ſtipuler, [Si nauis veniat, & Titius conſul fiat,] non alias dabitur, quàm ſi vtrumque factum ſit. Idem in contrarium, [Si nec nauis veniat, nec Titius conſul factus ſit,] exigitur, vt neutrum actum ſit. At [Si nauis venit, aut Titius conſul fit,] ſufficit alterum factum: at contrà, ſi ita concipiatur, [Dabis, ſi nauis non venerit, aut Titius conſul factus non eſt,] ſufficit vnum non factum. Scæuola. *l. 129. ſi quis ita ſtipulatus. de verb. obl.* Iulianus pleraque formularum exempla congeſſit: ſi hominem aut fundum non dederis: ſi quid eorum factum non erit: ſi illud aut illud factum non erit. *l. 13. ſi is qui ducenta ῾. vtrum. de reb. dub.* Cuius ſubtilior ſpinoſiórque ex Dialecticorum legibus petita diſputatio, doctos exercuit. Lancelotus Polytus ſub finem libelli, de officio aduocati, negatione *(non)* dempta legendum cenſet, Si illud aut illud factum erit. Probabilior videtur Iac. Cuiacij traiectæ priùs, ſuóque loco reſtitutæ negationis emendatio. *lib. 5. cap. 3. obſeruationum:* Vide Ant. Goueanum *lectionum variar. lib. 2. cap. 22.*

Simili figuratione. ¶ Forma, modo, figura. *l. 1. de oblig. & act. l. 31. mortis. de mort. cauſ. don.*

CXXV. IDEM lib. v. Epiſtularum.

NEPOS Proculo ſuo ſalutem. Ab eo qui ita dotem promiſit, [Cùm commodum erit, doti filiæ meæ tibi erunt aurei centum,] putas ne protinus nuptiis factis dotem peti poſſe? quid ſi ita promiſiſſet, [cum potuero, doti erunt?] quòd ſi aliquam vim habeat poſterior obligatio, [poſſit] verbum quomodo interpretaris? vtrùm ære alieno deducto, an extante? Proculus: Cùm dotem quis ita promiſit, [cùm potuero, doti tibi erunt centum:] exiſtimo ad id quod actum eſt, interpretationem redigendam eſſe. Nam qui ambiguè loquitur, id loquitur, quod ex his quæ ſignificantur, ſenſit. Propius eſt tamen, vt hoc eum ſenſiſſe exiſtimem: deducto ære alieno potero. Poteſt etiam illa accipi ſignificatio, cum ſalua dignitate mea potero. Quæ interpretatio eo magis accipienda eſt, ſi ita promiſſum eſt, [cùm commodum erit.] Hoc eſt, cùm ſine incommodo meo potero.

ALCIATVS.

NEPOS. ¶ Cum ſocer genero dotem promittit, cùm poterit, vel commodum erit, vel commodiſſimum intelligitur cum deducto ære alieno. *l. annus. de iure dot.* & ſalua dignitate, poterit: atque ita omnes hoc reſponſum interpretantur: quamuis Proculus apertè non explicet, an illa promiſſio, cum potero, omnino idem polleat, quod cùm commodum erit: potuitque probabiliter dubitari: quoniam ſocer, qui ſimpliciter dotem promiſit, non niſi in id, quod facere poteſt, damnatur, nec tamen æs alienum deducitur. *l. ſunt qui. l. ſicut. ῾. de re iudica.* ergo huiuſmodi promiſſio eadem ratione, extante ære alieno, videbatur intelligenda. Accedit his, quòd de fauore dotis hic agitur quam ſolidam ſolui publicè intereſt, & pro qua in ambiguis pronunciandum eſt. Sed tamen ex coniectura mentis aliter Proculo viſum eſt, vt plerique omnes interpretantur.

Poſſit. ¶ Significat id verbum ſimpliciter potentiam, nulli neceſſitati ſubiectam, idque ex ſermonis pro

nis proprietate, à qua tamen ex coniectura mentis quandoque recedimus, vt cùm teſtator heredi diligentem agrorum curam mandat, vt ad filios peruenire poſſint: his enim verbis fideicommiſſi neceſſitas inducitur. *l. fideicommiſſa. §. hac verba. de leg. 3.* quoniam in fideicommiſſis nihil refert, quemadmodum verba concipiantur, dum mens colligi poſſit. Sed & ſi quis ſeruum liberum eſſe velit, cum decem heredi dare poterit, niſi res ipſa detur, libertas non cópetet. *l. 3. §. ſi quis. ſic accep. de ſtatu lib.* non enim conditio ſolius dilationis cauſa adiecta videtur, ſed vt heredi quoque conſultum ſit. In caſu quoque noſtro, cùm quis daturum ſe ſpõdet, cum poterit, interpretatione promiſſionem moderamur: quoniam non videtur promiſiſſe, quod cum ſummo incommodo facere poteſt. *glo. l. 3. de ann. leg.* Quoties verò negatiua coniunctio id verbum præcedit, præciſam neceſſitatem inducit, generaliterque modum omnem remouet, vnde effici diſpoſitio poſſet. *gloſſ. c. 1. de reg. iu. in 6.* Quod tamen ex ſubiecti argumenti natura quandoque non recipitur, vt cum Rom. Pontifex ſe non poſſe diſpenſare ait. *ca. literas. de reſtitut. ſpol.* intelligitur enim, niſi ex iuſta cauſa, vel cum id quod ad ſuam notitiam perueniſſet, non potuiſſe vicinos latêre affirmat: accipiemus enim, non potuit, id eſt, non potuiſſe præſumitur. *c. quanto. de præſum.* Sed & quamuis lex pupillum non obligari dicat, *l. obligari. de act. int.* vel alteri ſtipulati alterum non poſſe, *§. alteri. Inſti. de inutil. ſtipu.* naturalem tamen obligationem non prohiberi interpretabimur.

Id quod actum. ¶ Cùm enim verba ſenſum noſtrum exprimant, is in primis ſpectandus eſt. Vnde in contractibus illud obſeruabimus, quod veriſimile eſt à partibus fuiſſe actum, quòd ſi verba huiuſmodi ſint, vt veriſimile ſit, alteram partium vno modo, alteram alio intellexiſſe, contra eum fiet interpretatio, qui legem potuit apertiùs dicere. Quapropter contra venditorem, *l. veteribus. de pact.* locatorem, ſtipulatorem in dubio intelligemus, *l. quicquid. de verb. oblig.* vt ei faueamus, qui ſe obligat: ſatis aperte locutus tamen videtur, qui generali vſus eſt verbo. *l. ſa lege, loc.*

Ambiguè. ¶ Chryſippus omne verbum ambiguum natura eſſe ait, quoniam ex eodem duo, vel plura accipi poſſunt. ¶ Diodorus autem, cui Crono cognomentum fuit. Nullum, inquit, verbum eſt ambiguum, nec quiſquam ambiguum dicit, aut ſentit, nec aliud dici videri debet, quam quòd ſe dicere ſentit is, qui dicit: at cùm ego, inquit, aliud ſenſi, tu aliud accepiſti, obſcurè magis dictum, quàm ambiguè videri poteſt: ambigui enim verbi natura illa eſſe debuit, vt qui diceret, duo, vel plura diceret: nemo autem duo vel plura dicit, qui ſe ſentit vnum dicere. Hæc Aul. Gellius *lib. 11. cap. 12.* ¶ Sed ego ambiguum eſſe accepi, quod in ambas partes agi poteſt: obſcurum, quod in quam plurimas: vt ſi quis leget fundum: quàplures enim ſunt fundi: confunditur tamen ab autoribus plerunq; hæc differentia.

Senſit. ¶ In primis tamen conſideranda ſunt verba, à quorum propria ſignificatione non eſt recedendum, *l. non aliter. de leg. 3.* niſi de mente conſtet expreſſa, vel etiam præſumpta. *l. cùm avus. de condit. & demonſt.* Idem cùm in ſuperuenienti caſu, ſi de eo cogitatum eſſet, veriſimile fuerit teſtatorem aliquo modo diſpoſiturum. *l. ſale. ſa ſi. de pact.* id enim in teſtamentis obſeruatur, dum verba non repugnent. Quòd ſi verba certa ſint & clara, ab eis nunquam recedimus. *l. Labeo. de ſupel. leg.* tametſi alia voluntas teſtatoris allegetur. *l. quidam. de hered. inſt.* non enim ſufficit voluntas, niſi diſpoſitio, ſeu actus ipſe accedat.

Potero. ¶ Sed hoc non ſufficit, cùm euenire poſſit, vt deducto ære alieno, adhoc commodè ſoluere nequeat: vnde prior hæc interpretatio eſt, quæ ſubſequitur, coniungenda eſt.

Dignitate. ¶ Id eſt, commodo. Nam ſi miles eſt, ei relinquenda ſunt arma, ſicut ſcholaſticis libri, quod Accurſ. tradit: nec enim huiuſmodi inſtrumenta in obligatione generali comprehenduntur, nec in his Seruiana locum ſibi vendicat. *Iaſ. §. item Seruia. Inſti. de action.* Hincque argumẽtum accipitur, quoties priuilegium quis habet, ne condemnetur, niſi quatenus facere poſſit, debere ita fieri deductionem ne egeat, relinquendúmque ei eſſe, vnde ſecundum dignitatem ſuam honeſtè cum familia ſua viuere poſſit, quod pleriſque viſum eſt. *Aret. conſil. 17.* poterunt tamen, quę ad mollitiem pompamve pertinent, omnia auferri, vt mullæ inſtratæ, quæ vrbem perambulandi cauſa ſolùm habentur, ſerica veſtis, tapetia, idque genus ſimilia: nec enim apud ſeueros & graues viros quiſquam minoris autoritatis eſt, quia huiuſmodi non habeat.

BRECHÆVS.

NÈros. ¶ Pater (inquit Labeo) filiæ nomine centum doti ita promiſit, [Cum commodiſſimum eſſet. Atteius ſcripſit, Seruium reſpondiſſe, Cùm primùm ſine turpitudine & infamia dari poſſit, deberi. Eſt hoc quidem accipiendum, aiunt doctores, ſubducto ære alieno: neque ipſum Patrem familiâs ante conueniri poſſe quàm iam contractum debitum penitus exoluerit: aut ſine magno rerum ſuarum incommodo id ipſum præſtare poſſit. Sed quid, ſalua dignitate, intelligas? Et id, ſine incommodo eſſe, tradidit Alciatus cum Accurſio. Vt ſi militi relinquenda ſint arma, & ſcholaſticis libri. Quem ego ſenſum nõ improbauerim: verumtamen πρὸς τὴν δύναμιν trahendum potius & ad facultatem exiſtimatem: vt intelligamus, [Salua dignitate,] id eſt, cùm ſic in facultate ac poteſtate mea erit poſitum, vt de familiaris rei dignitate nihil ea propter detrahatur. Si enim dotem promiſſam, qui præſtem, res meas tum ad vitæ, tum ad familiæ dignitatem pertinentes diſtrahi indignè oporteat, iam præter facultatem & vires rei domeſticæ ac familiaris, vnde dignitas vitæ haberi ſolet, ac etiam maximo meo incommodo, id fecero. ¶ Item cùm ſeruitus turpitudo quædam cenſeatur eſſe, ſaltem quæ dignitatem hominis imminuat, eſſe autem debitorem alicui ob æs alienum contractum, ſeruitutis ſpeciem habeat, vt ſentit Accurſ. *in l. fideicommiſſa. §. ſi rem. ia verbo non accipere. de leg. 3.* conſequens eſt, vt qui grandis pecuniæ alienæ debito, dotem promiſit, eandem præſtare non teneatur, quàm prius hoc ſeruitutis nexu ſe liberauerit: propterea quòd promiſſionis interpretatio ſecundum promiſſorem eſt accipienda, vt non videatur præter facultates aliquid promiſiſſe, vnde dignitatis iacturam

ſturam faceret : ſed potius cum rerum ſuarum commoditas id ferat : & vbi primum creditorum importunis latratibus ſeipſum explicauerit:alioqui enim ſalua dignitate non promittat. Sanè huius rei ea ratio eſt, quòd nec licitè nec honeſtè quicquam alteri promittere poſſumus, niſi ſubducta demum æris alieni ratione. Nihil enim noſtrum vindicare poſſumus tantiſper dum obærati ſumus. Siquidem quæ bona licet creditoribus noſtris iure ſuo inuadere, noſtra cenſeri non debent. *l. ſubſignatum. §. bona. ̄s. hoc tit. l. quod euincitur. ̄j. de reg. iuris.* Inde eſt argumentum, quòd is qui promiſit his verbis, [cum potero] intelligitur promiſiſſe ſecundum facultatum ſuarum rationem : vel quando iure vel honeſtè potero id eſt, ſalua dignitate mea, & cùm ita commoditas feret, vel cùm commodum erit. *cap. facit, 22. cauſa, quæſtione 2. cap. ſciſcitatus. de reſcriptis, cap. charitas. de pænitentia diſtinctione* 2. Innocen. *in cap. ex tenore. & cap. accedens. de conceſſione preben.* gloſſ. *in d. cap. faciat. verb. quod poteſt.* Ex quibus colligere licet, quòd actus reſoluitur in potentiam. Vt ſi facturum ſe quicquam receperit aliquis, accipiendum id quidem erit, ſi honeſtè, vel iure, vel ſalua dignitate poſſit. Et ſi teſtator ducenta legauerit, Vlpianus *in l. 1. de lega.* 2. ſcripſit non valere legatum vltra vires & facultates patrimonij, ac niſi ſubducto ære alieno. Præterea, & ſi quis ſic acceperit libertatem : Cùm decem dare poterit, liber eſto, Trebatius ait, licet habuerit decem, vel idoneus fuerit ad acquirendum & conſeruandum peculium, non tamen aliàs ad libertatem peruenturum, niſi dederit, aut per eum non ſteterit quominus det. Quæ ſententia vera eſt, ait ipſe Vlpian. *l. 3. §. ſi quis. ff. de ſtatulibe.* Quo loco tradit Accurſius oportere quòd factum ſequatur potentiam. *l. ſi quis crediderit. ff. de pact.* in eum itaque ſenſum hoc reſponſum Proculi accipietis.

FORNERIVS.

NEpos. ¶ Dotem dicit, promittit, dat pro nuptura muliere, pater vel extraneus: vel certam, vel incertam nulla quantitate ſpecieve demonſtrata: purè ac ſimpliciter : aut in diem ſub conditione, vel modo. Patris autem incumbit officio conditionem filiæ quærere, ac parare dotem. *l. 19. capite. vulg. l. qui liberos. de rit. nupt.* Matura virgo rugas aniles non expectet : quæ patrem, vt viro locetur, tacita etiam rogat. Menander,

Θυγάτηρ ἐπίγαμος κἂν μηδ᾽ ἓν ὅλως λέγῃ
Διὰ τοῦ σιωπᾶν πολλὰ περὶ αὐτῆς λαλεῖ.

Quæ ſi amiſſo viro ſecundas repetat nuptias, iterum dotem vidua à patre ſine vlla deminutione accipiet. *Nouel. 97.* Nam quod dicitur his verbis, [cùm nupta erit,] primas non ſecundas nuptias intelligi, de dote non à patre promiſſa, ſed extraneo accipiendum arbitror: qui ſecuto diuortio, deinde redintegrato matrimonio, iterùm ad dotem, cuius actio ſemel intercidit, non obligatur. *l. 63. ſtipulatio. de iur. dot.* ¶ Nec tamen omninò & indiſtinctè patri neceſſitas dotandæ filiæ, legibus imponitur. Quid enim ſi flagitiosè turpitérque viuat? Nam & ob eam cauſam exheredari poſſet. *l. 19. ſi filiam. C. de inoff. teſt. Nouell. 115.* Quid ſi ipſa locuples, quæ ſuis ſe facultatibus alere poſſit? *l. 5. §. ſed ſi filius. de lib. agnoſ.* Quid ſi inconſultò patre, obſequentior proco nupſerit? *l. 10. ſi ita. l. 34. generali. de rit. nupt.* Tertullianus *lib. 2. ad vxorem.* [Nec in terris filij, ſine conſenſu patrum ritè ac iure nubent.] ergo nec nuptiæ, nec dos. *§. pen. de nupt. Inſt.* Quid ſi iam prouectior ætate quinquageſimum annum ſuperans, ſeras, effœtáſque nuptias affectaret? arg. *l. 21. ſi ſterilis. de act. empt.* Ariſtoteles *lib. 7. cap. 16. Polit.* Plinius *lib. 7. cap.* 14. Poſtremò quid ſi inopiam & egeſtatem cauſetur pater : audiendus erit, ſi non elocet: nec ſe (maiorem genero dotem, quam præſtare queat, promittendo) ære alieno obrui patietur. Neq; enim æquum eſt egere parentes, dum liberos beent, fraudatiſque creditoribus, dotem conſtituant: Vel genero denique obiecta amplioris dotis ſpe impunè illudant. *l. pen. de iur. dot.* Improbus enim debitor is eſt, qui onuſtus ære alieno, ſecundo ſe nexu ſciens obligari patitur. *l. 10. ait prætor. §. ſi cum muliere. l. 15. ſi quis cum. ̄s. quæ in fraud. cred.* Symmachus *lib. 2. epiſtol. 56.* Ideóque beneficiu legis Iuliæ, vt bonis cedat, non vtetur. Barthol. *l. 17. alia. §. eleganter. ſol. matr.* Quo minus in Zaſij ſententiam conceſſerim: qui *lib. 2. cap. 9. ſingular. reſponſ.* neceſſitatem genero imponit, probandi ſocerum in dolo verſatum: Res ipſa dolum arguit, cum ſe non idoneum ſciret, maiorem ſuis facultatibus dotem dixerit, generum induxerit, eique, (vt Paulus ait) inſidiatetur. *d. l. pen.* Adde quòd licuit apertiùs loquendo ſibi cauere, [cum potuero cum erit commodum, doti filiæ meæ tibi erunt aurei centum:] Tum enim cum primùm ſine turpitudine & infamia dari poterit, debebitur. hic. et *l. 79. anus. ̄s. de iur. dot.* Poſſe enim id demum quiſque videtur, quod iure, quod honeſtè, quod ſalua dignitate poteſt: ne egeat, deducto ære alieno, dilatio dabitur, non protinus ei res eripientur : neque ad miſeram bonorum diſtractionem adigetur. *l. 35. diuortio. de neg. geſt. l. 22. ſi ſeruus depoſitus. de nox. act. l. 13. ratum. l. 105. de ſolut.* ¶ In omnibus eiuſmodi clauſulis, ſubauditur, ſi quidem ſaluis legibus ac illæſa dignitate poſſim. Atque ex iſtis honeſtatis principiis tanquam ſeminibus, ortæ ſunt complures in iure noſtro, propagatæque ſententiæ. Veluti ne à liberto turpes operæ exigantur : ſed eæ quæ quandoque honeſte, ex ætate, dignitate præſtentur. Hæ enim demum operæ impoſitæ intelliguntur, quæ ſine turpitudine edi poſſunt, & ſine periculo vitæ. Nec enim ſi meretrix manumiſſa fuerit, eaſdem operas patrono præſtare debet : quamuis adhuc corpore quæſtum faciat. nec arenarius manumiſſus tales operas : quia iſtæ ſine periculo vitæ præſtari non poſſunt. *l. 16. eius. l. 38. hæ demum. de oper. lib.* Atterius libertum reum patroni concubinum defendens, deriſum effugere non potuit, quòd dixiſſet, [Impudicitiam in ingenuo crimen eſſe: in ſeruo neceſſitatem: in liberto officium.] Res abiit in iocos, ex eóque impudicos & obſcænos aliquandiu officioſos vocitatos, refert Seneca Proœmio *lib. 4. declam.* Turpe fuit Athenienſium meretricium vectigal, vt Rom. ab Anaſtaſio ſublatum Chryſargyrum, illiberale inſtitutum à Caligula, ex capturis proſtitutarum, quantum quæque vno concubitu mereret, apud Suetonium. Si quis iudicio vel arbitrio adeſſe iubeatur minùs honeſto loco veluti Lupanari, quia ſalua dignitate litigator nequeat,

ſiſtere

ſiſtere ſe non cogitur. *l.21. quid tamen. vulgò. l. ſi cum dies. §. ſed ſi in aliquem. de recept. arb. arg. l. penult. de iuſtitia & iure. l.4. de interrog. act.* Seneca *cap. pen. lib.4. de benefic.* [Subeſt tacita exceptio, (Si potero, Si debebo.) Vadimonium promittimus, tamen deſeritur. Non in omnes datur actio: deſerentem vis maior excuſat.] *l.2. ſi quis caution.* ¶ Hinc illud efficitur, cùm facta filij in poteſtate ſub conditione impoſſibili inſtitutio vitietur. *l. vlt. de cond. inſtit. l.4. de hered. inſtit. l.4. C. de inſtit. & ſubſtit.* Si ſub conditione, quam ſenatus aut princeps improbauerint inſtituatur filius, teſtamentum infirmat patris: perinde atque ſi conditio non eſſet in ipſius poteſtate. Nam quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, quæque contra leges, ac bonos mores fiunt, ea nec nos facere poſſe credendum eſt. *l.15. filius. de cond. inſtit.* Turpia ſcilicet omnia, quamuis re effici poſſint, iure tamen legéque impoſſibilibus adnumerantur: ita vt in vinculis eſſe etiam ij videantur, qui ſic alligati ſunt, vt ſine dedecore in publicum prodire non poſſint. *l.10. in eadem, quibus ex cauſ. maior.*

Protinus. ¶ Imò verò aliquantum ſpatij pecuniæ conficiendæ cauſa concedendum: ſi alioqui, niſi magno incommodo, vexatione, rebúſque intempeſtiuè diſtractis parari non poſſit. *d. l.22. ſi ſeruus. d. l. 35. diuortio. l.1. fin. ſi vſusfr. pet. l.20. ſi peculium. fin. de ſtatulib.* Quod temperabitur viri boni arbitrio. *l.3. de ann. leg. l.137. continuus. de verb. oblig. l.2. de re iud.* Adde quòd ſi nondum ſit puella nubilis, non priùs ad dotem agetur, quàm maturam ætatem attigerit: tacitáque ineſt ex natura rei promiſſæ dilatio. *l. 4. de pact. l.18. intereſt. de reb. auct. iud. poſſ. vulgò. l.3. de priuil. cred.* Sæpe enim accidit, vt obligatio ſpecie ipſa pura, tacitè ex rei in ſtipulatum deductæ conditione vel loci adiectione differatur. *l. 41. cum qui. l. 73. Interdum. d. l.137. continuus. de verb. ob. l.1. de cond. & dem.* Denique cùm omnia quæ lege prohibente fiunt, irrita ſint. *l.5. C. de legibus.* nuptiis contra legum præcepta contractis, nulla dotis ſequetur exactio. *l.2. l.4. l. pen. C. de inceſt. nupt. §. pen. de nupt.* Vſqueadeò vt compertis inceſtis nuptiis, non ſolum dos, verumetiam ipſius fructus viro auferantur. *l.52. inceſta. de ritu nupt.*

Id quod actum. ¶ Si quidem id apparet. Ambiguæ autem vel obſcuræ orationis vitium auctori ipſi nocebit: quaſi conſultò inſidioſè loquutus ſit. *l.39. veteribus. §. de pact. l.43. ea qua, de contr. empt.*

Deducto ære alieno. ¶ *l. 16. ſunt qui. ll. ſeqq. de re iud.* Quare ſi egenus & obæratus filiæ profectitia bona habenti dotem ſimpliciter indiſtinctéque promiſero, vel dedero: de me potiùs liberando, quam liberalitate in filiam vtendo cogitaſſe videor. *l. vlt. C. de dot. promiſſ.* Cum nemo in neceſſitate coactiſque in anguſtum rei familiaris copiis beneficus ac liberalis præſumatur. *l.24. ſi quidem. C. de tranſ. l.18. rem legatam. §. de adim. leg.*

CXXVI. Idem lib. vj. Epiſtularum.

SI cùm fundum tibi darem, legem ita dixi, [vti optimus maximúſque eſſet,] & adieci, ius fundi deterius factum non eſſe per dominum, præſtabitur. Amplius eo præſtabitur nihil: etiam ſi prior pars, qua ſcriptum eſt, [vti optimus maximúſque ſit,] liberum eſſe ſignificat. Eóque ſi poſterior pars adiecta non eſſet, liberum præſtare deberem. Tamen inferiore parte ſatis me liberatum puto, quod ad iura attinet, ne quid aliud præſtare debeam, quàm ius fundi per dominum deterius factum non eſſe.

Alciatvs.

SI cvm fvndvm. ¶ Cùm quis rem vendit, liberam vendere tenetur, vel emptorem admonere: quòd ſi ſe vti optimus maximúſque eſt, fundum vendere dixerit, fit huiuſmodi verborum ea interpretatio, vt ab omnibus ſeruitutibus liberum tradere videatur: ſed ſi ſubdiderit clauſulam illam, quæ in pleriſque inſtrumentis ſolet apponi, videlicet, Ius fundi deterius per dominum factum non eſſe, præcedentia ſecundum hanc declarantur, generaliſque clauſula à ſubſequenti declarationem accipit. Cùm enim conſtet hoc actum, vt ius fundi diminutum non ſit, ſi tradatur vti optimus, maximúſque eſt fundus, fit relatio ad id quod actum eſt: dictio enim vti, ad aliud relatiua eſt, non ex ſe diſpoſitiua. *l.1. vti poſ.*

Ius fundi. ¶ Clauſula hæc eadem eſt cum ea, quam tabelliones barbarè, pro dato, & facto ſuo tantum appellant. quam ſi venditor in contractu appoſuit, nihilominus ſucceſſoris quoque ſui factum promiſiſſe videbitur: cenſetur enim is eadem perſona: qua ratione ſi res ex facto quoque autoris ſui euincatur, venditor obligatus erit. *l. ſtipulatio iſta. in princ. de verb. oblig.* videtur enim ſolùm euictio, quæ ab extraneis fieret excepta. Bart. *l. ſi ſeruus. de cond. furt.* Quapropter & ſi ex facto autoris ſingularis euincatur, venditor non tenebitur: is enim venditori extraneus cenſetur, cùm in eum perſonales actiones non tranſierint. *l. rem ſingul.* 157.

Non eſſe, per Dominum. ¶ Concepit Iuriſconſultus verba clauſulæ in tertiam perſonam, alioqui venditor ſolet dicere, ius deterius per ſe factum non eſſe.

Præſtabitur. ¶ Alij codices, id præſtabitur, & caſtigatius.

Poſterior. ¶ Subſequens ergo clauſula præcedentem generalem reſtringit: quod verum eſt, quoties præcedens ad ſequentē ſe refert, *l. legatorum. in fin. de leg.2.* vt in hoc reſpōſo, vel alias ambigua incertaq; eſt. idem ſi vtraq; clauſula ab eodem verbo regimen, determinationemq; accipiat. *l. ita quod. §. fi. de pe. lega.* Sed & ne poſterior ſpecialis diſpoſitio fruſtrà adiiceretur, præcedentem generalem arctari dixit Bal. *l. quoties. C. fami. erciſc. l. quæſitum. in fi. de fund. inſtruct.* Quod tamen non omnino verum eſt, attendimúſque in vniuerſum rei geſtæ rationem, à qua dubium non eſt, quamlibet diſpoſitionem regu

regulari, vt vbi ceſſet ratio, & diſpoſitio quoque ceſſet: ceſſare autem non dicetur, ſi aliquo modo applicari negotio poſſit. Ecce, Lex Iulia, quo faciliùs per quæſtionem explorari de adulterio dominæ poſſit, vetuit intra certum diem ſeruos manumitti, an de eo quoque ſeruo intelligemus, qui abſens fuit? Et receptum eſt, hunc etiam contineri. *l. proſpexit. ſ. qui & à quibus.* non enim omnino ratio ceſſat cùm is de priori vita atteſtari poſſit: vnde ſubſequentis indicia aſſumuntur. *c. mandata. de præſum.* Adde, quòd ſi dubitaretur, abſens an præſens fuiſſet, iudices vt libertati fauerent, potiùs abſentem pronuntiaſſent, exemiſſéntque quæſtioni, *l. 3. §. 1. de alb. iud. mu.* quod præter legiſlatoris mentem accidiſſet. Sane & illud conſtat, ex ſcripturæ proximitate ſumi pleronque rationis mentiſque coniecturam. *l. ſi ſeruus pl. §. fin. de leg. 1.*

BRECHÆVS.

SI CVM FVNDVM. ¶ Suprà *in l. Qui vti optima maxima. h. t.* dictum eſt à nobis, quam vim in contractibus habeant hæc verba, [vti optim. maxi.] Quare nihil fuerit opus hoc loco eadem repetere. ¶ Veruntamen, quis ſit huius reſponſi ſenſus, non omittam. Vlpianus igitur in reſpóſo ſuprà laudato ſcribit, eum qui vti optimæ maximæque ædes ſuot, tradit non intelligere, vt ſeruitus illis debeatur: ſed ſeruitute liberas tradit. Quod ſi adiecero hæc verba, videlicet, ius fundi deterius factum non eſſe, videor ego à priori ſtipulatione receſſiſſe, propter hanc ſequentem clauſulam. Itaque fundum illum ſeruitute liberum iam tibi tradere non tenebor: ſed id præſtare tantùm, quo ius fundi à me venditi deterius meo facto, meáve culpa factum erit: & nihil eo ampliùs. Et inde argumentum colligit Accurſius verba ſequentia reſtringere præcedentia, vt *l. ſi is qui animo. ff. de acquiren. poſſeſ.* atque etiam è contrario, præcedentia reſtringere ſequentia. Quod *& in Commentariis noſtris ad conſuetud. Turonenſ. in tit. Des donations entre roturiers. articul. 7. attigimus.*

FORNERIVS.

SI CVM FVNDVM. ¶ Proculus in eos quos cóſcripſit epiſtularum libros, videtur ea de quib. conſulebatur retuliſſe: vt quæ ſuperſunt hodie capita indicant. *l. 47. Sempronius. l. 48. Lucius. de legat. 2.* & proximè præcedens caput. *l. 125. Nepos.* Hìc verò conſultus de venditionis lege reſpondit, clauſulæ priori generali poſteriore derogatum. Nam qui ſimpliciter in fundi traditione diceret, [Vti optimú maximum dari,] liberum omni ſeruitute, ac pignoris nexu ſolutum præſtare deberet emptori. *l. 48. cum fundus. de euiction. l. 26. fideiuſſor. §. pater. de pigno. l. 90. qui vti. ſ. h. t.* At cum adiicit, [Ius fundi non deterius factum, eò ampliùs nihil præſtaturum:] de ſe loqui, non de alterius facto, vel aliunde impoſita quàm à ſe ſeruitute præſtanda ſenſiſſe intelligitur. Ita poſterioris pactionis diſerta exceptio de priore detrahit, interdum intendit, atque auget, futura alioqui otioſa. Sic ne duplæ cautio euictionis nomine præſtetur, paſciſcimur. *l. 72. pacta. ſ. de contrah. empt.* Fundi venditor 18. iugerum eſſe dixit: & quod eius admenſum erit, ad ſingula iugera certum pretium ſtipulatur: 20. inuentis iugeribus, pro 20. pecuniam ab emptore deberi reſpondit Paul. *l. 40. qui fundum. de contr. empt.* Scilicet priori clauſulæ fundi vniuerſitatem vno nomine complexæ, inferior (ad ſolutionem ſpectans, in partes diſſipans) derogauit: vt ſolet in cætero iure generi ſpecies derogare. *l. 41. ſanctio. de pæn. l. 80. in toto. ſ. tit. ſeq.* Neq; Alfenus Paulo obloquitur in *l. 45. qui fundum. de euiction.* vt propediem in ſelectionum commentariis oſtendemus. *Ne quid aliud præſtare debeam.* ¶ Nam vt cæteris ferè aſſolet, vt conuentio legem det contractui. *l. 1. §. ſi conuenit. depoſ. l. 23. contractus. ſ. tit. ſeq.* Ita hìc quoque venditor cauit, ne ſi quę fundo ſeruitus, ab alio, quàm à ſe eſſet impoſita, eo nomine teneretur: ſe id vnum (nulla ab ſe impoſita, fundum non deteriorem factum) præſtaturum. Quamobrem, ſi apertè in venditione comprehendatur, nihil euictionis nomine præſtatum iri, idem quoq; ſtatuemus: niſi fortè ſciens alienum ignoranti vendat. *l. 11. ex empto. fin. de act. empt.* Ex aduerſo, qui ſciens prudens alienum vel obligatum fundum emit, non aget de euictione, ne ad pretium quidem, niſi de eo quoque ſibi reſtituendo ſtipulatione cauerit. *l. 7. ſi fratres. C. comm. vtr. iud. l. 27. ſi fundum. l. pen. C. de euict.* M. Marius Gratidianus C. Sergio Oratæ vendiderat ædeis eas, quas ab eodem ipſe paucis antè annis emerat. hæ Sergio ſeruiebant: ſed hoc in mancipio Marius non dixerat. Adducta res in iudicium eſt. Oratam Craſſus, Gratidianum defendebat Antonius. Ius Craſſus vrgebat, inquit M. Tullius *lib. 3. de officiis.* [Quòd vitium venditor non dixiſſet ſciens, id oportere præſtari. Æquitatem Antonius: quoniam id vitium ignotum Sergio non fuiſſet, qui illas ædeis vendidiſſet, nihil fuiſſe neceſſe dici. Nec eum deceptum, qui id quod emerat quo iure eſſet, teneret.] Ac ſi diceret, nullum ſcienti factum videri dolum. *l. 1. l. 14. quæritur. de æd. edict.* vt pileatorum ſeruorum venditione, Feſtus: Gellius *lib. 7. cap. 4.* Ædium vitium Cicero ſeruitutem vocat: quæ ſanè iure ciuili redemptis ædibus, ſemel extincta (quoniam ſua res nemini ſeruiat. *l. pen. ſi vſusfr. pet.*) reſtitueretur. *l. 18. in omnibus. de ſeruitut. l. 9. ſi et. ſ. commu. præd.* Seruitutes enim prædiorum confunduntur, ſi idem vtriuſque prædij dominus eſſe cœperit.

CXXVII. CALLISTRATVS lib. iiij. de Cognitionibus.

VESTIS appellatione tam virilis, quàm muliebris, & ſcænica, etiam ſi tragica, aut citharœdica ſit, continetur.

ALCIATVS.

VESTIS. ¶ Veſtimentorum alia virilia, alia muliebria, alia communia viris muliebribúſque ſunt: ea igitur omnia veſtis appellatione continentur. Sumpta autẽ videtur hæc vox à Græco ſermone ἐσθής. Addit Iuriſcóſultus etiam ſcenicas, tragœdicas, comœdicáſq; contineri. Solebant enim in ſcen

in ſcena vſui eſſe pleráque indumenta quæ à choragis aſſumebantur, quæque præbenda ædiles locabant, vt eſt apud Plaut. in Perſa. De huiuſmodi veſtimentis non pauca prodidit Iul. Pollux *Onomaſticon lib.4.* vbi tragicas veſtes his deorum heroúmque perſonis aptas refert, quæ repræſentabantur: ſicut & comicas, quales in ſeruis palliolum album coquis duplum & rude, aniculis veſtis gilua, vel cæleſtis coloris, iuuenibus byſſina, lenonibus tunica florida, & circumpleaa, paraſitis nigra, vel fuſca, ruſticis pellis caprina, adoleſcentibus purpurea.

Citharœdica. ¶ Suas citharœdis veſtes, ſuáſque item aulœdis, tragœdiſque fuiſſe, Lucianus *in Cynico* oſtendit. Intelligi autem hinc poteſt, thymelicorum ornamenta, à cæterorum indumentis diuerſa extitiſſe. Thymelici verò ſunt fidicines, citharîſtæ, lyriſtæ. Tibicines, qui in orcheſtra actiones ſuas peragebant, ſicut hiſtriones in ſcena, vt M. Vitruuius eſt autor. ¶ Quamuis igitur hæc indumenta certis ſolùm actibus vſui ſunt, veſtium tamen appellatione continentur. Quapropter cùm hodie ſub Veris initia, ea antiquorum conſuetudine, cuius hiſtoriæ *lib.1.* Herodianus meminit, ſoleant iuuenes perſonati choreas & ludicra exercere, legatis veſtibus, de eis quoque intelligetur, quæ in eum vſum paratæ ſunt, ſiue verſicolores, ſeu virgatæ, ſeu quoquo alio modo ſint.

BRECHÆVS.

VESTIS. ¶ Quod Latini à veſtiendo veſtem appellant, hoc ipſum Græci τὴν ἐσθῆτα καὶ ἔσθησιν τοῦτ' ἐστὶ τὸ ἱμάτιον, παρὰ τὸ ἕω καὶ τὸ ἐνδύομαι. quod induere ſignificat: a verbi futuro ἐσθήσω. γυναικεῖαι ἐσθῆτες. ¶Iam verò veſtis appellatio generalis eſt, & latè patet. Significat enim & virilem, & muliebrem, quam ἱμάτια γυναικεῖα Lyſias appellat. Itaque ſi teſtator legauerit veſtes ſuas puto omnis generis veſtes, legato contineri: veluti laneas, ſericeas, & holoſericeas, tam inſignes & ſplendidas quam promiſcuas. pallia ἱμάτια, atque inde omne veſtimentum exterius, & amiculum, & ſtragulum totale, quod Græci περίβλημα dicunt, Bodæo teſte. Præterea & τὴν ὁδοιπορικήν, ſeu viatoriam veſtem. Continet etiam Stola omnia veſtimenta & quicquid operiri & circumtegere ſolet, ἀπὸ τοῦ στέλλομαι: tametſi eandem Vlpia. *in l. veſtis. ff. de aur. & arg. leg.* inter muliebria veſtimenta reponat. Cuius rei authorem locupletiſſimum Cicer. *Philip. 2.* videtur habere. Sumpſiſti (inquit) virilem togam, quam ſtatim muliebrem ſtolam reddidiſti. Bayfius exiſtimat veſtẽ & Stolam eſſe συνώνυμα: atque author eſt Nonius, veteres dixiſſe ſtolam quicquid corpus contegeret. Scribit D. Ioan. c. 7. Apocaly. in hæc verba, οὗτοι οἱ περιβεβλημένοι τὰς στολὰς τὰς λευκάς. Hi qui circumtecti ſunt ſtolis albis. Et paulò pòſt, καὶ ἐπλάτυναν τὰς στολὰς αὐτῶν, καὶ ἐλεύκαναν στολὰς αὐτῶν ἐν τῷ αἵματι τοῦ ἀρνίου. Et dilatauerunt ſtolas ſuas, eaſque in ſanguine agni dealbarunt. Hic ſtola pro operimento tam virili tum etiam muliebri abſolutè accipitur: & ἀδιαφόρως. Quid ſi teſtator his verbis legauerit, Caiæ vxori meæ ſtolas do lego: An etiam virilia veſtimenta continebuntur? Et rectius eſt vt non contineantur. Coniectandum eſt etenim eam fuiſſe teſtatoris mentem, vt muliebres veſtes ſolum legare vellet, cùm alioqui præter decorum atq; vſum legatarum veſtium legaſſe cenſeretur: non enim mulieri veſtimenta virilia conueniunt. Verba autem ſecundum ſubiectam materiam ſunt proculdubio accipienda, vt tradit Bald. poſt Bart. *in l.1. C. de neg. geſt.* Sed & menti inhærere debemus potius, quàm inani verborum cortici, vt not. Innoc. *in c. petitionem. extr. de procur.* & nos latius in *Aphor. iuriſprud. in verb. ſententia. Aph.* 227. ¶ Quid item ſi ornamenta mulieri legata ſint, an veſtem muliebrem comprehendiſſe teſtator videbitur? Et Paul. reſpondit, minimè contineri: nec errorem heredis ius mutaſſe. *l. Ornamentorum. d. tit. de aur. & arg. leg.* Quæ autem ſint mulierum ornamenta, quidque veſtis appellatione veniat, ampliſſimè traditum eſt ab Vlp. *in d. l. veſtis.* atque idem eruditè à Lazaro Bayfio, in eandem legem. Reliqua in hoc reſponſum vide apud Alc. & Bart. Cæpol. & quæ nos quoque ſcripſimus *ſ. in l. verbo victus. cum duab. ll. ſeq.*

FORNERIVS.

VESTIS. ¶ Varietas inſcriptionis obſcuriorem efficit inueſtigationem diſputationis, & incertiorem ad quam hoc caput referatur, originem. Vulgò ſic, Paul. *lib. 2. Manualium.* Florentiæ, Calliſtrat. *lib. 4. de cognit.* Quibus in libris, quoniam (quantùm ea reliquiis ac paterinis æſtimare licet) diuerſa tractatarum apud præſides controuerſiarum genera referuntur, liquidò nihil iuratus, in vniuerſum ediſſeram. Veſtis nomen eſſe generale, & ad cuiuſuis ſexus, ætatis, & conditionis indumenta, virilia, muliebria, puerilia, tragica, ſcænica, familiarica pertinere. *l. 23. veſtis. de aur. & arg. leg.* Communia enim fuerunt ac promiſcui vſus apud Romanos veſtis genera, veluti toga. Non. Marcel. de genere veſtimentorum, apud Græcos cothurnus. Sudas *in Theramenes.* Iul. Pollux *lib. 7. Onomaſtic.* De virilib. ac muliebribus Pomponius *in l. 18. ſi vir. l. 31. ſed ſi vir. §. 1. de don. int. vir. & vx. l. 110. ſi mihi de ver. obl. l. 33. inter. de aur. & arg. leg.* ¶ Non tamen licuit indiſtinctè vel viros muliebria, vel mulieres virilia veſtimenta induere. Tertul. *de Idololatria.* Cyprian. *epiſt. 37.* Gangrenſis concilij *c. 13.* Lucianus περὶ μὴ ῥᾳδίως πιστεύειν διαβολῇ. nos nonnihil *lib. 1. c. 1. Selection.* De ſcænicis, quibus hiſtriones vtebantur *l. 18. ſed & ſi quid. de vſufruct. l. 19. videamus. §. 1. de vſur.* de quibus & nos eiuſdem *lib. 1. c. 21.* diſſeruimus. Et quia inſtitutum iamdiu de veterum ornamentis veſtibúſque commentarium edere animus eſt: nunc quæ de toto eo genere paraui, parciùs attingam: ſi ſublato ex *l. 11. tit. de ſcænicis.* C. Theod. mendo, obiter monuero. Impp. Theod. Arcad. & Honor. A. A. A. Rufin. P. P. [Nulla mima gemmis, nulla ſigillatis, ſericis, aut textis vtatur auratis. His quoq; veſtib. nouerint abſtinendum, quas græco nomine à latino cruſtas vocant. In quib. alio admixtus colori puri robur muricis inardeſcit. Vti ſanè hiſdem ſcuiulatis & variis colorib. ſericis, auróq; ſine gẽmis collo, brachiis, cingulo non vetamus.] Non dubium eſt, hac conſtitutione luxum veſtium mimor. coercente, perperã traiectis literis pro *robur* reponẽdum *rubor:* quo purpuræ ſplẽdor interdicitur. Tert. de Pallio. *Cũ latiores purpura ambitio, et Galatici ruboris ſuperiectio, Saturnũ cõmẽdat.* Gallaticũ ruborẽ coccineũ proculdubio intellig. Robũ verò rubro colore & quaſi

β ruſſo

ruſſo ſignificari, vt bouem quoque ruſtici appellant, manifeſtum eſt. Vnde & materia, quæ plurimas vænas eius coloris habet, dicta eſt Robur. Hinc & homines valentes, & boni coloris robuſti. Hæc Feſtus. Ita etiam in Pandectarum Florentinarum exemplari apud Vlpian. [plerumque robor hominis, ætas temporis, opportunitáſque naturalis mutat cauſam operatum.] *l.26. ſi non ſortem. §. libertus. de cond. ind.* Nec rarò in eadem editione occurret vicaria, O, & V, commutatio, Suboles *l.1. ſol. mat.* Vpilio, *l.60. cum quæreretur. fin. de leg.3.* Epiſtula, *rutunda*, pro rotunda. *l.6. de reiuind.* *cupiam*, pro copiam. *l.3. de lib. agn.* *Totius*, pro Tutius. *l.34. qui ſeruum. §. ſi is cui. de ob. et act.* & ne plura faſtidioſe promam, *empulas*, pro empolas. *l.69. cum ſocietas. pro ſoc.* vbi tamen, quod necdum à quoquam obſeruatum miror, *epulas* vitioſe legitur. Eſt autem empula, rediens ex negociatione lucrum, captura, vt verere gloſſario exponitur. Ariſtophanis Scholiaſtes Acharneuſ. ἱματίδια τὰ ἀπὸ τραγῳδίας κτλ. ſed illius loci ſententia, in qua doctiſſimi quique caligarunt, ſedulò à nobis in ſelectionibus explanabitur. Nunc ad inſtitutum reuertamur. [Scænica, tragica, citharœdica.] ¶ Non temerè hæc præcipuè veſtium genera, quarum diuerſa eſt a cæteris ratio commemorantur. Veſtis ſuæ legato, omnes quæ teſtamenti tempore teſtatoris erant, etiam nondum à ſartore confutæ, continentur: quibus auri, gemmarúmque intextarum ornatus accedet. *l.19. cum aurum. l.23. veſtis. l.25. argumento. de aur. & arg. leg.* ¶ Veſtimentorum quidem vſusfructus legari poteſt. *d. l.15. ſed ſi quis. §. & ſi veſtimentorum. de vſufr.* lanæ vſusfructus legari non poteſt. *l. vlt. de vſufr. ear. rer.* Differentiæ ratio hæc eſt, quòd veſtimenti ſubſtantia vſu non mutetur: quamuis atteratur vſu, ſicut & inſtrumenta fundi: At lana vti non poſſimus, quin eius rei mutetur ſpecies: proinde intereat vſusfructus. *l.5. §. res mutatione. quib. mod. vſusfr. amit.* Porrò quibúſque rebus ſecundum ipſarum naturam conditionémque vtimur, vt ad nauigandum, naue: veſte ad geſtandum. *l.12. arboribus. §. ſed & ſi nauis. d. §. etſi veſtimentorum.* Veſtimenta tamen non locabit fructuarius, ſed iis ipſe vtetur: quia vix fieri poſſit, quin ſi locarentur, non ex varietate conducentium corrumperentur. *d. §. & ſi veſtimentorum. d. l.15. ſed & ſi quis.* Adde quòd homini ingenuo pudor, imò faſtidium eſt, cùm propriis maximè delectemur, veſte promiſcua, & communi ferè omni populo, indui. In tragica ac ſcænica & funebri ſecus, quæ locari ſolent. *d. l.15. ſed & ſi quis. §. etſi veſtim.*

CXXVIII. VLPIANVS lib. j. ad legem Iuliam & Papiam.

SPADONVM generalis appellatio eſt. Quo nomine tam hi qui natura ſpadones ſunt, item thlibiæ, thlaſiæ: ſed & ſi quod aliud genus ſpadonum eſt, continentur.

ALCIATVS.

SPADONVM. ¶ Spadonum varia ſunt genera. Caſtrati qui penitus non arrigunt, ſiue quia naturaliter ſine teſtibus progeniti ſunt, ſiue quia ante pubertatem omnino exciſi. Thlaſiæ, quibus teſtes fracti ſunt, θλᾶν enim frango ſignificat: hi & θλαδίαι dicuntur. Thlibiæ qui attritos eos habent, ἀπὸ τοῦ θλίβειν. Eunuchi, qui τὴν εὐνὴν, id eſt, lectum virginum cuſtodiunt, alij quòd bonæ ſint mentis, εὖ νοῦ, & à venereis ſemotæ, dictos autumant: his enim non ſolùm teſtes, ſed totus coles ipſe ſolebat amputari. Lucianus in Pamphilo hoc diſtare eunuchos à ſpadonibus ait, quòd Eunuchi ab ipſo ſtatim ortu executi, nihil virile vnquam experiri potuerunt, quo ſenſu videntur hi Græcis eſſe Eunochi, qui apud Latinos ſunt caſtrati. Sunt & qui aliqua ægritudine teſtium vſum amiſerunt. ſunt qui vno tantùm teſte nati ſunt: ſunt & quibus cùm vterque adeſſet, altero execti ſunt. Caſtrari quoque mulieres in Lydia repertum eſt: has autem omnes ſpecies ſpadonis appellatione comprendi, Iuriſconſultus hìc tradit. Erant planè apud veteres in pretio hi ſpadones, habebantúrque pueri in delitiis, vt Bagoi regibus Perſarum, Ligdus Druſo, Sporus Neroni: quod & in Aſia hodie frequentatur. Sed & mulieribus quoque ſubſeruiebant, quæ initi volebant, non parere, quod *Satyra 6.* Iuue. conqueritur: nec enim rei venereæ ſpadones omnes abſtinentes ſunt. nam quibus vnus teſtis relictus eſt, etiam generant. *l. Pomponius. in ſi. de adil. ed.* ſed & qui puberes execti ſunt, & hepate ſunt feruentiore, vaſáque genitalia capaciora poſſident. hi coeunt, licet non generent, vocantúrque Græcis ἡμίθηλεις εὐνοῦχοι. Qui igitur coire queunt, hi & vxorem ducere poſſunt. *l. ſi ſeruo. in fin. de iur. dot.* & adoptare. *§. ſed & illud. Inſt. de adopt.* & poſthumum inſtituere. *l.6. ſ. de lib. & poſt.* at qui non poſſunt, hi caſtrati, id eſt, caſti facti dicuntur, qui cùm non arrigant, nec ducere vxorem, nec adoptare queunt. ¶ Accurſ. & eum ſequuti cæteri recentiores caſtratos ſolùm intelligunt, qui naturaliter ſine teſtibus ſunt. vnde & vulgatum extat carmen:

Caſtratos natura facit, violentia ſpadones
Improbitas, amor Eunuchos, & fœda libido.

Sed ex Latinis auctoribus apertiſſimè oſtenditur, etiam caſtratos dici, quibus ferro diminuta ſunt virilia. *l. ſi ſeruus. §. & ſi puerum. ſ. ad leg. Aquil.* vnde rectius eſt caſtratos interpretari caſtos, ſiue natura non arrigant, ſiue quia omnino ſpadones ſint. Habentúrque hi pro vitioſis. *d. l. Pomp. & l. ſeq.* & in his locus eſt redhibitioni. ¶ Sanè vetuit Domit. Imp. edicto, ne pueri caſtrarentur. *l.1. C. de eunuch.* quod & Conſtantij lege eſt cautum: éſtq; inde publicum iudicium ex lege Cornelia conſtitutū, quod & in his, qui Thlibias faciunt, locum ſibi vendicat. *l.3. 4. & 5. de ſic.* ſiue libidinis, ſiue commercij cauſa factum proponatur. ¶ Fuere autem apud veteres Eunuchi aliqui inſignes viri, vt Phauorin. philoſophus Arelat. quæ vrbs eſt iuxta Eridanum, vt eſt apud Philoſtr. Sed Oppianus ἁλιευτικῶν *lib.4.* oſtēdit, Eridanum a Græcis quoque dici, qui apud nos Rhodanus eſt. Narſes quoque Iuſtiniani dux, qui Gothos Italia expulit, ſpado fuit. Celebrat & Ammianus Marcellinus *lib.16.* Eutherium cubiculo Conſtantij Cæſaris præpoſitum, qui ſicut inter vepres roſæ naſcuntur, & inter feras nonnullæ miteſcunt, ita ipſe in

ipſe inter ſpadones recti exempli fuit. ¶ Quapropter poſſe ſpadones eunuchóſque ad quamcunque dignitatem adſumi non dubitauerim, tametſi Lucianus tempore ſuo, an ad doctoris officium deligi poſſent, dubitatum tradat, & propter iudicum varias ſententias rem ampliatam. Sed & Suidas iratum Theodoſium Antiocho præpoſito, ſcribit edictum protuliſſe, ne inter patritios eſſent eunuchi.

Natura. ¶ Cùm his diuulſi teſtes non ſint, videbatur ſpadonis nomen non conuenire: deducitur enim hæc vox παρὰ τοῦ ἀποσπάσθαι, i. ab euellendo, vt eſt in etymologico magno: qua ratione & ἐκτομίαι appellantur, quaſi electos dicas, ſicque eos Paul. Ægin. *lib.* 6. appellat: quib. verò colliſi ſunt, eunuchos. Infantes enim, inquit, pelui inſidere faciunt, & flacceſcentibus ob calidæ aquæ calorem corpuſculis, digitis teſticulos colliſdunt, quoad euaneſcant, nec contrectari ampliùs poſſint.

BRECHÆVS.

SPADONVM. ¶ Spadones, ait Budæus *in annot. poſter.* ſunt quibus cremaſteres ſunt euulſi, id eſt nerui quibus colei ſuſpenduntur. Sed eorum quidem vnum aut alterum genus eſt, οἱ μὲν γὰρ κατὰ φύσιν, οἱ δὲ κατὰ θλάσιν, οἱ κατὰ ἐκτομήν. Vnde & Tblaſiæ, qui aliàs Thladiæ θλαδίαι à nonnullis, vt teſtis eſt Budęus, & Thlibiæ: hoc quidem παρὰ τὸ θλάω, illud παρὰ τὸ θλίβω, quod frangere, vel atterere ſignificat. Spadones autem ἀπὸ τοῦ σπάειν, id eſt ab euellendo, non à ſpata cum qua inciduntur teſticoli, vt perperam & Gothicè tradidit interpres noſter Accurſ. & poſt illum Barthol. Cæpolla, cum reliquis eiuſdem ſcholæ. Sunt igitur Spadones effecti, vel natura, vt qui frigidi & coeundi impotes naſcantur: & hi caſtrati dicuntur, qui nec matrimonium capeſſere, nec etiam adoptare poſſunt: vtpote quos natura ipſa patres dedignata ſit. Si ſpadoni (inquit Vlpianus *l. ſi ſerua. §. ſpadoni. de iure dot.*) nupſerit mulier, diſtinguendum arbitror, caſtratus fuerit nécne, vt in caſtrato dicas dotem non eſſe, in eo qui caſtratus non eſt, quia eſt matrimonium, & dos & dotis actio eſt. Et idem *in tit. de lib. & poſt. her. inſt. l. ſed eſt quæſitum. §. ſpadonem.* ſcribit Iulianum Proculi opinionem ſecutum, non putare ſpadonem, ſi caſtratus ſit, heredem poſthumum poſſe inſtituere. Alioqui verò, ſi ei virilia execta ſunt, quoniam nec ætas, nec ſterilitas ei impedimento ſit, ex Labeonis Caſſij ſententia poſſe. Quod etiam a Iuſtiniano traditum eſt *in tit. de adopt. inſtit. §. ſed & illud.* ¶ Aliud præterea eſt ſpadunum genus, quibus virilia minimè valent: non id natura quidem, ſed quòd vel his execta vel attrita ſint, cuiuſmodi ſunt, quos Thlaſias & Thlibias dicunt. Eorum ſiquidem nuptiæ valent, atque adoptare, & heredem ſcribere, nequaquam prohibentur, vt patet ex ſuprà citatis teſtimoniis authoritate præditis. Spadones item eunuchi dicuntur, qui cuſtodiendis regum cubilibus apponi ſolebant. Vnde dicti eunuchi quaſi eunerchi, ſed per ſynæreſin eunuchi, εὐνοῦχοι ἀπὸ τοῦ τὴν εὐνὴν ἔχειν, καὶ ἐπιμελεῖσθαι καὶ φυλάττειν apud Etymologicum authorem: propterea quòd incumbebat illis omnis cura aſſeruandorum cubilium magnorum regum, ac etiam diuitum matronarum. Nam εὐνὴ cubile ſignificat, & ἔχω cuſtodio, habeo, aſſeruo. Qua ego ratione arbitror eunuchos potius dici ſpadones, idque ab officio, quam ſpadones eunuchos eſſe. Non enim omnes qui vel natura frigidi & euirati ſunt, vel exectos ſeu attritos teſticulos habent, eunuchi ſunt, id eſt ſeruandis caſtarum matronarum thoris præfecti: ſed quòd maxima ex parte ſolent eiuſmodi præfici, eunuchi ſpadones dicti ſunt. Eunochi igitur tam ſpadones, quàm Thlaſiæ & Thlibiæ haberi ſolent, & generaſius eſſe verbum exiſtimo: tamen etymo & ſignificatione differre. Propriè namque ſpadones, qui à Perſis vocantur Bagoï ſunt, vt teſtis eſt Plinius *lib. 13. nat. hiſt. c. 4.* quibus vinculo quodam ſtrictiore κρίκῳ, ſeu meatus penis ita contortus conuellitur, vt ſemen extra ferri nequeat: vnde ἀπὸ τοῦ σπάειν, hoc eſt à conuellendo, ſpado dictus: à Grçcis θλαδίας παρὰ τὸ θλίβειν. Dicuntur etiam à Græcis ſpadones ἀποσπαδωνες, vt meminit Galen. *lib. 15. de vſu part. cap. 3.* Quo loco tradit eos generationi impares prorſus eſſe, vt quia fœcundum ſemen non habeant, ſed in virgæ flexibus hærens, efferri nequaquam poſſit. Quare frequenter erecta ſunt mentula: ſed tamen ſpermatis nihil emittunt. Vnde fit vt reginis aliiſque matronis quæ ſine conceptu coiri ardebant, ſpadones hi fuerint multum in delitiis: maximè verò Orientis populis non in delitiis fuere ſolùm, ſed & ἀξιόπιστοι, ac fide digni habiti ſunt: atque in Perſide aliquando eos regnaſſe, tradit Plinius *eod. lib. 13. natur. hiſt. c. 4.* Quinetiam Cyrum ſpadones σωματοφύλακας cuſtodéſque ſui corporis habuiſſe teſtatur Xenophon *libr. 7. pædia Cyri.* vbi multa præclara de ſpadonum fidelitate & vtilitate ſcribit, *ſub finem libri.* Vtinam natura ſpadones eſſent noſtræ tempeſtatis ſacerdotes, qui rebus ſacris, quarum ſe miniſtros profitentur, poſthabitis ac penitus ſpretis, aut adulteriis, aut ſtuprandis virginibus obnixè dant operam: atque in eam rem, indignum facinus, bona pauperum prorſus impendunt. Sed noſtrum non eſt iſthæc arguere & criminari. Redeamus eò vnde egreſſi ſumus. ¶ Spadunes itaque ſunt quibus vel execti vel attriti & conuulſi ſunt κρεμαστῆρες, παρὰ τὸ σπάειν, vt ſupra diximus, vel à quodam vico Perſico nomine σπάδα, quo loco primùm virilia nonnullis adempta fuere, vt author eſt Stephanus de Vrbibus. Hi autem ἀπόκοποι. & quibus tam neceſſaria pars corporis penitus abeſt, ait Paul. *l. ſin autem. ff. de ædil. ed.* eunuchi appellatione comprehenduntur: & cum Theophilo nomen generis eſſe eunuchum procul dubio ſentio. Is enim ita ſcribit *in tit. de adop. §. ſed et illud. inſti.* Εὐνοῦχος ὄνομά ἐστι γενικόν. τούτου δὲ εἴδη τρία. οἱ γὰρ εὐνοῦχοι οἱ μὲν εἰσὶ σπάδοντες, οἱ δὲ καστράτοι, οἱ δὲ θλιβίαι, καὶ σπάδοντες εἰσιν οἱ τινὲς διά τι πάθος ἢ ψῦξιν συνεχῶς ἔχοντες τοῖς γονίμοις μορίοις παιδοποιεῖν κωλύονται. τούτου δὲ ἀπαλλαγέντες παιδοποιοῦσι. θλιβίαι δὲ οἱ τινὲς ὑπὸ τῆς τροφοῦ, ἢ τῆς μητρὸς τυχὸν ἐκθλιβῆναι τοὺς διδύμους ὑπέστησαν. καστράτοι δὲ εἰσιν ἐφ' ὧν γέγονεν ἐκτομὴ τῶν γεννητικῶν μορίων. eunuchus nomen generale eſt. Diuiditur autem in tres ſpecies. Eunuchorũ enim alij ſunt ſpadones, alij caſtrati, alij thlibiæ. Et quidem ſpadones ſunt, qui ob affectum quendam ſeu vitium, vel genitalium partium frigiditatẽ filios facere & generare nequeũt: eo autẽ vitio ſublato, poſſunt. At verò thlibiæ ſunt quib. à nutricib. vel forſan ab ipſa matre attriti ſunt gemini teſticuli: Caſtrati quidẽ ſunt quib. genitalia membra exciſſa ſunt, qui à Grçcis ἐκτομίαι. Quẽadmodũ in brutis animãtib. ex tauro fit bos, exciſſis aut attritis teſticulis: ex hirco, caper: ex ſuibus verres caſtratus, maialis dicitur: ex oue, aries, veruex: ex gallo,

capus: ex equo, canterius, quaſi caeoterius, quod ſemine careat, vt Varro *lib. 2. rei ruſt. c. 4. & 7.* tradit. At duplicem eunuchos faciendi rationem tradit Paul. Ægin. *lib. 7. c. 68.* docétque idipſum partim colliſione, partim exectione fieri. Vnde apparet, eunuchi verbum & ad ſpadones, & ad thlibias protendi. Nam & Gal. in *Aph. 28. 6. lib. Aph. Hippocr.* ſcribit eunuchos exectis teſticulis ſimiles fœminis effici. Et Ariſt. *lib. 2. de gen.* vbi de ſpadonib. & eunuchis tractat, καὶ γὰρ, inquit, ἐκ γενετῆς ὅσων πηρωθῶσι τοὺς τόπους τοὺς πρὸς τὴν μίξιν χρησίμους, ἄγονοι γίνονται καὶ γυναῖκες καὶ ἄνδρες, ὥστε τοὺς μὴ ἡβᾶν, τοὺς δὲ μὴ γενειᾶν, ἀλλ' εὐνουχίας διατελεῖν ὄντας. Quibus verbis intelligit, viros & fœminas aliquando ſtatim ex ipſo ſatu ac generatione ſteriles eſſe: idque accidere corruptis his locis & partibus quæ ad viri & fœminæ commiſtionem, vtilitatem habent. Tum enim mulierea non pubeſcere: viris barbam non enaſci, & eunuchos eſſe: hoc tamen loco Gaza ſpadones vertit, εὐνουχίας διατελεῖν ὄντας, Iuuenal. Satyra 6.

> *Sunt quas eunuchi imbelles, ac mollia ſemper*
> *Oſcula delectant, & deſperatio barbæ,*
> *Et quod abortiuo non eſt opus.*

¶ Commemorat Plin. *lib. 19. c. 8.* εὐνοῦχιον herbam quandam ex genere lactucarum, quæ maximè Veneri aduerſa ſit. Cur autẽ eunuchi ſint ἄτριχες, i. glabri & pilis carentes, perinde ac mulieres, eleganter tradit Cælius *lib. 19. lection. antiq. c. 12.* Quorum quidem eunuchorum nuda barbitio facies, effœminatæ ac degenerantis a viro naturæ argumentum eſt. Patet igitur ex his quæ de eunuchis & ſpadonibus ſupra diximus, iuriſconſulti noſtri falſam eſſe ſententiam ſcribentis, ſpadonum generale nomen eſſe. Cæterùm vide quæ in hanc rem eleganter ſcripſit Franc. Connan. *lib. 2. Commentar. ciuil. cap. 15. titul. de adoptionibus.*

FORNERIVS.

SPADONVM. ¶ Quoniam prior nobis rerum, poſterior verborum cura operáque ponitur, non alienum erit, antequam Spadonum, Eunuchorum, Caſtratorum, Thlibiarum, Thlaſiarúmque nomen ac differentiam exſequamur, quid de corpore ſic affectis iure caueatur, exponere. ¶ Principio hoc genus hominum ſemper inuiſum, ab officiis, beneficiis, muneribus & honoribus nuptiis, teſtamentis remotum, pœnis, probris, ignominiiſque fuiſſe notatum, vel huius capitis inſcriptio argumento fuerit. Vlp. *lib. 1. ad leg. Iul. Papiam.* quæ ſobolis procreationi ſtuduit, ſterilitatem ciuium & orbitatem aduerſata: non ſolùm pœnam nuptias detrectantibus, ſed etiam coeundi impotentia ad matrimonium ineptis minitatur. ¶ Si ſpadoni mulier nupſerit, diſtinguendum arbitratur Vlpianus, caſtratus fuerit, necne: vt in caſtrato dos non ſit: in eo qui caſtratus non eſt, ſit matrimonium, & dos & dotis actio *l. 39. ſi ſerua. de iur. dot.* ¶ Et quamuis nuptiæ non coitu, ſed animorum coniunctione præcipuè conſtet. *l. 15. ſi cui. de cond. & dem. l. 30. nuptias. ¶ iit. ſeq. l. 32. cum hic. §. ſi mulier. de don. int. vir. & vxo.* quia tamen ad ſubolem procreandam inſtituuntur. *l. 14. quæritur. de æd. ed.* Eunuchorum nuptiæ, ἄγαμος γάμος, non ſunt nuptiæ, benedictione non honorantur, vtpote ſteriles: vt ſcitè Leonis *Nouel. 97.* μὴ καρπὸς φύεται. ἀλλ' οὐδ' ἐπὶ τούτῳ συνῆλθον, οὐδ' ὥστε μὴ δοκῶσι τῷ βίῳ τὸ γαμικὸν γεωργίας ὠφέλησαν, ἀλλὰ δῆλον ὡς πόθῳ μὲν παιδοποιΐας, ὑπειληφότες δὲ ὅτι πρὸς ἔργον ὁ πόθος χωρήσει. εἰ καὶ πρὸς ἔκβασιν οὐκ ἐτύγχανον ὁ ἐλπίς. D. Aug. *ad Quoduuldeum cap. 87.* de ruſticana Abelianorum in Hipponenſi agro hereſi, qui vxoribus non miſcebantur: ſed adoptabant vtriuſq; ſexus, quos quaſi ex ſeſe natos liberos heredes adſciſcebant: Eunomianis ſpadonibus haud abſimiles, qui nec faciendi, nec adipiſcendi teſtamenti licentiam habuere. Quibus tamen poſteà teſtamenti eſt factio reſtituta. *l. 17. Eunomiani. l. 23. Eunomiani. l. 31. doctores. l. ſeq. l. 34. Eunomiana. l. 36. Eunomian. de heret. C. Theod.* Pythagoram deſcendiſſe ad inferos, eúmque illic vidiſſe ferunt eos cruciari, qui vxorùm congreſſum refugerent, *vt lib. 8.* Diog. Laert. refert: κολαζομένους δὲ καὶ τοὺς μὴ θέλοντας συνεῖναι ταῖς αὐτῶν γυναιξί. Cum autem maſculi à xiiij. fœminæ xij. anno, id eſt, puberes teſtamentum facere poſſint. *l. 5. qui teſt. fac.* videtur, quoniam molles vix pubeſcunt, de ſpadonibus aliquando dubitatum. quibus tamen Conſtantij ad Rufinum conſtitutione teſtamenti factio cæterorum exemplo reſtituitur. *l. 5. C. qui teſtam. fac.* cùm anteà ſerius aliquanto, eo demùm tempore quo pleríque pubeſcunt, id eſt xviij. anno teſtarentur. Paulus *lib. 3. titul. 4. ſenten. 1. & 2.* Imò verò cum Eunuchi nec viri, nec mulieres cenſeantur, ait Alexander apud Lampridium, Genutius quidam heres inſtitutus, accepta iam à Prætore ſecundum teſtamenti tabulas bonorum poſſeſſione, Mamerci Æmilij Lepidi conſulis decreto, priuatur: quòd diceret, [ipſum amputatis ſui ipſius ſponte genitalibus corporis partibus, neque virorum, neque mulierum numero haberi debere.] Val. Max. *lib. 7. c. 7.* Et tamen qui manus amiſit, quamuis ſcribere non poſſit, nihilominus teſtamenti ius habet. *l. 1. qui manus. qui teſt. fac. poſ.* ¶ Iidem à militia publiciſque muneribus arcentur. Theodoſius edixit ne inter patricios meterent, ἐξεφώνησε διάταξιν εὐνοῦχον ἐν τοῖς πατρικίοις μὴ τελεῖν. Sudas. Vnde quæſtio, an qui cum vno teſticulo natus eſt, quiue amiſit iure militaret, quoniam multum virilis roboris teſticulis ineſt. Galenus *lib. 1. de ſemine.* Arrius Menander non prohibeti: ac duces Syllam & Cottam eo habitu fuiſſe naturæ commemorat. *l. 4. de re milit.* Petrum patricium caſtratum quidem, ſed ſtrenuum & in militari diſciplina verſatum præfectum ab imperatore Cedrinus ait. τομίαν μὲν ἄνθρωπον, δραστήριον δὲ ἄλλως, καὶ τὰ πολεμικὰ ἐμπειρότατον. Ab eccleſiaſticis muneribus Eunuchi prohibentur. *cap. 3. cap. 4. & cap. 5. de corpor. vitiat.* niſi per vim à barbaris, aut medicorum conſilio abſcindantur. *cap. ſi quis abſciderit. cap. ſeq. 55. diſtinct.* Quam diſtinctionem canonibus apoſtolicis ſedulo videmus obſeruari *capit. 20.* εὐνοῦχος εἰ μὲν ἐξ ἐπηρείας ἀνθρώπων ἐγένετό τις, ἢ ἐν διωγμῷ ἀφῃρέθη τὰ ἀνδρῶν, ἢ οὕτως ἔφυ, καὶ ἔστιν ἄξιος, γινέσθω. Nullum vis illata conſenſum, proinde nec crimen habuit: ſicut de illo qui à prædonibus aut hoſtibus corpore muliebria patitur. *l. 1. §. de poſtul. cap. ſi quis à medicis. & c. ſeqq. 55. diſtinction. Apoſtolic. canon. 22.* ὁ ἀκρωτηριάσας ἑαυτὸν, μὴ γινέσθω κληρικός. αὐτοφονευτὴς γάρ ἐστιν ἑαυτοῦ, καὶ τῆς τοῦ θεοῦ δημιουργίας ἐχθρός. & *canon. 23.* ſi ſit iam clericus ſummoueatur, εἴ τις κληρικὸς ὢν ἑαυτὸν ἀκρωτηριάσει, καθαιρείσθω. φονεὺς γάρ ἐστιν

ἑαυτῷ.De laico verò cauetur, vt ob eam cauſam, quaſi ſuæ ipſe ſalutis inſidiator, treis annos ſuſpendatur. εἴ τις λαϊκὸς ἑαυτὸν ἀκρωτηριάσῃ, ἀφοριζέσθω ἔτη τρία. ἐπίβουλος γὰρ ἐστι τῆς ἑαυτοῦ ζωῆς. Spado creatus tutor excuſationem non habet. *l.15. Spado. de excuſ. tut. d.l.1 C. eod.* *Generalis appellatio eſt.* ¶ Commenticia anilibúſque fabulis aſcribenda ſunt Accurſianorum ſomnia: quibus caſtratos, caſtè natos, ſpadonem vnius teſticuli virum, ſic natum, & ortum dici. Alciato hîc Eunuchos omneis poſſe caſtratos appellari placet: Delyria vel ab vno Harmenopulo confutata. *lib.2.cap.8.* Hoc quale ſit accuratiùs expendamus. ¶ Spadonum igitur nomine thlibiæ thlaſiæque comprehenduntur. *hic. d.l.39. ſi ſerua.* ἀπὸ τοῦ σπᾶν: (non a Spata Perſarum vrbe, vnde primùm aduectos, Stephanus περὶ πόλεων ait.) id eſt conuellendo: non quidem de induſtria, ſed ob morbum neceſſariò exſecti: vel naturâ ob frigus, coeundíque imbecillitatem gignere nequeunt: διὰ τὴν φύσιν, ἢ πάθος. Sudas: Theophilus. *tit. de adopt.* Id nomen ad arbores, plantáſque tranſlatum: Spado ſurculus, vuas non producens. Columellæ *lib.4.c.10.* Spado calamus. Plinio *lib.11.c.36.* ¶ Eunuchi verò ſeu caſtrati definiuntur, conſultò nullaque neceſſitate impellente mulctati damno virilitatis. Quatuor enim ferè cauſis id fiebat. Imprimis ob morbum, quod excuſatione dignum fuit: ita vt Spadones ſibi heredem arrogando poſſent adſciſcere: nec enim neceſſarium (ſicut in Eunucho caſtratoue ſpontaneum) corporis vitium impedimentum affert. *§. ſed & illud. de adopt. inſt. l.2. l.20. arrogato. ff. de adopt.* ¶ Deinde propter religionem vltrò ſterilitas accerſebatur, vt à Cybelles ſacerdotibus hominum inauſpicato genere. Archigallos vocat Tertullianus *de reſurrectione carnis.* Iul. firmicus Maternus. [Venus in decimo ab horoſcopi loco faciet eunuchos & archigallos.] In quos inuehens Lactantius *lib.5.c.9.* [immemores quid nati ſint (inquit) cum fœminis patientia certent: qui ſanctiſſimam quoque ſui corporis partem contra fas omne polluant, & profanent: qui virilia ſua ferro metant: &, quod eſt ſceleratius, vt ſint religionis antiſtites.] Quod Origeni ac Leontio accidiſſe ab eccleſiaſticæ hiſtoriæ auctoribus Euſeb. *lib.6.* Theodorito *lib.2.* ſcriptum accepimus. ¶ Tertio libidinis cauſa, ſc. vt eſſent pathici teneriores, ſpecieque mulierem mentiente gratiores. Quod Iuſtinus Martyr in Apologia pro Chriſtianis ad Antoninum Pium redarguit. Herodotus Erato. παῖδάς τε τοὺς εὐειδεστάτους ἐκλεγόμενοι ἐξέταμνον, καὶ ἐποίευν ἀντὶ ἐνόρχων εὐνούχους. Sic notus & ab hiſtoricis celebratus Sporus Neronis, facilè vt liceat quorſum a Marciano [qui hominem libidinis cauſa caſtrauerit] dicatur, intelligere. *l.3. ad leg. Cornel. de ſic.* libidinis, non vt quidem Accurſio videtur, refrenandæ, ſed patientiæ, vt veteres rei flagitioſæ obſcænitatem notando loquebantur. Corn. Tacit. *lib.5. Annal.* Petron. Arbiter Satyrico. Seneca *natur. quaeſt. lib.1.c.16. lib.7.c. vlt.* Quinctil. ſiue quis alius, in milite Mariano. D. Cyprian. de ſpectaculis, [Videre contra fœdus iúſque naſcendi patientiam inceſtæ turpitudinis elaboratam: Euitabantur mares: honor omnis & vigor ſexus eneruati corporis dedecore mollitur: plúſque illis placet, quiſquis virum in fœminam magis fregerit. Seneca *lib.5. controuerſ.33.* [Principes viri contra naturam diuitias ſuas exercent, caſtratorum greges habent, exoletos ſuos, vt ad longiorem patientiam idonei ſint, amputant.] Exſtat in fragmentis Pithæanis Theodoſij & Arcadij de ſtupratorib. reſcriptum huiuſmodi, [Omnes quib. luxurioſus luxus eſt, viri corpus muliebritet conſtitutum alieni ſexus damnare patientia, &c.] ¶ Poſtremò commercij cauſa pueros, quò vendibiliores eſſent, à mangonibus exciſos legimus. *d.l.3. l.37. ſi ſeruus. §. puerum. de leg. Aquil. C. tit. de Eunuch.* Quinctil. *lib.5.c.12.* [Mancipiorum negociatores formæ puerorum exciſa virilitate lenocinantur. Nam vt illi robur ac lacertos barbámque ante omnia, & alia quę natura propria maribus dedit parum exiſtimant decora: quæque fortia ſi liceret, fierent, vt dura molliunt. Maiore enim quam reliqui ſerui pretio eunuchi parabantur. *l. vlt. C. com. de leg. l.1. C. de com. ſer. man.* Solæ iis, vt Comicus ait, vtuntur reginę. Plin. *lib.7.c.39.* [hoc pretium (inquit) belli, non hominis, tam hercle quàm libidinis, non formæ Pæzontem è ſpadonib. Seiani HS. M. D. mercâte Sutorio Priſco.] Eunuchorum modum pro ſenatoriis profeſſionib. ſtatuiſſe Aurelianum, Fl. Vopiſcus tradit, iccircò quòd ad ingentia pretia perueniſſent. Quinctil. *declam.340.* [Quam multa facere poſſit aduerſus puerum mango iratus: aut illi fortaſſe pretium exciſſa virilitate producet: aut ad infœlicis patientiæ contumeliam, etiam ſuę, veniſſet in aliquod lupanar.] Conuenienter Marciani verbis [Qui hominem libidinis, vel promercij cauſa caſtrauerit.] *d.l.3.* Quæ fortè latiùs, ſed neceſſariò ideò diſſerui, quòd in huius ſeculi dignitate ac literarum reperio, qui velut noctuæ erectis ad ſolé oculis hac in re cæcutiant. ¶ Inde illud (vt inſtitutum iter repetam) aliquando tractatum, an ſpado, à quo tam neceſſaria pars corporis abſit, ſit morboſus, ſicut & mulus. *l.6. Pomponius. l. ſeq. l.38. ædiles. §. ſed enim. de æd. ed.* Quod niſi ſpadonum commercium fuiſſet fruſtrà quæreretur. Sed Romanæ leges variis pœnarum ſanctionibus, ne eiuſmodi flagitio naturæ vis afferretur, occurrerunt. *l.3.4.5. & 6. ff. ad leg. Corn. de ſic. l.27. ſi ſeruus. de leg. Aquil.* Aug. qu.115. Vet. & N. Teſt. [Eunuchos in regno Romano fieri non licet] apud [alios licet.] Chryſoſt. *in c.1. epiſt. ad Rom.* διὸ καὶ τὸ ἕτερον τοὺς εὐνούχους ποιοῦντας κολάζουσιν οἱ νομοθέται, ὅτι φύσιν ἐκπορνεύουσιν. Am. Marcel. *lib.18.* [Iuuat veterem laudare Domitianum, qui receptiſſima inclaruit lege: qua minaciter interdixerat, ne intra terminos iuriſdictionis Rom. caſtraret quiſquam puerum] Suet. *in Domitian. c.7.* eum de non caſtrandis Eunuchis, déq; pretiis eorum, qui reſidui erant apud mangones, cauiſſe dicit. Philoſtr. *de Apollonio Tyanæo lib.6.* εὐνούχους μὴ ποιεῖν Δομετιανὸς ἐνομοθέτησε. Idem & ſucceſſor ipſius Nerua conſtituiſſe dicitur à Dione ſeu Xiphilino, ἐνομοθέτησε περὶ τοῦ μὴ εὐνουχίζεσθαί τινα. Alexander Seuerus, teſte Lampridio, eunuchos de miniſterio ſuo abiecit: & vxori vt ſeruos ſeruire iuſſit: Tertium genus hominum eſſe dicebat, nec videndum, nec in vſu habendum à viris, ſed vix a fœminis nobilibus. Clearchus apud Athenæum *libr. 6.* εὐνοῦχος ἀνήρ τε κοὐκ ἀνήρ. Gregorius Nazianzenus in laudibus Heronis, eoſdem ſuggillat, quòd neque virorum, neque mulierum numero habendi ſint. ſed acriùs in Baſilij epitaphio: Τοὺς ἐκ τῆς γυναικωνίτιδος, τοὺς ἐν γυναιξὶν ἄνδρας, ἐν ἀνδράσι γυναῖκας. τοὺς τοῦτο μόνον ἀνδρείους τὴν ἀσέβειαν: οἳ τὸ φυσικῶς ἀσελγαίνειν οὐκ ἔχοντες, ᾧ δύνανται μόνον τῇ γλώττῃ πορνεύουσιν. ¶ Conſtantinus caſtranti capital, & domus, vbi hoc ſciente domino admittatur, publicationem minatur.

Leo eunuchorum inter Romanos ac barbaros commercium interdicit. *l.1.l.2. C.de eunuch.* Iuſtinianus, quòd es nonaginta ſeruis es ſectis vix tres ſalui euaſerint, caſtrantium bona fiſco addixit, talionem, deportationem in opus metalli, & in gypſum, etiam miniſtris, conſcijs domúmue præbentibus conſtituit: caſtratis libertatem pollicetur. *Nouel.142.* ¶ Hactenus de iis, qui vtroque ſexu priuati: ſupereſt de iis qui vtroque præditi ſunt, nonnihil adiungamus. Et hermaphroditum a potentiore ſexu cenſeri placuit. *l.10.quæritur. de ſtat.hom.* Ideóque ſi in eo virilia præualuerint, heredem inſtituere, & teſtamento adhiberi teſtem poſſe. *l.6.de lib.& poſt.l.15.repetundarum.de teſtib.* Quod fœminis Romanæ leges interdixerunt. *l.18. ex eo.de teſtib.l.20.qui teſtamento.qui teſt.f.ac.* A.Gel.*lib.6.c.7.* Olim quidem in prodigiis, verùm ſuo ſeculo in deliciis habitos androgynos, auctor eſt Plin.*lib.7.c.3.* Quod verò ſeq.c. Caſſij puerum mutatione ſexus (quod & de Ceneo Theſſalo Plato initio *lib.12.de legib.*) factum ex virgine, iuſſu aruſpicum deportatum in inſulam deſertam tradit, reuocat in memoriam gryphum non procul à Bononia e marmore deſcriptum: cuius fructum veterum monumentorum ſtudioſis inuidere noluimus. ÆLIA LÆLIA CRISPIS, NEC VIR, NEC MVLIER, NEC ANDROGINA: NEC PVELLA, NEC IVVENIS, NEC ANVS: NEC CASTA, NEC MERETRIX, NEC PVDICA, SED OMNIA. SVBLATA NEQVE FAMI, NEQVE FERRO, NEQVE VENENO, SED OMNIBVS. NEC COELO, NEC TERRIS, NEC AQVIS, SED OMNIBVS.

Hi qui natura. ¶ Spadonum (quorum aliis natura, aliis amputatio virilitatem ademit) differentiam, & Cyrillus apud Sudam in *σπάδων* obſeruauit: & Mamertinus Panegyriſtes gratiarum actione de conſulatu ſuo, ad Iulianum Imp. [Nec viros quidem, ſed mulierculas exambibant: nec fœminas tantùm, ſed ſpadones quoque: quos quaſi à conſortio humani generis extorres ab vtroque ſexu, aut naturæ origo, aut clades corporis ſeparauit.] Adamantius ſophiſta *lib.prognosticôn poſteriore* Eunuchos ab ortu, deterioris conditionis cenſet: caſtratos verò cùm ſectione mutari quidem, pleraque tamen naturæ cognata retinere. *Εὐνούχοις τοῖς ἐκ φύσεως κακίω σημεῖα ἐστὶν, ἢ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις. τῶν δὲ τμηθέντων εὐνούχων ἔνια μεταβάλλει ἅμα τῇ τομῇ. σημεῖα δὲ τὰ πλείονα τῆς συγγενοῦς φύσεως ἐμμένει.* In quibus cum libidinis periculum metuatur, vt apud Philoſtratum diſputat Apollonius, à mulierum conſortio abſtinere ſuadet Baſilius *de vera virg.* eodémque *ſynod.6.c.5.* pertinet interdictio: *καὶ οἱ εὐνοῦχοι τῶν γυναικῶν ἀπέχεσθαι τὸ ἀμαρτάνειν ἑαυτοῖς προσποιούμενοι.* Sunt enim non prorſus ſpadones. Gal.*lib.15.de vſu part.c.1.* *τοῖς γὰρ ὥσπερ ἀποσπάδοσι ἐκτεθλιμμένοις, &c.* *Si quod aliud genus ſpadonum.* ¶ ſiue exciſione, colliſione, contuſione, aqua calente, ſiue herbarum ſuccis fiant eunuchi. Quinctil.*d.c.12.* [Nemo non vir ſpadone formoſior erit: neque tam auerſa vmquam videbitur ab opere ſuo prouidentia: vt debilitas inter optima inuenta ſit: nec id ferro ſpecioſum fieri putabo, quod, ſi naſceretur, monſtrum erat.] Paul.Ægin.*lib.6.c.54.* Marcellus *de medicam.c.33.* Vt eunuchum ſine ferro facias, radices cicutæ ex aceto teres, & inde teſticulos ſpiſſiſſimè inlines, tum linteolum ſuprà ligabis, ne excidat medicamen. hoc quantum tenerioribus infantibus feceris, euentu efficaciore proueniet. Idem. Herba eſt, quæ Græcis Nymphæa, latinè claua Herculis, gallice Baditis appellatur eius radix contunditur, & ex aceto edenda datur puero per continuos x. dies. mirandum in modum fiet eunuchus. Sed & eunuchion herbam ex lactucarum genere maximè Veneri refragari Plin. atteſtatur. *lib.19.c.8.* Quæ non ideò, vt adhibeantur indico: ſed vt tanquam venena vitentur admoneo. *Continentur.* ¶ Superior igitur Spadonum & Eunuchorum differentia perpetuò non ſeruatur. Primùm in lege Iulia Papia, quæ præmia liberos habentium ſpadonib. denegat: vt huiuſce capitis inſcriptione ſententiáque comprobatur. Vlp.*lib.1.ad leg.Iul.& Papiam.* Quamuis in nuptiis diſcrimen ſit. *d.l.39.ſi ſerua.* Deinde in lege Ælia Sentia: qua quamuis nulla perſona excipiatur: de iis tamen ſentit, [qui liberos tollere poſſunt. Itaque ſi caſtratum libertum iureiurando quis adegerit patronus, hac lege non punietur.] inquit Paulus. [hac lege,] id eſt Ælia Sentia, vt admonet inſcriptio. *l.6.adigere.de iur.patr.* Poſtremò quod de adoptionibus iure veteri cauebatur. *l.2.de adopt.* abrogans Leo. Eunuchis adoptandi poteſtatem tribuit: vt qui muti ſunt, linguæ munia manu vel ſcripto impleant: ita qui genitalibus priuati liberos non ſuſceperint, adoptione ſibi parent. *Nouel.76.*

CXXVIIII. PAVLVS lib. j. ad legem Iuliam Papiam.

QVI mortui naſcuntur, neque nati neque procreati videntur: quia numquam liberi appellari potuerunt.

ALCIATVS.

QVI MORTVI. ¶ Eos qui mortui naſcuntur, non videri vnquam natos conſtat: & ideò teſtamentum eorum prætetitione non rumpi certum eſt. Sed illud eſt dubium: quid ſi viui nati ſunt, eiuſmodi tamen vt ſecundum naturam viuere non poſſent, vt ſi ante ſeptimum menſem? *in l. quod dicitur.* ſ. *de lib.& poſt.* Et crebriùs receptum eſt non rumpere, quoniam lex abortiuos prætetitos non rumpere teſtamentum ait, nec dubium eſt, quin abortiui dicantur. *l.vxoris.C.de poſt.her.* tametſi viui nati ſint, nam & conſtat huiuſmodi filios non eſſe perfectos. *Soc.in l.cum auus.in ſi.de cond.et dem.* qui tamen, vt rumpant, perfectè debuerint naſci. *l.3.C.de poſt.her.* & ad orbem deuolui. ¶ Sed quid ſi legitimo tempore infans natus eſt, ſed antequàm omnino de ventre extraheretur, puta cùm pede adhuc retineretur, extinctus eſt? Et idem eſſe receptum eſt: non enim perfectè natus eſt, niſi inciſo aliquo membro viuus extractus eſſet. *d.l.3.* perfectus enim dicitur, ſicut & vir manu amputata, non ideò minus perfectam hominis ſubſtantiam in ſe habet. *d.l.quod dicitur.* Quid, ſi mater legitimo tempore editum contendat, & heredes teſtamento inſtituti abortiuum dicat? Et non arbitror matri credendum, niſi ex medicorum obſtetricúmque ſententia. *Bart.l.Gallus.in prin.* ſ. *de lib.& poſt.* ¶ Sanè qui octauo menſe naſcitur, ſecundum naturam viuere non poteſt, ídque medicinæ autoribus receptiſſimum eſt. hoc autem in tractatu ex curſu lunæ conſiderandi videntur menſes, non autem habito reſpectu anni

quem

quem Cæſar ordinauit: non enim de eo Hippocr. cæteríque antiquiſſimi medici diuinare potuerunt.

Liberi. ¶ Non procedit tamen hoc, cum conditio fauorem matris reſpicit, velut in illa. Arethuſa, ſi liberos peperit, libera eſto: cùm enim etiamſi monſtrum enixa ſit, libertatem conſequatur, quia non eſt quod ſibi imputetur *l. quæreret. ff. eod.* Idem cenſendum ſi mortuum, vel debilem, vel imperfectum pariat.

Brechævs.

Qvi mortvi. ¶ Cùm potiſſima pars animalis cuiuſlibet naſcentis, maximè verò ratione præditi, animus cenſeatur eſſe, ac natos procreatóſque dicamus eos quos mater mouentes vagientéſque extulit ac edidit, ob idque liberos & natos poſſit appellare, fit ſanè vt quos exangues & *ἀναισθήτους* egeſſit mater, neque nati, neque procreati videantur. Quodcunque enim animalis corpus ſpiritu vitæ caret, animal dicendum non eſt, ſed putre cadauer, quòd à Græcis τὸ *σῶμα* veluti ſepulchrum *τοῦτ᾽ ἔστι* τὸ *σῆμα*, vt ſcribit Plato *in Gorgia*: quòd in eo tanquam in ſepulchro circuntecta ſit & ſepulta anima. Sed ſemper ferè de corpore mortuo τὸ *σῶμα* dicitur: de viuente *τὸ δέμας*: quaſi vinculum, quo irretitus animus, in vaſe terreo, veluti præſidio quodam retinetur, vt idem ipſe Plato *in Axiocho. ἡμεῖς μὲν γάρ ἐσμεν ψυχὴ ζῶον ἀθάνατον ἐν θνητῷ κατειργμένον φρουρίῳ.* Diuiſerunt itaque naturam hominis in animum & corpus: quæ ſi permiſtis tribus facultatibus naturalibus, veluti ſymmetria quadam, cõiuncta non ſunt, hominem certè dicere nequeas. Huius autem virtutis triplex genus Medici tradunt: videlicet vitalis, animalis, & naturalis: atque in his tota quidem corporis œconomia videtur conſiſtere. Vitalis quippe ſpiritus ſecundum cor & arterias generatur, generationis quidem materiam ex inſpiratione habens, & humorum vapore ſurſum attollente: cuius facultas *ἡ δύναμις* eſt laxare, & comprimere cor & arterias: vniuerſóque corpori miniſtrare vitam ac ſpiritum vitæ capacem cum ſanguine arteriali: quod etiam Auicennæ ſcriptum eſt. Animalis ſi quidem generatur ea vitali elaborato in plexu retiformi: a quo tum interior tum exterior ſenſus, motus quoque volũtarius producitur. Tandem vniuerſæ corporis particulæ per ſeptem neruorum *συζυγίας* ſenſum ſimul & motum accipiunt. Sed animi *τὸ ἡγεμονικὸν* Deus in capite, tanquam in arce poſuit, vt inquit poſt Platonem Cicero *in Tuſculanis quæſtionibus*. Et tradit Ammonius quinque Cognitionum opifices, *νοῦν, διάνοιαν, δόξαν, φαντασίαν, καὶ αἴσθησιν*, mentem, intelligentiam ſeu ingenium, opinionem, imaginationem, & ſenſum. ¶ Digreſſi ſane ſumus in latiſſimum campũ, qui de ratione humanæ fabricæ totus eſt: de qua latius vt dicam, inſtituti operis propoſitum minimè ſuadet: ſed hoc ipſum ea tantùm de cauſa præfati videmur, quo faciliùs doceremus, quid cauſæ ſit cur qui mortui naſcantur, neque nati, neque procreati cenſeantur. Nam cùm hominem dicere haud liceat eum qui & animo & naturalibus facultatibus, ſenſu item atque motu prorſus caret, & ſpiritus ſit expers, fit ſanè, vt qui eiuſmodi egeritur à pariente (quoniam, naſci, proprium eſt eorum quæ & motum ſimul etiam ſenſum habent) natus non cenſeatur. Non enim eſt animal, ſed moles quędam carnea, & pondus terræ iners, ac veluti truncus. Qua ratione ſi mulier abortum egeſſerit, neque generaſſe neque peperiſſe cenſebitur. Nam cùm ita naturæ vis ferat, vt nihil omnino niſi noſtri ſimile, noſtrique generis procreare & generare velimus, nec etiam rectè poſſimus, ſi mortuum mulier egeſſerit, id eſt animi, motus, ſenſuſque expers, ſui ſimile, id eſt viuẽs, atque animo, ſenſu, motúque præditum & animal rationale abſolutum, procreaſſe dici nequaquam debet. Noſtros itaque filios ac liberos appellare nec poſſumus nec debemus, niſi quos nobis ſimiles, noſtrique generis procreauimus. Acceſſit, inquit Cicero *libro primo de natura deorum*. etiam iſta opinio fortaſſe quod homini homine nihil pulchrius videatur. Sed & tu hæc phyſice non vides quàm blanda conciliatrix, & quàm ſui ſit lena natura. An putas vllam eſſe terra marique belluam quæ non ſui generis bellua maximè delectetur? Eſt enim vis tanta naturæ vt homo nemo velit niſi homini ſimilis eſſe, & quidem formica formicæ. Hæc ille. Quamobrem quę contra naturam mulier partum edidit, cuiuſmodi ſupra tradidimus *in l. oſtentum* filium peperiſſe non dicetur: ſui namque ſimilem minimè peperit. Eo igitur præterito, teſtamentum rumpi non oportet. Nihil tamen matri obſtabit, ſi quid illi ea conditione, ſi pariat, legatum ſit, ſicut Vlpiano viſum eſt *in l. quæret aliquis, ff. hsu.* Idem & ſi abortiuum eiecerit, dicendum quoque exiſtimo. Sed & nihil impedimento erit ſcriptis heredibus ad hereditatem adeundam. *Inſt. de exhered. lib. §. poſthumi quoque. & l. 1. C. de poſt. hered.*

¶ Quid ſi exſecto matris ventre natus infans ſine voce fuerit, pulſus tamen & motus non omnino expers, an cenſeatur natus, vt matri poſthumus dicatur, & pater filium appellare potuerit, & filij nomen rectè ſit ſortitus? Diſcutienda ſanè eſt hæc quæſtio ex Medicorum placitis potius quàm iureconſultorum præſumptis ſuſpitionibus. Ex quo videre eſt abſolutum non eſſe iureconſultum, eum qui medicinæ ſit imperitus, atq; etiam aliarum diſciplinarum. Primùm quidem, vt ſuprà diximus, antequam eum ſimul atque ab vxore mea editus eſt, filium meum poſſim rectè appellare, oportet viuentem natum fuiſſe. Viuentem autem intelligere debemus, qui & motus, & pulſus, & vitæ capacis ſpiritus eſt compos, atque etiam ſenſus: quę quidem a tribus principiis manant. A corde videlicet, pulſus per arterias. Ab hepate, ſanguis per venas in vniuerſas corporis particulas diffluens, & inde nutritio animalis. A cerebro, motus & ſenſus principium per neruos. Hæc cùm in animali functiones ſuas obeunt, cenſetur idipſum animal viuere. Idcirco qui ex vtero prodit horum omnium exſors, vita carere eum haud dubiè dicemus. Quid ſi aliqua tantùm corporis particula palpitare viſa ſit, reliquo planè emortuo, & ſine motu ſenſúque, dum exciſo vtero extrahitur infans, an poſt mortem matris ſuperuixiſſe cenſendus ſit, & natum poſſit eum ſuperſtes pater rectè appellare? Et ſanè verior eſt ſententia vt non poſſit. Cùm enim non ſit hęc palpitatio à naturali motu ducta vi caloris vitalis aut ſpiritus ea fonte cordis ſcaturientis per aortam in ſingulas corporis particulas, viuentis animalis argumentum eſſe nõ poteſt: ſed flatus quidam, qui ea motu naturali & *ἐντελεχείᾳ* diſſipata reliqui ſunt in muſculis,

& quaſi

& quaſi concluſi, nec dum etiam exhalati: animam autem ipſum efflaſſe patet. Quod ſi perſpicere exactiore cura volueris, tentabis ex puncto leuiter neruo, num cómoueatur infans. Tunc enim ſi omnino diſſipata non ſit ipſa ἐντελέχεια & vis ſeu δύναμις actiones ciens, incipiet mouere ſeſe infans dum dolorem affecti nerui confeſtim perſentiet. Alioqui, nullus erit neque ſenſus, neque motus: nulla item ἐντελέχεια. Organon enim & ſenſus & motus eſt neruus à cerebri ventriculis, vt iam diximus, ortum accipiens. At vitalis ſpiritus, eſt veluti flammula quædam ex ſanguine enata, calorem vitalem reliquis membris miniſtrans: cuius vehiculum ſunt Arteriæ. Eſt namque ex Etymologia Græci ſermonis à ſeruando aere, ſeu ſpiritu dicta arteria ἀρτηρία παρὰ τὸν ἀέρα, τουτέστι τὸ πνεῦμα, τηρεῖν. Admouenda quoque erit manus ori: ex quo ſi nullus ſpiritus aut calidus vapor educatur, indicium erit mortui infantis, vt qui vitę ſpiraculo prorſus careat. Is autem ſpiritus, qui ψυχικός eſt, ſenſuum actiones ciet, neruoſque impellit motu perpetuo, & ἐνδελεχείᾳ quadam. Quæ cùm deficit, animi a corpore diſceſſum dicimus τὴν τῆς ψυχῆς ἀπαλλαγήν, vt ait Ariſtoteles *in libro περὶ ψυχῆς. β.* Et alio loco φθορὰν τοῦ θερμοῦ φυσικοῦ, interitum caloris naturalis. Alij verò diſſipatam ac diſſolutam τὴν ἁρμονίαν. Sed de his non eſt hic locus. His autem ſignis & argumentis facillimum erit cognitu num mulier abortum fecerit, partúmq; eiecerit mortuum: aut execto matris vtero extractus infans, ipſi ſit matri ſuperſtes natus. Permultis ſiquidem ex cauſis abortus eſſe ſolent. Primùm enim id fit, cùm interius os matricis ita vaſtum eſt ac ſpatioſum & laxum, vt comprimi non poſſit, ob idque occludi apte nequeat, nec idcirco partum retinere: aut cùm mulier febre vehemente laborat, vel alui fluxu immodico, vel profluuio ſanguinis, vel eryſipelate in ipſo vtero graſſante, vel vehementiore grauidæ mulieris ſaltu, vel clamore, vel mœrore, vel ira, vel timore perterrita, vel victu parciore, ſeu aliqua alia id genus affectione, vt teſtis eſt Galenus *in libro quinto Aphoriſmorum Hippocratis. Aphor. 45.* Sic etiam fit abortus, cùm acetabula, ex quibus ſecundæ pendent, quæ Græci κοτυληδόνας, τουτέστι στόματα τῶν εἰς τὴν μήτραν καθηκόντων ἀγγείων, ſeu nerui quib. in vtero partus alligatur, & per quos alimentum partus accipit, ſic mucore & pituita redundant, vt præ ponderis grauitate fœtum diutius continere nequeant. Menſtrua enim ob copioſam pituitam & lentum humorem pauciora efficiuntur, & imminuitur alimentum fœtus. In eam ſane ſententiam ſcribit Hippocrates eodem *libro quinto Aphoriſm. Aphor. 45.* ὁκόσαι δὲ μετρίως τὸ σῶμα ἔχουσαι, ἐκτιτρώσκουσι δίμηνα καὶ τρίμηνα ἄτερ προφάσιος φανερῆς, ταύτῃσιν αἱ κοτυληδόνες μύξης μεσταί εἰσι, καὶ οὐ δύνανται κρατέειν ὑπὸ τοῦ βάρεος τὸ ἔμβρυον, ἀλλ' ἀποῤῥήγνυνται. Fit autem abortus non ſecundo aut tertio menſe tantùm, vt hic tradit ipſe Hippocr. ſed etiam quarto à conceptione. Quod etiam teſtatur Galenus *lib. 6. de locis affect. cap. 5. & de vteri ſectione ſub finem libri.* Sed & fit abortus bis potiſſimum menſibus qui partui apti non ſunt: quos enumerat ipſe Hippocrates *lib. 6. Epidem. Aphoriſ. 27.* Scriptum quoque reliquit ipſe Hippocrates, prægnantes quæ Teneſmo afficiantur, magna ex parte abortire. Item ſi ante quartum aut ſeptimum menſem medicamento vehementius purgante vſa ſit grauida. Si vehementiore frigore ſit correpta: maximè tempore veris ſicci & aquilonij: tum cùm frigus facile penetrans corpus molle, rarum & laxum, calorem natiuum extinguit nati tunc infantuli imbecillis, vel etiam in vtero gracilium, ἢν δὲ νότιος ὁ χειμὼν καὶ ἔπομβρος γένηται. τὸ δὲ ἦρ αὐχμηρὸν καὶ βόρειον, αἱ μὲν γυναῖκες ἧσιν οἱ τόκοι πρὸς τὸ ἦρ, ἐκ πάσης προφάσιος ἐκτιτρώσκουσιν, αἳ δ' ἂν τέκωσιν, ἀκρατέα, καὶ νοσώδεα τέκνα τίκτουσιν, ὥστε ἢ παραυτίκα ἀπόλλυσθαι, ἢ λεπτά καὶ νοσώδεα ζῆν ἐόντα. Hæc Hippocrat. *lib. 3. Aph. Aph. 12.* Multæ quidem aliæ ſunt cauſæ infantuli in vtero mortui, vel abortus futuri. Id verò dignoſcas, ſi nullus iam ſit omnino infantis in vtero motus. Si ventris eſt frigiditas, & ad vmbilicum dolor. Tum etiam exhalatur ſpiritus fœtidus, & parientis color prauus ſit. Reliqua ab ipſis medicorum puriſſimis fontibus petes. ¶ Hæc autem ſatis erunt ad reſponſi huius ſeu capitis Pauli interpretationem: videlicet, qui mortui naſcuntur, neque nati neque procreati videntur, id eſt, perinde ac ſi nunquam nati eſſent: quoniam eos nunquam natos nec liberos poſſumus appellare, qui nunquam in rerum natura nec in humanis extiterunt. Quare ſi mulier abortum eiecerit, eius teſtamentum præteritione eiecti abortus minimè rumpitur. Abortus enim dicendus eſt is qui viuus editus non eſt. Nam qui infirmus partus editur, tametſi ſtatim moriatur, natus poſthumus cenſebitur: quo præterito, non reſtitui teſtamentum, euidentiſſimi iuris eſſe, Impp. Diocletianus, & Maximinianus reſcripſerunt. *C. de poſthumis hered. inſtit. l. vxoris abortu.* Idem quoque dicendum erit, etſi execto ventre matris editus ſit, & viuus aliquatenus extractus, quamuis illico deceſſerit: filius enim appellari potuit. Etiam, inquit Vlpianus, ea mulier cùm moreretur creditur filium habere, quę exciſſo vtero edere poſſit. *l. etiam mulier. ff. h. tit.* Propterea vetat lex regia, mulierem, ſi prægnans ſit mortua, humari antequam partus ei excidatur. Qui contra fecerit, ſpem animantis cum grauida peremiſſe videtur. Marcel. *in l. vetat lex. ff. de mortuo inferendo & ſepulchro ædificando.* Sed & ſi non integrum animal editum ſit, quod nihilominus ſpiritum ducat quantumlibet exiguum, natum tamen cenſebitur, rumpétque teſtamentum. Vlpian. *in l. quod dicitur. ff. de liber. & poſthum. hered. inſtit.* Imperfectum autem voco, quod vel membri parte aliqua, vel etiam voce vagitúq; careat: non quod in monſtrum aut prodigium aliquod deſinat. Eiuſmodi namque partus, neque natus neque filius appellandus erit: nec ideò rumpet teſtamentum: lege Quod certatum, *d. tit. C. de poſthum. hered. inſti.* Non ſunt liberi, inquit, Paulus *ff. de ſtatu ho.* qui contra formam humani generis conuerſo more procreantur: veluti, ſi mulier monſtroſum aliquid aut prodigioſum enixa ſit. Partus autem qui humanorum membrorum officia ampliauit, aliquatenus videtur effectus: & ideò inter liberos connumerabitur. Quare conditio deficiet, & poterit quæri etiam ſi execto vtero ſit natus. *l. poſthumus. ad princ. de inoff. teſtam. ff.* Et Vlp. *in l. prima. §. ſi qua prægnans. ff. vnde cogn.* Si qua prægnans, inquit, deceſſerit, & vtero execto partus ſit editus, in ea conditione eſt partus iſte, vt matris ſuæ accipere bonorum poſſeſ. poſſit, *Vnde proximi cognati.* Sed poſt Senatuſconſultum Orficianum, & *Vnde legitimi* petere poterit: quia tempore mortis in vtero fuit. Plures autem ſic natos, execto videlicet matris vtero, traditum eſt ſcriptis monimentis. Nam & Cæ-

ſarem

ſatem primùm à cæſo matris vtero, ideo dictum volunt. Et nos ita natos quoſdam aliquando vidimus longam ætatem vixiſſe. Hos verò ſic natos Apollini quondam ſacratos commemorat Seruius *in lib.* 10. *Æneid.* ea ratione quòd ipſe Apollo Deus eſſet medicinæ per quam lucem ſortiuntur. Vnde & Æſculapius filius eius fingitur, quia ſic procreatus ſit, Virgilius hoc ipſum teſtatur *eodem libro* 10. his verbis:

Inde Lycam ferit exectum iam matre perempta,
Et tibi Phœbe ſacrum, &c.

Quo loco idem Seruius tradit Cæſarum familiam ideò ſacra Apollinis retinuiſſe, quia qui primus de eorum familia fuit, execto matris ventre natus eſt. Vnde etiam Cæſar dictus. Cuius quoque rei Do. Andræas Tiraquellus *in tractatu de iure primogeniorum* meminit. Cæterum videto in hoc reſponſum, Franc. Connanum. *lib.* 10. *commentariorum iuris ciuilis*. qui dicantur poſthumi, & qui ſui, qui alieni.

FORNERIVS.

QVI MORTVI. ¶ Cœlibibus & orbis pœna indicta, fœcundæ ſobolis parentibus præmium lege Iulia (ad quam hoc caput inſcribitur) proponebatur: qui mortuus naſcitur, neque parenti prodeſt, neque numerum liberorum auget: perinde habetur ac ſi natus non eſſet, nec filij nomen obtinet. *ὁ τεχθεὶς νεκρὸς, οὔτε γεννᾶσθαι δοκεῖ, οὔτε παῖς λέγεσθαι.* Quamuis legis Papiæ iuriſprudentibus inuiſæ (*l. vn. C. de cad. toll.*) odio, benignior pro parentibus aduerſus fiſci commoda, admittatur interpretatio. *l.* 132. *anniculus. l.* 134. *anniculus. l. ſeq. l.* 137. *ſer enixa. ỹ. h. t.* ¶ Qui tamen mortui in lucem eduntur, quia verum eſt, nunquam eos fuiſſe, filiorum appellatione non continentur, neque parentibus excuſationem à muneribus afferent: veluti à tutela. §. 1. *de excuſ. tut.* A perſonalibus muneribus, quæ fœminis indicuntur, matres quinque filiorum ſuperſtitum vacationem conſequuntur. *l. pen. C. qui num. lib.* Superſtites tantùm proſunt. *l.* 1. *C. de legation.* niſi in bello amiſſi pro patria ceciderint: tunc enim per gloriam viuere intelliguntur. *d.* §. 1. *l.* 18. *bello. ỹ. de excu. tu.* Spectatur autem tempus indicti muneris: nec poſtea mortui nocent: ſicut nec poſteà nati parenti proſunt: nec poſteà impletus liberorum numerus à ſuſceptis antea muneribus liberabit. *l.* 2. *de excuſ. tut. l.* 2. §. *qui ad munera. de vacat. & excuſ. mun.* Multò ergo minus proſunt, qui mortui naſcuntur: cùm & ea mulier, quæ corporis vitio ſemper mortuos parit, morboſa cenſeatur. *l.* 14. *quæritur. de æd. ed.* Quamuis ſi exciſo matris vtero naſcatur infans, imò etiam portentoſus parentibus, qui quantùm in ſe fuit legi paruerunt, proſit. *d. l.* 135. *quæret. l.* 141. *etiam ea. ỹ. h. t.* *neque nati.* ¶ Ergo teſtamentum Patrisfamilias, quod præteriti poſthumi agnatione viui rumperetur, mortuo edito non rumpetur. *l.* 2. *C. de bon. poſ. contr. tab.* Rumperet, inquam, viuus natus, etiam exſecto ventre editus. *l.* 2. *l.* 3. *C. de poſthum. l.* 12. *quod dicitur. de liber. & poſthum.* Aliter atque ſi poſthumus præteritus viuo patre natus decederet. Quamuis enim nimia iuris ſubtilitate teſtamentum ruptum videatur, ſi tamen ſignatum fuerit, ex eo bonorum poſſeſſionem ſcriptus heres accipiet. *l.* 12. *poſthumus. de iniuſt. rupt.* *Neque procreati.* ¶ Ergo mulier relictum ſub conditione, SI PEPERERIT, mortuum enixa huius loci argumento legatum non cõſequetur. Atqui per eam non ſtetit. *d. l.* 135. *quæret. ỹ. h. t.* Sed cùm lex Iulia ſobolis procreandæ cauſa, vt ex Dione conſtat, lata ſit, adiuuandam interpretatione Terentius Clemens ait. *l.* 64. *hoc modo. de con. & dem.* Vnde fit quamuis ad adminiſtrationem Reip. ante 25. annum, ad munera non admittantur, vel creari ſuffragium in curia non ferant. *l.* 8. *ad remp. de mun. & hon.* Tamen legibus Iul. & Pap. cauetur quo maturius honoribus fungantur, vt ſinguli liberi pro ſingulis annis cedant. *l.* 2. (quæ ad leg. Iuliam Papiam inſcribitur) *ỹ. de minorib.* Non tamen mortuos natos parenti, huius legis argumento ad ductus prodeſſe crediderim. *d.* §. 1. *de excuſ. tut.* Quemadmodum & lege Iunia Norbana, ſi Latinus ciuem Romanam vel Latinam vxorem (teſtatione liberûm quærendorum interpoſita) duxerit: ius quidem Quiritium natis liberis conſequitur. Vlpian. *frag. tit.* 3. At ſi mortui edantur, quia qui ſic naſcuntur, nati, vt hic dicitur, non videntur, partem iura ciuitatis conſequuturum non exiſtimo. Vel eo maximè quòd finis ac princeps præmij cauſa id ſuadeat: quò magis parentes procreandæ tuendæque ſobolis ſtudioſiores in officio continerentur: nec facile prægnantes abortu ſpem naſcituri hominis extinguerent. *arg. l.* 4. *de extraord. criminib. l.* 38. *ſi quis aliquid.* §. *qui abortionis. l. ſeq. ỹ. de pœn. l. vlt. C. de repud. l.* 2. *ỹ. de mort. infer.* Lact. Firm. *lib.* 6. *c.* 20. Tertulianus, Exhortatione ad caſtitatem: [Si vxorem de conſcientia tua impleueris, diſſoluturus es medicamine conceptum? Puto nobis non licere naſcentem necare, quam & natum.] Viſigothorum legum *lib.* 6. *tit.* 3. Sed de hoc iterum copioſius tractabitur *ad l.* 231. *quod dicimus. ỹ. h. tit.*

CXXX. VLPIANVS lib. ij. ad legem Iuliam & Papiam.

LEGE obuenire hereditatem non impropriè quis dixerit & eam, quæ ex teſtamento defertur: quia lege duodecim tabularum teſtamentariæ hereditates confirmantur.

ALCIATVS.

LEGE OBVENIRE. ¶ Legitima hereditas propriè dicitur, quæ ab inteſtato defertur. *l.* 1. *de ſuis & leg.* quoniam eam lex ipſa abſque facto hominis defert. Sed & quæ ex teſtamẽto defertur, legitima quoque non impropriè, latiore tamen ſenſu dicetur: ea enim à lege xij. tabularum confirmatur, dum in illa conſtitutum eſt. [vti quis rei ſuæ legaſſit ita ius eſto.] *l. verbis. eodem.* Eſt & iuſta hereditas, quæ iure ſanguinis, gentilitatiſque defertur. *l.* 3. *ỹ. pro ſoc.* ea enim omni æquitate ſuggerente, & omni iure, tam naturali, quam ciuili debita eſt, & ideò iuſta dicitur: quoniam id nomen emphaſim quandam habet, quale apud Græcos *ἀκριβὲς* vel *ἐκπέρβυον*. ¶ Inde dicimus teſtamentum eſſe iuſtam

ſecten

ſententiam.*l.1.de teſtam.*id eſt,per quam ſolemnem & plenam:iuſtos liberos.*l.quidam qui.C.de natu. liber.*ex vera vxore genitos : iuſtam vxorem.*l.ſi vxor. de adulter.*omni legum perfecta ſolennitate ductam : iuſtum,quod vulgò veſtitum dicimus,*l.Stichum.§.naturalis.de ſolut.*& ſtipulatione roboratum iuſtum amorem, apud Tibullum,immenſum,& omnes Cupidinis vires complectentem, iuſtum prælium. Liuio magnum,& ſtataria pugna certatum. Sic & Apuleius in Apologia ſecunda : Sciebat inquit,inteſtati pueri legitimum magis, quàm iuſtum heredem ſe futurum : quod & *Parad.lib.4.*latiùs proſecutus ſum. ¶ Igitur ſi de iuſta hereditate qualiſcunque diſpoſitio mentionē faciat de ea intelligemus, quæ ab inteſtato defertur. Si verò de legitima dictum ſit, vtranque contineri ex vi verborum conſtat. Et ideò qui ſibi & heredibus ſuis legitimis ſtipulatur, etiam de his ſenſiſſe videtur, qui tametſi extranei teſtamento heredes inſtituti fuerint : licet Alexandro aliter viſum ſit, *in conſi.56.in 2.*cuius ſententia vera non eſt, niſi ex ſubiecto argumento hoc perſuadeatur , vt ſi quis in regno Titium & eius legitimam ſucceſſionem inſtituat. *Abb.conſi.3.in 3.dub.in 2.lib.*accipietur enim de filiis primogenitis heredibus: quoniam natura ſucceſſionis eiuſmodi hoc iudicat. ¶ Idem ſi teſtator veriſimiliter aliquo modo adiicitur heredis ſui agnatis,quos prima ſpes ſucceſſionis attingit : his enim verbis de huiuſmodi propinquis intellexiſſe videtur.*l.ex facto.in ſi. ad treb.*Quapropter filio inſtituto, ſi ſine liberis deceſſiſſet , cùm Titius pater bona ſua ſe fratri , & illius heredibus legitimis maſculis relinquere dixiſſet,& poſt conditionis euentum is teſtatoris frater herede extraneo inſtituto deceſſiſſet , reſpondi ad fideicommiſſum agnatos , qui eiuſdem cum Titio familiæ erant , videri vocatos: verborum enim proprietas,& ſuæ gentis adfectio, hanc in ſententiam me trahebant. nec mouebat, quòd à ſubſtituto extranei,non autem legitimi,id eſt,agnati,eſſent inſtituti: quia licet in contractibus ſtipulans ſibi,& ſuis heredibus legitimis,non cenſeatur agnatis ſtipulatus,niſi ſint heredes.quia non eſt veriſimile velle aliquem alteri quàm heredi ſtipulari , in præſenti tamen fideicommiſſo aliud eſſet dicendum , ex Titij voluntate , quem non eſt veriſimile voluiſſe in bonis ſuis fideicommiſſum facere eluſorium, & cuius vires ex grauati voluntate penderent , vt ſi aliquos quàm legitimos inſtitueret,onus fideicommiſſi extingueretur. Illud non diffiteor, quoties teſtator ipſe & tabellio ignari & idiotæ probarentur,ex vulgari vſu illa verba de filiis accipi,non de agnatis.

Confirmantur. ¶ Qui ergo confirmat, dare videtur. In quo tractatu ſic cenſeo diſtinguendum,vt ante omnia penſemus,confirmantis intentio qualis fuerit. Si enim actus qui fit,ſubſtantiam à mera confirmantis voluntate ſumit,confirmans actum nullum dare dicitur.*l.adoptio.ſ.de adop.* Idē,ſi actus ſit validus, ſed tamen confirmans hoc egit,vt nouum actum induceret. *l.quærebatur.de teſt.mil.* At ſi ex ſola voluntate confirmantis negotium non pendeat,qui confirmat non dat.vt cùm heres cenſum, quæ autor ſuus Titio legauerat, rurſus ipſe legat. *l.vnum. §.ſi de.ſ.de leg.2.* Sed & prætor qui alienationem pupilli confirmat,alienare ipſe non videtur,quoniam natura huius conſenſus hanc interpretationem non admittit.*Bart.l.more. de iur.omn.iud.* nec id actum eſt. Quòd ſi præfectus prætoris defenſorem à popularibus electum confirmat. *§.& iudicare. verſ. decernim. in auth. de defen. ciuit.* dare videbitur:principale enim robur eius actus à Præfecto initium ſumpſit, cùm magiſtratum ſibi eligere,& iuriſdictionem conferre,ſoli priuati nequeant. ¶ Illud adnotandum eſt: confirmationem ſtricti priuilegij à principe emanatam non prodeſſe, niſi ex certa eius ſcientia facta ſit , quæ tunc præſumitur,cùm cauſa cognita, confirmatio impetrata, vel ſerie libelli totius tenor declaratus, vel geminata iuſſio ſubſequuta ſit. Idem ſi ex certa ſcientia ſe hoc facere princeps atteſtetur , vel æque pollentibus verbis vtatur : quamuis ſi probetur principi obreptum fuiſſe, nihilominùs confirmatio nullius effectus eſt,vt plerique omnes credidêre.*cap.porrecta.de confir.vti.*

Brechævs.

Lege obvenire. ¶ Quandocunque inteſtatus quis deceſſit eius hereditas,lege duodecim Tabularum ad ſuos heredes primùm deferebatur:Tum propriè,lege obueniſſe hereditatem dicebant. Quam tamen ex teſtamento ſubſtitutus accipiebat, Vlpiano hoc loci viſum eſt eam quoque non impropriè dici,lege obueniſſe : quoniam lege duodecim tabularum confirmaretur. Hinc legitimam hereditatem dicimus,atque etiam iuſtam.Sed cùm iuris ambigui eſt quæſtio,legitima ſeu iuſta hereditas propriè intelligitur quæ ab inteſtato obuenire ſolet. Paulus *in l.3. §.de illo. ff.pro ſocio.* De illo,inquit,quæritur ſi ita ſocietas coita ſit,vt ſi qua iuſta hereditas alterutri obuenerit,communis ſit: quæ ſit iuſta hereditas, vtrum quæ iure legitimo obuenit,an etiam ea quę ex teſtamento?Et probabilius eſt ad legitimam hereditatem tantùm hoc pertinere.Iuſta hereditas,ait Budæus in annotationibus,id eſt, verè & planè hereditas, quæ iure legitimo obuenit,id eſt, cognationis nomine ἡ κατ' ἀγχιστείαν κληρονομία.Græci enim,ius legitimæ ſucceſſionis ἀγχιστείαν vocant:quod ſignificat etiam ius proximè ad aliquem accedendi,vt ex Plutarcho docet ipſe Budæus *in commentariis linguæ Græcæ.* Et ἀγχιστεύειν iure propinquitatis hereditatem cernere peteréque.Sic igitur iuſta hereditas & legitima idem ſunt τυτ' ἐπὶ καὶ ἀγχιστείαν κληρονομία.Quid autem & quotupliciter ſignificet hęc dictio,Iuſtus,ampliſſimè tradit noſter Budæus *in d.§.de illo.* Et Alciatus in hunc locum ex ipſo Budæo : quod tamen prudens ſubticuit,vt pleraque alia.

Fornerivs.

Lege obvenire. ¶ Hereditas duobus defertur modis , lege & teſtamento. *§.vlt.per quas perſon. cuiq.acq.* Illam κατὰ γένος,hanc κατὰ δόσιν Ariſtoteles vocat:frequentiorem autem atque honeſtiorem videri eam,quæ iure ſanguinis proximo agnato,quàm quę teſtamento deferatur. Ariſtoteles *Politicôn lib.2.*id eſt naturæ pariter legiſque prærogatiua,vt loquitur. *l.vlt.lib.5.tit.1.C.Th.de leg.heredit.* Sed tamen iure ciuili teſtamentaria quoque hereditas, non minùs quàm ea quæ obuenit lege,legitima nominatur. Imo verò prior cauſa teſtati,poſterior inteſtati cauſa habetur : vt quandiu ſpes illius

oſtend

oſtenditur, non admittatur ab inteſtato ſucceſſio. *l.39.quandiu. de acq.her.* *Lege xij.tabul.* ¶ Eo ſcilicet verſu, [vti quiſque legaſſit rei ſuæ, ita ius eſto.] *l.1.§.ad leg.Falc. Nouell.22.l.120.verbis.§.h.t.* Vtraque igitur legitima eſt: vna ex legis (proximo cuique agnato conſulentis) auctoritate: altera legis, (quæ teſtamentorum iura tuetur,) confirmatione. *Non impropriè.* ¶ Vt inter velle, & nolle, medium interiectum eſt, non nolle: ſic & inter propriè & impropriè, eſt non impropriè. Etenim ſi verum amamus, ea demùm legitima dicetur hereditas, quæ à lege xij. tabularum, edictis, S. C. vel qua alia iuris parte ab inteſtato deferatur. *l.3.§.de illo.pro ſoc. l.pen.de ſtat.hom. §.caterùm. ſi.de leg.agn.ſucceſſ. l.11.is autem. de iur.patr. l.11.capitis.de ſuis & leg.her. l.1. l.2.ad Se.Tertyl. l.6. quia. l.ſeq. ſi quis omiſſ.cauſ.teſt. l.8.legitimam.de pet.her. l.26.ſi cùm.de neg.geſt. l.47.ſi pater.de fid.lib. l.10.pater.de capt. l.3.de interd.& rel.* Vnde fit vt teſtamẽtaria ac legitima hereditas inuicem, ſicut heres legitimus ac teſtamentarius perpetuò opponantur. *d.§.de illo. l.24.controuerſia.de tranſa. l.po.de exce.rei iu. l.82.ſi quis ita heres.de he.inſt. l.3.ſi quis omiſ.cau. l.9.proponebatur.ſi.de caſtr.pec. l.77.cùm pater.§.filius.de leg.2. l.29.ſtatuliberi.de ſtatul. l.12.ſi quis.§.ſumus.de relig.* Non ſecus ac teſtamentaria tutela legitimæ ex aduerſo reſpondet, vt quandiu illa ſperatur, hæc ceſſet legitimos tutores nemo dat: ſed lex xij. tabulat. legitimos tutores facit, *l.1.ſi quis ſub. l.2.idem.de teſtam.tut. l.1. l.5. l.ſeq. de leg.tut.* Teſtamentarius igitur heres minus propriè legitimus. *l.15.nam ſi. l.ſeq.de inoff.teſt.* imò non legitimus perſpicuè vocatur. *l.24.generaliter.de fid.lib.* Verumtamen propter confirmationem legis, non adeò impropriè obuenire lege videtur & ea, quę teſtamento defertur hereditas. Vt liceret patrifamilias bene de ſe merentibus amicis aliquid legare. *l.9.vnius.ſi quid in fraud.patr.* aliósque heredes inſtituendo minus obſequentes filios exheredationis metu in officio continere. Quod Demades cenſebat: & Ariſtoteles *ſub extremum lib.8.Ethic.* probat. lex quoque Solonis, de qua in Leptiniana Demoſthenes. D. Ambroſius *lib.5.epiſt.20.* [Vſu humanæ hereditatis pecuniaria gratia facit, venerabilioſa fiant iura pietatis. Quia hoc quoque plus deferunt parentibus, ne læſa pietas patris vlciſcatur ſe exheredatione, vel abdicatione contumacis pignoris.] Iuſtinianus de ingratorum liberorum exheredatione obiter, *Nouell.22.* τοὺς γὰρ κατὰ τῶν ἠχαρίστων ἐχθαίνοντας ὑπερβαίνομεν νόμους ταῦτα καὶ τοὺς γονέας τιμῶντας καὶ τοὺς παῖδας εἰς εὐσέβειαν ἄγοντας: Vt qui minùs pietate, certe elogij paterni infamia in officio continerentur. *Confirmantur.* ¶ Notatu dignum, quod & à pleriſque anxiè diſputatur, Eum qui quid confirmat, id ipſum dare videri. *l.5. l.ſeq.§.de iurid. l.77.aſſe.de her.inſt.* Id quod à lege confirmatur, cenſeri legitimum: vt hic & *tit.de confirm.vtil.vel inutil.* & Iuſtin. [Omnia meritò noſtra, inquit, facimus, quia ex nobis omnis eis impartiatur auctoritas.] *l.vn. C.de vet.iur.enucl.* Sic veteres leges ſumptuarias, Fanniam, Didiam, cæteio aliorum ſubinde auctorum nomina tranſiiſſe Macrobius notat *lib.3.Saturnaliorum.cap.17.*

CXXXI. IDEM lib. iij. ad legem Iuliam & Papiam.

ALIVD fraus eſt, aliud pœna: Fraus enim ſine pœna eſſe poteſt: pœna ſine fraude eſſe poteſt. Pœna eſt noxæ vindicta: fraus & ipſa noxia dicitur, & quaſi pœnæ quædam præparatio.

ALCIATVS.

ALIVD EST FRAVS. ¶ Fraus differt à dolo, quòd dolus fit alterius circunueniendi cauſa: fraus propriè dicitur etiam ſi decipiendi conſilium non adfuerit. *l.fraudis.§.ſi.1.* ſed is qui deceptus eſt à ſeipſo, vel ex euentu fraudatus eſt: vnde quatenus alter circunuentus ſit, fraus dolo ineſt. *l.iuriſgentium.§.ſed ſi.§. de pact.* Aliqui tamen ex grammaticis dolum in faciendo conſiſtere crediderunt, fraudem in verbis, argumento Græci ſermonis φράζειν, quod eſt loqui. Dixêre etiam veteres fraudem pro pœna. *l.cùm autem.§.excipitur.de æd.ed.* quos & Vergil. imitatus eſt *Æneid.11.*

Iam noſces, ventoſa ferat cui gloria fraudem.

Dixêre & pro periculo, & ita in iure legi atteſtatur Seruius. vt cùm dicimus ne ea res fraudi ſit. Hinc & Verg. Quis Deus in fraudem egit? Accipitur & pro læſione, vt apud Horat. in carmine. ſeculari:

Inuit ardentem ſine fraude Troiam.

Quod Acron interpretatur. ¶ Differunt autem fallacia, calliditas, machinatio, impoſtura, videnturq́; fraudis ſpecies eſſe. Fallaciam loquendo committi, calliditatem tacendo. Accurſius exiſtimauit. *d.l.iuriſgentium.* Ergo fallaciam ſimulationi annexam arbitror, calliditatem ad ingenium referri, machinationem ex præcogitata aliqua inuentione, manúque & arte confici, διὰ τὸ μηχανᾶς, vnde & techna dicitur, διὰ τὴν τέχνην. impoſtura ab impoſtoribus, id eſt deceptoribus. *l.1.§.1.de ver.cog.* quos etiam planos vocant. nomen ſumpſit, ductáque videtur metaphora ab his, qui operimentum rei imponunt, vt vitium tegant.

Sine pœna. ¶ Vt quia fraus eiuſmodi ſit, quæ pœnam non mereatur: vel etiam quia delictum, tametſi graue probari nequiuerit. *l.abſentem.de pœn.* ſciant tamen ſontes rariſſimè accidere, vt pœnas euadant, quandoquidem, vt Græco verſiculo admouemur,

ἔστιν δίκης ὀφθαλμὸς, ὃς τὰ πάνθ' ὁρᾷ.
Eſt iuſtitia oculus, qui omnia videt.

Non poteſt. ¶ Quapropter antequam inquirere iudex incipiat, conſtare prius perpetratum fuiſſe crimen oportet: tum enim quærendum deinde eſt quis perpetrauerit. Sane huic dicto conformis eſt regula iuris. *l.1.§.item.ad Syllan.* Sine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus. Quod tamen non procedit, cùm in conſequentia quis punitus, vt in eo, qui ſeruum noxæ cauſæ dat. Sed & fauore publico etiam quandoque receptum eſt, vt vbi fraus non fuerit, pœna ſit: veluti cùm ex ſenatuſconſulto

ſulto ſumebatur ſupplicium de ſeruis omnibus, qui ſub eodem tecto fuerant, cùm dominus à ſeruo occiſus eſſe dicebatur. *l.1. ad Syllan.* quamuis enim aliqui in eis inſontes eſſe potuiſſent, tamen atrocitate pœnę ſecuritati dominum conſulendum fuit, quod eleganter C. Caſſius apud Tacitum *lib.*14. diſſeruit, vbi Nam & ex fuſo, inquit, exercitu, cùm decimus quiſque fuſte feritur, etiam ſtrenui ſortiuntur: habes aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos vtilitate publica rependitur. Qua ratione introductum arbitror quis in principem violentas manus infert. *l. quiſquis. C. ad l. Iul. ma.* etiam filios puniri: veriſimile eſt pleróſque fore qui vel liberorum ſuorum charitate ab huiuſmodi conſiliis abſtineant.

BRECHÆVS.

ALIVD. ¶ Fraudis nomen multa ſignificat. Eſt enim aliquando fraus, deceptio, cùm quis videlicet perſuaſione falſa in errorem adducitur, a recta veluti via deductus παρ' ἐπὶ ἀπάτη. ... ἀπάτη, ἢ ἀάτη, ἀλλὰ πλεονασμῷ τ, ν, ἀπάτη. Inde dictus ab ipſis Græcis ἀπατηλὸς deceptor, blandus, pellax ἐπαγωγὸς, πιθανὸς, θελκτήριος, qui multum ad perſuadendum eſt potens. Fraus enim non ex euentu, at ex conſilio conſideratur. *l. fraudis. ff. de reg. iur.* Quare, non in perſuadendo tantùm verſatur fraus, ſed & etiam ſi quiſquam rei a ſe venditæ vitium propoſito animi conſilio obticuerit, ac celauerit (eſt autem ſecundum Cicer. aliud tacere, aliud celare.) Vt ſi ædes vendat aliquis propter quædam vitia quæ ipſe norit, cæteri ignorent: peſtilentes ſint, & habeantur ſalubres: ignoretur ab omnibus cubiculis apparere ſerpentes: malè materiatæ, ruinoſæ: ſed præter venditorem hæc nemo ſciat, quid hoc ipſum quidem eſt, niſi emptorem in errorem adducere, ac tum demum decipere & in fraudem impellere? Quæro, inquit Cicero *libro tertio Officior.* ſi hoc emptoribus venditor non dixerit, ædéſque vendiderit pluris multò quàm ſe venditurum putarit, num id iniuſtè aut improbè fecerit? Ille verò, inquit Antipater, improbè facit. Quid enim eſt aliud erranti viam non monſtrare, quod Athenis execrationibus publicis ſancitum, ſi non hoc eſt emptorem pati ruere, & per errorem in maximam fraudem incurrere? Plus etiam eſt quàm viam non mõſtrare: nam eſt ſcientem in errorem alterum inducere. Quid ſi venditor hortatus non eſt, nec perſuaſit, nec etiam diſſimulauit, ſed tantùm ædes proſcripſit, aut eaſdem bonas benéque ædificatas proſcripſit, cùm tamen nec bonæ, nec ratione ædificatæ eſſent, ſed ita viſum fuit emptori emere, an cenſebitur venditor fefelliſſe? Diogenes putat nullam venditoris fraudem fuiſſe. Vbi enim iudicium emptoris, ait Cicero *eodem libro*, ibi venditoris fraus quæ poteſt eſſe? ¶ His, lector, exemplis vides quòd fraus ſignificat deceptionem, commentum, actum commentitium falſum & ſubdolum τὸ κατασκεύασμα καὶ σόφισμα: vt cùm aliud agimus, aliud ſimulamus & comminiſcimur; quod etiam dolum appellant: vt apud ipſum Ciceronem de Pythio, qui cùm hortos ſuos C. Cannio equiti Romano vellet vendere, atque eundem Cannium emendi cupiditate magis incenderet, piſcatores ad ſe conuocauit, & ab his petiuit vt ante ſuos hortulos poſtera die piſcarentur, vnde hortos ipſos longè pluris faceret: cùm tamen nulla his piſcatio, nulla æquatio eſſet. Nónne fuit hoc ipſum dolo Caninium petere & in fraudem incurrere? Ecquid aliud eſt quàm plagas beſtiæ tendere, etiam ſi excitaturus non ſis beſtiam nec agitaturus? Ipſæ ſeræ nullo inſequente ſæpe incidunt. Sic tum cum ædes proſcribas, tabulam tanquam plagas ponas, domum propter vitia vendas, in eam vt aliquis incurrat imprudens, quid aliud eſt quàm inſidioſè, ſimulatè & fallaciter agere? quod ſanè doli fraudíſque eſt proprium. Celare itaque emptori quod venditorem ſcire oportuit fraus & dolus eſt, & contra bonam fidem vt traditum eſt ab Vlpiano *l. 1. §. venditor. ff. de action. empti.* Neque verò hac in re multùm dolus à fraude diſtat. Quare rectè mihi videntur Grammatici fraudem ſicut furtum ἀπὸ τοῦ φέρειν dixiſſe: quòd qui dolo fraudéque agunt alienum auferunt. Detrahunt enim ius alteri, & ſuum commodum alterius augent incommodo & damno. Vnde noſtri iureconſulti fraudem pro damno ſæpè ex propria ſignificatione accipiunt. Sic pacta fraudulenta dicunt quæ damnum adferunt. Et Vlpianus *in l. prima. §. ſed ſi rem. ff. ſi quid in fraud. patr.* ſcripſit fraudem in damno pecuniario accipi. Hinc rectè & latinè ſolemus dicere, ne ea res mihi fraudi ſit, &, vt ſine fraude mea & aliorum id fiat, quod vulgò noſtri pragmatici, ſine meo præiudicio & alterius, id eſt, abſque meo damno. Falſus eſt itaque hoc loco Alciatus, & pleriſque alij, qui fraudem pro periculo accipi contendunt, vt apud Virgilium:

Iam noſces ventoſa ferat cui gloria fraudem.

Quo loco perperam interpretatus eſt Seruius fraudem pro periculo: niſi periculum forſan pro damno etiam accipias: quòd periculum ſine damno eſſe non poſſit. ¶ Qua ratione cùm Prætor ait ſe non ſeruaturum ea pacta quæ dolo inita ſunt, intelligit de eo dolo cui fraus ineſt. Non enim vindicatur legibus quicunque dolus amittitur, ſed qui damnum detrimentúmque adfert alicui: id eſt, ait Franc. Connanus *lib. 5. comment. iur. ciuil. cap. 5.* qui fraudi coniunctus eſt. Nam ſi dolus alterius mihi damnum nullum attulit, quid tum mihi opus erit legis auxilio? Quapropter niſi dolo aduerſarij in fraudem, contrahendo incurrerim, & ex ipſo contractu & pacto damnum videar accipere, non reſcindetur contractus: oportet enim cum dolo fraudem, id eſt, damnum, eſſe maximè coniunctam. Magis enim fraudem rei non perſonæ accipimus, ait Vlp *in d. l. 1. Si quid in frau. patr. ſub fin.* Nuſquam igitur in iure fraudem pro periculo inuenias: ſed pro damno frequenter. ¶ Præterea fraus aliquando pro crimine, & pro criminis ipſius pœna ponitur. Vnde capitalem fraudem admittere dicimus, id eſt, crimen capitale. Cicero *lib. 2. de Oratore ad Q. Fratrem.* Ac ſi illæ ſeditiones ſaluti huic ciuitati fuiſſent, non continuò ſi quis motus populi factus eſſet, id C. Norbano in nefario crimine atq; in fraude capitali eſſe ponendum. Et *ſuprà lib.* 1. Erat enim, inquit, Athenis reo damnato, ſi fraus capitalis non eſſet, quaſi pœnæ æſtimatio & ſententia: cùm iudicibus daretur, interrogabatur reus quam quaſi æſtimationem commeruiſſe ſe maximè confiteretur, &c. Virgilius *libro 9. Æneid.*

Meme

Meme adſum qui feci,in me conuertite ferrum
O Rutuli,mea fraus omnis.

T.Liuius *libro tertio decad.tertia.* Qoi capitalem fraudem auſi, quique pecuniæ iudicati in vincula eſſent: qui eorom apud ſe milites fierent, eos noxa pecuniáque ſe eaolui iuſſurum. Capitalem fraudem, crimen capitale intelligunt. Sic fraus, & damnum, & crimen, pœnam quoque ſignificat. ¶ Quæ ratio fuit cur hoc loco dixerit Vlpianus, fraudem ſine pœna eſſe poſſe, pœnam ſine fraude eſſe non poſſe. Nam fraus omnis, (vt ſuprà eſt à nobis declaratum,) dicitur quæ damnom adfert: & quicquid damno adficit, fraus appellatur: at non omne damnum pœna dicitur, cùm ipſa quidem ad crimen ſanciendum imponi tantùm ſoleat. Damnum verò eſt quicquid detrimentum moleſtiamve alicui exhibet, etiam ſi non vlciſcendi criminis gratià. Pœna ſiquidem abſque fraude, id eſt, admiſſo crimine non poteſt eſſe: quoniam nulla pœna non damnom dat. Quibus rationibus patet lapſum hoc loco Alciatum cùm eſt interpretatos fraudem ſine pœna eſſe, cum crimen eiuſmodi eſt, vt pœnam noo mereator, vel etiam delictum, tametſi graue, probari nequiuerit. Qui quidem Alciati error deprælienſus eſt atque animaduerſus à domino Fraociſco Cooꝗano, *eodem lib.5.Comment.cap.5.* quo loco tradit, quæ pacta legibus improbantur.

Fornerivs.

ALIVO. ¶ Fraus quamuis nunc vſitatiùs pro caliditate fallaciáque ponatur, dolóque malo coniungatur *l.1.de ſu qui not.inſam. l.5.de obſequ.à libert. l.10.ſi procurator.C.de procura.* vt vetere formula, *Doli mali fraudiſue cauſa*, quæ ſingularibus hiſce litteris D.M.F.V.C. interprete Val.Probo ootabatur. Vtrique bona fides oppooitur. *l.3.ſi.§.pro ſoc.* Interdum tamen pro periculo ac damno, vnde etiam abeſſet dolus, vſurpabator. Quod & Seruius illud Virgilianæ *Æneid.* 10. exponens admunuit.

Quis Deus in fraudem,qua dura potentia noſtra.

Egit: Veluti Si quod mancipium fraudem capitalem admiſerit *l.1.de adil.edi.* [ſine fraude quem propter magiſtratum poteſtatémve, in qua agit, in ius vocari non poſſe.] *l.32.nec magiſtratus.§.de iniur.l.8. qui accuſare.§.de accuſ.* id eſt, impunè. Saluſtios. [Senatos Catilinam & Manlium hoſteis iudicat: cæteræ multitudini diem ſtatuit, antequam ſine fraude liceret ab armis diſcedere. In legis regiæ, de Veſpaſiani imperio ſanctione, [Non fecerit huius legis ergo, id ei ne fraudi eſto. vel vt in aliis legibus ſenatúſve conſultis addebatur, *ſine fraude* vel, vt priſci *ſe fraude ſua:* quod hiſce notis. S.F.S. Val. Probus ſcribi ſolitum docet. Iul. Frontinus *ſub finem libri de aqua ductibus poſteriorts*, [idque iis ſine fraude ſua facere liceat. ius poteſtáſque eſto. & veteris legis fragmento, [Qui eam prouinciam obtineret eam pecuniam ei ſcribæ ſoluito idque ei ſine fraude ſua facere liceto.] Sic Vlpianus *legis Iulia capite quinto* cautum ait, viro adulterum depræhenſum non pluſquam viginti horas, teſtandæ rei cauſa retinere *ſine fraude ſua iure* licuiſſe. *l.25.capite. ad leg.Iul. de adult.* ¶ Veteres igitur fraudem pro pœna poſuere. *l.23.cum autem.§.excipitur.§.de adil.edict.* Quod & Æl. Donatus in illum Terentianæ heautontom. locum (in eandem fraudem incides) obſeruauit. Paulus, verſum legis Falcidiæ profert, [Eis quibos quid ita datum legatúmve erit, eam pecuniam ſine fraude ſua capere liceto. *l.1.ad legem Falcidiam.* Non abſimili fortè figura & in lege Iulia. Pap. (ad quam hoc inſcribitur caput) cauebatur aliquid. Nam & pœnæ erant quædam cœlibatus & orbitatis fiſco inferendæ *tit.C.de infirm.pœn.cœlib. & orb.* Vlpianos fragment. *titul.13.14.15.16.17.18.* Quo ſuperiorum trium, ac viginti duorum proximè ſequentium capitum interpretationem referri vel ipſorum ſuadet inſcriptio: ſed variè, vt ea cuiuſque argumento ſingulatim admonebo. Pœnam Paulus vocat. *l.11.ſi is qui.§.de vul.& pupil.ſubſtit.* damnum Vlpian. *l.135.quares.§.hoc tit.* Græcorum huius loci congruit interpretatio: fraudem βλάβας expoſuere: Arrepta inde occaſione, fraudem à pœna diſtinxit Vlpianus: Illa ſine pœna eſſe poteſt: hæc ſine fraude nunquam infligitur. Cùm pœna ſit delictorum animaduerſio: fraus ſiue noxa vindictam antegreditur: quaſi præparatio pœnæ, ὡσανεὶ ποινῆς προπαρασκευή τις. Delicta quippe ſuos ſemper auctores tenent. *l.22.ſancimus. C.de pœn.* delinquentem pœna, vt vmbra corpus, auctore Platone comitatur.

Fraus enim ſine pœna,&c. ¶ Concinna antiſtrophe. Quod culpa vacat, id nulli pœnæ obnoxium. *cap.2.de conſtit.cap.ſine culpa. de reg.iur.6.* nunquam igitur ſine fraude, id eſt delicto, pœna. At verò interdum quædam ſine ſanctione feruntur leges: quæ non rectè quidem, vel improbè, ſcelerate, impiéque factum notent: nec vllam tamen coërcitionem præter pudorem & diuinam vltionem minitentur. *l.3.C.de pigno.l.14.& ſi quis.§.diuus.de relig.& ſumpt.* Numinis contempta religio ſatis deum vltorem habet *l.2.C.de reb.cred.* fit reus deo, vt *Nouell.6.* ὑπεύθυνος ἐστὶ θεῷ. cui cœlitus impendet pœna, Ἔχει μὲν αὐτὸς τὴν ἐκ θεοῦ ποινὴν, καὶ διαδέξονται αὐτὸν αἱ ἐξ οὐρανοῦ τιμωρίαι. *& Nouell.77.& 123.* Plato *lib.11. de legibus.* Denique lege Valeria (quæ ciuem, qui prouocaſſet, virgis cædi, ſecuríque necari vetabat) [Si quis aduerſus ea fecerit, improbè factum videri:] nihil vltrà adiiciebatur: id [(qui tum pudor hominum erat) viſum credo vinculum ſatis validum legis,] ait T.Liuios *lib.*10.

§. j. Inter multam autem & pœnam multum intereſt: Cum pœna generale ſit nomen omnium delictorum coërcitio: Multa ſpecialis peccati. Cuius animaduerſio hodie pĕcuniaria eſt. Pœna autem non tantùm pecuniaria, verùm capitis & exiſtimationis irrogari ſolet.

Et multa quidem ex arbitratu eius venit, qui mulctam dicit: pœna non irrogatur, niſi quæ quaque lege, vel quo alio iure ſpecialiter huic delicto impoſita eſt. Quinimmò mulcta ibi dicitur, vbi ſpecialis pœna non eſt impoſita.

Item mulctam is dicere poteſt, cui iudicatio data eſt. magiſtratus ſolos & præſides prouinciarum poſſe mulctam dicere, mandatis permiſſum eſt. Pœnam autem vnuſquiſque irrogare poteſt, cui huius criminis ſine delicti exſecutio competit.

Alciatvs.

Inter mvlctam. ¶ Mulcta Oſcum verbum eſt, quo pœna ſignificatur, licet Grammatici quidam à mulcendo per antiphraſin dictam putent: vnde mulctare verbũ condemnare eſt & punire: ſic Plautus, mulctare matrimonio: Terentius, & Vergil. *Æneid. lib.* 11. mulctare morte: Tranquillus, mulctare gentilitiis hereditatibus: Corn. Tacitus, mulctare verberibus, dixerunt. Ex vſu tamen, anguſtiore ſignificatione vox hęc pro pecuniaria tantùm pœna, recepta eſt: ſicque variæ differentiæ introductæ ſunt, quòd pœna quælibet coërcitio eſt, mulcta ſolius pecunię: quòd pœna certa eſt, legéque expreſſa, mulcta à ius dicentis arbitrio pẽdet: quòd pœna à quocunque iudice infligi poteſt, cui criminis executio demandata ſit, mulcta ab ordinariis tantommodo, hiſque qui pro tribunali ſedent: quod mulcta fiſco datur, *l. penult. C. de mod. mul.* pœna etiam patri adplicari poteſt: quòd mulcta infamiam non irrogat, *l.* 1. *C. eod.* pœna quandoque irrogat: quòd à pœnæ irrogatione, cum quis criminis conuictus eſt, prouocatio non eſt. *l. ſi qua.* ꝟ. *eod.* at mulctæ indicio per iudicem appellationis reuocari poteſt: ſed & ſi vltra modum à lege conſtitutum Præſes prouinciæ mulctam dicat, ipſo iure reſciſſum eſt: ſi pœnam, appellatione opus eſt. *l. certa. C. quando pro non.* is quoque qui mulctam dixit, officio ſuo functus non eſt & ideo eam reuocare poteſt. *l. illicitas. in fin. de offic. præ.* at qui pœnam conſtituit, amplius ea de re non aditur. Sunt autem pœnæ per leges & Senatuſconſulta certis delictis conſtitutæ, mulcta ſpecialibus quibuſdam, vt cùm quis in ius vocatus iudicem negligit. *l.* 1. ꝟ. *ſi quis in ius voc.* contumaciæ enim infligitur. Plin. *epiſt. lib.* 4. Licinius Nepos prætor acer & fortis mulctam etiam dixit ſenatori, qui ad iudicandum non venerat: egit ille in ſenatu cauſam ſuam, egit autem ſic, vt deprecaretur: remiſſa eſt mulcta, ſed timuit ſed rogauit, ſed opus venia fuit.

Specialis. ¶ Generale delicti nomen intelligit Iuriſconſultus illud, quod certa appellatione plurima eiuſdem naturæ crimina complecti poteſt, vt furtum, homicidium, falſum. *l. ſi familia.* ꝟ. *de iuriſdict. omnium.* quod & Doctores noſtri nominatum delictum appellant. Speciale verò delictum videtur, quod innominatum dicunt, vt cùm quis in ius vocatus non paret, *l.* 2. *C. de epiſ. aud.* cùm ius dicentem contemnit, cùm in munere ſibi impoſito per deſidiam quis ceſſat. *l.* 2. *C. de ſper.* eiuſmodi enim facta pluribus verbis ſpecialibus deſignantur, non vno generali.

Hodie. ¶ Olim enim ex pecude mulcta pendebatur, maximáque erat triginta boum, & duarum ouium: minima, vnius ouis: deinde in pecunia cœptum eſt mulctari, & bos centuſſe, ouis decuſſe æſtimata eſt mentio huius rei eſt A. Gellio, & Sex. Pompeio. [quod è legibus Solonis deſumptum eſt vt apud Plutarchum in Solone tractatum ſcio.]

Ex arbitrio. ¶ Siue quia arbitrarium ei ſit, quam mulctam dicat, dum legitimum modum non excedat, qui hodie in Præſidibus prouinciarum vſque ad duas auri vncias eſt, in Proconſulibus ſex. Idémque Præfectis Ægypti. *l. eos. C. de mod. mul.* at in aliis ſpectabilibus vſque ad tres: ſiue quia poſt quam dicta eſt mulcta, adhuc in arbitrio iudicis eſt eam remittere. *d. l. illicitas.* §. *fin.* Olim ex xij. Tab. prouocabatur ad populum, dicebarúrque certari mulcta, cùm petebatur eius remiſſio, vel modus: quod ex T. Liuio *lib.* 25. & M. Cicer. *Philip.* 11. cognoſcere in promptu eſt.

Impoſita. ¶ Quandoque tamen certa pœna eſt, & mulcta appellatur, vt in eo qui x. li-s. argenti punitur. *l.* 2. *C. de epiſc. aud.* quia temerè appellauit. Sed hoc caſu mulcta impropriè dicitur, vt quidam ſentiunt: vel, quod eſt verius, cùm prius huic delicto certa pœna conſtituta non eſſet, propriè dicebatur mulcta: vnde quamuis certitudo vltionis addita ſit, antiquum nomen tamen ſeruauit.

Specialis. ¶ Intelligendum eſt, cùm pœna pecuniaria infligitur: alioquin vbicunque à iure determinatum non eſt, quæ pœna delinquenti conſtituenda ſit arbitrarium iudici eſt, nec huiuſmodi pœna ideo mulcta dicitur. *l.* 1. §. *quibus. de effra.*

Adiudicatio. ¶ Adiudicare eſt iudicio peracto, rem controuerſam actori addicere. Olim ex lege xij. Tab. ſi debitor ſoluendo non erat, adiudicabatur corpus eius creditoribus, quibus fas erat membra artúſque partiendi, quod deinde tacito conſenſu abrogatum eſt, cœptúmque eſt pecunia tranſigi, & bona ipſa, non corpus adiudicari: quod apud Aul. Gel. *lib.* 20. *c.* 1. Cæcilius Iuriſconſultus eleganter diſputat. ¶ Cùm ergo adiudicatio merum mixtúmque imperium reſpiciat, *l. iubere. ſuprà de iuriſdict. omn. iud.* ſequitur hic probari, eis tantummodo ius mulctæ eſſe, qui imperium habeant: quod & alibi proditum eſt *l.* 2. *in fin. de iudic.* Quaptopter inde conſequens eſt vt defenſores ciuitatum, *l.* 2. *C. de defen. ciuit.* magiſtratúſq; municipales, item duumuiri. *l.* 1. *ſi quis ius dic.* (hi ſunt ipſius ordinis duo præfecti) mulctam dicere nequeant, licet aduerſus contumaces aliis remediis vti eis permiſſum ſit. Sed & eos, quibus mandata eſt iuriſdictio, mulctam nemini irrogare poſſe conſtat, niſi is ſit delegatus principis, & ita frequentiùs proditum eſt. *c. de cauſis. de offi. deleg.*

Magiſtratus. ¶ Ius mulctæ dicendę ex lege xij. Tab. introductum eſt, & ſolis magiſtratibus populi

Roma

Romani conceſſum eius verba ſunt : [Iuſta imperia ſunto, iiſque ciues modeſtè ac ſine recuſatione parento. Magiſtratus nec obedientem & noxium ciuem, mulcta, vinculis, verberibúsve coercento: Ni par, maiorve poteſtas, populúſque prohibeſſit, ad quos prouocatio eſto: cùm magiſtratus iudicaſſit irrogaſsitve, per populum mulctæ certatio eſto.] Referuntur hæc à M.Tul. *lib. de legibus. 3.* Cùm ergo id ius à xij. Tabulis magiſtratibus conceſſum ſit, nõ poteſt de municipalibus intelligi, quibus lex xij. Tab. ſcripta non eſt, & qui non ſimpliciter magiſtratus, ſed cum additamento, municipales dicuntur. Præſidibus verò prouinciarum id ius competit : quia mandatis, quæ ſolent Imperatores legatis ſuis, cùm eos in prouincias deſtinant, dare hoc permittitur.

Competit. ¶ Vnde & defenſores ciuitatis leuium criminum cognitionem habent, *§. audient. de def. ciuit.* & quos ſontes reperiunt, pœnis afficiunt.

Brechævs.

Inter mvlctam. ¶ Quid ſit Mulcta, eſt omnibus proculdubio cognitum qui Latinè ſciunt. Eſt autem mulcta (vt nihil interea quod ad rem noſtram faciat, omittamus,) pœna, quæ temerè litigantibus, hiſque qui vel dolo vel calumnia quemquam in iudicium traxerunt, vel trahi ſe paſſi ſunt, ac tandem cecidere cauſa, à iudicibus imponi ſolet, ſeu arbitraria, ſeu præſcripta à lege, & pro delicti merito & ratione. Varias enim pœnas leges conſtituerunt. Quod *inſtitu. de pœna temer. litig.* abundè eſt explicatum. Ea à Græcis τίμημα dicitur, quod litis æſtimationem, ſimul & ſupplicium pœnámque ſignificat, (quod ponitur etiam ἀντὶ τοῦ ἐνέχυρου, id eſt, pro pignore, vt tradidit Etymolog. author.) Vnde & mulctam indicere, & mulctam committere : atque etiam mulctam dicere à Græcis τίμημα ἐπιχάσειν : quod non iudicis eſt mulctantis, ſed authoris aut poſtulantis & accuſantis, ait Budæus *in commentariis* : hoc quoque certare mulctam antiqui dicebant, teſte eodem Budæo *in annotatio. ad l. 2. ff. de iudiciis.* Quo loco tradit moris quondam fuiſſe vt Tribun. plebis mulctam dicerent, quæ poſtea populi ſuffragiis vel irrogaretur vel abrogaretur, vel etiam remitteretur, quo tempore mulcta certari dicebatur. Non enim Tribuni plebis damnare mulctæ poterant, ſed tantùm rogare populum, apud quem cùm reus non iure mulctatum ſe contenderet, lis illa mulctatitia diſceptabatur. Cicero *libro tertio de legibus.* Cùm magiſtratus iudicaſſit irrogaſsitve, per populum mulctæ pœnæ certatio eſto. Mulctam igitur dicere, & irrogare, eſt pœnaliter intendere, quod vulgò noſtri pragmatici dicunt, Concludere ad mulctam, & mulctatitias concluſiones aſſumere. Quod hodie cognitoris Regij, atque aduocationis Regiæ munus eſt, cui publicè iudicium eſt. Vlpianus *in l. ſecunda. §. finali. ff. de iudiciis.* His (inquit) datur mulctæ dicendæ ius, quibus publicè iudicium eſt, & non aliis : niſi ſpecialiter hoc permiſſum eſt. Inde mulctati pœna. Suetonius *in Auguſto, cap. 21.* Neque, inquit, aut crebrius aut perfidioſius rebellantes grauiore vnquam mulctatus eſt pœna, quàm vt captiuos ſub lege venundaret, ne in vicina regione ſeruirent, néve intra triceſimum annum liberarentur: mulctatos eſt dixit, id eſt, punijt, ἐτίμησεν αὐτοῖς. ¶ Multa ſanè & mulcta dicitur : Ideo autem Mulcta dicta, vt tradit Varro *libro de lingua Latina*, à pecunia quæ à magiſtratu dicta, vt exigi poſſit ob peccatum, quòd ſingulæ dicuntur appellatæ hæ, mulctas, quod olim vnum dicebant, mulctæ. Multa enim poſtmodum ſimul exigi cœperunt : vt vinum, oleum, bos, & ouis : cùm antea ſingula exigerentur ob peccatum, videlicet, aut bos, aut ouis : Inde mulcta dicta eſt. Atqui ſuprema apud antiquos mulcta fuit in ſingulos dies triginta boum & duarum ouium : minima verò vnius tantum ouis. Atque hinc coniectare licet, ait Aulus Gellius *libro vndecimo noctium Atticarum, capitulo primo*, quòd Italia olim eſſet armentoſiſſima: ſed ouium penuria in ea erat. Qualiter autem eiuſmodi mulcta à magiſtratibus dicta exigeretur, vide latius apud Budæum *in lib. 5. de aſſe.* Tradit quoque Gellius *loco ſuprà citato*, mulctam verbum eſſe Sabinum. Is ita ſcribit. Vocabulum autem ipſum mulctæ, Idem M. Varro *in vndeuiceſimo lib. rerum humanarum*, non Latinum, ſed Sabinum eſſe dicit : idque ad ſuam memoriam manſiſſe ait, in lingua Samnitium, qui ſunt à Sabinis orti. Sed turba Grammaticorum nouitia κατ' ἀντίφρασιν, vt quædam alia, ita hoc quoque dici tradidit. Cùm autem vſus & mos ſermonum is ſit, vt ita & nunc loquamur, vt plerique veterum loquuti ſunt, multam dixit, & multa dicta eſt. Hæc ille hactenus. ¶ Inter mulctam autem & pœnam hoc eſt diſcriminis, quòd pœna nomen ſit generale : Mulcta verò ſpecialius, nec tam latè pateat. Quod tamen aliter viſum Labeoni fuit. Sed reiecta eius ſententia, probauit Paulus vtriuſque verbi diſſimilem ſignificationem. *in l. ſi qua pœna. infrà hoc titulo.* Pœna enim & ad ſupplicium, exilium, aliámve criminoſam condemnationem, ſimul etiam ad litis æſtimationem pertinet. Mulcta autem pœnæ pecuniariæ propriè accommodatur. Sed tamen Pauli opinione valere iuſſa, dixerim ſanè mulctam quoque de pœna capitali dici. Quod videre eſt ex dicta *l. 2. ff. de iudiciis.* Et cum dicimus aliquem mulctari pœna, id eſt, damnari capitis, vt ſuprà eſt annotatum. Pœna autem capitis eſt vel extremi ſupplicij, vel exiſtimationis : vel etiam qua libertas, vel ciuitas, vel honeſtas amittitur. ¶ Veruntamen, pœnæ verbum longè plura alia ſignificat, quàm mulcta. Quandoquidem, & vſuram pœna aliquando compræhendit. Paulus. *l. Lecta. ff. ſi certum petatur.* Si ea dic (inquit) ſuprà ſcripta ſumma Publio Mæuio, eive, ad quem ea res pertinebit, data, ſoluta, ſatiſve eo nomine factum non erit, tunc eo amplius, quo poſt ſoluam, pœnæ nomine in dies triginta, inque denarios centenos denarios ſingulos dari ſtipulatus eſt Publi. Mæuius, &c. Hic pœnam pro vſura, lata quidem ſignificatione, poſuit Paulus : ſicut Vlpianus, pro eo quod intereſt : *in l. finali. ff. de eo quod certo loco.* his verbis. Niſi ſi quis dicat, ſi iudex centum & viginti condemnare debuerit, centum ſolutis ea vniuerſitate, tam ex ſorte quàm ex pœna ſolutum videri, vt ſuperſit petitio eius quòd excedit ſortem : & accedat pœna pro eadem quantitate. Quod nõ puto admittendum, tantò magis quòd creditor accipiendo pecuniam, etiam remiſiſſe pœnam videatur. Quo loco intelligit Vlpian. id quod intereſt, ſeu acceſſiones in obligatione non eſſe, propterea ꝙ exoluta ſorte, pœna peti non poteſt : i. quod intereſt.

C 2 Nam

Nam qui ſortis pecuniam accepit, pœnam remiſiſſe is cenſetur, *vt dicta l. finali.* & latè ibidem *Gloſſ. in verbo videatur l. nouiſſima. ff. iudicatum ſolui.* At verò, pœna propriè vſura non dicitur. Quoniam ex euentu adiectæ conditionis, & quia obſeruata non ſit promiſſio debetur: vſura autem, quòd pecunia debitor vtatur. Vnde quandoque ex eodem contractu, vtrunque, & pœna ſcilicet, & vſura peritur. *l. Lucius. ff. de actionibus emp.* Quod & latius Alciatus adnotauit *in dicta l. lecta.* Adhæc pœna moleſtiam ſignificat: à Græcis etiam ποινὴ dicta ἀπὸ τοῦ πόνου, vt voluit Gaza, quod etiam aliquando documentum ſignificat & moleſtiam, καὶ νόσημα, vt apud Hippocratem. In eum quidem ſenſum pœnam dixit Bias interrogatus, deberétne ducere vxorem, an vitam viuere cœlibem? ἤτοι, reſpondit, καλὴν ἕξεις, ἢ αἰσχράν. καὶ εἰ καλὴν, ἕξεις κοινήν: εἰ δὲ αἰσχρὰν, ἕξεις ποινήν: ἑκάτερον δὲ οὐκ ἀγαθὸν, οὐ ληπτέον ἄρα. Aut pulchram habebis, aut deformem: ſi pulchrã, cõmunem habebis: ſi verò turpem, pœnam. Hic ποινὴν, i. pœnam, dixit moleſtiam, laborem, ſeu nocumentum, vt eſt apud Gell. *lib. 5. noct. attic. c. 11.* ¶ Sed vt ad rem redeamus: propria ſignificatione, pœna eſt quæ ex delictis deſcendit, & abſq; delicto nõ poteſt eſſe *l. Sancimus. C. de pœn.* Quare rectè Varro lib. de ling. Lat. pœnã à puniendo, vel à ponendo dictam tradit, aut quòd peccatum ſequitur poſt precium quod æſtimationis emptioniſve cauſa conſtituitur. Pœna igitur abſolutè καὶ ἁπλῶς ad ſanciendum crimen transfertur potius, quam ad contumaciam deſertúmve vadimonium, ſicut cenſuit Alexãder *in l. ſi quis. §. 1. ff. ad legem Iuliam, de adulteriis.* At verò mulcta de pœna pecuniaria ſæpius & ferè ſemper dicitur à noſtris iureconſultis. & idem à pragmaticis in iudiciis. Cardinalis *Clementina ſecunda. §. primo. de hæretic.* Dicimus namque pœnam adulterij, homicidij, falſi, & ſimilium quæ mortem, aliámve pœnam corporis ſolent infligere, non mulctam.

Noxa vindicta. ¶ Hoc loco iureconſultus vt pœnam à mulctæ ſignificatione diſtingat, & à fraudis verbo, pœnam dixit eſſe noxæ vindictam, id eſt, delicti animaduerſionem: ſic igitur ad delicti ſanciendi rationem pertinere, vt dictum eſt ſupra, videlicet corporis plectendi. Noxa enim ipſum eſt corpus, quod nocuit & ſcelus admiſit. Vnde & dedere noxæ. Noxia verò ipſum eſt maleficium delictúmque admiſſum: *vt inſtitution. de noxalib. action. §. 1.* Quandoque etiam noxa pro noxia poni ſolet, *vt in l. ſi longius. §. 1. ff. de iudiciis.* Et Virgilius *lib. 1. Æneid.*

Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei.

Lapſus eſt igitur Laurentius Vallenſis *libro ſexto elegantiarum. Latina. capitulo trigeſimoquinto*, cùm Seruium reprębendit ſcribentem noxam pro noxia Virgilium poſuiſſe, id eſt, culpa: quaſi per ſe noxa non ſignificet culpam, ait ipſe Valla: tum demum contendit Noxiam, verbum Latinum non eſſe, ac ſe nuſquam reperiſſe. Miror ſanè tam ſupinum viri tanti errorem, qui nuſquam animaduerterit Terentium toties ea dictione vſum: nec etiam apud Plautum hos verſus depræhenderit.

Amicum caſtigare ob meritam noxiam
Immane eſt facinus, &c.

Et Marcus Cicero *libro tertio de legibus.* Donum ne capiunto: néve danto, néve petenda, néve gerenda, néve geſta poteſtate. Quiſquis earum rerum migraſſit, noxiæ pœna par eſto. Quibus authoritatibus & teſtimoniis ſatis liquet noxiæ verbum apud Latinos vſu receptum fuiſſe, aduerſus Vallæ opinionem. Rectè igitur dixit Iuſtinianus noxiam eſſe ipſum maleficium. At hoc loco Vlpianus noxam pro noxia dixit, *vt dicta l. ſi longius. §. primo. de iudiciis.* Vel dum venit, inquit, ſe ſubtrahat qui noxam commiſit. Vnde, eximere noxæ, eſt criminis admiſſi gratiam facere, hoc eſt, vt ſcribit Budæus, remiſſionem dare.

Vindicta. ¶ Quoties iniuriam contumeliámve illatam punio, (ait idem Valla *libro quinto*) vindicta eſt. Quare dicta eſt pœna noxæ vindicta, τοῦτ᾽ ἐστι τιμωρία ſupplicium, vltio. Nam vindicare, præter alia ſignificata, eſt in malos animaduertere & ſupplicium de ſceleratis ſumere. Cicero *libro tertio, de legibus.* Vincula ſontium ſeruanto, capitalia vindicanto. Et idem in Verrem. Si quid vindicatum ſeuerè eſt, non ex eo crudelitatis inuidiam colligam. Proinde dicitur maieſtas publica vindicari, cùm ſupplicium de ſontibus ſumitur, Budæo teſte. Paulus *in l. quod reſpublica. ff. de iniuriis & famo. libel.* Quod (inquit) Reipublicæ vindicandæ cauſa ſecundum bonos mores fit, etiam ſi ad contumeliam alicuius pertinet, quia tamen non ea mente Magiſtratus facit vt iniuriam faciat, ſed ad vindictam maieſtatis publicæ reſpiciat, actione iniuriarum non tenetur. Significat etiam Vindicare, ab iniuſto poſſeſſore in ſuam poteſtatem iúſque ſuum aſſerere. Hinc vindicare in gleba. Verba autem ex antiqua formula eius qui vindicabat, erant. Fundus qui eſt in agro, qui Sabinus vocatur, meus eſt: eum ego ex iure meum eſſe aio. Ibi ego te ex iure manu conſertum voco. Hanc rem diffusè & eleganter Budæus explicat: cuius exempla videbis apud Ciceronem *libro primo de Oratore ad Qu. Fratrem.* Eſt quoque vindicare, in libertatem adſciſcere: vnde vindicta, virga qua Prætor caput ſerui percutiens dicebat. [Hunc hominem liberum eſſe aio.] Subinde circumagebatur per lictorem, ac tum demum liber erat. Vide quæ de pœna diximus *in Aphoriſmis iuriſprudent. in verbo pœna.*

FORNERIVS.

INTER MVLCTAM. ¶ Multiplex inter pœnam ac mulctam differentia abs iuris auctoribus proditur. Imprimis quòd iis datur mulctæ dicendæ ius, à quibus publicè iudicium exercetur, & non aliis: niſi ſpecialiter hoc eis permittatur. *l. 2. fin. ff. de iudic.* Pœnam quicunq; cui criminis executio competit. hic *l. 131. in fin.* Deinde quòd pœna quælibet delicti coërctio ſit: mulcta pecuniaria duntaxat. Non quòd nullæ ſint & pecuniariæ pœnæ, veluti dupli, quadrupli, ex legibus xij. Tabul. Feſtus in dict. *Multa* & in *Peculatus*: *l. vlt. C. & ff. de litig. §. pœnales. §§. ſeqq. de act.* Sed quòd illa ſit genus, hæc ſpecies: & mulcta iudicantium arbitriu, non lege definiatur. Prætereà mulcta damnum famæ damnato

non

non irrogat. *l.1.C.de mod.mult.* Pœna non poteſt reo non ignominiam afferre. *l.6.§ non poteſt. ff.de furt. l.40. dinus. de iniur.* Cùm videlicet eiuſmodi iudicio etiam priuato agitur, cuius damnatio infamiam conciliat, vt furti, *vi bonor.rapt. & iniuriarum. l.7. infamem. ff.de publ.iud.* Rurſus hoc intereſt, quòd mulcta publicè ab exactoribus ſuis colligitur: vt fiſco inferatur, ideóque criminali iudicio exigitur. *l.pen.C.de mod.mult.* Pœna verò præſertim pecuniaria aduerſario plerunque eiúſve heredi adiudicatur. *d.§.pœna.l.26.omnes.l.33.cõſtitutionibus. ff.de ob.& act.l.vlt.de furt.l.vlt.de iniur.l.3.de ſep.viol.* ob eámq; cauſam Imp. Leo legi veteri (quæ tutorem pupillæ viriatorem exilio & bonorũ publicatione mulctabat. *tit.C.ſi quis eam cui tut.fuer.corrup.*) derogans, puellę ſtuprum paſſę corruptoris bona defert. *Nou. 34.* Sed & in hoc differunt, quòd is qui multam dixit ſuo functus officio non dicitur, quin iterum poſſit de ea cognoſcere, eámque temperare ac moderari: ac ſi damnatus inopia laborans, ſoluendo, non ſit, remittere poſſit. *l.vlt.C.de mod.mulct.l.6.illicitas.§.vltim.de offic.præſid.* Qui verò pœnam indixit ſemel, ampliùs eam reuocandi mutandiue arbitrium non habet: quaſi planè officio functus ſuo iudex eſſe deſierit. *l.1.fi.de quæſtion.l.55.iudex.de re iud.l.27.diui.de pœn.l.9.poſt ſententiam.C.de ſent.& interl. omn.iud.* *Delictorum.* § Delictum ferè priuatum eſt, maleficium peccatum. *l.1.l.4.l.52.obligamur. ff.de ob.& act.* Delinquere, quidpiam minus habere. *l.17.fugitiuus.§.noxas.de ædil.edict.*

Et mulcta. § Ecce & aliud diſcrimen, Quòd pœna quidem lege definiatur: quam non facilè mutare poſſit iudex, aut remittere. Photius Nomocanon. *tit.9.cap. vlt.fin.l.antepen.C.ad legem Iul.de vi.* Mulcta verò ex arbitrio iudicantis pendeat: quam prout ei videbitur, augeat vel minuat. Illa igitur certa eſt: hæc incerta atque arbitraria exque locorum, temporum, qualitate, & conditione, perſonarum ætate, dignitate, vel vilitate cæteriſq; negotiorum circumſtantiis æſtimanda. *l.11.perſpiciendum. l.14.quædam.l.16.aut facta.l.25.ſi diutino. ff.de pœn.l.3. C.quib.ex cauſ.infam.irrog.l.13.quid ergo.§.pœna. ff.de iis qui not.infam.* Neque verò iis audiendum, qui exiſtimant hodie omneis pœnas eſſe arbitrarias: tum quòd hoc loco. *& l.antepen. ff.hoc titul.* refelluntur: Tum quod ſæpè aliàs legimus ſtatutam legibus pœnam ſequi iudicem oportere: neque diſſimulatione gratiam ipſius facere poſſe. *d.l.antepen.C.ad legem Iul.de vi:* alioqui ſe laqueis legum induere. *l.2.C.de comm.& merc.l.vlt.C.ne ſacr.baptiſ.iter. l.1.fin. l.pen.fi.C.de pagan.l.1.de deſertorib.lib.12.Cod.* fruſtrà alioqui ſanciretur pœna, ſi iudicis (in cuius poteſtate facti tantùm, non iuris quæſtio verſatur. *l.1. ad Turpil.*) vel gratia, vel odio, vel ambitione definitio legis eluderetur. Caſſiodorus *lib.7.epiſtol.8.* [Conuictis verò atque confeſſis quæ ſunt decreta ſeruentur: quoniam crudele nihil efficit, qui ſequitur leges.] Symmachus *lib.1. epiſtol.* [Magiſtratus quàm leges, mitior eſſe non debet.] *Nouell.82.de iudicibus.§.oportet.* Demoſthenes *in Timocratem* legem Solonis explicans, τοὺς ἢ νόμους ἡγεῖται τῆς πόλεως νόμισμα εἶ : δεῖ δὲ δικαστὰς πολλῷ μᾶλλον ὄντας ὑπὲρ πόλεως τῶ &c. Idcóque inexorabiles iudicum animaduerſiones, quibus pro meritis rei plectuntur. Baſilius in Hexaemero ἀπαραιτήτους τῶν δικαστηρίων τὰς κολάσεις, τὸ πρὸς ἀξίαν τοῖς κακούργοις ἀντιμετροῦντας: quo ſenſu definitiones legum inexorabilium Theodoſius & Valent. vocarunt. *l.4.de tabular.lib.10.C.* iudices enim ſecundum leges ſententiam ferebant. *§.1.de offic.iud.* Idque non ſolùm Athenis iuriſiurandi religione ſed etiam nouiſſimis Rom. Imperatorum conſtitutionibus obſtringebantur. Iul. Pollux *Onomaſtic. lib.8.* περὶ μὲν ὧν νόμοι εἰσὶ κατὰ τοὺς νόμους ψηφιεῖσθαι. Quod è veſtigio ſubſequitur (περὶ δὲ ὧν μὴ εἰσὶ, γνώμῃ δικαιοτάτῃ) ſic vulnuſculo ſanato, reſtituendum arbitror, σὺν γνώμῃ. Ex Demoſthene eiuſmodi iuriſiurandi iudices admonente, in oratione aduerſus Leptinem. καὶ περὶ ὧν ἂν νόμοι μὴ ὦσι, γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ κρίνειν. Cui concepta abs Iuſtiniano iuriſiurandi ab iis qui officia ineunt præſtandi formula non multum videtur abſimilis: vt pœna reis damnatis ſecundum leges infligatur. *Nouell.9.* καὶ τοὺς μὲν ἀνευθύνους ἀνεπηρεάστους φυλάξω, τοὺς δὲ ὑπευθύνους ἐπάξειν τιμωρίαν πρὸς τὸν νόμον. Nec ad rem pertinet, quod vulgò iactari audio, omnia iudicia hodie eſſe extraordinaria. *§.vlt.de interd.* [Licere autem ei qui extra ordinem cognoſcit, quam vult ſententiam ferre, vel grauiorem vel leuiorem: ita tamen (inquit Vlp.) vt in vtroque modo rationem non excedat.] *l.13.hodie.2.de pœn.* fateor vbi nulla legibus pœna conſtituitur, vel vbi obſcura, arbitrariáve eſt: tum ipſius æſtimandæ dicendæque modum in iudicis poteſtate poſitum: vt hic dicitur: eámque in ambiguo leniendam interpretatione potiùs, quàm exaſperandam videri. *d.l.11.perſpiciendum.l.pen. ff.de pœn.* Quamuis ordo exercendorum publicorum iudiciorum in vſu eſſe deſierit: durare tamen pœnam legum ſcripſit Paulus, cum extraordinem crimina probantur. *l.8.ordo.de public.iud.*

Item mulctam. § Penultima differentia ſequitur: pœna ab omnibus iudicibus, quibus exſecutio delicti mandatur, irrogatur *en vertu de leur commiſſion.* alioqui inanis & elumbis eſſet, ſine imperij mixti coërcitione iuriſdictio. *l.1.l.vlt. ff.de offic.eius cui mand.eſt iuriſ.* quæ mandata, cætera quibus explicari non poſſet conceſſa cenſentur. *l.2. ff.de iuriſd.* At multæ dicendæ ius iis duntaxat competit, quibus iudicium publicè competit: penes quos legis actio eſt. *l.2.fi. de iud.* vt eam vel fiſco, vt plurimùm vel interdum pauperibus adiudicent: nonnunquam vel in operum publicorum exſtructionem redacta inde pecunia conferatur. *l.2.C.de epiſc.aud.l.penul.& vlt.C.de mod.mult.l.vlt.C.de ſpectac.l.19.quoniam.C.Th.quor.app.nõ recip.* Caſſiodorus *lib.8.epiſt.24.in fin.* Qui autem Romani magiſtratus multandi poteſtatem habuerint, poſthac accuratiùs exponetur. *l.antep. ff.h.tit.* Vbi & poſtrema differentia notatur: à pœna prouocationem non eſſe: ſimulatque enim quis victus eſt, ſtatutam maleficij pœnam ſtatim deberi. Multæ verò prouocationem: nec antè quàm aut prouocatum non ſit, aut prouocans ſuccubuerit, eam deberi. Harmenop. *lib.vlt.tit.vlt.d.l.antep.* vbi & hoc ipſum copioſiùs explicabitur.

CXXXII. Pavlvs lib. iij. ad legem Iuliam & Papiam.

ANNICVLVS amittitur, qui extremo anni die moritur. & conſuetudo loquendi id ita eſſe declarat.

ALCIATVS.

ANNICVLVS. ¶ Anniculus infans dicitur anni vnius, quem quidam vniennem vocant, exemplo Græci ſermonis ἐνιαυσιαῖος: dicitúrque hoc nomine, qui extremum anni diem attigit, tametſi integrum eum non vixerit: comprobátque id Paulus ex conſuetudine ſermonis: quod mirum eſt in hac voce, præſertim repertu rara, verùm legiſlatori de conſuetudine atteſtanti credi par eſt. Sed an cuilibet doctori egregio? & Bartolus credi exiſtimauit, *l. de quibus. in 4. q. princ. de leg.* ſi ab eo in ſcriptis redacta ſit, cuius ſententiam probare ipſe nequeo: cùm enim ſit facti, quis plenam fidem adhibebit? *Inſ. dicta l. de quibus.* cùm etiam prudentiſſimos huiuſmodi prætereant, idque crebriùs, receptum mihi videtur.

BRECHÆVS.

ANNICVLVS. ¶ Videtur diminutiuum eſſe nomen Anniculus, cùm tamen non ſit. Significat autem eum qui eſt vnius anni: ac non ad animata transfertur tantum, vt teſtis eſt Valla *lib. 1. elegan. cap. 5.* ſed & etiam ad inanimata. Vt anniculus puer, anniculus equus, anniculus paries, anniculæ plantæ: vinum anniculum: cuius rei teſtimonia quamplurima apud Latinos authores paſſim reperias. Plin. *lib. 13. natur. hiſt. cap. 4.* Ergo plantaria inſtituunt anniculáſque transferunt & iterum bimas: hoc, de palmis loquens, Ἐνιαυτός, idem quod ἔτος à Græcis. Sed & etiam apud Iul. Pollucem ἴδες ἐν ἐχέτης, αὐτοετεῖς ἢ ἔτειοι dicuntur. Qui igitur trecenteſimo ſexageſimo quinto & extremo anni die moritur, is anniculus mori cenſetur, id eſt, annum integrum natus: & id ex vulgari loquendi conſuetudine, à qua non licet recedere: vt *l. librorum. §. quod tamen Caſſius. de legat. 3.* Neque enim à verborum ſignificatione propria recedi aliter oportet, quàm cùm manifeſtum eſt aliud ſenſiſſe teſtatorem. Marcellus *in l. non aliter. d. titul. de leg. 3.* Gloſſ. *in cap. ad abolendam. ſuper verb. in ſecularibus. extra de filiis presbyter.* Et nos diximus ſ. *in rubricam huius operis.* ¶ Qua de re, Cum quæreretur, agni legati quatenus viderentur? quidam aiebant agnum duntaxat ſex menſium eſſe. Sed verius eſt, inquit Vlpianus. *l. cùm quæreretur. d. tit. de legat. 3.* eos legatos eſſe qui minores anniculis eſſent. Et hoc, puto, propter vulgarem loquendi conſuetudinem, propriámque verbi ſignificationem. Nam propriè agni dicuntur donec depulſi ſint à matribus & compellendi in gregem ouium, cum obliuione iam lactis matrem non deſiderant. Sed & cùm caſtrati ſunt, exiſtimo agnos amplius non eſſe nominandos. Caſtrare autem oportet agnum non minorem quinque menſium, neque ante quàm calores aut frigora ſe exegerint, vt docuit Marcus Varro *lib. 2. rei ruſtica. cap. 2.* quo loco de ouibus tractat, & quales ſint ad fœturam vtiles. Qua ratione, poſt annum amplius agni cùm non ſint, legatos agnos oportet eſſe minores anniculis: puto etiam ſemeſtribus, cùm quinto poſt eos natos menſe caſtrandi ſint, ſecundum Varronis teſtimonium. At Martianus *in l. legatis. ſub finem. de leg. 3.* ſcribit oues eas videri cùm ad tonſuram veniunt.

FORNERIVS.

ANNICVLVS. ¶ Quamuis legis Iuliæ Papiæ caput, quo de hîc agitur exoleuerit: quòd hodie ius ciuitatis Rom. (ſummi olim beneficij loco habitum. Cicer. 2. *Philipp.* Act. apoſt. *cap. 22.* Seneca *in ludo de mort. Claud.*) patet omnibus orbis Rom. incolis. *l. 17. in orbe. de ſtat. hom. Nouell.* 79. Non tamen deducta ex antiqui iuris fontibus anniculi definitio negligenda: Latini ius Quiritium liberis, modò anniculis factis conſequebantur. Inde quæſtio, quis anniculus. Vlpianus *fragm. tit. 3.* [Lege (inquit) Iunia cautum eſt, vt ſi ciuem Romanam, vel Latinam vxorem duxerit teſtatione interpoſita, quòd liberorum quærendorum cauſâ vxorem duxerit, poſteà filio filiáue, nato natáue & anniculo facto, poſſit apud Prætorem, vel Præſidem prouinciæ cauſam probare, fieri ciuem Romanum tam ipſe quàm filius filiáue eius & vxor, &c.] anniculo facto: id eſt ſi trecenteſimum ſexageſimum quintum diem (tot enim diebus annum conſtare oſtendimus. *l. 98. cum biſſextum. ſ. hoc tit.*) attigerit. Hac in ſpecie ſupremum anni diem affectum, non confectum eſſe ſufficiet: Amiſſus extremo anni die prodérit patri. ἐνιαυσιαῖος δοκεῖ τελευτᾶν, ὁ ἐν τῇ ὑστέρᾳ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἡμέρᾳ τελευτῶν. Tametſi non rarò alias, non cœptum modò, ſed planè exactum diem oporteat. *l. 2. §. exceſſiſſe. de excuſ. tut. l. 3. §. minorem. de min.* Sed hanc iuris controuerſiam diu vexatam certú eſt definire. *l. 134. anniculus. ſ. h. t.* ¶ Penè prætereram de infante ſeruo nondum anniculo, inepte Ant. Contium legis xij. Tab. rerum mobilium vſucapionem anno concludentis veſtigium annotaſſe. Quinimmò Paulus ait de infante Publicianam dari. Nam vt idem ſubiungit. [Etiam is qui momento poſſedit, rectè hac actione experietur.] *l. 12. cum ſponſus. de Public. in rem act.*

[Ante diem decimum Calendarum, poſt diem decimum Calendarum.] neque vtro enim ſermone vndecim dies ſignificantur.

ALCIATVS.

ANTE DIEM. ¶ Variè hic locus accipitur: apud veteres videntur non eodem ſenſu hæc verba intelligi. Nam qui promittit ante decimum diem Calendarum, videtur perinde, ac ſi dixiſſet, decimo Calend. ſtipulatur, perinde eſt, ac ſi calendis ſtipularetur *l. qui ante. de ver. obli.* nam ratio hoc ſuadet, cùm decimo Calendas compendio verborum dicatur, pro decimo die ante Calendas. Sed tamen ipſe aliud opinor 10. Calend. aliud 10. die Calendarum. Cùm enim antè Calend. dicimus, ipſę Calendæ non comprehenduntur. Cic. *ad Lentulum:* Senatus haberi ante Calen. Febr. per legem Papiam, id quod ſcis, non poteſt, neque menſe Februario toto, niſi perfectis, aut reiectis rogationibus. Verùm in aliam ſententiam nos vrget, quod per hæc verba dies, qui eſt 9. Cal. ſignificari videtur: idq; probatur

Cicero

Ciceronis authoritate, qui *Philippic.5.* Ante diem, inquit, 4. Cal. Ian. decretis cum veſtris eoncidiſtis, conſtituiſtiſque, vt hæc ad vos Cal. Ian. referrentur. Rurſus *Philippic. vlt.* Memoria tenent, me ante diem 14. Cal. Ian. principem reuocandæ libertatis fuiſſe, me ex Cal. Ian. ad hanc horam vigilaſſe. His autem verbis de eo die intelligebat, qui eſt 13. Cal. Ian. quod oſtenditur *in d. Philipp. 5. in princ.* Cùm enim eam orationem, vti cenſuerat Senatus Calend. Ian. haberet: Recordamini, inquit, qui dies, nudiuſtertius decimus fuerit. Et paulò inferius: Hoc dies 12. profuerunt, vt quem nemo præter Cotylam, &c. Idem apertiùs oſtendit *lib. epiſt. famil. 12. ad Cornificium.* nam eius diei mentionem faciens, ad 13. Cal. (inquit) Ian. Senatus frequens mihi eſt aſſenſus: Et iterum ad 13. Cal. Ian. fundamenta Reipubl. ieci. Quomodo ergo Paulum hic defendemus, penitus his contraria ſentientem, cùm ſignificari his verbis cenſet eum diem, qui 11. Cal. eſt: Adde quòd etiam ante Calendas, & poſt, idem eſſe exiſtimat, quod falſum eſt, imo (vt apparet) apertiſſimè diſſident. Sed & Cælius Ciceroni: Dicebat, inquit, Pompeius ſe ante Calendas Martias non ſine iniuria de prouinciis Cæſaris ſtatuere, poſt Cal. Mart. ſe non dubitaturum. Sunt qui his difficultatibus adducti ſcripturam inuertant, & legendum exiſtiment, non poſt diem 1. ſed poſt diem 12. Qui ſenſus indubitatus eſt, redditque reſponſum hoc ſuperfluum, prætereàque aduerſus veterum omnium codicum fidem fit huiuſmodi mutatio. Alij neutro ſermone legunt, non vtroque: ſed hæc inſolentior eſt correctio, & non ſatis vera. Alij craſſiore minerua intelligunt, vt ante diem decimum Calendarum, de vndecima die actum putemus menſis lapſi, ſi retrò, & menſis inſtantis, ſi porrò computemus. Qua ratione ante diem decimum Cal. Ian. vigeſima erit Decembris, quia ab ea ad Cal. vndecim interſunt dies: poſt diem decimum Calendarum erit vndecima Ianuarij & hic enim vndecim interſunt dies. Sed certè Iuriſconſultus ludere nos hoc ſenſu potius, quam docere voluiſſe videretur. ¶ Ego dupliciter declarari id reſponſum poſſe ſentio: & in primis ſi de die præterita loquamur, vt quia me quicquam feciſſe poſt diem decimum Calend. dicam id intelligi arbitror vndec. Calend. eſſe factum: quòd ſi ante diem decimum dicam, intelligitur nono Calendas: ſicut apud Ciceronem, ante 14. diem Calen. intelligitur 13. Calend. Et ratio ea eſt, quia in computatione præteriti, vndecima poſt decimam eſt, ſicut 14. ante 13. quòd ſi de futuro verba faciam, vt quia poſt decimum diem Calend. ſpondeam tibi centum, nono Calend. Intelligitur: ſi ante decimum diem ſpopondero, vndecimo obligabor. Vnde meritò Iuriſconſultus vtroque ſermone vndecimam diem ſignificari dixit. quod intellige diuerſis tamen caſibus. Ante decimam diem, ſignificat vndecimam, ſi de futuro loquat: poſt decimam diem, ſignificat vndecimam, ſi de præterito agatur. ¶ Altero modo poteſt etiam accipi: ſiquidem illud ſcire debemus, apud Græcos conſuetum fuiſſe, vt dierum computatio retrorſum à ſequente menſe duceretur, ſicutque vti menſis, quem tum φθίνοντα, id eſt, deficientem appellabant, ἀπὸ τῆς εἰκάδος, hoc eſt, a vigeſima die inciperet retrò numerari ad ſequentem: quod in Nubibus Ariſtophanes oſtendit, & Homerus, τοῦ μὲν φθίνοντος μηνὸς τοῦ δ' ἱσταμένοιο. Eum morem & Latini ſeruauerunt, & poſt præcedentis menſis Idus ſubſequentis Calendas numerare cœperunt. Quapropter quartuſdecimus Decembris dies, decimuſſeptimus eſt Calendarum Ianuarij: ſicq; deinde procedimus, ſextumdecimum, quintumdecimum, quartumdecimum, ab augmento in diminutionem vſque ad ipſum Calend. diem computando. Si ergo ſcriptum ſit, poſt diem decimum Calendarum aliquid factum vndecimo Calend. cenſetur factum, quoniam ab inſtante menſe retrò computando, vndecimus dies poſt decimum numeratur: quòd ſi ante diem decimum dicatur, idem ſignificari poteſt: reſpectu enim deficientis menſis, vndecimus ante decimum eſt. Et ſic diuerſis rationibus, ſermo qui hic repugnans videtur, idem denotare poteſt. ¶ Sanè hinc argumentum ſumitur, non videri inuicem aduerſari teſtes, quorum aliqui ante bellum, aliqui poſt bellum rem geſtam dicant: cùm enim hæc res tractum habeat, poterunt intelligi ante bellum perfectum. *Bart. l. 2. §. creditum. ſi cert. pet.* & poſt bellum cœptum, idque frequentiùs traditum eſt *l. 2. C. ne de ſta. def.* Ego accepi hanc dictionem, ante, ad initium, & poſt, ad finem referri, idque ex ſermonis proprietate, à qua, vt teſtes à periurio tueantur, recedere permiſſum eſt. ¶ Sed & qui ante Calend. promittit, ſolis Calendis conuenietur *d. l. qui ante.* ante enim dies non venit: alioquin momenti illius ratio eſſet habenda, quod Calendarum initium anteceſſit: at in diebus momenta temporum non conſiderari, infrà traditur *l. 2. ǂ. eod.* Quapropter, ſi tibi ſpondeam ante menſem Februarium centum aureos me daturum, initio eius menſis conueniri potero, idque receptius eſt.

Brechævs.

Ante diem. ¶ Budæus, & poſt eum Andreas Alciatus ſcribunt hoc loco Paulum hoc grypho vel oxymoro lectorem morari voluiſſe potius, quam docere. Quare non immerito malam literam Accurſius vocauerit. Varia ſiquidem huius paragraphes affertur lectio. Sunt enim qui legant, Ante diem decimum Calendarum & poſt decimum diem Calendarum, neutro enim ſermone decimus dies ſignificatur. In Pandectis Florentiæ ab anno excuſis, Neque neutro enim ſermone vndecim dies ſignificantur. Quæ quidem lectio prorſus videtur abſurda. Nos verò cum ipſo Budæo atque Alciato legimus ſic, Vtroque ſermone vndecima dies ſignificatur. Valla *lib. 4 cap.* 80. adiecit, æquè vtroque ſermone, &c. Quam ego lectionem multùm probauerim: ſic enim apertior erit Pauli litera: cuius eum arbitror eſſe ſenſum, vt ſi quis ante diem decimum Calendarum Aprilium perſoluturum ſe quinquaginta ſpoponderit, cenſebitur is intellexiſſe diem decimum nonum menſis Februarij, id eſt, vndecimum Calendarum. qui dies eſt decimus ante Calendas Martias acto retrorſus dierum numero ab ipſis Calendis Martiis. qui quidem dies Calendarum Martij, eſt vndecimus à decimo nonoq; præcedentis menſis. Et rurſus, ſi promittas poſt diem decimum Calendarum Martij, intelligendus eſt, dies Martij vndecimus ab ipſis Calendis Martijs: inter quem vndecimum diem & Calendas Martias, nouem dies intercedunt. Eleganter ſanè hunc locum Budæus interpretatur ex

comp

compluribus Ciceronis teſtimoniis. ¶ Cæterùm, qui ante Calendas daturum ſe aliquid promittit, perinde eſt ac ſi in Calendis promiſiſſet. *l. qui ante Calend. ff. de verb. oblig.* Verumtamen id diſcriminis inter vtrunque ponunt, quòd qui ante Calendas promittit, conueniri poſſit ſtatim vbi is dies, qui vltimus ante Calendas eſt, effluxit, & Calendæ incipiunt. At ipſis Calendis debere incipit promiſſor qui Calendis promiſit: ſed ante conueniri non poteſt quàm is ipſe dies Calendarum præteriit: cras ſcilicet vel perendie. Cuius quidem rei eam rationem tradit Zaſius, quòd curſus obligationis ſit ad Calendas tanquam ad metam, Sed ad Calendas obligari eſt ſtatus obligationis, non curſus. Permulta in hanc rem & eruditè ipſe Zaſ. *in d. l. qui ante Calendas.* Sic conciliari teſtes ait Bartolus, cum eorum alij teſtificantur aliquid eſſe factum ante Calendas, alij poſt Calendas. neque eorum teſtimonia diſſidere, nec pugnare inuicem. vt quia priores de Calendis nec dum finitis acciperentur: poſteriores, de cœptis, id eſt, de die cœpto, nondum tamen finito. Idem Bart. *in l. mutuum. §. creditum. ff. ſi cert. pet.* ¶ Hinc Paulus Caſtrenſis tradit cautius & conſultius agi, ſi promittatur ante menſem cœptum. Nam ſi quis ſoluturum ſe ante menſem Februarium promittat abſolutè, intelligi debere putat Caſtrenſ. ante menſem finitum: ita quòd promiſſor non tantùm toto menſis ipſius ſpatio & interſtitio tutus erit, ſed & toto eodem menſe. Quæ quidem ſententia Bartoli de conciliandis teſtibus non ſatis recta mihi viſa eſt: quam etiam multis argumentis iiſdémque veriſſimis, confutat Zaſius. Sunt enim, ante, & poſt, præpoſitiones diuerſa ſignificantes: quæ ſi poſſent in concordem ſenſum adduci adiectis variis epithetis pro capite cuiuſconque, nulla vnquam in teſtibus depræhenderetur contradictio. Nam cum ante, principium reſpiciat, poſt verò finem, quoniam principium cum fine rectè conuenire nequit, certè teſtimonia ac teſtium dicta ex his oppoſitis terminis, ante & poſt, coire nulla ratione poterunt. Nam propriè ante dicitur quod eſt omnino ante, vt ſcribit Bald. *in l. ex his verbis. C. quando dies leg. vel fide. ced.* Quo loco interpretatur quid ſit id quod ſæpe quæri ſolet, quando annus cœptus habeatur pro completo: multáque in hanc rem tradit: quando videlicet oporteat tempus eſſe completum, vt ne quidem ſatis ſit annum cœptum eſſe. Reliqua vide apud Alciatum & Bartholomæum Cæpolam in hunc locum.

FORNERIVS.

ANTE DIEM. ¶ Variè hic verſus ſcribitur. Florentiæ, [neque vero.] vulgò [neutro:] eodem ſenſu. Flor. [vndecim dies ſignificantur.] vulgò [decimus dies ſignificatur.] Græci ſic extulerunt, *πρὸ δεκάτης καλανδῶν, ἢ μετὰ δεκάτην καλανδῶν, ἡ δηλοῦσθαι τὴν ἑνδεκάτην ἡμέραν.* manifeſta exque triuiali hauſta ſermone ſententia. Quoties vel ante decimum vel poſt vndecimum Calendarum diem dicimus, neutra oratione vndecimum, vtraque decimum diem intelligi perſpicuum eſt.

§. j. FALSVM eſt eam periſſe, cui mortuæ filius exſectus eſt.

ALCIATVS.

FALSVM. ¶ Parere verbum enitentis mulieris actum ſignificat: quapropter ſi execto vtero infans ei detrahatur peperiſſe non videtur. Hincque eſt, quòd ſi Titio legauerim, ſi Arethuſa pepererit, cùm conditio voluntaria ſit, execto vtero non eueniet. Bartol. *d. l. Gallus. §. & quid ſi.* ſi neceſſaria, ſecus eſt: & cùm quis, ſi vxor ſua pepererit, filium inſtituit, & ſi deceſſerit, Titium: non enim reſpexiſſe modum videtur, quo filius in lucem prodeat, ſed quomodocunque natus ſit, illi conſuluiſſe: & ideo ex coniectura mentis ſit interpretatio, etiam ſi conditionis verba omnino non quadrent: & ita Bald. & Salic. viſum eſt *l. fin. C. de poſth. hered. inſtit.* quod & nos contra Iaſonis ſententiam probauimus. *l. quod dicitur. de lib. & poſthum.*

BRECHÆVS.

FALSVM EST. ¶ Supra dictum eſt eos qui mortui naſcuntur, neque natos neque procreatos videri: hic autem ſimili ratione traditur eam peperiſſe minime cenſeri cui iam mortuæ fœtus execto vtero extractus eſt. Quoniam parere proprium eſt viuentis mulieris quæ viuentem filium vtero emittit: quod Græci *τίκτειν καὶ ἀποτίκτειν*, (id etiam eſt generare & procreare,) dicunt. ¶ Qua ratione ſi teſtator centum legauerit mulieri cùm pepererit filium, non cenſebitur conditio extitiſſe, ſi execto vtero extrahatur infans. Hoc enim propriè non eſt parere. At verò ſi ſub ea conditione.

Cum filium habuerit, legatum ſit, videtur conditio aduenìſſe. Ea enim mulier filium habere mortis tempore creditur, quæ exciſſo vtero edere poſſit, ait Vlpianus *in l. etiam ea mulier. ȷ. eod.* Nam & huiuſmodi filius poteſt querela inofficioſi teſtamenti agere: ſicuti tradit Alphenus *in l. poſthumus. ff. de inoffic. teſtam.* Quod tamen locum habet in extraneis non in filiis inſtitutis, *vt l. ſi mater. C. eod. tit.* Alioqui autem non accipiet legatum ſub hac conditione, [Si pepererit,] ſi mulieri execto vtero extrahatur infans. Verba nanque in legatis propriè accipienda ſunt. Quippe verba omnia in diſpoſitionibus ſemper ad ſaniorem intellectum ſenſúmque ſunt traducenda. Et hæc quidem eſt clauis iuris, vt cenſuit Bald. *in rub. C. de probat. idem in l. edicto. C. de edil. D. Adria. sol. & in l. 1. C. de ſeru. fug.* ac tandem admonet ipſe Bald. *in tit. de pace Conſtantiæ in vſib. feud. ad princ.* hoc mente tenendum eſſe.

FORNERIVS.

FALSVM. ¶ Ne longiùs ab argumento legis Iuniæ recedamus, conſequens eſt, matrem in ipſo partu extinctam, manere Latinam, neque ius Romanæ ciuitatis conſequutam: de ipſo fortè partu, ſi fiat anniculus, ſecus: Verùm & quod ad vitandam legis Iuliæ pœnam attinet, peperiſſe & ea videatur, & filium reliquiſſe, quæ exciſo vtero enixa ſit. *l. 141. etiam. ȷ. h. t.* quæ ſi duce inſcriptionum varij argumenti ratione cum hoc capite conciliatur. [Periſſe.] ¶ Sic propagati à Florentino codices

dices perperam. At rectiùs reſtituto vocis capite, [peperiſſe:] vt antiqui codices cæteri expreſſerunt: ſuffragante Græcorum interpretatione, ὡς λέγεται γεννῆσαι ἀνατμηθεῖσα. Quamobrem & illud quod huc imperiti, [exortos] pro [exſectus] obtruſerunt, explodatur. Forte cum in Archetypo librarij [Periſſe] ſcriptum offendiſſent, non ſatis percepta geminandarum maiuſcularum litterarum nota imprudentes hoc vitium conflauere: Quo ex fonte cum alia pleraque orta, tum illud vnum modò ductum indicabo apud Vlp. [Si inquilinus arcam æratam in ædes contulerit, & ædium aditum coanguſtauerit dominus, verius eſt ex conducto eum teneri.] *l.19.ſed addes.locat.& cond.* Quid arca ærata, nuſquam fando auditum. Vulgaris editio Florentina emendatior præfert, [arcam cameratam:] vt ſic primùm olim vſitata geminandarum litterarum plurium in vnam comprehenſione, [arcAMERATAM.] pro [arcam cameratam] editum fuiſſe non dubitem.

CXXXIII. VLPIANVS lib. iiij. ad legem Iuliam & Papiam.

SI quis ſic dixerit, vt intra diem mortis eius aliquid fiat: ipſe quoque dies, quo quis mortuus eſt, numeratur.

ALCIATVS.

SI QVIS SIC. ¶ Apud veteres tres erant præpoſitiunculæ diuerſo ſenſu, in, vls, cis: quæ quoniam obſcuro ſonitu promebantur, euphoniæ cauſa additionem eandem receperunt, dicique vltra, citra, intra, cœptum eſt: ſicque intra idem ſignificat, quod in: vnde rectè dicemus, Brigantium intra Alpes eſt, id eſt, in Alpibus ipſis: ſicut Seguſium citra Alpes, Vocontij vltra. Sic & qui dicit ſe intra Calendas facturum, in ipſis Calendis dicere videtur, vt apud Aulum Gellium *lib.12.cap.13.* Sulpitius Apollinaris diſſeruit. Vſus tamen obtinuit, vt non ſolùm diem Calendarum, ſed omne tempus, quod citra eum diem eſt, contineat: quapropter, ſi libertas ſic relicta ſit: Stichus intra annum poſtquam mortuus fuero, liber eſto *l.ſi ita.in fin.de manu.teſt.* ſtatim poſt mortem liber eſt. Cuius conſuetudinis loquendi ratio eſt, quia tempus conceſſionis vſque ad extremum diem, quo negotium explicari poteſt, pro vno habetur: vnde quicquid citra extremum diem factum eſt, intra illud tempus factum dicitur. In hac ergo verborum conceptione, intra diem mortis, dubium non eſt, quin etiam dies, quo quis moritur, comprenſus ſit, perinde ac ſi in diem mortis dictum eſſet, præpoſitio enim iſta accuſatiuo iuncta, etiam pro vſque accipitur, vt in diem interpretemur: vſque ad diem: quod & ſupra ex Grammaticis adnotauimus *l.notionem.in fin.ſ.eod.* Quapropter qui intra Calendas pronuntiare iuſſus eſt, Calendis ipſis rectè atque ordine pronuntiaturus eſt.

Fiat. ¶ Si ergo Titio legauero, vt intra diem mortis ſuæ mihi monumentum ſuis ſumptibus faciat, etiam Titio defuncto, dum eadem die fiat, legatum debebitur: idque Accurſ. probat, quoniam id factum eius naturæ eſt, vt per alium explicari poſſit *l.1.§.ne autem.C.de cad.toll.*

BRECHÆVS.

SI QVIS. ¶ Si redemptor operis publici aut alterius cuiuſlibet priuati, ita ſtipulatus ſit: Promitto me rem ſic curaturum, vt opus ædificij intra diem mortis patris tui perficiatur. videtur ſanè promiſſum penitus exoluiſſe, ſi eo ipſo die quo deceſſit pater, opus perfectum fuerit, etiam ſi à morte patris peractum ſit. Quandoquidem hæc dictio, [intra,] cùm & ad numerum & ad ſpatium referatur, teſte Valla *lib.2.elegan.cap.53.* includit totum ipſum ſpatium, atque extremum numeri, Vt ſi dicamus, intra viginti dies: etiam vigeſimus totus comprehenditur. Quod etiam per præpoſitionem, [in,] cùm ablatiuo eodem ſenſu Latini ponunt: vt Sueton. *in Auguſto.* Ex ea continuo enata ſoboles adeò in paucis diebus adoleuit, vt non æquipararet modò matrem, verumetiam obtegeret, id eſt, intra paucos dies. Itaque cum dicimus intra decimum diem, intelligimus in decem diebus aliquid factum, vt decimus dies integrè concludatur. Vlpianus *in l.1.§.ſi intra.ff.de ſucceſſ.edict.* Si intra centeſimum diem, inquit, mortuus ſit prior, ſtatim ſequens admitti poteſt. Quod dicimus, intra diem centeſimum bonorum poſſeſſionem peti poſſe, ita intelligendum eſt, vt ipſo die centeſimo bonorum poſſeſſio peti poſſit: quemadmodum intra Calendas, & ipſæ Calendæ ſint: idem eſt & ſi in diebus centum dicatur. Eo modo, ſi intra diem vel in diem quicquam promiſſum eſt, non poteſt id quod promiſſum erit prius peti quàm is dies præterierit, vt *in §.omnis ſtipulatio. inſtit.de verb.oblig.* Et ſi quis facturum ſe aliquid recipiat aut ædificaturum intra ſuburbia Saſymphoriana ad ciuitatem noſtram Turonenſem, cenſetur comprehendiſſe quæcunque extrema ſeptáque ſuburbiorum: vt ſi etiam in ipſo fine ædificet, videatur promiſſum exoluiſſe: habet enim (vt dictum eſt) hæc præpoſitio, [intra,] incluſionem. Sic Græci ἐντὸς βελῶν ᾖ. Intra teli iactum eſſe dicunt. De hac dictione, [intra,] vide in *l. ex facto.§.item quæro.de vulg.& pupill.ſubſtitut.& l.ſi ſtipulatus fuero decem.ff.de verb.oblig.* Præterea & qualiter, à, ab, ad, præpoſitiones ſint incluſiuæ, vt ſi dicas, vendo tibi fundum à tali loco, vſque ad eum locum, vide *Bald.in l.à caligato.C.de nupt.*

FORNERIVS.

SI QVIS. ¶ Proximè ad ſuperioris capitis argumentum accedit locus hic latiſſimè patens: ſi quid intra diem mortis fieri debeat, ipſe quoque dies mortis ea clauſula continetur: intra diem quid facere, dare, præſtare, reſtituere iuſſo totum illud medij temporis ſpatium efficiundo negotio, parandæ ſolutioni liberum relinquitur: ſiue de iudiciis, arbitriis, conuentionibus, ſtipulationibus agatur *l.38.ſtipulatio iſta.§.inter.l.99.quicquid.de verb.oblig.l.7.ſi ipſe.rem rat.hab. l.16.ſi ita ſi. de man. teſt.l.vlt.C.de poſthum.her.l.vnic.§.exactia.C.de rei vx.act.l.40.arbiter Calendis.l.42.arbiter intra.de re-*

cept

cept.arb. Adeò vt debitor ante extremum anni diem non ſit in mora: neque antè à creditore conueniri poſſit. Stipulanti promiſi, aut damnatus ſum dare hoc anno, poſſum quolibet anni die dare. *l.50. quod quis.ff.de obl.& act.* Spurina aruſpex a Iulio Cæſare irriſus, qualíque falſus argueretur, quòd ſine vlla noxa Idus Martiæ adeſſent, dixit veniſſe eas quidem, ſed non præteriiſſe. Suetonius. ¶ Verùm hic diſpiciendum eſt, verùm differendæ obligationis gratia dies apponatur: quod regulariter definitur. *l.17.cùm tempus.ff.eo.ſeq.* ante euentum diei non rectè agitur. *l. 42. qui hoc anno. l. 138. eum qui certarum.de verb.obl. l.49.ſi in annos.de cond.& dem.* An verò ſiniendæ demonſtrandæque obligationis cauſa tempus inſeratur, præſens cenſebitur, ſtatimque petitio naſcitur. *l.118. liber. §.decem.l.41. eum.§.qui ita.de verb.oblig.* Nonnihil quod huc conferat, addere inſtitui, *ad l.213.diem cedere.ff.h.tit.* [Ipſe quoque dies.] ¶ Tota igitur dies explicandæ ſolutioni, reique tranſigendæ permittitur. Intra Calendas & ipſæ Calendæ ſunt. *l.1.§.ſi intra.de ſucceſſ.ed.* At quid ſi quis ſic, [Si intra horam mortis, vel eo ipſo momento quo moriar, dixerit?] Ipſum moriendi momentum vitæ adſcribetur. *l. 42. Seia ſin.de mort.cauſ.don.* A. Gellius *lib.6.cap.13.* Caſſiodorus *de anima.* [Mors ſi non ſemel tota eſt, non eſt: Si quid animæ remanſerit, vita eſt. Non magis miſcebitur vitæ mors quàm diei nox.] M. Antoninus Imp. *initio lib.6.* τῶν εἰς ἑαυτὸν. mortem eſſe vnam actionum quæ ad vitam referantur, ſtatuit: μία γὰρ τῶν βιωτικῶν πράξεων καὶ αὐτὴ ἐστι, καθ' ἣν ἀποθνήσκομεν. Lactantius *lib.3.cap.17.* Epicurum refellens. [At idem, inquit, nos liberat metu mortis. Quando nos ſumus, mors non eſt: quando nos non ſumus, mors eſt. mors ergo nihil ad nos. Quàm argute nos fefellit: quaſi verò tranſacta mors timeatur: quia iam ſenſus ereptus eſt, ac non ipſum mori, quo ſenſus eripitur. Eſt enim tempus aliquod, quo nos iam non ſumus, & mors tamen nondum eſt: idque ipſum videtur miſerum eſſe, cum & mors eſſe incipit, & nos eſſe deſinimus.] Ergo illud ipſum quo animam agimus, momentum vitæ, non morti tribuitur. Quod pluribus exemplis illuſtrare ſuperſedeo, memor Cuiacianæ *diſputationis lib.3.cap.34. obſeruat.* [Aliquid fiat.] ¶ Quid ſi ne fiat? Nam faciendi verbo, & non factum, ceſſatióque continetur. *l. 12. non diſtinguemus. ff. de recept.arb. l.121. qui non facit.ff.h.t.* diſſeremus. Quid ſi ego monumentum tibi antequam moriar extruere iuſſus, morte excluſus non fecero ipſe: verùm vicaria amici hedediſve opera, eo quo ob ij die opus abſoluatur? Accurſiana placet diſtinctio. Si quidem res æque commodè ab alio explicari poſſit, ſolóque ſumptu indigeat. præcepto paritum videbitur. *l.11. fideicommiſſa.§.vlt. de leg.3.* Si verò ſingularis alicuius induſtria ſpectata ſit & electa: non videtur idem artifex. *l.vn.C.de cad. toll.* Ariſtoteles *lib.1. Politic.* εἰσὶ γὰρ ἑτέρων τὰ μὲν ἐντιμότερα ἔργα, τὰ δὲ ἀναγκαιότερα· καὶ κατὰ τὴν παροιμίαν, δοῦλος πρὸ δούλου, δεσπότης πρὸ δεσπότου. [Longáque inter artifices differentia eſt, & ingenij & naturæ & doctrinæ & inſtitutionis, inquit Vlpianus *l.31.inter. de ſolut.* Sanè quod aſſiduè in ore formulariorum forenſium verſatur [diem termini in ipſo termino computari] non hodiernum heſternúmve dicterium, ſed ex iuris fontibus hauſtum eſt. In ſexaginta diebus accuſationis adulterij, qui a diuortio incipiunt, & ipſe ſexageſimus dies computatur. *l.30. pater. ff.ad legem Iul.de adult.* Et bonorum poſſeſſio (cui petendæ centum dies præfiniuntur) ipſo centeſimo die peti poteſt. Quemadmodum intra Calendas etiam ipſe Calendæ ſunt. *l. s. de ſucceſſ. edict.* Qui iubetur intra Calendas pronuntiare, is & ante Calendas, & ipſis Calendis pronuntiare poteſt. Neque id fit quaſi quodam priuilegio inſcitæ conſuetudinis: ſed certa rationis obſeruatione: [Cùm omne tempus, quod Calendarum die includitur intra Calendas eſſe rectè dicitur.] Aulus Gellius *lib.12.cap.13.* Idem de excuſationibus tutorum intra trigeſimum diem proponendis. *l.vlt.de tut.& cur.dat.ab his.* & in redhibitoriis actionibus *l.31.quod ſi nolit.§.ſi quid ita.de adil.edict.*

CXXXIIII. PAVLVS lib. ij. ad legem Iuliam & Papiam.

ANNICVLVS non ſtatim vt natus eſt, ſed trecenſimo ſexagenſimoquinto die dicitur, incipiente planè, non exacto die: quia annum ciuiliter, non ad momenta temporum, ſed ad dies numeramus.

ALCIATVS.

ANNICVLVS. ¶ Quoties in lege certi anni mentio habetur, intelligimus de perfecto, qui 365. dierum eſt: nec ideò minùs perfectus eſt, quòd vltimus dies nondum ſit exactus, cùm ſatis ſit eſſe cœptum. idque in his, quæ fauorem reſpiciunt, vt in vſucapionibus. *l.& ideo.de vſucap.* in teſtamentis, in libertatibus. *l.qua ætate.de teſtam.* Quod ſi de re odioſa agatur, de momento ad momentum fit computatio. Hinc eſt, quòd qui vltimo die vigeſimiquinti anni contraxit, & læſus eſt, in integrum reſtituetur. *l.3.§.minorem.de min.* Idem & in præſcriptionibus *l.in omnibus.de actio.& obligat.* Quandoque etiam fit latiſſima interpretatio, & ſatis eſt cœptum fuiſſe annum, vt eſt in municipalibus muneribus, quæ curam Reipublicæ non expoſcant. *l.ad Rempubl.de municip.* Idem ſi verba hoc inferant, veluti ſi ſcriptum ſit, in vigeſimo anno licere aliquem ad ſacros ordines promoueri. *Clem. ſi.de ætate & qualitat.vbi Cardin.* ſufficiet enim vigeſimum annum eſſe cœptum. Idem ſi intra vigeſimum dicatur. *l.qui filium.§.fin.ad Trebell.* vel (quod fermè idem eſt, vt Aulus Gellius *lib.12.c.13.* tradit) ante vigeſimum: hæc enim verba magis initium, quàm finem reſpiciunt.

Non exacto. ¶ Id eſt, perfecto, & ſubauditur taxatiua: qui modus loquendi Iuriſconſultis eſt frequens. *l.fin. de adil.edict.* vt cùm dicitur, veteratorem non ex tempore, ſed ex genere, & cauſa æſtimandum. Item, domus appellatione non proprietatem, ſed domicilium contineri. *l.lex Cornelia.§.domum. de iniur.* interpretabimur enim, non ex tempore tantùm & non proprietatem tantùm: & id,

quoniam

quoniam ſubiecta materia hoc indicat: alioquin certum eſt, ſi quis debere ſe quinque dicat, tum quoque taxatiuam ſubinduci, quod omnes ferè admittunt. *l.rogaſti.ᷓ.ſi cert.pet.* Eadem ratione hic intelligemus, non tantùm exacto, ſed etiam incipiente die.

Ciuiliter. ¶ Secundum iura ciuilia: nam naturaliter vltimus dies integer anno accedere deberet, præterea quadrans, hoc eſt, ſex horæ: vnde inſtitutus ſingulis quibuſque quadriennijs eſt biſſextus.

BRECHÆVS.

ANNICVLVS. ¶ Diem in naturalem & ciuilem diſtingui, ac quæ ſit vtriuſque ſignificatio, luculenter traditum eſt à nobis in *l.2.§.cuiuſque dies.ᷓ.hoc tit.& in l.cùm Biſſextus.* Paulus autem hoc loco nihil aliud volt intelligi, quam cùm anni ſit aliqua mentio, maximè in his quæ ad fauorem pertinent, vt de eo anno qui trecenteſimo ſexageſimo quinto die perficitur, accipiatur, eóque non exacto, ſed tantum incipiente: idq́ue vulgari loquendi conſuetudine, & ciuili interpretatione, ad quam reuocandæ ſunt omnes leges ciuiles, ſcita, plebiſcita, & conſtitutiones vulgari oratione ſcriptæ: niſi aliud nominatim cautum ſit quod vulgaris ſermonis ſignificationi aduerſetur. Ciuiles autem leges & conſtitutiones voco, quæ ciuitatis alicuius ergo latæ ac promulgatæ ſunt: & eo quidem idiomate quo in ea ipſa ciuitate vulgò conſuetum eſt vti. Quare hic Paulus dixit annum ciuiliter, non ad momenta temporum, ſed ad dies numerari, id eſt, ciuili obſeruatione, dies per momenta & minutias non ſolet diuidi & computari: ſed totus & ſolidus, tanquam quid vnum & indiuiduum conſideratur. ¶ Dicitur itaque anniculus, ait Connanus *lib.3.Comment.iur.ciuil.cap.12.* quis ſtatim, ac ipſi illuxit vltimus anni dies, etiam ſi nondum eſt completus. Rurſus toto illo die anniculus eſt, vſque ad primum diei ſequentis momentum, quo incipiente demum & ipſe incipit eſſe maior anniculo. Vt natus hora ſexta matutina Calend. Ianuariarum, anniculus erit hora ſexta matutina Calen. Ianuariarum elapſo anno. Tunc momenta temporis in anniculo conſiderari dicuntur: ſed hæc ad naturalis curſus rationem pertinent. At vulgaris loquendi conſuetudo aliud ſuadet, quæ anni curriculum non momentis, ſed diebus, & hominum ætates non horis ſed diebus & menſibus anniſve definire conſueuit. Satis eſt igitur ſi vltimum anni diem quis attigerit, vt anniculus dicatur, etiam ſi non exactus ſit dies, ſed inceptus tantùm. Exactum autem diem hoc loco accipit Paulus, quum omnino actus eſt, ac ſuis horis & momentis abſolutus, atque ita effluxit & pertranſijt, vt iam ſequens incipiat. Nam hoc ipſum, aliquando verbum exigere, ſignificat, & extra agere. Vnde Cicero dixit, diem exigere, pro tranſigere & conſumere. Et Terentius *in Heauton.* Quo ſtudio, inquit, vitam ſuam te abſente exegerit, id eſt, traduxerit. Exigere, ait Donatus ſignificat traducere, expellere & finire: ego addo & perficere vt exigere vitam & annos, exigere fabulam, exigere opus. Plinius ſecundus *lib.7.Epiſt.ad Calphurniam ſuam.* Inde eſt, inquit, quòd magnam partem noctium in imagine tua vigilem exigo, id eſt traduco & conſumo. ¶ Vt igitur hoc Pauli caput intelligas, diſtinguendus erit annus ciuilis à naturali: cum naturalem, naturaliter, id eſt à momento in momentum ciuilem ciuiliter, id eſt vt vulgus hominum & appellare & loqui ſolet, accipi oporteat. Etenim in vſucapionibus, non à momento ad momentum, ſed tantùm poſtremum diem computamus, ait Vlpian. *in l.in vſucapionibus.ff.de vſucap.* Quod in actionibus temporalibus aliter obſeruatur. Sed differentiæ ratio à noſtris vulgò tradita, non ſatis conſtat: nec ea quidem Franc. Connano placet: quam etiam permultis ac elegantiſſimis argumentis oppugnat loco ſuprà citato: quo ſane loco permulta luculenter in eam rem ſcribit: videlicet, quando annus cœptus habeatur pro completo. Sed quid in minore reſtituendo, an totus dies computari debeat, an verò momentum temporis conſiderari? Et Vlpianus in *l.3.de minoribus.* In ea eſt ſententia, vt ſi nondum vigintiquinque annos compleuerit, & horæ aliquot vigeſimoquinto ipſi anno deſint, ſpectari oporteat eius temporis articulum quo natus eſt minor, & fiat à momento in momentum dinumeratio. Videto latius D. And. Tiraquellum hanc rem ampliſſimè *καὶ κατ᾽ ἀκρίβειαν*, & variè tractantem: nihil enim, quod eò ſpectat, videtur prætermittere *in tit.de vtroque retractu.§.1.glo.11.in verbo.* [*Et le iour.*] *nu.10.& deinceps.*

FORNERIVS.

ANNICVLVS. ¶ Appendix eorum quæ *cap.132. anniculus.ᷓ.h.t.* delibauimus. Anniculus puer eſt vnius anni *l.12.cum ſponſus.ᷓ.de public.in rem act.l.1.de ventr.inſpic.l.60.cum quæreretur.de leg.3.l.26.inter.de pact.dot.* Annus cum definiatur trecentis ſexaginta quinque diebus. *l.51.ita. ad leg. Aquil.l.4.de ſtatulib.* Paulus anniculum qui extremo anni die moritur, amiſſum videri ait. *d.l.132.* & quoniam annum ciuiliter diebus non religioſè ſingulis temporum momentis dimetimur, ſatis fuerit ſupremum anni, id eſt trecenteſimum ſexageſimumquintum diem attigiſſe: hic verſic. [Incipiente planè, non exacto die.] ſic interpungito, [incipiente, planè non exacto.] Gellius *lib.3.cap.16.* [Decem menſeis non incœptos, ſed exactos.] ¶ Sed videamus cur in pleriſque iuris articulis dies cœptus pro completo habeátur: contráque interdum non affectum tantùm, ſed confectum eſſe oporteat. Perobſcura, dignáque vigiliis eruditorum, nec à ſuperioris, nec huius ſeculi doctoribus neglecta quæſtio: de qua ſic ſtatuendum exiſtimo. Si quidem tempus abſciſſè definitum proponatur rerum neque huc neque illuc, vt maturiùs, tardiúſque legum, teſtamentorum, iudicum, arbitrorum, contrahentium præſcripto fiat, interpretationem deflectemus. *l.1.de manumiſſ.l.66.ſi minor. de verb. oblig.* Si verò certum non circumſcribatur tempus, Aut voluntatis coniectura ad ſuſpicandum ducimur, & quod veriſimilius eſt, ſequimur. *l.41.ſi ita.verſic.nam hoc mortuum ſenſiſſe.ᷓ.de manumiſſ.teſtam.l.74.filium.ad Sc.Treb.* Aut res qua de agitur, cauſam odio laborantem aut fauore adiuuandam continet. Priore caſu exactum tempus deſideramus: poſteriore principium diei attigiſſe ſufficiet. ¶ Vtriuſque

generis

generis exempla proferemus. Ecce cum ſit inciuile pupillorum negotia deſtitui, in odium eorum qui tutelæ munus ſubterfugiunt, ſeptuaginta annorum excuſatio, ita demum admittetur, ſi tutor eam ætatem ſuperarit. *l.2.verſ.ὑπερβεβηκέναι δὲ δεῖ τὰ ἑβδομήκοντα ἔτη. de excuſ.tut.* neque enim ingreſſi, ſed egreſſi 70. annum ab eo munere vacationem impetrant. *l.3.§. de iur. immunit. d. l. 74. qui filium ſit.* Et quoniam imbecilliori ætati multi ſtruuntur laquei. *l.1. de minor.* Caſſiodorus *lib.4. epiſt. 35.* Dion Chryſoſtomus, *περὶ ἀπιστίας, τοὺς νεωτέρους τοσούτων ἐτῶν νόμος οὐκ ἐᾷ συμβάλλειν.* Si ante 25. annum circumueniantur, reſtituuntur: ſed odio inſidiantium, Vlpianus reſpondit, in minore capto à momento in momentum tempus ſpectari. [Proinde & ſi biſſexto natus eſt, ſiue priore ſiue poſteriore die, nihil refert. Nam id biduum pro vno die habetur, & poſterior dies intercalatur.] *l.3.de minor.* Quod ſi fauori minorum tribuere malis, non aduerſabor. Nam & Alexander, legitimam ætatem interpretatur, annum vigeſimum quintum: non cœptum autem, ſed impletum, cùm de fideicommiſſi commodo agetur, expectandum. *l.pen.C.quand.dies leg.ced.* In tutela quoque finienda, quæ pubertate definit, mares non ante decimumquartum, fœminæ 12. annum expletum tutela liberantur. Vlpian. *fragm.tit.11. §.1.quib.mod.tut.finit.Inſt.* Papianus *tit.36.reſponſor.* In nuptiis quæ inter puberes Rom.12.& 14. anno exacto contrahuntur. (*§.1.de nupt.l.4.de rit.nupt.l.9.quæſitum.de ſponſal.*) idonea ſubeſt ratio, ne præmatura venere iuuenum corpora eneruentur, effœtáque euadant: aliáque non leuia feſtinationem nuptiarum incommoda conſequantur: de quibus Ariſtoteles *lib.7.politic.* Vnde poſterioribus legum conditoribus placuit longiùs ineundis nuptiis ſpatium definire. Iure Orientali, viro 15. mulieri 13. annus præſcribitur. Quod & Iuſtiniani *Nouel.*100.conſtituitur, *ἔγνωμεν γὰρ τοὺς σφόδρα τάχιστα σπεύδοντας γάμον, οὐκ ἐλάττους τῶν πεντεκαίδεκα ἐνιαυτῶν πρὸς τοῦτο ἰόντας*: id eſt, comperimus eos qui quam citiſſimè rei vxoriæ ſtudent, eò non minores quindecim annis accedere. Denique in actionum non quidem omnium, ſed temporalium præſcriptione obtinuit, vt niſi nouiſſimus dies totus compleatur, non finiatur obligatio. *l.6.in omnibus.de obl.& act.* Quæ quo ſunt breuioris æui, quicquid ipſarum vita continetur, integrum obſeruari æquius eſt. *l.2.de diuerſ.temp.præſcript.* Ex diuerſo cum reip.intereſſit teſtamenta ciuium valere. *l.1. C.de ſacroſ.eccleſ. l.5.teſtam.quemad.aper.* quæ ex naturali hominum affectione rata eſſe Cicero *lib.3. de finib.* docet. Puberes teſtamenti faciendi ius habent, mares, etſi decimumquartum non exceſſerint: fœminæ ſi 12. compleuerint. *l.5.qui teſtam.fac.poſſ.* Cur in ſexu diſcrimen? Quia quò citiùs mulier quàm vir teſtandi ius nanciſcitur, eò etiam arctiùs temporis meta concluditur. *arg.d.l.6.in omnibus.d.l.2.* Fauore quoque reip.quo pluribus ad eam regendam maturiúſque capeſſendam pateat aditus, legis annariæ, quæ minores vigintiquinque annis ad honores non admittit, ratio non exactè ad ſingula momenta exigitur: ſed annus pro pleno habetur. Quid ita? [Hoc enim, inquit Vlpianus, in honoribus fauoris cauſa conſtitutum eſt, vt pro plenis inchoatos accipiamus.] *l.8.ad remp.de mun.& hon.* Aliam rationem ſi quæras, idem cum eo facias, qui in media lucernam accendat luce. Nec diſſimilis ſequentium exemplorum cauſa. Nam alimentorum, modò dilatantur penſionis tempora, modò contrahuntur: fauore alimentariorum pubertatem ſolito longiùs producimus, vt pueri vſque ad 18. puellæ ad 14. annum alantur. Quid ita? [Et ſi generaliter, inquit Vlpianus, pubertas non ſic definiatur, tamen pietatis intuitu in ſola ſpecie alimentorum hoc tempus ætatis eſſe obſeruandum non eſt inciuile.] *l.14.Mela. de aliment. vel cib. legat.* In quibus eadem ratione & illud ſeruatur, vt cœpto tantùm anno ſolidum nihilominus annuum legatario non pro temporis rata ſoluatur. *l.5.l.22.filia.de annu.legat.* Quæ enim diarij, menſtrui, annuíve nomine, in habitationem, alimenta, veſtiaria, artificiúmve relinquuntur, ea ferè initio cuiuſque diei, menſis vel anni repræſentari oportet. *l.12.nec ſemel.quand.dies leg.ced.* Plautus Sticho, de ſeruis:

Vos meminiſtis quot Calendis petere dimenſum cibum:
Qui minus meminiſtis, quod opus ſit facto facere in ædibus.

Cur autem in alimentis præſtandis ſpectetur initium, expedita ratio, ne alioqui legatarius vento expletus eſuriat. arg. *l.vlt.C.de alim.pup.præſt.* quorum ſera poſt moram, mortémve alimentarij foret præſtatio. *l.49.ſi cui legetur.de legat.1. l.22.ſi Titio.l.26.Firmio.quando dies leg.* ¶ Pergamus ad cætera. Libertatis (qua nihil popularius) fauore, lex Ælia Sentia domino vigeſimum annum agenti ſeruum permittit manumittere: nec ſuperaſſe vigeſimum exigit: attigiſſe ſufficit: [Si ipſorum viginti annorum erit, non impeditur manumiſſio: quia de minore lex loquitur:] ſcilicet Ælia Sentia, vti indicat inſcriptio. *l.66.ſi minor.de verb.oblig.* Is autem minor non eſt, qui diem ſupremum agit anni vigeſimi. *l.1. de manumiſſ.* Et quia bono publico introducta vſucapio modum litibus imponit, certa rerum dominia efficit, ſolicitudinis ac periculi finem affert. *l.1.de vſucap.l.vlt.pro ſuo,* Cicero *pro Cæcinna*, ſummâque æquitate nititur. Theophilus *de vſucap. Inſt.* in vſucapione non à momento ad momentum, ſed totum poſtremum diem computamus: vt etiam ſi minimo momento nouiſſimi diei poſſeſſa ſit res, nihilominus expleatur vſucapio: nec totus dies ad explendum tempus exigatur. *l.6. in vſucapionibus. de vſurp. l.penult.de diuerſ. temp. præſcript.* Illud exemplum quod in cognitione Imp. tractarum Paulus refert, apertius eſt, quam vt pluribus explicetur. [SI AD ANNVM VIGESIMVM ÆTATIS motus & æquitate rei, & verbis teſtamenti.] *l.74. qui filium ſi. ad Sc. Trebell.* conferatur, & cum *l.48. non putabam. de cond.& demonſtr.* committatur. Dies fideicommiſſi non venit, cum ſextumdecimum annum ingreſſus fuiſſet is, cui erat relictum: cum ad annum ſextumdecimum perueniſſet, & cum *l.50.cum filiofam.de legat.3.* Quid multa? In legis Iuliæ Papiæ (ad quam hoc caput inſcribitur) argumento, annum ciuiliter non ad momentum temporis numerari placuit. Scilicet incurrebat in odia hominum ea lex caducis, ac fiſci compendiis ſeruiens, teſtis calamitatis imperij Romani, vt Iuſtinianus ipſe tum in Pandectarum præfatione fatetur, tum initio *l.vnic.Cod.de caduc.tollend.*

CXXXV. Vlpianvs lib. iiij ad legem Iuliam & Papiam.

QVÆRET aliquis, ſi portentoſum, vel monſtroſum, vel debile mulier ediderit, vel qualem viſu vel vagitu nouum, non humanæ figuræ, ſed alterius magis animalis quàm hominis partum: an quia enixa eſt, prodeſſe ei debeat. Et magis eſt, vt hæc quoque parentibus proſint. Nec enim eſt quod eis imputetur, quæ qualiter potuerunt, ſtatutis obtemperauerunt. Neque id quod fataliter acceſſit, matri damnum iniungere debet.

Alciatvs.

QVÆRET ALIQVIS. ¶ Monſtroſorum partuum duæ videntur in mulieribus eſſe ſpecies. Prima eſt, cùm quid aſpectu inæquale naſcitur: cùm enim ita homo à natura formatus ſit, vt ſumma ſit in eo proportio, reſpondeántque viciſſim ſingula membra, quoties aliquid deficit, vel præter cæterorum naturam augetur monſtrum eſt: vt cùm magnitudine corporis nimia, vel paruitate quis naſcitur, vt quos pumilios vocamus. Idem ſi ſuperfluis membrorum partibus, vt bicipites & trimani: vel deficientibus aliquibus, vt qui vnica tantùm manu prodeunt. vel qui ſine capite: itémque in quibus ſuo loco membra non ſunt, vt qui oculos in pectore, vel in fronte, aures ſupra tempora habent. Hos partus prouenire Empedocles exiſtimauit ex defectu vel augmento ſeminis: alij ob verſam, vel ſpiritu interceptam matricem. ¶ Alia ſpecies eſt, quàm Græci *ἑτερομορφίαν* vocant, cùm mulier partum producit, in animalis alicuius naturam deformatum, vt Minotaurus. Legitur & bellis ciuilibus Hetruſcam mulierem ſerpentem peperiſſe: nati etiam traduntur caninis capitibus quidam, alij & aſininis auribus: fuere, & qui vagientes ruderent. Traditum eſt, cùm Thales in Periandri armento ex equa natum monſtrum conſpicatus eſſet, quod pectore tenus humanam effigiem referebat, cætera beſtiam, ſubridentem admonuiſſe, ne paſtoribus quibus vxores deeſſent, vteretur. ¶ Sed Vlp. fataliter, id eſt, diuinæ voluntatis, inclinante in id præſtituta ſerie, naſci huiuſmodi naturæ ludibria exiſtimauit, cui facilè Aſtrologi conſenſuri ſunt, ex quibus Alchabitius quoſdam gradus commemorat, in quibus ſi luna ſit, dum aliquis concipitur, monſtroſum naſci opinatus eſt: quod & ex Iulio Materno cognoſcere poſſumus. Accurſ. in cogitationem mulieris cauſam refert, ſi dum initur, de aliquo animali cogitauit. Nam & Hippocrates mulierem ſuſpicione adulterij laborantem quòd marito penitus diſſimilem filium procreaſſet, hac ratione liberauit, quod in cubiculo picturam ea mulier habebat, cui ſimilem infantem pepererat: idque Hieronymus *in quæſtionibus ſuper Geneſim* refert. Quo argumento & Quintilianus matronam defendit, quæ Æthiopem eniſa erat, cùm eius coloris imagunculam in thalamo haberet. Meminit etiam non abſimilis rei D. Auguſt. *lib. de Ciuit. Dei x.* Vbi & Iacob Hebræi inuentum approbat, qui vt verſicolorem gregem haberet, in canalibus variegatas virgas ponebat, vt tales fœtus progignerentur, quales erant virgæ, quas potum ducta pecora contemplabantur, vt Geneſ. cap. 40. habetur. Quæ ratio vt quandoque vera ſit, frequentius tamen accidere vſu videmus, vt legitimos patres filij referant: alioquin qui ex adulterio concipiuntur, maritis maximè ſimiles eſſent, cùm in huiuſmodi coitu ſollicitari de mariti aduentu mulierem veriſimile ſit, & tamen experientia cognitum eſt, adulteris ſimiles eſſe adulterinos partus, quod & Plumbini dux patrum noſtrorum memoria re ipſa expertus eſt: is, cùm de ſe prægnantem concubinam crederet, inuitaſſétque ad baptiſmi ſacra quamplurimos primarios viros, ea Æthiopem peperit, coquo ſuo ſimilimum: quapropter ridiculo habitus dux, quæſtione veritatem deprendit, cuius ſententiæ fuiſſe etiam Phocylidem poëtam eius carmen indicat:

Οὐ γὰρ τίκτει παῖδας ὁμοίους μοιχικὰ λέκτρα.

Diſſimiles gignunt ſtuprata cubilia natos.

¶ Sanè hoc ſciendum, pro monſtro non haberi partum. *l. non ſunt. de ſtat. hom.* qui aliquatenus ampliora membra habet, vt qui ſenis ſunt digitis, vel tribus teſtibus, quos Græci *τριόρχεις* vocant: qualem fuiſſe Philelphum ætatis ſuæ doctiſſimum, ſed eundem libidinis indomitæ vulgò ferunt.

Vel qualem. ¶ Ratio Latini ſermonis argumento eſt corruptum eſſe locum, & inæqualem legendum videtur, & ſequalis dici poſſe, quem Græci *ἄποιον* appellant, quaſi ſine vlla qualitate dicas. Alij codices ſimpliciter, val viſu ſcriptum habent.

Brechævs.

QVÆRET ALIQVIS. ¶ Hanc l. interpretati ſumus *ſ. in l. qui mortui.* Quo loco traditum èſt à Paulo eos qui mortui naſcuntur, neque natos, neque procreatos videri: quoniam, inquit, liberi hi nunquam appellari potuerunt. Nunc autem quærit Vlp. ſi mulieri legatum ſit aliquid ea conditione, [ſi pariat] & portenſum, vel monſtroſum, partum corpore videlicet, partim ferino, partim humano, vel debilem, cum propemodum mortuus eſt, & afflictis corporis viribus, vel inæqualem, *τοῦτ' ἔστι ἀνάρμοστον*, id eſt forma corporis inepta & indecenti membrorum compoſitione, & vagitu nouum, id eſt præter naturam humani animalis & ratione præditi, quando videlicet vagiendo boat, vel hinnit, vel quid einſmodi agit, ediderit, an id prodeſſe vel obeſſe illi debeat. Et magis eſt vt non obſit: nec eſt cur hoc vitij imputari debeat parienti quæ nulla ſua culpa eiuſmodi partum contra naturam mœſta protulit, & rei nephariæ operã non dedit: ſed quia naturali quadã iniuria, cui obſiſti non potuit, idipſum accidit. ¶ At rationẽ cauſámq; qua id fiat, permulti tum antiquorũ, tum verò noſtrorum medicorum

atque Philoſophorum conati ſunt adducere:ſed nihil tandem in ea re effecerunt. Sunt enim hęc ipſa quidem abdita & prorſus hominibus incognita. Sunt inquam occultæ quædam tacitæque rebus vires quæ naturæ limitibus continentur, ſed penitus abſtruſæ, hominúmque ſenſum fugientes. Quocirca ridendi ſunt planè Pythagoræi qui ſuo triangulo, & acnra numerorum ſupputatione ſe confidenter explicaturos aſſerebant, quid cauſæ eſſet cur partus ἑπταμηνιαῖοι potius quam ὀκταμηνιαῖοι vitales eſſent:& qui octauo ederentur menſe, aut ſtatim mori contingeret, aut eorum matres ἀμβλῶσαι,& abortiri. Quod Hippocrat. placuit *in lib.* περὶ τροφῆς à Gellio laudato *lib.3. Noct.attic.c.16.* Et hoc quidem Hippocratis exemplo, Paulus Iureconſultus exiſtimauit perfectum eſſe legitimúmque partum ἑπταμηνιαῖον, & eum qui ſeptimo naſceretur menſe. *l.ſeptimo menſe.ff.de ſtatu homin.* Eiuſmodi fuit partus Ipthimes vxoris Sthenelæi perſeiadæ, quæ Euriſtæum dilectum filium quem ventre geſtaret, edidit menſe ſeptimo abortiuum, cùm Iuno Alcmenæ partum prohibuiſſet, vt eſt apud Homerum *lib.19. Iliad.* his verbis,

> Ἡ δ' ἐκύει φίλον υἱόν, ὁ δ' ἕβδομος ἑστήκει μείς,
> Ἐκ δ' ἄγαγε προφόωσδε, καὶ ἠλιτόμηνον ἐόντα.
> Ἀλκμήνης δ' ἀπέπαυσε τόκον, σχέθε δ' Εἰλειθυίας.

Vidimus & nos frequenter partus ſeptimeſtres viuaciores καὶ προθυμότεροι, atque ad actiones corporis obeundas alacriores & promptiores, quàm qui nati eſſent nono menſe. Tradidit Ariſt. *lib.7.de Hiſtoria animal. cap.4.* pleróſque ex his qui menſe ſeptimo naſcuntur, vitales eſſe: magna tamen ex parte infirmiores. Vnde Cicero ad *Pomponium Atticum libr.10.epiſtolarum.* Habes (inquit) cauſam opinionis meæ, & tamen velim ſcire quid cogites: imprimíſque ſi quid etiam nunc noui eſt. a vij. Calendarum Iunij Tullia mea pepetit puerum, ἑπταμηνιαῖον ἐν τόκῳ. Quod quidem eſt natum, perimbecillum eſt. Octauo, & quarto menſe nati, frequentius intereunt, & vix ad ætatem perueniunt: præterquàm in terra Ægypto (ait ipſe Ariſt. *loco ſupra commemorato*) & quibuſdam aliis locis vbi mulieres fœcundiores ſunt, multóſque ſimul & ferunt & pariunt, etiam ſi monſtroſi ſint. Sed locis Græciæ multi intereunt, nec niſi perpauci ſeruantur. Vnde fit, vt ſi quis ſeruetur, non octauo menſe natus exiſtimetur: ſed mulierem ſui conceptus initium latuiſſe. Infeſtantur maximè mulieres menſe quarto octauoque: & ſi vel quarto vel octauo fœtus perierit, ipſæ quoque magna ex parte intereunt. Itaque fit ne ſolùm menſe octauo nati non viuant, ſed etiam ipſis emortuis, periculum quæ pariunt, ſubeant. Scribit Plin. *natur. Hiſtor.lib.7.cap.5.* tranſlatitium eſſe in Ægypto, & octauo gigni: iam quidem (ait) & in Italia tales partus eſſe vitales. Quarto autem & eodem octauo menſe, lethales in iis abortus. Cæterùm, vt hoc loci omnia quæ ad rem propoſitam pertinent, diſcutiamus. Paulus, vt arbitror, videtur appellaſſe partus portentoſos vel monſtroſos, qui contra humani generis formam editi ſunt, cuiuſmodi Vlpianus ꝟ *in l.oſtentum.* definiuit. Et tradidit Plinius *libro ſupra citato, cap.3.* gigni partus vtriuſque ſexus, quos hermaphroditos vocamus, olim Androgynos vocatos, & in prodigiis habitos: alioſque monſtroſos, quos eodem loco ipſe commemorat. Ferè autem portentoſum eſſe quod vltra tres vno partu naſcantur, Caius ſcripſit *in l. vtrùm ita.ff.de reb.dub.*

FORNERIVS.

QVÆRET. ¶ Multò commodiùs ex cuiuſque legis ratione atque argumento, quàm ab aliorum ſcriptorum ſcriptis vera verborum iuris interpretatio hauriatur. Si quidem de legitimis heredibus ac ſuccedendi iure ageretur, liberi contra naturæ formam editi, quia prodigiis & monſtris ſimiles eſſent, non haberentur numero liberorum. *l.14.non ſunt.* ꝟ*.de ſtatu hom. l.12.quod dicitur.* ꝟ*.de lib. & poſt.* Lex Romuli vetabat, ne quis infantes triennio minores alimentis fraudaret, néue exponeret, exceptis monſtroſis, Dionyſ. Halicarn. *lib.2.* πλὴν εἴ τι γένοιτο παιδίον ἀνάπηρον ἢ τέρας εὐθὺς ἀπὸ γονῆς. Iuſtinianus, [ſi viuus in orbem totus proceſſit, ad nullum declinans monſtrum vel prodigium.] *l.3.C.de poſt.her.inſt.* Paul. *lib.4.ſenten.tit.9.* [Mulier ſi monſtroſum aliquid aut prodigioſum enixa ſit, nihil proficit. Non ſunt enim liberi, qui contra formam generis humani conuerſo more naſcuntur.] At verò ſi de parentum iure quæratur, veluti vt Latina mater ius ciuitatis Rom. vel ius trium liberorum conſequatur: vel quid ex teſtamento (quod orba non poſſet) enixa conſequatur, benignius eſt, ne quid innocenti matri culpæ adſcribatur, vt hìc dicitur. De portentis & monſtris nonnihil ad *l.38. oſtentum.* ꝟ*.h.t.* Tertul. de corona militis, [Omne quod contra naturam eſt, monſtri meretur notam, penes omnes: penes nos verò etiam elogium ſacrilegij in deum naturæ dominum & auctorem.] Verſic. ſeq. variè legitur: Alc. latini ſermonis argumento corruptum locum ſuſpicatur, ac legendum *inæqualem.* idémque monet detracta ea voce, ſimpliciter *viſu* ſcriptum inueniri. Ego verò, quod omnib. in codic. exſtat *qualem viſu* tectum, nec mutandum auſim ſacramento contendere. Am. Marcel. *lib.19* [Apud Daphnem Antiochiæ ſuburbanum, viſu relatúque horrendum natum eſt monſtrum, infans ore gemino, dentibus cum binis, barba, quatuórque oculis, & breuiſſimis duabus auriculis.] Quamquam autem membrorum inæqualitas ſpeciem mõſtri habeat: non tamen ſtatim portentum dicitur, ſi nihil ex miniſterio præſtando ſubtrahatur, mancipium extra redhibitionem eſt. *l.12. quo clauum.* ꝟ*. de ad.ed.* Illud ſanè friget, quod hìc latini ſermonis autoritatem obtendit Alc. Quaſi verò non quiduis aliud potiùs, ſi eò reuocamur, probare debeamus. Quale, inter cętera ſignificat quid magnum, qualitas pro magnitudine dicitur. Pompon. [Labeo ingenij qualitate, & fiducia doctrinæ plurima innouare inſtituit.] *l.2.de orig.iur.* Vlp. [Nec Xenia producenda ſunt ad munerum qualitatem.] *l.6.ſolent.ff. de of.procon.* quo ſenſu ab Heſych. ἡλικία exponitur, μέγεθος σώματος. Nec quod ſequitur, *vel vagitu nouum.* aliorſum accipio, quàm Seruius nouum (ad illud Virg. *Pollio & ipſe facit noua carmina.* Tum *lib.4.Æn. Quis nouus hic noſtris ſucceſſit finibus hoſpes?*) expoſuit, magnum. Caſſiod. *lib.4.epiſt.4. Nouum eſt ſub amore principis, cuſtodire modeſtiam,* i. arduum. Ita νέος Græcis. Gal. *com.in Hip.lib.1.Prorrhetici.*

Phren

Phrenetica vehementer tremētia finiuntur *νεανικῶς* interpretatur : *σφοδρῶς*, vel *ἰσχυρῶς* , id eſt vehementer. Miramur enim (vnde miriones dicti) partus eiuſmodi Am. Marcellinus, eo quem modò proferebam libro, [Naſcuntur huiuſmodi ſæpe portenta indicantia rerum variarum euentus: quæ quoniam non expiantur, vt apud veteres, publicè : inaudita prætereunt, & incognita.] ¶ Sed hæc omittamus, atque ad iuris tractationem redeamus. Eſt igitur humanius, vt mairi ad vitandam legis Iuliæ Papiæ pœnam, partus contrà formam humanam editus proſit. Quòd ea vacet culpa, ſoboli procreandæ operam dando, legi Iuliæ paruerit. Sic enim verba, [ſtatutis obtemperauerunt,] ex huiuſce capitis inſcriptione, exaudimus. Quanquam ex veteribus inſtitutis ac legibus idem caueretur. Feſtus, Vxorium pependiſſe dicitur, qui quod vxorem non habuerit, æs populo dedit. Camillus & Poſtumius Romani cenſores æra pœnæ nomine eos , qui ad ſenectutem cœlibes peruenerant , in ærarium deferre iuſſerunt. Val. Max *lib.* 2. Ea mulcta cœlibatus aut viduitatis, viduuium dicebatur, id eſt *πρόστιμον τῆς χηρείας*, vt veteres gloſſę interpretantur. Apud Lacedemones erat ſerarum nuptiarum pœna *δίκη ὀψιγαμίου*: Pollux *lib.* 3. *περὶ ἀγαμίου*. Plutarch. ſcribit, Lycurgum Lacedemoniorum principem cœlibes à theatro & gymnicorum ſpectaculo remouiſſe: & vt nudi forum circumirent inſtituiſſe. Quid, quod quęſitum aliquando, an octauo menſe infans ex vtero viuus editus, & ſtatim mortuus ius trium liberorum expleuiſſet: cum abortio quibuſdam, non partus menſis octaui intempeſtiuitas videretur? A. Gel. *libr.* 3. *c.* 16. Non abludit Tertul. de Monogamia, [Aliud eſt, ſi & apud Chriſtum legibus Iuliis agi credunt, & exiſtimant cœlibes & orbos ex teſtamento Dei ſolidum capere non poſſe.] Sanè eos qui liberos habent orbis ac cœlibibus in albo decurionum ſcribendo prælatos conſtat. *l. 9. in albo. de decur. C. lib.* 10. quaſi magis de ciuium commodis , reique publicæ ſalute laborent , qui reip. pignora reliquerint. [Sed & qui plures liberos habet in ſuo collegio primus ſententiam rogatur , cæteróſque honoris ordine præcellit.] *l. 6. ſpurij. ff. de decur.* Quid, quòd Romani Orbonam deam, orbitatis metu coluerunt? Cuius ad ędem Larium ara. Plin. *lib.* 2. *c.* 7. Arnob. *aduerſus gentes lib.* 4. [In rutela ſunt Orbonæ orbati liberis parentes.] Contrà fœcunditati ſobolis pręmia propoſita paulò mox oſtendemus, *l.* 137. *ter enixa. ff. h. t.*

CXXXVI. IDEM lib. v. ad legem Iuliam & Papiam.

GENERI appellatione & neptis, & proneptis, tam ex filio quàm ex filia editarum, cæterarúmque maritos contineri, manifeſtum eſt.

ALCIATVS.

GENERI. ¶ Generi appellatione hic traditur progeneros, & ſi qui vlteriores ſunt, contineri : quod ex proprietate ſermonis eſſe Bart. credidit *l. Gallus. §. inſtituens.* at alij contra. Ipſe ex interpretatione eſſe non ambigo, cui tamen interpretationi larga vocabuli ſignificatio, nec omninò impropria accidit: & ideo in quacunque materia hoc procedere, niſi rationis diuerſitas aliqua reddatur, quæ aliud in genero, aliud in progenero ſtatui debere appareat. Præpoſitio enim pro, in compoſitione variè accipitur: quandoq; vt ordinem quendam deſignet, qui porrò, procul-ne ſit: vt ſi pronepotem proauum, progenerum, proſocerum dicamus, quòd in gradu diſtantior nepos, auus gener, ſocer ſit. Quandoque vt improprietatem oſtendamus, eúmque qui loco alicuius habetur, vt cùm dicimus, protutorem proregem, proconſulem. *l. 1. ff. de eo qui pro tut.* Quandoque, vt extra ordinem rem geſtam denotemus. vnde Proprætor dicitur, non ſimpliciter qui loco Prætoris eſt, ſed quilibet extraordinaria prætura inſignis.

BRECHÆVS.

GENERI. ¶ Inter affinitatis nomina, quæ quidem numero octo ſunt, Gener reponitur, vt tradidit Modeſtinus *in l. non facile. de grad. affin. §. affines.* Eſt autem gener filiæ meæ maritus. At ſi filij filięue meæ filia, quæ mihi neptis eſt, Titio nupſerit, Titius gener meus appellandus erit. Et ſiquidem ipſius neptis meæ filia, quę mihi proneptis eſt, Iacobo nupſerit, gener quoque meus Iacobus cenſebitur. Quod de Nuru, id eſt filij mei vxore, ſ. eſt dictum, protendi videlicet ad pronurus & vlteriores, *in l. Nurus. ff. h. t.* idem de genero dicas.

FORNERIVS.

GENERI. ¶ Inter cætera legis Iuliæ (quæ ſobolis procreationi conſulebat) capita, de iure nuptiarum, connubiorum & affinitatis iure: illud etiam cauebatur : Vt quemadmodum cognatis aduerſus cognatos inuitis teſtimonium non denunciatur. *l. vlt. de grad. & affin. l. 4. de teſtib.* ita nec affinibus quoque , ne pietas teſtimonij dictione læderetur. Sic VViſigothorum leges libertos in ingenuos teſtimonium dicere non ſinunt. *lib. 5. tit. 7. l.* 11. & *l.* 12. Augetur igitur affinium ſignificatio. Caius *lib. 4. ad leg. Iul. & Pap.* [In legibus quibus excipitur, ne gener aut ſocer inuitus teſtimonium dicere cogeretur , generi appellatione ſponſum quoque filiæ contineri placet : item ſoceri ſponſæ patrem.] *l. 5. ff. de teſtib. l. 6. Labeo. ff. de grad.* quæ ad legem quoque Iuliam Papiam inſcribitur: vti & hoc caput: in quo generi nomen ad neptis & proneptis tam ex filio , quàm ex filia genitarum maritos producitur. Idem de nuru & pronuru *l.* 50. *nurus. ff. h. t.* ¶ Imò ſolis ſponſalibus contrahitur affinitas. Seruius rectè dicebat [ſoceri & ſocrus , generi & nurus appellationem etiam ex ſponſalibus acquiri.] *l.* 8. *Seruius. de grad.* Plautus extremo Trucul. exemplum ſuppeditat, *L. Iſthac lege filiam tuam ſponden' mihi*

Vxorem dari? Ch. Spondeo. Cal. Et ego ſpondeo idem hoc.

Ly. ô ſaluete affines mei.

Cæterarumq; maritos. ¶ Vt *γαμβρὸς* (auctore Etymol. *ἀπὸ τοῦ γάμου ὁ ζῶν*) maritum ſignificat: ſic apud nos &

gener. Scæuola, [Si inter maritum ſocerum id actum eſſet.] *l.60.creditor.§.mand.* [Téque ſibi generum Thetiis emat omnibus vndis.] nimirum à genendo. quo verbo Lucretius identidem. & Varro *lib.1.c.40. lib.2.c.2.de re ruſt.*& Vlp.vtitur. [Si qua filia mihi genitur.] *l.17. qui filiabus.de leg.1.* Iulianus. [Si quis mihi filius aut filia genitur.] *l.13.ſi is qui ducenta.de reb.dub.* Feſtus in *Genius et genialis.* Illud accedat corollarium. Quod a Conſtantino dicitur, [Affectionis eius qui nuncupatione parricidij.] *l.vn. C.de iis qui par.vel lib.oc.* ad nouercam, ſocrum, generum, ſponſum, ac ſponſam pertinere: qui ſi minus verbis, at ſententia certè legis Pompeiæ continentur. *l.3.& 4.§.ad leg.Pomp.de parricid.* Nullum ſi quidem firmius nuptiis conciliandæ amicitiæ vinculum. Herodianus *lib.1.* ὅπως τι αὐτῷ τὴν θυγατέρα, δεσμὸν εὐνοίας ἐχυρώτατον. Pacis etiam inter hoſteis ſanciendæ quaſi pignus, cum quotidianis rerum exemplis, tum Theodorici ad Transmundum Vandalorum regem legatione perſpicitur. apud Caſſiod.*lib.5.epiſt.43.*

CXXXVII. Pavlvs lib. ij. ad legem Iuliam & Papiam.

TER enixa videtur etiam, quæ trigeminos pepererit.

Alciatvs.

TER enixa. ¶ Procurabant veteres Romani, quantum poterant, vt filiis ciuitas repleretur, multáque fœcundis mulieribus præmia conſtituebant. Hinc cautum Tertylliano S.conſulto, vt quæ mulier ingenua tres liberos enixa eſſet. *§.1. Inſt.ad Sc.Tert.* filio defuncto ſuccederet: traditque Gellius profuiſſe hoc matribus, etiam ſi filij ſtatim deceſſiſſent. Lucius quoque Columella moris antiquorum fuiſſe autor eſt, vt ancillis quæ tres liberos peperiſſent, vacationem: quæ plures, libertatem concederent. Vnde fortè illa conditio in iure emanauit, Arethuſa ſi tres pepererit libera eſto. *l. Arethuſa. de ſtat. hom.* Apud Euſeb. quoque proditum eſt, matronis quæ filios progenuiſſent, lecticarum vſum, margaritarúmque permiſſum, cùm aliis eſſet lege ademptus. Opinor, & hac de re aliquid lege Papia Popæa fuiſſe conſtitutum: quapropter Tranquil.teſtatur, cùm eius legis Claudius vacationem certis ex cauſis permiſiſſet, Latinę conditionis viris ius Quiritium conceſſiſſe, fœminis verò ius quatuor liberorum. Quòd enim Romanæ mulieri priuilegium ex tribus filiis competebat, libertinæ, vel Latinæ conditionis, ex quatuor dabatur: cuius rei in Sc.Tertylliano exemplum ſumi poteſt. ¶ Hodie tamen & Honorij & Iuſtiniani conſtitutionibus extincta huiuſmodi priuilegia ſunt. *l.1.& 2.C.de inf.delib.* nihilóque differre à fœcunditate virginitatem voluerunt: quod Græcus autor Procopius admodum improbat, cauſámque euerſionis Rom.imp. inde ortam arbitratur, quòd cum homines propagationi prolis non conſulerent, infrequentiores factæ ciuitates a barbarorum ingentib. exercitibus ſe tueri nequiuerint. ¶ Igitur oſtendit hîc Iuriſc. ter enixam mulierem dici, etiam quę vno partu tres edidit: nihilque refert diuerſis temporibus, an vno vtero tres pepererit: cùm enim non eodem nixu plures infantes naſcantur, ſed vnus poſt alium, proprietas verbi hanc interpretationem neceſſariò recipit. Qua ratione ſumi hinc argumentum poteſt: ſi ei, qui tribus vulneribus aliquem affecerit, certa pœna ex lege conſtituta ſit, qui cum tridente, ſeu triſixili telo vulnerauerit, teneri. *Bar.in l.ſi.§ ... fur.caſ.* vt nihil referat, an diuerſis temporibus an eodem nixu, tres plagas incuſſerit: quod vtique crebrius receptum eſt, præterquam cùm verba legis actum percutientis reſpiciunt, vt ſi ita cõcepta ſint. Si quis ter aliquem vulnerauerit, vel ſi quis telum contorſerit: itémque ſi quis in cuiuſque crura ſagittas iecerit.

Brechævs.

TER enixa. ¶ Priuilegium quod ei mulieri quæ ter enixa eſt, conceditur, videtur ei quoque conceſſum quæ tergeminos edidit. Quoniam quæ plures vno & eodem partu profert, eoſdem non ſimul omneis ἐξ ἀθρόου & confertim, ſed alternos parit. Vide in eam rem Bart. *in l.Arethuſa. ff. de ſtat.hom.* & Alc.in hunc locum.

Fornerivs.

TER enixa. ¶ Coniugum ſterilitati pœna, fœcunditati præmium proponitur. Latini ius Quiritium liberorum procreatione conſequebantur. Vlp.*fragm.tit.3.* Liberorum multitudo cum ad munerum excuſationem proficiebat. *§.1. de excu.tut. tit.C.qui num.lib.* Tum in honoribus petendis legibus Iuliis cauebatur, vt ſinguli anni per ſingulos liberos remitterentur. *l.2.§.de min.* Sicuti cap.7. legis Iuliæ prior ex conſulibus faſces ſumendi poteſtas fiebat, non qui plures annos natus eſſet, ſed qui plures liberos quàm collega, aut in poteſtate haberet, aut bello amiſiſſet. Sed ſi par vtrique numerus liberorum eſſet, maritus, aut qui in numero maritorum eſſet, præferretur. Aul.Gellius *libro 2. cap.15.* Quinctilian.*declam.*278. [Non dubium eſt, quin ſi honores peterem, profuturus mihi tanquam filius fuerit.] Eadem lege orbæ mulieres eorum quæ teſtamento legarentur, ſemiſſe priuabantur. Nicephor.*lib.7.cap.47.* D.Ambroſ.*in cap.3.Euangel.Luc.* [Erat deforme (inquit) liberos non habere: quod etiam legum ciuilium fuit auctoritate mulctatum.] Innuit leges Iulias & Pap. Euſeb. de vita Conſtantini *libro 4.* τοὺς ἄπαιδας παλαιὸς νόμος ... τῶν γονέων ... ἐτιμωρεῖτο, ... τῶν ἀτέκνων ... νόμον, ... αὐτοὺς ζημίᾳ κολάζων. Id eſt Steriles veteri lege, eorum qui liberos ſuſtuliſſent hereditatem non capiebant: Dura lex, qua tanquam deliquiſſent orbæ plectebantur. Sublata itaque à Conſtantino, λύσας δὴ συγχωρεῖ κληρονομεῖν τοὺς προσήκοντας. *C.tit.de infirm.pœn.cœlib.* ¶ Inde quæſtiones propè innumeræ hoc tractatu dirimuntur. Ter enixa an videatur, quæ vno partu trigeminos ediderit. Quod æquius eſt: ne hereditas caduca fiat, ne mater, à ſolidi capacitate excludatur. Quid in Tertylliano Senatuſc. quo matres non aliter ius liberorum conſequuntur, nec filiis ſuccedũt, quàm ſi ter, quatérue viuos & pleni temporis pepererint: quid ſi vno partu tres filios ediderit?

Neg

Negant ter eam peperiſſe:ſed ſemel partum ſudiſſe videri,niſi forte per interualla pepererit. Paul. *lib. 4. ſent. tit. 9.* Quid ſi ancillæ libertas teſtamento,ſi treis peperiſſet,relinquatur? Conditio impleta cenſetur,ſi primo partu vnum,ſecundo duos : vel contra ſi primo duos,ſecundo geminos edat. *l. 15. Areſcuſa. l. ſeq. de ſtat. hom.* Nam & ancillarum vtero ſuum ſtatuebatur præmium. Columel. *lib. 1. de re ruſt. c. 8.* [Fœminis quoque fœcundioribus (inquit) quarum in ſobole certus fuerit numerus, honorari debet. Otium nonnunquam,& libertatem dedimus,cùm compluteis natos educaſſent. Nam cui tres erant filij , vacatio cui plures , libertas quoque contingebat. Hæc enim iuſtitia & cura patri familias multum confert augendo patrimonio.] Romuli lege qui tres liberos ſuſtuliſſet, è publico illis præbenda capiebat alimenta. Dionyſ. Halicarn. *lib. 3.* νόμος ὁ κελεύων, εἰς γίνωνται τρίδυμοι παῖδες, ἐκ τοῦ δημοσίου τὰς τροφὰς τῶν παίδων χορηγεῖσθαι. Addit, μέχρις ἥβης. vſque ad pubertatem. Sed quot nos annis eam definiemus? an ſicuti cum teſtamento in pubertatis annos alimenta relinquuntur? *l. 14. Mel. 1. 3. de alim. & cib. leg.* *Ter.* ¶ Quibuſdam gentibus numeroſam progenerandi ſobolem dedit,vt Ægyptiis & Afris, quibus gemini partus familiares ac penè ſolemnes ſunt. Sed & Italici generis eſſe velut examina fœcunditatis Albanas Curiatiæ familiæ tergeminorum matres , aut Ægyptiis quòd aqua Nilotica fœcundiores fœminas faciat : adeò vt quarundam viſcera longa ſterilitate præcluſa , ad conceptum relaxauerit : Auctor Seneca *lib. 3. nat. quæſt. c. 25.* Plin. *lib. 7. c. 3.* *Enixa.* ¶ Enixæ dicuntur fœminæ (inquit Non. Marcellus) nitendi,hoc eſt conandi & dolendi labore perfunctæ. vel ex hoc,quòd vinculis quibuſdam periculi , quibus periclitarentur , fuerint exſolutæ. Quo nomine leges Rom. mulieribus non vna in cauſa benignè ſtuduerunt:vt filiis ex Sc. Tert. ſuccederent : vt cæteris creditoribus in pignore præferrentur. Iuſtinianus, [Quis enim earum non miſereatur,propter obſequia, quæ maritis præſtant,propter partus periculum,& ipſam liberorum procreationem? *l. vltim. C. qui pot. in pign. hab.* Philo Iudæus, κύουσαι βαρυτάτοις ἄχθεσι δέκα τοὺς μῆνας πιέζονται, μέλλουσαι δὲ ἀποτίκτειν πολλάκις ὠδῖσιν αὐταῖς ἀποθνήσκουσι. Mulieres prægnantes decem ferè menſes grauiſſima ſarcina premuntur : cúmque tempus pariendi apperit,ſæpe in mediis enitendi doloribus extinguuntur. Apud Theophilum §. *ſed nos. ad Sc. Tert.* deſcribitur & partus periculũ. πρὸς τὴν φύσιν ὁρῶν καὶ πρὸς τὸν τῆς λοχείας κίνδυνον, ὡς ἐσθ' ὅτε καὶ τελευτὴν ἐπάγει. Inde latinus inſtitutionum codex Archetypus facilè emendetur : pro [puerperium & periculum] legendo, [puerperij periculum.] Euripides, ὡς τρὶς ἂν παρ' ἀσπίδα στῆναι θέλοιμ' ἂν μᾶλλον, ἢ τεκεῖν ἅπαξ. Medea apud Varronem *lib. 5. de ling. lat.* [Ter ſub armis malim vitam cernere,quam ſemel modò parere.

CXXXVIII. Idem lib. iiij. ad legem Iuliam & Papiam.

Hereditatis appellatione bonorum quoque poſſeſſio continetur.

Alciatvs.

Hereditatis. ¶ Bonorum poſſeſſio pro iure ipſo hereditario accipitur , quod cùm prætoris decreto acquiritur:vt tametſi res ipſas hereditarias poſſideamus,bonorum tamen poſſeſſionem,id eſt , ius ipſum à iudice impetrare nobis neceſſarium ſit , nihil ea ab hereditate differt , niſi quòd ſolo animo hereditas aditur:bonorum poſſeſſio, vt acquiſita videatur, ius dicentis officium requirit. Qui ergo bonorum poſſeſſionem agnouit, hereditatem habere, vel pro herede gerere,etiam propriè dicetur. *l. puberem. C. de iur. del.* ¶ Sed an bonorum poſſeſſor propriè heres appellabitur? *l. 1. ff. de bo. poſ.* & loco heredis eſſe traditum eſt. Quo fit,vt propriè heres non ſit. §. *quos autem. Inſt. de bon. poſ.* nam & prætor heredem ipſe facere non poteſt:ſed cùm omnino heredi ſubrogatus ſit,quælibet diſpoſitio de herede verba faciens, eum quoque comprendet. *l. in conditionibus. §. ſi patronus. de cond. & dem.* Quod opinor obſeruandum, etiam ſi materia odioſa pœnaliſque ſit. *Soc. l. 1. 2. not. de vulg.* quamuis quidam aliter ſentiant, eo potiſſimùm argumento, quòd in huiuſmodi materia nec pater qui iure peculij caſtrenſia filij occupat. *l. Papinianus. §. 1. de inof. teſt.* nec fideicommiſſarius pro heredib. habentur. *l. ſi ante. & ſeq. ad Sil.* Sed illi quo ad effectum ſolùm heredibus æquiparantur , bonorum poſſeſſor etiam quo ad nomen.

Brechævs.

Hereditatis. ¶ Quicquid bonorum eſt in re noſtra familiari , cuius dominium & poſſeſſionem habemus , bonorum nomine continetur. At quoniam bonorum appellatio iuris eſt , bonorum poſſeſſio,quamuis ſit ciuilis,tamen pro hereditate aliquando accipitur. ¶ Bonorum itaque poſſeſſionem definit Vlpia. *in l. 3. de bon. poſ.* eſſe ius perſequendi retinendíque patrimonij ſiue rei quæ cuiuſque,cùm is moritur,fuerit. Quam quidem definitionem doctores noſtri imperfectam eſſe tradidere,atque vt ab hereditate differret bon. poſſeſſio,ſic definiendam illi cenſuerunt, vt ſit ius prætorium ſuccedendi. Itaque hoc differt à bonorum poſſeſſione hereditas, quod obligatio ab actione. Nam ſicut obligatio eſt ius propter quod agimus dominiúmque conſequimur,& actio eſt ius quo agimus& perſequimur:ita hereditas eſt ius propter quod agimus,vt eius dominium & poſſeſſionem conſequamur. At bon. poſſeſſio eſt ius quo perſequimur ipſam hereditatem quæ nobis iure debetur. Hodie ſiquidem bonorum poſſeſſiones vel ordinariæ,vel extraordinariæ ſunt. Ordinariæ ex teſtamento,duæ, quæ certam ſedem habent & conferunt ius in proprietate & in poſſeſſione,videlicet [Contra Tabulas,& ſecundum Tabulas.] Ab inteſtato autem quatuor ſunt,ſcilicet [Vnde liberi,vnde legitimi,vnde cognati,vnde vir & vxor.] Alia præterea bonorum poſſeſſio dari ſolebat,videlicet ex lege,vel Senatuſc. vel conſtitutione:& hęc extraordinaria dicitur,& certam ſedem non habet. Quę omnia latiſſimè diſcutiuntur a Iuſtin. *Inſt. ciuil. lt. 3. ti. de bon. poſ. et l. 1. ff. de bo. poſ. ſec. tab. et contra tab.* Rurſus & bon. poſ. in edictalem, & decretalem diuiditur. Edictalis eſt quæ edicto Prætoris adinuenta, cùm ſimul ac quis mortuus eſt, ipſe Prætor eam bon. poſſeſſionem defert. *d. l. 3. §. à municipibus.* Decretalis eſt quæ

non deſertur niſi cùm fuerit decreta, vt tradidit Vlp. *in l.1.§.decretalis.ff.de ſucc.ed.* Quæ quidem bon. poſſeſ. definitiones, ac diuiſiones, non conueniunt definitioni hereditatis. Adde quòd hereditas eſt ius directum bon. poſſeſſio. vtile, & in perſona ſua competit. Quare igitur Paulus dixit hereditatis appellatiune bon. poſſeſſion. contineri. Et id ex improprio intellexiſſe, coniectandum eſt.

Fornerivs.

Hereditatis. ¶ Propriè iuris ciuilis nomen eſt hereditas, bonorum poſſeſſio honorarij Prætor bonorum quidem poſſeſſorem facere poteſt, heredem non poteſt. *§.quos autem.de bon.poſſ.* Vi tamen ipſa & effectu eadem penè ſunt. Commoda pariter ſucceſſionis & incommoda ſuſtinent. *l.1.2.et 3.ſ.de bon.poſ.l.119.hereditatis.ſ.h.t.* Vtraque vniuerſitatem iuris continet, non res ſingulares. *l.50.hereditas.de pet.her.l.24.nihil.ſ.h.t. l.208.bonorum.ĩ.h.t.* Vt inter eos quibus iure ciuili defertur hereditas, iuri accreſcendi locus eſt. *l.vn.§.his ita.C.de cad.tol. l.38.ſi duo.de acq.her. l.26.hac ſcriptura.ff.de cond.& dem.* Ita inter eos etiam qui prætorio iure ſuccedunt. *l.3.fi.et ll.ſeq.de bon.poſſ.l.12.cum duobus.princ.de bon.poſſ.cont.tab.l.1.§.ſi quis ex nepotibus.de coniung.cum emanc.lib.* Vocantur etiam ad contra tabulas bònorum poſſeſſionem liberi eo iure, eóque ordine, quo & ad ſucceſſionem iure ciuili vocarentur. In hoc denique (quod & huius capitis admonet inſcriptio) conueniunt quòd quemadmodum lege Iulia Pap. incapaces ab hereditate remouentur, ita & à bonorum poſſeſſione. Quid enim refert, qua quis ratione in fraudem fiſci capiat: Cum prætor bonorum poſſeſſorem in omni cauſa pro herede habeat? *l.117.prator.ĩ.et ſeq.* [Vbicunque lex vel ſenatus (inquit Vlp.) vel conſtitutio capere hereditatem prohibet, & bonorum poſſeſſio ceſſat.] *l.12.non eſt ambigendum.de bon.poſſ.* heredis appellatione omnes ſucceſſores continentur. *l.170.heredis.ĩ.h.t.* Quinctil. *declam.273.* [Nunc ad te tranſiit patrimonium, cœpiſti vicem habere heredis. Quid enim intereſt iure teſtamenti à defuncto veniat ad te hereditas, an lege adiuuante?] Conditio hæc [Si heres non erit] ſibi & in bonorum poſſeſſore vindicat locum: quamuis ſtrictiùs conditiones impleantur. *l.19.in conditionibus.§.pen. l.40.qui heredi. l.55.Mauius.de cond.et dem.* Mandatum de colligenda hereditate, & ad bonorum poſſeſſionem agnoſcendam producitur: quamuis exactè religioſéque mandati fines tueri oporteat. *l.25.ſi quis mihi.§.ſed quid ſi.de acq.her.* Non ſecus ac eum qui delata ſibi hereditate, bonorum poſſeſſionem agnouerit, pro herede geſſiſſe non ambigitur. *l.12.puberem.C.de iur.del.* Sicut & eum qui apud iudicem hereditatem ſe adire profitetur, bonorum poſſeſſionem periiſſe videri, Fulgoſius exiſtimat *in l.vlt.C.de ſuſt.et ſubſt.* Meritò itaque hereditatis nomine in legis Iuliæ de caducis argumento, bonorum poſſeſſionem contineri reſpondetur. Græci hoc loco, καὶ ἡ διαδοχὴ, κληρονομία λέγεται. Semper enim eodem res redit, & proſpiciendum ne mutati nominis commento in fiſci fraudem, circumueniatur legis ſententia. Qua ratione legati verbo, fideicommiſſum quoque ac mortis cauſa donationem contineri placuit. *l.87.& fideicommiſſum.de leg.3.l.35.ſenatus.de mort.cau.don.* Vtrunque caput ad legem Iuliam inſcriptum animaduertere eſt operæ pretium. Eandémque rationem *l.140.cæpiſſe.ĩ.h.t.* ſubeſſe docebimus.

CXXXIX. Vlp. lib. vij. ad legem Iuliam & Papiam.

Ædificia Romæ fieri etiam ea videntur, quæ in continentibus Romæ ædificiis fiant.

Alciatvs.

Ædificia. ¶ Cùm pop. Rom. aduerſus Antonium in Mutinę obſidione belligeranti pecuniæ deeſſent, ſcribit Dion, Senatorij ordinis viris indictum, vt quatuor obolos ſoluerent, in ſingulas quaſque tegulas ædificiorum, quæ Romæ incolerent. Idem à triumuiris compulſos ciues ait, vt ædificiorum, quę Romæ habebant, penſiones penderent: quod munus colonarium appellari à M. Cic. *ad Attic. Epiſt.lib.13.* & C. Cæſare *bel.ciuil.com.* ipſe arbitror: cuius vocis etiam *in auth. §.quidam. de non al.* mentio habetur, tametſi & columnarium legi poſſit. ¶ Igitur potuit dubitari, quæ intelligantur ædificia Romæ eſſe: & hic traditur, etiam quæ extra muros in continentibus vrbis fiunt, contineri: Roma enim mœnibus non terminatur, ſed continentibus ædificiis. Accurſ. caſum in hac l. ita fingit. Statuerunt Romani, quod qui ædificium Romæ feciſſet, ciuis Rom. haberetur. Addit Bart. talem verè & propriè ciuem eſſe: quoniam quoties lex ea confert, quæ ſolius iuris ciuilis ſunt, propriè confert, non per fictionem. Vnde cóſequens eſt, vt etiam in odioſis huiuſmodi receptitius pro ciue exiſtimetur. *l.cum ex oratione.ſ.de excuſ.tut. vbi Bald.* Ipſe in ea quoque ſpecie interpretationem hanc intellexerim, cùm cautum eſt, vt ædificia Romæ vltra certam altitudinem non erigantur. *l.1.& 2. C.de ædi.pri.* vel non deſtruantur, & ſi qua ſimilia: intelligentur enim Romæ eſſe, & quæ in ſuburbiis ſunt. Sanè (quod ad ædificantium inſtructionem attinet) Græcum elegans extat carmen:

Σώματα πολλὰ τρέφειν ϰ δώματα πολλ' ἀνεγείρειν
ἀτραπὸς εἰς πενίην ἐστὶν ἑτοιμοτάτη.
Ædificare domos, multorum & paſcere ventres,
Pauperiem miſeram prompta frequénſque via eſt.

Brechævs.

Ædificia. ¶ Continentia ciuitatis, cenſetur etiam pars ipſius ciuitatis. Qui igitur in continentibus ciuitatis ædificat, is in ciuitate ædificare dicetur. Quod reliquum eſt in hunc locum Alcia. eleganter expoſuit. Hunc tu diligenter vide: & quæ etiam ſcripta ſunt tum à nobis, tum ab ipſo Alciato *in l.2.& l.vt Alphenus ait.ſ.hoc tit.* & quod traditur *in l.qui in continentibus.ĩ.eod.*

FORNERIVS.

AEDIFICIA. ¶ Quanto nos beneficio ſingularum legum inſcriptiones affecerint, vel ea eorum, qui minùs eas tanquam ſigna notarint ineptiis experimur: Adeò cæci per denia feruntur, vt non tam fidi iuris interpretes, quàm exploratores, in ciuitate Ro. hoſpitéſque decertare videantur. Quotuſquiſque adhuc quid ædificium Romæ factum conferret, ſi vnum Accurſium omnium interpretum oculatiſſimum exceperis obſeruauit? Id verò ad legis Iul. Pap. argumentum (ad quod hæc Vlp. pertinet interpretatio) referatur. ¶ Latini ius Quiritium conſequuntur naue, piſtrino, ædificio. Vlpianus *fragm. tit. 3.* Soli autem ciues Ro. ex teſtamento capiunt. Proinde quis capax, quis incapax, quid in cauſa caduci, quando legi Papiæ locus, dignoſcitur. Romæ igitur ædificaſſe is videtur, qui in continentibus ædificarit. Nam vrbis appellatio muris, Romæ autem continentibus ædificiis definitur. *l. 2. ff. h. t.* Vt ſi ita legetur, [Penum quæ Romæ ſit:] verum quæ intra continentia, an verò ea ſola, quæ intra murum eſt legata cenſeatur? Paulus, [Et quidem vrbeis ferè omnes muro tenus finiri, Romam continentibus, & vrbem Romam æquè continentibus *l. 4. de pen. leg.* Hic quoque, quo plures ad augendam ædificúſque exornandam Romam innitarentur, continentia, ſuburbia, & *προάστεια* vrbis nomine intelligi: cohærentiáque, & adiacentia, prope eodem cenſeri iure placuit. ¶ Præſens habetur, qui in hortis eſt, & qui in hortis eſt, & qui in foro, & qui in vrbe, & in continentibus ædificiis. *l. 5. & ll. seqq. ff. de proc.* Feſtus anteurbana prædia, vrbi propinqua interpretatur, ſuburbana. Iuſtinianus *προάστεια Nouel. 7.* Veteri in lapide ita legitur, VIVVS MEMORIAM PERPETVAM HORTOS COHÆRENTES SIVE SVBVRBANVM TRADIDIT, LIB. LIBERTABVSQVE EX FAMILIA: EXCEPITQVE, NE QVIS EOS VENDERET: SED PER GENVS IPSORVM POSSESSIO DECVRRERET. De prædiis adiacentibus, id eſt propè ſitis: & adiacente inſula domini, id eſt propè coniuncta & continenti: vide *l. 1. de incend. naufrag. & ruin. l. 15. ſi finita. §. ex hoc. de damn. infect.*

§. j. PERFECISSE ædificium is videtur, qui ita conſummauit, vt iam in vſu eſſe poſſit.

ALCIATVS.

PERFECISSE. ¶ Perfectum dicitur, cui nihil addi vel minui, ſalua integritate, poteſt. *l. iuriſperitos. de excuſ. tut.* Idque propriè. Quandoque tamen ex ſubiecta materia aliter iudicamus, & perfectum ædificium interpretamur quod in tali vſu eſſe poteſt, qualem paterf. hic deſtinauit: ſicque Vlpiani verba hic accipienda ſunt: alioquin quodlibet imperfectum ædificium, aliquo in vſu eſſe poteſt. Scribit M. Vitruuius *architect. lib. 10.* Epheſi antiquam legem fuiſſe, Architectus cùm publicum opus curandum recepit, polliceatur quanto ſumptu ſit futurum: ædificio perfecto, ſi quod profeſſus eſt, omne impenſum fuerit, & vltra quartam eius partem etiam aliquid: quod prçterea excurrerit, de ſuo ſuppleat: quomodo hic accipiemus perfectum ædificium? an ſimpliciter, vt Vlpianus hic ait? minimè verò: ſed perfectum intelligemus, cùm factum eſt illud, quod fieri inter partes conuenit: ante enim, quàm res conſummationem acceperit, factum non dicitur: quæ ſi acceſſerit, non ſolùm factum, ſed etiam perfectum dicetur. ¶ Sed finge, concedit lex volenti lautè ædificare, vt vicinum ad proximæ rei venditionem cogere poſſit, an eum quoque adiuuabit, qui lautum ædificium perfecit, ſed addere illi aliquid deſiderat, puta hortum ampliare, vel impluuium? Qua in re cùm ego impeterer, negabam adiuuari: cùm enim ornatus vrbis ratione ita conſtitutum eſſet, & quò ciues ad expolienda ædificia incitarentur, in eo qui iam perfeciſſet, hæc ratio locum non habebat: nam incitandus non erat, qui iam perfeciſſet, nec volebat ædificare, qui iam çdificaiſſet: quandoquidem & modica illa ampliatio ciuitati ipſi ornamento non erat, ſed ædificium, quod ſatis iam perfectum fuerat: reſtringendúmque interpretatione decretum dicebam, quod nó ſolùm aduerſus legem ciuilem inductum erat, ſed etiam ius gentium tollebat, quod *lib. Reg. 3. c. 21.* habetur: nam & Tranquillus tradit, Auguſtum Imper. forum feciſſe anguſtius, cùm poſſeſſoribus proximas domus extorquere auſus non fuiſſet, aiebántque optimi principis Auguſti exemplum imitandum, non cuiuſuis alterius, qui eius decreti autor fuiſſet. Verùm cùm non tam iuri meo, quàm iudicibus diffiderem, tranſegi: vt veriſſimum ſit illud Heſiodi,

Μηδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτ' εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη.

Quod (vt L. Columella ait) non ſolùm de boue dicitur, ſed etiam de omnibus partibus rei familiaris: adeò refert non habere malum vicinum.

FORNERIVS.

PERFECISSE. ¶ Occurritur dubitationi, Quouis id demùm quod omnibus ſuis numeris conſtat, perfectum habeatur. *l. 1 de orig. iur.* Neque opus factum, niſi ea conſummatione abſoluatur. *l. 5. §. opere. ff. h. t.* Tamen qui vel Romæ vel in continentibus ſic ædeis parauit, vt inhabitari poſſint, Ius nihilominus ciuitatis conſequetur. Id enim humanius eſt. Alioqui ſi vel teſtamento quis, vel conuentione opus facere, veluti balineum, theatrum aut ſtadium, monumentum iuberetur, non feciſſe videretur, niſi propriam formam, quæ ex conſummatione contingit, dederit. *l. 80. ſi is qui. ad leg. Falc.* [Opus enim factum accipimus, non ſi vnum vel alterum cçmentum ſuit impoſitũ, ſed ſi (inquit Vlp.) proponatur inſtar quoddam operis, & quaſi facies quædam facti operis.] *l. ante p. de op. nou. nun.* ¶ Hic vnum id ſpectatur, an vſui eſſe poſſit ædificium. Nam cùm tenuioris fortunæ homines, lumine vnico & breui ſuppellectile contenti. *l. 6. illicitas. de offic. praſi.* abiecta tuguria ac mappalia, ſua regna ducant: cur prætoria, & luxuriem ædificiorum deſideremus? Sæpè accidit vt inſtitutum opus fieri deſi-

pat

nat. *l.15.ſemper. §.annus.ꝫ.quod vi aut clàm.* Quid, quod ædificium inchoatum fructuarius conſummare non poteſt, etiam ſi eo loco aliter vti non poſſit? niſi omnino ad fructum percipiendum neceſſarium ſit. *l.13.ſi cuius.verſ.ſed nec ædificium. l.61.vſufructuarius.de vſufruct.* Sic fit, vt in cenſenda ædificij perfecti ratione, vſum magis domini ipſius, ſi quis modo patari, poſſit: quam ſumptum, vel abſolutam omni arte ſtructuram ſpectare oporteat. Vlpianus de nimia in tectoria & picturas erogatione verba faciens. [Honeſtus modus ſeruandus eſt, inquit, non immoderata cuiuſque luxuria ſubſequenda.] *l.40.ex damni.de dam.infect.* Quanuis multa in priuatis ædificiis ad luxum, ornatúmq; (quib. frugi homines facilè careant) comparentur: de quibus Victruuius *lib.6.& 7.diſput.* & in *Grypho* Auſon.

Humana efficiunt habitacula tergeminis artes:
Pariete qui ſaxa locant, qui culmine tigna:
Et qui ſupremo fucat tectoria cultu.

CXL. Pavlvs lib. vj. ad legem Iuliam & Papiam.

CEPISSE quis intelligitur, quamuis alij acquiſiit.

Alciatvs.

CEPISSE. ¶ Cùm filio, vel ſeruo aliquid relictum eſt, & præſtitum, quanuis eius rei dominium incontinenti, in patrem, vel dominum transferatur, nihilominus ipſe filius vel ſeruus cœpiſſe videtur, qua in re potuit meritò dubitari, cùm cepiſſe non videatur, qui reſtituturus ſtatim eſt. *l.aliud.ꝫ.eod.* Sed hæc diſſimilia ſunt: pater enim vel dominus ex iure ſubiecti ſibi hominis nituntur. *l.qui hominem. §.quedam.de ſolut.* qui etiam potuit illud ius non agnoſcere. *l.cùm proponas.C.de her.inſt.* Sed is, cui quis reſtituere debet, proprio iure innititur, & vt ſibi reſtituatur actionem habet. Quanuis igitur effectum acquiſitionis attendamus, vt acquiſiuiſſe non videatur, niſi is, cui quæſitum ducat, tamen & filius vel ſeruus acquiſiuiſſe videntur: cùm tale ius ex eorum perſona conſideretur, ſicut quod pater cùm moritur, acquirit, acquiſiuiſſe videtur, quia illud in heredem transmittendi ius habet. *Bart.l.ſi.de cond.inſtit.* Idem in eo, qui incontinenti reſtituere non habet neceſſe: commoditas enim medij temporis non modici effectus eſt. *l.Sulpitius. de don.inter vir.& vxor.* Et ex his decidi poteſt quæſtio: ſi lege municipali quicunque aliquid iure contractus receperit, domino tranſlato, teneatur Reipub. vectigalis nomine decem pendere, qui recipit: ſed contractus deinde reſolutus eſt, an debeat? Et extat reſponſum, non debere. *Abb.conſi.60.in* 1. quoniam non videtur receptum quod receptum non durat. *Gloſ.c.& ſi neceſſe.extra eod.* Quod vtique verum eſt, cùm recipientis ius extinctum eſt: alioquin ſi non extinctum, ſed tranſlatum proponatur, ex hoc reſponſo receptum videtur.

Brechævs.

CEPISSE. ¶ Qui aliquid capit, idem vt ſtatim alij acquirat, is nihilominus cenſetur cepiſſe: vt filius, aut ſeruus adeuntes hereditatem. Nam quicquid acquirunt, dicuntur patri & domino acquirere. Aſt qui capit quod alij reſtituere teneatur, non dicetur cepiſſe. *l.aliud eſt.ꝫ.h.t.*

Fornerivs.

CEPISSE. ¶ In caducariis legibus (ad quas hanc quoque definitionem referendam ipſa arguit inſcriptio) non tam cui tandem acquiratur, quàm quis primùm capiendi ius habuerit, ſpectatur. Vt ecce ſoli ciues R. recte legatum, hereditatem fideiuecommiſſum capiunt delatum ſi alij quæſierint, nihil in fiſci fraudem fieri placet. Eodem ex fonte (vnde hoc caput) & alia duo eiuſdem auctoris Pauli *lib.6. ad leg.Iul.& Pap.* reſponſa docta ſunt: in quibus pariter de capace agitur. *l.35.ſenatus.verſ. In eos quos lex prohibet capere.* rurſus, *quibus capere per legem non liceret. ꝫ.de mort.cauſ.don. l.antep. verſ.ſi alter ex his capere non poteſt:* rurſus, *propter eum qui capax eſt.de liber.leg.* Terentius Clemens *lib.12.ad leg.Iul.Pap.* [In arbitrio heredis eſſe non debet, vt quandoque conditione exiſtente, neque ipſi legatario debeatur legatum, ſi tum viuat, & capere poſſit, neque & ad quem hoc commodum peruenit, ſi legatarius capere non poſſit.] *l.21.ſed quod.de lib.leg. capere*, id eſt acquirere. *l.13.non videtur cepiſſe. l.51.non videtur quiſquam. l.115.ſi quis obligatione.ꝫ.h.t.* Atqui non videtur perueniſſe, id quod quis alij reſtituere cogitur, & legum ſententia incapacium ſuppoſitione circumuenitur. Nam & per ſuppoſitam perſonam legibus fraudem fieri, leges ipſę vetant *l.18.deferre.l.45 in fraudem.§.conductor.l.46.aut ſeruur. §.quod à præſide.de iure fiſ.* Caſſiodorus *lib.9.epiſt.15.* Qui per ſe capere non poteſt, neque per alium capiet. *l.vn.C.de mul.quæ ſe prop.ſeru.iunx. Nouell.*124. qui ipſe fœnerari prohibetur, ne id quidem ei, per emiſſarium ac ſequeſtrem licebit *l.3.C.ſi cert.petat.l.33.principalibus.ꝫ.de reb.cred.* Cui non licet emere, nec adhibita alterius perſona comparabit. Vt Stolo, quum rogationem tuliſſet, ne quis pluſquam 50. iugera poſſideret: ipſe mille iugera cum emancipato fraude filio poſſidere inuentus, ſua lege damnatus eſt. Varro *li.1.c.2.de re ruſt.* T.Liu.*li.7.* Plin.*li.18.c.3.* A.Gel.*li.20.c.1.* ¶ Quid igitur refert, quis ipſe per ſe, an verò alterius opera beneficioque quid nanciſcatur? Quicquid per alium ad me peruenerit, recte id ad me perueniſſe dicitur: vt in hereditate à liberto per patronum, filiumfam, patri eius adoptiuo acquiſita reſpondetur *l.171.perueniſſe.ꝫ.h.t.* Nempe quod longa differentia ſtatuitur, vtrum legis auctoritate cuique, an ex priuatorum iudicio, conuentione vel teſtamento acquiratur. Nam quæ ciuiliter ac iure liberi parentibus, ſerui dominis acquirunt, nulla ſuſpicione laborant: Ideoque in iure accreſcendi perſona heredis inſtituti ſerui, magis quàm domini inſpicitur. *l.1.§.denique.de vſufr.accreſc. l.67.ſeruus communis.de acq.her.* Quod dicitur ſemel adeundum, in eiuſdem perſona locum habet, non cùm per alium acquiritur hereditas. *l.80.ſi ſolus.de acq.her.* His verbis. [Quiſquis mihi heres erit, impuberi heres eſto,] non omnis qui patri heres erit, ſed is tantùm qui teſta-

mento

mento ſcribetur, ideóque nec pater, qui per filium, nec dominus, qui per ſeruum exiſtet heres, ad ſubſtitutionem admittetur. *l.3. l.8. qui liberis. de vulg. & pup. ſubſt.* Ex iudicio ſcilicet teſtatoris. Vnde cùm iuris fictione pater eadem cùm filio, dominus cum ſeruo perſona cenſeatur: delata his commoda, illis ſtatim quæſita intelliguntur. *l.79. placet. de acq. her. l.34. qui hominem. §. quidam. de ſolut. & lib.* Quod contemplatione domini ſeruo, patris filio defertur, &c. *l.vlt. C. de vſufr. l.11. cùm filiofam. de leg.1.* Sanè cùm id ſtatim ab eſtraneo capace, ei qui non poterat capere, reſtituitur, tacita ſcripturæ fide fraus fiſco ſtruitur: reſcindetur. Prædonis ſi quidem loco habetur, qui tacitam fidem interpoſuerit, vt non capienti hereditatem reſtitueret. *l.46. prædonis. ff. de pet. her.* Tacitam pecuniam in Sempronij Tuditani teſtamento, eo ſenſu legimus, quo tacitum fideicommiſſum *in l.3. C. de leg. Falc. l.59. beneficio. ff. ad leg. Falc. l.23. ſi quilibet. ff. de iis quæ vt indign. l.123. Lucius. fi. de leg.1.* Tacitum id eſt fraudulentum *l.1. de delatorib. lib.10. C.* Nullam autem intelligitur fraudem legi feciſſe, qui rogatus eſt palam reſtituere *l.3. ff. de iur. fiſ.* cùm is qui capere poteſt, inſtituitur, cúmque teſtator vt deportato reſtituat, obteſtatur. Vt ecce apud Plinium *libro 5. epiſt. 7. ad Caluiſium.* reſpublica inſtitui non poteſt heres, ex reſtitutione tamen capit. Pub. Trebonius, quum per libertum, quem heredem inſtituerat, fratri proſcripto partem hereditatis reſtitui voluiſſet: Cicero C. Verrem accuſat, qui bonorum poſſeſſionem dare liberto noluerit. *3. in Verrem.* hac ratione, quia ſi quid ad deportatum perueniſſet, id non ex teſtamento, ſed ab herede ex fideicommiſſo, quod nullo iuris vinculo exſoluendæ fidei, ſed pudore tantùm continebatur. *tit. de fideicom. hered. §. qui autem. de ſing. reb. per fid. rel.* Fraude vacat, qui rogatur palàm. Qui tacitas cautiones ſectatur, inſidias legibus molitur. *d. l.3. l. vlt. de rit. nupt.* Plinium Pomp. Galla exheredato filio Aſſurio Curiano heredem reliquerat datis coheredibus, Curianus orabat, vt ſibi donaret Plinius portionem ſuam, ſéque præiudicio iuuaret, eandem tacita conuentione ſaluam illi pollicebatur. [Reſpondebam (inquit *lib.5. epiſt.1.*) non conuenire moribus meis, aliud palam, aliud agere ſecretò. Præterea non eſſe ſatis honeſtum donare & locupleti & orbo, &c.] Agnoſciſne legum Caducariarum veſtigia? Quam ille tacitam conuentionem, Tribonianus tacitam pactionem nominauit. *l. penult. de bon. libert.* Vlpianus tacitam fidem *fragm. tit.25. fin.*

CXLI. VLPIANVS lib. viij. ad legem Iuliam & Papiam.

ETIAM ea mulier cùm moreretur creditur filium habere, quæ exciſo vtero edere poſſit. Necnon etiam alio caſu mulier poteſt habere filium, quem mortis tempore non habuit: vt puta eum qui ab hoſtibus remeauit.

ALCIATVS.

ETIAM. ¶ Referuntur hìc duo exempla, quibus mater, cùm moritur, filium non habet, quem tamen poſt mortem habet. Primùm eſt, cùm ex fictione iuris habet: verè non habet qui cum execto ventre natus eſt, verè mortua matre naſcitur: ſed lex eum, qui in vtero eſt, fingit viuere. Secundum eſt è conuerſo, cùm verè filium habet, ſed lex interpretatur non habere: vt quando filius ab hoſtibus captus eſt. Hinc conſequens eſt, ſi mater aliquid ſibi filiiſque quos cùm morietur, habebit, acquiſiuerit, eos etiam contineri, qui cęſo vtero naſcuntur *l. fi. C. de ſuis & leg.* quod ex proprietate verborum non eſſe Baldus ſentit *l. cùm mater. de inoffi. teſtam.* ſed ex coniectura mentis, quæ in actu filiis ipſis fauorabili cùm primis obſeruanda eſt: cui ego facilè aſſentior. Hincque fit, vt quis fratribus inſtitutis à matre præteritus, pro inſtituto habeatur: at extraneis inſtitutis, quærelam inofficioſi teſtamenti habeat. *l. quis poſthumus. ff. de inoffic. teſtam.* Generaliter enim proditum eſt, quæcunque cæteris filiis indulgeantur, huic quoque cæſo competere, *l. quod dicitur. de lib. & poſth.*

BRECHÆVS.

ETIAM. ¶ Non videtur ea mulier abſque liberis deceſſiſſe vt præteritione rumpatur eius teſtamentum, exciſſo cuius vtero infans prodiit viuus. Quod ſi ea cùm moreretur filium ab hoſtibus captum habebat, interpretatione legis creditur non habuiſſe filium mortis ſuæ tempore. Sed ſi ab hoſtibus remeauit, habere cenſebitur. Vide in hunc locum quæ ſcripſi *in l. anniculus. §. falſum eſt. ff. hoc titulo.*

FORNERIVS.

ETIAM. ¶ Duobus modis mater tempore mortis filium habere intelligitur: & cùm exſecto vtero paris: & cùm filius poſt matris obitum poſtliminio reuertitur. Vtrúmque caſum contra ſummi iuris rationem ex æquitate inductum arguitur, tum voculis *creditur*, *etiam*, quæ productæ ſignificationis indices, quaſi auctioris interpretationis notam obtineant. *l.145. viriles. l.155. proximi. l.159. etiam. & l. ſeq. ff. h. t.* Tum quòd falſum ſit, eam peperiſſe, cui mortuæ filius exſectus ſit *l.132. anniculus. ff. h. t.* Tum quod captos ab hoſtibus fictione legis Corneliæ ipſo captiuitatis momento mortuos cenſeatur *l.1. de ſuis & legit. hered. & ſeruus l.3. ff. h. t. §. ſi ab hoſtibus. quib. mod. ius patr. poteſt. ſolu.* *Exciſo vtero.* ¶ Vnde cenſones appellantur, auctore Feſto, ex vtero matris exſecti. Plinius *lib.7. cap.9.* [Auſpicatiùs enecta matre gignuntur: Sicut Scipio Africanus prior natus primúſque Cæſarum à cęſo matris vtero dictus. Qua de cauſa & Cæſones appellati: Simili modo natus & Manlius, qui Carthaginem cum exercitu intrauit.] Edoardum 6. Anglorum regem ita natum ferunt. *Edere poſſit.* ¶ Imò infantem ediderit: ita enim Græci hunc locum conuerterunt. Δοκεῖ ἡ γυνὴ υἱὸν ἔχειν ἐν τῷ τελευτᾷν ἧς ἀνατμηθείσης ἐξῆλθε βρέφος. Ex hac definitione primùm efficitur infantem editum ad legitimam matris ſucceſſionem vocari. *l.1. §. filio. ff. ad Sc. Tertyl.* Idem & patri ſub ea conditione, ſi naſceretur, inſtitutus

tutus heres erit: præteritos teſtamentum rumpet: inofficioſi teſtamenti etiam materni querela aget. *l.12.quod dicitur.de lib.& poſt.l.6.poſthumus.§.ſimili.ff.de inoffic.teſt.l.pen.C.de poſth.her.inſtit.* cùm fratribus ad parentum ſucceſſionem admiſſus virilem partem auferet. *l.3. C.de inoffic.teſtam.* Neque enim ab aliis natis differt, neque vlla in eo culpa arguitur, ſi non declinet ad monſtrum. *d.l.pen.* ad maternorum bonorum poſſeſſionem admittetur, & hereditatem. *l.1.§.ſi qua.ff.vnde cogn.d.§.filio.* Denique ſi ex partu partus naſcatur: quamuis non niſi poſt mortem matris exſecto ventre eius extractus eſt: ſicuti matrem vſucapere licuit: ita Publiciana dabitur. *l.11.ſi ego. de publ.in rem action.* *Nec non etiam alio caſu.* ¶ id eſt ſingulari, præter communes ac vulgatas iuris regulas. Sic Vlp. [Ita erit caſus, quo fur furti agere poſſit.] *l.48.qui vas.de furt.* quæ exceptio eſt regulæ traditæ. *l.14.cum qui.* (in omnium furum perſona conſtitutum eſt: ne eius rei nomine furti agere poſſint, cuius ipſi fures ſint) *eod.titul.* *Ab hoſtibus remeanti.* ¶ Quemadmodum pater ab hoſtibus captus deſinit habere filios in poteſtate: poſtliminio verò reuerſus, tam filios, quam omnia ſui iuris in poteſtatem recipit: ac ſi nunquam ab hoſtibus captus ſit. Paulus *lib.2.ſentent.tit.25.§.ſi ab hoſtibus.quib.mod.ius patr.pot.ſolu. l.4. l.10.pater.& ſeqq.l.22.bona.de capt.& poſtlim.* Qui hoſtibus deditus, reuerſus nec à nobis receptus eſt, ciuitatem non conſequitur. *d.l.4.* Plato *lib.12.de legib.* reuertentem à captiuitate omnino excludendum cenſet. Celebratur Lacæna mulier, quæ clypeum filio in militiam proficiſcenti dabat, [Tu, inquit, fili aut hunc, aut ſuper hunc.] Autor Plutarchus: cum Sext. Empirico Pyrrhon. *hypotypoſ.lib.3.cap.24.*

CXLII. PAVLVS lib. vj. ad legem Iuliam & Papiam.

TRIPLICI modo coniunctio intelligitur: aut enim re per ſe coniunctio contingit, aut re & verbis, aut verbis tantum. NEC dubium eſt, quin coniuncti ſint, quos & nominum & rei complexus iungit: veluti, [Titius & Mæuius ex parte dimidia heredes ſunto,] vel ita [Titius Mæuiúſque heredes ſunto] vel [Titius cum Mæuio ex parte dimidia heredes ſunto.] Videamus autem ne etiamſi hos articulos detrahas, Et, Que, Cum, interdum tamen coniunctos accipi oporteat. Veluti [Lucius Titius, Publius Mæuius ex parte dimidia heredes ſunto.] vel ita [Publius Mæuius, Lucius Titius heredes ſunto. Sempronius ex parte dimidia heres eſto.] vt Titius & Mæuius veniant in partem dimidiam, & re & verbis coniuncti videantur.

[LVCIVS Titius ex parte dimidia heres eſto. Seius ex parte, qua Lucium Titium heredem inſtitui, Heres eſto. Sempronius ex parte dimidia heres eſto.] Iulianus dubitari poſſe, tres ſemiſſes facti ſint, an Titius in eundem ſemiſſem cum Caio Seio inſtitutus ſit. Sed de eo quod Sempronius quoque ex parte dimidia ſcriptus eſt, veriſimilius eſſe, in eundem ſemiſſem duos coactos, coniunctim heredes ſcriptos eſſe.

ALCIATVS.

TRIPLICI. ¶ Explicat hic Iuriſconſultus triplicem coniunctorum ſpeciem, proſequitúrque exempla coniunctorum re & verbis: quoniam cognitio quod mixtum eſt, ſimplicium accurata cognoſcitur: demum exemplum adfert, quo ex tribus coheredibus duo re coniunguntur, tertius nullo modo. ¶ Sciendum itaque coniunctos verbis dictos, quia vna ſtructura in eiuſdem rei partibus coniunguntur: vt ſi ita dixerim Titio fundum Seianum lego. Seio eundem fundum æquis portionibus. nam ſi Titius & Seius à diuerſo verbo regerentur, dubium non eſſet coniunctos non videri. Idem, ſi reſpectu diuerſarum rerum coniungerentur, vt ſi dictum eſſet, Titio fundum, & Seio centum lego. *l.huiuſmodi.§.quibus.de leg.1.* licet enim verbis copulentur, quia tamen non ad eiuſdem rei certas partes vocantur, huiuſmodi coniunctio modici effectus eſt. Quod ſi ad eandem rem, non diuiſam, ſed ſolidam à principio coniunctim aliqui vocentur, etiam re coniuncti dicuntur: vt in propoſito caſu, ſi dictum ſit, Titio & Seio fundum Seianum lego: videtur enim quilibet ad integrum fundum vocatus, vnde per concurſum partes ſibi faciunt, & altero excluſo, alter totum habet: non quia collegæ portio ſibi accreſcat, ſed iure proprio: quia cùm à principio ſolidum videatur ſibi legatum, collega non concurrente portio decreſcere non debet. In hac coniunctione, qui re & verbis connexus eſt. *l. re coniuncti. de leg.3.* cæteris præfertur: duplex enim vinculum fortius alligat. vt qui verbis tantùm iungitur, eum excludit qui ſolùm re coniunctus eſt: cùm enim verbis coniuncti ad eandem rem, licet certis portionibus vocati ſint, portionum illarum à teſtatore mentio facta videtur, reſpectu coniunctorum inter ſe, qui vnum corpus cenſentur: vnde ſi eorum aliquis excluditur, perinde cæteri admittuntur, ac ſi quò ad eum partium mentio nulla fuiſſet facta: coniunctique illi non verbis ſolùm, ſed & re forent. *l.1.§.hac ita.C.de caduc.toll.* quapropter qui re ſolùm coniungitur, ab eis excluditur. *l.planè. in prin.de leg.1.* ¶ Quę interpretatio quandoque ex aliis coniectoris ceſſat, & re coniunctus æqualiter

cum

cum cóiuncto verbis ſuccedit:veluti cùm apparet re coniunctū à teſtatore cæteris prædilectum eſſe: vt ſi quis ita ſcripſit *l. ſi ita quis. de her. inſt.* Titius heres eſto, Caius & Mæuius ex æquis partib. heredes ſunto. In hoc enim exemplo, cùm primum ſolidū Titio datum ſit, quàm Caius & Mæuius verbis coniuncti nominarentur, non videtur fuiſſe mens teſtatoris, in deficientis portione eum penitus excludi, interpretamúrque intentionis eius fuiſſe ſingulos ſeparatim inſtituere, ſed vt celerius ſcriberet, duos poſtremos coniunxiſſe: quod & Salic. probat. *l. Mæuio. de leg. 2.* Idémque ſi ſcriptum ſit, Mæuio fundi partem dimidiam, Seio partem dimidiam lego, eundem fundum Titio lego: quanuis enim Titius re coniunctus ſolùm ſit, tamen in Seij deficientis parte cum Mæuio ſuccedet, qui Mæuius ſeparatim eſt vocatus, & iuris intellectu, ſed in abſtracto tantùm coniunctus eſt.

Nec dubium. ¶ Potuit tamen dubitari, quoniam qui verbis coniunguntur, ab initio ſibi partes faciunt: qui re, per concurſum: vnde tanquam qualitates hæ inuicem aduerſarentur, non videbuntur poſſe iungi: quod falſum eſt, vt enim quis verbis coniungatur, ſatis eſt ſi nominum complexu copulatus ſit.

Veniant. ¶ Atqui cùm ſine partibus inſtituti in hoc exemplo proponantur, portio vacans etiam Sempronio accreſcere deberet, ex Seruij ſententia, qui quantum ad ius accreſcendi non eſſe coniunctos ait *l. item. §. 1. de her. inſt.* qui ſine partibus inſtituuntur: ſed intelligendus eſt Seruius in his heredibus, qui ſeparatim inſtituti ſunt: cùm enim partes expreſſæ non ſint, coniuncti re non videntur: ſed quoties verbis iuncti ſunt, non eſt dubium ius accreſcendi viciſſim eſſe. *l. heredes. §. de her. inſt.*

Videantur. ¶ Confutatur hinc aliquorum ſententia, qui exiſtimauerunt, ſi teſtator Titio & Seio leget fundum, non eſſe re coniunctos, quia per copulam ab initio videtur in viriles portiones facta diſtributio. *l. 1. C. ſi plu. vn. ſen.* quod ſi verū eſſet, Mæuius hic non coniungeretur re Titio: vnde meritò eorum opinio recepta non eſt: nam & copula ex propria natura ſolùm cóiungit, licet tacitè & per interpretationem diſtribuere viriliter cenſeatur. Sed tacitus hic intellectus in coniunctionis materia nullius conſiderationis eſt. *Bal. l. ſi fortè diuinum. C. de legat.* quippe hoc in ea potiſſimùm attendimus, an expreſsè eadem ſtructura plures vocentur, an id minus: arbitror tamen in his, quę pondere, numero, menſuráue conſiſtunt, prædicto caſu coniunctionem nullam re fieri *l. ſi mihi. de verb. obl.* cùm enim diuiſio abſque creditorum alio facto in eis protinus fiat, non videtur ſolidum ab initio vnicuique datum, ſed viriles ſolùm portiones.

Ex parte qua. ¶ Videretur his verbis partem Titij omnem adimi, & Seio dari: ſicut cùm dicimus, Quod Titio legaui, id Seio do *l. ſicut. de adim. leg.* ſed in legato aliud eſſe quidam reſponderunt: quod pleriqúe reprobant. *Bal. l. re coniuncti. 2. oppoſ.* non enim differre hac in re legata ab hereditate videntur: vnde communiter tradunt, in propoſito caſu non omne legatum transferri, ſed Titium, Seiúmq; coniungi. *in d. l. ſicut.* quod mihi à Iuriſconſulti mente abeſſe videtur: igitur forma verborum conſideranda eſt: ſi enim dixero, in qua parte Titium inſtitui, in ea Seium inſtituo. verba tranſlationem non inferunt, cùm abſurdum non ſit in eadem parte duos inſtitutos eſſe. at ſi dixero, quod Titio legaui, id Seio do, in perſona Titij ademptio neceſſariò infertur, non enim dari potuit Seio, niſi Titio auferatur. *l. Mæuius. de leg. 3.* vt enim nouum non eſt, eandem rem pluribus legari, qui per concurſum ſibi partes faciant, ita quod vni legatum eſt, alteri dari non poteſt, niſi illi adimatur: quoniam ſi per concurſum admitteretur, non haberet ſecundus, quod primo legatum eſt, ſed partem, quod contra teſtatoris verba induceretur.

Semiſſes. ¶ Et cauſa dubitationis ea relatio erat: ſi enim ad quantitatem ſimpliciter referretur, tres ſemiſſes faciendi erant: ſed magis eſt, vt ad eandem ſpeciem trahatur, ideoque cenſeatur vterq; in vnum ſemiſſem coactus, ſintque re coniuncti: addunt aliqui, etiam verbis coniunctos videri, tantámque relationis emphaſim eſſe, & quanuis duæ ſint orationes, vna videatur: quæ ſententia recepta non eſt.

Sed et. ¶ Quid ſi hæc ratio ceſſaret, vt quia Sempronius ex triente ſolùm inſtitutus eſſet? Et potarim in eundem ſemiſſem Seium nihilominus admitti. *l. Iulianus quoque. de hered. inſt.* nec enim hac ſe ratione Iulianus tuetur, ſed propter naturam relationis. Quid ſi etiam Titius in triente inſtitutus eſſet? & hoc caſu fortè à natura relationis recederemus, tum vt omnes heredes eſſent æquales, tum ne videretur teſtator de parte ſolùm hereditatis prouidiſſe.

Coniunctum. ¶ Re tantùm, vt creberrima ſe habet ſententia: tametſi Iuſtinianus huiuſmodi, qui ſolùm re coniunguntur, diſiunctos ſemper appellet. *l. 1. C. de cad. toll.*

BRECHÆVS.

TRIPLICI. ¶ Hæc lex eò ſpectat, vt ſciamus cui ex pluribus legatariis, deficientis portio accreſcit. Aut enim re coniuncti ſunt tantùm, aut verbis tantùm, aut re ſimul & verbis. Quod ipſum qualiter intelligatur, diſcutiamus. Re coniuncti videntur, quos rei eiuſdem duobus legatæ, coniungit & complectitur teſtatoris oratio. Vt ſi teſtator dicat, Fundum meum Tuſſerianum Iacobo & Carolo, do lego. Tunc cenſetur eorum quilibet ad integrum fundum vocatus: ſed concurſu partes accipiunt. Vnde altero eorum deficiente, ad alterum eius portio redit: non id quidem accreſcendi iure, ſed iure ſuo & proprio. Et hoc quidem ad omnes coniunctim inſtitutos pertinet, ſeu re & verbis coniuncti ſint, ſeu re tantùm, ſeu verbis tantùm. *l. coniunctim.* & ibidem Gloſſa *in verbo concurſu. ff. de leg. 3. & l. re coniuncti. eodem tit. l. vnica. §. his ita. C. de cad. toll.* Aliud ſi diſiunctim legatum ſit, Vt, [Titio fundum do lego, Seio fundum do lego,] quia copula Et, vel que, vel cum, addicta non eſt, coniunctim fieri legatum non dicitur. Quod ſi diſiunctim legatum ſit, an locus ſit iuri accreſcendi? Et Bart. *d. l. re coniuncti.* diſtinguit traditque referre inter legatarios quæſtio ſit, an verò inter heredes. Si inter legatarios quæſtio eſt, conſtat, inquit, non eſſe locum iuri accreſcendi, *vt de vſufruct. accreſcen. l. 1. in princ*

*princ.& l.à Proculo.de leg.*1. Si inter heredes, iterum diſtinguit, aut defunctus eſt priuatæ conditionis, aut militaris ordinis. Si priuatus eſt, locus eſt iuri accreſcendi inter diſiunctim inſtitutos. *l.heredes.ff.de hered.inſtit.* Et hac quidem ratione, ne decedat quis pro parte teſtatus, & pro parte inteſtatus. At ſi defunctus miles fuit qui potuit pro parte decedere inteſtatus, & pro parte teſtatus, aliud dicendum erit. Iam verò in coniunctis, qui re & verbis ſimul coniuncti ſunt, reliquis aliis præferuntur. Quæ omnia qualiter haberi & accipi debeant, & de tractatione coniunctorum, & iure accreſcendi, abundè copioſéque Bart.*in d.l.re coniuncti.*& Bald.*in l.1.C.quan.non pet.par.*& etiam Andr.Alc.in hunc locum tradiderunt. Otioſum quippe fuiſſet hæc eadem hoc loco recantare.

FORNERIVS.

TRIPLICI. ¶ Coniungendum hoc fragmentum *cap.89. re coniuncti.de leg.3.* Vtrunque ex diſputatione Pauli *lib.6.ad leg.Iul.Pap.* ſumptum. Ea lege, quæ cœlibes, orbi, deportati, peregrini capere ex teſtamento ciuium Rom. non poterant, fiſco cedebant. *l.51.ſi ita quis.& 10.ll.ſeqq.de leg.2.* vt ipſarum indicat inſcriptio. Inde illud paſſim, [Si quis à lege ſolidum capere non poſſit.&c. Ex aſſe inſtitutus heres. Pars vacans, Pars caduca pars deficiens.] *l.72.ſi is quis.de her.inſt.l.6.de vulg.& pup.l.62.ſi hoc.l.58.ſi ita.de cond.& dem.l.82.ſi ſeruus.de acquir.her.* Caducum fit, quod quis ſibi teſtamento relictum capere iure non poteſt: ac fiſco acquiritur. Vlpian.*fragm.tit.17.& tit.18.l.55.ſi Titio.de leg.2.l.3.de iis quæ in teſtam.del.l.vn.C.de cad.tol.l.9.cùm fiſco.ad Sc.Syll.* Gloſſatio vetere caducum exponitur, τὸ χηρεῦον εἰς τὸν φίσκον. Bona vacantia pro eodem dicuntur. *l.20.item veniunt.§.ait ſenatus.de pet.her.* quæ lege Iulia ad fiſcum pertinebant. *l.96.quidam.§.quoties.de leg.1.l.4.de fideic.liber.* librarij caducorum. *l.vlt.de iur.immun.* ¶ Sublata tandem quę caduca introduxerat lege Iulia Papia, ius accreſcendi inſtitutum. *d.l.vn.* Ius autem accreſcendi, nihil aliud, quàm ius auferendæ partis, ait Theophilus. *§.t.de exher.lib.* προσαύξησις ἢ ἐπὶ μέρους ἀφαίρεσις. ſic partem augere dixit Pompon. *l.110.ſi mihi.de verb.obl.* Exemplo incrementi quod alluuionis beneficio prædio noſtro acceſſerit. *l.30.ergo.l.56.inſula.de acq.rer.do.* Vt enim alluuione portio fundo, ſic iure accreſcendi pars deficiens alteri coaleſcit *l.33.ſi Titio.de vſufr.* Vtrobique tacita ac ſenſim, ipſo iure, ſine facto noſtro. *l.6.ſed cùm patrono.de bon.poſ.l.61.ſi minor.de acq.her.* Vtrumque inter vicinos, & coniunctos locum habet. *§.præterea quod.de rer.diuiſ.d.l.89.re coniuncti.& hic.* Denique vt alluuionis commodum pariter & incommodum ad eundem pertinet. *§.inſula.§.ſequen.de rer.diuiſ.* ita pars deficiens cum onere in inuitum tranſcribitur. *l.122.ciuitatibus.§.Lucius.de leg.1.* Nec aduerſatur exemplum Celſi, in quo filius à patre heres inſtitutus partem coheredis à quo nominatim legabatur, capiens: non præſtat legatum portione deficiente ei ſine onere, accreſcente. *l.29.pater.de leg.2.* Iure quidem id obtinuit in filio: quod Iuſtinianus abrogauit. [Fereodos non eſt, inquit, qui lucro anhelat, onus autem rei inhærens detrectat.] *d.l.vn.ſ.pro ſecundo.de cond.tol.* Onus autem pro cuiuſque rei legatæ, vel hereditariæ portionis diſtribuitur ἀναλογικῶς. ſiue in modum conditionis aut cauſæ imponatur: niſi conditio certæ perſonæ cohæreret. *l.24.legatum.de adim.leg.l.39.quæ conditio.de cond.& dem.* Et quoniam inter coniunctos tantùm locus eſt iuri accreſcendi, hic de triplici coniunctorum genere diſſeretur. *Coniunctio.* ¶ Coniuncti ſunt quibus eadem res, ſeu ſpecies eodem teſtamento relinquitur: ſi eodem iure teſtatori ſucceſſerint. Nam inter diuerſo iure ſuccedentes, vti & diſiunctos, hoc ius ceſſat. *d.l.6.ſed cum.* Si tibi Stichum, Caio rogam vel ſingulas res, vel diuiſas eiuſdem fundi partes diſtinctè legauero, nulla inter vos intercedet coniunctio. *l.84.huiuſmodi.§.pen.de leg.1.l.28.ſi ita quis.de hered.inſt.* Ex diuerſis autem teſtamentis ius coniunctionis non oritur. *l.16.ſi ſub conditione.quib.mod.vſusf.am.* Niſi de patris & filij, cui in alterum caſum ſubſtituatur, teſtamento ageretur. Ambo enim teſtamenta vnius habentur loco. *l.pen.teſtam.quemadmodum aper.l.2.§.prius.de vulg.& pup.ſubſtit.l.20.hæc ſcriptura.ſi.de cond.& dem.* Ideóque dum fundus pupillaribus tabulis mihi, iam teſtamento principali relictus, iterum legatur, coniunctos dicar, idémque partem concurſu faciam. *l.41.coheredi.§.coheres.de vulg.& pup.l.34.planè.§.ſi coniunctim.de leg.1.* Eiuſmodi autem coniunctio in tria genera diſtribuitur: Vt alij re tantùm, alij verbis tantùm, quidam & re & verbis ſimul coniungantur: de quibus ordine diſſeremus.

Re per ſe coniunctio. ¶ Re coniuncti quibus ſeparatim, diuerſis orationibus, legandi formulis, res eadem, & quidem ſolida relinquitur: ſolidum ab initio, concurſu verò parteis habent. *d.l.89.re coniuncti:* veluti [Titio fundum Cornelianum do lego. Mæuio fundum Cornelianum do lego.] Vtrique enim eadem res ſolida, nempe fundus Cornelianus, diuerſo orationis complexu, legatur. Sed eiuſmodi definitio, ne ſimplicius enunciata fucum imprudenti faciat, nonnullis cautionibus adhibitis accipiatur. Ac primùm ſi teſtatorem qui vni fundum Tuſculanum, eundem poſtea alteri leget, animum adimendi habuiſſe conſtet, coniunctio nulla erit: poſterior ſolidum fundum conſequetur. *§.1.de adem.legat.Inſt.l.5.ſ.de adim.leg.* In ambiguo, nulla prioris legati mentione habita, ſi idem iterum alteri ſeparatim legetur, ambo legatarij re coniungentur, ſibique concurſu partes facient. *d.l.89.re.l.80.coniunctim.de leg.3.d.l.vn.§.ſin autem coniunctim.C.de cad.tol.* In heredum autem inſtitutione poſteriore, etſi prioris fiat mentio: priori tamen non adimitur hereditas: ſed ambo re coniunguntur. *l.15.Iulianus.ſ.de her.inſt.& hic.* Deinde interdum in partibus legatis concurſus, interdum derogatio eſt: adempta ſolùm generis totiúſue, ſpecie vel parte. *l.41.vxorem.§.fœliciſſimo.de leg.3.l.23.cùm quæſtio.C.de legat.l.19.ſi alij.de vſufr.leg.l.pen.de vſufr.accreſc.* Tertiò nonnunquam teſtatoris rem eandem duobus legantis mentem ſic interpretamur, quaſi vni rem ſolidam, alteri ipſius æſtimationem præſtari voluerit. *l.20.ſi res.de leg.3.* Quartò interdum non tam coniunctio, quàm multiplicatio legatorum inducitur *l.12.quinquaginta.ſ.de probat.* Quo in genere alia in ſpecierum ac quantitatis, alia in vna perſona, ac in diuerſis, alia denique in contractibus ac in teſtamentis coniectura capitur. *l.34.planè.t.§.ſi eadem res.de leg.1.l.40.ſi duobus.de leg.2.* Quintò ſi eadem res à pluribus teſtatoribus relinquatur: niſi teſtamen

ſtamento patris pupillaris ſubſtitutio contineatur, coniunctio nulla inducitur *l.pen.de vſufr.accreſc. d.l.41.coheredi.§.coheres.* Poſtremò ſi ita legaretur, [Illi & illi fundum ex æqualibus portionibus do lego:] de quo paulò pòſt. Extra hos caſus re coniuncti ab initio quidem quilibet ſolidum habent: concurſu verò partes faciunt: ſiue rem alienam, ſiue ſuam teſtator legauerit. *d.l.80.coniunctiſsim.l.84. huiuſmodi.§.ſi Titio.de leg.1.d.l.vn.§.ſi verò non.§.ſin autem.C.de cad.tol.* ¶ Verbis coniuncti ſunt, quibus res eadem æquis, iiſque indiuiſis partibus, eadem oratione, eodémque ſermonis compleſu relinquitur. *d.l.84 huiuſmodi.§.quibus.d.l.89.re coniuncti.& hic.d.l.vn.§.hoc ita.* Cum Titio & Mæuio fundus Cornelianus legatur: eos non tam rei partibus aſſignatis à teſtatore diſtinctæ, quàm verborum nexus coniungit. Nec verò otioſa æqualium partium adiectio eſt: etſi partis appellatione, intelligatur dimidia, vel æqualis. *l.164.nomen.ꝟ.b.s.l.19.legata fin.de leg.1.* fruſtráque id quod tacite ineſt, exprimatur. Id enim tum admittimus, cum ex natura negotij neceſſariò ſubauditur, vt in precario libera reuocatio: in mutuò eadem bonitas. *l.12.cum precario.de precar.l.3.ſi cer.pet.* Aliter atque, ſi id quod exprimitur voluntate tantùm ineſſet. *l.30.ſalis.verſ.præſentis.de leg.1.* ¶ Multiples autem connectendæ orationis ratio, non modò his, [&, que, cum, ſimul, pariter,] cęteriſque id genus coniunctiuis voculis: ſed etiam collectiuis oſtenditur. vt in familia genere, gente, populo, legione exercitu, municipio, decuria, ſocietate. *l.76.proponebatur.ꝟ.de iudi.l.1.ꝟ.de prob.l.22.mortuo.de fideiuſſ.* Item iſtis, [quiſque, quilibet,] quæ diſtributiuæ nominantur. [Quiſquis mihi heres erit:] vel [Quicunque mihi heres erit.] Et cum æqualiter coniungantur, alter altero maiorem partem non feret. *l.vlt.C.de impub.& al.ſubſt.* [Quiſquis mihi monumentum fecerit, & Titius heredes ſunto:] duo fecerunt monumentum, duo trientes conſequentur: Titius vnum. In diſtributiuis id quidem receptum: In collectiuis verò, ſi propriis nominibus iungantur, ſecus. Plures enim eadem oratione Titio copulati, omnes vnius habebunt loco: Titius quantum illi ſimul, tantum vnus conſequetur. [Titius & fratres heredes ſunto:] ille ſemiſſem, fratres alterum ſemiſſem habebunt. *l.8.ſi pater.de vulg.& pup.l.13.interdum.princ.de her.inſt.* Accurſ.*l.44.ſi pluribus.de leg.2.* Sed videamus ne non hoc perpetuò ſeruetur: Vt ecce Imprimis, [Libertis & Seiæ alumnæ prædium do lego:] hæc quamuis nominatim vocata, cum collectis partem tantùm æqualem habebit. *l.antep.§.Lucius.de leg.2.* vel propter alienandi extra familiam prohibitionem, de qua illic: vel propter non tam coniungendi, quam exprimendi celeritatem. *l.66.ſi ita quis heredes.ꝟ.de her.inſt.* ſiue quòd Seia alumna cum manumiſſorum numero non contineretur, proprio ac ſeparato à libertis nomine deſignata diſtinguitur. Rurſus teſtator me & poſtumum heredē instituit: ſi duo pluréſve naſcantur, æquales portiones fient, eandem quam ipſe ſinguli poſtumi conſequentur. *l.5.ſi.& ll.ſeq.de reb.dub.* ſed hæc interpretatio, ex naturali patris in liberos instinctu colligitur. Præterea in *l.32.qui cum plures.de vulg.& pup.* tres inſtituūtur heredes, duo coheredes primi ſubſtituūtur pro hereditariis portionibus: iiſdémq; pòſt vnus ſubſtitutus adiicitur, ille primo herede non exiſtente, licet nominatim vocatus ſemiſſem non habebit. Hoc ideò, quòd partes æquales erant deſignatæ, teſtatoris ſubſtitutos æquare volētis animus colligitur. *l.1.C.de imp.& al.ſubſt.* Poſtremū exemplum, Titius & fratres æquè inſtituuntur: propter illud verbū [æquè] diuerſitas in Titio verbis coniuncto ferenda non videtur: vt maiorē fratribus portionē hereditatis auferat: inter quos æqualitas ſtudioſè colenda eſt. *l.17.vt liberis.C.de collat.l.3 & l.vlt.C.com.vtriuſ.iud.* Leonis *Nou.19.* Caſſiod.*lib.1.epiſt.7.*

Nec dubium eſt. ¶ Re & verbis coniuncti, quos & rei & orationis concurſus copulat. [Titio & Mæuio fundum] vel [Titio cum Mæuio fundum.] Particula enim cum, non minus iungit quam [que, & atque.] *l.36.Titia.§.nihil.de leg.1.l.7.ſi quis Attio.de vſuf.accreſ.* Item in nominibus collectiuis coniunctiu hęc mixta eſt: [Omnibus cognatis fundum lego.] Et hi propriè ſpecialitérq; quibus ab initio ſolidum, concurſu partes dantur, coniuncti nominantur. *d.l.80.coniunctiſsim.* Si modò ſine partium expreſſione coniungantur. Confuſas enim & indiſtinctas à teſtatore partes hereditatis, vel legati aſſignatas mixta hæc verborum terúmq; coniunctio deſiderat. *arg.l.3.ꝟ.quib.mod.vſuſf.amit.l.25.recte.§.Quinctus.ꝟ.h.t.l.24.quod in rerum.verſ.cum noſtra.de leg.1.* Quoties autem vnus ex coniunctis partem ſibi teſtamento delatam vel repudiat, vel capere non poteſt, ea conſortibus accreſcit. *d.l.vn.* ¶ Vnde quænam in hac oratione, [Fundum hunc & Titio & Mæuio do lego.] ſit coniunctio, quæritur. An re & verbis legatarij coniungantur, partéſve faciant, an verò ſolidum cuique legetur: Principem iurgij cauſam attulit Accurſ. in *l.vlt.de vſufr.accreſc.* Petr. Perticenſis, ſingulis in ſolidum fundū legatū negat: ſed pro virilibus tantùm, ideóq; verbis coniunctos videri, non re. In eóq; diſputat, Partions non definitis æquales intelligi. *l.43.Paulus.2.de re iud.* Plures indiſtinctè damnati aliquid ſoluere, actione iudicati pro virilibus cōueniuntur. *l.1.C.ſi plures vn.ſent.* Si duo 10. promittāt, ſinguli viriles debebunt. *l.reos.ꝟ.de duob.reis.* pluribus legato non adiectis partibus relicto, re coniuncti partes ſibi concurſu facient. *l.19.legata.ſi.de leg.1.d.l.vn.§.ſi verò.* Bart. verò diſſentit, fretus huius loci auctoritate, deinde *§.ſi eadē.de leg.inſt.* Vbi inter eos quibus verbis coniunctim res eadē relinquitur, ſcinditur legatum. Poſtremò ducto a contrariò ſenſu arg. ex *d.l.89.re coniuncti.* Si cum ita legatur. [Titio & Mæuio fundus.] non aliter quàm adiecta [Cùm æqualib. portionib.] clauſula cōiunctio fit, cōſequitur, vbicunq; partium mentio detrahitur, re non verbis eſſe cōiunctos, ne alioqui in Pauli definitione verba, *æquis portionib.* otioſa videātur. ¶ Hæc altercatio ex paruis ducta initiis, deinde ſectatores nacta, hinc pendet, an inter quouiſmodo cōiunctos deficientis partis ius accreſcendi obtineat. Ego verò ita ſtatuo, inter verbis tantùm coniunctos ceſſare, inter alios ius accreſcendi valere. Quod in ſingulis demonſtrare operæpretium eſt. In re quidē coniunctis deficientē partem collegatario accreſcere palam eſt. *l.1.§.interdum.de vſufr.accreſc.l.3.§.hoc autem.quib.mod.vſuſfr.amitt.l.26.hac ſcriptura.l.74 mulieri.de con.& de.d.l.vn.§.his ita.d.§.ſi eadem.Inſt.de leg.* De re verò verbiſq; cōiunctis, etſi pleriq; ambigant, idē planè ſentio, cū inter eos ius ſit accreſcēdi, qui ab initio quidē ſolidū, cōcurſu verò parteis obtineant. *d.l.1.§.pen.& vlt.& l.3.de vſuf.accr.* At re ac verbis coniunctis ab initio ſolidū, cōcurſu partes

habent *d.l.80.coniunctim.* Ergo inter eos ius accreſcendi eſt *d.§.ſi eadem.* vbi mixtæ coniunctionis exemplum proponitur. Idémque confirmat Vlpianus, nihil referre coniunctim an ſeparatim relinquatur *d.§.interdum.* Cum enim alter ex coniunctis, non inuenit quocum concurrat, ſolus re legata vtetur: Nam qui non admittitur ad partem, partem non facit *l.17.qui repudiantes.de inoff.teſtam.l.7.vtrum.de reb.dub.d.l.vn.§.in primo.* id eſt, in rei legatæ per concurſum diuiſione non numeratur. Partem enim facit, qui rei legatæ partem ſibi vindicans, ne ſolido legato collegatarius potiatur, impedit. Qui repudiat legatum, vel quo alio modo deficit, non admittitur ad partem, nulla eius ratione habita, ſolidum collegatarius ex teſtamento conſequetur. *l.3.§.hac autem.quemadm.vſusfr.amit. l.34. Titio & Seio.ad leg.Aquil.l.41.Mæuio fundi.de leg.2.l.30.ſi ſeparatim.de cond. & dem.l.74.ſub conditione.de her.inſtit.* Quibus in locis collegatario pars deficiens, re & verbis coniuncto accreſcit. Nimirum quia licet concurſu partes fiant, ab initio tamen ſolidum habuerunt. ¶ Sed ne quod pro arce diſputationis (inter eos demùm quibus ab initio ſolidum debetur, eſſe iuri accreſcendi locum) ſtruximus, in noſmetipſos retorqueri, noſtrámque veteribus aduerſam ſententiam conuellere ac labefacere poſſit: age expendamus num re & verbis coniuncti non ab initio ſolidum, ſed partes tantùm habere videantur. Quod Vlpianus innuit. [Nec ſolùm hi partem faciunt, inquit, in quorum perſona non conſtitit legatum:] Ac ne ipſius ſententiam captaremus, exempli appoſitione illuſtrauit. [Vtputa, ſi Titio & ſeruo proprio ſine libertate legetur.] *l.34.planè.de legat.1.* In aperto mixtæ coniunctionis exemplo, pars ſeruo proprio ſine libertate adſcripta deficiens (*l.76.ſeruus vxoris.l.89.ſi ſocius.de her.inſt. l.4.C.de legat.*) collegatario non accreſcit: Ab initio partes fieri Vlpianus ait. Alterum exemplum Iuliani: Cum Titio & Mæuio Stichus qui Titij erat, legabatur: Titij pars deficiens (quòd inutiliter ſua cuique res legetur *l.12.proprias.C.de leg.l.37.cum quis decedens.de leg.3.§.ſed & ſi rem.de leg.Inſt.*) quæ Mæuio re & verbis coniuncto deberet accreſcere, non accreſcit. Titius quamuis non admittatur ad partem, nihilominus partem facit. *l.84.huiuſmodi.§.ſi Titio.de leg.1.* Tertium, cùm duobus res eadem (quorum alter in rerum natura non eſſet) legaretur, ſocio tamen eius pars non accreſcit, ſed in hereditate manet. *l.16.ſi duobus.de leg.1.* Quartum, Titio & ei qui ex teſtamento vt deportatis capere nequit, decem legatis, quinque ſola Titio debebuntur *l.7.ſi Titio.de leg.2.* Poſtremò Scæuola, in Marcellæ vxoris perſona (cui coniunctim cum marito 15.argenti libræ legabantur,) licet mariti pars repudiatione defeciſſet, non admiſit *l.vlt.§.Seio.de leg.2.* ¶ Permira hic interpretum ab Vlp.Pauliique reſponſis excitata contentio. Hic generaliter definit, coniunctim legare, eſſe concurſu partes habere. *d.l.80.coniunctim.* Ille verò, Si coniunctim legetur, ab initio partes fieri *d.l.34.planè.* Ac vulgò quidem traditur, quoties coniunctim legatur, partes fieri: id eſt, ex poſt facto, per concurſum: Æquè id abſurdè, ac ſi diem quis noctem, & principium, finem interpretetur: Perpetuò hæc duo, *Ex poſt facto*, & *Ab initio* inuicem opponuntur. *l.29.quod initio.l.pen.ꝟ.tit.ſeq.* Nihil igitur hanc, quamuis à Baldo celebratam diſſolutionem moror. Altera Zaſij eſt *lib.1.c.18.reſponſ.* Cui (in *d.l.80.coniunctim*) tantùm de re coniunctis. At (*d.l.34.planè.*) de mixta coniunctione agi placet: Quod ſi admittimus, inter eos ius accreſcendi negabimus. *l.1.§.pen.& vlt.l.3.de vſuf.accr.* Cui tamen eſſe locum, ſuprà variis exemplis oſtendimus. Nec verò rectè Zazius re & verbis coniunctos partes ab initio habere, déq; iis ab Vlpiano agi iudicauit: refragatur Iuſtinianus, [Si ambo, inquit, peruenint ad legatum ſcinditur inter eos legatum. *d.§.ſi eadem.* Quorſum ſi ab initio ſciſſum eſt, vtroque concurrente ſcinderetur? Nihilo melius *d.l.80.* de ra tantùm coniunctis accipiendam interpretarur: Cùm eo capite Celſus de verè propriéque coniunctis loquatur: quibus ſpecialiter legati coniunctim dicatur. Re autem coniuncti minimè coniuncti, imò diſiuncti nominentur. Tertia huius nodi diſſoluendi ratio eorum eſt, qui de verbis tantùm coniunctis, partes ab initio habentibus Vlpian. agere exiſtimant. *d.l.34* Quod cum multis nominibus defendi non poteſt: tum vel maximè quod ſubiectum ab Vlpia. (*verſ.vtputa*) exemplum mixtæ coniunctioni magis conuenit. Quod vt finxeris ad verbis tantùm coniunctos pertinere, ecquid reſpondeas. *l.7.ſi Titio.& l.vlt.§.Seio.de leg.2.* Vbi etſi de re & verbis coniunctis agitur, idem tamen quod in hac ſpecie, traditur: partes ab initio fieri, nec vllũ iuri accreſcendi relinqui locum. Nec verò eſt (quia de pecunia agitur) quòd quicquam ſpecialiter reſponſum ſuſpicere: Cum idem & in *l.84.huiuſmodi.§.ſi Titio.l.16.ſi duobus.* vbi ſcyphus legatus proponitur, ſtatuatur. Niſi forte id illis in locis ſingulare dixeris: diſtinguendam eſſe partis deficientis cauſam: quæ ſcilicet, & cuius pars deficiat, pro non ſcripta habeatur: quo ſenſu, ne inter eos quidem, qui re & verbis coniunguntur, iuri accreſcendi locum eſſe fateare: vt cum ei qui in rerum natura non erat, legatur. *d.l.16.ſi duobus.* Quod veteres ſenſiſſe notat Accurſius *d.l.7.ſi Titio.* ac Duarenus *lib.1.c.12.de iur.accreſc.* Sed ipſe cum veteribus huius ſententiæ auctoribus à Paulo refellitur. Tres heredes, duo ex ſemiſſe, quorum alter iam erat mortuus, inſtituuntur: tertius ex altero ſemiſſe, deficientem mortui (quæ pro non ſcripta habetur) partem vtrique accreſcere, æquas partes coniunctos habere ait. *l.20.quo loco.de her.inſt.* Itaque inter coniunctos re & verbis etiam ius accreſcendi ſaluum eſt, quamuis alter eorum pro non ſcripto habeatur. *d.l.vn.§.in primo.* Quid igitur in tanta potiſſimùm ſententiarum varietate ſequemur? Cum plures iure veteri legandi modos fuiſſe animaduertimus, per vindicationem, damnationem, præceptionem, ſinendi modum. Vlp. *frag.tit.24.* Paul. *lib.3.ſent.tit.6.* Caius *Inſtitut.* Quibus per vindicationem legabatur, [Titio & Seio Stichum do lego:] iure ciuili concurſu partes fiebant, non concurrentis alterius pars alteri accreſcebat. De quo legandi per vindicationem modo, cum Celſum, tum cæteros iuris auctores in iis exemplis (quibus ius accreſcendi inter re & verbis coniunctos obtinere docuimus) conſultos fuiſſe exiſtimo. *d.l.80.coniunctim.l.1.§.interdum.de vſufruct.accreſc. l.3.§.hac autem.quemadm.vſusfruct.amitt. l.34.Titio.de leg.Aquil.* Quum autem plures damnationis modo [Damnas eſto heres] coniungebantur: quòd ea legandi formula, ſingulis ab initio partes datæ, non autem concurſu fieri intelligerentur, meritò inter eos ius accreſcendi negat Vlpianus. [Si

per damnationem, inquit, eadem res duobus legata ſit, ſi quidem coniunctim ſingulis partes debebuntur: & non capientis pars in hereditate remanebit.] *d. tit. 24.* At occurrat aliquis, veteréſque legandi formulas nouiſſimo ſublatas iure, nec in Pandectas relatas eſſe cauſabitur. Reſpondebo exciſas quidem, non autem radicitus euulſas. Vt qui ſyluas culturæ frugúmque cauſa eruunt, ſatis habent, ſi editos arborum truncos exſciderint: varicoſas penitus radices non euellant: quę deinde agricolis noualem proſcindere conantibus multum operæ exhibeant: Sic Tribonianus ea quidem Iureconſultorum quæ apertam veteris legandi differentiam continerent, reſponſa deleuit: nec altiùs depreſſas latentéſque reliquias ſtirpitus perſecuit: quæ nobis iura ciuilia tractantibus, veteraque nouis eniſè conciliare ſtudentibus, non minimum curæ laboriſque afferunt. ¶ Atque hanc veram eſſe germanámque diſſidentium tot locorum conciliationem, reliqua duorum exemplorum ab aliis etiam agnita, veſtigia coarguunt. Paulus: [Si Titio, inquit, & ei qui capere non poterit decem legata ſunt: quæ duobus heres dare damnatur, & vnus capere non poteſt. Quinque ſola Titio debentur.] *d. l. 7. ſi Titio. de leg. 2.* nimirum, quia per damnationem legatum eſt. verb. *damnatur.* Pomponius. [Si Titio, ait, & poſtumis legatum ſit, non nato poſtumo, ſibi totum Titius vindicabit.] *d. l. 16. ſi duobus ſi. de leg. 1.* Quid ita? nam Pomponius eiuſdem capitis initio prorſus contrarium reſponderat. Nimirum quòd in priori ſpecie per damnationem, in poſteriore per vindicationem legaretur. Atqui verbis coniuncti re coniunctis præferuntur: ſi præferuntur, ergo ius accreſcendi habent. *d. l. 89. re coniuncti ſi.* Sed hæc nunc (ne ex fece hauriamus) ſatis: quæ de toto hoc genere controuerſa luculentiore commentario tractare inſtitui, ſi vita ſuppeditauerit, euulgabo.

Heredes ſcriptos. ¶ Toties hic & alias paſſim inculcatum heredum ac legatariorum nomen, ſuadet vt in teſtamento tantùm, non etiam in contractibus accreſcendi ius admittamus. *l. 37. ſeruum. de acq. rer. dom. l. 16. aquam. quemadm. ſeru. amit. d. l. 110. ſi mihi. de verb. obl.* Siue ab initio contractus erat nullus, ſiue non: ſiue bonæfidei fuerit, ſiue ſtricti iuris *l. pen. ī. de conſti. pec.* Nec obſtat *l. 5. comm. præd.* quoniam ſeruitutes non diuiduntur, fruſtrà de earum partibus ageretur *l. 2. l. 72. ſtipulationes. de verb. obl.* Idémque ſeruatur, ſi rei quamuis diuiduæ natura, incommoda foret diuiſio. vt *l. 24. fundus. de contrah. empt.* Qui ſibi & alij fundum emerat, ideò repudiatoris partem capit, quòd ab initio de totius fundi emptione egerat, non aliter empturus: & moleſta cum alio, de quo non cogitarat, ſocietas iniretur *l. 87. cum pater. §. dulciſſimis. de leg. 2.* Non obſtat *l. 41. vxorem. §. agris. de leg. 3.* teſtator iuſſerat duobus vendere: ſi vnus non emat, alter eius partem emere non tenetur, partémque agri legati, quamuis alter perſequi nolit, rectè petet. Etenim Scæuola illic nihil conſtituit, an tota agri plaga ei ſoli, qui dimidiam emit, acquiratur: hoc vnum reſpondet, collegatarij moram, alterius diligentiæ non obeſſe. Diuerſitatis in vtroque exemplo rationem afferre licet. Quòd (*d. l. 24. fundus.*) idem qui ſibi & alteri emerat, ideò totum habet, quòd de toto emendo cogitarat: arg. *l. 46. ſi quis aliam. ī. de ſolut.* At *d. §. agris.* heres à teſtatore damnatus, vendere cogitur, cuius imperium detrectare non licet. Nec in acquiſitione neceſſaria ſuperior regula ſeruabitur. Qui enim fundi communis partem vendidit, ſi totus ei fundus adiudicatione obtigerit, totum emptori tradere cogetur. *l. 13. Iulianus. §. idem Celſus. de act. empt.* Non obſtat extremum *l. 1. de vſuf. accreſc.* Nam quod illic vſumfructum conſtitui dicitur: minimè ad contractum, ſed ad teſtamentum referendum cenſeo. Nullam toto eo tractatu legem, quæ non ad teſtamenta, nullam omninò litteram, quæ ad contractus pertineat, inuenetis. Non obſtat *l. 24. communi. de bon. lib.* Ex vnius patroni conuentione, ius alteri accreſcit. Scilicet ius patronatus indiuiduum. *l. vlt. de iur. patr.* Nam & in operis, quæ facti ſunt, conſiſtit: quæ diuiſionem non recipiunt. *l. 72. ſtipulationes. de verb. oblig.* Nec verò eadem proponitur ſpecies in *l. 13. ſi duo. princ. de iureiur.* quia iuſiurandum magis eſt perſonale, nec aliis proficit, aut nocet *l. 3. de iureiur.* vt nec pactio, nec res iudicata. *l. 27. ſi vnus. §. ante. de pact. l. pen. de re iud.* Poſtremò non obſtat, quod vulgò creditur, deficientem ſocij partem principalis donatiuum ſocio accreſcere: nec animaduertunt, id non contractus, ſed hereditario iure contingere. Quo ſodales, cohortales, commilitones, collegæ, decuriones, conſortes, clerici, quibus legitimus heres deſit, ſibi inuicem excluſo fiſco ſuccedunt. *l. 20. ſi quis presbyter. C. de epiſc. & cler. toto que tit. C. de hered. decur.* Quod in omni collegio ac legitimo corpore, locum habet. *l. 1. §. 1. ī. quod cuiuſ. vniuerſ.* Idque fauore reip. inductum eſt: vt qui publica onera ſubeunt (quoniam ſociorum mortuorum nomine, fiſco manent obnoxij) deficientibus heredibus, eis ſuccedant. *l. vlt. C. de hered. decur. l. 5. ſemper. §. negotiatores. ī. de iur. immun.* Quæ ratio redditur *lib. 45. Baſilic. tit. 2. cap.* de hereditatibus cohortalium, militum, nauiculariorum opificum. Longè certior ea, quam volgus probare ſolet: Ideò ex contractibus accreſcendi in ſpecie *d. l. vn.* conſorti conceſſum: quòd beneficium principis latiùs interpretari deceat. *l. pen. ī. de conſtit. princ.* Ineptè. cum in feudis, quæ ſummi etiam principis beneficentia, poſſeſſores obtinuerint ius accreſcendi non indulgeatur *lib. 2. de feud. tit. 12. & 18.*

CXLIII. VLPIANVS lib. ix. ad legem Iuliam & Papiam.

ID APVD ſe quis habere videtur, de quo habet actionem. Habetur enim, quod peti poteſt.

ALCIATVS.

ID APVD. ¶ Qui actionem habet rem habere videtur: hincque eſt, quòd actiones quæ ad mobilia competunt, inter res mobiles computantur. *Glo. l. 1. C. ſi aduer. tran.* Procedit autem hæc regula non ex veritate, ſed ex interpretatione legis. *l. minus. ī. tit. 1.* alioquin minus eſt actionem habere, quàm rem, quod propter litium anfractus introductum eſt. *l. Labeo. §. fin. ſuprà eod.* Hinc eſt, quòd in odioſis, vel correctoriis ſuprà diximus regulam hanc non obſeruari, quod etiam dicendum eſt,

cùm de reſciſſione contractus agitur. Quapropter cùm tranſactionem ex eo reſcindimus, quia in dimidia iuſti pretij parte creatum ſit. *Bartol. l. ſi quis cum aliter. ℥. de verb. oblig.* iuſtum pretium non intelligemus, quod actione etiam legitima petitum eſt, ſed quod ex dubio euentu colligi poteſt. Inde etiam eſt, quòd poſſeſſori in cenſum rem ipſam deferre debet. *l. forma. §. ſi enim. de cenſ.* non qui interim actione aduerſus eum experitur: prodeſtque huiuſmodi poſſeſſio, ne ſatiſdare quis ex edicto compellatur. *l. pen. §. pen. qui ſatiſd. cog.*

Brechæus.

IS APVD. ❡ Quæ ad hunc locum pertinent tradita ſunt & explicata à nobis ſuprà in *l. bonorum appellatio. & in l. ſæpe.* Gloſſ. & Doct. *in l. rem in bonis. ff. de acquir. rer. dom.* Text. & ibidem Decius *in l. qui actionem. ff. de reg. iur.* Huius capitis exemplum pete a Paulo *in l. quod ſi in diem. §. Iulianus. ff. de petit. hered.* Si is qui pro herede poſſidebat vi fuerit deiectus, petit ab eo hereditatem poſſe, quaſi à iuris poſſeſſore: quia habet interdictum vnde vi, quo victus cedere debet. Qui igitur ab alio rem ſuam poteſt actionis auxilio repetere, is eam rem videtur habere: hæc quidem fictione iuris. Nam verbum [videtur,] fictionem indicat. Gloſſ. *in l. ſi duo ff. de acquir. her. in l. 1. §. deieciſſe in verb. videor. ff. de vi & vi armat.* Bart. *in l. ſi quis pro emptore. ff. de vſucap.* Philipp. Decius *in d. l. qui actionem.* Vide etiam quæ ſcripſi in *l. penes ſe. ℥. hoc tit.*

Fornerius.

IS APVD. ❡ Quoniam ſpes actionis, & iure ſubnixa eius quod nobis debetur conſequendi fiducia, legis fictione pro re ipſa cenſetur. *l. 15. qui actionem. ℐ. tit. ſeq.* creditor penè domini loco eſt: actio pro re ipſa vſurpatur. Legati repudiatio oratione Seueri fundos minorum alienari prohibente continetur. *l. 7. ſi ad reſoluendam. C. de præd. & al. reb. min.* ſpes enim fundi legati, quæ pupillum manet, non modò in bonis eius numeratur: ſed & fundum ipſum refert. Vlpia. [Eſſe enim & hanc alienationem, cum ſit res pupilli, nemo dubitat.] *l. 5. de reb. eor.* Actiones in cauſam iudicati capiuntur, donantur, leganeur, oppignerantur, rerúmque ipſarum, ad quas competunt, naturam æmulantur. *l. 15. à diuo. de re iud. l. 1. C. de donat. l. 2. C. quæ res pign. l. 59. qui chirographum. de leg. 3.* Alciatus *l. 93. monemium. ℥. h. a.* Græci hic. ἔχειν δοκεῖ τὸ πρᾶγμα, ἐφ' ᾧ ἀμφιζητεῖ μετ' ἀγωγῆς. Cyprianus *ſermone 2. de Zelo & Liuore.* [Mercator dum quicquam emit, & iam aliquod pignus cepit, tametſi merces ſuas nondum habeat, eas tamen ſe habere reputat.] ❡ Bonorum nomina & ea quæ ſunt in actionibus & perſecutionibus continentur: rem in bonis dicimus, cuius recuperandæ actio iure prodita eſt: nec re excluſus videtur, cui prætor reſtitutionem pollicetur. *l. 52. rem. de acq. rer. dom. l. 17. ſi quis vi. de acq. poſſ. l. 5. de reſtit. in integ.* Nullum opportunius, ſi inſcriptionum ſimilitudinem ſequimur, exemplum quàm ex Vlpiano *lib. 7. ad leg. Iul. Pap.* ſumptum, aptare poſſimus. [Dabit autem, vt ait lex, quod ad eum peruenit. Peruenisse autem accipimus, ſiue iam exegit, ſiue exigere poteſt: quia actio ei delata eſt.] *l. 63. ſi verò. ſol. matr.* neque id ſolum in re ſingulari obtinet: ſed & in vniuerſali: vt iuris poſſeſſor ſaltem actionem vel interdictum cedere debeat. *l. 16. quod ſi in diem. §. Iulianus. & §§. ſeqq. ℥. de pet. her.* ❡ Interdum tamen minus eſt, actionem, quàm ipſam rem habere. *l. 204. minus. ℐ. tit. ſeq.* Tum propter ſumptus litis perſequendæ cauſa ſubeundos: tum propter moram, & lentam fori arenam: in qua non ſine dubio diſcrimine pugnandum eſt. *l. 51. quod debetur. de pecul. l. 15. etiam. vt legat. nom. cau. l. 80. eas. de cond. & demon. Nouell. 44. l. 79. qui ſolidum. §. etiam. de legat. 2.* Quamobrem cæteri & conſulti patresfamilias lites tanquam ſcopulos (ad quos plerique fortunarum naufragium faciunt) vel tranſigendo vel cedendo, vel qua alia ratione poſſunt, illud iudiciorum incertum vitant. *l. 2. C. de tranſact. l. 65. in ſumma. ℥. de cond. indeb. l. 4. de alien. iud. mut. cauſ.* τὸ τῆς ὑποθέσεως κίνδυνον, vocatur *Nouell. 82.* [Habetur enim.] ❡ Propè eſt, vt quod nos iure nanciſci poſſumus, idipſum iam conſecuti videamur. *l. 11. ſi quis ſub. de teſtam. tut. l. 2. ℥. de her. inſt. l. 4. C. de inſt. & ſubſt.* Contráque amiſiſſe rem, cuius actionem habere deſiimus. *l. 14. Labeo ſi. ℥. h. t.* Superiori regulæ ex aduerſo reſpondet, non videri eum cepiſſe, qui per exceptionem à petitione remoueatur: vel cui ſit, id ipſum quod petit, alteri reſtituendum. *l. 13. non videtur cepiſſe. l. 52. non videtur quiſquam. ℐ. tit. ſeq.* Cuius ſententiæ exemplum ſumere licet ex *l. 1. de dot. præleg. l. 28 ſi creditori. de leg. 1.* Item ex *l. 10. ſi pars. ſi. l. 52. nihil. §. pen. de inoff. teſt.* Non habetur ergo quod reſtituere oportet: aut quod euinci poteſt. *l. 72. non quocunque. de leg. 1. l. 190. quod euincitur. ℐ. tit. ſeq.*

CXLIIII. Pavlvs lib. x. ad legem Iuliam & Papiam.

LIBRO memorialium Maſſurius ſcribit, pellicem apud antiquos eam habitam, quæ cùm vxor non eſſet, cum aliquo tamen viuebat: quam nunc verò nomine amicam, paulo honeſtiore concubinam appellari, Granius Flaccus in libro de iure Papiriano ſcribit, pellicem nunc vulgò vocari, quæ cum eo cui vxor ſit, corpus miſceat. Quoſdam eam quæ vxoris loco ſine nuptiis in domo ſit, quam παλλακὴν Græci vocant.

Alciatvs.

MASVRIVS. ❡ Explicat Iuriſconſultus pellicis ſignificationem, oſtenditque ex Maſurij Sabini ſententia, eo nomine accipi quæ citra matrimoniũ cum aliquo conſueſcat, domíq; retineatur: ſubijcitq; vulgò ſic accipi, quæ cum eo ſe miſceat, cui ſit vxor. Sed priorẽ interpretationem nobiliſſim

biliſſimi Grammaticorum Valla, & Perotus non recipiunt: quoniam Latinè à viris dici non arbitrantur, hæc eſt pellex mea, ſed ab vxoribus potius. Hinc Philomela apud Ouidium in *Metamorph.* ſe pellicem ſororis dicit: & apud Senecam Tragicum, Iuno ſe cedere pellicibus ait: vt manifeſtè appareat, pellicem non dici niſi vxoris reſpectu, fortéque à pellendo, quòd maritos ad expellendas vxores compellat. quòd ſi apud aliquos authores aliter legatur, vt apud Plinium, Curtium, Tranq. corruptos codices vitio librariorum contendunt, & non pellices, ſed pallacas, quæ Græca vox eſt, legendum autumant. ❡ Verùm penes me antiquior eſt Maſurij authoritas, quem & in Satyra Perſius celebrat, & apud Græcos Athenæus: nam & Nonius Marcellus pellicem eſſe, quam Græci παλλακὴν vocant, cum Iuriſconſulto opinatur, vt meritò eiuſdem ſignificationis vtraque vox ſit. Sed & Martialis Ponticum deludit, pellice læua vtentem: quem locum ne corruptum credamus, ratio carminis manifeſto argumento eſt: qui ſi Vallæ ſententia probaretur, nimis dura & barbara tranſlatione vſus eſſet. Satius ergo Iuriſconſulti eſt expoſitionem ſequi, & vtranque interpretationem defendere. Quòd autem vero nomine amicam, paulò honeſtiore concubinam appellari hic traditur, Accurſius non probat, vt honeſtius nomen concubinæ cenſeatur, quam amicæ, & ideò non reſpectu amicæ, ſed pellicis comparationem fieri exiſtimat: quæ interpretatio cum ſermonis ipſius ductu non admodum conuenit. ❡ Igitur ſciendum apud veteres concubinæ nomen inhoneſtum non fuiſſe, ſolúmque ſic appellatas, quæ extra legis pœnam, & ſine metu criminis haberentur: at amicæ nomen, etiam quaſcunque meretrices continebat, quod ex Terentio, Plautoque varijs in locis conſtat: idque Græcorum exemplo, qui ἑταίρας, id eſt, amicas, quæcunque ſcortilla vocant, etiam ignobilia. Hinc Ariſtophanes in Pluto, καὶ τάς γ' ἑταίρας φασὶ τὰς κορινθίας, & quæ ſequuntur. ❡ Inſtitutas autem publicitus meretrices à Solone Philemon eſt author, vt ea Venere contenti iuuenes, à pudicis ſolicitandis abſtinerent. Sanè meretricem non eſſe, quæ cum aut altero, etiam pecunia accepta, ſe commiſcet, dubium non eſt: ſed eam quæ palam & pluribus ſe proſtituit, ſolámque huiuſmodi de vicinia poſſe expelli exiſtimauerim, ne probis mulieribus malo ſit exemplo.

BRECHÆVS.

MASVRIVS. ❡ Pellea (ait Budæus *in annot. ad l. poſteriõ. de orig. iur.*) propriè ea dicitur quæ cum eo conſueta eſt qui vxorem habet. Quæ cum cœlibe conſueſcunt, non pellices, ſed pallacæ dicuntur verbo Græco, Plinio & reliquis. Gellius *lib. 4. noct. Attic. cap. 3.* Anno, inquit, vrbis conditæ quingenteſimo viceſimo tertio, M. Attilio, P. Valerio Coſſ. Carbilius cui Ruga cognomentum fuit, vir nobilis, diuortium cùm vxore fecit, quia liberi ex ea corporis vitio non gignerentur. Atque is Carbilius traditur vxorem quam dimiſit egregiè dilexiſſe, chariſſimamque morum eius gratia habuiſſe, & iuriſiurandi religionem animo atque amori præuertiſſe, quòd iurare à CENSS. coactus erat vxorem ſe liberorum quærendorum gratia habiturum. Pellicem autem appellatam probróſámque habitam quæ iuncta conſuetáque eſſet cum eo in cuius manu mancipióque alia matrimonij cauſa foret. Hæc ille. Poſtea ſubdit legem Numæ Regis de pellicibus. Pellex ædem Iunonis non tangito. Si tangit, Iunoni crinibus dimiſſis agnum fœminam cædito. Inde puto apud Senecam Tragœdia prima ſcriptum in perſona Iunonis excandeſcentis quòd cùm illa Iouis & ſoror & coniunx eſſet, ſe tamen vna ſpreta, pellices, ipſi Ioui reliquiſque Diis in delitiis eſſent.

Soror Tonantis (hoc enim ſolum mihi
Nomen relictum eſt) ſemper alienum Iouem,
Ac templa ſummi vidua deſerui ætheris
Locúmque cœlo pulſa pellicibus dedi.
Tellus colenda eſt, pellices cœlum tenent.

Sic Cicero *in oratione pro A. Cluentio habita*, ſcribit Saſſiam huius habiti matrem nepharia libidine inflammatam, coniunctámque dedecore & ſcelere, A. Aurio Melino genero ſuo & qui nupſerat breui tempore poſt patris Cluentij Saſſiæ ipſius mariti mortem, filiæ defuncti patris & eiuſdem Saſſiæ, cum tamen hæ nuptiæ plenæ dignitatis, plenæ concordię eſſent, pellicem fuiſſe. Filia (ait Cicero) quæ non ſolùm illo communi dolore muliebri in eiuſmodi viri iniuriis angeretur, ſed nepharium matris pellicatum ferre non poſſet, de quo ne queri quidem ſine ſcelere arbitraretur, &c. ❡ Hoc nomen pellicis etiam puero & maſculo accommodatur, quo turpiter vtuntur molles homines: vel fortaſſe qui cum nupta muliere libidinis gratia habitat, marito pellex dicitur. Cicero in *oratio. in Saluſtium.* Sed tu, inquit, omnium menſarum aſſecla, omnium cubiculorum in ætate pellex, & idem poſtea adulter, omnis ordinis turpitudo es & belli ciuilis memoria. Sic adoleſcentulos Plato Comicus παλλάκια appellauit. Nam & Græci πάλλακα βούπαιδα dicunt, id eſt, adoleſcentulum qui iam exceſſit ex ephebis, aut qui huic ætati eſt proximus. Hoc, quod ſciam, non animaduerterunt Budæus & Alciatus, nec etiam Vallenſis: Pellea ſiquidem à Græcis ἡ παλλακὴ καὶ παλλακίς. Κατὰ δ' ὑφαίρεσιν πάλλαξ λέγεται, dicitur παλλακὴ Etymologico authori παῖς, id eſt, puer, vel puella quæ à Doricis πάλλαξ. Etenim παῖς ὁ καὶ ἡ ſub vtroque genere enunciatur. Gellius *loco ſuprà citato*. Pellex, inquit, quaſi πάλλαξ, id eſt, quaſi παλλακίς, vt pleraque alia: ita hoc quoque verbum de Græco flexum eſt. Sunt qui inter pellicem & pallacam id diſcriminis eſſe exiſtimant, quòd Pallaca dicatur quæ cum cœlibe conſueuit: pellex verò, cum eo qui vxorem habet. Hic Paulus noſter tradit C. Flaccum *in libro de iure Papyriano* ſcripſiſſe pellicem vulgò vocari, quæ cum eo cui vxor ſit, corpus miſceat: ſecundum quoſdam eam quæ vxoris loco ſine nuptiis in domo ſit, quam Græci παλλακὴν vocant. Horum vtrunque verè ſenſiſſe & dixiſſe arbitratur Laurent. Val. Sed tamen apud Oratores & Poëtas pellicem eam demum haberi quæ cũ eo cui vxor eſt, corpus miſcet. Et hanc quoq; arbitror verã eſſe ſignificationẽ pellicis, quę à pelliciẽdo dicitur: vel, vt D. Auguſt. in 2. Epiſt. Petri, à pollutione, vel à pellis formoſitate qua in-

 cautos

cautos pelliciunt & decipiunt. Eandem diui Auguſtini authoritatem citat Gloſſ. *in Canon. Si enim. de pœnit. diſtinct. 2.* Veruntamen idem ipſe Vallenſis tradit pallacen potius quam pellicem oportere dici pro concubina cœlibis hominis: culpáque librariorum in editionibus eſſe vitiatum locum Curtij, in eam ſignificationem profert & citat: atque huius rei hoc eſſe argumentum, quòd non rectè quis dicitur habere pellicem, ſed vxor: atque eſſe nomen ad alterius vxorem relatiuum cuius eum viro rem habet, non autem ad maſculum: nec ita recte dicturos oratores illos fuiſſe qui pallacen dixerunt, ac ſi pellicem dixiſſent. Quæ Vallæ quidem opinio confirmari poteſt teſtimonio Sueton. Tranquilli *in Veſpaſian. Auguſt. cap. 21.* hæc verba ſcribentis. Poſt deciſa quæcunque obuenirent negotia, geſtationi & inde quieti vacabat accubante aliqua pallacarum quas in defunctæ locum Cænidis plurimas conſtituerat, ac ſecretò in balneum tricliniumque tranſibat. Hic pallacas Tranquillus non pellices dixit, quas defunctæ Cænidis vxoris locu fouebat. Nam poſt defunctam priorem vxorem Flauiam Domicillam, ex qua Titum & Domitianum & Domicillam liberos tulit, Cænidem Antoniæ libertam, & a manu, dilectam quondam ſibi reuocauit in contubernium, habuitque eam ipſe Veſpaſianus penè iuſtæ vxoris loco. Cùm ergo neque Flauiam Domicillam, neque Cænidem iam vita functas amplius haberet, ac ſine vxore eſſet, pallacas acceſſiuit, id eſt concubinas. Pellices dixiſſet Suetonius, quaſi adhuc Veſpaſiano vxor fuiſſet. Ex quo videre eſt varium dictionis vtriuſque ſignificatum. Iuuenal. *Satyr. 6.*

Semper habet lites, alternáque iurgia lectus
In quo nupta iacet, minimum dormitur in illo.
Tum grauis illa viro, tunc orba tigride peior
Quum ſimulat gemitus occulti conſcia facti,
Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat.

Miniſtras pellices appellauit Martial. *lib. 12. epigram. in Zelotypam,* hoc epigrammate.

Cùm tibi nota tui ſit vita fideſque mariti
Nec premat vlla tuos ſollicitetque thoros,
Quid quaſi pellicibus torqueris inepta miniſtris?
In quibus & breuis eſt & fugitiua venus.

FORNERIVS.

LIARO. ❡ Concubina definitur, quæ cum aliquo domi, legitimè, ſine nuptiis viuit, Græci hîc. *Παλλακή ἐστιν, ἡ συζῶσα τινὶ ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ, νομίμως, χωρὶς γάμου.* Iulianus Patricius. *Nou. 6.* concubinam, *παλλακὴν* vertit. Quæ cum legitimæ vxoris, (liberorum quærendorum gratia ductæ) loco non habeatur, nihil prorſus ex eiuſmodi concubitu ſuſcepti liberi, ad vitandam pœnam, quæ legibus Iulia ac Papia cœlibibus & orbis infligebatur, proderunt. ❡ Tolerabantur quidem focariæ, & pellices *tit. ſ. de concubin.* ſed honore maritali, ac matronarum dignitate carebant. *l. 31. donationes in concub. ſ. de donat.* Imò hodiè nemini concubinam impunè habere licet, ſicut nec tertiùm vxorem ducere. Leonis *Nouel. 90. & 91.* ſicut nec diaconiſſæ amaſios habere debent, quos vocant *ἀγαπητούς. d. Nouel. 6.* Nothi igitur ſuis parentibus: ex lege Papia (ad quam hoc cap. ſicut duo priora tractatus *ſ. de concub.* inſcribitur) proficient. Iure ac meritò, vt omiſſo liberioris veneris vſu ciues Rom. honeſta ac liberali nuptiarum neceſſitudine deuincirentur. Qua ratione iure nouo, quò lubentius coniugium à pluribus coleretur, inſtitutum, vt filij naturales tantùm, ſubſequutis deinde nuptiis, iuſti ac legitimi efficerentur. *§. 3. de hered. quæ ab inteſt. Inſt. Nouell. 74. & 89. cap. tanta de ſponſalib. & matr. lib. 4. decret.* quorum conditio in parentum hereditate cum filiis qui contractis poſtea nuptiis editi fuerunt, exæquatur *l. 23. imperiales. C. de nupt.* Prætерquàm ſi id nominatim, ne in feudo paterno ſuccederent ageretur. *tit. 29. lib. 2. Feud. de filiis nat. ex matr. ad Morgengab. contr.* Hæc quidem Romano iure: Nam Athenis liberorum quoque quærendorum haberi ſolitas, ex Solonis (quam Demoſthenes contra Ariſtocratem, de impunitate cædis refert) lege colligitur. *Ἐάν τις ἀποκτείνῃ ἐν ἄθλοις ἄκων, ἢ ἐν ὁδῷ καθελών, ἢ ἐν πολέμῳ ἀγνοήσας, ἢ ἐπὶ μητρὶ, ἢ ἐπ᾽ ἀδελφῇ, ἢ ἐπὶ θυγατρὶ, ἢ ἐπὶ παλλακῇ, ἣν ἂν ἐπ᾽ ἐλευθέροις παισὶν ἔχῃ, τούτων ἕνεκα, μὴ φεύγειν κτείναντα.* Id eſt: [Si quis quem in ludis inuitus, aut in itinere, aut in bello imprudens, Aut domi cum vxore, matre, ſorore, filiáve, concubina, eáve, quam ſobolis ingenuæ cauſa haberet, depræhenſum occiderit: ob perpetratam cædem ne exulato.] Sanè vna cum vxore domi fouere concubinam, acerbum, quódque maximè caſtas exaſperat, contubernij ſpectaculum, à Conſtantino vetitum *l. vn. C. de concub.* cuius cauſa etiam diuortium permitteretur. *l. 8. conſenſu. C. de repud.* Seneca *lib. 15. epiſt. 96.* [Sciret in vxorem grauiſſimum eſſe genus iniuriæ, habere pellicem: ſed illum libido in contrarium impinget.] Feſt. Pomp. Antiquos eam proprie pellicem nominaſſe: quæ vxorem habenti nubebat: cui generi mulierum probroſarum etiam antiquiſſima Numæ lege (cuius verba ipſe ac Gellius *lib. 4. cap. 3.* referunt) pœna conſtituebatur. [Pellex aram Iunonis ne tangito: ſi tanget, Iunoni crinibus demiſſis agnum fœminam cædito.] Iunonis pellicibus infeſtæ ad aram prohibebatur accedere, crinibus demeſſis, id eſt reſectis, vel demiſſis, id eſt ſparſis. Matronarum honeſtarum cultum decet capillorum prolixitas & copia: tonderi turpe & probroſum olim fuiſſe, veteres literæ, ac leges docent. Victor Vticenſ. *lib. 3. de perſecutione Vandalica.* [Matre ſine verecundia matronali ſolutis crinibus, poſt raptores tota vrbe currente, &c.] Attica lege mulier in adulterio deprehenſa à ciuitatis ſacris arcebatur: cùm neque hoc peregrinis mulieribus, ac ne ancillis quidem interdiceretur. Demoſthen. *contra Neæram.* *οὐ μόνον ἀπεῖργον αὐτὴν ἀπέχεσθαι τῶν ἱερῶν τούτων ποιοῦσαν ἃ οὐκ ἐξῆν. καὶ τοιαῦτα διαπεπραγμένην τῶν ἱερῶν καὶ θύειν, καὶ ποιεῖν τι τῶν νομιζομένων ὑπὲρ τῆς πόλεως πατρίων, ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἀθλίων ἁπάντων. ἐφ᾽ ᾗ γὰρ ἂν μοιχὸς ἁλῷ γυναικὶ, οὐκ ἔξεστιν αὐτῇ ἐλθεῖν εἰς οὐδὲν τῶν ἱερῶν τῶν δημοτελῶν, εἰς ἃ καὶ τὴν ξένην καὶ τὴν δούλην ἐξουσίαν ἔδοσαν οἱ νόμοι καὶ θεασομένην καὶ ἱκετεύσουσαν.*

¶ Quamuis autem Paganorum collatæ in concubinas donationes valerent, nec temerè reuocarentur *d.l.31.donationes*: ne tamen milites nimio feruore fictiſque adulationibus victi ſpoliarentur à focariis: donare non permittebantur. *l.3.C.de donat.inter vir.& uxor.* nec ea mulier in quam ſiniſtra libidinis ſuſpicio caderet, quicquam ex teſtamento militis capiebat *l.41.miles ita.§.de teſtam.mil.*

Memorialium. ¶ Vulgò *memorabilium*. Macrobius de Victoris Herculis æde agens Maſurij Sabini (ſic enim ex hoc loco, pro (*Albini*) reponendum) librum primum memorabilium laudat *lib.3.cap.6.Saturnal.* Aul. etiam Gellius librum eiuſdem memorabilium ſeptimum *lib.4.cap.vlt.lib.6.cap.7.*

Maſſurius. ¶ De quo Pomponius *l.2.de orig.iur.* & nos non ita multò poſt *l.159. Etiam.§.h.t.*

Quam nunc verò. ¶ Sic Florentina æditio: vulgata, *Eam qua nunc*. Vtra rectior? Neutra integra ſatis: Vtriuſque ex mendo, veram ni fallor, germanámq; eliciam, *eam nunc*, ſcilicet prius, *cam* pro *eam*: nõ diſſimili errore apud Catonem, *de re ruſtic.cap.1.* [Siet in iis agris, qui non ſæpe dominos mutant, qui in his agris prædia vendiderint quos pigeat vendidiſſe.] Quæcunque adhuc inſpicere licuit, exemplaria ſummo conſenſu omnia ita exhibent: At ex *Eos* exiit *cos*, indéque conflatum ac diſſeminatum, *quos*, idem quod ego, *v.cl.* Henr. Memmius ſuſpicatur. Hic quoque *eam* in *cam*, ſeu *quam* facilè degeneraſſe crediderim.

Paulo honeſtiore. ¶ Figura εὐφημισμός, cum fœdis rebus honeſtiora & bene audientia nomina prætexuntur: vt de Ponto Euxino, Am. Marcellinus, Procopius, & Euſtatius in Dionyſ. Alexandrinum *de ſit. orbis*, adnotarunt: & eleganter Plutarchus in Romulo. *Granius Flaccus.* ¶ Vulgò *Caius Flaccus*, aliàs, *Gracus*: mendosè. Huius Arnobius *lib.3.aduerſus gent.* Macrobius *lib.1.cap.18.Saturnal.* & Pomponius *l.2.de orig.iur.* meminere.

CXLV. VLPIANVS lib. x. ad legem Iuliam & Papiam.

VIRILIS appellatione interdum etiam totam hereditatem contineri dicendum eſt.

ALCIATVS.

VIRILIS. ¶ Virilis portio pro æquali intelligitur: vnde ſi Titium, & Seium in viriles partes inſtituero, *l.virilis.de leg.praſt.* æqualiter admittentur. Sed finge Titium heredem eſſe non poſſe, an totú Seius habebit? *l.2.C.de her.inſt.* Et hic probatur habiturú, & hoc caſu dictio illa, virilis, naturam ſuam non ſeruabit, quod & §.de dictione, reſiduum, tractauimus *l.poteſt.§.eod.* Et ex hoc reſponſo ſunt, qui conſequentem q. decidant. ¶ Filia herede inſtituta, vetuerat quis ædificium de nomine ſuo exire *l.pater.§.filiam.de leg.3.* ſed ad vernas, quos nominauerat, pertinere iuſſerat: defuncta herede & legatariis, cùm vernarum vnus ſupereſſet, reſpondit Scæuola ei virilem partẽ præſtandam. Interpretatur Accurſius, pro virili portione omne fideicommiſſum comprendi: atque ita à cæteris traditum eſt. Sed negari non poteſt, quin expoſitio hæc impropria ſit, nec verbis Iuriſconſulti quadrans: vnde ego propriè de virili portione intelligo: & cùm ex ordine contextus appareat prius heredem deceſſiſſe quàm legatarios, ſtatim ab eius morte ipſo iure virilis portio tranſlata eſt. Vnde quamuis alij deceſſerint, ſuperſtiti ſola ſua pars remanet, quoniam cæteri collegatarij legatum ſuum ad heredem tranſmittunt, non enim ipſi quicquam reſtituere grauati fuerant, ſed filia: & licet prohibitio, ne de nomine ſuo exiret, vim aliquam fideicommiſſi habere videatur, quia tamen nominauerat, quibus legatum reſtitui vellet, ſatis eſt ipſis ſemel acquiſitum fuiſſe: quæ deciſio in fideicommiſſo vniuerſali non procederet, cùm illud neceſſe ſit agnoſci, nec ipſo iure quæratur. *Bart.l.1.de leg.1.*

BRECHÆVS.

VIRILIS. ¶ Vna atque altera ſignificatione hæc dictio, virilis, accipitur tum à linguæ Latinæ authoribus, tum etiam à noſtris iureconſultis. Nam quod dicimus aliquando pro virili parte quicquam facere, id pro viribus, pro poteſtate, & quatenus in facultate noſtra eſt poſitum, intelligimus. Cicer. *actio.5.in Verrem.* An ſi qua in re contra rem meam decreſſet aliquid iniuria, iure me ei inimicum eſſe arbitrarer: cum omnia contra omnium bonorum rem, cauſam, rationem, vtilitatem voluntatémque fecerit, quæris cur ei ſim inimicus cui Pop. Romanus infeſtus ſit? qui præſertim plus etiam quam pars virilis poſtulat pro voluntate Po. Romani, oneris ac muneris ſuſcipere debeam. Virilia etiam dicitur quod ad virum pertinet, & virum decet ſumma virtute præditum (eſt enim à viro virtus dicta, vt teſtis eſt Cicero *lib.2.Tuſcula.Queſtio.*) vt virilis animus, id eſt fortis & μακρόθυμος. Dicebatur etiam virilis toga, virorum veſtimentum à Romanis. Solebant enim prætextam pueri ad virilem vſque ætatem deferre. Depoſita verò & dimiſſa prætexta poſt pubertatem, decimo videlicet & ſeptimo ætatis anno, togam ſumebãt: quæ ideo virilis dicta eſt. Tamen Octauium Auguſtum anno tantùm 16. togam ſumpſiſſe comperimus. Neronem etiam vix pubeſcentem toga indutum, idque ante tempus quo maturus imperio videretur, traditum eſt. Caium tamen Cęſarem vndeuigeſimo. Cuius rei Tranquillus meminit, Virilem quoque fortunam appellabant: Cuius templum extra vrbem ad Tyberis ripam, in quod, mulieres quæ dabantur nuptui, frequentes ventitabant: & corpore inuelato ſingula membra, ne quo morbo vitióq; affectæ forent, aut labe aliqua tenerentur, detergebant. Pręterea, virile pro ciuili vſurpauit Calliſtratus *in l.fœmina.ff.de edendo.* Quo loco dixit, fœminas remotas videri ab officio argẽtariæ, cùm ea opera virilis ſit, id eſt virile negotium & ciuile, vt viſum eſt Franc. Connan. *lib.6.Comment.iur.ciuil.* Alioqui, virilis appellatio ad ſingulas & æquales partes refertur pro numero perſonarum. *l.vnicus.§.ſin autem legatarij.C.de cad.tol.* Vt cùm dicimus

hered

heredes pro virili teneri. Idem de pluribus vna eademque obligatione comprehenſis, cum pro virili, τουτ' ἔστι κατὰ μέρος καὶ ἐν μέρει ἢ τὸ ἐπὶ μέρος, non in ſolidum tenentur. Sed Vlpianus hoc loco virilis nomen, totum ac reliquum quandoque ſignificare ſcripſit. Vt cum duo in partes æquales inſtituti ſunt, altero eorum mortuo, vel qui eiurauit hereditatem, totum accreſcit alteri. Sic virilis appellatio ad totum reducitur. Sed quærit Accurſius, *in d. §. ſinantem*, & quod ad hanc rem facit, teſtator mihi duos trientes legauit, tibi verò trientem totius hereditatis: nos autem Mæuio totam reſtituere iuſſit: eiurat ac repudiat Mæuius, an tota pro virili parte apud nos remaneat? Et remanere pro partibus æquis & pro virili Iuſtinianus Impera. cenſuit *in d. §. ſinantem*. Sed id quidem locum habere arbitratur Accurſius in onere extrinſeco: defuncto à legato ſecundum Paul. Caſtrenſ. ſententiam, iuncto legatariis etiam ſub appellatiuo nomine. Quia quod pro virilibus præſtamus, ait ipſe Accurſius, & pro virilibus apud nos remanet. Secus ſi res legata contineatur fideicommiſſario. Tunc enim pro legati modo remanet. At verò heredes damnati ſub appellatiuo nomine, pro hereditariis partibus, id eſt pro virili ſoluunt: atque etiam pro hereditariis retinent. Ex quibus Accurſij verbis colligere licet, legatarios generali appellatiuo nomine, teneri pro virili. Quod ſi eſt extrinſecum onus, penes eos pro virili emolumentum manere: ſed vt heredibus, manet pro portionibus hereditariis. Cuius rei ratio hęc eſt, quia heredes intelliguntur pro hereditariis portionibus grauati: ſed cæteri cenſentur pro virilibus partibus grauati. Quando onus eſt intrinſecum, nullam eſſe inter heredes & legatarios differentiam Philip. Cornæus tradidit.

FORNERIVS.

VIRILIS. ¶ Referri poſſet ad tit. de legatis præſtandis: ſed inſcriptionis auctoritate ducor ad ſuſpicandam hanc Vlpiani definitionem, quamuis latiùs aliquantò patentem propter ex ea legis Iuliæ Papiæ parte ſumptam, quæ ius aliquod patronis in libertorum bonis addicebat. Vlpianus *lib. 10. ad leg. Iul. & Pap.* Nam & inter Pauli libros ſingulares, quos μονόβιβλα nuncupant, de iure patronatus vnus, item de iure patronatus, quod ex lege Iulia & Papia venit, alter recenſetur. Vt hic quoque ex lege Iulia & Papia: qua cauebatur, vt ſi libertus deceſſerit teſtatus, vel inteſtatus relictis filiis, patrono virilis debeatur portio pro numero filiorum: ſi tres fuerint triens, ſi quatuor quadrans patrono debeatur. Vlpian. *fragm. tit. vlt. §. poſteà. de ſucceſſ. libert. Inſt.* Si nulli ſuperſint liberto filij, vel paternam hereditatem repudiarint, ex virili, as fiet, totáque hereditas patrono defertur. hic τῇ τοῦ ἀναλογοῦντος μέρους προσαγωγείᾳ, ἰδὼ ὅτι καὶ ἡ πᾶσα κληρονομία δίδοται. Sic appellatione reſidui totum continetur. Ex reſidua parte heres inſtitutus, coherede incapace non admiſſo, ex aſſe heres erit. *l. 2. C. de hered. inſt.* Si mihi & poſtumo legetur: non nato poſtumo totum capiam: quamuis teſtator nobis virilem aſſignarit. Enumeratione perſonarum legatum non ſcinditur Baſilicôn ſynopſ. *lib. 44. tit. 1.* μὴ τεμνομένου τοῦ κληρονομήματος τὸ πᾶν λαμβάνω, κἂν εἴπῃ ὁ διαθέμενος ἀναλογοῦντα μέρη λαβεῖν ἡμᾶς. *l. 16. ſi duobus. ff. de leg. 1.* Vt cùm vniuerſitas, & familia poſſit in vnum aliquem recidere. *l. 7. ſicut. quod cu. vniu.* reliquorum appellatio vniuerſos ſignificabit. *l. 95. poteſt. §. h. t.* Sic cum teſtator filiâ inſtitutâ cauiſſet, ne ædificium de nomine exiret, ſed ad vernas quos teſtamento nominaſſet pertineret: mortua herede, & vernis legatariis, quęreretur, an vni liberto ſuperſtiti totum fideicommiſſum deberetur, Scæuola reſpondit, [ad eum qui ex vernis ſupereſſet, partem virilem pertinere.] *l. 38 pater. de leg. 3.* Id eſt, totum: *huius l. argumento. d. l. 95. poteſt.* Nam & cùm duorum ſeruorum optione Titio data: reliqui Mæuio legantur: ceſſante primo in electione, *reliquorum appellatione omnes ad Mæuium pertinere.* Terentius Clemens *lib. 17. & leg. Iul. Pap.* reſpondit. *l. 17. cum optio. de opt. leg.* ¶ Quanquam igitur virilis portio æqualis dicatur. Gloſſarium vetus, ἴσον κατ' ἀναλογίαν *l. 7. Nam & l. ſeq. de leg. præſt.* Paulus *lib. 3. ſent. tit. 3.* Quæ ſcilicet in capita conſtituatur: vt quot ſunt perſonę, totidem fiant partes. Veluti ſi plures tutores omnes ſoluendo ſint, & adminiſtrarint, diuidetur inter eos pro portionibus exemplo fideiuſſorum, actio *l. 1. de tutel. & rat. diſtr. l. 6. pupillus. de fideiuſ. & nom. tut.* Veluti qui vna ſententia in vnam quantitatem condemnantur, pro virili ex cauſa iudicati conueniuntur. Id eſt, effectus ſententiæ, pro virilibus, ſeu ſingulis portionibus diſcernetur. *l. 1. C. ſi plures vna ſent. l. 43.* Paulus. *2. de re iud.* Si pars heredum in legando nominetur, viriles partes heredes, ſi verò omnes, hereditarias debent. ecce virilis & hereditaria ſeparantur. *l. 67. vnum. §. ſi duos. de leg. 2.* Tamen hic filiis liberto non ſuperſtitibus, id eſt non capientibus iure accreſcendi, tota hereditas, patrono debebitur: ac virilis portio ad aſſem reducetur. Huc pertinet quod de Cerylo Veſpaſiani liberto aliorſum ab aliis detortum Suetonius narrat: [Qui diues admodum ob ſubterfugiendum quandoque ius fiſci, ingenuum ſe & Lachetem mutato nomine cœperat ferre.] Quod de iure patronatus (in excipienda libertorum hereditate) accipiendum exiſtimo: Quorſum & Aſcon. Pædian. *in 4. Verrinam.* [Ex ipſo, inquit, negotio edixiſſe Verres, vt omnis libertus non patrono tantùm, ſed etiam patroni filiæ, ſextam relinquat hereditatis.] Et quoniam legitima pars vocatur: quam patrono ob manumiſſionis beneficium debet *l. 1. de bon. libert. Nouel. 1.* Animaduertenda inter teſtamentum ac donationem differentia: quòd hæc multò liberior illo ſit. Libertus viuus amicis rectè donet: legare verò ne benemerentibus quidem amicis poſſit, quo portionem patroni minuat. *l. 9. vnus. §. ſi quid in fraud. patr.* Saltem moriens patrono (à quo ſummum libertatis beneficium conſequitur, cuique teſtamentum debet) (Quinctilian. *declam. vlt.*) portionem legibus definitam non inuideat. Sed hoc non oſcitanter *in 7. ſelectionum commentario* diſpiciam.

CXLVI. TERENTIVS Clemens lib. ij. ad legem Iuliam & Papiam.

SOCERI, ſocrus appellatione auum quoque & auiam vxoris vel mariti contineri reſpondetur.

Atc

ALCIATVS.

SOCERI. ¶ Cùm ſuprà explicauerimus, an appellatione generi, & nurus, progener, & pronurus contineatur, *l. nurus. l. generi. hoc tit.* conſequens eſt idem in ſocero dicendum: correlatiua enim ſunt, nec abſque altero alterum eſſe poteſt. ¶ Illud hîc tantummodo admonendus eſt lector, ſicut ſoceri nomine ſocer magnus continetur, ita dicendum de patruo vt de eo lex verba faciens, etiam patruum magnum comprendat. In quo articulo magna eſt controuerſia, videtúrque crebrius recipi. *l. 2. C. de ſuc. edi.* vt in materia fauorabili comprendatur, in ſtricta verò vel aliàs odioſa non comprendatur, in quam ſententiam & ipſe accedo: quandoquidem in fauorabilibus cùm amplior fiat interpretatio, veriſimile eſt de vtroque patruo actum: nec nouum eſt aliquam dictionem duplici de ſpecie intelligi *l. in lege. loca.* ¶ Sanè ſocer à Græco ſermone deducitur ἑκυρὸς, ſicut ſocrus ἑκυρὰ, vt Modeſtinus ſcribit. *l. 4. de grad.* quo exemplo & aliqui ex antiquis ſoceram pronuntiauerunt, non ſocrum.

BRECHÆVS.

SOCERI. ¶ Eſt ſiquidem ſocer, vxoris meæ pater, à Græcis ἑκυρὸς, ſed propriè mariti pater ſponſæ vt Priamus Helenæ.

Αἰδοῖός τέ μοί ἐσσι φίλε ἑκυρὲ δεινός τε.

Socrus autem ἑκυρὰ καὶ πενθερὰ vxoris meæ mater. *Πενθερὰ μέν ἐστιν ἡ τῆς ἐμῆς γαμετῆς μητήρ*, ait Theoph. *Inſtitu. tit. de nuptiis. §. ſocrum.* Sed propriè ſicut ἑκυρὸς mariti pater eſt ſponſæ, ita πενθερὸς vxoris pater genero: vtrunque autem ſoceri nomen apud latinos complectitur ἑκυρὸς, vt tradit Etymolog. author, *παρὰ τὸ εἰς ἑαυτὸν κῦρος ἄγειν· ἢ παρὰ τὸ κύρω τὸ ἐπὶ τυγχάνω*, quod ratum facere, comprobare, & decernere ſignificat: alterum, frui, potiri, & conſequi. Budæo teſte. Socerum igitur, atque Socrum, ad aſcendentes auos proauóſque, auias proauiáſque protenditur: ſicut Generum & Nurus ad deſcendentes. Sunt autem correlatiua. vide *in l. non facilè. ff. de grad. & affin.*

FORNERIVS.

SOCERI. ¶ Antea oſtendimus lege Iulia remiſſam in eos, qui cognatione vel affinitate coniunguntur, teſtimonij neceſſitatem. *l. 4. ff. de teſtib. l. vlt. ff. de grad.* Quamuis regulariter denunciati teſtimonij dictionem detrectare nemo queat. *l. 22. curent. ff. de teſtib.* alioqui improbus & inteſtabilis, id eſt ſceleratus & ſacer, vt ex fragmentis decemuiralium legum pleríque annotarunt. Excipiuntur ſocer & gener. *l. 4. l. 5. ff. de teſtib.* vtriuſque cum huius capitis epigraphe congruit inſcriptio. Quo in argumento ſicut generi, & nurus, ita ſoceri appellationem longiùs producimus. *l. 136. generi. l. 50. nurus. ff. h. t.* Adeò vt ſponſalibus affinitas contrahatur. *l. 6. Labeo. l. 8. Seruius. ff. de grad. & aff.* Quæque de ſponſalib. tractantur ad nuptias quoque pertineant. *l. 15. inter. l. ſeq. de ſponſ.* Hic quoque ſoceri appellatione pro ſocer continetur: *Ἡ τῶν πενθέρων προσηγορία καὶ τὸν προπενθερὸν δηλοῖ.* Nam & qui prætoris edicto pro alio poſtulare non poſſunt, pro parente, patrono, patrona, libertis, parentibúſque patroni, patronæ, liberiſue ſuis, fratre, ſorore, vxore, ſocero, ſocru, genero, nuru, vitrico, nouerca, priuigno, priuigna, poſtulare non prohibentur. *l. 1. ff. de poſtul.* Pomponius, [Nurus & generi appellatione, & ſoceros & ſocrus, & vlteriores, quibus pro præpoſitio ſolet accedere contineri ait.] *l. 3. de poſtul.* Sed & Caius, [In legibus quibus excipitur ne gener aut ſocer inuitus teſtimonium dicere cogeretur, generi appellatione ſponſum quoque filiæ contineri placet: item ſoceri, ſponſæ patrem. *l. 5. ff. de teſtib.* ait, legibus excipitur.] id eſt, vt obiter admoneam, cauetur, vt in ſuperiore eiuſdem inſcriptionis capite Paulus loquitur: Cicero *pro Cornelio.* [Vbi eſt igitur exceptum fœdere Gaditano, ne quem pop. Ro. Gaditanum recipiat ciuitate?] Quinctilianus *declam. 276.* [Negant dandam eſſe optionem puellæ, quoniam perierit raptor. Id nulla lege exceptum, nullo ſcripto cautum eſt.] Rurſus *declam. 315.* [Quædam etſi nulla ſignificatione legis comprehenſa ſunt, natura tamen excipiuntur.]

CXLVII. IDEM lib. iij. ad legem Iuliam & Papiam.

QVI in continentibus vrbis nati ſunt, Romæ nati intelliguntur.

ALCIATVS.

QVI IN CONTINENTIBVS. ¶ Continentia pro ſuburbiis accipiuntur, *l. 2. ff. eod.* quòd cum ipſa vrbe ſe teneant, contiguaque ſint: qui ergo in his naſcitur, Romæ natus dicitur. Quid ſi in vico aliquo qui vrbi Romanæ reſpondeat? *l. qui ex vico. ad munic.* Et licet is patriam Romam habeat, non tamen Romæ natus intelligitur. ¶ Quid item ſi lex eum, qui Romæ natus non ſit, à dignitatibus excludat, an is, cuius mater extra domicilium peregre peperit, recipiendus ſit? Et certum eſt verbis legis eum excludi, licet ex interpretatione aliud forte ſit. *Pet. C. in l. huiuſmodi. §. legatum. de leg. 1.* in eo enim loco is eſſe intelligitur, in quo domicilium conſtituit: & non receſſiſſe videtur, qui animum reuertendi habet *l. plerique. de rit. nupt.* ¶ Quid ſi lex non de nato, ſed de oriundo loquatur? Et vulgò traditum eſt, oriundum eſſe. *c. 1. de vſur. in 6.* qui ipſe natus eſt, vel qui inde originem duxit: puta quia pater, vel eius maiores ex eo loco antiquitus progniti ſunt. Sed peritiores oriundum non eſſe qui ipſe natus ſit, exiſtimant, ſed qui genus duxit. Sic T. Liuius: Nati, inquit, Carthagine, oriundi à Syracuſis.

BRECHÆVS.

QVI IN CONTINENTIBVS. ¶ Quæ dicantur continentia vrbis, ſuprà eſt dictum *in l. ædificia. in l. 2. in l. vt Alphenus. hoc tit.* At quid ſit vrbs, ciuitas, & villa latiſſime tradidimus *in Commen. ad conſuetud. Turonenſ. præfectura, in titulum generalem. in verbo, La ville de Tours.*

FORNERIVS.

QVI IN CONTINENTIBVS. ¶ Tres liberos Romæ ſuſceptos,quatuor in Italia,quinque in prouincia patri profuiſſe conſtat:In continentibus nati.Romę nati:ſicut ædificia in continentibus extructa , Romæ facta videntur. *l.139.ædificia.ff.h.t.l.pen.* §. *Roma.ff.de excuſ.tut.* vt & ex vico vel municipio ciuitati obnoxio ortus,ciuitatis iura nanciſcitur.*l.30 qui ex vico.ff.ad municip. & de incol.* Maxime ex quo,poſt Antonini conſtitutionem(*l.17.in orbe.de ſtat.hom. Nouel.79.*)Rom.ciuitatis ius euiluit.*Nomen ciuium Ro.* (inquit Saluianus Maſſilienſ.*lib.5.de prouidentia.*) [aliquando non ſolùm magno æſtimatum,ſed magno emptum(actuum Apoſt.*cap.22.*) nunc vltrò repudiatur,ac fugitur:nec vile tantùm,ſed abominabile penè habetur.] En quo rerum humanarum conditio, quò rerump.ſtatus,& imperiorum faſtigium,temporum viciſſitudine delabatur.

Nati. ¶ Quid in adoptatis? Quamuis pro naturalibus,ex patrefam.eiúſque vxore ſuſceptis,in ſtipulationibus,adeundis hereditatibus, ſucceſſionibus, adoptiui conſequantur & in alimentis , obſequiis,nuptiarum conſenſu,ac pleriſque aliis filiorum iura conſequantur.*l.1.verſ.Marcellus.ad Sc.Syl. l.1.ff.de leg.præſt.*quod & veteri adoptationis formula indicat, apud A.Gellium *lib.5.cap.*19. At in lege Iulia Papia , quæ liberorum quærendorum cauſæ ſtuduit , vereor vt adoptionis commentum proſit. Nam nec is cui in tempus liberorum tertia pars relinquitur , tertiam partem adoptando conſequetur. *l.51.ſi ita quis.ff.de leg.2.* Nec quem à fideicommiſſo ſub ἀπαιδίας conditiune relicto , veluti (Si quis ex his ſine liberis diem ſuum obierit) excludet adoptio : id eſt fideicommiſſarius , perinde ac ſi conditio euenerit,excluſo adoptiuo vocabitur.*l.76.fideicommiſſum.de cond.& dem.*quę ad legem Papiam,vt hocce caput,inſcribitur. [Quoniam pœna quæ legibus aut edicto irrogaretur , adoptionis remedio non obliteraretur.] *l.42.filius.de bon.lib.* Et quamuis in honoribus adipiſcendis, vel detrectandis muneribus , numerus liberorum patri proſit. *l.s.de min.* neque tamen adoptiui excuſant patrem.§.*2.de excuſ.tut.l.2.§.adoptiui.ff.de excuſ.tut.* neque honorum dignitatem ficta conciliabit adoptio.Corn.Tacitus *annalium lib.*15. [Percrebuerat ea tempeſtate prauiſſimus mos,cum propinquis comitiis, aut ſorte prouinciarum, plerique orbi fictis adoptionibus adſciſcerent filios, prætúráſque & prouincias inter patres ſortiti,ſtatim emitterent manu,quos adoptauerant. Qui magna cum inuidia ſenatum adeunt,ius naturæ,labores educandi, aduerſus fraudem & artes, & breuitatem adoptionis enumerant:Satis pretij eſſe orbis,quòd multa ſecuritate, nullis oneribus gratiam, honores , cuncta prompta & obuia haberent.Sibi promiſſa legum diu exſpectata in ludibrium verti:quando quis ſine ſolicitudine parens, ſine luctu orbus, longa patrum vota repentè adæquaret. Factum ex eo ſenatuſconſultum. ¶ Ne ſimulata adoptio in vlla parte muneris publici iuuaret , ac ne vſurpandis quidem hereditatibus prodeſſet.] Hæc ille:quibus quæ à Timotheo epiſcopo,in eandem penè ſententiam *libro ſecundo ad eccleſiam Catholicam* diſſeruntur , adiiciam. [Nonnulli filios non habentes , quærunt quibus ſubſtantiam propriæ facultatis addicant.Id eſt,quibus vmbratile aliquod propinquitatis nomen inſcribant,quos ſibi quaſi adoptatos,imaginarij parentes filios faciant,& in locum eorum,quæ non ſunt pignorum , perfidia generante ſuccedant.] Certè ſi verum amamus , naturales adoptatis, tanquam imagini res ipſas præferre decet. Euripides in Erectheo , apud Stobæum, *cap.* 74. *Θετῶν δὲ παίδων τί κράτος; τὰ φύντα γὰρ κρείσσω νομίζειν τῶν δοκημάτων χρεών.*

CXLVIII. CAIVS lib. viij. ad legem Iuliam & Papiam.

NON eſt ſine liberis,cui vel vnus filius,vnáve filia eſt. Hæc enim enunciatio [habet liberos,non habet liberos ſemper pluratiuo numero profertur:ſicut & pugillares & codicilli.

ALCIATVS.

NON EST SINE LIBERIS. ¶ Hæc dictio,Liberi,etiam de vnico filio dicitur : ſolet enim Latinè loquentibus , plurali numero proferri , ſicut pugillares , & codicilli : quamuis quandoque etiam ſingulariter liberum dicamus :& vt Iuſtinianum omittam, cuius autoritas , quantum ad rem Latinam attinet,non multum pollet : Modeſtinus non poteſt.*l.ius ante.de pact.*inquit,quis nolle ſuum liberum eſſe. Vlpianus quoque. *l.nemo.prædo.ff.titulo* 1. Locupletior non eſt factus, qui liberum acquiſiuit.Addit Valla ſe eandem vocem apud Quintilianum obſeruaſſe. ¶ Pugillares quoque (ſunt hi libelli vel tabulæ ceratæ, in quibus ſcribebant,quos Græci,vt opinor,*ἐγχειρίδια* vocant) ſingulari numero reperiuntur,vt apud Auſonium : Bipatens pugillar expedi : quod & de codicillis frequentius inuenitur:ſed tamen qui caſtigatius loquuntur, Caij ſententiam hîc approbant: vt dubium non ſit , qui cum vnico filio filiáve decedat , ſine liberis non decedere. ¶ Sed hoc amplius conſtitutum eſt , conditionem , ſi quis ſine liberis deceſſerit , relicto nepote ex filia , deficere. *l.1.C.de condi.inſer.* receptúmque eſt idem eſſe , ſi additum eſſet , ſine liberis ex ſe natis : quoniam per continuationem ſanguinis , nepos vel neptis ſatis dicitur ex auito corpore naſci , vt Baldus & Cor.exiſtimarunt.licet reclament aliqui. *Guid.Pap.conſil.* 253. ¶ Sed quid ſi conditio de filiis loquatur? videtur enim in eo caſu ſaltem duos requiri propter pluralem numerum. Sed in deſcendentibus dubium non eſt, etiam vnico filio extante , ſubſtitutum excludi , idque coniectura pietatis.*l.cum auus.de condit.& demonſt.* ne alienos ſuo ſanguini præpoſuiſſe teſtator videatur. Dubitari igitur poteſt , cùm conditio illa extraneo adiecta eſt : nam tunc etiam ratio Caij hîc ceſſat. Sed tamen vnico nato deficere conditionem verius eſt , Bald.*d.l.1.* & receptius , vt ex præſumpta mente pluralis numerus in ſingularem re-

ſoluatur. Sicut in lege municipali, qua extantibus liberis, fœminæ excludantur: non enim eſt ratio, cur vnu exiſtente, excludi non debeant. Quod & in ea ſpecie proditum eſt, cùm pontifex mihi ſacerdotium, conferri mandat, ſi pro aliis non ſcripſit: nam vt ſubmoueat, vt pro vno ſcripſiſſe ſatis eſt: & ita pleriſque huius reſponſi argumento viſum eſt. Bal. Card. *c. mandatum. de reſcrip.* His accedat, quod ex facto reſpondit Calderinus *conſil. 42. de teſt.* cum heredes ſi ſine liberis decederent, ædiculam conſtruere a teſtatore iuſſi eſſent, altero defuncto ſine liberis non tamen alterum interim teneri, nec conditionem ſcindi. Sunt & id genus pleraque, quæ a recentioribus coacta legere eſt. Feli. *cap. omnes. 1. de maio.*

Brechævs.

NON EST. ¶Antiqui oratores (inquit Gellius *lib. 2. noct. Attica. cap. 13.*) hiſtoriæque aut carminum ſcriptores, etiam vnum filium filiámve, liberos, multitudinis numero appellarunt: idque tam virilis quam muliebris ſexus. Cicero *Philip. prima.* Præclara tum oratio M. Antonij egregiáque voluntas: pax denique per eum & per liberos eius cum præſtantiſſimis ciuibus confirmata eſt, &c. Hic Antonij liberos dixit Cicero numero plurali, cùm tamen vnum tantùm filium ſuum obſidem pro concordia Bruti & Caſſij, qui interfecto à ſe Cæſare in Capitolium confugerant, vt principum ſuaſu in forum tuti diſcederent, ipſe dediſſet. Terentius *in Heautontimor. Act. 1. Scen. 1.*

CH. Ingenio te eſſe in liberos leni puto.

Liberos, vt in eodem loco teſtis eſt Donatus, multitudinis numero dixit, cum Menedemus vnicum haberet filium. Idem etiam Terentius *in Hecyra. Act. 2. Scen. 1.* liberos in plurali pro filia in fœminino genere dixit. Qui (inquit) illud decrerunt dignum ſuos cui liberos committerent. Sic Cicero. En cui tuos liberos committas, & habemus enim liberos omnes, de puella dictum. Si quis itaque liberos dixerit de omnibus liberis cenſebitur dixiſſe, & ſi plures liberos, vel vnum tantùm filium habeat. Non enim hæc vox, liberi, aptè in ſingulari numero reperiri ſolet apud claſſicos Latinæ linguæ authores, ſed ſemper in plurali: vt pugillares, & codicilli, quoniam ſingulari carent, vt teſtatur Lauren. Vallenſis *lib. 3. elegant. cap. 5.* ¶Qui igitur ex nobis ſunt nati, liberos appellamus, id eſt filios ſeu natos, vſque ad trinepotem & reliquos poſteriores deſcendentes, *vt l. liberorum. infrà hoc tit.* quemadmodum, Parentes, vſque ad tritauum ac vlteriores aſcendentes, nominantur proprio vocabulo apud Romanos. At vlteriores qui ſpeciale nomen non habent, Maiores dictos Paulus tradidit. Qua ratione, videntur parentes, & liberi relatione quadam viciſſim haberi. Ideò autem liberi dicuntur filij, quòd liberaliter, vel liberalitate quadam, vt ait Donatus, educandi & regendi ſint. Quæ Etymologia ex Terentio manauit, *in Heautontimo. Actus primi ſcena prima,* his verbis.

PVDORE, *Et liberalitate liberos*
Retinere ſatius eſſe credo, quàm metu.

At verò, quòd ex nobis natos, liberos appellamus, Cicero *libro ſecundo de natura deorum,* teſtis eſt. Sed quòd ex nobis, inquit, natos, liberos appellamus, idcirco Cerere nati nominari ſunt liber, & libera, &c. ¶Cæterùm qui ſint Pugillares, docent hoc loco Alciatus. Dicimus & pugillar, & pugillaria neutro genere. Sunt autem pugillares ceteræ ſeu ligneę aut alterius materiæ tabellę in quibus ſtylo ſcribimus, vt teſtis eſt Valla *lib. 3. cap. 8.*

De hac l. vide FORNERIVM infrà l. ſeq.

CXLIX. IDEM lib. x. ad legem Iuliam & Papiam.

NAM quem ſine liberis eſſe, dicere non poſſumus, hunc neceſſe eſt dicamus liberos habere.

Alciatvs.

NAM QVEM. ¶Argumentatur Iuriſconſultus per locum à contrariis: repugnant enim, habere liberos & non habere vt altero conceſſo alterum neceſſarium ſit negari: quod genus argumenti ſemper concludit, niſi ex mente loquentis aliud colligatur: verbi gratia, hæc conditio, ſi Titius & Seius heredes erunt, altero repudiante deficit: ergò iſta, ſi Titius & Seius heredes non erunt, hoc caſu euenit, & tamen his verbis aliquis ſubſtitutus non admittitur. *l. quamuis. C. de impub.* Sed primus heres ſolidum habet, quod propter mentem teſtatoris eſt, qui videtur primum magis dilexiſſe, quàm ſubſtitutum. *Imol. §. cum ita. l. heredes. ad Treb.* Sed dubitari poteſt, cùm pluribus ſubſtitutum eſt, ſi ſine liberis legitimè natis deceſſerint, an pupillo ſubſtitutum videatur: & videri Bart. ſenſit, idque verius eſt *in l. centurio. de vulg.*

Brechævs.

NAM QVEM. ¶Illum qui liberos habet, dicere ſanè non poſſumus ſine liberis eſſe. Concludemus igitur a neceſſariis, eum liberos habere. E contrario, qui negat quem ſine liberis deceſſiſſe, contetur liberos tempore mortis habuiſſe. Si enim ante mortem patris liberi exceſſerint è vita, nõ dicetur pater mortis tempore filios habuiſſe: ergo ſine liberis deceſſiſſe. *tex. in cap. Raynutius. ad princip. vbi etiam gloſſ. in verb. filium ex eo. extr. de teſtamen.* Videto plura in hanc rem apud Bartho. Cæpolam in hunc locum. Sed & ſi quis vxorem prægnantem reliquit (ait Celſus *in l. ſuperiore de regul. iur.*) non videtur ſine liberis deceſſiſſe: ſi modò fœtus in vtero prægnantis vxoris viuus eſſet.

FORN

FORNERIVS.

NAM QVEM. ¶ Pendet & horum capp. interpretatio a legis Iuliæ ſententia: de cuius ſeptimo capite agens A. Gellius. [Sed poſtquam, inquit, ſoboles ciuitati neceſſaria viſa eſt: & ad prolem populi frequentandam præmiis atque inuitamentis vſus fuit, tum antelati quibuſdam in rebus, qui vxorem, quique liberos haberent. &c.] *lib. 2. cap. 15.* Quid ſi vnicum tantùm? Et quamuis numerus multitudinis, duos ſaltem deſideret *l. vbi. ſ. de teſtib.* Tamen quoties humaniori ſtudendum ſententię videtur, vt in Iulię legis argumento, tot iam exemplis oſtendimus: vt in fideicommiſſis, quorum non directa, ſed æquior interpretatio eſt: etiam qui vnum filium filiámve ſuſceperit, liberos habere dicitur. *l. 1. C. de pact.* Ideóque ſi in caſum *ἀπαιδείας* ſeu orbitatis rogatus hereditatem reſtituere: vno filio ſuperſtite, vel nepote ex filio, filiáue nato, vel pronepote, vel poſtumo relicto deceſſerit, non extitiſſe conditionem, ideóque fideicommiſſi petitionem defeciſſe reſcripſit Zeno. *l. antepen. C. ad Sc. Trebel.* Quod etſi ex mente teſtatoris accidere Papinianus reſponderit: [Volo reſtituas, ſi ſine liberis decedas, conditio deficit ex voluntate, vel vno filio ſuperſtite relicto.] *l. 101. pater. de cond. & dem.* Ex verbis tamen, quibus fideicommiſſi formula concipitur, idem defendi poſſit: cum & pro vno filio liberi vſurpentur. A. Gellius *lib. 2. cap. 13.* Nonnumquam latinæ voces pluratiui ſoni, vim numeri ſingularis obtinent: pugillares, codicilli, hîc. contraque ſingulari appellatione, cùm plura generis eiuſdem ſignificare vellent, Romani vtebantur. *l. 1. ſ. de aſſign. lib. l. 158. in vſu. ſ. hoc tit.* *Semper pluratiuo.* ¶ Scilicet apud auctores idoneos, qui puram puta in ſcribendo latini ſermonis conſuetudinem ſequuti ſunt: Nihil etenim Conſtantinopolitanos recentiores principes moramur: quos abiecta veteris Romæ togâ, palliatos, *Liberum* & *Codicillum* dicere non puduit. *l. 33. ſi quis ſuo. C. de inoff. teſtam. l. antep. verſic. liberum vel liberos. C. de ſecund. nupt. l. 13. generali. C. de ſacr. eccl. l. 14. non codicillum. C. de teſt.* Illud minimè ferendum eſt, quod quidam liberum ſingulariter, pro filio vſurpatum, non verẽtur adſtruere. Nàmque illud ex declam. *Cæcus in limine* petitum, *Liberi ac parentis is eſt affectus:* longè a Quinctilianı leporibus abhorret: ſpurium ac ſuppoſitum partum: ne ciue quidem Rom. editum. facile diiudices: ſi cùm elegantiori tanti auctoris ſobole, veriſque declamationibus committatur. Ac multò minus, id quod hic tentat Alciatus, probes, Qui Modeſtini reſponſum corruptis ſcerus exemplaribus refert, *non poteſt quis nolle ſuum liberum eſſe.* Obrepritia vox (liberum) meritò a Florentina editione exploditur. *l. 34. Ius agnationis. de pact.* Æquè idem vitioſè *liberum* pro *libertum* legit apud Vlpianum. [Locupletior non eſt factus qui libertum acquiſiuit.] *l. 126. nemo prædo. ſ. ſuu. ſeq.* Eadem ſententia, qua Paulus dixit, [quòd quis libertum habeat, non poſſe æſtimari:] *l. 5. fi. de praeſc. verb.* Et Iulianus, non teneri eum aliquid ex cauſa fideicommiſſi præſtare, qui rogatus fuerit manumittere: ſed qui pecuniam ex teſtamento, vel quid ſimile acceperit. *l. 94. plane. 2. fi. de legat. 1.* ſed hanc liticulam litteratorum ludo digniorem miſſam faciamus. *Vnáve filia.* ¶ Si quis vnam ſummam filiabus legauerit, vt etiam de poſtuma ſentiret: ſi ea non eſt nata, ſuperſtiti ſolidum, iure accreſcendi, debebitur. *l. 15. qui quartam. de leg. 1.* Quid? de ſpurio, ſeu filio tantùm naturali ſentiendum? Et palam eſt, nothos, quoties de iis quæ cuique iure ciuili deferuntur agitur, filiorum appellatione non venire: ſed iuſtos tantùm & legitimis nuptiis ſuſceptos, vt in ſucceſſionibus, & honoribus, capeſſendis: niſi vel idoneorum inopia ſit, vel de voluntate conſtet. *l. 3. ſ. de decurion. l. vlt. ſ. de iur. delib.* Itaque cùm Papinianus ſcripſiſſet etiam naturalem filium, vt fideicommiſſi [Si ſine liberis deceſſerit] conditio deficiat, efficere, ab Vlpiano notatur: [Mihi autem, inquit, quod ad naturales liberos attinet, voluntatis quæſtio videbitur eſſe, de qualibus liberis teſtator ſenſerit: ſed hoc ex dignitate: & ex voluntate, & ex conditione eius qui fideicommiſit, accipiendum erit.] *l. 17. ex facto. §. ſi quis rogatus, ad Sc. Treb.* Quoties (inquam) de patris mente conſtat, latiùs ex æquitate (quæ teſtantium voluntatem legis inſtar tuetur) filiorum nomen accipimus: vt ad naturales etiam producatur: exempla petere licet, ex *l. 77. cum pater. §. volo. l. penult. §. Dama. de leg. 2. l. 77. heredibus. fi. ad Sc. Trebel.*

Pugillares. ¶ *l. 6. de ſuppel. leg. l. 17. in commodato. §. ſicut. ſ. comm.* Ineptiunt, nodúmq; in ſcirpo quærunt, qui *pupillares* hic malunt.

Neceſſe eſt dicamus. ¶ Contrariorum contraria conſequentia eſſe placet: quorum vno poſito, alterum tolli: vno ſublato, poni alterum neceſſe ſit. Nox eſt ergo non dies: non dies, igitur nox. *l. 124. hac verba. ſ. hoc tit.* Non eſt ſine liberis, liberos ergo habet: liberos non habet, eſt ergo ſine liberis, vt Caius ratiocinatur, hic. *& l. 1. de iis qui ſuus ſui vel alieni.* Paulus. [Qui actu legato iter adimit, nihil adimit: quia neque actus ſine itinere eſſe poteſt.] *l. 1. de adim. leg.* Idem. [Nam qui incertus de ſuo ſtatu eſt, certam legem dicere teſtamento non poteſt.] *l. 14. qui in teſtamento. qui teſtam. fac. poſ.* Vlpian. *l. 4. de iuſtit. & iur. & l. 15. ſi per errorem. de iuriſdic.* [Quid enim tam contrarium conſenſui eſt, quam error qui imperitiam detegit?] Sed hoc enunciatum, nequem inſidioſe capias, de verè contrariis, meréque priuantibus intelligi oportet: cuiuſmodi hæc, mors, vita: verum, falſum: nox, dies: virtus, vitium: ſapientia, ſtultitia: Fortaſſis alia eorum lex oppoſitorum, quibus aliquid medium ineſt, atque interiectum: vt inter diem ac tenebras crepera lux: ſeu crepuſculum, inter liberum ac ſeruum, ſtatuliber. Illud non conniuentibus oculis exemplum cõtradictoriarum formularum tranſmittendum moneo, de quo peracutè diſputat Iulianus *in l. 13. ſiis qui ducenta. de reb. dub.*

CL. IDEM lib. ix. ad legem Iuliam & Papiam.

SI ITA à te ſtipulatus fuero, [Quantò minus à Titio conſecutus fuero, tantùm dare ſpondes?] non ſolet dubitari, quin ſi nihil a Titio fuero conſecutus, totum debeas quod Titius debuerit.

ALCIATVS.

SI ITA A TE. ¶ Qui promittit quantò minus à Titio exigetur, ſi nihil exigatur, ſolidum debet, quia dictio hæc, minus, ex mente contrahentium vim comparationis amittit, & perinde eſt ac ſi promiſiſſet, etiam ſi nihil à Titio haberi poterit. quod etiam ſuperius à nobis tractatum eſt. ¶ Hinc eſt quòd cùm Iuſtinianus conſtituerit coniugem inopem coniugi locupleti, in quartam partem bonorum ſuccedere, ſiue plures ſiue minus filij ſuerint, interpretabimur conſtitutioni locum eſſe, quamuis filij nulli adſint: quoniam dictio illa, minùs, etiam ad nihilum referri poteſt. *Auth præterea. in ſi. C. vnde vir.* idque Alexan. & Iaſ. probant. Sed & Bald. cùm conſtitutum eſſet, vt qui centum libris cenſerentur, ſoluant decem: qui minus, ſoluant quinque: etiam eum quinque debiturum ſcripſit, cuius cenſus eſſet nullus *l. ſi. §. ſi cer. pet.* ¶ Cæterùm quamuis hæc interpretatio admittatur: propriè tamen comparatiuum nomen naturam ſeruat, & poſitiuo confertur, & de eadem ſpecie intelligitur. Quapropter cùm lex verberantem mulcta decem aureorum adficeret, vulnerantem maiore, arbitrio iudicis: reſponſum eſt, non poſſe iudicem aliam quàm pecuniariam pœnam pro vulnere indicere: comparatiuum enim maiore ratione mulctæ collationem facit *l. vbi. de ver. ob.* idq; Cin. Bal. Iaſ. ſcripſerunt.

Debeas. ¶ Is enim, puta Seius, qui in ſubſidium promiſit, videtur ſub conditione debere. *l. 10. de ver. ob.* quatenus à Titio conſequi non potero, & ideo propriè fideiuſſor non eſt, & ante euentum conditionis, id eſt, priuſquam conſtet à Titio me non poſſe conſequi, vtiliter cum eo agi non poteſt. Arbitror tamen poſſe me ab eo totum petere, dum tempore accepti iudicij, id eſt, quo lis conteſtatur, excuſſionem fieri procurem, & per iudicis interlocutionem declarari, quatenus Titius ſoluendo ſit: nam quantò minùs ſoluendo erit, tantò petitionem totius, prius præſtitam moderabor, idque a Seio conſequar: nec ideo in aliquo puniar, quòd à principio plus petierim: quam ſententiam Celſus probat. *l. ſi. ſi cert. pet.* licet in vulgatis codicibus cum priùs legeretur, tantò minus poſtea petere poſſum: additum exiſtimem, à Titio: & inde maxima inter Doct. altercatio orta ſit.

BRECHÆVS.

SI ITA A TE. ¶ Rem meam cùm ego venderem Titio, obligauit ſe mihi Titius in centum. Interceſſit Mæuius à quo ſtipulatus ſum [Quanto minus] à Titio conſequutus eſſem, tantùm daret & mihi perſolueret. Tandem aliquando ipſe Titius in eam deuenit paupertatem, vt mihi omnino ſoluendo non ſit, Mæuium ſine dubio periculum debere ſubire, & ad tota centum teneri Caius reſpondit, & idem Papinianus *in l. decem ſtipulatus. ff. de verb. obl.* Sed id ita præſcribendum erit, ſi modò prius conuenìatur Titius, & iudici probauero eum ipſum Titium omnino non eſſe ſoluendo, diſcuſſa vndique Titij paupertate. Alioqui pendente ea conditione, [Quanto minus] pendet etiam obligatiò Mæuij. Ideo ait idem Papinianus, ſi centum à Titio petieris, non erit ſolutus Mæuius, niſi iudicatum Titius fecerit. Non enim ſunt duo rei Titius & Mæuius einſdem obligationis: ſed Mæuius ſub conditione debet, ſi à Titio exigi non poterit. Igitur, nec Titio conuento Mæuius liberabitur, qui an debiturus ſit, incertum eſt: & ſoluente Titio non liberabitur Mæuius: quia nec tenebatur, cum conditio ſtipulationis defecit: nec Mæuius pendente ſtipulationis conditione rectè poteſt conueniri. Non enim a Mæuio ante Titium excuſſum rectè petetur. Atque hoc ipſum quidem eſt quod dicimus conueniendum non eſſe nec compellendum fideiuſſorem, niſi excuſſo demum principali debitore, vt cautum eſt *auth. præſente. C. de fideiuſ.* Quod ſecus ſe habet in duobus reis ſtipulandi, qui ea lege & conditione pacti ſunt vt in ſolidum tenerentur. *auth. hoc ita. C. de duob. re. ſtip. & prom.* Cuius differentiæ eam rationem tradiderunt Sal. Ang. Peruſ. Bald. & Cyn. quòd hi ſuo & proprio morbo laborant, illi verò alieno tenentur. Quare fideiuſſori magis ſuccurrendum cenſent. Venia namque digni ſunt qui aliena tenentur culpa, cuiuſmodi ſunt fideiuſſores pro alieno debito obligati. *arg. l. legem. C. de nat. lib. gl. c. in noſtra. ſuper verb. ſimilem. ad ſi. ext. de procur.* ¶ Quid autem, ſi vulgò compertum ſit ac notum, ipſum debitorem omnino non eſſe ſoluendo, an nihilominus diſcutiendus ſit, an verò fideiuſſor primùm conueniendus? Et Bart. *in l. ſi. C. ſi cert. pet.* cenſuit conueniendum, neque amplius debitorem excutiendum. & Bald. *in capit. ex rupto. de iureiurando.* Quo loco aliter præſcribit & limitat dictam Authenticam præſente. Idem Bartol. *in l. ſi ſeruum. §. videamus. & in l. decem. dicto titulo, ſi certum petatur. C.* Sed hæc ſententia Bartoli & Baldi nullius eſſet in noſtris decuriis Franciæ authoritatis. Vulgò enim obſeruamus, vt prius legitimè probatum ſit iudici debitorem ſoluendo omnino non eſſe, diſcuſſis vndique illius bonis, quàm ad fideiuſſores aut tertios poſſeſſores deueniatur, ſecundum d. authen. *præſente. & d. l. decem ſtipulatus. & l. fin. ff. ſi certum petatur.* Quid ſi fideiuſſor iamdudum admonuerit creditorem, vt à debitore, cuius nomine fideiuſſorem ſe exhibuit, debitum exigeret, ac futurum eſſe vt bona omnia prodigat & abſumat, euenit tandem vt debitor ipſe ſic æs alienum conflauerit, vt bonis cedere iam fuerit coactus, an fideiuſſor, eo quod creditorem eius periculi prius admonuit, ſimul & ei denunciauit vt futuro atque impendenti damno ſtaudique proſpiceret, liberandus ſit? Reſpondit Scæuola liberandum eſſe, & creditorem exceptione doli ſummouendum. *l. ſi fideiuſſor creditori. ff. de fideiuſſoribus.*

FORNERIVS.

SI ITA A TE. ¶ Comparatiuæ ac ſuperlatiuæ voces nonnunquam pro ſimplicibus ac poſitiuis a iuris auctoribus vſurpantur. Minus ſoluit, etiam qui omninò nihil ſoluit. *l. 32. minus. §. h. s. καὶ ἔλαττον, καὶ μηδὲ ἐν ὅλως.* Græci. *l. 12. vt ſi cui. §. h. tit.* Qui ſtipulanti [Quanto minus] à reo conſequetur, tantum ſe daturum ſpondet, ſi nihil à reo creditor cóſequatur, totu hac clauſula promiſſum intelligitur.

Minus ſolutum, id eſt *nihil.* hic *l.82. verbum amplius.* ̄ſ. *h.tit.* Amplius non petere, id eſt omninò nihil. *l.4.§.Cato.* ̄ſ. *de ver.ob. l.14. ſi quis vnt.l.ſequen. l.antepenult. rem rat.hab.* [Nihil à Titio conſequutus.] ¶Inſcriptionis coniectura ducor ad ſuſpicandum, patronum ſtipulari, ſi quid liberti teſtamento amplius legetur, quàm vt iure legis Papiæ (de qua ſuperiùs egimus) debita ipſi ex liberti hereditate portio ſalua ſit, id ab expromiſſore legatarij conſequatur. Quod obligationis genus fideiuſſoriæ affine videri poſſit. Quale apud Celſum, Si ego decem ſtipulatus a Titio, deinceps ſtipuler à Seio, [Quanto minus à Titio conſequi poſſim, &c.] *l.vlt.* ̄ſ. *ſi cer.pe.* Non tamen verè fideiuſſorem dicemus, qui nunquã, niſi nominatim, ac tanquam fideiuſſor, per ſtipulationem acceptus obligatur. *l.41. fideiuſſeres.* ̄ſ. *de fideiuſ. l.6. Blanditus. C.eod.§.vlt.eod.tit.Inſt.* Sed potiùs indemnitatis promiſſorem, & eum quidem conditionalem. *l.1.C. de conuen.fiſc.deb.l.116. decem.de ver.obl.l.19. ſi filius.* (quod quidem caput recentioribus in libris prætermiſſum miror) ̄ſ. *tit.ſeq.* Differentia vtriuſque non vna cernitur. Primùm hic proprio ſuóque nomine, vbi conditio euenerit, obligatur. Fideiuſſor verò alienæ rei prototypi obligationi accedit. §.1. vbi Theophil. *de fideiuſ.* Deinde ſi plures eſſent, alter alterius nomine non teneretur. *l. vlt.ſi.* ̄ſ. *rem pup.ſal.fer.* In pluribus verò fideiuſſoribus, quamuis ipſo iure in ſolidum obligatis diuiſionis beneficium D.Adriani epiſtola introductum obſeruatur. *§.ſi plures.de fideiuſ.Inſt.l.pen.* ̄ſ. *de fideiuſ.* Poſtremò per fideiuſſoris conuentionem ac litis cum eo inſtitutę conteſtationem, non liberatur reus. *l.23.reos.l.vlt.C.de fideiuſ. l.18.item fin.* ̄ſ. *de conſt.pec.* Indemnitatis verò promiſſor ſuo videlicet nomine obſtrictus, litis conteſtatione reum, etiam inuitum, quaſi per delegationem (quæ iudicij acceptione fit) liberat. *l.2. C.ſi mater indemnitat.promiſ.l.11.delegare.* ̄ſ. *de nouat. l.23.ſolutione.* ̄ſ. *de ſol.d.l.vlt.verſ. ſed etſi cum Seio.* ̄ſ. *ſi cer.pe.* Quare nihil ad rem pertinet, quod de duobus reis obiicitur, in quibus nulla per alterius conuentionem nouatio induci ſolet. *l.8 ſi ex toto. §.ſi ita. verſ.quid ergo.de leg.1. l.3.* ̄ſ. *de duob.reis.* De excutiendo ante fideiuſſorem reo, nihil attinet hoc loco pluribus agere: non enim hic fideiuſſor acceptus eſt.

CLI. Terentivs Clemens lib.v.ad legem Iuliam & Papiam.

DELATA hereditas intelligitur, quam quis poſſit adeundo conſequi.

Alciatvs.

DELATA. ¶ Vt adire hereditatem quiſquam poſſit, neceſſarium eſt eum ſcire hereditatem ſibi delatam, & delationis cauſam. Et ideo ſi neſciat teſtatorem mortuum, vel dubitet de iuribus teſtamenti, vel quomodo ſit inſtitutus, purè an ſub conditione, vel an aliquis eum præcedat: Itémque an teſtator iure teſtatus ſit, vel ex qua cauſa ſibi hereditas deferatur, ex teſtamento, an ab inteſtato, vel ex quota parte ſit heres. *l.ſi poteſt. de acq.her.* ſuuſne & neceſſarius an voluntarius, adire non poteſt, quapropter nec repudiare. ¶ Explicat igitur Iuriſconſultus, quæ dicatur delata hereditas: & propriè ſic dici arbitratur, quando eam heres adire poteſt, ita quòd nihil neque ex parte hereditatis, neque ex parte heredis impedit, quo minus eam conſequi poſſit. Quod ſi aliquid impediat ex perſona ipſius heredis, puta quia ignoret, huic propriè hereditas, vt quidam exiſtimant, non dicitur, delata. Hinc eſt, quòd furioſo non dicimus delatam. *l.1.§. furioſi. de ſuc.ed.* largè tamen accipiendo ſecus eſt. Hinc dubitatum fuit, Si lex municipalis hereditatem delatam in quemcumque ſucceſſorem tranſmitti mandet, an ea tranſmittatur quam quis ſibi delatam fuiſſe ignorauit. Aliqui negant. *Math.not.* 194. ſed Alex. *in d.l.ſi poteſt.* & plerique aiunt, quibus ego accedo, & quamuis heres ignoret, hereditatem propriè delatam dici arbitror: poteſt enim eam quis adeundo conſequi. *l. Plautonius.de acq.hered.* quod in dubitante non procedit. Quapropter & infanti propriè dicitur delata *l.ſi infantis.C.de iur.del.* qui quamuis in præſentia ius ſuum ignoret, tamen præſumitur quòd factus adultior ſciet, at furioſus nec ſcit, nec ſciturus præſumitur: vnde illi non pleno iure, ſed miſerationis cauſa ratione fructuum prouidetur. *l.1.* ̄ſ. *de bon.poſ.infan.fur.*

Conſequi, & repudiando amittere. ¶ Sed cur nondum delatæ hereditatis repudiatio non valet. *l.is qui heres. de acq.her.* cùm faciliùs videatur ſpem ipſam à nobis ſegregare, quam ius ſemel quæſitum? Alc. reſpondet, eum qui repudiat, nihil iuris ſibi acquirere, nec in alium transferre. nec enim transferre poteſt, quod ipſe adhuc non acquiſiuit. *l.fuit. eod.tit.* & ideo quamuis pendente conditione repudiauerit, nihilominus lex ei ius defert: ſed quando iure delato repudiat, ſubit incontinenti qui gradu proximus eſt. vnde qui repudiauit, excluditur, pendente verò conditione, nemo ſubdit, cùm interim vocetur nemo. quòd ſi quis futurum pacto remiſit, vel in iudicio publicæ perſonæ abſentis nomine acceptanti renunciauit, licet nihilominus lex ei hereditatem legatúmve deferat, ex pacto tamen non agnoſcere id lucrum tenetur, ſi modo paciſcentis intereſt. in hoc Raph. Paul. & Iaſ. conſenſerunt, *in d.l.ſi quis.* ¶ Sed vnde eſt, quòd decretalem bonorum poſſeſſionem repudiari non poſſe lex ait? *l.1. de ſuc.ed.* quoniam antè, quàm decreta ſit, non eſt delata: poſtquam autem decreta eſt, ſerò repudiatur, quod iam acquiſitum eſt. Cùm enim id ſit delatum, quod adeundo poſſumus conſequi, ſi in caſu à lege permiſſo decretalem petam, cùm eam conſequi poſſim, cur delata dici nõ debet? Et ſi communem ſententiam ſequamur, qua traditum eſt, eandem bonorum poſſeſſionem antè, quàm decreta ſit dici edictalem, non video quid reſponderi eleganter poſſit: ſed exiſtimo edictales bon.poſſ. eſſe, quas ordinarias vocamus, & quæ ius tribuunt: decretales verò extraordinarias, quæ ſunt facti, vt Carboniana, & quæ ventris nomine, vel litis inſtituendæ gratia. *l.2. §.ſi quis ex libe.ad Tert.* itémque, quæ furioſo decernitur. Nam vt demus etiam in ordinariis hoc ſure decretum neceſſarium fuiſſe, ſolæ tamen extraordinariæ decretales dictæ ſunt, quoniam hæ potiſſimum à decreto pendent: priores enim etiam antequam concedantur, aliquid ſunt, & ius in ſe continent, quo defuncti perſona repræſentatur: ſed poſteriores omnem ſubſtantiam ex prætoris decreto accipiunt, & eodem momento oriuntur

peten

petentíque acquiruntur: non ergo ante decretum poteſt dici ius aliquod delatum eſſe, cùm ius nullum adhuc ortum ſit, ſed ſperemus vt ex decreto prodeat.

BRECHÆVS.

DELATA. ¶ Triplici iure deferri hæreditas dicitur. Aut enim defertur ex teſtamento, iure ciuili: aut ab inteſtato ad ſuos, ex lege xij. Tab. aut iure honorario, id eſt bonorum poſſeſſione. Traditur hoc ampliſſimè *in tit. de her. ab inteſt. inſt. ciuil. & l. qui autem. § 1. ff. quæ in fraud. cred.* Delatam igitur hereditatem intelligi oportet, quam quis iure nulloque impedimento adire poteſt. Bald. *in l. potuit. C. de iur. del.* Ecce enim ignoranti, indigno, aut etiam nolenti & repudianti delata minimè cenſenda erit. Videto latius hic Alc.

FORNERIVS.

DELATA. ¶ Hereditas duobus quidem defertur, id eſt obuenit modis, vel teſtatoris iudicio, vel lege, ab inteſtato. *l. 130. lege. 3. h. tit.* Acquiritur verò aditione, vel geſtione pro herede. Amittitur repudiatione, *tit. 5. de acq. vel omit. her.* Suſpenditur tempore ad deliberandum conceſſo. Iacet interim dum non aditur. Neque enim quiſquam ipſo iure fit heres [ſi neceſſarios heredes excipias] vt abſtinendi ius non habeat. *l. 16. nec emere. C. de iur. del. tit. de her. qual. & diff. Inſt.* Nec filius ſeruuſue, patris dominiue iniuſſu adeundo inuitum patrem vel dominum obſtringet hereditati. *l. 6. qui in aliena. l. 25. ſi quis mihi. §. iuſſum. de acq. her.* Delata neque acquiſita, neque amiſſa adhuc, ſed in pendenti eſt, donec aditione adquiratur. *§. extraneus. de her. qual. & diff.* Quod ſola animi deſtinatione, teſtatione vel geſtione contingit. *l. 20. pro herede. l. 88. gerit. de acq. her.* *Adeundo conſequi.* ¶ Quinque conditionibus adeundæ hereditatis poteſtas continetur. In primis vt delata ſit. *l. 20. ſi quis extraneus. §. 1. l. 80. ſi ſolus. de acq. her. l. 2. § illud. de her. vel act. vend.* à morte teſtatoris, & poſt apertas tabulas. *l. vn. C. de iis qui aper. tab. l. vn. C. de cad. tol.* Deinde vt certus ſit, eam ſibi delatam eſſe, qui aditurus eſt. *§. pro herede. de her. qual. & diff. l. 19. qui hereditatem. de acq. her.* Tertiò vt rebus integris adeat, cum ſcilicet nondum repudiauerit, vel tempore excluſus non fuerit. Semel enim repudiata, adiri amplius non poteſt. *d. §. extraneus. l. 8. ſi quis. 3. de iur. del.* Repudiare autem is demùm poteſt, qui & acquirere. *l. 13. is qui heres. l. 18. is poteſt. de acq. her.* Quartò ſibi non alij acquirat. Nam ſi alij acquirat, ipſius iuſſu adeatur, neceſſe eſt. *d. l. 6. d. § iuſſum.* Quamuis domini iuſſum detrectare ſeruus poſſit, adire nolit. *l. 3. C. de her. inſt.* Poſtremò vt hereditatem delatam, quatenus delata eſt, aut totam adeat, aut totam repudiet. *l. 1. & 2. de acq. her.* ne quis pro parte teſtatus & inteſtatus decedat. *l. 7. ius noſtrum. 3. tit. ſeq.* *Poſſit conſequi.* ¶ Antequam ergo adeatur, non eſt heres, niſi iuris poteſtate: ſi modò capax ſit, id eſt eius conditionis, vt legibus, veluti Voconia in mulieribus, Iulia in orbis, peregrinis, &c. adire non prohibeatur. *l. 52. non oportet. de leg. 1.* quæ vt hocce caput, ad legem Iul. Pap. inſcribitur. In quibuſdam codicibus additur (quod in Florentino exemplari deſideratur) extremum hoc, [Vel repudiando amittere.] neque id abs re: cum delata æquè repudiari, ſi damnoſa ſit, ac adiri poſſit. *d. l. 16. nec emere. C. de iur. del. l. 1. de ſuc. edict.* Quid? idémne & in legatis ſeruabitur? Maximè. Vt enim delatum ſibi quiſque legatum agnoſcendo acquirere, ita & repudiando poteſt amittere. *l. 86. ſi tibi homo. §. cum ſeruus. de leg. 1.* Imò ſi ſeruo noſtro deferatur. *l. 7. legatum. de leg. 1.* Quamuis legatum alij, quàm cui datum, nulli adimatur. *l. 21. legatum. de adim. leg.* Pater autem ſine filio, delatam filio hereditatem non repudiat. *l. 13. is qui heres. ſi. l. ſeq. de acq. her.* Cur ita varie? Nempe quòd faciliùs legata, quàm hereditates & acquirantur, & repudientur. *l. 77. cum pater. §. ſurdo. de leg. 2. l. 64. à Titio. de furt.* hereditas ab eo ipſo cui defertur, vel adeunda vel repudianda eſt. *d. l. 3. C. de her. inſt. l. 5. C. de iur. del. l. 65. ſeruo. ad Sc. Trebel.* Vt mirum non ſit, dominum qui ſolus hereditatem non poſſit adire, ſolum nec repudiare poſſe. *d. l. 18. is poteſt.* Nam quod obiicitur *ex l. 1. de ſuc. ed.* facilè diſſoluitur, etiam ſi eo perfugio, quo quidam vtuntur, abſtineam: repudiare quidem delatam ſeruo hereditatem dominum, at per ſeruum. Verius eſt, ibi Vlpianum non de hereditate quæ iuris ciuilis eſt, ſed prætoria ſucceſſione, ſeu bonorum poſſeſſione diſſerere, in qua, ſicut aliis pleriſque negotiis, nimiam iuris ſubtilitatem Romani neglexerunt. *l. 1. l. 7. bonorum. C. qui adm. ad bon. poſ. l. 25. ſi quis mihi. §. iuſſum. de acq. her.* Et quoniam qui occaſione acquirendi non vtitur, alienare non videtur, nec fraudem facere. *l. 6. quæ in fraud. cred. l. 1. §. vtrùm. ſi quid in fraud. patron.* delatam hereditatem, qui conſequi poterat, impunè omittet. *l. 28. alienationis. 3. h. t.* ¶ Nondum enim verè noſtrum, quod delatum modò eſt, dicere poſſimus, niſi tria concurrant. Primum mortuum eſſe teſtatorem oportet, cum nullum viuentis teſtamentum, *l. 1. ver. poſt mortem. qui teſt. fa. poſ.* proinde nec hereditas, nec hereditatis delibatio, ſeu legatum. *l. 19. qui duos. ſi. de man. teſt.* Deinde hereditatis aditio neceſſaria eſt: quia deſtituto teſtamento, quæ in eo ſcripta ſunt, omnia intercidunt. *l. 1. ſi. l. 2. vt legat. nom. l. 9. ſi nemo. de teſtam. tut.* Et heredis aditione, legata, libertates, cætera confirmantur. *l. 10. ſi plures. de vulg. & pup.* In cuius poteſtate ſitum eſt, abſtinendo (modò citra fraudem) efficere, ne legata debeantur. *l. 281. ſi nemo. 3. tit. ſeq. d. l. 16. nec emere. l. 73. in quantitate. ad leg. Falc. tot. ſi quis omiſ. cau. teſt.* Poſtremò relicti delatique legati agnitione, ſeu acceptatione opus eſt. Quod ſi legatarius repudiet, nec ad ſe pertinere velit, in hereditate manebit, nec inuito adquiritur. *l. 43. Titius. 3. de action. empt. l. 41. vxorem. §. agri. de legat. 3.* Interim autem dum deliberat, ita pendet rei legatæ dominium, vt nec heredis, nec legatarij propriè ſit. *l. 15. quædam. de reb. dub. l. 86. ſi tibi homo. §. cum ſeruus. l. 44. ſeruum filij. §. 1. de legat. 1. l. 8. proinde. ſuprà. ſi certum petatur.* Semel autem agnitum, exit de hereditate, ac fit legatarij: retróque ad aditionis, imò mortis diem agitur, cum rei vtilitate, cauſa, conditione, damno, noxa. *l. 8. ſi ex toto. l. 21. grege. de legat. 3. l. 39. equis. de vſur. d. l. 64. à Titio.* Legatum igitur non ſtatim ac delatum, ſed vbi demum agnitum fuerit, acquiretur: delatum cedit, debetur. Acquiſita amitti non poſſunt, delata poſſunt. *l. 1. § decretalis. de ſucceſſor. edicto. l. 41. ſeruum filij. §. 1. de legat. 1.*

Qua ex differentia, acquiſitíque ac delati legati diſtinctione, Modeſtini ac Pauli diſſidium componi-tur. Nam delatum duntaxat ſeruo legatum dominus repudiare poteſt, Acquiſitum non poteſt. Paulus autem de delato tantùm reſpondit. *d.l.7.de leg.1.* Modeſtinus verò, de iam quæſito. *l.34. Titia.§. Lucia. de leg.2.* ſicuti hereditas delata, vt hoc loco dicitur, & adeundo quæri, & repudiando amitti poteſt.

CLII. CAIVS lib. x. ad legem Iuliam & Papiam.

HOMINIS appellatione tam fœminam quàm maſculum contineri, non dubitatur.

ALCIATVS.

HOMINIS. ¶ Homo commune nomen eſt, & tam maſculinum, quàm fœmininum continet, idq́ue exemplo Græci ſermonis, ἄνθρωπος: nam & Hebræi Adam quo nomine terra natum hominem ſignificant, ad vtrunque ſexum referunt, vt habetur *Geneſ. 5.* Creauit eos, & benedixit illis, & vocauit nomen eorum Adam. Ridiculi verò ſunt antiquiores Græci, dum neſcio quem Adamum finxerunt Cœli & Terræ filium, qui Adameæ regioni nomen dederit, vt apud Stephanum περὶ πόλεων legere eſt. Dicitur autem homo ſiue abhumo, vt Varro exiſtimauit, ſiue à concordia, ἀπὸ τῆς ὁμονοίας, quòd nullum animal ſit ſocialius. ¶ Et hinc apparet, legem quæ de hominibus loquitur, etiam de fœminis accipiendam eſſe, & quidam propriè. *l.1.ſ.eod.* quod arbitratur Bart. etiam ſi articulus quis præponatur. In qua tamen re dubito, moueórque exemplo Græcorum, qui per articulos ὁ καὶ ἡ ſexum diſtinguunt. Illud conſtat, cùm hominem dicimus, quemcunque contineri, non ſolùm ſiue maſculus ſiue fœmina ſit, ſed ſiue liber ſiue ſeruus, ſiue pubes ſiue impubes. *l.4.§.1.de lib.hom.exh.* Sed an is, qui in vtero eſt, homo dicatur? *l.cum inter.de fid.lib.* Et conſtat non dici. expectari igitur lex iubet poſtquam natus eſt, & in terram ceciderit *l.pen.C.de poſt.her.* quæ verba ex antiquorum conſuetudine interpretari debemus. Siquidé ſolebant veteres, vbi quis natus eſſet, nudum protinus in terra ſtatuere, opémque Deûm inuocare, vt naſcenti auxilio eſſent: cuius rei meminit Aug. *Ciuit.diuina lib.4.* & Plin. *lib.7.* Macrobiúſque. Hinc Statius: Tellure cadente Excepi, fouique ſinu.

BRECHÆVS.

HOMINIS. ¶ In ſacra ſcriptura apud Hebræos, homo aliter Enos, aliter Adam appellatur. Sed propriè Enos eum eſſe volunt qui recta ratione præditus, veri Dei cognitionem habeat, quem Latini verum hominem interpretantur, & pium ac religionis amantem. At verò nomine Adam, vniuerſam hominum generationem comprehendunt: & tam viro quàm fœminæ conuenit ac commune eſt: quod terra natum ſignificat. Quemadmodum igitur homo apud Latinos propria verbi ſignificatione maſculum ſimul & fœminam complectitur, ſic etiam Adam apud Hebræos ad vtrunque ſexum commune nomen eſt, vt videre eſt *ex c.5. lib.1.Geneſ.* Maſculum & fœminam creauit eos, & benedixit illis, & vocauit nomen eorum, Adam. Cùm Plin. *lib.6.nat.Hiſt.c.1.* & Cic. *in Tuſc.quæſt.* ac reliqui Philoſophi ſcripſerint omnia hominis cauſa naturam genuiſſe, intellexerunt tam marem quàm fœminam, quod dubitari non ſolet. Cic. *lib.1.de legib.* animal hoc prouidum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & conſilij quem vocamus hominem, præclara quadam conditione generatum eſſe a ſummo, &c. Hanc vocem homo, ſub vtroque ſexu enunciauit Cicero. Tam eſt enim capax rationis & conſilij mulier quàm vir. Quare quando maſculum tantùm dicere Latini volunt, virum appellant, quòd maior in eo vis eſt quàm in fœmina, vt teſtis eſt Lactant. *in lib.de opific. Dei.* & hinc Virtus nomen accepit. Nam plus roboris maribus attributum eſt, ait ipſe Lact. *c.12.* quo facilius ad patientiam iugi maritalis fœminæ cogerentur. Sic à Græcis dicitur ἀνὴρ quod vir à Latinis, παρὰ τὸ ἄνω τὸ ἀνύειν ... , & per Syncopem ἀνήρ. Hominem autem τὸν καὶ τὴν ἄνθρωπον maſculino & fœminino genere dicunt παρὰ τὸ ἄνω θρεῖν, καὶ ὅπωπε βλέπειν, μόνος γὰρ τῶν ἄλλων ζώων ὁ ἄνθρωπος ἄνω βλέπει quòd ſurſum aſpiciat & intueatur. Solus eſt enim reliquorum animantium ſurſum aſpiciens & oculos torquens ad cœlum, ἢ παρὰ τὸ ἀναθρεῖν ἃ ὄπωπε, id eſt, conſiderare ea quæ vidit, vt Platoni viſum eſt, ... ἃ εἶδε καὶ ὄπωπε. Hominem quippe ab humo dictum plerique exiſtimarunt, & falſo hercule. Nam propriè homo, eſt animus ille immortalis delibatus ex ſempiternis illis ignibus, vt ait Cicero, & in quo nihil eſt admiſtum aut concretum, aut quod ex terra natum fictúmque eſſe videatur. Tamen quatenus ad corporis humani fabricam attinet, vera poteſt eſſe etymi ratio. Dicimus namque & exteriorem & interiorem hominem, pro corpore & animo. Sed diuus Ambroſius *libro ſexto hexaemer.* ab humanitate hominem dictum arbitratus eſt, ſicut ab intuendi & cogitandi acumine & viuacitate ἄνθρωπον Græci nominant, vt ſupra diximus. Quod etiam teſtificatur Cælius Rhodoginus *libro ſecundo lection.antiqu. cap. vigeſimo.* Quo loco ampliſſima de homine tradit. Hic ſanè nequaquam omittam (quod & memoria repeti dignum fuit) Plinium ſcripto reliquiſſe *libro nono hiſtor.natural. capite quinto*, marinum hominem viſum in Gaditano Oceano, toto corpore abſoluta ſimilitudine, aſcendere nauigia nocturnis temporibus, ſtatímque degrauari quas inſederit partes: & ſi diutius permaneat, etiam mergi. ¶ Hoc ſiquidem caput ſeu lex, eò pertinet, vt intelligamus vocem quæ maſculino genere enunciata ſit, etiam fœmininum comprehendere, vt ſuprà traditum eſt in *l.1.huius titul*i, & aliis deinceps locis. Et quoties lex ſeu teſtator hominem dicit, tam marem quàm fœminam intelligere, niſi aliud expreſſius appareat, adiecta videlicet qualitate, aut proprio nomine. Vt cùm dicitur, hominem Titium do lego, & ſi quid aliud eiuſmodi enuncietur.

FORN

FORNERIVS.

HOMINIS. ¶ Commune vtrique ſexui nomen eſt, Homo. Hæc edicti prætorij verba. [Quem liberum] ad omnem liberum pertinent: ſiue pubes ſit, ſiue impubes, ſiue maſculus, ſiue fœmina. *l.3. de hom. lib. exh.* Plautus *Ciſtellaria*, [Metus vtrobique me agitat, illos hominis miſeræ miſeret.] Cicero *in Cluentiana*, [Cuius ea ſtultitia eſt, vt eam nemo hominem: ea vis, vt nemo fœminam, ea crudelitas, vt nemo matrem appellare poſſit. Neque apud latinos tantum *hominis*, ſed & apud Græcos, *ἀνθρώπου* nomen in fœminam cadere, auctor eſt Clemens Alexandrinus, cuius ego verba extremo *c.4. lib.1. Pedagogi* huc non inuitus aduocabo. Κοινὸν οὖν καὶ τοὔνομα ἀνδράσι καὶ γυναιξὶν ὁ ἄνθρωπος: ſed & ei Demoſth. teſtem conſentaneum allegabo, *in orat. contra Nearam*: refertur trium arbitrorum ex compromiſſo à Phrynone ac Stephano de Neæra concubina contendentibus ſumptorum ſententia. γνώμην δ' ἀπεφήναντο, καὶ οὗτοι ἐσόμενοι αὐτῇ, τὴν μὲν ἄνθρωπον ἐλευθέραν εἶναι, συνεῖναι δ' ἑκατέρῳ ἡμέραν παρ' ἡμέραν. Id eſt, Pro arbitrio, eam hominem liberam quidem eſſe, verùm in vtriuſque alternis diebus contubernio futuram cenſuerunt. Ergo & hîc appoſitè Græci reddiderunt, τῇ τοῦ ἀνθρώπου προσηγορίᾳ καὶ ἀνὴρ καὶ γυνὴ δηλοῦται. Quamquam inter vtrumque ſexum, iure plurimum intereſſe docuimus. *l.1. ff. h.t.* ſed & natura multis notis ſeparauit ac diſtinxit: vir à vi, mulier, à mollitie: ἀνήρ, quaſi ἀνύω: quòd gerendis efficiendiſque negotiis ſit idonior, ſi cum muliere, quæ imbecillior eſt, conferatur. πρακτικὸς γὰρ καὶ ἀνυστικὸς, ὡς πρὸς τὴν γυναῖκα. Auctor Etymolog. [Tam fœminam quàm maſculum.] Cuiuſcunque ſexus, ætatis, conditionis. Vt qui cum telo hominis occidendi cauſa ambulauerit, in pœnam legis Corneliæ de ſicariis incidat, veluti ſi infantem. *l. pen. C. ad leg. Corn. de ſic.* vel etiam eum qui vtero matris adhuc geſtaretur. *l.38. ſi quis aliquid. §. abortionis. ff. de pœn.* Nam qui fœtum necantia pharmaca dant, vel accipiunt, homicidarum pœnis ſubiciuntur: ἀμβλωθρίδια φάρμακα, καὶ ἐμβρυοκτόνα δηλητήρια. *can.92.* Sextæ ſynodi in Trullo habitæ. Nec refert ſiue quis ſeruum, ſiue liberum interemerit. *l.1. de iis qui ſunt ſui vel al. iur. l.1. ver. non habita ratione cuius conditionis hominem. ff. ad leg. Corn. de ſic.* Quamuis lex Numæ his verbis apud Feſtum cõcepta, ſecus: [Si quis hominem liberum dolo ſciens morti duit, parricida eſto.] Imò homines noſtri, ſerui ac famuli dicuntur, Symmacho ac Caſſiod. ſæpe. *l.8. in inſtrumento. l. ſeq. l. in quæſitum. de fun. inſtr. l.78. Lucius. §. heredum. ad Sc. Treb.* Hominis operæ. *l.3. de oper. ſer.* hominibus inſtructa taberna, & hominis portorium ſoluere. *l.186. inſtructam. l.203. in lege ff. h.t. l.7. ſi hominem. ff. dep.* Porrò ſuperiorem Caij definitionem nonnulli, propter inſcriptionis cognationem referunt ad quæſtionem, de qua idem in hæc verba. [Nulla fœmina, aut habet ſuos heredes, aut deſinere habere poteſt, propter capitis deminutionem. *l.13. nulla. ff. de ſuis & leg. her.* Cuius mihi parum comperta ratio ſuadet, ne quid temerè pronuntiem, ampliúſque deliberandi ſpatium ſumam.

CLIIII. TERENTIVS CLEMENS lib. xj. ad legem Iuliam & Papiam.

INTELLIGENDVS eſt mortis tempore fuiſſe, qui in vtero relictus eſt.

ALCIATVS.

INTELLIGENDVS. ¶ Qui in vtero eſt, in ſui fauorem pro nato habetur, idque per fictionem legis, quæ licet per naturam impoſſibile ſit ante ſeptimum menſem eum naſci, & viuere, hoc fingit, vt omnino verum non ſit, quod vulgò traditur, legem nunquam fingere impoſſibilia. fingit enim dum ſubſit æquitas. Igitur ſi auus cuilibet nepoti, qui tempore mortis ſuæ viuat, centum relinquat, etiam eum qui in vtero eſt, admitti Din. reſpondit. Qui enim in vtero eſt, cùm de ſuo commodo agitur, natus exiſtimatur. ¶ Quod tamen ſemper non procedit, veluti cùm damnum nullum partui infertur, ſi natiuitas expectetur. Cur enim lex fingat, cùm neceſſaria nulla cauſa hoc ſuadet? & ideo poſthumo non confertur, antequam ſit natus. *l. fin. ff. de col.* item ad partem hereditatis interim non admittitur. *l. antiqui. de petitio. hereditat.* nec præteritus rumpit teſtamentum. *Iaſ. in l. poſthumo. C. de contratabul.* neque interim ſuus eſt heres. nam & propter incertitudinem his in caſibus aliud conſtitui non potuit. Cæterùm & ſi decretum ſit, in demortuorum decurionum locum filios ſubrogari. *Alberic. in l. penultim. C. de aduoc. diuer. iudic.* Oldradus exiſtimauit eius qui in vtero ſit, rationem non habendam, cùm huiuſmodi fictio ad id trahi non debet, quod iure ſtatuti, vel conſuetudinis defertur. Sed id ego vix probo, niſi protinus, vel ſine dilatione ſubrogandum lex diceret. Cùm enim appareat moram vllam fieri non debere, haudquaquam videtur interim infantis natiuitas expectanda. Sed etſi verba legis partui non conueniunt, vt quia de homine loquantur, tunc de eo non intelligemus, ſi tamen eiuſmodi ſit lex, quæ ex ficta interpretatione extendi nequeat, veluti ſi ſancitum ſit hominis occiſorem decollari: conſtat enim qui prægnantem abortire fecerit, ea lege non puniri: quoniam (vt ſuprà quoque diximus) hominis appellatione, qui in vtero eſt, non comprenditur, quod in hac ſpecie ea quoque ratione obſeruandum eſt, quoniam hic de eius commodo directè non tractatur, & in hoc omnes conſentiunt. *Felin. in cap. ſicut. de homicid.* ¶ Illud quoque certum eſt, in computatione annorum, eius temporis calculum non duci, quo quis in vtero fuit, etiam ſi eius vtilitas hoc ſuaderet: ab hominis enim ortu ſolemus annos numerare, idque & Bald. prodidit *in capit. cùm in cunctis. de electiõ.* ¶ Verùm & quamuis dubitatur, an contra infantem ipſo iure currat præſcriptio, dubium non eſt aduerſus eum, qui in vtero eſt, vſucapionem procedere. *l. etiam. 2. de minorib.* licet reſtitutionem prætor polliceatur. Cæterùm & ſi mater prægnans apud hoſtes enixa ſit, nec infans reuerſus ſit, non videtur in vtero tempore captiuitatis fuiſſe, nec aliquod legis Corneliæ caput ei patrocinabitur, ne bis in eadem ſpecie fingere lex videatur.

BRECHÆVS.

INTELLIGENDVS. ¶ Poſthumus, & quem pater moriens in vtero matris reliquit, etiam ante menſem ſeptimum, cùm de fauore illius agitur, intelligendus erit in vtero fuiſſe tempore mortis patris vel teſtatoris: quamuis id naturæ vis non patiatur, vt partus niſi ſeptimeſtris eſſe poſſit, & ante ſeptimum menſem edi. Sed lex ciuilis idipſum fingit eſſe quod per naturam ſit ἀδύνατον, ſi modò id æquitas ſuadeat.

FORNERIVS.

INTELLIGENDVS. ¶ Extremum hoc ad leg. Iul. & Pap. ſupereſt caput: quarum ſententiam variis hactenus exemplis expoſui. Adiicitur definitio, Etiam eum qui in matris vtero ſit, mortis tempore relictum videri. καὶ ὁ ἐν γαστρὶ ὢν, ὁ ὑπὸ καταλειφθεὶς ἐν χηρείᾳ τελευτῆς. Quod cùm latiùs pateat, etiam argumento aliarum legum aprabitur. Vt ecce, licet patri, filiis quos in poteſtate habet, teſtamento tutores dare: dabit & poſtumis *l.1.de teſt.tut.§.antep.& pen.de tutel.inſt.* Permittitur ei quoque impuberib. pupillariter ſubſtituere: poſtumis igitur. *l.2.de vulg.& pup.ſubſt.l.8.precibus. C.de imp.& al.ſubſt.l.vlt. C.de inſt.et ſubſt.* Et cum fiſcus ea reorum bonis nonnihil eorum liberis aſpergeret: non natorum modò, ſed eorum ratio habebatur. *l.vlt.de bon.dam. l.8.qui in vtero.de ſtat.hom.* vtraque ſumpta, ex libro ſingulari Pauli, de portionibus, quæ liberis damnatorum conceduntur. Quanquam confiſcatio, ſeu publicatio bonorum hodie ſit abrogata. *Nouel.* 134. rectéque ſcholiaſtes, nouellarum ius præualere oportere admoneat. Baſilic.*lib.60.tit.52.* Sed & ſi quis in caſum ἀπαιδίας reſtituere rogatus fuerit, & relicto poſtumo deceſſerit, quaſi deficiente conditione, non petetur fideicommiſſum. *l.antep.C.ad Se. Treb.* ¶ Et quamuis κυοφορούμενα, quandiu vtero clauditur iura ſuſpendantur, vt neque interim inofficioſum patris teſtamentum rumpat, ceſſet collatio *l.vlt.§.de col.bon.l.vlt.C.de poſ.bon.contr.tab.* nec ad partem hereditatis admittatur. *l.3.ſi pars her.pet.* neque hereditatem augeat: quia nondum editus partus, non rectè homo dicitur. *l.9.in Falcidia.§.ad leg.Falc.* Quid enim ſi ante legitimum pariendi tempus prægnans abortu ſpem naſcituri fœtus eiecerit? *l.129.qui mortui.§.h.t.* Tamen euentu res explorabitur: certò omnia in poſtumi fauorem agentur, pro iam nato habebitur. *l.pen.de ſtat.hom.* ei conferetur. *l.11.poſtumo.C.de col.* Teſtamentum rumpet, bonorum poſſeſſionem petet: cæteráque liberorum in cauſa hereditaria, iura conſequetur. *l.9.ſi poſtumos.de lib.& poſt.l.3.§.de bon.poſ.contr.tab.l.3.§.vtique.de ſuis & leg.her.* Denique quod de incertis coheredum partibus, tantiſper dum poſtumus ederetur, ſuſpendebatur, ipſius natiuitate finietur. *d.l.3.ſi pars her.pet.l.7.vtrum.de reb.dub.*

CLIIII. MACER lib. j. ad legem vicenſimam.

MILLE paſſus non à miliario vrbis, ſed à continentibus ædificiis numerandi ſunt.

ALCIATVS.

MILLE PASSVS. ¶ Vt ſciamus qua longitudine ſit paſſus præfari nos oportet menſurarum aliqua nomina, ea quibus minima eſt digiti, quorum quatuor Palmum conficiunt, 16. pedem. Eſt autem Pes tanquam as in numeris, & ideò dimidius pes, ſemis etiam vulgò appellatur, quantum videlicet pugno, extenſóque pollice metimur: ſicut Spithama voce Græca, quę & ipſa vulgò ſeruat nomen, quantum extenſis articulis à minimo ad pollicem amplecti poſſumus: latinè Dodrans dicitur, & Palmus maior quibuſdam: at cubitus ſeſquipedalis eſt. Greſſus verò, duos pedes & ſemiſſem continet: Paſſus quinque pedes, ſic dictus, quòd paſſis, id eſt, dilatatis brachiis & manibus hanc dimenſionem conficiamus. Vlna (ſic enim Orgyiam interpretor) ſex pedibus, vt Herodotus ſcripſit, conſtat. Pertica duos paſſus in ſe ſe habet, hoc eſt, pedes decem: vnde & decempeda dicitur. Plethrum pedes centum. Iugerum longitudine pedibus ducentis quadraginta, in latitudinem dimidio minus conficitur, duóſque in ſe Actus continet. Stadium paſſus centum viginti quinque habet, qui ſunt plus paulò pedes ſexcenti. Diaulus duo ſunt ſtadia, Milliarium ſunt mille paſſus, hoc eſt, ſtadia octo. Dolichus ſtadiorum eſt duodecim. Leuca dictio eſt Gallica, cuius tamen Am. Marcellinus meminit. mille & quingentos etiam ipſa paſſus habet, vt Antonius in Itinerario oſtendit, licet pleriſque in locis ſit amplior. Paraſanga vocabulum Perſarum, triginta cenſetur ſtadiis: quæ menſura paulò minor eſt milliario Germanico. Schœnus apud Ægyptios ſexaginta eſt ſtadiorum. Stathmus, id eſt, manſio, milliaria habet viginti octo ſemis, huius in Authenticis mentio habetur. *§.ſi igitur.in auth.vt om.obed.* Eſt & vulgaris vox Manſum, qua tantum agri ſignificatur, quantum ſingulis annis par boum arare, coleréque poteſt. *c.1.de cenſ.*

Vrbis. ¶ Quapropter cùm præfectus vrbis, de his, quæ intra centeſimum lapidem perpetrata ſint, cognoſcat *l.1.§.cum vrbem.de of.præf.vrb.* inibitur computatio à continentibus, quod & in dubio ſemper ſeruandum eſt: alioquin diſtinguimus quemadmodum concepta ſint verba, vt ſi prohibiti ſint ciues captas retinere prope vrbem, computetur à muris: ſi prope Romam, à continentibus, vt plerique hic ſentiunt.

BRECHÆVS.

MILLE PASSVS. ¶ Paſſus eſt quantum homo paſſis pedibus ambulando conficit. Annotauit Philander ſex paſſuum diſcrimina & differentias. Eſt enim paſſus qui continet veſtigium & ſpatium, id eſt, pedes duos. Alius duo veſtigia & medium interuallum, id eſt, pedes duos & dimidium. Tertium genus paſſuum, duo veſtigia cum interuallo vno cõtinet, aut contra, id eſt, pedes tres.

Quartum, duo ſpatia cum totidem interiectis veſtigiis, id eſt, pedes, quaternos. Quintum, tria interualla cum veſtigiis duobus, aut contra, id eſt, pedes quinos. Sextum, veſtigia tria cum totidem interuallis, id eſt, pedes ſenos. Græci *ὀργυὰν* appellant. Hoc exprimitur expanſis brachiis inter longiſſimos digitos. ¶ Iunius Nypſus *in commentario de agrorum menſuris*, ad Celſum, duodecim menſurarum appellationes tradit, quarum in longitudine vſus eſt, digitum, vnciam, palmum, ſextam, pedem, cubitum, gradum, paſſum, decempedam, actum, ſtadium, & milliarium. Stadiorum autem duplicem rationem tradidit Suydas. Alteram videlicet, ſpatium quod qui curſu contendit vno ſpiritu ducere queat, modò longius, modò breuius pro currentis facultate & viribus corporis. Alteram verò quæ ad geometricam menſuram pertinet: quam nonnulli volunt eſſe 125. paſſuum, hoc eſt, 625. pedum ſecundum Plinium *lib. 2. cap. 23.* apud Herodotum. Stadium eſt menſura centum pedum: & orgyæ centum, ſtadium implent. Pes quaternus eſt at & pondo (nam aliàs propriè eſt membrum quo calcamus & incedimus *ἀπὸ τὸ πεζεύειν*, id eſt à calcando) in duodecim vncias partitur: dicimúſque ſemiſſem pro ſex pollicibus, vt noſtrates loquuntur, id eſt, octo digitis. Spithame græco vocabulo dicitur menſura digitorum duodecim: noſtri Dodrantem vocant. Palmus quaternos digitos ſignificat, & alio nomine, Quadrans vocatur. Budæus *lib. 1. de aſſe.* Itaque, inquit, menſores poſt menſuras maiores ad pedem deſcendentes & palmum, nec habentes quomodo palmum commodè diuiderent (vt author eſt Boëthius id quod inter palmum & digitum medium erat, vnciam vocare inſtituerunt: ſecundo loco, digitum: tertio, ſtaterem, id eſt ſemunciam: quarto, quadrantem: quinto, drachmam: ſexto, ſcrupulum: ſeptimo obulum: octauo, ſemiobolum, quem Græci Ceratium vocant: nono, ſiliquam: decimo loco, punctum: vndecimo, minutum: duodecimo, momentum poſuerunt. Legitur in legibus xij. tabularum pes ſeſtertius pro pedibus duobus & ſemiſſe. Et Columella *lib. 12. cap. 34.* ad palmum decoquere, id eſt ad quartas partes acetum ſcylliticum oportere dixit. Sunt itaque mille paſſus ſtadia octo, & pedum millia quinque, teſte Victruuio *lib. 10. archit. c. 14.* Cùm ergo, inquit, quadringenteis verſationibus imi tympani ſemel ſuperius verſabitur. progreſſus efficiet ſpatia pedum millia quinque, i. paſſus mille. Hæc ille hactenus. Milliarium nos etiam vocamus, & quod Banleucam noſtrates dicunt. Quod Budæus ex T. Liuij *lib. 2. ab vrbe condit.* annotauit. de prouocatione ad populum lege lata, aduerſos magiſtratus a Valerio publicata. Quæ prouocatio erat tantùm intra vrbem & extra ad mille paſſus: quod & extra primùm lapidem idem Liuius *lib. 3.* in eandem ſignificationem dixit Modeſtinus *in l. ſcire oportet. §. multa. ff. de excuſ. tu.* ſcripſit extra centeſimum lapidem à ciuitate: & Iuſtinianus *in eo. inſtitutio. §. ſi verò vltra.* pro milliario, vltra centeſimum lapidem, & intra centeſimum lapidem etiam dixit. Theophilus legit, ſiue intra centeſimum milliarium ab eo loco, ſiue vltra centeſimum milliarium agant, &c. *Εἴτε ἐντὸς ἑκατοστοῦ μιλίου εἶεν ἐκείνου τοῦ τόπου, ἔνθα δίδονται ἐπίτροποι, εἴτε περαιτέρω τοῦ ἑκατοστοῦ ἀφεστήκασι μιλίου.* De hac re videto iterum quæ ſcripſi *in commentar. ad conſuetud. Turonenſ. tit. Des droicts de baſſe iuſtice. artic. 9.* Et apud Budæum *in annotationibus ad l. vltim. ff. ſi menſor fal. mo. dixe.*

Fornerivs.

Milles. ¶ Auguſtus in maxima ærarij tenuitate vectigal vigeſimæ extraneis heredibus impoſuit, Plinius *Panegyric.* Dion *lib. 55.* Cuius (quanquam hodie abrogati *l. vn. C. de edict. D. Adr. tollend.*) veſtigia ſuperſunt in Pandectis. Offilius enim de legibus vicesimæ ſcripſiſſe dicitur. *l. 2. de orig. iur.* & Æmili. Macer duos *εἰκοστῶν* libros reliquiſſe, vnde ſumptæ. *l. 7. ſi mutus. qui teſtam. fac. l. 13. nullis. de tranſ. l. 37. funeris. de relig. & ſump. funer.* vbi non *veſtiaria* vt vulgo ſolet, ſed *vectigalia* ex Florentino codice, legendum eſt: vt vigeſimæ vectigal intelligatur, quod neceſſarium, cuique mutam fieri non oportere ſcribit Paul. *lib. 4. ſent. tit. 6.* Vnde huius capitis (non longè à ſuperiori legum Iuliarum argumento diſſidens) ſententia pendet. Nam cùm lex Iulia ſtatim poſt mortem teſtatoris tabulas aperiri voluiſſet: id eſt, [à præſentibus intra triduum, vel quinque dies: ab abſentibus quoque intra eos dies, cùm ſuperuenerint.] Paulus *d. tit. 6. fin.* Imò & cùm deſcribendarum tabularum & inſpiciendarum poteſtatem faciat prætor. *l. 1. quemadm. teſtam. aper.* Deſideranti tempus ad exhibitionem dabit iudex: ſed magis eſt, inquit Vlpianus, vt dari debeat ſecundum locorum anguſtias, ſeu prolixitates. *l. 2. eod. tit.* quemadmodum & in inſtrumentorum editione, dilationes pro perſonarum locorúmque, conditione conceduntur. *l. 7. oratione. ff. de ferus. l. 99. notionem. ff. h. t.* Arrepta inde occaſione Macer hic abſentium iter, (cui faciendo viginti millia paſſuum in ſingulos dies peragenda ſtatuuntur. *l. 3. ff. h. t.*) dimetitur: vt mille paſſus, non à milliario vibis, ſed à continentibus vrbis numerentur.

Non à milliario vrbis. ¶ rectè, vulgata ſcriptura *à muro* deprauatâ, penè antiquæ rei, niſi aliunde ſeruatæ, memoriam deleuerat. Miliarium autem columna fuit aurea, in qua inciſæ omnes Italiæ viæ finiebant, & à qua ad ſingulas portas menſuræ regionum currerent. Eam columnam ſub æde Saturni fuiſſe ait Corn. Tacitus *lib. 18.* Plinius verò *lib. 3. cap. 5. in cap. fori Romani*: Vterque verum dixiſſe ex Plutarcho in Galba deprehenditur. *καταβὰς ἐβάδιζεν εἰς ἀγορὰν, οὗ χρυσοῦς εἱστήκει κίων, εἰς ὃν αἱ τετμημέναι τῆς Ἰταλίας ὁδοὶ πᾶσαι τελευτῶσιν.* id eſt ibat in forum, in quo erecta erat columna aurea, ad quam omnes Italiæ viæ terminarentur. Vlpianus. [Si quid intra centeſimum milliarium admiſſum ſit.] *l. 1. de offic. præf. vrb.* Marcianus. [vltra centeſimum lapidem vrbis tutelam gerere non coguntur.] *l. 21. propter. de excuſ. tut.* Feſtus. Pomonal eſt in agro Solonio, via Oſtienſi ad duodecimum lapidem, diuerticulo à milliario octauo. Singulis autem millibus ſeptem ſtadia quidem tribuunt. Muſchopulus: *Μίλιον μέτρον γῆς, ὅπερ ἔχει στάδια ἑπτά.* Alij ſeptem cum dimidio. Sudas, *ἑπτὰ γὰρ ἥμισυ στάδια ποιοῦσι μίλιον.* Plutarchus penè octo: *in C. Graccho*, quem inſtituendi milliarij autorem laudat: *διαμετρήσας κατὰ μίλιον ὁδὸν πᾶσαν. τὸ δὲ μίλιον ὀκτὼ σταδίων ὀλίγον ἀποδεῖ, κίονας λιθίνους, σημεῖα τοῦ μέτρου κατέστησεν.* Repertum eſt in via Tiburtina, in parietina ſuppudaneum, in quo lepidum mulæ P. Craſſi epitaphium viſitur. Dis pedibvs saxvm. Cinciæ dorsiferæ at clvniferæ: vt insvltare et desvltare commodetvr, pvb. crass

CRASSVS MVLÆ SVÆ CRASSÆ BENEFERENTIS SVPPEUANEVM HOC CVM RISV POS. VIXIT ANNOS XI. Milliarium autem mille paſſus continet, octo ſtadia ſeu αὐλὰς. Stadium ſeſcentos pedes in porrectum, ſiue centum viginti quinque paſſuum, Plinio & Columellæ. Dolichus duodecim ſtadia continet. Paraſanga Perſicum milliarium, trigiuta ſtadia complectitur. Agathias *lib. 2. de bello Perſic.* Ex quibus apparet, longe aliud eſſe miliarium, de quo Vlpianus vas aquæ calfaciendę idoneum. *l. 19. cùm aurum. §. ſi cui. de aur. & arg. leg.* In quem vſum & ahenum & cacabos comparari Paulus ait. *l. 18. cum de lanionis. de fund. inſtruct. & lib. 3. ſententiar. tit. 9.* Athenæus *lib. 3. Deipnoſophiſtôn.* τὸ μιλιάριον καλούμενον ὑπὸ ῥωμαίων, τὸ εἰς θερμοῦ ὕδατος κατεργασίαν κατασκευαζόμενον: Seneca *lib. 3. natur. quaeſtion. cap. 24.* [Facere ſolemus dracones, & Milliaria, & complures formas, io quibus ære tenui fiſtulas ſtruimus, per decliue circundatas, vt ſæpe eundem ignem ambiens aqua, per tantum fluat ſpatij, quantum efficiendo calori ſat eſt. Frigida itaq; intrat, effluit calida.] ¶ Vt igitor ad inſtitutum redeam, Cùm prętor vicena millia paſſuum in ſingulos dies dinumerari iubeat. *l. 1. ſ. ſi quis cautionib. l. 3. ſ. h. t.* ea non à milliario vrbis, ſed à contineutibus ædificiis numerabuntur: vt hic definitur.

CLV. LICINNIVS RVFINVS lib. vij. Regularum.

PROXIMI appellatione etiam ille continetur, qui ſolus eſt.

ALCIATVS.

PROXIMI. ¶ Quemadmodū proximus intelligatur, qui ſolus eſt, ſ. à nobis tractatū eſt, ſed dubium eſt, cùm lex agnato proximo hereditatem deferat, an neceſſe habeat eam qualitatem probare is, qui ſe heredem aſſerit. Et ſi non poſſideat, aliúſque agnatus ei contradicat, non eſt dubium probare debere: quod ſi in iudicio alius agnatus non appareat, duru eſſet, ſi eum ad id cogeremus, vt probaret, neminem quàm ipſe ſit, defuncto propinquiorem eſſe: idque Corneo *conſ. 194. in 4.* placuit, cui & nos adſentimus: cùm proximus ſit, vt hic dicitur, qui ſolus eſt, eúmque præſumamus ſolùm cuius ſocij nulli appareant, cùm veriſimile ſit, ad lucri partem omnes conuolaturos, ſi extarent. Terent. *in Phorm.* At ſi talentûm rem reliquiſſet decem, primus eſſes: memoriter progeniem veſtram vſque ab auo, atque atauo proferens. Hinc & prouerbiale apud Græcos carmen:

τῶν εὐτυχούντων πάντες εἰσὶ συγγενεῖς.

Omnes virorum diuitum ſunt proximi.

Sufficit igitur ſi intra eum gradum eſſe ſe probauerit, vnde legitimos prætor vocat: idque & Alexander probat *in l. ſi poteſt. de acq. her.* hunc enim eſſe proximum agnatum cenſebimus. ¶ Cæterùm hic ſupereſt videre, & quæ prima ſit huius vocis ſignificatio: & conſtat à propè fieri proximum, & ideò vox valdè eſt generalis. vnde vicinus proximus dicitur, & amicus: transfertur & ad ſanguinis iura, & proximi, tam agnati, quàm cognati dicuntur. In vſu autem magis eſt, vt cum ius proximitatis dicimus, de cognatione ſpecialiter intelligamus. *l. ad inteſtatu. C. de leg. her.* quo ſenſu etiam qui ante ſe aliquem habent, nihilominus proximi dicuntur: quod eius conſtitutionis exemplo apparet, qua traditur. proximis, neceſſariiſque perſonis ſolummodo deferri copiam de adulterio accuſandi. *l. quamuis adulter. C. de adulter.* non enim dubium eſt licere patruo accuſare, licet frater extet. Itemque cùm legatum rei alienæ ab ignorante factum, traditur non valere, niſi proximę perſonę relictum ſit. *l. cum rem. C. de leg.* intelligemus proximum, etiam qua aliquis prior in gradu ſit. Addidit Baldus *l. dudum. C. de contrah. empt.* hoc differre proximum à conſorte, quod proximus per conſanguinitatem dicitur, conſors ſocius eſt, & dominij particeps. Sed ego à peritioribus intellexi, conſortem eiuſdem ſortis & conditionis hominem ſignificare, ſed ex ſubiecta materia aliter atque aliter μεταφορικῶς accipi.

BRECHÆVS.

PROXIMI. ¶ Dictum eſt ſ. *in l. proximus*, eum eſſe proximum quem nemo antecedat: poſtremum, quem nemo ſequatur. Itaque de pluribus dictum videtur, & variis affinitatis gradibus in ſuperlatiuo. Fit tamen aliquando vt proximus poſitiui vim habeat, ſicut intimus. Dicimus enim, hic eſt mihi magis proximus: ita hic eſt mihi magis intimus, ſecundum Laur. Vall. *lib. 1. eleg. c. 17.* Qua ratione, ſi quis proximo heredi centum legauerit, cenſetur uni & ſoli legaſſe, cum nullos alios haberet heredes. Quemadmodum ſi pluribus in ſtadio currentibus proponatur brauium primo qui metam contigerit, is ſanè qui metam attigit, tametſi nulli alij præter eum vnum cucurrerint in ſtadio, nulli- que eum ſequuti ſint, brauium accipiet, ſecundum Panorm. ſententiam *in c. Ioſeph. extr. de ver. ſign.* ſic *Geneſ. 1.* dicitur dies vnus, id eſt, primus: quod eleganter ea ſacris teſtimoniis probauit D. And. Tiraq. *in tract. de iure primigen. q. 1.* Cæterùm vide quæ ſcripſi *in l. proximus. ſ. h. t.*

FORNERIVS.

PROXIMI. ¶ Occurrent hoc tractatu quam plurimæ voces, quæ non ex grammaticorum præceptis, ſed iuris pondere ac ratione cenſentur: quod ferè exceptionis aut paradoxi notis [plerunque. interdum. nonnunquam, etiam] oſtenditur. *l. 13. mulieres. l. 29. coniunctionem. l. 50. nurus. 4. ll. ſeq. l. 78. interdum. l. 91. meorum. l. 123. verbum, erit. l. ſeq. ſ. h. t. l. 159. etiam. ſ. h. t.* Eiuſdem generis eſt hæc definitio. Quamuis enim proximus ſit, quem nemo antecedit: vt ſupremus, quem nemo ſequetur. *l. 92. proximus. ſ. h. t.* Proximus tamen & is qui ſolus eſt, dicitur. Sunt quibus ita legendum videtur [proximorum] hoc ſenſu, hereditate, tutela, vel quo alio proximis delato iure, eum etiam, qui ſolus ſit, admittendum: quaſi à voce multitudinis [proximorum] ad ſingularem [Solus] ratio dubitandi oriatur. ¶ Equidem cum ea veterum formularum reliquiis, quibus toties [proximus agnatus] occinitur, nihil temerè mutauerim: tum quòd Græci interpretes latinam ſubſequuti ita conuerterunt: Ἐγγύτ

γ-τιρος λέγεται, ϰ̀ ὁ μόνος ὤν. Qui ſolus, idem primus & poſtremus eſt, quando neminem quocum compareтur, habet. Sic primogenitus, interdum dicitur, qui ſolus parenti naſcitur. *cap.3.extr.de verb.ſign.* quod cùm minus animaduerteret Heluidius captaodo hæc verba. [Donec peperit filium ſuum primogenitum.] Math.*cap*.1.contendebat plures filios ab alma virgine Maria progenitos. Cuius cæcum errorem Hieronymus, & Chryſoſtomus duo Theologiæ lumina confutarunt. Primogenitum non eum tantùm poſt quem alij oati definientes: ſed ante quem nullus: vel etiam ſolus. *cap.5.Ioſeph.extrà, de verb.ſignificatiõ.* Sic interdum vniuerſitas ad vnum redit, cum ius omnium collegarum io vnum recidit, ſtat nihilominus vniuerſitatis nomen. *l.7.ſicut.quod cuiuſq.vniuerſ.* Quemadmodum armento vel grege legato quamuis deminuatur ex eo grege pecus, ita vt vel vnus bos duntaxat ſupereſſet, eum nihilominus vindicari poſſe Pompooius ait. *l.22.ſi grege.de leg.*1. Cæterùm quod hic Alciat.cum Baldo *in l.14.dudum.C.de contrah.empi.* in eaqoireoda proaimi & conſortis differentia, rixatur, totum id (ſi genus à ſpecie diſtinxeris) vno verbo abſolueris. Conſors litis. *tit. C.de conſ.eiuſd.lit.* conſors donationis *C.ſi liber.imp.conſ.conſortium.l.1.de rit.nupt.* gloſſ.vet. κοινῶνος. Coofors pro herede. *l.31.ſi is qui.ſi.de excuſ.tut.* gloſſar.vet. σύγκληρος. in antiquo lapide, AOIVTOR HERAS CONSORTI SVO. Sidonius Apollinaris *lib.2.epiſt.*1. [Et licet ſororiæ hereditatis duo conſortes eſſe videamini.] Idem *lib.4.epiſt.* 24. [Habeo coheredes, nec dum celebrata diuiſio eſt: Auarius conſtat, me eſſe tractatum, quam coheredes.]

CLVI. IDEM lib. x. Regularum.

MAIORE parte anni poſſediſſe quis intelligitur, etiam ſi duobus menſibus poſſederit: ſi modò aduerſarius eius aut paucioribus diebus, aut nullis poſſederit.

ALCIATVS.

MAIORE. ¶ Interpretatur hic Iuriſconſultos interdictum. *l.1.§.vtrobi.* quo cauebatur, vtrubi quis maiore parte anni foiſſet ibi & maneret. oſtendit que maiorem partem anni intelligi, reſpectu poſſeſſionis aduerſarij: hodie tameo hoc in interdicto id ſolùm intelligimus, vtrobi litis conteſtatæ tempore ea res ſit. *§.ſed hodie.inſt.de interd.* de cuius poſſeſſione litigatur: idque exemplo interdicti, Vti poſſidetis exæquata enim hæc ſunt. ¶ Eadem autem ratione dicimus, vtrobi, vtro io loco: qua alibi, alio in loco: & inibi, in eo loco: nec vbi, in quo in loco: & ſicubi, ſi quo in loco. Ouid. Sicubi Colchorum Minyis regina vacaui. Ita enim cenſeo legendum. Nuncubi, num quo in loco Terentius in Eunucho: Nuncubi meam benignitatem ſenſiſti io te claudier? Conciſa autem ſuot hæc ea dictione alicubi, vt etiam Vallæ placera video.

BRECHÆVS.

MAIORA. ¶ Alciatos compendiosè & doctè, vt reliqua ſolet, hoc caput ioterpretatur. Quod reliquum eſt eò tendit lex, vt ſi citationem domum & coram denontiatam eſſe oporteat & qui citandus eſt non vno in loco commoratur & habitat, conſiderandum erit quo locorum maiorem anni partem exigat. De qua re vide *l.cùm de lanionis.§.Sabinus ait, & in eandem paragraphen Bart. ff.de fundo inſtruct.& inſtrum.leg. Et gloſſ.per hunc text.in Clem.cauſam.in verb.communiter.de elect.& electi pot.* Quæ autem dicatur maior pars, latè *in commentariis noſtris ad conſuetud.Turonenſ.ad titulum generalem* tradidimus.

FORNERIVS.

MAIORE. ¶ Inter omnes conuenit, haoc definitionem propriè ad interdictum, Vtrubi, pertinere. Alioqoi cum duodecim menſibus conſtet annus. *l.7.fructus.§.quod in anno.ſ.ſol.matr.* Quorſum hæc duorum menſium, vel pauciorum etiam dierum dinumeratio? aut quo tandem modò maiorem anni partem conficiat? Aut quid trimeſtres Arcadum (de quibus Plinius *lib.7.cap.*47. Cenſorinus *cap.19.de die natali*) annos fingamus? Prætor autem illius interdicti conceptam his verbis formulam propoſuit: [Vtrubi hic homo quo de agitur, maiore parte hoiuſce anni fuit, quominus is eum ducat, vim fieri veto.] *l.1.§.vtrubi.* Theophilus *§.pen.de interd.Inſtit.* vtrubi veſtrùm ſeruus ille qoo de agitur, maiore parte huius anni fuerit, quominus is eum ducat vim fieri veto: παρ' ὁπότερον ὑμῶν ὁ οἰκέτης ... ἀλλ' αὐτὸν, βίαν γίνεσθαι κωλύω. Maiorem autem anni partem non ad ipſius anni demenſionem, ſed eius quo cum de ſeruo lis eſt, poſſeſſionem referri oportet: vt is qui maiore quàm aduerſarius anni parte poſſederit, obtineat, qui minore vincatur. Veluti (inquit Theophilus *§.quorum.de interd.*) ſeptem ego menſes poſſedi, tu quinque poſtremos: ego te vincam. Differentiam interdictorom VTI POSSIDETIS, & VTRVBI, notatam à Paolo *lib.5.tit.6.sent.* ſublatam eſſe teſtatur Vlpianus *d.l.vn.& Iuſtinianus.§.ſed interdicto. de interd.Inſt.* Cæterùm in aliis negotiis maior pars anni, pro temporis dimenſione accepta ſpectabitur. *l.12.quæſitum.§.ſi aliqua. de fund.inſtr.l.7.fructus.§.Papinianus.ſol.matr.* Sed & quis duobus in locis habere domicilium poteſt: ſi vtrobique ita ſe inſtruait, vt oon ideò minus apud alteros ſe collocaſſe videatur. *l.6.aſſumptio.§.viris.l.27.eius.ad municipal.& de incol.* Pompooius de Antiſtio Labeone *l.2.§.poſt hunc.de origine iuris.*

CLVII. Ælius Gallus lib.j.de verb.quæ ad ius pertinent ſignificatione.

PARIES eſt: ſiue murus ſiue maceria eſt. Item via eſt, ſiue ſemita ſiue iter eſt.

ALC

Alciatvs.

QVANTVM. ¶ Murus propriè dicitur publicus, qui vrbem munit, & mœnia continet: impropriè hic videtur accipi de priuato ædificio, quod paries dicitur: quo ſenſu aduerſus Vallæ traditionē etiam Cornelius Tacitus *lib.15.* vtitur. Oſtendit autem Iuriſconſultus, parietem eſſe etiam maceriam, ſic appellatur paries ſine calce aliáue compactione formatus. ¶ Erant autem parietum varia genera, lateritij, lapidei, cæmentitij, teſtacei, cratitij. Fuerant lateritij ex lateribus duriſſimæ ſoliditatis, vt pote qui crudi ſub ſole diuriſſimè permanſerant, vt exſiccarentur. Teſtacei ex latere coćto, qui etiam nunc ſunt in vſu. Cæmentitij fiunt ex temerè coniectis lapidibus calcéque commixtis, & imbricum modo hærentibus. Cratitij, quos conratitios Papinianus appellat. *l. ſi fratres. §. pro ſocio.* ligneis cratibus inſertis fiebant, ſeu aſſeribus arrectis tranſuerſiſque in modum cratis, vocanturque alio nomine intergerini, vt etiam Feſtus oſtendit, quòd videlicet vicinorum cœnacula his dirimerentur: quod diffuſiùs explicat M. Vitruuius.

Via. ¶ Cùm de priuata via loquimur, quatenus ſeruitutis ſpecies eſt. *Inſt. de ſeru. in princ.* ab itinere actuque diſtat: quæ differentia ex vocabulorum etymo accipitur. Iter enim ab eundo dictum eſt, & ideò iter ius eſt eundi hominis. Actus ab agendo: vnde ius iumentum agendi actus eſt. Via à vehendo, & ideò ius in ſe continet etiam vehiculum ducendi: tametſi & qui habet actum, in conſequentiam iumentorum etiam vehiculum adducere poſſit. Sane lege xij. tabularum ea menſura viam confici traditum eſt, vt in porrecto pedum octo eſſet, in anfractu 16. cuius dimidium actui tributum eſt. ¶ Cùm verò de ſeruitute non accipitur, aliter viam intelligimus, continétque non ſolùm iter, ſed etiam ſemitam. Hoc autem diſtat iter à ſemita, quòd iter latius eſt, ſemita anguſtior, & quidam quaſi callis. Videtur etiam iter propriè dici de via publica, quę populo debetur: quod ex Iul. Frontino *libro de coloniis italicis* intelligi poteſt, quo ſenſu ſemitam tramitem priuatum interpretabimur: Græci ἀτραπὸν dicunt, vnde parœmia, cuius Euſtathius Odyſ. meminit, ὁδοῦ παρούσης τὴν ἀτραπὸν ζητεῖς. Cùm præſtò via ſit, tu requiris ſemitam. Plaut. *in Curcul.* ſemitam accipere videtur pro ea viæ parte, per quam incedunt homines, in cuius medio aguntur currus & iumenta: quapropter apud eum paraſitus minatur ſe facturum vt obuij in capite ſiſtant in viam de ſemita. M. Seruius *in 4. Æneidos commentario* aliter explicat, nimirum vt ſemita ſit ſemis via, via actus dimidius, qua poſſit ire vehiculum: actum autem duo capere propter euntium, & venientium vehiculorum occurſum. in qua re diſſentit à Iuriſconſultis. *l. 2. ne quid in loc. pub.* ¶ Sunt autem viarum aliæ βασιλικαί, quas conſulares vocant, aliæ vicinales, quę ad vicos ducunt, & ex his vtraque publica eſt, ſicut priuatarum duplex quoque eſt ſpecies, agrariæ & quæ ad ſeruitutes ſpectant. ¶ Sed dubium eſt, via publica ad quem pertineat. Et extat relatum eſſe de regalibus. *c. t. quæ ſint reg.* & ideò videretur in ſimplici conceſſione caſtri eam non transferri. Ad alibi crebertime proditur ad ciuitates pertinere. *Bar. l. continuus. §. cùm quis. de ver. ob.* & ideò licere decurionibus lata lege eam in priuatum redigere. Ipſe cenſeo viæ publicæ ſecuritatem ad principem ſpecialiter pertinere, eius fundum ad municipes, iuriſdictionem verò ad eum cui caſtrum ipſum conceſſum eſt. Et ideò ſi quis in via publica deliquerit, poſſe ſupplicium de eo ſumere quemcunque, cui ex principis conceſſione hoc competat, & ita quidam ex antiquis ſenſerunt, & ego ex facto conſultus reſpondi.

Brechævs.

QVANTVM. ¶ Parietem (inquit Leo Bap. Albertus *lib. 1.*) dicimus omnem ſtructuram quæ à ſolo in altum ſurrexit ad ferendum onus tectorum: quæue obducta ſtet ad interiora ædificij vacua obuallanda. Sed propriè domorum & priuatorum ędificiorum paries dicitur. Murus (ait Lauren. Vallen. *lib. 4. elegant. cap. 8.*) eſt vrbis lapideus ambitus qui Græcis dicitur τὸ τεῖχος: paries verò ὁ τοῖχος. Mœnia pro muris accipi ſolent, & pro ædificiis ipſius vrbis. Mœnia à muniendo quaſi munimenta dicta: vel vt quidam volunt ab amœnitate, quaſi amœna. A Gręcis τεῖχος ἀπὸ τὸ τεύχω τὸ κατασκευάζω, quod ædificare, obarmare ſignificat, ἢ ἀπὸ τειχίζω quod munire eſt & vallare muro. Muri igitur & mœnia ſunt oppidorum & vrbium munientia ipſum oppidum (quod ab ope dicitur) vel vrbem cingentia & obarmantia. Quod videre eſt paſſim apud Virgilium, Cæſarem, T. Liuium, & Vitruuium. Maceria autem ſeu maceries, eſt paries ex puris cæmentis temerè congeſtis, & ſine arenato lapidibus extructus, & Græcis quoque τεῖχος ſicut murus, vt docet Vitruuius: & M. Cato *lib. rei ruſtica. cap. 15.* ſed maceriis vtimur propriè ſepiendis fundis, hortis, & vineis, ſicut Clatris. Caius *in l. fi. ff. fin. regund.* quo loco Solonis legem citat. Ἐάν τις αἱμασιὰν παρ᾽ ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρύγῃ τὸν ὅρον μὴ παραβαίνειν: ἐὰν τεῖχος, πόδα ἀπολείπειν, &c. Si quis ſeptem ad alienum prædium fixerit infoderitque, terminum ne excedito: ſi maceriem, pedem relinquito. Columella *lib. 5. cap. 10.* locum, inquit pomariis prius quàm ſemina ſeras, circummunire maceriis oportet vel ſepe, vel foſſa præcipiti, vt non ſolum pecori, ſed & homini tranſitum negare valeat. Quoties igitur de iure alicuius domini quæſtio eſt, & finium regundorum agitur, nihil refert paries, murus, an maceries dicatur. Larga enim ſignificatione pro eodem accipiuntur, & communi ſeu vulgari loquendi vſu. Quare ſi precario à me obtinuiſti vt maceriem in fundo meo duceres ac conſtrueres, tu verò murum aut parietem, cæmentis, lapidibus, calce & arenato probè conſtruxeris, perinde meum erit quod conſtruxiſti, ac ſi ſolam maceriem ædificaſſes, vt quia in meo fundo ædificaueris. Item qui prohibetur extruere parietem, murum aut ædificium in eo fundo à quo debetur ſeruitus, ne luminibus vicini officiat, ſi maceriem duxerit, poſſum eo interdicto agere, perinde ac ſi murum extruxiſſet. Vide in eam rem Franc. Connanum *lib. 4. commentariorum iuris ciuilis lib. 4. cap. 11.* vbi de ſeruitutibus ruſticorum prædiorum agit.

Item via. ¶ Quid ſit via, quid iter, quid actus, ſatis ex iuriſconſultorum lectionibus patebit. Et quidem Alexan. ab Alex. *lib. 2. genial. dier. c. 20.* quædam de hac re ſcripſit. Quod reliquum eſt, quemadm

admodum paries larga ſignificatione & murum & maceriam comprehendit, ita enim viam dicimus, ſemitam ac iter eodem ſignificato complecti, ſed tamen ex improprio καὶ καταχρηστικῶς, ſolemus.

FORNERIVS.

PARIES. ¶ Veræ inſcriptionis immutatio peruulgato huiuſce capitis initio errorem attulit. Ælius Gallus *lib.2. de verborum qua ad ius pertinent ſignificatione.* Vulgò autem conflatum principium huiuſmodi per manus ad editionis Florentinæ diem, in omnia exemplaria propagatum dimanauit. [Quantum ad iuris pertinet largam ſignificationem, paries, &c.] Seruitutum nomine, (in quibus vſus iuris pro traditione poſſeſſionis habetur) interdicta velut poſſeſſoria conſtituta ſunt. *l. vlt. ſ. de ſeruit.* pro vſufructu, vſu, habitatione. *l.2. quod legat. l. vlt. vti poſſ. l.2. l.6. l.8. ſinit. §. pen. ſi. l.17. ſi quando. ſi ſeru. vind. l.2. §. ſi inter. de aqua quot. l. vn. §. ius habet. de remiſſion.* ergo & pro pariete. Vlpianus, [Si paries ſit communis, & eum reficere vel demoliri, vel in eum immittere quid opus ſit, communi diuidundo iudicio erit agendum, aut interdicto vti poſſidetis experimur.] *l. 12. ſi ædes. commun. diuid.* Vt autem ſit interdicto locus parietis nomine, parum refert, ſiue ſit murus ambiens, ſiue maceria. τεῖχος ἐστι, εἴτε περίβολος, εἴτε θριγκός. Vallare, & circumdare fundos murali ambitu. *l. vlt. C. de ædific. priu.*

Murus. ¶ Priuatus ſcilicet communis, vicinus vel intergerinus: quem alterutri vicinorum demoliendi vel reficiendi ius non eſt. *l.8. parietem. de ſeru. præd. vrb.* Neque craſſiorem ſeſquipedali ſpatio veteribus ædificiorum legibus, efficere. Plinius *lib.35. cap.14.* Vitruuius *lib.2. cap.8.* Alia publicorum mœnium, de quibus hic non agitur, conditio eſt. *tit. C. de oper. pub.* qui ſancti habebantur. *l. vlt. de rer. diuiſ.* Plutarchus ἐν τοῖς ῥωμαϊκοῖς. διὰ τί πᾶν τεῖχος ἄβεβηλον, καὶ ἱερὸν νομίζουσι. Quorum conſtructioni omnes erant obnoxij. *l. vlt. de equor. coll. C. Th. Nouel. Valent. de Pentap. l.49. C. Th. de oper. pub.* Municipes autem ſolebant ab imperatoribus ius muniendorum oppidorum impetrare: idque gratis concedebatur, ante Claudiana tempora: quibus cœptum eſt vendi. Cor. Tacit. *lib.5.* [Empto iure muniendi ſtruxêre muros in pace.] Exempla Sigonius, de regno Italię ſuppeditat: *pag.171.207.339.* Muris autem villas priuatorum cingere, ex quadruplici ſepiendi agri forma à M. Varrone tradita intelligitur. *lib.1. c.18. de re ruſtic.*

Maceria. ¶ Lugdunenſes quidam codices vitioſè *Materia*: Eſt autem Maceria, ſi Nonio credimus, paries. Siſenna *hiſtoriarum lib.3.* [Poſt villarum macerias, ac parietinas, quinque cohortes in inſidiis reliquit.] ſed non ſimpliciter: vti ex hoc loco, & Iſidoro *lib.15. etymolog. cap.8.* colligitur. [Paries, inquit, nuncupatus, quia ſemper duo ſunt pares, vel à fronte, vel à latere. Siue enim tetragonum, ſiue hexagonum ſit, qui ſe conſpiciunt, ex pari erunt: Aliter ſtructura facta deformis eſt.] Idem *c.9.* [Maceriæ ſunt parietes longi, quibus vineæ clauduntur. Longum enim Græci μακρὸν vocant.] Item ſepulchra maceriis claudebantur, & horti. Vlpianus [maceriam ſepulchrorum, loca pura hortis, vel cæteris culturis ſeruata, ſi nihil nominatim venditor excepit, ad emptorem pertinent.] *l.73. ædil. de cont. empt.* In vetere lapide, INTRANTIBVS A VIA PARTE LÆVA A MONVMENTO TESTACEO PER LONGITVDINEM PEDVM CLXXV. LATITVDINE A MACERIA INTRORSVS. Rurſus in alio: A VIA CAMPANA DEXTRORSVS INTER MACERIAM, ET INDE SECVNDVM MACERIAM EVCARPIANAM. Item in alio ad Litim amnem. HVIVS MONVMENTI IVS, QVA MACERIA CLVSVM EST, CVM TABERNA ET COENACVLO HERED. NON SEQVETVR: NEQVE INTRA MACERIAM HVMARI QVEMQVAM LICET. D. Ambroſius de Abrahamo Patriarcha *lib.1. cap.9.* Diog. Laertius in Theophraſti teſtamento *lib.5.* Sic. Flac. *de conditionibus agror. pag.8.* [Aut congeries lapidum aceruatim congeſtæ ſunt, quos ſcorpiones appellant: aut in effigie maceriarum, quæ Arcinæ appellantur,] Ibidem *pag.14.* [Maceriæ quoque, & quæ ex congeſtione lapidum fiunt, & quæ manu.] *in pag.15.* [per magnum ſpatium aut viuaria, aut pomaria, aut vineas, aut oliueta, aut arbuſta maceriis ſupradictis includunt, & ab incurſionibus beſtiarum defendunt.] *& paulò ante pag.13.* [Si verò ſubſtructionibus & maceriis, finiuntur agri, videre quales ſubſtructiones & maceriæ, quomodo quidam congeſtionibus lapidum, ripis, ſubſtructionibus terras, ne dilabantur, excipiunt.] Quod T. Liuius *lib.42.* [Maceria erat ab læua ſemitę paulùm extans à fundamento: [& poſt, [poſt maceriam ſe abdiderant:] Idem Polybius ὑπὸ τὸ τειχίον ὑποστάντες ὑπεδύοντο. *Item via eſt.* ¶ Paradoxum hoc, & quiduis potius, quàm hæc tria ſeruitutum genera vno nomine complectamur: viam, vt idem ſemitam, & iter eſſe conſtituamus. Via octo in directum, ſexdecim in anfractum ex lege xij. tabul. pedes habet, Varro *lib.6. de lingua lat. in auct. Anfractus.* Caius *l.8. via latitudo. ſ. de ſeru. ruſtic. præd.* Cæterarum ſeruitutum latitudo ac modus arbitri iudicio terminatur. *l.13. certo. §. latitudo. de ſeru. ruſtic. præd.* Via certa eſt, quæ dicitur legitima: Iter à menſore definitur. *l. pen. ſi menſ. falſ. mod. dix.* Baſilicôn *lib.58. tit.3.* τὴν ὁδὸν ποδῶν ὀκτὼ πλάτος συνίσταται. Viam quidem conſtitui vel latiorem octo pedibus, vel anguſtiorem nihil vetat: vt tamen eam latitudinem habeat, qua vehiculum ire poſſit. Harmenopulus οὐδὲ τὸ βαδίζειν μετὰ ἀλλοτρίου ὀχήματος ὑποζυγίου. *l.23. via. de ſeru. ruſt. præd.* Iſidor. *lib.15. c. vlt. Etymolog.* quod ipſa vocis origine edocemur, Veia, quaſi Vehia, auctore Var. Veia priſco nomine dicebatur currus, & arbor excauata, vel tugurium. Beroſus *lib.4. antiq. ſi. & libr.5. in Belo rege 2. Babylonio.* Vehes vel carpentum. Columel. *lib.12. c.2.* Plin. *lib.36. c.15.* *Veham ſimus valde onuſtam.* Veha plauſtri genus. Pontanus *lib.2. de aſpirat. c.2.* acutè. ſic enim ratiocinatur Paulus. [Quà vehiculum ire poſſit: alioquin iter erit, non via.] *d. l.23. via.* Hæc igitur tria cum plurimum inter ſeſe latitudine, vſu, modo, differant. *l.13. ſi tam anguſti. ſ. de ſeru.* non generalem hic Ælij Galli (quem de verborum, quæ ad ius pertinent, ſignificatione commentarios conſcripſiſſe, vel huius capitis epigraphe indicio eſt) definitionem, ſed ad ſingularem iuris tractatum referendam fateamur oportet. fortè ad interdicta, quæ pro ſeruitutibus prædiorum reddi ſolere ſ. docuimus. Nam quorum alioqui diuerſa definitio, eadem illa cenſeri abſurdum eſt, via, ſemita, iter, diſſimilia ſunt Ennius de ariolis & vatibus apud M. Tullium, [Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, aliis monſtrant viam.]

CLVIII. Celsvs lib. xxv. Digeſtorum.

IN vſu iuris frequenter vti nos Caſcellius ait ſingulari appellatione, cùm plura generis eiuſdem ſignificare vellemus: nam multum hominem veniſſe Romam, & piſcem vilem eſſe dicimus. Item in ſtipulando ſatis habemus de herede cauere, [Si ea res ſecundum me heredémue meum iudicata erit.] & rurſus, [Quod ob eandem rem te heredémue tuum.] Nempe æquè ſi plures heredes ſint, continentur ſtipulatione.

Alciatvs.

IN vsv. ¶ Orationum alia eſt particularis, vt cùm ſignum particulare præponitur, quale eſt, quidam, aliquis, vnus: alia ſingularis, vt ſi nomen proprium ei inſeratur: alia eſt indefinita, vt cui nullus terminus præpoſitus eſt: vnde eius ſignificatio valdè ambigua eſt, particularitérne, an in vniuerſum accipienda ſit. Et cùm ex proferentis mente id pendeat, eam ex ſubiecto argumento conicimus. Conſtat autem neceſſariò huiuſmodi ſermonem vniuerſalem ſenſum non accipere, & idcirco in teſtimoniis non fiet hęc interpretatio. *l. non hoc. vbi Iaſ. C. de leg.* ſed potius aduerſus eum, qui produxit, vt non probatum ſit, intelligemus. *Bar. l. ſi pluribus. de leg.* 2. In legibus autem non ita eſt, & ideò in his indefinita æquipollet vniuerſali, cum legum natura ſit, vt de vniuerſis conſtituantur. Sed & ſi lex velit homicidam ſummo ſupplicio affici, niſi ab herede pacem impetrauerit, omnium conſenſum, ſi plures adſint, requiri exiſtimo. *l. 4. §. Cato. de verb. obl.* idq́ue frequentius receptum mihi videtur. At in diſpoſitionibus hominum non æquipollet, niſi verba ex ſui natura generalitatem quandam ſignificent, vt piſcis, aurum, argentum, luna.

¶ Idem in herede ex communi vſu loquendi: cùm enim plures ſunt heredes, hæc dictio, heres, vni ſoli omnino non conuenit. *Bar. l. Lucius. §. Sempronia. de leg.* 3. cùm in ſolidum non ſit heres, ſed vnà cum aliis admittatur, meritò inualuit vſus, vt de omnibus intelligeretur: ſed & ſi heres indefinitè prohibitus ſit, ne alienet, exiſtimauerunt pleriqoe de omnibos ſucceſſoribus actum videri, ſi tamen generale id nomen certis finibus contineretur, vt homo, particulariter potius propter ſermonis proprietatem intelligeremus, & mediocris poſſet accipi. *l. legato generaliter. de leg.* 1. In diſpoſitione quoq; ipſi proferenti fauorabili, veriſimile eſt tali ſermone eum vniuerſaliter prouidiſſe: vt cùm pater filium ſuum ſe inſtituere, vel filio tutores dare profeſſus eſt. *l. ſi quis ita. de teſtam. tut.* quòd ſi pluraliter id nominis proferat, tunc vniuerſaliter, & ideò collectiuè ſemper accipitur: vt ſi filios exheredare ſe dicat, vel cognatis legare. *Raph. d. l. ſi pluribus.*

Brechævs.

IN vsv. ¶ Iuriſconſultorum noſtrorum is eſt loquendi modus, vt pluralem numerum ſub ſingulari aliquando intelligant, maximè qoando plura eiuſdem generis aut ſpeciei volumos ſignificare. Vt ſi dicas, multum piſcem piſcatus eſt, id eſt, multos piſces. Nullum vnquam bellum ſine Gallo milite præclarè geſtum. Et apud Liuium, Rumanus prælio victor. Et Virgilius *lib. 2. Æneid.*

Fit via vi, rumpunt aditus: primóſque trucidant
Immiſſi Danai, & latè loca milite complent.

Et iterum.

Haud ſecus ac patriis acer Romanus in armis.

Hoc ipſum Quintilianus ἐπιζευγμένον ſeu Zeugma vocat *lib. 9.* cùm ſingularis pro plurali accipitur, & numerus in numerum mutari ſolet. Et Cicero *de lege Agraria.* Singularis homo priuatus, niſi magna ſapientia pręditus vix ſeſe regionibus officij magnis in fortunis continet, id eſt, ſinguli homines, τὸ καθ' ἕκαστόν τινες. Idem *libro ſecundo de Oratore.* Quamobrem hoc vos doceo Sulpiti, bonus ego videlicet atque eruditus magiſter vt in dicendo iraſci, vt dolere, vt flere poſſitis. Hic vnum tantùm Sulpitium nominat Cicero, cùm duos, videlicet illum ipſum Sulpitium & Cottam reſpiceret: & pluralem numerum com ſingulari coniungit. Sic Virg.

Vos ô Calliope noſtro aſpirate labori.

¶ Igitur in contractibus & ſtipolationibus quando ita cauetur, ipſum, heredémoe eius, eúmue ad quem tum ea res pertinebit, quanuis hæc oratio numero ſingulari concepta atque enunciata videtur, ſi tamen quis ſtipulatus eſt ſibi, heredi, eiue. &c. plures habeat heredes, omnes quidem illi eadem ſtipulatione complexi & comprehenſi cenſebuntur: perinde ac ſi ſtipulando cauiſſet ſibi heredibus, &c. quod vulgò dicimus, Se ſuos heredes & habentes ab eo cauſam. Sic in iure eſt. quando indefinita æquipolleat vniuerſali: ſed id iuxta naturam qualitatémque ſubiectæ materiæ. de qua re videto apud Vld. Zaſium *in Paratit. tit. de neg. geſtis.*

Fornerivs.

IN vsv. ¶ Cùm mihi non minùs, qoàm Nili. incerta ſit huius capitis origo, nec ad quam propriè iuris partem tam generalis Celſi definitio referatur, confirmare auſim: vndecunque exempla proferantur. Si ita pluribus heredum gradibus conſtitutis ſcribatur, [Heres meus dato.] hic teſtatoris ſermo ad omnes gradus pertinebit: ſicut hæc verba, [Quiſquis mihi heres erit.] Itaque ſi quis velit non omnes heredes legatorum præſtatione, ſed aliquot duntaxat oonerare: Paulus (libro ſingulari de forma teſtamenti) autor eſt, nominatim damnari debere. *l. 98. ſi plures. de leg.* 3. Heres id eſt, omnes heredes. [Per te heredémque tuum oon fieri.] *l. 4. de verb. obl.* Si quis filio tutorem dederit, & plures filios

lios habeat, omnibus dediſſe videtur. *l.16.ſi quis ita.de teſtam.tut.* Senatuſconſultum de aſſignandis libertis, quamuis ſingulari ſermone EVM LIBERTVM EAMVE LIBERTAM conceptum eſt: tamen & pluribus liberis, & plures libertos libertáſue poſſe aſſignari certum eſt. *l.1. de aſſign. libert.* Si quis heredes inſtituerit & ita legauerit. [Quiſquis mihi Gallicanarum rerum heres erit, damnas eſto dare, ab omnibus heredibus videtur legatum. *l. 4.de leg.1.* Hoc ſermone, [Quantum heres meus habebit, tantum Tirbaſo dari volo:] omnes heredes ſignificantur, perinde ac ita legaretur: [quantum omnes heredes habebunt.] Ac multò magis, pluribus heredibus inſtitutis ita ſcriberetur: [heres meus damnas eſto dare aureos quinque:] nõ quilibet heres, ſed omnes heredes videbuntur damnati, vt vna quinque dent. *l.43.ſi ita.l.ſeq.de leg.2.* Edictum prætoris QVOD EO AVTORE QVI TVTOR NON FVERIT. licet ſingulariter ſcriptum ſit, ſi tamen plures interuenerint, qui tutores non erant, nihilominus habebit locum. *l.1.§.item.ſ.quod falſ.tut.* Singularis enim numerus, pro plaratiuo, & contra multitudinis numerus, pro ſingulari ſolet vſurpari: Vt negotia geſta, ſic accipe, ſiue vnum, ſiue plura. *l.3.de neg.geſt.* Bona rapta, ſic accipimus, etiam ſi vna tantùm res auferatur. *l.2.§.caeterum.vi bon.rapt.* Cum prætor ait, [Si cui dolo malo hominibus coactis damni quid factum eſſe dicetur.] etſi vnus homo coactus ſit, dicemus nihilominus homines eſſe coactos. Vlpian. [ſi proponas ſolum damnum dediſſe, non puto deficere verba. Hæc enim quod ait, HOMINIB. COACTIS, vt ſiue ſolus vim fecerit, ſiue etiam hominibus coactis, &c.] *l.2.ſ.vi bon.rapt.* Contrà autem hic accidit: multum hominem, & vilem piſcem, nonniſi de multis dicimus. Quominus ſcurrile veteratoris Æſopi commentum, de quo Planudes, à calumnia vindicari poſſit. Cum Xanthus iuſſiſſet ei, vt emeret ac in prandium coqueret lentem, τὸν φακῆν ἵνα κόκκον. [quòd lentem ſingulariter, non lentes numero multitudinis dixiſſet] vnicam appoſuit. φακῆν γὰρ εἶπας reſpondit hero, εἶπας, ἀλλ' οὐ φακᾶς, ἃ δὴ πληθυντικῶς λέγεται. *Æquè ſi plures heredes ſint.* § In indefinita igitur ac ſimplici oratione hæc tria præcepta tenentor. Primùm, vt (niſi mens legiſlatoris, teſtatoris, aut contrahentium refragetur: vel quid abſurdi fortè conſequatur) pro vniuerſali accipiatur. vt in illa cautione, [Si ea res ſecundum me, heredémve meum iudicata erit. item illa, Quod ob eam rem te, heredémve tuum.] hic. Indefinito enim ſermone omnia complectimur. *l.vlt.C.quæ res pig.ob.* Argento balneari legato, omne etiam quo diebus feſtis in balneis teſtator vti conſueuit, cedit. *l.vlt.de aur.& arg.leg.* vxori vinum. oleum, frumentum, acetum, mella, ſalſamenta legaui: nec adieci, quantum ex quaque re heres daret. Placuit omne quantum reliqui, legato contineri. *l.7.quidam.de tritic.vin. vel ol.* § Alterum verba indefinita ad futura quoque negotia trahi: vt ſi ita in conſtituenda ſeruitute caueatur (NE LVMINIBVS OFFICIATVR) omne lumen, tam præſens, quàm futurum contineri veteres reſponderunt. *l.23.ſi ſeruitus.de ſeru.vrb.præd.* Vt in fœdere Romanorum, Carthaginenſiúmque, quo conuenerat, vt neutri alterius, eorúmue ſociis bellum inferrent. Saguntinis poſteà in pop.Rom. ſocietatem adſcitis, bellum cum Carthaginenſes intuliſſent, contra fœdus feciſſe dicebantur. T.Liuius *lib.1. decad.3.* [Satis cautum erat Saguntinis, ſociis vtrorumque receptis. Nam neque additum erat, IIS QVI TVNC ESSENT. nec, QVI POSTEA ASSVMERENTVR.) & cum aſſumere nouos liceret ſocios: quis æquum cenſeret, aut ob nulla quemquam merita, in amicitiam recipi, aut receptos in fidem nõ defendi?] Polybius eadem de re *lib.3.* ἐπὶ τοῖς τότε ῥωμαίων συμμάχοις. § Tertium illud tranſlatitium eſt, oratione non modò indefinitia, ſed & generali quidem, perſonam loquentis comprehendi: Procurator cheirographa quæ fecerat, recepit: dominóque reſtituens cauit, NIHIL CREDITORIBVS DEBERI. nihil prohibet creditoribus ſatisfactum: at non domini, verùm procuratoris pecunia. *l.18.in quiſitio.C.de ſolut.* Venditor ædium inquilinorum habitationem receperat: omnibus habitantibus præter dominum, rectè receptam habitationem Labeo putat. *l.53.ſi mercedem.de act.empt.* Vide *l.13.ille.ad S.C.Trebel.* Quintilian. *declamat.284.*

CLIX. VLPIANVS lib. j. ad Sabinum.

ETIAM aureos nummos æs dicimus.

ALCIATVS.

ETIAM AVREOS. § Æs ſeparata ab auro argentóque metalli ſpecies eſt, apud antiquiſſimos quoque prius in vſu, quàm ferrum, vt Heſiodi poetæ carmen indicat: vnde & pecunia ſolo ære cudi cœpta eſt, hincque paulatim factum eſt, vt qualiſcunque pecunia, æris appellatione comprenderetur: idémque in tranſalpina Gallia de argento: qualemcunque enim nummorum ſpeciem, ſimpliciter argentum volgò appellant: nam & Græcis ἐξαργυρίζειν, quod M.Cicero exargentare tranſtulit, in pecuniam redigere ſignificat. § Numus autem aureus, cuius hic mentio eſt, ſeſtertio æris centum valebat, quod in diſpunctionibus adnotaui, hoc eſt, denarios argenteos 25. Idem autem eſt denarius quod drachma. Sed deinde minoris æſtimationis aureus fieri cœpit, & in Cæſarum conſtitutionibus ſolidus appellari. *l.quoties.C.de ſuſce.* quorum ſeptuagintaduo auri libram conficiunt: qua ratione cùm aureus, quo hodie vulgò vtimur, drachmam auri pendat, conſequens eſt, ſolidum drachmam pependiſſe, eiúſque præterea tertiam partem, hoc eſt, ſiliquas ſex. § Sanè & Græci χαλκὸν, id eſt, æs pro quacunque pecunia accipiunt: vnde ἄχαλκοι apud Lucillium epigram.11.

Ἑρμοδότου τόδε δόγμα τὸ πάνσοφον, εἴ τις ἄχαλκος,
Μηκέτι πεινήτω θεὶς τὸ χιτωνάριον.

Hermodoti hoc dogma eſt, Quiſquis miſer, indiget ære,
Philoſophi aſſumas pallia, diues eris.

BRECHÆVS.

ETIAM. ¶ Plin. *nat. hiſt. lib. 33. cap. 3.* tradit populum Rom. ne argēto quidem ſignato ante deuictum Pyrrhum regem vſum eſſe: Seruiúmq; regem, omnium primum ſignaſſe æs, quo Roma rudi antea vteretur. Signatum eſt autem nota pecudum: vnde appellata pecunia. Nota etiam æris (ait idem Plin.) fuit ex altera parte Ianus geminus: ex altera, roſtrum nauis. In triente verò & quadrante rates. Notæ argenti fuere bigæ & quadrigæ: & deinde Bigati Quadratíque dicti. Liuius Druſus in Tribunatu Pleb. octauam partem Æris argento miſcuit: & hic nummus ſignatus eſt victoria, ob id Victoriatus appellatus. As igitur æreus erat, & paruæ æſtimationis: & cum apud antiquos legimus, Millia æris, intelligere debemus, Budæo teſte *libro ſecundo de aſſe*, millia aſſium. As à Plutarcho ſemper pro æreo nummo ponitur. Nam Latini, aſſem nunquam argenteum nomiſma appellauerunt: & ita decuſſis denarius vocabatur. Ex quo (ait Budæus) intelligere debemus denarium fuiſſe argenteum, & denis aſſibus valuiſſe. Quod etiam ex Vitruuio *libro tertio, capitulo primo*, videre eſt. Noſtri autem (inquit) primo decem fecerunt antiquum numerum, & in denario denos æreos aſſes conſtituerunt: & ea re compoſitio nummi ad hodiernum diem, denarij nomen retinet, &c. Hæc ille. ¶ Appellatione æris aſſem intelligi conſtat ex Suetonio Tranquillo *in Auguſt.* Caium, inquit & Lucium adoptauit domi per aſſem & libram emptos à patre Agrippa. Quod Tranquillus per aſſem & libram dixit, lex duodecim Tabularum, per æs & libram dicebat, vt teſtis eſt Budæus. Temporibus Iulij Cæſaris vtebantur Britanni nummo æreo aut annulis ferreis ad certum pondus examinatis, pro nummo, vt idem ipſe Cæſar ſcripſit *libro quinto*, de bello Gallico. Byzantiorum nummus ferreus fuit ſicut & Spartæ: cuius pondus magnum quidem erat, precium ferè nullum. Cælius Rhodoginus *lectio. antiquarum libro decimo, cap. ſecundo*, in quibuſdam Græcorum monumentis ita inueniſſe ſe teſtatur, videlicet Numam Pompilium ex ferro & ære primum cudiſſe numiſmata, quæ ex proprio authoris nomine ſint Numia appellata: cùm ante illum Scortea & Oſtracina pecunia impleret vſum. Tradunt quoque rerum antiquarum periti numiſma Perſicum, Sagittarium dictum ab ipſo notæ genere. Ex quo (ait idem Rhodoginus) celebre manauit in poſteros Ageſilai dictum, ſe ex Aſia pulſum triginta milibus Sagittariorum: quum Perſarum Rex ea nummorum ſumma, corruptis per Timocratem Athenienſibus effeciſſet, vt is de prouincia decederet. Quod & in prouerbium venit, de his qui pecunia de gradu deiiciuntur. Eſt & Tenedius nummus in antiquis monumentis celebratiſſimus, qui percuſſus, altera parte, ſecuris: altera verò, facies duæ ex eadem ceruice prodeuntes ſignabantur. Eam quidem ob rem id factum tradunt, quòd Tenedius Rex quondam ſanxiſſet lege, vt adulterio depræhenſi, capite ſecuri truncato, plecterentur. Quam legem etiam in filio ſeuerè obſeruatam voluit. ¶ Varia itaque erat apud antiquos forma & figura nummorum, varia item æſtimatio & vſus: quod prope infinitum eſſet commemorare. Legimus & apud Tranquillum *in Nerone, cap. 44.* nummum aſperum, argentum puſtulatum. Reliqua de æris, aſſis, & nummorum ratione, pete ab ipſo Plinio, Budæo & aliis probatiſſimis authoribus. ¶ Sed quod hoc loco Vlpianus dixit, cùm æs dicimus, etiam nummos aureos nos dicere, intellectum voluit ex improprio & per catachreſin, ac ex vulgari loquendi conſuetudine. Sicut noſtrates Galli dicunt argentum pro omni genere pecuniæ & numiſmatis ſiue aurei ſiue argentei, ſiue ærei. Vt cùm quis legauit his verbis. *Ie donne tout l'argent qui eſt en mon coffre:* etiam ſi aurei nummi ſint, legato comprehenduntur. Nam vulgus noſtratium ita conſueuit loqui. Aureus autem nummus, ait Plinius *loco ſuprà commemorato*, poſt annum lxij. percuſſus eſt quàm argenteus: ita vt ſcrupulum valeret Seſtertiis vicenis: quod efficit in libras ratione ſeſtertiorum qui tunc erant, ſeſtertios DCCCC. Sed nunc in iure ciuili vna eſt atque altera aurei æſtimatio: nec ſemper ſeptuagenos binos in libras accipiendos, cenſet Budæus *libro quinto de aſſe*: ſed pro tempore aliquid ſtatuentium principum æſtimationem faciendam. Xiphilinus in Auguſto, teſtatur aureum more Romano appellari, atq; eſſe genus monetæ quinq; & viginti drachmas continens, quem Attici χρυσοῦν vocant. Sic autem ſcribit, *χρυσοῦν γὰρ δὴ καὶ ἐγὼ τὸ νόμισμα τὸ τὰς πέντε καὶ εἴκοσι δραχμὰς δυνάμενον κατὰ τὸ ἐπιχώριον ὀνομάζω· καὶ τῶν Ἑλλήνων δέ τινες ὧν τὰ βιβλία ἐπὶ τῷ ἀττικίζειν ἀναγιγνώσκομεν, οὕτως αὐτὸ ἐκάλεσαν.* Hoc vbi de monarchia Auguſti loquitur, Aureus, poſtea Solidus appellatus eſt: ac quoties in iure ſolidorum facta eſt mentio, de aureis intelligi oportet: vt in *l. ſi verò plures. §. ait Prætor. ff. de his qui deiecerunt vel effuderunt. l. ſecunda. C. de ſportul.* Iuſtinia. *in §. nos autem. de Attilia. tuto & in §. item ſi cuius. de obliga. quæ ex quaſi delic. naſ. & in §. ſi quis. de pace tenen. in vſib. feud.* Dictus autem eſt ſolidus, ſecundum Lampridium in Alexand. quod iuſto & integro pondere erat percuſſus. Cælius *libro decimo, capitulo ſecundo*. Nam & in noſtris literis (inquit) ſolidos dici aureos nouimus velut integros, nec vlla parte deminutos, eorum interſtitione qui Semiſſes dicuntur aut Tremiſſes à portione veluti dimidia aut tertia. Cæterùm (vt tandem nihil prætermiſiſſe videamur quod ad rem faceret) nummus dictus eſt quaſi numus νόμος, quia lege & inſtituto pro commerciis hominum traditus eſſet. Itaque (ait Budæus *in Annotatio. ad lius ciuile.*) nomiſma veluti pro indigentia hominum inſtituto ſucceſſit, quòd hominibus inter ſe intercederet: inde nomen ſortitum, quod lege, id eſt, nomo Græcè, non autem naturâ originem habeat: vnde numus Latinè videtur quaſi nomus dictus: vel παρὰ τὸ νέμειν νόμος, quòd in commerciis diuiderentur commutatæ merces pecuniâ. ¶ Sanè antiquorum nomiſmatum appellationes atque æſtimationes ad vſum noſtrum his noſtris temporibus interpollare non poſſumus: nec vlla ferè locabilis eſt pecunia exterarum nationum, niſi quæ ſub Henrico ſecundo, principe noſtro optim. maxim. tandem percuſſa ſit. Aureus quippe, ſeu Solatus ſeu Coroneus ſit, valet ſex & quadraginta aſſibus, id eſt, duodenariis. Aſſem enim appellare hodie poſſumus, Budæo teſte, quem duodenarium vocamus, & ita in partes diuidere, vt antiqui ſuum aſſem diuidebant in ſui generis parteis, quadrantes ſextantéſq; dicentes. Sic

vnciæ loco, erit Denariolus, qui à Græcis χαλκοῦς dicitur. Sic Quinarius & Senarius, vel quincunx & Semis: qui quinos & ſenos denariolos valent. Seſtertius, duos ſolidos & ſemiſſem. id eſt, vt vulgò dicimus, vnam peciam ſea alborum. Nam hodie ſolidum vocamus aſſem, id eſt, duodenarium: ſed diuiditur in Turoneum, & Pariſium. Centuſſem dicere poſſumus noſtram henricam. id eſt, nummum illum aureum Henrici ſecundi imagine primum percuſſum, qui centum noſtros ſolidos pendet. Decuſſem, decem ſolidos, Teſtonem vulgò vocamus, cùm tamen vndecim ſolidos, & quatuor denariolos hodie pendeat.

FORNERIVS.

ETIAM. ¶ Hoc caput cum ſequentibus xxii. ad Sabinum inſcribitur: verum ad quem, cum plures fuerint, parum liquet. Maſſurius Sabinus equeſtri ordine, primus de iure ſub Tyberio principe ſcripſit. Pomp. *l.2. §. de orig. iur.* cuius meminit Paul. *l.144. libro. §. b. t. l.1. §. iii.* Gell. *lib.4. c. vlt. lib.5. c.19.* Arrianus *lib.4. in Epicteti Enchirid. cap.3. in fin.* Athenæus *lib.*14. de quo ſatyricum illud *Excepto, ſi quid Maſuri rubrica notauit.* ea audiendum arbitror. Alter fuit Cæcilius Sabinus, qui Caſſio ſucceſſit, plurimúmque Veſpaſiani temporibus potuit. *d. l.2.* Tertius qui ſæpe ſine prænominis adiectione in nomenclatura iuriſconſultorum Pand. Florent. præfixa, recenſetur, cuiúſque tres de iure ciuili commemorantur libri: ea quibus nulla hodie reſponſa ſuperſunt. Quare non adeò huius [illegible] expedita diiudicatio vel ea eo relinquitur: quòd illum ipſum (vt cæteros mittam) Sabinum ad quem Domit. Vlp. libros inſcripſit ſuos, temporibus Heliogabali vixiſſe Æl. Lampridius tradit. [Sabinum conſularem virum ad quem libros Vlpianus ſcripſit, quòd in vrbe remanſiſſet, vocato centurione, mollioribus verbis iuſſit occidi: Sed centurio aure ſurdiore, imperari ſibi credidit, vt vrbe pelleretur, itáque fecit: ſic vitium centurionis Sabino ſaluti fuit. Remouit & Vlpianum iuriſconſultum, vt virum bonum. Sed verius videtur, quod & Iuſtinianus prædicat, ad Maſur. Sabinum libros ſcripſiſſe Vlpian. vnde ſpecies refertur *l. vlt. C. de hered. inſt.* Quod alij pleriq; poſteriores iuriſconſ. factitarunt.

Aureos nummos. ¶ Romæ triumuiri monetales, A.A.A. F.F. (id eſt æri, argento, auro, flando, feriundo, interprete Val. Probo) Cicer. *lib.3. de legib.* Pomp. *l.2. de orig. iur.* Sed antiquiſſimi nondum auro, argentóq; inuento, ære vtebantur. Nam vt ait Iſidorus *lib.16. c.17.* [Prius ærea pecunia in vſu fuit, pòſt argentea, deinde aurea ſubſecuta: ſed ab ea quæ cœpit, nomen retinet. Vnde & ærarium dictum, quia priùs æs tantùm in vſu fuit, & ipſum ſolum recondebant, auro argentoque nondum ſignato. Ex quorum metallis quamuis poſteà facta fuiſſet pecunia, nomen tamen ærarij remanſit ab eo metallo, vnde initium ſumpſit.] Hæc ille. Hinc æra militum, tribuni ærarij, & ærarium, & obærati ab ære dicti. Plin. *lib.34. cap.1.* Vnde in antiquioribus legibus, teſtamentis, contractibus, mancipationibus frequens æris mentio, etiam ſi de alio nummorum, velut aureorum genere ageretur. Nam & aurum atque argentum tatò dari ſolitum innuunt Impp. Arcad. & Honorius *l.2. de incorporatione. C. Th. lib.* 10. *tit.9.* Quod etiam in ærarium reponebat Alexand. Seuerus: cum reliqua punitorũ bona donaret: auctore Lampridio: Itaq; cùm antea aurũ argentúmq; & peteretur ex bonis vacantibus, & concederetur *l.4. C. Th. de bonis vacant.* tandẽ eiuſmodi petitio ab Arcad. & Hon. ſublata eſt. [Sit hæc menſura bona poſcẽtium, ne quis oblatis precibus, in petitione bonorum auri atq; argenti faciat mentionẽ.] *l.21. ſit hæc. de petitionib. & vltro datis. C. Th. lib.*10. *Aureos.* ¶ Aurum ſpargere, nemini niſi principi, licet. *Nouel.*105. non impunè mutuum ex theſauris principis ſumitur, vel datur. *l.2. de iis qui ex pub. ration. C. lib.*10. Solius principis vultus in nummis aureis exprimebatur: ſi priuati cuiuſpiam effigies inſculperetur, fiſcus vindicabat. *d. Nouell.*105. *l.7. de falſ. mon. C. Th.* Cui quadamtenus *ſeq. eiuſdem titu.*8. lege moderatur. Et Iuſtinia. apud Procop. *lib.3. de bell. Goth.* derogauit. Quin & ſummi beneficij loco matri a Conſtantino conceſſum, vt à militibus Auguſta & regina haberetur: as aureus ipſius imagine percuſſus ederetur: Euſeb. *lib.3. de vita Conſtant.* idémq; ſolidos veterum principũ vultu formatos tradi & ſuſcipi in commerciis, iuſſit: quibus anteà pro gemmis vtebãtur. *l.28. numiſmatum. §. de vſufr. l.1. C. de vete. numiſ.* poteſt. Et cũ multis argumentis quantopere Impp. auro ſtuduerint, tum ea eo coniicere licet, quòd & Diocl. veterũ ſcripta de fuſione argenti atq; auri vndiq; conquiſita combuſſerit: ne illa arte ditati Ægyptij, pecuniç copiis freti rebellarẽt: auctor Suidas. Quodq; Tyberius artificem, qui vitri temperandi vt ductile ac flexibile eſſet, rationẽ inuenerat: ne auri dignitas vileſceret, ſi artem euulgaſſet, necari iuſſerit. Dion *lib.57.* Corn. Tacitus *lib.5. hiſtor.* Plin. *lib.36. c.26.* & Iſidorus *lib.16. Etymolog. c.15.* Deniq; quod & de pondere ſolliciti. *titu. de ponder. lib.10. C.* & de ipſius cum argenti æriſq; proportione ac penſatione cauent: ſcil. æris pretium à prouincialibus exigendi: vt pro viginti libris æris, vnus auri ſolidus redderetur. *l. vn. C. de coll. æris.* vel pro centenario æris, aureum pendatur. *l. pen. l. vlt. C. Th. lib.11. tit.21.* Auri verò ad argentum decupla proportio. Iul. Pollux *Onomaſtices lib.9.* [illegible]. T. Liuius quibus cõditionibus pax Ætolis data ſit à Romanis diſſerens, *lib.8. decad.4.* [De pecuniæ ſumma, inquit, quam penderent, penſionibúſq; eius nihil ex eo, quod cum conſule conuenerat, mutarum: pro argento, ſi aurum dare mallent, darent conuenit: dum pro argenteis decem, aureus vnus valeret. Idem prope ab Arcadio & Honorio conſtitutum: vt pro ſingulis libris argenti quinos ſolidos inferre liceret. *l. vn. tit. vlt. lib.10. C. de argent. pret.* Argenti porrò libra in ſexaginta argenteos diuideretur: aureis verò quinque æſtimaretur: Auri autem libra in 72. ſolidos accepta ferretur. *l.5. C. de ſuſcep. l.1. de expenſ. lud. C. Th.* *Æs dicimus.* ¶ Ea vſu ſermonis, cuius anteà rationem ea Iſidoro reddidimus: quòd in omnibus commerciis ære veteres vterentur: Æs patarium, Feſto, æs alienũ: ære commercioque interdicere. Paul. *lib.3. tit.4. ſent. & primo legis Aqu. capite,* [Quanti id in eo anno plurimi fuerit, tantum æs dare domino damnas eſto.] *l. 2. de leg. Aquil.* filij per æs & libram emancipati, Caius *lib.1. Inſtit. tit.6.* Suetonius *in Auguſto,* [Caium & Lucium adoptauit domi, per aſſem & libram emptos à patre.] Teſtamentum per æs & libram. *tit. de teſtament. ord. Inſt.*

Vlpianus *fragmen.tit.19.§.mancipatio.& tit.ſeq.* Feſtus. [Rodum non modò pro ære imperfecto, ſed etiam pro ſignato, quod in mancipando, cum dicitur (Ruduſculo libram ferito:) aſſcrangitur libra.] ita io accipientem dominium tranſcribebator mancipatione, per æs & libram. Ouid.

Méque tuum libra norit & are minus Horatius
Si proprium eſt, quod quis libra mercatur & are.

Libra aotem adhibebatur, quod eſſet æs graue, ideóque appenſum, non numeratum ſolueretur. Varro Per trutinam ſolui ſolutum veſtigia etiam ſua ætate manere in æde Saturni ſcribit. *ſub finem lib.4. de ling.lat.* quod ea etiam tunc propter penſuram, trutinam habebat poſitam. Æri graui, tenues ac breues nummi oppoountur. Theophilo λεπτὰ νόμισμα. *§.1.quibus mod.re contr.ob.& §.nunc admonendi: quib.alien.lic.vel non.* Feſtus in (*as graue*) & (*Centenaria cœna*) centum (inquit) aſſes, qui erant breues nummi. Perſius *Satyr.5. Et centum Græcos curto centuſſe licetur.* Clem. Alexandrinus in eos qui cum meritoriis ſcortantur, inuehens, quos ait tenui nummo ſibi exitium mercari, ὀλίγου νομίσματος ὠνούμενοι θάνατον. *lib.3.cap.3.Pædag.* Symmachus *lib.7.epiſt.129.* [Officium pium breui pagina, tanquam paruo ære perſoluere.] Sic enim Fr. Iuretus (cuius ſingulari beneficio auctoribus illis libris fruimur) peracutè emendandum cenſet. Plinius *lib.3.cap.3.* Caſſiodorus in formula, qua moneta committitur: *epiſt.32. lib.7.* vtriuſque generis meminit. [Pondus quin etiam conſtitutum denariis præcipimus debere ſeruari: qui olim tam penſo, quàm numero vendebatur. Vnde verborum vocabula competenter ab origine trahens: compendium, & diſpendium pulchrè vocauit antiquitas.] Vlpianus etiam com dixit, oummis indiſtinctè legatis, exiguiores deberi: fortè eo reſpexit *l.75.nummis.de leg.3.* [Si neque ex conſuetudine patrisfamiliæ, inquit, neque ex regionis vnde fuit, neque ex contextu teſtamenti poſſit apparere.] Meritò, nam vt aliàs regionis conſuetudo ſpectatur. *l.4.de vin. tritic.l.1.ſ. de vſur.* ita & in nummis, qoos apud quoſdam populos coriaceos, ferreos, plumbeos, ſtanneos in vſu fuiſſe accepimus. Seneca *lib. 5. de beneficiis.* [Æs alienum habere dicitur, & qui aureos debet: & qoi corium forma publica percuſſum: quale apud Lacedæmonios fuit, quod vſum numeratæ pecuniæ præſtat.] Iſidorus *lib.16. etymolog. cap.17.* [Pecunia prius de pecudibus & proprietatem habebat, & nomeo. De corio enim pecudum nummi incidebantur, & ſignabãtur. Poſteà à Saturno ærei nummus inuentus eſt.] Plautus *Moſtellaria.* [Taceſis faber, qui cudere ſoles plumbeos nummos.] Idem *Trinummo* [Cui ſi capitis reus ſiet nummum nunquam credam plumbeum. *Caſina.* Cui homini hodie peculi nnmmus non eſt plumbeus.] Byzantij quoque ferreo & Syracuſaoi ſtanneo argentei loco, nnmiſmate vtebaotur. Pollox *lib.9.* Βυζαντίων γε μὴν σιδηροῦν νόμισμα. Idem de Syracuſanis. κασσίτερον ἀντ' ἀργυρίου νόμισμα. Infinitum erit, ſi latiùs exempla cõquiramus, quibus rei nummariæ veterum ratiooem explicemus, cui proprium commentarium deſpondemus.

CLX. IDEM lib. ij. ad Sabinum.

CÆTERORVM & reliquorum appellatione etiam omnes continentur, vt Marcellus dixit circa eum, cui optio ſerui legata eſt, Ceteri Sempronio. Nam temptat, ſi non optet, omnes ad Sempronium pertinere.

ALCIATVS.

CÆTERORVM. ¶ Sicot ſuprà vidimus has dictiones, ampliùs, reliquum, virilem partem, etiam de toto dicinta de dictione cæterorum, admittendom eſt, & ideo legata Titio optione ſeruorum, & cæteris Sẽpronio relictis, ſi Titius non optet, vel alio modo à legato excludatur, omnes ad Sempronium pertinebunt. *l.cum optio. de opt. leg.* non quòd portio Titij ad illum per ius accreſcendi deuoluatur, ſed ex vi ipſorum verborum: & ita Pontanus id reſponſum declarat. *Rom.ſing.35.* & in eo, cui ſuperfluum relictum erat. Raphael ex facto conſultus idem reſpondit. *Com.conſil.105.* Deducitur autem hæc dictio, cætera, à Græco, καὶ ἕτερα, id eſt, & alia: & ideo cùm abbreuiationis cauſa appouitur, eius virtute cenſentur alia repetita, quæ ex natura, & conſuetudine actus requirebantur, obſeruabimúſqoe hac in re notarij ipſius conſuetudinem: vnde in re dubia non licebit eius ſucceſſori abſque iudicis mandato eam clauſulam extendere, vt Batt. ſeoſit. *l.Gallus.§.2.ſ.de lib.& poſth.* Sed & vbi de iure neceſſaria eſt ſcriptura, vel expreſſio verborum, non eſt exiſtimaudum ſufficere quod eius clauſulæ inuolucro tabelliones implicant. *l.1.de his. quæ in teſta.* & ideo nec iuramentum, nec ſtipulationem in ſe continere videbitur. Sunt & qui plurimùm referre putent, extenſim cętera ſcriptum ſit, an præſcriptis notis, &c. quod ridiculum ego arbitror.

BRECHÆVS.

CÆTERORVM. ¶ Qoid reliquorom appellatione veniat, eſt à nobis ſuprà tractatum *in l.poteſt reliquorum.* Quo loco ſcribit Marcus reliquorum appellatiooem, vnioerſos comprehendere & ſignificare. At hoc loci Vlpianus Marcum ſequutus adiecit verbum, Cæterorum, vt idem ſignificet quod reliquorum. Nam ſicut dicimus, Cæterùm, ita dicimus, ad reliquum, aut, quod reliquum eſt, id eſt, reſtat, ſupereſt, frequẽter apud Cic. & alios probatiſſimos Lat. ling. autbores. Plin. *lib.19.nat. hiſtor.cap.6.* dixit, Cæterò, pro cæterum. Cæterò (inquit) rer foſſo ſolo, ſeri iubent, extirpatis radicibus herbarum. Quod apud eundem Plin. eſt frequentiſſimũ pro hac ſignificatione. ¶ Cæterorũ igitur & reliquorum appellatio, omnes cõplectitur: vt ſi quis quatuor habens ſeruos, eorũdẽ voius optionem Caio legat, cæteros ſeu reliquos Seio, ſi optionẽ Caius detrectauerit, cęteri ſeu reliqui, i. omnes

& vn

& vniuerſi ad Seium cenſentur pertinere. Sed & ſi creditor cum ſuo debitore ita pactus ſit, vt ſi decem quæ mutua dederat, quandocunque eadem petiiſſet, ei non ſoluerentur, liceret pignora data vendere intra octo dies, quòd ſi minùs veniſſent quam quod & ſortis & vſurarum nomine deberetur, creditori redderetur quod ex venditione reliquum eſſet perſoluendum, fideiuſſore in eam rem accepto, Scæuola reſpondit teneri tantùm fideiuſſorem in id quod minus ex venditis pignoribus redactum eſſet *in l.inter creditorem.ff.de fideiuſſ.* Sic reliquum, non ſemper totum ſignificat: ſed aliquando & per interpretationem. Videto quæ in eam rem ſcripſi ſuprà *in l.poteſt reliquorum.* & in hunc locum Bartholum. Cæpol. Videto tu etiam *l.Officiius.ff.de legat.3.*

FORNERIVS.

CÆTERORVM. ¶ Reliquorum eadem quæ & cæterorum ſignificatio. Vtroque nomine non id modò, quod aliunde pendeat, ſed & totum, vniuerſumque intelligitur: id eſt τὸ πᾶν. *l.95.poteſt.ſ. hoc tit.*. Exemplum *l.2.C.de her.inſt.* *Optio ſerui leg.* ¶ Optio ſerui inter actus legitimos recenſetur *l.77.actus.ſ.tit.ſeq.* quod certo ritu, ac formula conſtaret: neque enim quibuſlibet verbis fiebat. Vt ſi legatarius fortè [Volo eam rem] dixerit electio (quæ vna vice conſumitur *l.5.de leg.2.l.20.apud. de opt.leg.* Seneca *declam.4.lib.4.contron.4.lib.24.* Quinctil. *declam.* 309.) conſumpta non intelligitur: quia verbo (Volo) ſuſpenſa, nec perfecta voluntas oſtenditur *l.112 ſi quis ſtipuletur.de verb.ob.*

Omnes. ¶ Rem electam ex iis quas teſtator eligendas reliquerit, vnam eſſe oportet. *l.2.de opt.leg.* niſi fortè aliæ res non ſint in patrimonio teſtatoris. *l.38.Titia. §.Sempronia.de aur.& arg.leg.* Deinde res omnes exhiberi: alioqui iterum legatarius poterit eligere. *l.4.l.5.de opt.leg.arg.l.tres.de pact.* Denique hereditatem aditam eſſe *l.10.Iulianus. de leg.1.l.11.ſi Eros.l.16.optione. de opt.leg.* Nihil alioqui eorum quæ teſtamento cauentur, valebunt. *l.9.ſi nemo.de teſtam.tut.l.14.eam quam.C.de fideic.*

Si non optet. ¶ Si modò ius optandi habuerit. Quid enim ſi filiusfamilias, aut pupillus aut minor elegerit? *d.l.10.Iulianus.l.9.pupillus.de acq.her.l.7.aut.§.Pomponius.alias, Et ſi ſine.ſ.de minorib.*

Pertinebunt. ¶ Id eſt deferetur legatum reliquorum, non priùs acquirentur Sempronio, quàm legatum agnoſcendo, omnes ad ſe pertinere voluerit. *l.65.ſi ita.§.illi.de leg.1.notauimus ad l.151.de lata.ſ.h.t.* Pertinebunt autem iure accreſcendi *l.vn.de cad.toll. C.& tit.C.quand.non petent.partes per accreſ. l.142.triplici.ſ.h.t.*

CLXI. IDEM lib. vij. ad Sabinum.

NON eſt pupillus, qui in vtero eſt.

ALCIATVS.

NON EST PVPILLVS. ¶ Qui in vtero eſt, pupillus non eſt, ſed viſcerum matris quædam portio: & ideo, ancilla prægnante vendita, ſi partus euincatur, non agitur duplæ, quia non videtur magis in contractu ad partum habitus reſpectus, quàm ad quoduis aliud inteſtinum. *l. ſi prægnans. de euict.* Hinc eſt conſequens, vt non ideo pretioſior ſit ancilla, quòd prægnans ſit, quamuis enim aliqua ſpes lucri inde domino ſubeſſe videatur, contrario tamen detrimenti periculo eliditur. Quid enim ſi ancilla abortiret? cùm præſertim parturiens mulier cenſeatur in periculo mortis eſſe. Abb. *c.paſtoralis.in fin.de offic.ord.* Meritò ergo in legis Falcidiæ computatione propter ancillæ ventrem hereditas non augetur, *In l.Falcid. placuit. ff.ad leg.Falcid.* quod periculum in brutis tam frequens non eſt. Si tamen cariore pretio propter partum quis ancillam emat, quod ex ea natum erit, titulo oneroſo habere videbitur. *l.quod ſi ex Pamphil.de leg.2.* Sed & ſi fur matrem ſuſtulerit, partum quoque, qui apud eum conceptus eſt, contraxiſſe videtur, vnde neque eum vllo tempore per poſſeſſionem acquirit, quod ſuprà attigimus. *l.partum.ſ.eod.* Et ex his conſequens eſt, ſi mulier prægnans in exilium acta ſit, filium ibi natum non videri exulem. Bart. *d.in ſeruorum.de ſtatu hom.* Sed & legem Corneliam aduerſus homicidas latam, verius eſt non procedere in eo, qui abortionem procurauit, tametſi alij aliter ſenſerint. Felin. *c.ſicut.de hom.* Illud quoque traditum eſt, ſi lex portorij vectigal pro quocunque animali imponat, pro eo, quòd in vtero eſt, nihil ſoluẽdum eſſe, nam & huiuſmodi in cenſum non refertur, & in hoc omnes conſentiunt. Sanè Iuriſconſultus pupillum hîc videtur lata ſignificatione accipere, pro quocunque infante. Accurſius tamen etiam propriè accipit, & ideo infert, tutores pupillis ſuis datos non videri ventris tutores fuiſſe, ſi infans non naſcatur: cuius ſententia vera eſt. *l.cum pater.de neg.geſt.*

BRECHÆVS.

NON EST. ¶ Propria ſignificatione pupillus eſt qui caret quidem patre, ſed tantiſper dum eſt in ætate cui adhibetur tutor, vt definiuit Valla *lib.4. elegant.cap.33.* Dicitur autem pupillus à puppis, quaſi puppus. Erant autem puppæ ſimulachra quædam ſeu imagines, puellarum forma & amictu inſignitæ, quæ maximè ſunt in deliciis puellis: noſtrates hodie vulgò appellant *Poupées & Poupines*: à puppa deriuatum nomen. Antiqui autem puppam appellabant quam nos hodie puellam, & puppum puerum. Perſius *Satyra* 2.

Dicite pontifices, in ſacris quid facit aurum?
Nempe hoc, quod Veneri donatæ à virgine puppæ.

Puellæ etenim cum nuptias capeſſere vellent, aut virginitatem eiurare Veneri in templo puppas dicabant: quemadmodum pueris mos erat, cum ex pueritia excederent, laribus diiſque familiaribus & domeſticis Bullam ſuſpendere. Vnde ipſe Perſius, *Satyr.*1.

Bulláque ſuccinctis laribus donata pependit. De puppa ſic: Martialis *epigram.lib.4.*de Cærelia & Gellia.

Dicit ſe vetulam cum ſit Cærelia puppa:
Puppam ſe dicit Gellia, cum ſit anus.

Qui igitur poſthumus adhuc in vtero eſt, pupillus dici non poteſt: ſed tantùm pars quædam vteri materni, & antequàm naſcatur, dici non poteſt in poteſtate patris fuiſſe, vt reſpondit Caius. *l.fin.ff. de collation.bono.*

Fornerivs.

Non est. ❡ Pars adhuc viſcerum matris eſt, nondum natus, ſeu *κυοφορούμενος. l.1.de vent.inſp.*nec dum homo, vt hereditatem augeat. *l.9.in Falcidia.l.73.in quantitate.ad leg.Falcid.*Quamuis quoties de ipſius commodis agitur, qui in vtero eſt, pro iam edito cenſeatur. *l.7.qui in vtero.l.pen.ff. de ſtat.hom.l.131.quod dicimus.ff.h.t.*Si nondum homo eſt, certè nec pupillus: nulla enim eius quod non ſit conditio cernitur, nulla qualitas.vulg. *l.pen.ff.ſi cert.pet.* Imò verò editus in lucem, non protinus eſſet pupillus: quem Pomponius eum, qui quum impubes eſt, in patris poteſtate (vel morte vel emancipatione) eſſe deſierit. *l.299.pupillus.ff.h.t.*qui minor annis xiiij. tutoris auctoritate regitur. *l.9.certi. ſi cert.pet.l.1.§.fuit.ad Sc.Trebel.§.1.de tutel.Inſt.* A.Gellius *lib.5.cap.13.* [Conſtabat ex moribus popul. Rom. primum iuxta parentes locum tenere pupillos debere, fidei tutelæque noſtræ creditos.] ❡Omnis quidem pupillus eſt impubes: non contrà qui impubes, idem & pupillus. *l.25.qui iuraſſe.de iureiur. l.4.de in lit.iur.*Quanquam non me fallit, abuſiuè & eum, qui parentis poteſtati ſubeſt, quique peculium habet, pupillum, & adultam nuptiiſque idoneam pupillam nominari. *l.7.quam Tuberonis.§.pupillum.ff.de pecul.l.15.tutor.de ſponſ. l.vlt.§.ſi pupillus.de verb.ob.* Pupillus viuo patre. *l.18.ſi infanti.C.de iur.delib.*Sed cùm nondum ſit natus, dubitatur, an interim ei rectè tutor dari poſſit, an prægnans mater in bonorum poſſeſſionem mitti, an collationem bonorũ poſtumi qui naſci ſperatur, nomine poſtulare poſſit? Si quidem tutorem teſtator poſtumo dederit, iſque tutelam interim adminiſtrarit, nec poſtumus natus fuerit: cum eo non tutelæ, ſed negotiorum geſtorum agetur. Quod ſi natus fuerit poſtumus, tutelæ actio dabitur. [Et in eam vtrumque tempus veniet (inquit Calliſtratus) & quo antequam naſceretur infans, geſſit, & quo poſteaquam natus eſt.] *l.29.cum pater.ff.de neg.geſt.*Ita necdum nato non confertur. *l.vlt.ff.de collat.bonor.* ❡ Prægnans autem intereà mater ventris nomine, mittetur in poſſeſſionem. *tit.ff.de ventr.in poſſeſſionem mittendo, & curat.eius. & tit.ff.ſi ventr.nom.mul. & tit.ſeq.* Namque inhumanum eſſet, ei negare interim alimenta, qui futurus aliquando dominus, ſiue mater ipſa dotem habeat, ſiue non. In dubio, ſicuti liberorum, qui iam in rebus humanis ſunt, curam Prætor habuit: ita etiam eos, qui nondum editi ſunt, propter ſpem naſcendi non neglexit: Nam eos tuetur, dum ventrem mittit in poſſeſſionem, vice contra tabulas bonorum poſſeſſionis, & curator ventris matri alimenta ſtatuet. *l.1.l.2.l.5.& ſeq.l.pen.ff.de ventr.in poſſ.* Quæ ſpes tanta æquitate nititur, vt & in regum, nedum priuatorum ſucceſſionibus obſeruetur: ventrémque in regni poſſeſſionem miſſum, ſcribat Agathias *lib.4.de bello Gotthic.*& Macedones regem ſuum infantem in cunis vagientem ad aciem detulerint, auctor in Panegyric.dicto Conſtantino Imp. Nazarius. Am.Marcel. *lib.26.* Iuſt. *lib.7.*

CLXII. Pomponivs lib. ij. ad Sabinum.

In vulgari ſubſtitutione, qua ei qui ſupremus morietur, heres ſubſtituitur, rectè ſubſtitutus etiam vnico intelligitur: exemplo duodecim tabularum, ex quibus proximus adgnatus & ſolus habetur.

Alciatvs.

In vvlgari. ❡ Inſtituit teſtator filium, quem habebat, & quoſcunque habiturus eſſet, eíque qui ſupremus morietur, Seium ſubſtituit: dubitari potuit, ſi alios filios non habuerit: an Seius illi ſaltem, quem tum, cùm teſtaretur, habebat, rectè ſubſtitutus videretur. Et exemplo legis xij. Tab. rectè ſubſtitutum defendit. *l.qui duos.de reb.dub.*quoniam in ea lege ſupremus dicitur, qui vnicus fuit: ſatiſque eſt, vt vltimus quis cenſeatur, qui poſt ſe neminem habeat, etiam ſi à nemine quoque præcedatur, quod & ſuprà latius attigimus. ❡ Sed in hac ſpecie dubium eſt, ſi plures ille filios haberet: an inuicem ſubſtituti viderentur? *l.vel ſingulis.ff.de vulg.*& receptum eſt, cenſeri legitimæ ſucceſſionis inter plures coheredes ius reſeruatum, niſi vltimo decedẽti in omni hereditate ſubſtitutio facta ſit. *l.Titia.Seio.§.2.de leg.2.* nõ enim qui ſupremus moritur, omnem hereditatem reſtituere poteſt, niſi ipſe eam habuerit: at habere eam non poteſt, niſi viciſſim eos grauatos dicamus. Sunt qui idem eſſe opinantur. Soci. *l.heredes. §.cùm ita.ad Treb.* cùm ita verba concepta ſunt, vt poſt mortem omnium reſtitutio facienda ſit, tametſi expreſsè dictum non ſit, vt qui vltimus moriatur, reſtituat. Arg. *l.codicillis.de vſufr.leg.*quod rationem in ſe vllam non habet: non ergo vltimus omnium portionem, ſed eo in caſu vnuſquiſque ſuam reſtituet.

Vulgari. ❡ Accurſius interpretatur, i. pupillari. Ego aliter ſentio: cùm enim teſtator filiis inſtitutis, ei, qui ſupremus morietur, ſubſtituit, ſi vnicus ille ante aditam hereditatẽ decedit, ſubſtitutus ex vulgari admittetur: ſi poſt aditam, antè tamen, quàm pubes eſſet, ex pupillari: vnde à principio ea ſubſtitutio ſatis poteſt vulgaris appellari: nec obſtat quòd ex vulgari ei non ſuccedatur, ſed teſtatori, quia pronomen illud pro ſuperuacuo habetur, idque Albericus probat. *l.3.in prin.de vulg.* ❡ Sed quid ſi dictum ſit, mihi & ei, qui ſupremus morietur, Seius heres eſto? Et adhuc opinari quis poſſit, de vulgari & pupillari ſubſtitutione ſolùm égiſſe teſtatorem, vt ordinem coniuncta denotet, quaſi

ſibi ſub

ſibi ſubſtituerit, ſi filius heres non erit, & filios ſi heres erit. Quidam etiam fideicommiſſariam contineri aiunt, vt Pontanus & Iaſon *l.pen.C.de imp.* & in electione ſubſtituti eſſe, directè an per fideicommiſſum hereditatem vendicet: quæ ſententia propter veriſimilem teſtatoris voluntatem adiuuanda eſt.

BRECHÆVS.

IN VVLGARI. ¶ Si quis filiorum ſuorum ſupremo ſeu vltimo morienti alium ſubſtituit, & ſi vnicum tantùm filium habeat, quamuis de pluribus ſupremum teſtator dixiſſe videtur, valet ea ſubſtitutio: quoniam ſupremus, quemadmodum & proximus de vno aliquando intelligitur: quod etiam diximus ſuprà in *l.proximus.* & *l.proximi appellatione.* Exemplo erit lex x I I. Tab. quæ agnato proximiori hereditatem defert, etiam ſi ſolus & vnus tantùm ſit agnatus.

FORNERIVS.

IN VVLGARI. ¶ Duæ hic vulgaris ſubſtitutionis clauſulæ exponuntur: quarum priore [Ei qui ſupremus morietur heres eſto] ſubſtitutus etiam vnico videtur. Sicuti proximus etiam qui ſolus, quem nemo antecedit, vel ſequitur: Quod aliquot iam anteà locis expoſitum, operoſiorem curam non flagitat *l.92.proximus.l.155.proximi.ſ.h.t.*

§.1. SI quis ita in teſtamento ſcripſerit, [Si quid filio meo acciderit, Damas ſeruus meus liber eſto:] mortuo filio Damas liber erit. Licet enim accidant & viuis, ſed vulgi ſermone etiam mors ſignificatur.

ALCIATVS.

SI QVIS ITA. ¶ Humanitus accidere, eſt mori. *Inſtit. de do. in princ.* & ita docti ſolent loqui. Sed teſtatores ex vulgi ſermone, qui cóciſior eſt. *l.publia.depoſ.* & breuior, ſimpliciter accidere, & contingere, pro vita defungi accipiunt: vltimus enim, qui homini eueniri poſſit caſus eſt mors: meritò illa conditio, ſi quid acciderit, de morte intelligitur *l.vxorem.§.Seia.de leg.3.* alioquin propter generalitatem nullius ferè momenti eſſet. Sed an mors ciuilis hoc quoque caſu ſufficiat, vt quia in exilium quis miſſus ſit? & Bald. *in rub.C.depoſ.* de ea ſentire contrahentes non arbitratur. ¶ Hinc argumentum ſumi poteſt, imperiti teſtatoris verba ex vulgi conſuetudine declarari: quod & Socin. *l. qui duos. de reb. dub.* in ea ſpecie annotauit, cùm filium quidam viuum & mortuum relinquere ſe Titio in teſtamento dixiſſet: interpretatus eſt enim, Titium viuenti tutorem datum, mortuo heredem. Lancel. *l.centurio. in fin.* Sed huiuſmodi verbis hereditatem dari periculoſius eſt, quàm vt ego adfirmare auſim, cùm & curam mortui gerere quis poſſit, dum pompam funeris, ornatum ſepulchri, parentaliáque huiuſmodi procurat.

FORNERIVS.

SI QVIS ITA. ¶ Altera ſequitur ſubſtitutionis clauſula, vulgaris quidem illa frequens: ſed quæ cum filij mentionem faciat, ad pupillarem quoque referri, imò & ad contractus poſſe videatur. Nam cum Harmenopulus *lib.6. Epitom.tit.vlt.* iiſdem verbis quibus & Baſilicôn interpretes, hunc locum extuliſſet, τὸ εἰπεῖν ἐὰν συμβῇ τι τῷ υἱῷ μου ἀνθρώπινον, θάνατον δηλοῖ. exemplum in ſcholio etiam de ſtipulatione ſubiecit. Verùm in teſtamentis víſitatiorem eſſe ſequentibus teſtimoniis oſtendemus. M.Cicero *lib. 2.de inuentione*, Cuius heres non in illo teſtamento quiſquam ſcriptus erat, [Si quid pupillo accidiſſet.] Velleius Paterculus *lib.2.* M.Marcellus ſororis Auguſti Octauiæ filius, quem homines ita, Si quid accidiſſet Cæſari, ſucceſſorem potentiæ eius arbitrabantur. Suet. Tranquillus *in Auguſt.cap. vlt.* Iulias filiam, neptémque, Si quid iis accidiſſet, vetuit ſepulchro ſuo inferri. Seneca *lib.2.controuer.* Vir & vxor iurauerunt, vt ſi quid alteri accidiſſet, alter moreretur. Eadémque eſt & horum verborum vis, [Si quid contigerit,] vel [Si quid humanitus contigerit.] *l.41.vxorem.§.Seium.de leg.3.l.26. Publia.ſ.depoſ.l.antep.§.Seia liberta.§.vlt.de adim.leg.§.mortis.de donat.Inſt.* M.Cicero. *Philipp.* Si quid mihi humanitus accidiſſet. *l.25.quidam.ſ.ad Sc.Trebel.* Iul.Capitolinus, *in Claud.Albino.* [Marius dicit,] hunc animum primùm Seuero fuiſſe, [vt ſi quid ei contingeret, Peſceonium Nigrum & Claud. Albinum ſibi ſubſtitueret.] Spartianus *in Adriano.* Multi ad ſenatum, eum voluiſſe orationem mittere petiturum: vt [Si quid ei eueniſſet, principem Rom.reip.ſenatus daret.] Luc.Apuleius apologia pro ſeipſo ſecunda. [Rumpi tabulas iſtas iube, Maxime: Iouenies filium heredem: mihi verò tenue quid honoris gratia legarum; ne ſi quid ei humanitus contigiſſet (vulgò perperam *attigiſſet:* fortè *accidiſſet*, vt hic) nomen maritus in vxoris tabulis non haberem.] Si qua ſors accidiſſet. *l.7.ſi cum ante. C.de donat.* Scæuola, [Peto à vobis, vt ſiue in prouincia, ſiue in via, aliquid mihi humanitus acciderit, corpus meum curetis & in Campania, & in monumentum filiorum meorum reportari.] *d.l.antep. de adim.leg.* Non abſimile de Anaxagora Tullius *lib.1.quæſt.Tuſcul.* Cum Lampſaci moreretur, quærentibus amicis velléne Clazomenas in patriam, [Si quid ei accidiſſet,] efferri, Suetonius in C.Caligula, de Germanico,] Amicitiam ei more maiorum renunciaret, mandarétque domeſticis vltionem: ſi quid ſibi accideret.] Id eſt, ſi veneficiis & inſidiis Piſonis appetitus occideret. *Accidant & viuis.* ¶ Vt venena, vt inſidiæ latronum, vt naufragia. *l.pen.de mort.cauſ.don.* Paulus, [Cui ex humana ſorte mortis cogitatio eſt, alias ex metu mortis, aut ex præſenti periculo, aut futuro. Si quidem terra maríque, tam in pace, quàm in bello, & tam domi, quàm militiæ, multis generibus mortis periculum metui poteſt.] *l.35.ſenatus.de mort.cauſ.don.* His tamen verbis vulgi ſermone mors ſignificatur. Humana ſorte conſumptus. *l.4.C.de ſponſal.* In Lucij Cuſpidij teſtamento. [Si quid humani contigerit.]

rurſus

tueſus: [Si quid de eo accidiſſet.] Caſus pro morte, *l. vlt. de diuerſ. reſcript. C. Th.* [Nec abolerí caſibus impetratum] obiter emendandum admoneo, [impetrantium:] id eſt, eorum qui reſcriptum a principe meruerunt, morte non excluduntur heredes. Quo loquendi genere Græci quoque vſi ſuere. Diog. Laërtius, *lib. 5. In Ariſtotelis teſtamento.* ἐὰν δέ τι συμβαίνῃ. Idem *in Theophraſti teſtamento*, ἔσται μὲν εὖ· ἐὰν δέ τι συμβῇ, τάδε διατίθεμαι. In veteri lapide Piſano Ἀχιλλεὺς Ἐπαφρᾷ τῇ ἰδίᾳ γυναικὶ καὶ ἑαυτῷ μνημεῖον μνήμης τελευταίας χάριν. τὴν σορὸν ἐφ' ᾧ μηδένα μηδὲ πωλῆσαι ἐξουσίαν ἔχειν, πλὴν εἰ μή τι, αὐτὸς ὁ Ἀχιλλεὺς πάθοι τι ἀνθρώπινον. εἰ δέ τις ἀνοίξῃ τὴν μνημεῖον, δώσει τῷ φίσκῳ Α.Β.Φ.

CLXIII. PAVLVS lib. ij. ad Sabinum.

ILLA VERBA [Optimus Maximúſque] vel in eum cadere poſſunt, qui ſolus eſt. Sic & circa edictum prætoris ſupremæ tabulæ habentur & ſolæ.

ALCIATVS.

ILLA VERBA. ¶ Legauit teſtator fundum ſuum, quem optimum maximúmque habet: dubitatum fuit, ſi in vno verba hæc locum ſibi vendicarent: ſuperlatiua enim de pluribus ſolent dici. Sed quoniam quandoque etiam ſimpliciter pro poſitiuis accipitur, verius eſt ad vnum quoque referri, idque prætoris exemplo, qui cùm ſe daturum bonorum poſſeſſionem ſecundum ſupremas tabulas edixiſſet, eum quoque admittit, qui ſolis tabulis inſtitutus ſit. *l. 1. §. 1. ī. de ſecun. tab.* Cui exemplo & illud innuerit, quod Fabius Quintil. quadam declamatione refert. Is cùm lex vltima teſtamenta rata eſſe debere mandaret, vltimum interpretatur primum, poſt quod tamen aliud factum erat, quod iure non valebat: hócque ex voluntate legis eſſe autumat, licet non ex verbis.

BRECHÆVS.

ILLA VERBA. ¶ Qui vnicum tantùm fundum habet, legauit fundum optimum maximum, tametſi de pluribus comparatiuus & ſuperlatiuus dici videantur, cenſetur nihilominus teſtator vnicum fundum legaſſe: quemadmodum ſupra dictum eſt pluralem numerum ad ſingularem aliquando referri ſolere.

FORNERIVS.

ILLA VERBA. Finitima ſunt hæc, iis quæ iam de proximo agnato, de primo moriente, de ſupremis tabulis, cæteriſque id genus anteà diſſerui. Quæ quamuis comparationis figura efferantur: nihilominus de ſolis, ac vnicis intelliguntur. *l. 82. verbum amplius. l. 92. proximus. l. 155 proximi. l. 162. praeced. ī. h. t.* Non ſecus ac hæc verba, [Optimus Maximus] (quæ teſtamentis, ſtipulationibus, emptionibus & traditionibus adiiciuntur) in eum quoque cadunt, qui ſolus neminem habeat, quo cum conferatur. hic. [Vel in eum,] id eſt etiam: vt, [Cui vel vnus.] *l. 148. non eſt. ī. h. t.* ¶ Porrò cum huius clauſulæ ſenſum attigerimus anteà. *l. 90. qui vti. l. 116. ſi cum fundum. ī. h. t.* Nonnihil etiam ad *l. 169. non tantùm. ī. h. t.* aſpergemus, ne toties idem, ſatiùs fuerit hic deſinendo, moleſtæ ineptæque faſtidio inculcationis occurrere.

§. j. PVERI appellatione etiam puella ſignificatur. Nam & fœminas puerperas appellant recentes ex partu, & Græcè παιδίον communiter appellatur.

ALCIATVS.

PVERI. ¶ Puerum à puritate, dici quidam exiſtimauerunt, quam dictionem etiam de fœminis prædicari, Paulus hic tradit, ſententiæque ſuæ duo argumenta adducit, quòd etiamnum fœminas à partu recentes puerperas vocemus, itémque quod Græci vtroque genere ὁ καὶ ἡ παῖς dicunt. Sed iudicio meo hæ rationes non conſiſtunt, cùm puerpera non à puero, ſed à puera dicatur. Veteres enim pueras dixiſſe, vt in Calig. Tranquillus autor eſt, & M. Varro, Noniúſque Marcellus indicant, vnde diminutiuum puella. nec Græcorum exemplo quicquam moueri poſſumus, cùm apud eos παῖς commune nomen ſit, vt ipſe ait, & Theocriti carmine in Syracuſis admonemur:

Καλλίστα παῖδ' ἂν περ ἐμὶν πάντα τελεῖται.

Latinorum nemo puerum fœminino genere protulit. Satius eſt ergo id reſponſum per eam interpretationem ſimpliciter accipere, qua maſculinum concipit fœmininum.

BRECHÆVS.

PVERI. ¶ Quid pueri appellatione veniat tradidit Paulus in *l. pueri. ī. h. t.* & in eundem locum plura dicentur a nobis. Tu tamen interea lector aduerte Paulum hoc loco nil aliud velle, quàm vt intelligamus ſub vocabulo pueri, puellam etiam ſignificatione comprehendi, & fœmininum ſub maſculino genere enunciari. Vt ſi quis centum puero Lucij Titij legauerit, Lucius autem Titius vnicam filiam habeat, valebit legatum: & illud ipſum Lucij Titij filia accipiet, perinde ac ſi legatum eſſe nominatim filiæ Lucij Titij. Nam pueri nomen, puellam quoque ſignificat, vt hic docet Paulus: cùm & mulieres quæ proximis diebus matres ſunt factæ, & recentes ex partu puerorum, puerperas appellemus. Etenim ſeu maſculum ſeu fœminam mulier ediderit, puerpera à pariendis pueris dicitur Latinis: Græcis verò ἀρτιτόκος, ἢ λέχος, καὶ τινὰς apud Poëtas λέχος δὲ παρὰ τὸ ἐλλοχῶ vt arbitror: quòd

puerum

puerum in vtero deliteſcentem ac veluti ἔλλοβον, id eſt, ſiliquatum & in ſolliculis conceptum extulerit. Et prægnantem παρθένον Callimachus appellat, cùm tamen adhuc incertum ſit maſculum an verò fœminam paritura ſit. Nam παῖς ſeu πάις Ionice ſub vtroque genere ὁ καὶ ἡ παῖς apud Græcos vſurpari ſolet, vt apud Theocritum in Syracuſis: quod etiam Alciatus in hanc rem citauit. καλλίστα παίδων πείρᾳ θην πάντα τελεῖται. id eſt, Pulcherrima filiarum, experientia vtique omnia perficit & abſoluit. Hic καλλίστα pro καλλίστη ponitur Doricè. Hinc & παιδοποιῶ καὶ παιδοποιοῦμαι liberos gigno & ſuſcipio.

FORNERIVS.

PVERI. ❡ Hîc quoque, contentus iis quæ ad *l. 1. h. t.* enarrationem attuleram, leuiore opera defungerer: niſi animaduerterem, quædam veluti paradoxa, & à Latini ſermonis proprietate ſeiuncta, ex vſu tamen iuris deflexa vocabula non ſatis vulgò pro dignitate explicari: ac ne intelligi quidem: plerumque etiam ſuggillari. Quo lubentiùs huius capitis auctorem conabor ab interpretis cenſura vindicare. Nam quod Paulus nomine pueri puellam quoque ſignificari ait, ea ratione nititur: vt non tam verborum vi, quàm loquendi conſuetudine defendatur. Cuius demonſtrandæ gratiâ duplici (ſed vtrumque refellit Alciatus) argumento vtitur. Priore puerperas, recentes à partu mulieres, ſeu marem ſeu fœminam pepererint, non autem (vt iſte nugatur) à puera, nominari. Posteriore, à ſermonis Græcorum vſu ducto: quibus (ὁ καὶ ἡ παῖς) communi, promiſcuóque genere dicitur. Aſtutè Alciatus. Nemo, inquit, Latinorum, puerum fœminino genere vnquam extulit. Sit ita ſanè. Quod nec magis adſtruit hic Paulus, quàm Vlpianus, cum à beando, quòd prodeſſent, bona deducexet. *l. 49. bonorum. ff. h. t.* Vterque Latini Grammatici parteis negligens, vſum verbi, etiam a Græcorum fonte deriuauit. ὄλβος diuitiæ. ὄλβιος fœlix ac diues. παιδίον: puer, puella. Sed præſtat locupletiſſimum huiuſce conſuetudinis Atticæ Clem. Alexandrini, ex ipſius *lib. 1. Pædagogi cap. 4.* teſtimonium audiamus. οἱ Ἀττικοὶ παιδάριον ὑποκορίζονται οὐ μόνον τὸ ἄρρεν, ἀλλὰ καὶ τὸ θῆλυ κοινωνικῶς. proſertque obſignatas in eam rem Menandri tabulas: τ᾽ ἐμὸν θυγάτριον, πάνυ γὰρ ἐστὶ τῇ φύσει φιλάνθρωπον τὸ παιδάριον σφόδρα. Perinde ac ſi dicere liceret, [Filiola mea. Perhumano enim ingenio eſt puellus.] vide *l. 152. hominis. h. t.*

CLXIIII. VLPIANVS lib. xv. ad Sabinum.

NOMEN filiarum & in poſtumam cadere, quæſtionis non eſt. Quamuis poſtumæ non cadere in eam, quæ iam in rebus humanis ſit, certum ſit.

ALCIATVS.

NOMEN FILIARVM. ❡ Poſthumus propriè intelligitur, qui patre humato natus eſt: ſed & qui poſt teſtamentum natus eſt, largo modo poſthumus dicetur. *l. 3. §. 1. de iniuſt. rupt.* ❡ Sed pona teſtatorem de filiabus aliquid diſpoſuiſſe, an de poſthumis quoque actum cenſebimus? Et dubium non eſt, ex proprietate ſermonis poſthumas ea appellatione contineri: ſed quia earum meminiſſe non videtur, neque cogitaſſe vt poſthumæ naſcerentur, ad futuros poſt mortem ſuam filios reſpexiſſe non creditur. *l. qui filiabus. de leg. 1.* & ideo propriam ſignificationem ex interpretatione reſtringimus: quæ interpretatio locum non habet cùm contrarus coniecturis prior præſumptio tollitur, vt ſi in parte teſtamenti poſthumarum mentionem fecerit. non enim oblitus videri poteſt, qui aliqua in parte poſthumam commemorauit. Idem ſi neceſſariò poſthuma admitti deberet, vt in inſtitutione, teſtamentum enim corrueret. ❡ Quod & dicendum eſt, cùm filiabus tutores quis deſignat: *l. ſi quis filiam. de teſta. tut.* vtilis enim hîc actus poſthumæ eſt, nec hereditati damnoſus: vnde propter fauorem de poſthumis quoque actum credimus, & vim verborum obſeruamus. Sane qui poſt teſtamentum naſcitur, indiſtinctè admittendus eſt, ſi tamen teſtator eum natum eſſe ſciuit: cum enim nihil mutet, declarare videtur de eo quoque ſe intellexiſſe: & hoc Bart. probat. *l. ſi cognatis. de reb. dub.*

BRECHÆVS.

NOMEN FILIARVM. ❡ Poſthumus propriè is eſt qui poſt mandatum humo patrem & ſepultum, natus eſt. Si quis igitur filiis ſuis tutores dederit, poſthumis etiam dediſſe videtur. Et ſi quis filiis Semptonij ducenta teſtamento reliquerit, poſthumis quoque relictum legatúmque cenſebitur: propreteà quòd cùm commodum eorum agitur, pro iam natis habentur, vt docuit Iuſtin. *tit. de tutelis. inſtit. §. cum autem.* & Paulus in *l. qui in vtero eſt. ff. de ſtat. homin.* Qui in vtero eſt, inquit, perinde ac ſi in rebus humanis eſſet, cuſtoditur, quoties de commodis ipſius partus quæritur. ❡ Poſthumus itaque filij nomen habebit: filius autem è contrario, poſthumus dici non poteſt qui iam natus ſit, & in rebus humanis erat antequam pater moreretur. Ex ea ratione, qui filias inſtituit, poſthumam etiam inſtituiſſe nihil dubitatur: quoniam filiarum nomine poſthuma compræhendi ſolet: ſed poſthumum maſculum non item. Vnde Pomponius *tit. de leg. 2.* ſi, inquit, ita ſcriptum ſit, filiabus meis centum aureos do: an & maſculini generis & fœminini liberis legatum videatur? Nam ſi ita ſcriptum eſſet, filiis meis hos tutores do, reſponſum eſt etiam filiabus tutores datos eſſe. Quod non è contrario accipiendum eſt, vt filiarum nomine etiam maſculi contineantur. Exemplo enim turpiſſimum eſt fœminino vocabulo etiam maſculos contineri. At verò, ſi quis filiabus ſuis vel filiis tutores dederit, ait Vlpianus *l. ſi quis filiabus. ff. de teſtament. tutel.* etiam poſthumæ videtur dediſſe: quia filiæ appellatione etiam poſthuma continetur. Idem quoque ſenſit Vlpianus *in l. qui filiabus. ff. de legat. 1.*

FORNERIVS.

NOMEN FILIARVM. ¶ Si quid pater filiabus legauerit, eíſve tutorem dederit, an de poſthumis ſenſiſſe videatur? Superſunt quatuor adhuc Vlpiani *eodem ex lib.15.ad Sabinum* (vt inſcriptionis ſimilitudine perſpicitur) loci: quibus filiarum nomen & in poſthumas cadere reſpondetur. *l.17.qui filiabus.de leg.1.l.5.de testam tut.l.5.de oper.lib.* Vnde ad legatum filiabus relictum poſthumæ quoque admittentur. Filiabus vel filiis datus tutor, poſthumæ videtur datus. Et paterna de operis à liberto ſibi liberíſque ſuis præſtandis ſtipulatio ad poſthumos quoque pertinebit. *d.l.5.* Scilicet finguntur iam nati, vt non minus de iis in futurum, quam de iam ſuſceptis liberis parens laborare videatur. Vt ſtipulatio. [Ne luminibus officiatur.] in futurum trahatur. *l.23.ſi ſeruitus. de seru. vrb.præd.* Inde fit, vt conditio [Si ſine liberis decedat] appoſita legato, vel libertati, [Si filius nullus mihi, cum moriar erit, liber eſto.] nato poſthumo deficiat, libertáſque impediatur. *l.antepen.C.ad Sc. Trebell.l.7.Neratius.de manumiſſ.testam.* Hoc ſi verum: cur quod toties ſimpliciter definitur, idem Vlpianus adpoſita horum verborum, [Si mentionem aliqua parte teſtamenti poſthumæ fecit] exceptione coercuit? *d.l.17.qui filiabus.* ¶ Animaduerto in tutelis, in ſtipulationibus, citra controuerſiam filiarum appellatione poſthumas intelligi: quod cum hic, tum etiam & de filiis matribus idem *d.l.5.& §.vlt.qui testam.tut.Inſt.* apertè definiatur: cúmque filiorum nomen æquè & in filias cadat. *l.116.ſi quis ita.§.de testam.tut.l.116.quiſquis.§.hoc tit.l.45.ſi ita ſcriptum ſit. de legat.2.* ecquid hic nos aliud, niſi hoc vnum in legatis ac teſtamentis filiarum filiorúmque diſcrimen ſupereſſe dicamus? Quarum vt alias deterior, quam marium conditio cernitur. *l.9.in multis.de ſtat.hom.* ita hic quoque niſi mentio poſthumarum aliqua teſtamenti parte habeatur: earum obliuionem teſtatori obrepſiſſe ſuſpicemur? Nam cum mares nominatim patris teſtamento exheredari oporteat, filias ac poſthumas inter cæteros exheredari ſufficiat. *l.1.l.2.l.3.l.4.de lib. & poſthum. l.3. de iniuſt.rupt.* Hoc ita, ſi modò quid fœminis inter cæteros exheredatis legetur. Theophilus *§.poſthumi.de exhered.liberor.Inſtitut* Caius *Inſtitutionum lib. 2. tit. de exhered. lib.l. vlt. in fin. C. de lib.prætערit. vel exhered.* Vlpianus perſpicuè. [Poſthumus filius nominatim exheredandus eſt: filia poſthuma, cæteræque poſthumæ fœminæ, vel nominatim, vel inter cæteros: Dummodò inter cæteros exheredatis aliquid legetur.] *fragm. tit. 22.* En cur Vlpianus poſthumarum mentionem potiſſimùm, ſaltem aliqua teſtamenti paterni parte fieri deſideret. *d.l.17.* vt inde ipſius voluntatis conjectura colligatur. *arg.l.50.ſi ſeruus plurium ſi.de legat.1.* Hic verò cæteríſque eiuſdem auctoris reſponſis ſimpliciter filiæ nomen trahatur ad poſthumam.

§. j. PARTITIONIS nomen non ſemper dimidium ſignificat: ſed prout eſt adiectum. Poteſt enim iuberi aliquis & maximam partiri: poſſe & viceſimam, & tertiam, & prout libuerit. Sed ſi non fuerit portio adiecta, dimidia pars debetur.

ALCIATVS.

PORTIONIS. ¶ Portio videtur mihi de qualibet parte dici. Quapropter cùm lex in totum vel pro parte aliquid recipi vetat. qui vel minimum recipit, pœnæ reus eſt. *c.auaritiæ.in ſi.de elect.lib.6.* Et emphyteuta qui particulare damnum tolerare ſuóque periculo ferre debet, qualecunque erit, feret. *l.1.C.de iur. emphyt.* Et facultas rem à ſocio venditam luendi, illi, qui in ea partem habeat competens, vel ei, cuius ſit, milleſima non denegabitur. *Bal.l.1.C.de com.ſer.ma.* Quoties autem veriſimile non eſt, de minima re actum eſſe, vt quia depoſitio nullius redderetur momenti, veluti in eo, qui partem fundi promittit. *Glo.cùm poſt.§.gener.de iure dot.* vel alio ſimili dubióque caſu, de dimidia accipiendum eſt. *l.plane.in ſi.de leg.1.* Vnde qui partis bonorũ vſumfructum legat, de dimidia intellexiſſe videtur *l.etiam.de vſufruct.* Et cùm quis ab altera ſe parte electum ait, non minus, quam dimidia ſit intelligemus. *glo.cap.ſi prius quam. 28.diſtin.* alioquin quæ in pauciore numero eſſet, cùm nullius momenti haberetur, alteram nihil impediret. Quod ſi portiunculæ mentio fiat, vel alicuius vel quantæcunque, vel certæ partis, verius eſt etiam de minima intelligi. *Bar.l.2.C.quand.& quib.lib.10.* Idem ſi quantula, vel minuſcula ſcriptum ſit. *l.qui concubinam.§.1.de leg.3.* niſi ad certam aliquam iuris diſpoſitionem ſe referant, ex ſubiecta enim materia interpretationem recipiunt. ¶ Quapropter qui in teſtamento ſextam partem hereditatis ſuæ relinquit, ſextam aſſis legaſſe intelligitur, idque Bart. viſum. Quod in hereditate procedit, quam lex in duodecim partes diuidit: in aliis verò rebus Angelus diſſentit, quod & nos probamus *l.defuncta.de vſufruct.* Quapropter ſi duas partes rei petieris, non duas ex aſſe, ſed ex tribus partibus petiiſſe videberis: quod ſi ſex partes dari teſtator voluerit, dubium non eſt ſemiſſem deberi. Qua ratione ſi vnam partem hereditatis relinquere ſe dixerit. *Bart.l.interdum.de her.inſtit.* de vna vncia intelligendum videtur.

BRECHÆVS.

PORTIONIS. ¶ Quandocunque anceps eſt quæſtio iuris ambigui quid portionis nomine contineatur, ſolet vulgò dici mediam partem eſſe: ſi modò aliud adiectum non fuerit, aut ſpecialiter partis mentio facta, vt ſenſit Vlpianus in *l.etiam.ff.de vſufruct.l.de ætate.§.ſi interrogatus. ff. de interrog.act.glo.in l.ſi Titius.in verb.partis partem.ff.de leg.3.* Cuius rei rationem eam eſſe Bald.in *eandem l. tradidit*, quòd iuſta & æqualis pars totius ſit dimidia. Vnde cùm dicimus abſolutè duas partes, nec aliud adiectum eſt, intelligimus duas partes totius: niſi duas ex tribus aut quatuor partibus nominatim peteremus. Nonnunquam etiam partis nomine, totum venit, idque *κατ᾽ ἐξοχὴν* vt ſentit Accur. *in l.vxori.de leg.3.* quo loco Scæuola reſpondit, ſi teſtator vxori legauit eam partem domus in

qua

qua morari conſueuit, eam omnem partem videri legaſſe, in qua morari cum familia ſua conſueſſet: neque ea tantùm cubicula, in quibus dormire conſueuerat, legaſſe, ſed totum ipſius habitationis. Vide etiam quæ nos ſuprà ſcripſimus in *l.rectè dicimus.h.t.§.quod Q.Mutius.*

FORNERIVS.

PARTITIONIS. ¶ Veluti cum partis bonorum vſusfructus legatur: ſi non ſit ſpecialiter facta partis mentio, dimidia pars bonorum continetur. *l.43.etiam.de vſufr.* Æqualis in dubio vel dimidia debetur. *l.23.cum quæſtio.C.de legat.* Legato pluribus relicto, partibus non adiectis, re coniuncti partes ſibi concurſu facient. *l.19.legata.ſi.de leg.1. l.vn.§.ſi verò.C.de cad.toll.* Vnde non defuerunt, qui fruſtrà [ex æquis portionibus] à Paulo adiectum exiſtimarint, quaſi otioſa, eius quod tacitè ineſt, expreſſione. *l.89.re coniunctis.de leg.3.* quorum ſententiam anteà confutaui. *l.142.triplici.§.h.tit.* ¶ Sed vt ad inſtitutum redeam, quoties quid partibus non definitis conſtituitur, æquales aſſignatæ intelliguntur. *l.3.ſi pars her.pet.l.7.verum.de reb.dub.* Vt in ſententia, qua plures quid indiſtinctè ſoluere damnati ſunt, actione iudicati in viriles conuenientur. *l.43.Paulus.2.de re iud.* Quia effectus ſententiæ pro virilibus diſcernitur. *l.1.C.ſi plures vn.ſent.* Idémque in contractibus vſuuenit: vt ſi duo decem promiſerint, viriles, id eſt ſinguli quinque debeant. *l.11.reos.* In ſocietate quoque, ſi non fuerint lucri damníque partes adiectæ, æquales cenſentur. *l.29.ſi non fuerint.pro ſoc.* Quo etiam argumento acutè P.Stella Diocl.& Maxim. conſtitutionem non ad plures quàm duos debendi reos pertinere ducuit: quòtum vno pro ſua parte admiſſo, reliqua alterius pars tantùm, ſcilicet dimidia in obligatione remaneat, ita ne alter poſteà pro altero conueniretur. *l.18.ſi creditores.C.de pact.* Quam interpretationem & ipſa duobus emiſſæ [Iulio & Æmilio] inſcriptio legis adiuuat. Eodem ni fallor ſpectat citè abs Tertulliano de reſurrectione carnis in Sadduceos dictum, [Partiarios ſententiæ illorum: Ita dimidiam agnoſcunt reſurrectionem, ſolius ſcilicet animæ, aſpernati carnem, &c.] *Partitionis.* ¶ Rectiùs, quam vulgò, [portionis.] ſignificat enim, partitionis legatum. Cicero pro *A.Cecinna & lib.2.de legib.* vnde partiarius legatarius. *§.poſt quod.Inſt.de fideic.her.* [Volo hereditatem cum Titio partiaris.] *l.19.vbi.ad Sc.Treb.l.45.ſi ita.de leg.2.* Aliorſum ab Hermogeniano pactum partitionis dicitur: cum maior viginti annis vænalem ſe præbuit: quæ pretij partitio ex libero ſeruum facit, vt nec poſt manumiſſionem poſſit ad libertatem proclamare: Idem ſi ſe pignori dari patiatur. *l.40.cum pacto. l.23.ſi vſumfructum.de lib.cauſ.* Theophilus *§.ſerui autem.de iur.perſon.* ἐπὶ τῷ μερίζεσθαι τὸ τίμημα ἑαυτὸν ἠνέχετο ἐξαπραθῆναι. [Non ſemper dimidium.] ¶ Quod vel in partiariis colonis, qui non nummis, ſed frugum mercede colunt manifeſtum eſt. Catonis vineam partiario colono vt demus præcipientis *(cap.137.de re ruſt.)* conſilium Aurelianenſis Vineti domini ſequuti, *(à mi denier)* quadrantè vinitori relicto, ſibi dodrantem vini è prædio nati auferunt. Duæ ſunt Iuſtiniani ruſticæ leges, de parte fructuum ſoluenda. *tit.2.* quarum prior domini conſenſum exigit, antequam γεωργὸς μορτίτης, quid tollat ex demeſſo agro, fructuum perceptione prohibetur. Altera profectò mira, domino vnum duntaxat, colono decem faſciculos definiens: exſecrationémque excipit, vt qui ſecus faxit ſacer ac decorus habeatur. ὁ δὲ ἐκτὸς τούτων μεριζόμενος θεοκατάρατος. Caius ita diſtinguit: vt qui pecunia conduxerit, damnum vi maiore accidens non ferat, ſed modicum duntaxat agnoſcat: Colonus verò partiarius, quaſi ſocietatis iure & lucrum & damnum cum domino fundi partiatur. *l.25. ſi merces.* Harmenop.*lib.3.tit.8.cap.de ſterilitate.* ὁ δὲ τοὺς καρποὺς μεριζόμενος, ὡς μηδὲν ἐπιδόμενος ὡς ἐν δικαίῳ κοινωνίας, καὶ τὸ κέρδος, καὶ τὴν ζημίαν συμμερίζεται τῷ δεσπότῃ. Partiri ecquid aliud quàm communicare, & in partem adſciſcere ſignificat? Apuleius *lib.9.de aſino,* [Cum vxore mea partiario tractabo.] Valer.Maximus. [Quid attinet aut humano dolori indulgere, aut diuino numini iniuriam fieri, quòd ſuam nobiſcum immortalitatem partiri noluerunt? Sed prior eſt adiectum.] ¶ Tot enim cuiuſque rei partes conſtituere, quot lubet, licet. Exempli gratia, Maxima, minima. *l.vlt.C.& quib.quart.* pars viceſima, quæ vel hereditatum, rerum vænalium, mancipiorum manumiſſorum. Tertia. Aliquando tollendę obſcuritatis gratia dimidia ipſa pars exprimitur. *l.38.Æmilius.de min.§.theſauros.de rer.diuiſ.l.3.§.ſi in locis.de iur.fiſ.l.87.Lucius.§.filiam.de leg.2.* Sed etſi non adiiciatur, tacitè ex re ſubiecta non rarò quota pars ſit, ſubauditur: Vt cum de portione quæ de Decurionis heredem extraneum inſtituentis bonis curiæ debetur. *l.1.l.2.l.3.C.quand.& quib.quart.pars.* Vel cum de liberorum, ad excludendam inofficioſi querelam portione agitur: Quæ modò quarta, modò triens, modò ſemis. *l.30.omnimodo.l.32.quoniam.in l.ſeq.l.pen.C.de inoff.teſt. Nouell.1.& 18.* Cum dicitur, id quod à maiore parte ſenatus decretum fuerit, ab omnibus videri conſtitutum. *l.19.quod maior.ad municip.* Maior pars habetur, quæ altero tanto partem alteram ſuperat: Ita vt cum ſenatus cogitur, ſi omnes qui albo continentur non interfuerint, quod à maiore parte ordinis, id eſt duabus partibus fit, ratum erit. *l.3.l.4.§.quod quiſque iur.l.46.nominationum.C.de decur.* Æquè & cum indefinitè lex ait, quem ex delicto parte bonorum & exilio multandum, amiſſa parte bonorum relegari. *l.4.de re milit.l.38.ſi quis aliquid.§.qui abortionis.de pœn.* ſatis pœnæ modus, cum à legis definitione pendeat, intelligitur. *l.1.ad Sc.Turpill.* Quotieſcunque aperta eſt & explorata legiſlatoris, teſtatoris, vel contrahentium ſententia nullus coniecturæ locus relinquitur. *l.25.ille aut ille.de leg.3. l.137.continuus.de verb.obl.l.5.§.qui nuntiat.de nou.oper.nunc.* Enimuerò cum ſimpliciter pars dicitur, num alicunde quota ſit à lege ſtatuatur, diſpiciemus, omiſſum ſupplebimus, & ab aliis iuris locis obſcuritati quaſi lucem inferemus. Alioqui, vt plurimùm, [ſi non fuerit portio adiecta dimidia debebitur,] vt hic dicitur. *l.11.de ætate.§.ſi interrogatus.de interrog.act.* Interdum virilis. *l.43.Paulus.de re iud.l.44.inter.ſi.§.fam.erciſc.*

§.ij. HABERE, ſicut peruenire, cum effectu accipiendum eſt.

ALCIATVS.

HABERE. ¶ Regula eſt generalis, quam alibi attigimús. Verba cum effectu accipienda eſſe. *l. aliud. l. cœpiſſe. hoc tit.* Is autem eſt effectus, vt ex perſona ſua quis habeat: vt deductis oneribus, fructum illi ſuperſit: vt momentanea non ſit acquiſitio: quæ ſi non interuenerint, habere quia propriè & ſtrictè non videtur. Effectum quoque ea reſpicere exiſtimantur, quibus actus alicuius fit momenti, non autem eluſorius remanet. *l. ſi ciuitas. de ſent. excom. in 6.* Sed & vt lex rebus ipſis, non verbis impoſita cenſeatur, ad effectum pertinet. *l. 2. C. com. de leg.* ¶ In iure quoque lectum eſt, vim pro effectu accipi: vt apud Marcellum. *l. qui decem. §. Stichum. de ſolut.* ei qui hominem ſtipulatus eſt, promiſſor eum dando, qui tunc illi ſeruierat, liberatur vi ipſa. Sic & Corn. Tacit. *lib. 13.* Vectigal mancipiorum remiſſum magis ſpecie, quàm vi. Cuius locutionis ratio eſt, quia vis à Græco *βία* deſcendit, cuius contrarium, & *κατ' ἀντίστοιχον* eſt, ius. Vnde ad differentiam eius, quod ipſo iure fit, dicimus aliquid in effectu, vel vi ipſa factum.

BRECHÆVS.

HABERE. ¶ Is ad quem res vel hereditas peruenit, eam habere non aliàs intelligendus erit quàm ſi de ea ipſa re aut hereditate ſtatuendi facultatem liberam quidem & abſolutam habeat: vt quæ videlicet nullis ſit obligata creditoribus, ſubductóque omni ære alieno: atque id cum effectu haberi dicendum eſt.

FORNERIVS.

HABERE. ¶ Ergo portionem quamque ſua ſequuntur commoda pariter & incommoda. *l. 67. alienatio. de contr. emp.* Non modò cum ſtipulatione, quæ inter partiarium legatarium & heredem interponebatur. [Quantum ex illa hereditate ad te peruenerit.] *l. 2. §. illud. de her. vel act. vend.* ſed etiam cum inter plures heredes pro portionibus hereditariis ipſa lege XII. Tab. æs alienum diuiditur. *l. 25. cum heredes. §. an ea. l. 45. inter fin. fam. erciſc. l. 1. C. ſi cert. pet. l. 2. C. de her. act.* Imò etiam cum decurioni ſuccedit extraneus heres, portio quarta facultatum corpori decurionum defertur: impoſitum ſuæ quiſque parti onus agnoſcit. *l. 2. C. quand. & quib. pars.* Nam Theodoſius & Valent. quod [partem quartam iure optimo à curia peti decernimus] aiunt, ſub finem *l. 1. eod. tit.* illud [Optimo iure,] non accipitur, vti aliàs, pro liberum ac ſolutum. *l. vn. C. ſeq. tit. l. 29. fideiuſſor. §. pater. de pign. act.* Quinctilianus *decl. 336. Cum effectu accip.* ¶ Verba ne ſint inania: vt aliquid efficere debent. *l. 109. ſi quando. de leg. 1.* ita & cum effectu intelligi. *l. 1. ꝟ. quod quiſque iur. l. pen. ꝟ. ne quis eum qui in ius voc.* maximè verò cum factorum rerúmque gratia comparata ſint. Simplicius *in Enchirid. Epictet.* χρὴ τὰ ἔργα τὰ ὑπὸ τῶν λόγων ἀποδεδειγμένα ἐργάζεσθαι. τέλος γὰρ τῶν λόγων, τὰ ἔργα, ὧν ἕνεκα καὶ οἱ λόγοι εὑρέθησαν. Verba (quæ a veritate deducit Lactantius) niſi in rem conferantur, vanum quid, ac inane videntur: vt idem paulò pòſt. μάλιστα γὰρ ἐπὶ τοιούτων ἀληθὲς εἰπεῖν τοῦτο ῥήτορος, ὡς ἅπας λόγος, ἂν ἀπῇ τὰ ἔργα, μάταιόν τι φαίνεται, καὶ κενόν. potiſſimùm in hac ſpecie, perueniſſe ad quemque, & id habere quemque rectè dicimus, quod cum effectu habeat, id eſt cum ſua cauſa: & ita ne auferri, néve euinci ab eo poſſit. *l. 82. non quocunque. de leg. 1. l. 190. quod euincitur. ꝟ. tit. ſeq.* nec inane partis nomen conſequi ſufficiet. Scitum illud ratúmque iuris ciuilis pronunciatum noſtratibus formulariis frequens, (*les lots guarantiſſent l'vn l'autre*) Inter coheredes, conſortéſve, qui quid commune inter ſeſe diuiſerint, vltrò citroque euictionem deberi. *d. l. 25. heredes. §. iudex. l. 20. ſi filia. §. pater. ꝟ. fam. erciſc. l. 14. ſi familia. C. eo. l. 7. ſi fratres. C. comm. vtr. iud.* Eáque videtur idonea differentiæ ratio, cur in emptione ac locatione mutuò contrahentibus ſeſe in pretio circumuenire liceat. *l. 16. in cauſa. ꝟ. de min. l. 22. item ſi pretio. ꝟ. locat.* modò ne ſupra iuſti pretij dimidium. *l. 2. l. 8. ſi voluntate. C. de reſcind. vend.* Nimirum *vnuſquiſque lucri ſui cauſa cum aliquo contrahit: veluti emendo vendendo, locando, conducendo, & cæteris ſimilibus*, inquit Vlpianus *l. 25. actionum. de obl. & act.* Seneca *lib. 6. cap. 16.* At verò conſortes, & coheredes, non negotiantur inter ſeſe: ſed à communione diſceſſum parant: ſuam cuique partem (quanta illa iure debetur) dari, nec iniquæ diuiſionis arbitrio dominus perperámque factam diuiſionem in melius reformari oportet. *l. 3. C. comm. vtr. iud.* Neque probanda gregalium interpretum eo loci ſententia: qui ita demùm retractari arbitrium cenſent, ſi circumſcriptionem dimidio iuſti pretij ſuperiorem conſtet: quod planè commentitium, nec teſtimonio nec ratione defenditur.

CLXV. POMPONIVS lib. v. ad Sabinum.

VENISSE ad heredem nihil intelligitur, niſi deducto ære alieno.

ALCIATVS.

VENISSE. ¶ Ad heredem id perueniſſe exiſtimandum eſt, quod deductis oneribus peruenit: hócque exemplo legis falcidiæ rationem inibimus. Ad legatarium verò, qui fundum accipere, & decem heredi dare iuſſus eſt, totum fundum iure legati perueniſſe interpretabimur. *l. ad veterani. ad leg. Falcid.* & hoc quantum ſit ad heredis falcidiam, qui 10. illa conditionis implendæ cauſa ſibi data computare nó tenetur: alioquin verum eſt huiuſmodi legatarium in toto fundo lucratiuum titulum non habere. *l. non amplius. de leg. 1.* Et hinc generalis regula colligitur, eatenus habuiſſe quemlibet videri, quatenus, deductis oneribus, remanet. *Dec. conſil. 156.* Hinc ſi quis ſacerdotium valoris centum aureorum impetrauerit, illud obtinere poterit, quod ducentis cenſeatur, ſi deductis oneribus, ſola centum ſint reliqua: quod & in puttotiorum legibus obſeruandum eſt. Habetur autem in

his ooe

his oneribus & medij temporis vſurarum ratio. *l.aſſ.d.l.non amplius.* & cuiuſlibet pecuniæ,quæ pro re ipſa effundatur,quale eſt ἐμφανιστικόν,id eſt,proxenetæ merces,haſtarumque ſolennium impendia & ſi qua ſimilia. Sane cùm lex exactionis effectum non reſpiciat,ſed petitionis modum,aliud dicendum eſt: vt ſi actorem mandet duos aureos in ſingula centum, quæ petat pro ſportulis, deponere, ſacramentóque ſic contenderet. *l.cùm quadam.de iuriſd.omn.iud.* nihil enim refert,quòd reus ita inops ſit, vt etiamſi vincatur,petitam ſummam ſoluere nequeat.

BRECHÆVS.

VENISSE. ¶ Hoc caput eſt intellectu facile: & hanc rem ſatis ſupérque declarauimus ſuprà, in *l.bonorum appellatione.* & *ſuperiori capite.§.habere.* & pluribus alijs in locis. Et Alciatus abundè interpretatus eſt hunc locum.

FORNERIVS.

VENISSE. ¶ Affinis ſuperiori hæc definitio. Vt habere cum effecto:ita & peruenire. Nec ampliùs legatorum nomine ad quenquam pertinet.quàm quod deducto eo, quod explendæ conditionis cauſa datum eſſet. *l.26.non amplius.de leg.1.* Cum ita legatum eſſet,[Quanta pecunia ex hereditate Titij ad me peruenit,tantam pecuniam heres meus Seiæ dato.] Id legatum putabat Labeo, quod acceptum in tabulis ſuis ex ea hereditate teſtator retuliſſet:cęterum negabat cauendum heredi a legatario, ſi quid fortè poſtea eius hereditatis nomine heres damnatus eſſet. Iabolenus contrà: [quia non poteſt videri perueniſſe ad heredem,quod eius hereditatis nomine præſtaturus eſſet] *l.29.qui concubinam.de leg.3.* Vnde ſi quis rogauerit,[Quidquid ad te ex hereditate bonisve meis peruenerit, rogo reſtituas:] cogi poterit adire,& reſtituere. [Quanquam,inquit Vlp.Perueniſſe propriè dicatur, quod deductis oneribus ad aliquem peruenit.] *l.16.cogi.ad Sc.Trebel.* Venditor hereditatis emptori, quicquid ex hereditate ad ſe peruenerit,prçſtare debet:id eſt actiones,perſecutiones,corpora,pretia. cæterùm quod legatorum præſtiterit,aut ſi quid æris alieni eſt,vel cuius alterius oneris hereditarij, meritò perueniſſe negat Vlpian. *l.2.de her.vel act.vend.* Extat Pauli in Labeonem nota. Hic cu [illegible] Si excepto fundo hereditario væniſſet hereditas,deinde eius fundi nomine venditor aliquid acquiſiſſet,debere id præſtare emptori hereditatis reſpondiſſet:Paulus,Imò ſemper quęritur in ea re quid actum fuerit.Si autem id nō appareat,præſtare eam rem debebit emptori venditor. Nam idipſum ex ea hereditate ad eum perueniſſe videbitur.non ſecus ac ſi eum fundum in hereditate vendenda non excepiſſet. *l.vl.de her.vel act.ven.* [Niſi deducto ęre alieno.] ¶ Id eſt poſt exſolutū æs alienū.Gręci hic, *οἱ μὴ τὸ μέρος τὸ χρέα.* Perueniſſe autē ad creditorē pecunia quomodo accipiatur,nō huius loci quæſtio. *l.24.ſi ventri.de reb.auct.iud.poſſ.* [veniſſe] vulgò haud fortè perperā[perueniſſe.] *l.171.perueniſſe.ff.h.t.*

CLXVI. IDEM lib. vj. ad Sabinum.

VRBANA familia,& ruſtica non loco,ſed genere diſtinguitur. Poteſt enim aliquis diſpenſator nō eſſe ſeruorum vrbanorū numero:veluti is qui ruſticarum rerū rationes diſpenſet,ibiq; habitet,non multū abeſt à vilico. Inſularius autem vrbanorum numero eſt. Videndū tamen eſt,ipſe dominus quorum loco quemque habuerit:quod ex numero familiæ,& vicarijs apparebit.

ALCIATVS.

VRBANA. ¶ Vrbana mancipia non loco, ſed genere vſus cognoſcuntur, & à ruſticis ſeparantur. *l.quemadmodum.de ſup.leg.* vnde qui rationes villicas diſpenſat, & de cibarijs prouidet, in ruſticis computabitur:at qui inſulas cuſtodiunt,vrbani exiſtimabuntur:cùm tamen dubitamus, quid paterfamilias ſenſerit,ex eius conſuetudine deprēdemus. *l.ſeruis vrbanis.de leg.3.* cuius rei & ex rationibus,libelliſq; eius,aut vicariorum,qui vel ruſtica curāt,vel vrbana,certiores fieri poterimus.

Diſpenſator. ¶ Seruus eſt qui impendia domus curat,& victui præeſt: huic obſonatores,piſcarij, coqui,idq; genus ſerui parent. Sumpſit nomen ab expendendo pecuniam, vel quòd rationes diſpendat,id eſt,procuret,& conſideret,calculúmque ducat:hi vt plurimum in vrbe degunt.

Villico. ¶ Villicū M.Caro,& L.Columella pro eo ſeruo accipiūt,qui ruri præeſt & agriculturā colliciáſq; operas curat,eiſq; ſecundū domini vtilitatē præcipit:huic ſerui ipſi agricultores ſubijciuntur.

Inſularius. ¶ Recentiores quidam inſularium accipiunt ſeruum,qui propter aliquod delictum in cōpedibus opus faciat,in inſolámq; relegatus ſit,quod falſum eſt: inſularius enim ſimpliciter ſeruus accipitur inſulæ cuſtos,cuius rei Pomponius autor eſt. *l.ſi ita.de vſu & hab.* Inſulas autē Feſtus interpretatur domos,quę vicinorū cōmunibus parietibus non coniunguntur,ſed quoquouerſum vel priuata vel publica area ambiuntur. Quā ſententiā ſunt ex recentioribus qui improbent:quoniam ex P. Victore conſtat,longe plures Romæ inſulas,quàm domos fuiſſe:quod veriſimile nō eſſet,ſi hoc ſignificatu inſulę acciperentur. Quapropter ipſi interpretantur inſulas eas ædes eſſe,quę inquilinis locati ſolerent.quod & ipſe probarē,ſi aliqua voce etymologiæ ratio ſuaderet. Feſti igitur opinionē ſequor, quæ ex Corn.Tacit. *lib.15.* confirmatur. Is propter crebra incendia,cùm multi aquæ ductus in vrbem deferrentur,à Nerone excogitatū tradit,vt aqua priuatorum licentia intercepta,quò largior & pluribus in locis haberetur,in publicū flueret,ædificiáq; non cōmunione parietum,ſed proprijs quęque moris ambirentur,canalibus(vt opinor)eis in parietibus additis, vt reprimendis ignibus aqua facilius decurreret: hinc inſulæ nomen deductum. Erant autem non modò ab incendijs tutiores. *l.3.§.effractura.de offic.praefect.vigil.* ſed etiam a furibus, qui per tegulas commeare in eas non poterant:

ideóque in his pretioſiora quæque reponebantur, vt quæ ſolius effracturæ periculo ſubiicerentur.

Numero. ¶ Numerus etiam ordinem & formam ſignificat. *l.1 in fi. de bon. poſſ. ex teſtam. mil.* vnde numeri militum dicuntur: hinc & numerus familiæ. Obſeruandum igitur erit, an paterfamilias in ordine & conſortio ruſticorum ſeruorum aliquem haberet, an verò vrbanorum.

Vicarius. ¶ Serui ordinarij dicuntur, quibus peculium dominus conceſſit, negotiarique ſinit. *l. ſi ſeruus. §. de pecul.* Vicarij ſunt, qui ordinarij vices gerebant, quidamque quaſi ſubinſtitutes. Igitur ſi ordinarius vrbana, ruſticáque negotia pertractaſſet, habuiſſétque alios vicarios vrbanis, alios ruſticis, vicarij famulitio erit, ruſticus cenſebitur. Martialis:

Eſſe ſat eſt ſeruum, iam nolo vicarius eſſe:
Qui rex eſt, regem Maxime non habeat.

BRECHÆVS.

VRBANA. ¶ Quoniam (inquit Fr. Connanus *lib. 4. Comm. iur. ciuil. c.* 10. vbi de ſeruitutibus vrbanorum prædiorum tractat) ſic plerunque vt in vrbe ruſticum nobis reditum conſtituamus, & in agris vrbanum: ſic etiam & in oppidis ruſticum quandoque prædium eſt, & ruri vrbanum. Iſta enim non loco, ſed genere miniſterij diſtingui ſolent. hæc ille hactenus. Vnde Paulus in *l. ſeruis vrbanis. ff. de leg. 3.* Seruis, inquit, vrbanis legatis, quidam vrbana mancipia non loco, ſed opere ſeparant: vt licet in prædiis ruſticis ſint, tamen ſi opus ruſticum non faciant, vrbana videantur. Dicendum eſt autem, quòd vrbani intelligendi ſunt quos paterfamiliás inter vrbanos annumerare ſolitus ſit: quod maxime ex libellis familiæ, item cibariis depræhendi poterit. Quare, ſi ſeruus vrbanis negotiis deſtinatus, ruſtica tamen tractet, in ruſticana familia annumerandus erit: quoniam ab officio, non à loco, perſonarum conditionem expendimus. Eam ob rem ſcribit hoc loco Pomponius fieri poſſe, vt diſpenſator vrbanorum ſeruorum numero non ſit, tametſi eo nomine in domo & familia alicuius domini vocetur: cuiuſmodi eſt is qui rerum ruſticanarum rationes diſpenſat, ac in villa & ruri habitat. Is enim ruſticorum ſeruorum numero cenſendus erit, quamuis longè differat à villico. Eſt ſiquidem diſpenſator qui res familiares & domeſticas tractat, curat, & diſtribuit: eas maximè quæ ad victus rationem pertinent: à verbo diſpenſo, quod diſtribuo ſignificat. Is etiam Promus dicitur, qui à Græcis οἰκονόμος καὶ ταμίας. οἰκονόμος δὲ λέγεται ἀπὸ τοῦ οἴκου καὶ νέμειν, quod diſtribuere & diſpenſare ſignificat, vnde νόμος, vel ἀπὸ τῷ οἰκονομεῖν ἢ οἰκονομεῖσθαι, quod diſpenſare etiam ſignificat, vnde οἰκονόμος & οἰκονομία diſpenſator, & diſpenſatio. Beatus Paulus 1. *Corint.* 4. οὕτως ἡμᾶς λογιζέσθω ἄνθρωπος, ὡς ὑπηρέτας χριστοῦ καὶ οἰκονόμους μυστηρίων θεοῦ, ὃ δὲ λοιπὸν ζητεῖται ἐν τοῖς οἰκονόμοις ἵνα πιστός τις εὑρεθῇ. Sic nos æſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. ¶ Quod verò reliquum eſt, requiritur in diſpenſatoribus vt fidus aliquis inueniatur. Hic μεταφορικῶς: Beatus Paulus dixit οἰκονόμους Chriſti diſcipulos, id eſt diſpenſatores myſteriorum Dei, quòd verbum Dei docerent omnes, & diuinæ domus curam haberent, id eſt, eccleſiæ: atque in ea res ſacras miniſtrarent, & diſpenſarent: cuiuſmodi ſunt his noſtris temporibus ſacroſancti pontifices, epiſcopi, curiones, & reliqui ſacerdotes. Vnde, inquit Budæus in *Comment. ling. Græca*, vita Chriſti & eius theurgia tota, οἰκονομία vocatur. Diſpenſator itaque, & œconomum & promum ſignificat τὸν ἐπιμελητὴν τῆς οἴκου. Sic ad res vrbanas nō ruſticas pertinet. Differt ergo à Villico officij genere & miniſterij. Eſt etenim Villicus qui agricolationi præficitur & agri colendi cauſa ac paſcendi pecoris a domino conſtitutus eſt, & veluti negotiorū rureſtrium procurator, quiq; rerum villicarum curam habet. Res ruſticæ ſeu villicæ ſunt, ager, pecora, ſtirpes, fructúſq; ruris, ſementis meſſis, arborum & vitium putatio, & reliqua id genus. Varro *lib. 1. rer. ruſt. c. 3.* Villicus, inquit, agri colendi cauſa conſtitutus, atque appellatus a villa. Villa quòd in eam, & ab ea conuehantur fructus, & euehantur, cum veneunt. A quo ruſtici etiam nunc quoque viam veham appellant propter vectuſas: & vellam, non villam quò vehunt & vnde vehunt. Columella *lib.* 11. ſcribit villicum fundo familiæque præponi, eúmque eſſe oportere ætatis nec primæ, nec vltimæ: ab anno videlicet trigeſimo vſque in ſexageſimum ſi non interueniant fortuita corporis vitia, ſatis validi fungi muneribus agricolæ: atque eam quidem ætatem mediam vocat. Villicum item oportere eſſe operariorum magiſtrum tradit ipſe Columella, cunctáque ruſticationis præcepta conſequi. Ex quibus facilè depræhendas diſcrimen diſpenſatoris & villici.

Inſularius. ¶ Plane conſtat Inſularium numero vrbanorum ſeruorum eſſe, idq; à denominatione. Nam inſularius ab inſula dicitur. Eſt autem inſula (præter id quod ſignificat terrā in flumine mariue aquis circunfluam, ob ſpiritum ſolo erumpere non poſſétem, enatam, vt author eſt Plin. *lib. 2. nat. hiſt.* ſicq; dictam quòd in ſalo, id eſt in mari ſit, vt ſcribit Feſt. Pomp.) domus ab aliis ſeiuncta, & quæ communibus parietibus cum vicinis non adhæret: ac publico priuatorumve circuitu diſcingitur. Vitruuius *lib. 1. c. 6.* quas ob res, inquit, conuertendæ ſunt ab regionibus ventorum, directiones vicorum: vti aduenientes ad angulos inſularū frangantur, repulſiq; diſſipentur. Vlpian. pro eadem ſignificatione accepit in *l. ſi inſulam. ff. de ver. obl.* & Scæuola in *l. non vtique. §. ſi quis inſulam. ff. de eo quod cert. lo.* Si quis inſulā, inquit, fieri ſtipuletur, & locū non adiiciat, nō valet ſtipulatio. Paul. *in l. 3. § effractura. ff. de offic. præf. vigil.* Effracturæ fiunt plerunq; in inſulis horreiſque: vbi homines pretioſiſsimā partē fortunarū ſuarū reponūt, &c. Quo loco lōge hallucinatur Accurſ. cū inſulā pro domo impropriè accipi cōtendit. Quem eapropter arguit imperitiæ Budæus *in annot. in l. ſi inquilinus. ff. locati.* Quod ſi verum eſt (ait ipſe Budæus) miror quid Tranquillus *in Nerone* intelligi voluerit, cum dixit, Formam ædificiorum vrbis nouam excogitauit, & vt ante inſulas ac domos porticus eſſent, de quarum ſolariis incendia arcerentur. Et rurſus, tunc propter immenſum numerum inſularum, domus priſcorum ducum arſerunt hoſtilibus adhuc ſpoliis adornatæ. Hoc tamen differunt à cœnaculariis domibus inſulæ, quòd domus ſiue habitationum ædificia coniuncta proximis & vicinis domorum parietibus, vt vicinam

numeroſam

numeroſam & frequenti habitatore ſtipatam efficiant. τὸ πλῆθος τῶν οἰκοδομημάτων συνοικία, Budæo teſte in *Commentariis linguæ Græcæ.* Ab inſula igitur dicitur Inſularius: qui lingua vernacula, concieergus vocatur, eodem Budæo authore: cuiuſmodi homines eſſe ſolent in domibus principum, quæ inſulæ plerunque ſunt, id eſt, à priuatorum domibus diſtinctæ. Pomponius in *l. ſi ita legatus. ff. de vſu & habitatio. §. dominus.* Dominus, inquit, proprietatis, etiam inuito vſufructuario vel vſuario, fundum vel ædeis per Saltuarium vel Inſularium cuſtodire poteſt, &c. Hinc apparet lapſum fuiſſe Lud. Cælium Rhodigi. qui *lect. antiq. lib. 7. cap. 31. & lib. 25. cap.* 20. ſcripſit inſularios & Apolidas dictos ab Iureconſultis viles ſeruos ac peſſimos, ſine ciuitate, & in inſulas deportatos, & in publicum opus & in metallum datos. Exiſtimo illũ voluiſſe dicere inſulares non inſularios: nam & verſus citat in hanc rem.

Ductor ferreus inſularis, æquè
Laterna videor fricare cornu.

In eodem quoque errore fuit cum ipſo Cælio, Alexander ab Alexandro. *lib. 3. Genial. dier. cap. 25.* ¶ Erant igitur inſularij vrbanorum ſeruorum numero, atque etiam ordinariorum. Seruos autem Ordinarios arbitratur Franc. Connanus *lib. 2. Comment.* ab eo nomen ſumpſiſſe, quòd ordinem ſuum & locum tenerent in re familiari domini, non item vicarij, qui in peculio erant ordinariorum. Ordinariorum ſiquidem certum erat munus vt plerunque impoſitum, vnde appellationem ſortiebantur: veluti diſpenſatores, inſularij, villici, atrienſes, textores, cubicularij, coqui, & id genus alij à ſuo officio & ordine nominati, ait ipſe Connanus. Vicariorum verò nulla erat certa ſtatáque & deſtinata miniſterij functio: aſt ordinariorum mandata iuſſáque exequi tenebantur, mediaſtinis ſimiles, quorum erat viliſſimum miniſterium, verrendi videlicet, tergendi, ſpargendi, vngendi, ligna deferendi: hinc dicti quòd media in domo ad imperia omnium nutúſque excubare ſoleant, vt Budæus annotauit in *l. 1. ff. nautæ caupon. ſtabul. §. qui ſunt igitur.* Itaque mediaſtini & vicarij eodem ferè ordine cenſeri ſolebant, & vulgarium ſeruorum catalogo haberi. Vlpian. *l. item apud Labeonem. §. prætor ait. ff. de iniur. & famoſ. libel.* Etenim, inquit, multum intereſt qualis ſeruus ſit, bonæ frugi, ordinarius, diſpenſator, an verò vulgaris vel mediaſtinus, an qualis qualis. Columella *lib. 1. cap. vlt.* Propter quod ſeparandi ſunt aratores à vinitoribus, & vinitores ab aratoribus, iíque à mediaſtinis. Vicarius quippe dicitur quòd operam vicariam præſtet. Columella *lib. 11. cap.* 1. Etenim qui me abſente in meum locum ſubſtituitur, & vicarius meæ diligentiæ ſuccedit, is ea, quæ ego, ſcire debet. Cicero pro *L. Murena.* noli mihi ſubtrahere vicarium meæ diligentiæ, id eſt, qui eandem diligentiam & operam in tuenda repub. præſtet, poſt me conſul futurus: cum iam in exitu Ciceronis conſulatus eſſet. Habebant igitur ordinarij ſeruos vicarios ad ſubſidium miniſterij comparatos: ideóque peculiares aliquando vocabantur, quia in peculio ipſorum ordinariorum erant. De qua re videto amplius apud Fran. Connanum *lib. 2. Comm. c. 2.* quo loco citat *l. ſi Sticho. ff. de pecul. leg. l. ſeruos. ff. de leg. 3.* Horat. *lib. 2. Satyr. 7.* nam

Siue vicarius eſt qui ſeruo paret, vti mos
Veſter ait, ſeu conſeruus tibi quid ſum ego? nempe
Tu mihi qui imperitas, alijs ſeruis miſer: atque
Duceris vt neruis alienis mobile lignum. Et Martialis *ad Maximum.*
Eſſe ſat eſt ſeruum, iam nolo vicarius eſſe:
Qui Rex eſt, Regem, Maxime, non habeat.

Plinius *lib. 10. epiſt.* quo loco Traianus ipſi Plinio ſcribit de ſeruis inter tyrones inuentis. Refert autem (inquit) voluntarij ſe obtulerint, an lecti ſint vel etiam vicarij dati: lecti ſi ſunt, inquiſitor peccauit: ſi vicarij dati, penes eos culpa eſt qui dederunt. ¶ Ordinarij erant diſpenſatores, & in vrbana familia, vt ſupra tradidimus: & videre eſt apud Tranquillum *in Ser. Galba.* Et ordinario quidem, inquit, diſpenſatori breuiarium rationum offerenti, paropſidem leguminis pro ſedulitate ac diligentia porrexiſſe. Diſpenſatores autem, inter primos ordinariorum ſeruorum gradus erant, & aliquo in honore habebantur. Quod quidem conijcere licet ex his quæ tradit idem Tranquillus *in Othone Syluio cap. 5.* Ante paucos dies, inquit, ſeruo Cæſaris pro impetrata diſpenſatione x. ſeſtertium expreſſerat, &c. Dicitur quoque diſpenſator à pendendo ære. Nam domini pecuniam ſolebat diſpenſator in vſus familiares & domeſticos impendere, & fœnori dare, vt teſtis eſt Theophilus *tit. de mandat. lib. 3 inſtit.* Sed & cum pecuniam domini ille fœneraſſet, neminem ſibi eo nomine obligare poterat. Qualiter autem id potuiſſet qui ſeruus erat, ait ipſe Theophilus? At verò domino eidem ſuo actionem acquirebat, qua pecuniam creditam, ac fœnori datam conſequeretur. Sic ipſe Theophilus διοικητὴς ... ὁ οἰκέτης, ὃς εἰώθει ... χρήματα. ... πῶς γὰρ οἰκέτης ὤν ... &c. Alexand. Neapol. *lib. 3. genial. dier. c. 25.* ſcribit diſpenſatores eſſe eos ſeruos qui æra domini diſpenſant, impendiáque & expenſas rationibus notant. Reliqui ſerui qui numero familiæ habebantur, cuiuſmodi ſunt Arcarij, hercitæ, focarij, topiarij, ſaccularij, capſarij, adſcriptitij, originarij, orcini, amanuenſes, receptitij, litterati, explicantur ab eodem Alexandro, loco ſupra memorato: atque à Cælio Rhodigino.

FORNERIVS.

VRBANA. ¶ Non vnius argumenti finibus vrbanarum ruſticarúmque rerum diſtinctio continetur. Pertinet enim ad ſeruitutes, ad pignora, ad legata: In quo non planè inter Iuriſconſultos conuenire videri poſſit. Neratius in diſcernendis prædiorum ſeruitutibus conditionem loci inſpiciendam ait. *l. 4. §. ſtabula, in quib. cauſ. pig. vel hyp. tac. contr.* Vlpianus ea qualitate, materia, ac prædiorum genere magis ſeruitutes æſtimat *l. 1. §. com. præd.* Pomponius hic vrbanã familiã a ruſtica non loco ſeparauit, ſicut alij, non tam locũ, aut materiem, quàm vſum patriſque fam. inſtitutũ ſpectauere. Quæ ſingula non tam inter ſeſe pugnantia, quàm diuerſa quadantenus exiſtimo. Neratius quidem

H 2 prædio

prædiorum differentiam, ſecundum ea quæ vt plurimum accidunt, deſcripſit: vti & leges negotia plerumque definiunt. *l.3.l.4.l.5.l.6.de legib.* Verum enim eſt, quæ ruri ſunt, ruſtica: quæ in vrbe vrbana nominari. *l.1.ne ruſtican.ad vllum obſeq.deuocent.lib.11.C.l.1.de capita.ciui. cenſib.eximend. Cod.eod. lib.* Pomponius verò, Labeo, Paulus, Vlpianus in quotidianam hominum conſuetudinem intuentes, vrbanum ſeruum, & ruſticum, vrbanam penum, ac ſuppellectilem non loco, ſed opere, & vtendi genere ſecreuerunt. hic. *l.99.ſeruis vrbanis.de leg.3.l.4.§.ſi ita.de penu leg.l.antep. de ſupp.legat.* Vt ecce inſularius, vrbanæ domus cuſtodiæ præpoſitus *(concierge)* etſi non ſit ſemper in vrbe, vrbanorum numero habetur: Diſpenſator, ſi ruſticarum rerum rationes adminiſtret, rurique habitet, à villico non diſcrepat. Vtrumque ex domini inſtituto æſtimatur. Nam quod quidam hic malunt, [tamen multum abeſt a villico] nugatorium eſt: nec modò ab optimorum exemplarium fide, ſed Pomponij ratiocinatione alienum: Anton. Auguſtinus *lib.1. cap.3. emendation.* ante Florentinam editionem annotarat. [Ibique habitet.] ¶ Aliis placet, [vbique,] quod magis conſentaneum videtur. Vt & illud quod mox ſequitur [Ex vicariis,] pro [cibariis] ſicuti apud Paulum exſtat. *d. l. 99. ſeruus.* Quod Antonius Contius reiicit. Quamuis optima ratione vtraque ſcriptura defendi poſſit. Ex vicariorum quidem opere conditio actorum quibus ſubſunt, dignoſcitur. Vicarius eſt ſeruus ſerui, Gloſſæ iuris, βικάριος, ὁ δοῦλος δούλου. [Eſſe ſat eſt ſeruum iam nolo vicarius eſſe.] Vicarij ſerui ſeruorum noſtrorum numero non continentur: ſed ordinariorum peculio à quibus empti ſunt, adiiciuntur: vnde & peculiares dicuntur. *l.73.ſuos. de legat.3. l.17.ſi ſeruus. de peculio. l.21.ſi Sticho.de pecul.leg. l.1. C. de cond. inſert.* Cæterùm quos hic diſpenſatores & villicos, auctor Geoponicôn ἐφεστῶτας, quaſi præfectos ac magiſtros vocat: *lib. 2. cap. 43.* & ἐργάτας: quos operarios ruſticos Alphenus *l.203.in lege.ij.hoc tit.* ¶ Ex cibariorum verò & alimentorum genere, & demenſo menſtruóque vel diario cibo ſecerni poſſe ſeruorum qualitatem, non abſurdum eſt. Item ex nomenclatura, ſeu numero ſeruorum: fortè illud ipſum, [ex libellis familiæ.] *d.l.99.ſeruus.* Villici enim ſeruorum quoque quaſi cenſum habebant: præter ephemeridem operúmque ruſticorum commentarium: de quo Florentinus *d. cap. 43. ſic monet.* Ἐχέτω ὁ ἐφεστὼς ἐφημερίδα κοινῇ γνώμῃ τῶν ἐν τῷ ἀγρῷ ἐμπείρων συγκειμένην ἀκριβῶς, καὶ καθ᾽ ἕκαστον μῆνα πρὸς τῶν ἡμέρων, ἵν᾽ ἐντεῦθεν καὶ γινώσκειν ἔχειν, ὑπομιμνήσκειν ὡς χρὴ ἐργάζεσθαι, οὐδένα καιρὸν παραλείπων. [Quorum loco quemque habuerit.] ¶ Vt enim in cæteris ferè rebus, ſic & miniſterij tranſlatione domini voluntas & inſtitutum (quòd vtramque paginam faciat) ſpectabitur. *l.36. Titia. de legat.1.* Vt ſi plura artificia ſeruus norit, ei cui dominus deputarit, addicatur. *l.67.legatis.de legat.3.* Seneca *lib.3.de Ira. cap. 29.* [Si captiuus in ſeruitutem ſubitò depreſſus reliquias libertatis tenet, nec ad ſordida & laborioſa miniſteria agilis occurrat, ſi ea otio piger equum vehiculúmque domini curſu non exæquat, ſi inter quotidianas vigilias feſſum ſomnus oppreſſit: ſi ruſticum laborem recuſat, aut non fortiter obit, à ſeruitute vrbana, & feriata tranſlatus ad durum opus.] Prouerbium, [Rus ciuitas,] Epicharmio ſimile ἀγρὸν τὴν πόλιν ποιεῖς agrum ex ciuitate facis.

§.j. PERNOCTARE extra vrbem intelligendus eſt, qui nulla parte noctis in vrbe eſt. [Per] enim totam noctem ſignificat.

ALCIATVS.

PERNOCTARE. ¶ Qui prouinciæ præeſt, extra eam etiam voti ſoluendi cauſa pernoctare non poteſt. *l.illud.de offic.præſid.* Quæritur, quid ſit pernoctare, & integram noctem ſignificari Iuriſconſultus ait. Sic Flamen Dialis quoties valetudo aduerſa incidiſſet, non vltra binoctium pernoctare poterat, Vt Tacitus *lib.3.* ſcribit. Sic & in lege XII. Tabul. quæ trinoctio abnoctaſſet, vſurpabatur, vt ex Q. Mutio, A. Gell. *lib.3.* tradit. ¶ Id autem dictio per, in compoſitione demonſtrat, quæ vox ad integram noctem refertur, vt hic ait Iuriſconſultus. Quo argumento, ſi lex prætori in delictis ſuis officij tempore perpetratis iuriſdictionem mandet, cùm prioris tempore quis vulneratus à ſicario eſſet, & ſub ſucceſſore periiſſet, reſponſum à quibuſdam eſt, neutri ius cognoſcendi eſſe cùm integrum delictum neutrius tempore factum ſit, perpetrare autem ad totum refertur. *Alb.hic.* Sed hæc deciſio vera non eſt: qui enim lethiferè percuſſit. *l.fin.§.ſic autem.de bo.eor.qui ſib.* quod in ſe eſt, omne delictum perfecit, & ideo ad primum magiſtratum ius coercitionis pertinet. *l.diuortio.§.ſi vir.ſolut.matri. Alex.* Sanè hoc exemplo & pernox luna dicitur, quam Græci πανσέληνον vocant. Sic & peregiſſe rem dicitur, non qui ſolummodo detulit, ſed qui condemnauit. *l.2.de adult.* quo exemplo & perennare dicimus, & perhibere, & perlegere, & percipere: hæc enim omnia ad quandam integritatem, perfectionémque referuntur. Tametſi non negauerim in compoſitione eam dictionem aliter quoque accipi, vt cùm perfidum periurum dicimus: itémque perpluere, perſpicuus: & rurſus perpauci, pertinax: ſed & perorare dicitur, cui finis orandi demandatus tantummodo eſt.

FORNERIVS.

PERNOCTARE. ¶ Ad ea quæ de Romanis magiſtratibus, flaminibus, ſenatoribus, tribuniſque plebis, quos abeſſe diutius ab vrbe non licebat, nec pernoctare opportuniore loco diſſerui. *(l.2. ∣. hoc tit.)* pertinet hic verſus. Quaſi non videatur abfuiſſe, qui aliqua noctis parte in vrbe fuerit: vocula [per] integrum quid notat: perficere, perſuadere, perterere. *l.139. ædificia. ſuprà hoc titul. l. 1. §. perſuadere. de ſeru. corrupt. l. 22. veſtimentum. de auro & argent. legat.* Seruius in illud *Æneid.5.*

—Torquet medios nox humida curſus.

CLXVII. VLPIANVS lib. xxv. ad Sabinum.

CARBONVM appellatione materiam non contineri. Sed an lignorum? & fortaſſis quis dicet, nec lignorum: non enim lignorum gratia habuit. Sed & titiones, & alia ligna cocta, ne fumum faciant, vtrùm ligno, an carboni, an ſuo generi adnumerabimus? & magis eſt, vt proprium genus habeatur. Sulpurata quoque de ligno æquè eandem habebunt definitionem. Ad faces quoque parata, non erunt lignorum appellatione comprehenſa, niſi hæc fuit voluntas. Idem & de nucleis oliuarum, ſed & de balanis eſt, vel ſi qui alij nuclei. De pinu autem integri ſtrobyli ligni appellatione cõtinebuntur.

ALCIATVS.

CARBONVM. ¶ Materia rei appellatione, quæ ex ea conficitur, non venit. Vnde qui carbones dicit, de lignis non intelligit, qui libros, de chartis, qui calcem, de lapidibus: quamuis ex lignis carbones, ex chartis libri, ex lapidibus calx conficiatur: idque & Accurſius, & quadam diſputatione Pyleus probant. E conuerſo nec appellatione materiæ, quod ex ea factum eſt, comprenditur, ſi ſpeciali nomine nuncupetur, niſi eiuſmodi ſit, quod effectum eſt, vt in materiam ſuam redigi rurſus poſſit. *l. quæſitum. §. illud. de leg. 3.* quale eſt argentum factum, vel aliter mentem teſtatoris coniiciamus. ¶ Hinc eſt, quòd ligni appellatione, id ſolum continetur quod comburendi cauſa paratum eſt. *l. ligni. de leg. 2.* & a ſolo diuulſum, & alio ſpeciali nomine non appellatum, niſi vel teſtatoris voluntas, aut conditio, vel regionis natura aliud ſuaderent. Quo exemplo cùm omnia nemora quis locaſſet, reſpondit And. Siculus, Barba. *conſil. 26. in 2.* de eo non cenſeri actum, quod materiæ cauſa haberetur, cùm id in alium elegantem vſum deſtinatum eſſet. Sed hac in re planè μάταιος eſt, & Siculis gerris vaniora conſcribens.

Materiam. ¶ Sic propriè ligna appellantur, quæ ædificiorum cauſa, vel alterius operis habentur: inde materiarij fabri. Hic autem de materia intelligit, quam idcirco quis præparauerat, vt carbones conficeret: hi in antiquorum elogiis Græca voce dendrophori appellantur, quòd arborem ferunt & torrent. *l. fi. de iur. immu.*

Lignorum. ¶ Sunt ligna propriè, quæ comburendi cauſa habemus: vnde materia carbonum, cùm in alium vſum principaliter habeatur, non intelligitur lignum eſſe.

Genus. ¶ Cùm enim ſpeciale nomen titiones, ſulphurata, faces, & nuclei habeant, non videtur quiſquam ligna nominans, de eis intelligere. Sunt autem ſulphurata tenuiſſima ligna ſulphure vtrinque illita, ad accendendas lucernas, quorum & Martialis meminit, nos vulgò ſulphureros vocamus.

Nucleis oliuarum. ¶ Hi enim ab antiquis oſſa oliuarum appellantur, vt meritò pro lignis habendi non ſint, quod & in cæteris dicendum eſt, quales ſunt glandium, nucum, amygdalarum, & ſi qua ſimilia. Idémque in vinaciis ſtatuendum, cùm acini non ignibus tantùm, ſed & paſcendis columbis vſui eſſe ſoleant.

Bellariis. ¶ Antiqui codices balanis habent, & caſtigatiùs. Significat βάλανος glandem generali nomine, ſed ſpecialiter de palmulis, quas vulgò dactylos vocamus, accipitur: palma enim in Ægypto & Syria eos fructus fert, guſtu ſuauiſſimos, vt bellaria omnia præcellant. Sunt bellaria, quæ ſub finem conuiuij adferuntur, & ſecundæ menſæ appellantur. Iulius Pollux palmam aliam marem, aliam fœminam arbitratur: & fœminæ fructus ex Herodoti Xenophontiſque ſententia propriè balanos dici: propendent autem ab inuolucro, corticoſóve operimento, quod elaten ſeu ſpaten vocãt, & ipſum magni in medicina vſus, vt Galenus oſtendit, tametſi hodie in eis regionibus nullum alium, quàm ignibus vſum præſtet.

Pinu. ¶ Nil aliud eſt pinus, quàm picea exultior: eius nuces ſtrobyli, coccali, coni, & Latinis nuclei vocantur: qui pinei ſunt detrahuntur guſtatu idonei, & medicinæ vtiles. Vt Iuriſconſultus hic cùm integros ſtrobylos dixit, de pinu agreſti, vel picea intellexiſſe videtur, qui caſſi & cibo inutiles ſunt ideóque à cono non diuelluntur, ſolis ignibus aptiſſimi. Poteſt & de nuce ipſa pinea domeſtica intelligi: in quibuſdam enim regionibus ita abundat, vt eius fructus nulla ſit æſtimatio: nam de ea ſtrobylos ſpecialiore ſignificatione dici ex Dioſcoridis lectione obſeruatum eſt, qui *lib. 1. c. 85. & eiuſd. cap. 89.* στρόβιλον pro pinu accipit, πίτυν pro picea, πεύκην pro tæda, quæ congeneres omnes arbores ſunt. Sanè vbi nucis pineæ fructus in pretio ſit, non opinarer legatis lignis ſtrobylos eius integros contineri: ſed tum deberi, cùm fructus exempti fuerint.

BRECHÆVS.

CARBONVM. ¶ Quamuis propriè lignum ſit quod fouendo igni deſtinatur, tamen carbonum appellatione lignum minimè contineri ex eo patet, quòd lignum etiam ſignificat materiam ex qua ædificia conſtant, éſtque generale nomen. Alioqui oporteret genus ipſum ſubiici ſuæ ſpeciei. Sed propria ſignificatione lignum à materia eò differt, quòd lignum dicatur quicquid comburendi cauſa paratum eſt. Vnde ab legendo dicta ligna Marcus Varro *de lingua Latina* tradit, quòd ea caduca legebantur in agro quibus in focum vterentur. Fortaſſe etiam, vt arbitror, lignum ab igni dictum voluerunt. Ligno igitur legato, nihil aliud cenſetur legatum, quàm quod ad locum

paratum fuerit. T. Liuius *lib.8. Decad.4.* Dixit lignum eſſe ignis alimentum. Data, inquit, venia Regulo, duci inde exercitus per Axylon (quam vocant) teriam cœptus. Ab re nomen habet: non ligni modò quicquam, ſed ne ſpinas quidem, aut vllum aliud alimentum fert ignis. Fumo bubulo pro lignis vtuntur. Similiter ſcribit Theophraſtus *lib.4. de historia plantarum. cap.8.* In Arabia apud mare rubrum nullas arbores prouenire, præter ſpinam, quæ dipſas vocatur: atque ea quidem rara eſt ob feruores ac penuriam: quippe vbi non niſi quarto quintóque anno pluat, & tunc impetuosè, & breui tempore. Ex ante dictis Liuij verbis colligere licet, lignum idipſum eſſe quod foco ſolet deſtinari. Vitruuius *lib.5. cap.9.* ¶ De lignatione quæ maximè ad cibum excoquendum neceſſaria eſt, difficilis & moleſta eſt apparatio, quòd & tardè comportatur, & plus conſumitur. Lignationem dixit Vitruuius, lignorum ſtruem & congeriem, quam pater familiàs & œconomus optimus ad focum deſtinatam cumulauit: vel eum locum in quo ligna ad comburendum ſuccindas, & inde exportes. Columella *lib.1. rei ruſtica. cap.5.* Sit autem, inquit, vel intra villam, vel extrinſecus inductus fons perennis, lignatio, pabulumque vicinum. Qua ratione, & virgæ, & cremia ligni appellatione continebuntur. Eſt autem cremium, quod à Græcis φρύγων dicitur, lignum tenue & puſillum, ſimul & aridum ac exſiccatum, quod ſtatim incendi ſolet. Columella *lib.3. rei ruſt.* Ex tenuibus, inquit, admodum lignis, quæ cremia ruſtici appellant, fornacem incendemus. Vnde cremiales arbores dictæ Papiniano in *l. diuortio. §. ſi fundum. ff. ſol. matr.* ad comburendum ac ad focum deſtinatæ. Puto autem, inquit, ſi arbores cæduæ fuerint vel cremiales, dici oportere in fructum cedere. Quo loco Accurſius legit, germinales, id eſt, inquit ipſe, quæ à ſtipite aliarum naſcuntur fultæ & denſæ, vt granum naſcitur: quæ alias dicuntur pedamenta. Alioqui verò legit gremiales, cenſétque vtrunque rectè poſſe legi. Quod autem ad me attinet, ego quidem in ea ſum ſententia cum Franciſco Connano vt gremiales, potiùs legendum ſit, quàm germinales. Non tamen omnino eſt reiicienda Accurſij ipſius lectio poſterior. Quinetiam dicimus germinales arbores quæ in ſyluis cæduis ſucciſæ rurſus ex radicibus germinatione enaſcuntur. Quod fit, vt dum prima cacumina impelluntur, ſecuris aperiat geniculato incremento: claréque & tunc cernitur excreſcentium cacuminum articulatio. Plinius *lib.13. natur. histor. cap.4.* Sunt & cæduæ palmarum quoque ſyluæ, germinantes rurſus ab radice ſucciſæ. Qua ratione in fructu quoque erunt hæ germinales arbores, ſicut cremiales: quæ cùm cæduntur ac demum exſiccantur in focum paratæ, cremia nominantur. Vnde Vlpianus, lignorum appellatione etiam virgulas, & ſarmenta, & germina, & ſuperamenta materiarum, & vitium ſtirpes atque radices contineri, ſi voluntas non refragatur, aduerſus Ofilium ſcripſit in *l. ligni appellatio. ff. de leg.3. §. Ofilius.* At verò materia (vt tradit Vlpian. *in d. l. ligni appellatio*) eſt quæ ad ædificandum fulciendumque neceſſaria eſt: veluti robora quæ grandia & excelſa in ſyluis enata ſunt & ædificationi apta. Materiei nanque nomine propria ſignificatione compræhenduntur. Quippe quamuis ſint arbores & vti poſſint focóque aptari, nihilominus tamen lignorum appellatione nequaquam veniunt, ſed materiæ: propterea quòd ædificationi ſæpius aptari ſolent & inſeruire. Si quis igitur materiem legauerit, certè ligna ad focum deſtinata & cremiales arbores legaſſe non cenſebitur: ſed eas tantum arbores quæ ſtructuris & ædificiis ſunt omnino deſtinatæ. ¶ Hinc Caius ſcribit, Tigni appellatione, in lege XII. Tab. omne genus materiæ, ex qua ædificia conſtant, ſignificari: veluti trabes, templa, catherij, aſſes, & cætera id genus. Sed & pali, pedamenta quoque, ridicæ, ſicut tigni, ſic & materiæ appellatione complecti ſolent. Nam materiæ verbum, quam Græci ὕλην dicunt, vnde ſylua dicta (vt ſupra admonuimus *in l. Sylua cædua. & in l. ligni appellatione*) ad lignum refertur. Et ipſi quidem Græci τὸ ξύλον, quod nos lignum: vel etiam materiam fabrilem, παρὰ τὸ ξύω. τὸ ἐπιτήδειον γὰρ πρὸς τὸ ξύεσθαι. Οὐδ' ὕλη γὰρ ὕλη πρὸς ξύσιν ἐπιτηδειοτέρα ξύλου: quia nulla ſit prorſus materia ad fabricandum & dolandum aptior. Itaque materiæ verbum ſignificat & lignum & quodcunque ad ædificandum atque fulciendum eſt aptiſſimum & accommodum. Lignum, non item Vitruuius *lib.4. cap.7.* Item in eorum frontibus antepagmenta figantur, ſupráque ea tympanum faſtigiis ex ſtructura ſeu materia collocetur, &c. ¶ Structuræ nomine intellexit opus factum cæmentis ſeu laterculis. Materiam verò lignum ædificatorium. Et Cæſar *lib.7. belli Gallici*, Materiari dixit, pro ramos ex arboribus, & ipſas etiam arbores ſtruendis aggeribus, foſſis, & munitionibus abſcindere, ξυλουργεῖν. Columella *lib.11. rei ruſtica. cap.2.* quo loco tradit quo maximè tempore exſcindenda ſit materia ita ait. Nec minus in ædificia ſuccindere arborem conuenit: ſed vtraque melius fiunt Luna decreſcente ab vigeſima vſque in trigeſimam: quoniam omnis materia ſic cæſa iudicatur carie non infeſtari. Palos vna opera cædere, & exputatos acuere centum numero poteſt. Ridicas autem querneas, ſiue oleagineas findere & dedolatas vtraque parte exacuere, numero ſexaginta. Et paulò poſt. Materies ſi roborea eſt ab vno fabro dolari ad vnguem per quadrata debet, &c. Ipſe etiam Columella materiæ verbum vſurpat pro palmitibus vitium ac ſtolonibus. Is ſic ſcribit *lib.3. cap.2.* eo loci quo de vitibus agit. Amiciores iugo quàm arboribus ſed atgitis etiam in ſublimibus fertilis, vaſtis materiis & vuis exuberat, humillimis tabulatis aptior. Viſula breuem materiam & latum folium exigit. *Et ibidem paulò post.* Albuelis vtilior, vt ait Celſus, in colle, quam in campo: in arbore, quàm in iugo: in ſumma arbore, quam in ima: ferax & materiæ frequentis & vuæ. Idem quoque pro ligno & cremio, materiam dixit *lib.1. cap.6.* Fumarium quoque, inquit, quo materia, ſi non ſit iampridem cæſa, feſtinatò ſiccetur, in parte ruſticæ villæ fieri poteſt iunctum ruſticis balneis. Sed hoc quidem impropriè Columella dixit. Propria nanque ſignificatione Carbonum appellatione materiam non contineri palam eſt: ſed nec lignorum quidam. ¶ Itaque, tametſi lignorum ſignificatio propria ad ea referatur quæ igni & foco deſtinata ſunt, non ædificationi, ſi quis tamen ligna legauerit, non cenſebitur carbones, titiones, torres, ſulphurata ligna, & ad faces parata legaſſe: cùm hæc ipſa ligni nomen nequaquā ſignificet, vt ſpeciali vocabulo teneātur: niſi hæc fuerit teſtatoris voluntas. Carbones ſiquidem ligno ſemiambuſto atq; igni torrefacto conficiuntur.

A titione

A titione autem differunt carbones, quòd Titio lignum ſit aliqua ſui parte exuſtum & extinctum, vel tortis extinctus. Torria enim dicitur lignum aliquod teres igne ardens. Cremium, vt diximus, lignum extenuatum, & longè exſiccatum quò facilius ardeat, & vratur. vnde *Pſal.* 101. καὶ τὰ ὀστᾶ μου ὡσεὶ φρύγιον συνεφρύγησαν. Et oſſa mea ſicut cremium aruerunt. Quod tamen aliter vertit Symmachus, videlicet, Sicut torris aduſta ſunt. Sed eadem fermè ſententia. Nam Regius ille Pſaltes nihil aliud ſignificare hoc loco voluit, quàm corpus ſuum præ dolore animi macie confectum eſſe, vt voluit M. Antonius Flaminius. Cæterò de ratione conficiendorum carbonum, & quæ his conficiendis arbores ſint aptiſſimæ, videto apud Plinium *lib.16. natur. hiſto. cap.6.* & apud Theophraſtum *lib.3. de hiſto. plantarum cap.*10. Carbonum natura, eſt vt exſiccatum ſolum reddant, ſi ſuperimponantur. Naturali enim eorundem raritate humor excipitur: ſicut teſtatur M. Vitruuius *lib.5. cap.9.* Vnde idem ipſe Vitruu. *lib. 3. cap.3.* cùm de fundationibus ſubſtructionum agit, ſin autem (inquit) ſolidum non inuenietur, ſed locus erit congeſtitius ad imum, aut paluſter, tunc is locus fodiatur exinaniatúrque, & palis alneis aut oleagineis aut robuſteis vſtulatis configatur, ſublicæque machinis adigantur quam creberrimæ, carbonibúſque expleantur interualla palorum, & tunc ſtructuris ſolidiſſimis fundamenta impleantur.

Balanus. ¶ Balanus qui à Græcis βάλανος glandem ſignificat: quo quidem vocabulo, caſtaneas, quæ Sardibus prouenere primùm, apud Græcos appellari, teſtis eſt Plinius *lib.15. natur. hiſtor. cap.*23. Sardibus (inquit) hæ prouenere primùm. Ideo apud Græcos Sardianos balanos appellant. Nam Diuus Tyberius poſtea balanum nomen impoſuit excellentioribus ſatu factis. Eſt & balanus palmæ fœminæ fructus, ſicut maſculæ ſπάθη. Plinius *lib.13. cap.4.* vbi de palmis earúmque natura & generibus tractat. Nam & in alia parte Phœnicis Ciliciæque populari etiam nomine a nobis appellantur Balani: de palmarum pomis intelligit Plini. Philoſtratus in vitam Apollonij Tyan. *lib.1. cap.* 15. καὶ φοίνικας βαλάνους ἀλιτεύουσι τὰ καὶ μεγάλους, &c. Theophraſtus palmam Ægyptiam balanum vocat. Tradit optimus linguę Græcæ author Suydas, glandium βαλανῶν calicibus, aut etiam ipſis balanis exſiccatis, his potiſſimum quæ immitiores eſſent, cuiuſmodi ſunt Cerrei, veteres conſueſſe ſomēta igni admouere. Earum quoniam frequens erat & multus in balneis vſus βαλανεῖον Græci, quod nos balneum, appellant παρὰ τὸ τὰς βαλάνους αὔειν, id eſt à ſuccidendis balanis. Sic etiam Latini balineum vocant. Plinius *lib.10. Epiſtol. in epiſtola ad Traianum de Theatro Niceno.* Claudiopolitani quoque (inquit) in depreſſo loco, imminente etiam monte ingens balineum defodiunt magis quàm ædificant. *Et paulo infra.* cogor petere à te non ſolùm ob theatrum, verum etiam ob hæc Balinea mittas architectum, diſpecturum, &c. Balineum igitur dicebant balneum imitatione Græci vocabuli βαλανεῖον ab ipſis balanis. Hę tamen balani lignorum ſignificatione non cenſentur, quemadmodum nec carbones, nec cætera cómemorata.

Strobuli. ¶ Galenus *lib. 7. de ſimplicibus medica.* ſtrobylon ſcribit eſſe id quod alij conum & cocalum appellant. Sunt autem Strobuli nuces pineæ: cùm tamen ςρόβιλον pro pinu Dioſcorides accipiat, πίτυν pro picea, vt etiam adnotauit Alciatus. Et ipſe Galenus *lib.8. de ſimplic.* πίτυν pro pinu: quamuis piceam verterit Theodor. Gerardus. Sic autem habet Galeni litera. πίτυος φλοιός, &c. Sunt (inquit Cælius Rhodoginus *lib.25. lectio. antiquarum.*) inter eruditos, qui pityn pro picea capiāt: ſicuti πεύκην pro teda. Apud Theophraſtum Theodoro pytis eſt larix: πεύκη autem pinus. Sed & pro picea pityn accipit aliquando. Apud Herodotum eſt pitys, quam pro pinu capit interpres. Videto in hanc rem Hermolaum Barbatum *lib.1. Corollariorum in Dioſco.*

FORNERIVS.

CARBONVM. ¶ Hoc vnum Græci monent hìc tractari de materia ad ædificandum idonea. περὶ ἐργασίμης ὕλης. l. de tigno, cuius nomine in lege xij. Tab. omnis materia, qua ædificia conſtāt, ſignificatur *l.1. de tign. iniunct. l.62. ligni. ¶. h. t.* ἐργάσιμον ξύλον. Theophil. *§. cum ex ſuo. de rer. diuiſ.* Ligni quidem appellatio generalis eſt; ſed ſic ſeparatur, vt aliud ſit materia, aliud lignum. *l.12. arboribus. de vſufruct. l.18. ſi conuenerit. fin. de pign. act. l.14. quod ſi. de peric. & comm. rei vend. l.47. Lucius. de act. empt. & vend. l.45. in fraudem. §. conductor. de iur. fiſc.* Materia eſt, quæ ad ædificandum, fulciendúmue neceſſaria eſt. Lignum quicquid comburendi cauſa paratum eſt. *l.53. ligni. de leg. 3. qua ex* 25. Vlp. ad Sabinū libro ſumpta meritò cum hac eiuſdem inſcriptionis coniungenda videtur. Diſquiritur enim quid ligno, quid materiæ adſcribatur. Carbones neutrius appellatione continentur: ſicuti ligna cocta fumi expertia & ſulpurata *(allumettes)* proprio genere cenſentur: de ſingulis iam diſpiciam. *Carbonum.* ¶ Si lignum ſit paratum ad carbones coquendos & conficiendos, huiuſmodi materia carbonum appellatione non continetur, nec lignorum quidem: cum lignorum gratia hæc teſtator non habuerit. *d. l.55. ligni* Quid iſtas inquies minutias conſectamur: non abs re quidem. Inter immunes haberi eos, qui ſyluam infindunt, qui carbonem incidunt ac torrent Taruntenus Paternus ſcribit. *l. vlt. ¶. de iur. immunit.* Carbones monetariis & fabricenſibus præbebantur. Vegetius *lib.4. cap.8. l.18. maximarum. de extraordin. ſeu ſordid. muner. C. Th. lib.11. tit.16.* [Materiam, lignum, atque tabulata exceptorum virorum patrimonia non præbeant Carbonis quoq; (niſi eum quem moneta ſolemniter, vel fabricátio, ſecundum veterem morem, poſcit armorum) ab eiuſmodi viris præbitio deſiſtat. *& eiuſdem tit. l.18. extraordinarium.* Carbonis ab illo illatio non cogetur, niſi vel monetalis cuſio, vel antiquo more neceſſaria fabricatio poſcit armorum.] Carbonum quoque vſus vicem terminorum præſtat: quos in finibus priſci obruebant, Seuer. Boëtius *lib.3. Geometr.* [Semper ſignum, inquit, in omnibus terminis poſitum eſt. aut aliquos cineres, aut carbones, aut teſtas aut oſſa. aut vitrum ferri, aut æs, aut calcem, aut gypſum, aut vas fictile inuenimus. Carbones ex conſilio ſanè Theodori Epheſini templi fundamentis ſubiectos eſſe. Nam cum humidus eſſet locus, carbones ait omni ligni natura, ſoliditaté accepiſſe humori inuiolabilem.] Auguſtinus *lib.21. de ciuit. Dei.* [Quid in carbonibus, nonne miranda eſt, & tanta infirmitas, vt ictu leuiſſimo frangantur, preſſu facillimo cóterantur, & tanta firmitas, vt

nullo

nullo humore corrumpantur: nulla ætate vincantur. Vſqueadeò vt eos ſuſtinere (fortè ſubſternere) ſoleant qui limites figunt: ad conuincendum litigatorem, quiſquis eſt quantolibet tempore exſtitit, fixum qui limitem non eſſe contendit. In queis eos in terra humida infoſſos, vbi ligna putreſcerent, tam diu durare incorruptibilia poſſe: niſi rerum corruptor ignis efficiat?] Cui ſententiæ adſtipulatur L. Apuleius Floridor. *lib.1.* Siculus etiã Flaccus hanc adfert cauſam, quòd in ponendis locandiſq; terminis fierent ſacrificia, ibidémq; carbones ei rei fidem facturi ſternerentur. Adde quod carbones ad fundamenta ſublicationibus conficienda, ſunt idonei: quorũ naturali ſiccitate humor excipitur. Vitruuius *lib.5.c.9.* & quib. pallorum interualla impleri idem auctor eſt. *lib.3.c.3.* Denique Plin. de ignis miraculis ac medicinæ prodigiis diſputãs. *lib.36.c.vlt.* [Carbunculum, inquit, genus morbi, querneus carbo tritus cum melle ſanat: adeò in rebus damnatis ac iam nullis, ſunt aliqua remedia, vt in carbone ecce, & cinere.] *Titiones & alia ligna cocta.* ¶ Columell. *lib.1.c.7. de re rustic.* [Fumarium quoque quo materia ſi non ſit iampridem cæſa, feſtinato ſiccetur.] Lignis ἀκάπνοις veteres vtebantur. Dion Chryſoſtomus *oratione 48.* πολιτικ. ἐν ἐκκλ. Οὔτε γὰρ ξύλα χλωρὰ οὐδεὶς τίθησιν εἰς συντίθησιν. ὥστε καπνὸν, προσέδ ὡς ὅτι ἀνάγκη γένεσθαι καπνὸν πολὺν καὶ ἄτοπον. id eſt. Neq; enim quiſquam ligna viridia ad cõburendum ſtruit, quin multum inde & ingratum neceſſariò excitari fumum experiatur. Quare Cic. C. Verri (3. *actione*) exprobrat quòd ignem ex lignis viridibus, atq; humidis fieri iuſſerit, vbi hominem fumo excruciatum ſemianimem reliquerit. Focos apud maiores, ſine ſpiraculo fumi emiſſario (*chemineés*) cõſtitutos quidã adſtruunt, inter hos Brodæus & Philander in Vitruuium. Quorum ſententiæ cum hic adſtipulatur locus, tum quòd nuſquã ab iis, qui ædium ſtruendarum parteis & membra recenſuerũt, vlla vaporariorũ mentio habeatur, eiq; nunc viſitatæ, apud priſcos ignotæ ne nomen quidẽ auditũ. Nam caminus latinè ſcientibus, fornax, non id quod vulgò cluet. Fumarium vectigal, ὁ καπνικὸν τέλος, ὁ καπνικὸν καλεῖν εἰώθασιν; Cedrenus non vno in loco cõmemorat. Sed hoc aliàs. *Parata.* ¶ Singulariter notandum: quòd cum ea forma quicq; conſummationem accipiat. *l.9. Iulianus. ad exhib. l.13. mulieris. §. h.t.* non videri ea, quæ ad aliquod opus parantur, eodem eſſe iure: vt quæ ad faces, ſulpurata, & carbones materiæ parentur: neq; lignorũ neq; carbonum, neq; facum, neq; ſulpuratorum appellatione comprehẽſa, propriam ſpeciem efficiant hic. *& d.l.55. lign.* Sic quæ parata ſunt, vt ædificio imponantur, ædificij nõ ſunt. *l.17. fundi. de act. empt.* Vt nec pupillaris pecunia in arcam repoſita ad prædiorum comparationem deſtinata, & citra permiſſum prætoris ab executore ſolet capi, & in cauſam iudicati cõuerti: tanquam mobilis. *l.15. à diuo. de re iudic.* Quamuis oratione Seueri rem ſoli pupillarem ſine cauſæ cognitione & prætoris decreto tutores diſtrahere prohibeantur. *l.1. l. pen. de reb. eor. & tit. C. de præd. & al. reb. min.* *De nucleis oliuarum.* ¶ Columel. *lib.12.c.5.* [Exemptis nucleis ipſas nuces pineas vacuas, numero quinq; vel ſex incendunt, & ardentes eodem demittunt: alij nucibus ſapineis ardentibus idem faciunt.] An autem fuerint nuclei amygdalarum noti ætate Catonis videtur Plinius dubitare. Palmarum autem ſyluas cædnas refert *lib.13.cap.4.* De nuce pinea Athenæus *lib.2. ex Theophraſti*, τὸ μὲν δένδρον πιτυΐδα ὀνομάζει, τὸν δὲ καρπὸν, κῶνον. & pòſt. οἱ στρόβιλοι πολύτροφοι μέν εἰσι. Exſtat Romæ in inſula Tyberina vetus de ſtrobylis inſcriptio eiuſmodi: αἷμα ἀναφέροντι Ἰουλιανῷ ἀφηλπισμένῳ ὑπὸ πάντων ἀνθρώπων ἐχρημάτισεν ὁ θεὸς, ἐλθεῖν καὶ ἐκ τοῦ τριβώμου ἆραι κόκκους στροβίλου καὶ φαγεῖν μετὰ μέλιτος, ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας καὶ ἐσώθη. *Balanis.* ¶ Ineptè antea *Bellaria*: nam & nucum putamina vrebantur. Sudas alicunde refert, ὅτι οἱ τὰς βαλάνους ἐσθίοντες τὰ κελύφη ἔκαιον. glandes comedebant, putamina cremabant.

CLXVIII. PAVLVS lib. iiij. ad Sabinum.

PALI & perticæ in numerum materiæ redigendi ſunt: & ideo lignorum appellatione non continentur.

ALCIATVS.

PALI. ¶ Pedamentorum, quæ vitium adminicula ſunt, tria ſunt genera: vnum robuſtum ſeu fiſſile ex quercu, vel iunipero, quod appellatur ridica: alterum eſt è pertica, qui palus dicitur, hicque teres eſt: tertium ob inopiam ex harundineto ſumitur, ſicq; M. Varro, & L. Columella tradiderunt. ¶ Hæc pedamenta, quæ & ſtatumina vocantur, lignis legatis non continentur, quoniam in materia ſunt, & alium vſum, quam ignis præſtant. Putauerim tamen, cũm propter vetuſtatẽ amplius in vineæ vſu eſſe non poterunt, præſtanda: nam ratio Pauli tunc locum non habet: nec enim amplius in numerum materiæ rediguntur, imò tunc ſolent patres familiarum eos palos comburere.

BRECHÆVS.

PALI. ¶ Tradit M. Varro *lib. de re ruſt.* inter alia vitium genera, eſſe quaſdam humiles quæ ſunt ſine ridicis, vt in Hiſpania: alias ſublimes, vt quæ appellantur iugatæ, vt pleræque in Italia: quarum nomina duo, pedamenta & iuga. Quibus ſtat recta vinea, dicuntur pedamenta, quæ tranſuerſa iunguntur, iuga: ab eo quoque vineæ iugatæ. Iugorum genera ferè quatuor. Pertica, Arundo, reſtes, & vites. Pedamentum item ferè quatuor generum. Vnum, robuſtum quod optimum ſolet adferri in vineam è quercu ac iunipero, quæ vocatur Ridica. Alterum, palus è pertica. Tertium, quod horum inopiæ ſubſidio miſit arundinem. Quartum pedamentum eſt natiuum eius generis, vbi ex arboribus in arbores traductis vitibus vinea fit, quos traduces, quidam Rumpos appellant. Pedamentum itaque quo pedanda eſt vinea, vel palus, vel pertica, vel ridica. De quo etiam apud Columellam *lib.4.c.12.* ¶ Non igitur pali, perticæ, ridicæ, & cætera id genus lignorum appellatione contineri debent: cum ipſa quidem habeant ſpecificum nomen: & operi ruſtico ſint potiſſimum deſtinata, non igni & foco: niſi forſan vel carie vel vetuſtate ſic corrumpantur, vt nulli alij rei quam igni commodius aptari poſſint: tunc in numero materiæ eſſe deſinunt. *Quod & Alciatus quoque cenſuit.*

FORN

FORNERIVS.

PALI. ¶ Totidem verbis eiuſdem auctoris eodem ea libro ſumpta ſentẽtia inculcatur *l.56.pali.de leg.3.* Pali ergo materiæ, non ligno aſcribuntur. Plinius *lib.17.cap.20.* de ſalicto & harundineto & cæteris cæduis ad perticas & palos. Fl. Vegetius *lib.2.de re milit. c.vlt.* [haber quoque dolabras, ſecures,aſcias,ſerras,quibus materia ac pali dolantur atque ſecãtur.] Idem *lib.3.c.5.* Præterea ſyluam cædere,materiam dolare.*& lib.4.capite,qua obſeruatione ſit cædenda materies?* Sylua palaris *l.9. item ſi fundi.de vſufructu.* Siculus Flaccus *de limitibus agror.* [Si pali lignei pro terminis diſpoſiti ſunt, aut congeries, lapidum.] pali ſacrificales, pali picati pro terminis babiti: apud varios auctores de limitib.agror. ζυγώματα, pedamenta & iuga quibus vites rectæ ſtant, & tranſuerſæ iugantur. iugatæ vites dicuntur. L.Columellæ *c.4.& 5.de arborib.* Pedamenta, & ridicæ & pedatura, in teſtamento Remigij epiſcnpi Rhemenſ. [Vitinm pedaturam,quæ ſuæ iungitur vineæ,du lego.] in capite ea teſtamentn M.Megonij: [Ea prædiis meis palum dari volo omnib.annis ſufficiens pedaturæ vineæ quam Angnſtalibus legaui.] Quamquam murorum pedatnta alio ſenſu Theodorico dicatur,apud Caſſiodnrum.*lib.5.epiſt.9.* de Tridentino oppido mnniendo, & in antiqno lapide, [Huic areæ cedet: in qua pedatura neque hnmari, neque tumulnm fieri volo: vt habeat area & à tergo & à latere acceſſum ſuum.] Vlpian. Ea quæ ſolo cõtinetur inſtrumenti fundi nun eſſe Caſſius ſcribit: Veluti arundineta, & ſalicta,antequam cæſa ſint. Quia fundus fundi inſtrumẽtum eſſe non poteſt. Sed ſi cæſa ſint, puto contineri:quia quærendo fructui deſeruiunt.idem & in palis erit dicendum. Alphenus. Vineę & eius inſtrumento legato,inſtrumentũ vineæ nibil eſſe Seruius reſpondit,qui enm conſulebat,Cornelium reſpondiſſe aiebat,palos,perticas,raſtros,ligones inſtrumenti vineæ eſſe,quod verins eſt.*l.12.quæſitũ. l.16.vineæ.de fund.inſtruct.& inſtru.leg.* A pertica pergula. *l.19.heres.de ind.l. vlt.de excuſat.artific.C. Th.l.5.in fi.de iis qui deiecer.vel effud.* Palus inter cætera lignum protenſum & affixum, in quo poſſit aliquid ſuſpendi.πάτταλος. Homeri ſcholiaſtea *Iliad.E.* id eſt,ξύλον ἐπίμακες ἐμπεπηγμένον,περὶ ὃ κρεμᾶται ὅπερ δεῖ. Inde Iul.Polluci,πασσάλῳ ἀνακρεμάσαι: clauo appendere,pro negligere. Diuerſum eſt,palo militari exerceri:apud Lucianum in Demonacte,Senecam *lib.2.epiſt.18.* Cuius rationem & vſum deſcribit Vegetius *lib.1.cap.11.* Sed hoc nihil ad noſtrum inſtitutum attinet.

CLXIX. IDEM lib. v. ad Sabinum.

NON tantùm in traditionibus,ſed & in emptionibus, & ſtipulationibus, & teſtamentis adiectio hæc [vti optimus maximúſque eſt] hoc ſignificat:vt liberum præſtetur prædium,non vt etiam ſeruitutes ei debeantur.

ALCIATVS.

NON TANTVM. ¶ Qui fundum tradit, vendit, legat, ita vti optimns maaimúſque eſt, non illi quidem ſeruitutem deberi ait,ſed nemini enm debere: qua de re ſuprà à nobis tractatũ eſt. Sed quid, ſi fundus ea cum clanſula venditns, obligatione aliqua propter munera publica affectus ſit? Et ſi venditor ſciens emptorem eius obligationis uon admonuerit, Aretinus reſpondit, *Conſi.105. in fin.* quanti minoris emptor comparatnrus rem erat,poſſe venditorem conneniri,nec eius adiectionis prætextu excuſari. Sed & Paulus Caſtrenſis non imputari boc caſu emptori exiſtimauit, *Conſil. 195.in 1.in nouis.* ſi cùm generaliter ſciret fundum obligatum,minime diligentiam adhibuit, vt quantitatem, ſummámque debitæ pecuniæ certius explnraret: cùm enim eius declaratiu ad venditorem pertineat,tutò negligere potuit,qui ius ſunm non diminui ſciebat.*l.ſicut.§.non videtur. ff.quibus modis pign.* niſi ſpecialiter fuiſſet admonitus. ¶ Erat autem clauſula hæc & in contractibus. *l.Iulianus. §.idem Iulian.de act.empt.*& in teſtamentis apponi ſolita,qnod & antiqua inſcriptio oſtendit, quæ in Grariano oppido Montisferratiita legitur: [V. F. T. Vectius T L. Hermes Seplaciarius, mater genuit,mater recepit,hi horti ita vti optimi maximíque ſunt, cineribus ſerniant meis: nam curatores ſubſtituam, qui veſcantur ea hornm horturum reditu uatali meo, & præbeant roſam in perpetuum: hos neque diuidi,neque abalienati volu.]

BRECHÆVS.

NON TANTVM. ¶ In eam propemodum ſententiam ſcripſerat Vlpianus ſupra in *l.qui vti optima maxima*, niſi quòd Vlpianus in tradente tantùm loquitur. Hic verò Paulus non in tradente ſolum.ſed & in venditore,emptore,ſtipnlante,& eo qui teſtamentu aliquid reliquit,& hanc clauſulam adiecit.*Vti optim.maxim.* Quæ verba ſignificant,vt tradamus fundum liberum,nulláque preſſum ſeruitute. Satis eſt enim, ait Franciſcus Connanus *lib.4.cap.1.* fundum libertati & bonitati ſuæ naturali relictum eſſe,vt dicatur optimus maaimus. Quia bis verbis naturalis bonitas & magnitudo intelligitur, non alia quæcnnque quanta maaima bominum contractu poteſt aliunde acciri. Itaqne ſi vtriuſque noſtrum fundi ſunt liberi,tuo tamen debetur per vicinum agrum ſerultus,licet in eo ſit melioris conditionis quàm meus,tamen id non attenditur iſtis verbis:& optimus maaimúſque fundus meus ſimiliter ac tuus appellabitur.

FORNERIVS.

NON TANTVM. ¶ De buiuſce formulæ vſu aliquot iam locis egimns *l.90.qui vti.l.126.ſi cum fundum.l.163.illa verba.ff.h.t.* qui fundum adiecta clauſula (VTI OPTIMVS MAAIMVSQVS EST) tradidit,vendidit,legauit,illud vnum præſtabit, prædium liberum nulliq; ſeruituti obnoxium eſſe:

uun

non hoc, ſeruitutem illi deberi *d.l.90.qui vti.* Neque huic ſententiæ negotium faciunt, Sicul. Flacci, quæ *ex commentario de condit. agrorum pag.* 11. verba ſubiiciam: non enim quicquam de priuati iuris itinere innuit, ſed de via ruſtica quæ per alienos agros ex neceſſitate vicino præſtetur. [Ad omnes, inquit, agros ſemper iter liberum eſt. Nam aliquando deficientibus viis vicinalibus, per agros alienos iter præſtatur, quæ etiam conueniunt precariò, vti ſeruitutem præſtent iis agris, ad quos neceſſe habent traoſmittere peruium. Nam & in his verbis comprӕhenditur, ITA VT OPTIMVS SIT. Nam & aquarum doctus ſolent per alienos agros iure tranſmittere.] Fauori rei ruſticæ, ne agrorum cultui officiatur, indulgetur: ad quos (ſi quis vſus ſperetur) adire neceſſe ſit. *arg. l.9.ſi cui. de ſeruit.* ſicut & religionis cauſa qui ſepulcrum habet, iter à vicino precariò petet: quod ſi minus impetret, præſes compellet iuſto pretio iter ei præſtare. *l.12.ſi quis ſepulcrum. de relig. & ſumpt. funer.* Sic cum via publica vel fluminis impetu vel ruina amiſſa eſt, vicinus proximus viam præſtare debet. *l. 14. ſi locus. ſ. quemad. ſeru. amitt.* Cicero *pro A. Cecinna.* Itaque vt idem ait Flaccus, [Viæ ſæpe neceſſariò per alienos agros tranſeunt: qua non vniuerſo populo itinera præſtari videntur: ſed eis ad quorum onera, & eis ad quorum agros per eas vias peruenire neceſſe eſt.] Quædam etiam in conditionib. agrorum leges dicuntur: quæ ſi non dicantur, agri natura ſeruabitur, & ſemper inferior ſuperiori ſeruiet. *l.1.§. denique. de aqua pluu.* Columella *lib.2.c.18.* *Non etiam vt ſeruientes deb.* ¶ Quod ferè præſumitur. *l.8. altius. C. de ſeruit. & aq.* Pluris autem æſtimantur prædia libera. Contráque multum decedit de pretio fundi, qui ſeruitutem debet. quo nomine, quanti minoris ex empto, & aliæ actiones comparatæ ſunt. *l.1.ſi. l.8. ſi tibi liberum. de act. empt. l.22. ſed & ſi. de cond. indeb. l.61. quoties. de ad. edi. l.69. qui libertatis. §. pen. de euict.*

CLXX. VLPIANVS lib. xxxiij. ad Sabinum.

HEREDIS appellatione omnes ſignificari ſucceſſores credendum eſt, etſi verbis non ſint expreſſi.

ALCIATVS.

HEREDIS. ¶ Heres meus Seio centum dato, primus heres non adiuit, an ſubſtitutus, ſi adeat, tenebitur? Et dubium non eſt ad quoſcunque gradus heredis nomen pertinere. *l. hereditatis. ſ. eod.* cum omnes quoq; ſucceſſores intelligit, ſiue Iure Ciuili, ſeu prætorio, ſiue directè, ſiue per fideicommiſſum ſuccedant: ſed & qui particulariter ſuccedit, ſeu in certa re, heredis appellatione continebitur. *l. in conuentionalibus. ſ. eod.* dum vel materia fauorabilis ſit. vel res eiuſmodi ſit naturæ, vt in ſingularem ſucceſſorem tranſeat. Sed & cum quis ſibi & quibuſcunque heredibus paciſcitur de particulari quoque accipiendum erit. Roma. *l. in tempus. de vſucap.* Idem ſi heredibus & ſucceſſoribus dictum ſit. *l. fin minum. §.1. de damn. infect.* vt geminatio alicuius ſit effectus, nec alterum videatur ſuperfluum. Iaſ. *l. quidam. §.1. de edend.* Sed in hoc quidam diſſentiunt, cùm heredes de iure ciuili: ſucceſſores de prætorio intelligere poſſimus. *l. ſtipulatio iſta. habere in prin. de verb. obligationib.* quod non probo: qui enim ſic contrahit, non modò ſucceſſiones, ſed effectum cõſideraſſe videtur. Adde, quòd cùm hodie eo iure prætorio ferè nunquam ſuccedatur, non eſt veriſimile infrequentis caſus mentionem factam: nam & ſi heredis tantùm mentio facta eſſet, ſatis hoc reſponſo apparet bonorum poſſeſſoris habitam rationem. Verior itaque prior eſt ſententia, quam de facto conſultus Alexand. approbauit. *Conſil.198. in 2.*

BRECHÆVS.

HÆREDIS. ¶ Caius iureconſultus ſuprà definiuit hereditatem eſſe ſucceſſionem in vniuerſum ius quod defunctus habuit. Oportet itaque heredes, à denominatione, ſucceſſores appellari. Quare hìc Vlpianus tradidit heredis appellatione omneis ſucceſſores ſignificari in infinitum & abſolutè: quamuis idipſum verbis expreſſum non fuerit. ¶ Sed nonnihil diſtinguendum puto. Si enim de herede maſculo teſtator mentionem fecerit, ſentire videbitur de deſcendentibus, non de extraneis, vt ſcribit Ioann. Andræas in addition. Specul. *titulo de teſtamen. 6. quæſt.* Raymond. quem ſequuntur Bald. Cun. & Paul. Caſtrenſ. *in l. Gallus. §. etiam. ff. de liberis & poſthumis*, per textum cum ibidem not. *in capitulo primo. §. ſi clientulus. de alien. feud.* Bald. *in l. liberis. C. de operis libert.* Atque hoc quidem optimis rationibus comprobatur ab ipſo Ioann. Andr. *loco ſupra citato.* Video etiam quæ in hanc rem ſcripſit Panormit. *Conſi.36.* Et vt vitetur abſurdum, intelligere debemus de deſcendentibus aduerſus regul. & proprietatem vocabuli ſecundum Bart. & doctor. *in d. l. Gallus. §. etiam.* Speculator *d. titul. de teſtament. §.2. ad finem.* Bal. *in cap.1. de natur. ſucceſſ. feud.* Angel. *conſ.185. incip. chariſſimè frater. l. ex facto. §. ſi.* & ibid. Raphaël. Cumanus. *ff. ad Trebellianum.* Raphaël Fulgoſius *in l. generaliter. C. de inſtitutione & ſubſtitutione. & in l. cum acutiſſimi. C. de fideicommiſſis. l. pupillus. §. ſi. ff. de cond. & demonſtr.*

FORNERIVS.

HEREDIS. ¶ Nomen heredis etiam ſi non exprimatur, quoto gradu ſit, in infinitam ſucceſſorum ſeriem propagatur: vt heredis heres & deinceps contineatur. *l.65. heredis. ſ. h. t. l.194. qui per. ſ. tit. ſeq.* Præterquam aliquot ſpeciebus, ſcilicet pupillari ſubſtitutione, lege Ælia Sentia, operarum ſtipulatione, vſufructu, ingrati accuſatione: vbi nomen heredis, primum gradum non egreditur. *l. 77. ſciendum. ſ. hoc tit.*

CLXXI. POMPONIVS lib. xvj. ad Sabinum.

PERVENISSE ad te rectè dicitur, quod per te ad alium peruenerit. Vt in hereditate à liberto per patronum filiumfamilias patri eius adoptiuo adquiſita reſponſum eſt.

ALCIATVS.

PERVENISSE. ¶ Per rogationem adoptauerat quis filium, qui cuiuſdam liberti patronus erat, cauerátque, quod ad eum filium perueniſſet, eo impubere defuncto, his ad quos ea res pertinere potuiſſet, reſtiturum: deinde is filius liberto ſuo ſucceſſit, quæ hereditas ex regula iuris nec momento quidem in eius perſona non conſtitit, *l. placet. de acq. hered.* ſed protinus patri quæſita eſt: fuit dubitatum, an ad filium hereditas perueniſſe diceretur? Et dixiſſet aliquis, non videri perueniſſe: huiuſmodi enim verbum cum effectu accipitur, & dictio Per, illi addita perfectionem quandam acquiſitionis denotat. *l. qui concubinam. §. 2. de leg. 3.* ſed tamen in propoſito caſu aliud dicendum fuit, non ſolùm argumento, quòd etiam ſi cautio nulla interpoſita fuiſſet, nihilominus ea hereditas reſtituenda erat, quia ipſius filij reſpectu, non autem patris delata videretur, *l. ſed ſi plures. §. in arrogato. ff. de vulgar.* ſed hac etiam ratione, quia verba ſtipulationis hoc inſerunt: perueniſſe enim ad me dicitur, quod per me ad alium peruenit, dum ille iure meo utatur vt ſuperius à nobis expoſitum eſt. Idem ſi culpa mea peruenerit. Exempli cauſa: Conſtitutum eſt, & præfectus pro apparitoribus ſuis io ad teneatur, quod ad ſe peruenerit: ſi aliquid peruenerit, quamuis amplius nō habeat, vt quia per iniuriam amiſit, nihilominus tenebitur. Paul. *Clo. 1. §. Cæterum. de priuileg.* Alibi quoque proditum eſt, id ſolum perueniſſe videri, quod deductis expenſis ſupereſt, idq; in venditore hereditatis. *l. 2. §. 1. de hered. ven.* qui, quod ad ſe peruenit, tradere tenetur reſponſum eſt. Dubitatum quoque extat, an, peruenire verbum in ſubſtitutionibus directum ſit, an ſolùm fideicommiſſi vires habeat? & non eſſe directum frequentius traditum eſt. Mod. *l. centurio. in fi. ff. de vulg.* niſi additum eſſet, vt eo ipſo perueniat, vel pleno iure, vel libere: eiuſmodi enim verba eius ſunt effectus vt heredis manus expectanda non ſit. Sanè hoc in contextu adnotanda eſt conſtructionis forma, qua iuriſconſultus acquiſitam à liberto hereditatem, id eſt, de liberto dicit, ſicut cùm nos a quæſtoribus acquiſiuiſſe mancipium dicimus, hoc eſt, lucrifeciſſe, vel comparaſſe. Accurſius conſtructionis huius nouitate motus, ὑπόθεσιν, ſeu facti ſpeciem aliam fingit: quam adeò non probo, vt eam referre diſtædeat.

BRECHÆVS.

PERVENISSE. ¶ Verbum, peruenire, accommodari ſolet ad fideicommiſſa, vt in *l. coheredes mei. §. cum ita. & l. heredibus. §. ff. ad Trebellia.* Bartol. *in l. Centurio, & in l. Lucius. ff. de vulga. & pupilla. ſubſtitu.* Baldus *in l. fin. C. de ſacroſan. eccleſ.* At verò propriè peruenire dicitur quod eſt remanſurum, ſicut tradidit Vlpianus *ff. in l. aliud eſt capere.* Et idem *in l. venditor. §. perueniſſe. ff. de heredita. vel act. vend.* ſcripſit eatenus res perueniſſe ad eum videri, quatenus mandare poteſt earundem rerum perſecutiones actionéſque, vt id effectum habeat. Alioqui autem quod legatorum nomine, vel conditionis implendæ gratia quis præſtiterit, non videtur ad eum perueniſſe. Sed & ſi quid æris alieni eſt, vel cuius alterius oneris hereditarij, perueniſſe meritò negabitur. Cenſetur præterea verbu. PERVENIRE, in ſubſtitutione commune, quemadmodum ſenſit Bar. *in d. l. Centurio ſub finem.* Bald. & reliqui omnes poſt gloſſ. *in l. precibus. C. de impuber. gloſ.* & doct. *in cap. Raynutius. extr. de teſtam. & in cap. ſi pater. eod. titu. lib. 6.* ¶ Sic etiam verbum SVBSTITVO eſt commune, vt patet ex *l. 1. in hoc iure. ff. de vulga. & pupil. ſubſti.* Qua quidem littera in hanc rem aptiorem nullam eſſe in toto iure cenſent Bal. Angel. & Imola. Siquidem ſubſtitutio facta per verbum commune, in dubio, & quæſtione ancipiti, vulgarem, non autem fideicommiſſariam inuehit. Bar. *in l. Gallus. §. 1. ff. de liber. & poſthu.* Quæ quidem vulgāris expirat morte. *l. poſt aditam. C. de impuber. & aliis ſubſti.*

FORNERIVS.

PERVENISSE. ¶ Quicquid per me ad alium peruenerit, rectè id perueniſſe ad me dicitur: méque etiam cepiſſe, quod alteri acquiſierim. *l. 140. cepiſſe. ff. b. t.* Quemadmodum & ea quæ rei noſtræ occaſione quæruntur, noſtra videri poſſunt, ſeu quædam rei noſtræ acceſſiones. veluti cum res empta redhibetur, emptor tenetur venditori, quadruplum quod occaſione ſerui ob vitium redhibiti conſequutus ſit, reſtituere. *l. 45. bonem. §. ſi quis ſeruum. de adil. edic.* Dos à patre profecta, quæ filiæ beneficio amici paterni detur. *l. 5. de iur. dot.* Si quid beneficio arrogatoris acquiſiit ſubſtitutus, & hoc habebit, ſi fortè ab amico vel cognato arrogatoris quid legetur. *l. 10. ſed ſi plures. §. in arrogato. de vulg. & pupill. ſubſtit.* Seruum iuſſu mulieris manumiſit maritus: quicquid ad eum ex liberti bonis peruenerit, vxori reſtituet: ſi ex beneficio, non præſtabit. *l. 65. ſi à viro. §. quicquid ſolut. matr.* Quodcunque maritus occaſione dotis conſecutus eſt, id ipſum ſoluto matrimonio, vxori eiúſue heredibus debebit reſtituere. *l. 16. quoties. l. 52. non ſolum. de iur. dot.* Sic actio furti domino rei depoſitæ datur, vt pœnam à fure conſequatur, ſi hoc malit eligere. *l. vlt. C. de furt.* Cuius argumēto addubitatur, an dona quæ municipum legato princeps contulerit, ipſi legato cedant. an verò reip. à qua mittebatur, expoſitis mandatis à reuerſo reſtituantur. Popularius eſt, quid expreſsè actum, cuiúſque potiſſimùm gratia & contemplatione munera ſint data, diſpicere. *d. §. in arrogato. verſ. Ego amplius. l. 126. ſi ita ſtipulatus. §. Chryſogonus. de verb. ob. l. 122. ciuitatibus. de leg. 1. l. 2. l. 19. ſi cognatis. l. ſeq. de reb. dub.* In dubio ipſe dimiſſum cum muneribus legatum, quaſi operæ ac fidei pretium, ſibi liberalitatem habiturum arbitraret: iſque

que ex vſu ferè omnium gentium, ſumptis ex T. Liuio, & Polybio & aliunde exemplis oſtenditur. Sid. Apollinaris *lib. 5. epiſt. 7. Inuident mercatoribus nundinas, munuſcula legatis.* ¶ Denique actio rerum amotarum marito in vxoris mortuæ patrem datur, vt quatenus locupletior factus, quatenus ad eum peruenerit, conueniatur. *l. 3. 4. 5. rer. amot.* Peruenisſe autem videtur, quamuis ſe adrogandum alteri dederit. Quamuis enim in alienam familiam tranſierit, capitéque minuatur: & omni patri arrogatori quærat: cepiſſe tamen ipſe videtur: nec de antegeſto in arrogatorem de peculio actio dabitur. *l. 42. in arrogatorem. de pecul.* Imò & arrogatus, ſi quem antea manumiſerit, ita patronus manet, vt quamuis in adoptiua familia ſit, à liberto in ius non vocetur: & ad eius bona, tanquam legitimus ex lege Iulia Pap. heres admittatur. *l. 10. ſed ſi. §. patronum. de in ius voc. l. 23. ſi libertus. 1. l. 39. patroni. de bon. lib.* Iura enim iſta patronatus perſonalia eſſe, nec minima capitis deminutione aboleri placuit. *in titul. de acquiſit. per arrogat. l. 7. licet. l. 8. heres. de obſeq. à libert. l. 8. liberi. de aſſign. lib.*

CLXXII. VLPIANVS lib. xxxviij. ad Sabinum.

LIBERTI appellatione etiam libertam contineri placuit.

ALCIATVS.

LIBERTI. ¶ Solebant teſtatores veſtiaria, vel cibaria libertis libertabúſque ſuis relinquere. *l. 4. de alim. leg.* quod & de iuribus ſepulchrorum obſeruatum fuiſſe, ex quam plurimis inſcriptionibus conſtat. Pone teſtatorem ſolùm mentionem libertorum feciſſe, exiſtimat Vlpianus etiam de libertabus accipiendum: quod etiam in fideicommiſſis proditum eſt. Cuius rei ea eſt ratio, quòd maſculinum ſemper ſub ſe fœmininum complectitur. *l. cùm pater. §. cùm inter. de legat. 2.* vt ſuperius contractauimus. ¶ Tres autem libertorum fuiſſe ſpecies Caius *inſtitut. libro primo. titul. 1. de ſtatu hominum.* tradit. Alios enim Ciues Romanos, alios Latinæ conditionis, alios eſſe Deditities. Ciues ſunt qui his tribus modis, id eſt, teſtamento, aut in æde ſacra, aut ante conſulem fuerint manumiſſi. Latini ſunt, qui aut per Epiſtolam, aut inter amicos, aut conuiuij adhibitione manumittuntur. Dedititij verò ſunt, qui poſt admiſſa crimina ſupplicijs ſubditi, & publicè pro criminibus cæſi ſunt: aut in quorum facie vel corpore quæcunque indicia aut igne, aut ferro impreſſa ſunt, & ita impreſſa, vt deleri non poſſint. Hi ſi manumiſſi fuerint, Dedititij appellantur. Sed inter hæc tria genera libertorum ideo Ciues Romanos meliorem ſtatum habent, quia & teſtamenta facere poſſunt, & ex teſtamento quibuſcunque perſonis ſuccedere: nam Latini & Dedititij nec teſtamenta condere, nec ſibi ex teſtamento aliorum aliquid dimiſſum poſſunt vllatenus vindicare: tametſi Latini certis rebus priuilegia Ciuium Romanorum libertorum conſequi poſſunt: Dedititij verò nulla ratione poſſunt ad Ciuium Romanorum libertorum beneficium peruenire. Nam Latini patronorum beneficio, id eſt, ſi iterum ab ipſis aut teſtamento, aut in æde ſacra, aut ante conſulem manumittuntur, Ciuium Romanorum priuilegia conſequuntur: hæc Caius. Quæ verba referre placuit quod Iuſtinianus *in §. vltim. Inſtitut. de libert.* qui has differentias ſuſtulit, omnis concise, & ſuſpenſa (vt dicitur) manu, eas declarauit, tametſi ad multorum in iure veteri locorum interpretationem pertinerent. *l. qui Romæ. §. Flauius. de verb. oblig.* Nam cùm de manumiſſis vindicta mentionem reperimus, Ciues Romanos intelligimus: eo enim modo ante conſulem, ſeu, quod idem eſt, proconſulem, vel prætorem manumittebantur, fiebántque Ciues Romani, niſi aliter conuentum eſſet. *l. 1. §. illo. C. de La. lib. toll.* Perſius:

Vindicta poſtquam meus à prætore receſſi.

Hinc Corn. Tacit. *lib. 13.* eos tradit, qui vindicta manumiſſi non eſſent, aliquo velut ſeruitutis vinculo teneri. Auſonius in Grypho:

Triplex libertas, capitiſque minutio triplex.

Meminit & Boëtius *in Topica M. Ciceronis.*

BRECHÆVS.

LIBERTI. ¶ Quemadmodum pueri appellatione puellam etiam comprehendi traditum eſt, ſic liberti nomen libertam quoque ſignificare placuit, vt maſculinum cenſeatur complecti fœmininum. Cæterùm quot apud Romanos olim libertorum ſpecies fuerint, latiſſimè hoc loco explicat Alciatus.

FORNERIVS.

LIBERTI. ¶ Sicuti patroni appellatione patrona, & ſerui nomine, ancilla, fratris, ſoror intelligitur: filij, filia. *l. 52. patroni. l. 101. inter ſtuprum. ſi. l. 116. quiſquis. §. hoc tit. l. 88. Lucius. 2. §. matre. de leg. 2. l. 35. tres. de pact.* ita liberti nomine liberta quoque continetur hic. Quare ſi quis libertis alimenta legaſſit, putem & libertabus deberi. *l. 4. de alim. & cib. leg.* & patronum libertæ ſuæ non minus, quàm liberto heredem tutorémue legitimum fore. *§. ex eo enim. verſ. libertorum libertarumque. de leg. patr. tutel. Inſt.* Quamois verbis legis xij. Tabolarum patronus ad liberti tantùm inteſtati hereditatem vocaretur. *tit. de bon. libert.* Vlpianus *fragm. tit. vlt.* [In bonis libertę patrono nihil iuris, ex edicto datur, &c. *& paulò poſt.* Licet liberi ſunt libertæ, quoniam ſui heredes non ſunt matri, obſtat patrono lex Papia Popæa.] argumento eſt ea inſcriptio tit. [De bonis libertorom. De operis libertorum.] Ex mente tamen legis libertæ eodem ſunt iure. *§. ſed noſtra. verſ. libertus vel liberta. §. ſi autem. verſic. liberti libertave. de ſucceſſ. libert.* Quo fit vt hanc Vlpiani definitionem ad legitimam patronorum tutelam

lam referendam putem. *arg.l.3. de leg. tat.3.* quæ eiuſdem cum hoc capite auctoris, *ex eod.38.ad Sabinum libro* ſumitur, vti vtriuſque arguit inſcriptio.

CLXXIII. Idem lib. xxxix. ad Sabinum.

COLLEGARVM appellatione hi continentur, qui ſunt eiuſdem poteſtatis.

Alciatvs.

COLLEGARVM. ¶ Collegas Iuriſperiti noſtrates eos propriè dici opinantur, qui ſimul habitant, quaſi vnà ſe colligant: cui ſententiæ veterum autoritas aduerſatur, à quibus proditum eſt, ab eligendo collegas dictos, quaſi in idem munus coelectos diceremus: quod & Iuriſc. hic ſentit, cùm eiuſdem eſſe poteſtatis ait, ſicut erant conſules, prætores, tribuni plebis, & ſimiles. Quapropter And. Siculi rationem non approbauerim. *Barb. conſ. 17. in* t. eccleſiam collegiatam (vt ipſe ait) negantis, quoniam eius Canonici ſimul non habitarent. nam hoc nil referre verius eſt, dum aliter de eorum iure conſtet: ſufficitque ſi eligere actorem conſueuerunt. *Abb. c. à nobis. de tar. patr.* & ſigillo communi vti, aliáque eiuſmodi facere, quæ vniuerſitatum propria ſunt, eadem ratione collegia dicuntur, in quibus, qui dent nomen, eliguntur dum pauciores tribus non ſint. *l. Neratius. 3. eo.* ¶ Sic & collegium doctorum dicimus, ſic & nauiculariorum, ſic cæterorum artificum. Fuit & collegium olim poetarum. Solétque ſic aliquos ſibi præficere, vt plurimùm duumuiros, quos voce patrum Latina Abbates vocamus. Sunt & qui vnicum rectorem habeant, ſunt & qui nullum: nec enim vt collegium dicatur, neceſſarium eſt aliquem ei præfici. *Inn. c. cum non. de preb.* imò eo caſu congregandi collegij, referendiq; ius ad eum pertinebit, qui in albo prior antiquiorque ſit. *l. fi. de alb. ſcrib.* Poſſe autem eas collegas de his, quę ad artem ſuam pertinent, conſtituere, ſéque viciſſim illis decretis alligare, euidentiſſimi iuris eſt, dum tamen aliis præiudicium nullum inferant. *l. fi. C. de mur. em. sad.* vt ſi monopolium ſapiant, vel ambitioſa ſint. Vnde cùm ſemel conſtituiſſent, ne quis ſacris initiatus eſſet admitteretur: reſponſum eſt, decretum non valere. Quod tamen in collegio iudicum, quale Mediolani eſt, non cenſetur ſeruandum: nec enim huiuſmodi decreto libertas eccleſiaſtica imminuitur, cùm iure quoque canonico à ciuilibus iudiciis abſtinere eos honeſtas ſuadeat. *c. 2. ne cler. vel mon.* Sed nunquid conſtituere poſſint, vt aliquis non recipiatur, niſi omnibus conſentientibus? Et licet conſtitutio ex ſe valeat, præſertim ſi iuramentum acceſſerit, putauerim tamen, qui à maiore parte admiſſus ſit, iure admiſſum videri. Nec enim legem ſibi imponere potuerunt, à qua recedere non poſſint, tametſi periuri efficiantur. *c. dilectus. de preb.* Id enim in collegiis maior pars poteſt. *l. quod maior. ad mun.* quod totus ordo. *Bal. l. fi. C. de ant. preſt.* Et hoc maximè adnotãdum aduerſus eos eſt, qui ſinguli plurima promittunt, munificóſque ſe exhibent, cum vniuerſi eius legis prætextu nihil extricent, fidémque violent. Si tamen à principe eiuſmodi conſtitutio confirmata eſſet, non diffiteor omnem conſenſum neceſſarium eſſe. *gl. c. vos. ver. ſingulis. de elect. in 6.* Sed quam maiorem partem eſſe dicemus? & receptum eſt, duas partes ex tribus neceſſariò requiri: ſi tamen autoritate ordinarij iudicis omnes citati ſint, & quia non aduenerint contumaces habiti in his, qui paruerint, ſolis ius vniuerſitatis reſidet, tametſi minima pars adſit. Secùs ſi à collegis ſimpliciter fuerint vocati, vt quia collegium præfectis careat, vel præfecti iuriſdictionem non habeant. *Dec. in cap. cùm omnes. de conſtit.* Et ita ego cenſeo, repugnantiumque ſententias concilio.

Brechævs.

COLLEGARVM. ¶ Iam quid ſit collegium, vnde dicatur, & quàm varia fuerint apud antiquos collegiorum genera, ampliſſimè tradidimus *3. in l. Neratius Priſcus.* Idem quoque Alc. *lib. 1. praterm.* explicauit.

Fornerivs.

COLLEGARVM. ¶ Generali verbo [Poteſtatis] hîc vſus Vlpianus, collegarum nomen videtur non ad ſolos magiſtratus, pari honore ac dignitate præditos (ὁμότιμος gloſſar. vet.) ſed & ad tutores & curatores quoque retuliſſe. Nam & hi non vno in loco collegæ nominantur. *l. 1. §. inter. ſuprà, de magiſtr. conuen. l. 4. C. eod. l. 5. de ſuſpect. tutor. l. 24. etiam. l. 46. Lucius. §. penultim. de adminiſtrat. tutorum. l. 2. C. eod.* Quin & in conſortes eiuſdémque hereditatis participes idem nomen cadit. Iſidorus *libr. 10. Etymolog. l. 101. Paulus. de ſolution.* De quibus ſigillatim quædam per manus tradita præcepta ſubiiciam. ¶ Primum quamuis magiſtratui extra territorium ſuum iuſdicenti impunè non pareatur. *l. vltim. ſuprà, de iuriſdict. l. 2. C. de interdict.* Quia tamen præſides cum ſint eiuſdem poteſtatis, proinde collegæ, mutuò ſibi debent auxilium ferre, vt fugitiuos inquirere volentibus literæ dentur ad magiſtratus (*commiſſion rogatoire.*) *l. 1. l. 3. ſuprà, de fugitiu.* Cuius veſtigium exſtat *Nouell. 134.* ὅπως ὁλῇ δημοσίᾳ κεχρῆσθαι πρὸς τὸν τῆς ἐπαρχίας ἐκείνης ἄρχοντα ἢ τὸ πλημμελῆσαν πρόσωπον ἀνάγειν. Macer. [Solent præſides prouinciarum, inquit, in quibus delictum eſt, ſcribere ad collegas ſuos, vbi factores agere dicuntur & deſiderare, vt cum proſecutoribus ad ſe remittatur.] *l. 7. de cuſtod. & exhibition. reorum.* ¶ Deinde cum ſint eiuſdem poteſtatis, nec par in parem habeat imperium. *l. 3. fi. l. 4. de recept. arbitris.* non poteſt prætor apud collegam manumittere. *l. 14. apud eum. de manumiſſ. l. 18. apud filiumfamil. de manumiſſ. vindict.* Conſul verò apud collegam rectè manumittit. *l. vnic. de offic. conſul.* ¶ Tertiò quamuis omnes ſint eiuſdem ordinis ac dignitatis. Tamen antiquioribus iiſque qui liberos ſuſceperint, in dicenda ſententia, in ordine ſedendi plus defertur. *l. 6. ſpurij. ſuprà, de decurionib. l. 9. in albo. C. eodem.* Et vt quiſque priùs cooptatus fuerit, ita poſterioribus præferetur. *l. 7. vnicuique. Cod. de proxim. ſacrorum ſcrinio.*

κἂν ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ. *Nouel.5.in fi.* concil.Carthagin.can.*v* ζ.de qua aliàs. ¶ Quartò inter collegas quod à maiore id eſt altero tanto altera ſuperiore parte decernitur, perinde ac ab omnibus conſtitutum,ratum eſt.*l.3 quod cuiuſ.vniuer.l.19.quod maior.ad mun.l.46.nominationum.C.de decur.* ¶ Quintò altero collegarum valetudine,vel qua alia iuſta cauſa impedito alter vicem ipſius obibit. *d.l.vnic. de off.conſ.* vſitata veteribus formula, A. A. V. id eſt ambo alterue. Cic.8. & 9. *Philip.l.4.C.de aduoc.diuer. iud.* Frontinus *lib.2.de aquad.* ¶ Sextò Collegæ ex adminiſtratione ſi quidem idonei ſint,pro virilibus tenentur: ſin alter ſoluendo non ſit,alter in ſolidum conuenietur.ſiue ſint magiſtratus. *l.2.§.ius reip. de adm.rer.ad ciuit.pert.* quorum officium indiuiduum eſt, ac periculum commune. *l.11. imperator. ad mun.cum ll.ſeqq.l.1.§.ſi inter.§.ſi magiſtratus. l.antep.ff.de magiſtr.conuen. l.3.l.4.l pen.C.eod.* Sed ſi tempore depoſiti officij collegam ſoluendo fuiſſe probet,abſoluetur. *l.1.C.de diuid.tut. l.2.C.quo quiſ.ordo conu.* Siue ſint tutores. *l.3.C.de prob.l.31.diui.l.55.tres tutores.de adm.tut.* etiamſi tutelæ prouinciam diuiſerint. *l.2.C.de diuid.tut.l.2.C.de peric.& adm.tut.* Sibi enim debet imputare, qui collegam non detulerit, vt remoueretur. *d.l.2.l.46.Lucius. §.Sempron. ff.de adm.tut.* Verum quadruplex beneficium, nempe ordinis, diuiſionis, vtilis actionis, & cedendarum actionum habet, quod non eſt huius loci. ¶ Septimò collegiati collegæ mortuo inteſtato nullis legitimis relictis heredibus,ſuccedunt,excluſo fiſco. *l.1.§.1.quod cuiuſ.vn.l.20.ſi quis presbyter.C.de epiſc.& cler.l.5.§.negociatores. ff.de iur.im.* Meritò, tum quòd ob collegæ nominationem obnoxij fiſco manent. *l.vlt.C.de hered.decur.* Tum quòd ad eos onus tutelæ redundat collegarum, niſi vltra centeſimum ab vrbe miliarium, aut niſi ſint è corpore piſtorum vrbicorum: ac per ſemet piſtrinum exerceant. *l.41.adminiſtratores. l.ſeq.l.vlt. ff.de excuſ.tut.* ¶ Octauò priuilegia collegio conceſſa, (veluti piſtorum & medicorum intra numerum) ita demùm valent, ſi ipſi non ſint otioſi & ignaui: ſed artem per ſeſe exerceant, vt fraudulentum nudi nominis velamen immunitatem nemini tribuat. *l.9.qui ſub.C.de ſacroſan.eccl.l.vn.C.de collegiat.l.lib.11.* Quod maxima æquitate conſtituitur in medicis,piſtoribus,tabellionibus,Philoſophis ac cæteris. *Nouel.44. de Tabellion.l.8.in honoribus.de vac.mun.l.6.§.grammatici. l.vlt.de excuſ.tut.l.pen.& vlt.C.de milit.teſt.* ¶ Poſtremò vna eſt reip.procuratio,quaſi tutela quæ duobus geritur: cùm plures collegæ magiſtratum gerunt,vnius vicem hominis ſuſtinent.*l.10.meminiſſe.ver.cum ſit vnus proconſulatus.de off.proconſ.l.25. magiſtratus.ad munic.* quod & in pluribus imperatoribus obtinet. Quanquam ante Valentinianum, collegam ſibi non adſumerent. De quo ſic Am. Marcellinus, [In hoc tamen negotio Valentinianus morem inſtituti antiquitus ſupergreſſus, non Cæſares, ſed Auguſtos Germanum nuncupauit & filium,beniuolè ſatis. Nec enim quiſquam antehac adſciuit ſibi pari poteſtate collegam, præter principem Marcum, qui Verum adoptiuum fratrem abſque deminutione aliqua maieſtatis imperatoriæ ſocium fecit.] Hæc ille *lib.27.* *Euſdem poteſtatis.* ¶ ſiue in magiſtratibus.*l.215.poteſtatis.ff.h.t.* quòd ſimul(vt Varroni placet) legerentur,ſiue in tutoribus.Nam & tutela ipſa a Seruio poteſtas definitur. *l.1.ff.de tutel.* ſiue in legatis pluribus mandata reip.obeuntibus. *l.2.C.de legat.* vel ſacerdotiis, quo qui funguntur,collegæ ſunt.Nam D.Aug.epiſcopum collegam vocat *lib.22.c.8.de ciuit.Dei.* Deniq; quicunque in idem corpus & collegium cooptantur, & alleguntur, collegæ ſunt. *d.l.vlt. de hered.decur.* & collegiati *d.l.vn.C.de colleg.d.l.9.qui ſub.* Quo nomine eos etiam ſignificari tradit Iſid.*lib.9.Etymol. c.4.* qui ob delictum, collegij cuſtodiis & oneribus addicebantur. non quidem vt ipſi collegæ eſſent, ſed curiæ miniſteriis quaſi in pœnam mancipaterentur. *Obſequio curialium dedi.* *l.1.de cur.pub.C.Th.* curiæ tradi, ὑπηρετεῖν τῷ βουλευτηρίῳ. *Nouel.de Nothis 89.* & τῇ βουλῇ τῆς πόλεως ὑπηρετεῖν. *Nouel.123.* ὑπηρέτας εἰς τὰς βουλάς. *Nouel.101.* Sed Gratian.Valent.& Theodoſ.ſupplicij loco quemquam curiæ deputari vetant. [Ne quis officialium pœnæ ſpecie atque æſtimationis curiæ dedatur.] *l.38.ne quis.C.de decu.* vbi obiter quod rariùs occurrit,animaduertas licet,æſtimationem pro pœna vſurpari, *vt et l.1.ſi fam. furt.fec.l.5.ff.de leg.Aquil.l.41.ſanctio.ff.de pœn.*

§. 3. QVI extra continentia vrbis eſt,abeſt. Cęterùm vſque ad continentia non abeſſe videbitur.

ALCIATVS.

QVI EXTRA. ¶ Abſentium procuratores rem ratam haberi. *Gl.l.præſens.de procur.* aut iudicatum ſolui ſatiſdare debent,præſentis non debent. Quæritur ergo quis abeſſe dicatur. Et Iuriſcon. reſpondet, eum abeſſe, qui extra continentia vrbis eſt, id eſt,ſuburbia, & quatenus ſe vrbs continet. Vulgati codices continentiam fœminino genere ſcriptum habent, ſed ratio Latini ſermonis hoc non patitur: neutro itaque genere pronunciandum eſt. Sanè verbum id abeſſe, variis modis in iure accipi, ff.*in l.mulieris*,oſtendimus,vt minimè operæpretium ſit ea,quæ diximus,repetere: tametſi & ff. Iuriſc. de eodem non nihil ſcribat.

BRECHÆVS.

QVI EXTRA. ¶ Vrbis continentia quæ dicantur,ſatis ſupérque traditum eſt & declaratum in *l.2.in l.vt Alphenus.& in l.ædificia. éſtque in l.qui in continentibus. ff.h.tit.* At verò quid abeſſe,& abſentem eſſe ſignificet, diximus *in l.mulieris.§.abeſt.ff.h.tit.* & dicetur latius *in l.abſentem. ff.hoc ipſo titulo.*

FORNERIVS.

QVI EXTRA. ¶ Quam variè pro ſubiecto cuiuſque rei argumento abſentiam iuris auctores definiant, in vſucapionibus, iudiciis, in negotiis contrahendis, ſtipulationibus, rebus agendis:

Deniq

Denique (quod huius loci proprium ſimilitudo inſcriptionis agnoſcit *l.1.* ſ. *de tut. & cur. dat.*) in tutoribus dandis: multò vt ſpero commodiùs tractabitur *l.199. abſentem. & l.109. coram.* ſ. *h.t.*

CLXXIIII. IDEM lib. xlij. ad Sabinum.

ALIVD eſt promittere furem non eſſe, aliud furto noxáque ſolutum. Qui enim dicit furem non eſſe, de hominis propoſito loquitur: qui furtis noxáque ſolutum, nemini eſſe furti obligatum promittit.

ALCIATVS.

ALIVD EST PROMITTERE. ¶ Qui vendit mancipium, tenetur id præſtare. *l.1. in prin. de adil.* cum furto, noxáque ſolutum: quæ verba hoc ſignificant, & tempore, quo venditur ſolutus ſit. Vnde quamuis aliquando furtum fecerit, ſi tamen ea noxa ſit liberatus, redhibitioni locus non eſt. At qui furem non eſſe dicit, de moribus dixiſſe videtur, & ideo hoc præſtare debet, quòd nunquam furtum commiſerit. *l. quod ſi nolit. §.1. eod. tit.* Sed & ſi ipſi venditori quandoque furatus fuerit, non dubitatur quin ex ſtipulatione emptori ſuccurratur. Sed finge venditorem, vt iudicium euitet, aſſerere, nullum furtum ſibi à ſeruo vnquam factum fuiſſe, ſed ſeruum ſe volente accepiſſe, & propter familiaritatem, quàm cum ſeruo dominus habuit, fortè credendum ei videretur, cùm traditum ſit admitti eam excuſationem, qua dominus rei, vt furem liberet, ſua ſponte rem ablatam atteſtatur. *Bart. l. inter. §. rectè. de fur.* ſi ex amicitia, vel familiaritate, quam cum domino is, qui furti reus eſt, habebat, veriſimile id ſit. ¶ Quæ ratione deprenſi in concubitu, & adulterij accuſati ſe excuſant, ſi coniugium contraxiſſe aſſeuerent, eorúmque affirmatio veriſimilis ſit. *Gl. l. pen. C. de fideiuſ. Fel. c.1. de præſcr.* Sed in propoſita quæſtione eam aſſertionem emptori non obeſſe exiſtimauerim: cùm enim integritatem morum, & propoſiti, id eſt, voluntatis ſerui pollicitus venditor ſe præſtiturum videatur, non ſufficit, ſi ſua ſponte ablatam rem dixerit, niſi & hoc probetur credidiſſe ſeruum, qui abſtulit, ſe voluntate domini auferre.

BRECHÆVS.

ALIVD EST. ¶ Si quis ita ſtipulatus ſit: promittis quem mihi vendis hominem, furem non eſſe? & promiſerit venditor, ſi poſtea furtum venditus homo admiſerit, tenebitur venditor. Vlpian. *in l. quod ſi nolit. §. ſi venditor. ff. de adil. ed.* perinde eſt enim ac ſi promiſiſſet eundem hominem iis animi præditum moribus eſſe, vt nunquam furtum admittere velit, hócque animi vitio carere. Quod ſi aliter ſtipulatus ſit emptor, furto noxáque ſolutum, venditorem conueniri non poſſe, propter eas noxas quæ publicè coerceri ſolent, Paulus cenſuit *in l. Lucius. §. ex his verbis. ff. de euict.* Etiam ſi ignorans venditor promiſerit fugitiuum ſeruum non eſſe, præſtare emptori oportere, Neratius ait. Idem Neratius, ſi alienum ſeruum vendideris, furtis noxiſque ſolutum, præſtare debere, ab omnibus receptum eſſe: hoc idem ſcripſit Vlpian. *l. ex empto. §. etiam ſi. ff. de act. empt.* Rem enim qui vendit, eandem minimè vitioſam vendidiſſe, intelligendus erit: cum ſi quid vitij deliteat, id declarare teneatur: ſed nec temere eandem non vitioſam aſſeuerare debet, vt eſt *in l.1. §. venditor. & l. Iulianus. ff. de act. empt.* Qui igitur furem dicit non eſſe, de habitu loquitur & furandi propoſito. Qui dicit furto noxáque ſolutum, intelligi oportet quòd nec furtum admiſerit, nec quoduis aliud eiuſmodi maleficium, ob quod pro noxa dari debeat, & noxali iudicio ſubditum non eſſe. Ergo ſi noxam commiſit, nec permanet noxa, ſolutus videtur *l. quis ſit fugitiuus. §. quod aiunt adiles. d. tit. de adil. edict. gl. in d. l. ex empto. §. etiam ſi ignorans.* Cæterùm qui non promiſit furem non eſſe, præſtare non tenebitur, niſi ſciens vendiderit. Tunc enim præſtare tenebitur quanti emptoris interfuerit non decipi. Si verò ignorans vendiderit, circa fugitiuum quidem tenetur quantò minoris empturus eſſet, ſi eum fugitiuum eſſe ſciſſet. Circa furem, non tenetur. Differentiæ ratio hæc eſt (ait Vlp. *in d. l. Iulianus.*) quia fugitiuum quidem habere non licet, & quaſi euictionis nomine tenetur venditor: furem autem habere poſſumus. Quapropter, ait Martianus *in l. ſi furtum. d. tit. de adil. edict.* ſi furtum ſeruus domino fecerit, non eſt neceſſe hoc in venditione ſerui prædicere, nec ex hac cauſa redhibitio eſt. Sed ſi dixerit abſolutè hunc furem non eſſe, ex illa parte tenebitur quod dixit promiſeritue præſtare. Sed & ſi dixerit venditor artificem eſſe, cum tamen non ſit, hi quia quod aſſeuerant, non præſtant, aduerſus dictum promiſſumue facere videri, ſcripſit Vlp. *in d. l. quis ſit fugitiuus. ad fin.*

FORNERIVS.

ALIVD EST. ¶ Quoniam noxa caput ſequitur, id eſt, noxij ſerui poſſeſſorem obligat. *l. vlt.* ſ. *de nox. act. l.1. C. eod. l.4. C. an ſer. ex ſuo fact. poſt man.* qui mancipia emebant, ſolebant à venditoribus ſtipulati, ſeruum aut non eſſe in futurum. (Quod hominis propoſitum, Vlpian. vocat, [illegible]) Aut verò furtum ab illo commiſſum non eſſe: cuius nomine emptor noxali iudicio conueniatur. Prior quidem ædilitiæ ſtipulationis formula in futurum, poſterior verò in præteritum confertur, Illa furem fugitiuúmue non eſſe: hæc furto noxáque ſolutum ac liberum *l.45. ſi à ſubſtituto. de leg.1.* Seneca *lib. 7. controuerſ. 6.* [Fugitiuum, erronem non eſſe ſcimus: relegamus auctoritatis tabellas, FVRTIS NOXAQVE SOLVTVS: hæc generi noſtri laudatio eſt.] Quidam exiſtimabant, hanc ſtipulationem [Furem non eſſe, veſpilonem nõ eſſe, fugitiuum non eſſe, ſanum eſſe] inutilem. quia, ſi ſeruus in ea cauſa ſit, impoſſibile eſſet, quod promitteretur: ſi minus, fruſtrà caueretur. ſed Vlp. in id quod intereſt nihil horum fieri, vtilem, imò plures videri ſtipulationes ædilitias duplæ, non vnam putat. *l.31. ſi ita. l. ſeq. de euict.* Sed hìc animaduertendum eſt, tẽpus venditionis inſpici: nec ſi quid poſtea furti fecerit, ex ſtipulatione duplæ emptorẽ acturum. Quãuis ſi emptori (furtis noxiſq; ſolutum ſtipulato) furtum paſſus heres extiterit,

incipiat furti habere actionem:perinde ac ſi eam noxam alij præſtitiſſet. *l.3.l.30.ſi empteri.ꝫ.de euictio.* Sed & ex verbis ſtipulationis duplæ, [Eum hominem qoo de agitur noxa ſolutum] venditorem conueniri non poſſe placet,propter eas noxas,quæ publice coerceri ſolent. *l.11. Lucius. ꝫ.de euiction.* id eſt,quæ coercitionem capitalem habent, interprete Iuliano. *l.200. hac ſtipulatio. ꝫ.h.t.* Sanè ex frequenti vænaliciatiorum in ſeruorum venditionibus ſtipulandi conſuetudine, non dubitem detritâ vltimâ literâ, apud Vlpianum, mendosè in Florent. codice ſcriptum, [Furti noxáque ſolutum eſſe promiſit.] *l.3.ſi fam.fur.fec.dic.* pro *furtis*.vt hic.& *l.vlt.de ser.pecu.*& paſſim. Varro, [Illum hominem quo de agitur,ſanum eſſe,furtis noxiſque ſolutum, ſi mancipio non datur, duplum dare ſpondes?] τὸ μὴ κλέπτειν. Philoſtr. *lib.3.de Apollonio Tyaneo.*

CLXXV. Pomponivs lib. xxij. ad Sabinum.

FACIENDI verbo,reddendi etiam cauſa continetur.

Alciatvs.

FACIENDI. ¶ Quæ in fraudem creditorum facta eſſent,reſtitui prætor iubet. *l.omnes. in fin. quæ in fraud. cre.* Finge in fraudem creditorum illud quod ſub conditione,vel in diem debebam,me creditori ante tempus reddidiſſe,an creditoribus conſuletur? Et indubitati iuris eſt conſuli, factum enim dicitur,quod eſt redditum. Quapropter & cùm prætor,ſi quid metus cauſa factum affirmaretur, auxilium pollicitus eſſet. *l.extat.quod met.* D.Marcus edicto declarauit,id quoque factum videri,cùm per metum ſibi rem ſuam non adito iudice,aliquis debitorem reddere compuliſſet. Sanè cùm ſtipulationes aliæ in facto,aliæ in dando conſiſtant. *l.2.ꝫ.de ver.obl.* ea quæ de reddendo eſt ſi actum ſit,vt in continenti reddatur. *l.ſi pœnam.de ver.ob.* magis facti quàm dationis exiſtimatur. *Bald.cùm allegas.de vſur. C.* tametſi & negari non poſſit, verbum facere tam generale eſſe, vt & dationem comprendat, quod ꝫ.ſuo loco dicemus:qui enim dat,proculdubio aliquid facit.

Brechævs.

FACIENDI. ¶ Cùm prætor ait,ſi quid metu aut vi factum geſtúmue ſit,ratum non habebo,intelligit etiam,ſi quid datum,redditum,ſolutúmue ſit. Nam hoc loci,faciendi verbum eam vim habet. Videto amplius in hunc locum Alc.

Fornerivs.

FACIENDI. ¶ Nihil non πολύσημον hoc verbum denotat, latiſſimáque ſua vi omnium penè verborum ſignificationem complectitur:facere eſt,viuere,ſoluere,dare,numerare, ambulare,iudicare. *l.189.facere.l.218.verbum facere.ꝫ.h.t.* & vt hic Pomponius ait, reddendi etiam cauſa continetur, τῷ ῥήματι τοῦ ποιῆσαι, καὶ ὁ τοῦ ἀποδοῦναι αἰτία περιέχεται. Pauliana actione ea quæ debitores in creditorum fraudem fecerint reuocantur:Iulianus in fraudem factum interpretatur,prçmaturam dotis redditionem. *l.17.omnes.ſi.quæ in fran.cre.* Factum vi metúue reſcindit Prætor,re reſtituta,id eſt reddita. *l.9.metum.§.ex hoc.ꝫ.quod me.cau.* Qui tranſegit,qui ſi in lite vinci voluit,qui diem actionis exire patitur,in fraudem feciſſe patroni videtur. *l.1.ſi quid in fran.pat.*

CLXXVI. Vlpianvs lib. xlv. ad Sabinum.

SOLVTIONIS verbo ſatisfactionem quoque omnem accipiendam placet. Soluere dicimus eum,qui fecit quod facere promiſit.

Alciatvs.

SOLVTIONIS. ¶ Quid ſolutionis,liberationis,ſatiſdationis,ſatisfactioníſque verbo contineatur,ſuperius à nobis traditum eſt. Hic ſolùm admonendi ſumus,procuratorem qui ſolutioni recipiendæ conſtitutus ſit,ſi delegationem aliámue ſatisfactionem recipiat,debitorem non liberare : vt enim ſolutionis verbum verum ſit omnem ſatisfactionem accipi,tamen cùm aliud pro alio,inuito creditore,præſtari non poſſit,qui mandat, vt ſolutio recipiatur, mandaſſe id intelligitur. vt in ſpecie debita recipiatur:& ideo abſque domini conſenſu,procurator reum debendi liberare non potuit,idq; Alex. *conſ.95.in 3.* in facti quæſtione reſpōdit,quod & nos probamus. Dum ergo hic omnem ſatisfactionem contineri dicitur,ſubinferendum eſt. *l.item liberatur.in fi.quib.mod.pig.* quam tamen creditor acceptare voluit. Addit Bart.quoties lex pecuniam ſolui vult,de alia ſatisfactione intelligi non poſſe,quod à nobis ſuperius explicatum eſt. ¶ Illud conſtat procuratorem ad recipiendum ſolutionem conſtitutum,ſi confiteatur ſe recepiſſe,debitorem non liberari, niſi vera denumeratione aliter conſtaret : idque frequentiùs receptum eſt : quoniam ſi de numeratione non appareat, qui confitetur, donare videtur:at huiuſmodi mandato non eſt exiſtimandum id actum,vt donare liceat. *Bar.l.2.in fi.ſi cert.pet.* Fuere tamen, qui hoc in articulo diſſentirent, quorum ſententia hac mihi videtur ratione defendi poſſe. nam cur non ea ſit interpretatio, vt de donando mādatum videatur,ratio illa prodita eſt,quòd qui donat, perdit, rémque ſuam prodigit : quod in noſtro caſu non eſt,cùm poſſit dominus aduerſus procuratorem agere vt rationes reddat,reſtituátque,quod ſe recepiſſe confeſſus eſt,quòd ſi ſoluendo procurator non ſit, æquius eſt, vt domino id imputetur qui huiuſmodi procuratorem elegit, quàm creditori,qoi bonam fidem ſequutus ei ſatisfecit,& apocham recepit. Et ſatis durum videtur ad debitorem id pertinere,vt probare debeat veram numerationem interueniſſe,vt ſic in domini facultate ſit procuratorem eligendo,duriorem debitoris conditionem facere. Et fortè verior hęc opinio eſt, niſi quòd vt in cæteris rebus,ſic in iure numerantur plerunque ſententiæ,non ponderantur.

Brechævs.

Solvtionis. ¶ Quid ſoluere, & ſolutionis verbum ſignificet, ſatis expoſuimus ſ. in *l. liberationis verbum.* Quo loco Paul. ſcribit liberationis verbum eandem vim habere quam ſolutionis. Et alibi *in l. ſolutionis verbum. ff. de ſol. & lib.* Solutionis verbum, inquit, ad omnem liberationem quoquo modo factam pertinet: magíſque ad ſubſtantiam obligationis refertur, quàm ad nummorum ſolutionem. Quamobrem qui quouis modo creditori ſuo ſatisfecerit, is ſoluiſſe cenſendus erit. Vnde tradidit Vlpianus ſatisfactionem pro ſolutione eſſe, *in l. ſatisfactio. d. tit. de ſol. & lib.* Sed idipſum ſic accipiendum fuerit, videlicet, ſi eandem ſatisfactionem creditor acceptauerit. Ecce enim qui condemnatus eſt vt pecuniam ſoluat, ſiquidem pecuniam ſoluere paratus non ſit, ſed fideiuſſoribus idoneis cauere & expromiſſores dare: quoniam à iudicato hoc exigitur vt pecuniam ſoluat, nec ſoluere quidem nec ſatisfacere cenſebitur, nec ideo liberabitur, ex Labeonis ſententia *in l. ſi ſe non obtulit. ff. de re iud.* Hoc igitur loco diſtingui oportet ſecundum Bart. ſententiam *in d. l. ſolutionis verbum.* aut naturaliter & lata ſignificatione ſolutionis verbum accipitur, aut cum adiecta qualitate. Siquidem lata ſignificatione & naturaliter accipias, ad omnem liberationem quoquo modo factam pertinet, ſeu legitimis expromiſſoribus cautum ſit, ſeu compenſatione deductionéue debitor ſit vſus. vt *l. amplius. ff. rem rat. hab.* vel ſi ei acceptum feratur. *vt l. intra dies. d. tit. de re iud. d. l. ſi ſe non obtulit. §. ſoluiſſe.* vel ſi fundi mei fructos creditor acceperit, aut alimenta præſtiterit, aut nouatione, ſtipulatione, acceptilatione reliquíſque id genus modis liberatus ſim. Nam hæc magis ad ſubſtantiam obligationis quam ad nummorum ſolutionem referenda ſunt. Satis itaque fuerit ſi eo modo ſoluta fuerit obligatio. Quòd autem ſi pecuniæ verbum, obligatio ſolutionis contineat, ſtricte accipienda erit ſolutionis interpretatio. Quare oportebit naturalem rei ipſius debitæ fieri ſolutionem. vt *l. ſolutam. d. tit. de ſolutio.* Bartol. *in d. l. ſolutionis.*

Fornerivs.

Solvtionis. ¶ Eius quod debetur ſolutione omnis obligatio tollitur, principalis acceſſoria, fideiuſſoria, & hypothecaria. *§. 1. quib. mod. ſol. obl. l. 6. item. quib. mod. pign. ſol.* Pignus ergo ſolutione creditori etiam ab extraneo facta liberatur. *l. 12. Paulus. ſi. quib. mod. pign. vel hyp. ſol.* Nec tam nummorum hic numeratio, quàm ſatisfactio requiritur. Id eſt quouiſmodo creditor dimittatur. Siue paciſcatur, ne à debitore pecuniam petat: ſiue conuenerit, vt pro hypotheca fideiuſſor detur. Nam & pacto & iureiurando pignus ſoluitur. *l. 5. l. 8. ſicut. §. 1. l. antep. quib. mod. pign. hyp. ſol.* Satisfactio enim vicem ſolutionis obtinet. Quia volente creditore fit, cui & aliud pro alio ſoluere licet *d. l. 6.* Inuito autem aliud pro alio non ſoluitur. *l. 2. ſi cer. pet.* Soluere enim dicimus eum, qui fidem datam, qualibet ratione liberat. Satisfacere, finiente Aſcon. Pædiano, eſt tantum facere, quantum ſatis eſt irato ad vindictam. Nos ſic paulò generaliùs, quantum creditori ad obligationem extinguendum ſufficiat: cui aliud pro alio volenti rectè datur. *d. §. 1.* Satisfactione perimitur obligatio, vel expromiſſione, compenſatione vel quo alio modo. *l. 13. aliquando. §. de pignore. ad Sc. Vell. l. pen. de except. rei iud. l. 61. ſatiſdationis. l. 76. dediſſe. ſ. h. t.* Vide *l. 49. ſolutam. ſ. de ſol. l. 5. §. ait prætor. §. ſoluiſſe. ſ. de re iud.* Cætera ex iis repetas licet, quæ notauimus *ad l. 47. liberationis. ſ. h. t.*

CLXXVII. Idem lib. xlij. ad Sabinum.

Natvra cauillationis, quam Græci σωρείτην appellauerunt, hæc eſt, vt ab euidenter veris per breuiſſimas mutationes diſputatio ad ea quæ euidenter falſa ſunt, perducatur.

Alciatvs.

Natvra. ¶ Cauillari variis in iure modis accipitur. Cauillatur, qui calumnioſè agit: cauillatur, qui breuiter & falsè aduerſarium ſermone captat, aut irridet: cauillatur, qui ſciens, vt ſuam ſententiam tueatur, falſa prodit. Specialius verò, & (vt ita dicam) ἐμφατικωτέρως, cauillari dicitur, qui eo adſumpto quod euidenter verum eſt, diſſimiliter acceptis terminis, quod falſum eſt, infert. Id tribus modis fieri Ariſtoteles in Elenchis tradit: aut enim argumentum in materia peccat, aut in forma, aut in vtroque. In materia, vt ſi dicam: Quæ in nullius bonis ſunt, occupanti conceduntur, res ſacræ in nullius bonis ſunt, ergo occupanti conceduntur. Is autem ſyllogiſmus propriè σοφιστικὸς appellatur, de quo Accurſ. iuriſc. hic intellexiſſe exiſtimat, cui & ipſe aſſentior. In forma, vt Omnis ſeruus in poteſtate eſt, filiusfamilias eſt in poteſtate, ergo filiusfamilias ſeruus eſt. noménque huic argumento παραλογισμὸς eſt. In vtroque peccat, cum dicimus, Quilibet ſeruus pro mortuo habetur: nemo alieni iuris eſt, qui ſeruus non ſit: qui igitur alieni iuris non eſt, pro mortuo non habetur. Sed hæc latiùs ab Ariſt. eiúſque interpretibus accipienda ſunt. ¶ Quomodo autem cauillatio Græcè appellatur, Iuriſconſultus hic oſtendit. ſed in vulgaris codicibus vox illa deficit. Fuere igitur qui διαβολὴν reponendum exiſtimauerunt, eam ſic definiendam Lucianus arbitratus eſt, vt ſit criminatio ἐξ ἐρημίας, id eſt, nocumento orta, cum reo nihil ſciente, nedum ad contradicendum non admiſſo, ſoli delatori fides adhibetur. Quia ex definitione apparet, eam vocem hoc in loco non eſſe reponendam: hic enim non de calumnia agitur, ſed de ſophiſtico argumento. Antiqui codices hic γοητείαν habent, & infrà de regulis iuris, vbi idem reſponſum legitur, σόφισμα. quæ lectio vtraque conuenit, poſterior que plus mihi arridet, quæ magis ſpecialiter rem exprimit, quando quidem γοητεία pro quacunque fraude videtur poſſe accipi. Apud antiquiores tamen ſophiſtarum nomen honeſtum fuit, & qui philoſophiæ

Doctores erant, vulgò ſophiſtæ dicebantur, idque ex Philoſtrato, & M. Victorino palàm eſt: ſuſpicorque propter malos eorum mores, nominis quoque dignitatem conuerſam. nam & Plutarchus grauis autor, à maiorum inſtitutis eos degeneraſſe oſtendit, & pro philoſophis, planos ſycophantáſq; quoſdam fuiſſe. Sanè hinc apparet, ex breuiſſima mutatione veritatem obnubilari. vnde proditum eſt, mutato facto, etiam ius mutari: nec ideo iuriſconſultum reprendi poſſe, qui varia reſponderit, cùm aliquantulum mutatæ ſibi facti ſpecies eſſent propoſitæ. ex facto enim ius oritur, quo variato, & ipſum variari neceſſe eſt. ¶ Sed an huiuſmodi cauillationibus vti aduocatum deceat? & graui viro conueniat vnquam vti. *33. q. 2. Dominus.* nec enim debet quis de victoria magis, quàm de veritate eſſe ſolicitus: quoniam id vitium (vt Cicero loquit) maximè contra prudentiam eſt. Sed recentiores pleriqne ambitione præcipites, omnes diſciplinas puerilibus hiſce nugis peruertere: & cùm paucis veritatem explicare poſſent, per argumenta & oppoſitiones, artem in verborum contentionem deduxere. Sic magno Reipub. Chriſtianæ detrimento Theologi, ſic & Philoſophi, ſic denique & legum interpretes fecere: receptiſſimúmque apud omnes eſt, licere aduocato bonam cauſam falſis rationibus tueri, & fraude fraudem trudere. Imò pro conſilio proditum eſt, plurimas ſemper rationes iudicibus afferendas, veriſque falſas immiſcendas, cùm indocti plerique, qui iuſto argumento fidem non adhibuerunt, futilis moueantur.

Sed & neſcio cuius Pontificis factum laudator, qui nocenti impunitatem permiſerat, vt delicti confeſſionem extorqueret. Huiuſmodi ego dolum probare non poſſum: nec ex ſimili confeſſione damnari reum debere arbitror, cùm ea fiducia fateri potuerit, vt quamprimùm litium carceriſue moleſtiam euitaret, cùm crederet fore vt ſibi fidem iudex ſeruaret, niſi ergo ſpe huiuſmodi defectus reus, priorem confeſſionem ratam habeat, liberabitur. atque ita Imol. & Dec. ſcripſerunt *in l. ea eſt. ∫. ult. 1.* licet in contrariam ſententiam frequentius itum ſit, pro qua apud Græcos extat hic Æſchyli ſenarius,

ἀπάτης δικαίας οὐκ ἀποστατεῖ θεός.

A fraude iuſta nec Deus quidem abſtinet.

BRECHÆVS.

NATVRA. ¶ Profuerit omnino nihil antequàm ad capitis huius interpretationem veniam, dicere primum quid Cauillari, quid σόφισμα ſignificet. Eſt igitur Cauillari propriè, cùm quis verborum aucupio & ſubdola ratiocinatione irretitum aduerſarium euincere contendit, & mendacij conſcius, verum diſputando comminiſcitur, quod Græci σοφίζεσθαι dicunt: vnde σόφισμα, quod cauillum, calumniam, & impoſturam ſignificat, φενακισμὸν, τέχνασμα, μηχάνημα καὶ παραλογισμὸν, Budæo teſte *in annot.* καὶ πανούργευμα. Idem ipſe Bud. *in Com. ling. Græc.* ſcripſit σόφισμα, eſſe ſcitum inuentum, prudens facinus, ex Arriani *lib. 6.* & Eurip. *in Hecub.* atque interdum τοὺς σοφιστὰς Philoſophos & ſapientes vocari Ἀρεσίλας, inquit Etymologicus author, σοφιστὰς λέγει τοὺς ἀπὸ σοφίας σοφιστὰς τοὺς διατρίβοντας πραγματικῶς. vt tradit Apollonius in Herodot. Teſtis eſt etiam Budæus Sophiſtam pro præceptore Plutarchum dixiſſe, his verbis, Ἀρτεμίδωρος γνίδιος, ὁ τῶν ἑλληνικῶν λόγων σοφιστής. Idem Plutarch. *in quodam Apophtheg.* μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. Odi ego ſapientem, qui ſibi ipſi minimè ſapit. Porrò dicebatur σοφιστής, ἀπατεών, id eſt deceptor καὶ ὁ διδάσκαλος πανοῦργος ἀπὸ τῆς σοφίας. Is quoque erat σοφιστής qui muſicam exercebat, & cythara ludebat, vt author eſt Heſychius. Quidam hoc loci legunt σοφιστικήν: aliter verò σοφιστείαν. Sunt autem Soritæ, elenchi ſeu argumẽtorum congeries, quibus ex Stoicorum familia Chryſippus certando plurimum vtebatur, cum per multiplicata conſequentia ratiocinationes duxerat, ex his tandem omnibus aliquid velut neceſſariò concludens inducebat: & his quidem diſputationum laqueis, id eſt, Soritis, implicatum atque irretitum aduerſarium tenebat. Quod Cicero videtur intellexiſſe *lib. 1. de Orat. ad Q. Fratrem, his verbis:* Stoici verò noſtri diſputationum ſuarum atque interrogationum laqueis te irretitum tenerent. Et Perſius *in vlt. verſu Satyr. 6. Inuentus Chryſippe tui finitor acerui.* Iam verò qui & σόφισμα, & σοφιστικὴν, & σοφιστείαν legunt, hi non multum aberrant à ſcopo noſtri iuriſc. Sed crebrior lectio eſt, σόφισμα, quod Ariſt. *lib. 8. Topic. c. 4.* συλλογισμὸν ἐριστικὸν Syllogiſmum contentioſum, ſeu (vt vertit Perionius noſter) pugnacem ratiocinationem. Cicero fallaces concluſiunculas. & Cælius Rhodog. *lib. 19. lect. Antiq. c. 17.* ſyllogiſmum litigatorium vocat. Cicero autem appellat σοφιστὴν eum qui aut oſtentatione, aut certandi ſtudio diſputat, τὸ δόξης χάριν καὶ φιλονεικίας, ſecundum Ariſt. ἡ γὰρ χρηματιστικὴ ἀπὸ φαινομένης σοφίας *lib. 1. Elench. c. 10.* ¶ Iam verò rectè diffinieris σόφισμα, fraudem, commentum, & molimen excogitatum, ex compoſitóque adornatum, quo quis aduerſarium fallaci certandi ratione vincat, vt ſ. diximus, & his ratiocinationibus quæ veri ſpeciem quandam & ſimilitudinem imitantur: cætera verò falſę ſunt. Quemadmodum enim lithargyrina & ſtannea, quę argentea, & felle infecta, quæ aurea videntur, & iudicio ſenſus vera, tamen re vera adulterina & falſa ſunt: eadem eſt ratio eorum quæ ex ambiguis, quæ Græci ἀμφιβολία vocant, oriuntur paralogiſmorum & ſophiſticarum contentionum, vt tradidit Ariſt. περὶ ἐλέγχων. Ex quibus apparet Vlpianum perperam dixiſſe Cauillationem & σόφισμα, eſſe diſputationem ab euidenter veris ad ea quæ euidenter falſa ſunt: cum plerunque (vt loquitur Valla *lib. 6. c. 40.*) Cauillatio ſit tecta & inſidioſa, multiſque ac longis frequenter ambagibus vtens, & quę via ab acutis deprehendatur. Cicero *lib. 2. de Orat.* duo facetiarum genera ponit: alterum, dicacitatem: alterum, Cauillationem: eo loco vbi Græcos arguit, qui ridiculorum tractationem, libris & arte comprehendi poſſe exiſtimarunt. Ego autem arbitror ipſum Cic. facetias, Cauillationem ideo appellaſſe, quòd (vt ait Quintil. *lib. 6. c. 4.*) ridiculum dictum plerunque falſum ſit, ſæpe ex induſtria deprauatum. At quidem Cic. facetias & cauillationem dicacitati & argutiæ accõmodat. Vt ſi c. tibi credidi, quæ Titio ſeruo tuo tradidi eadem vt ad te deferret: aliquod ego poſt tẽpus, ac vbi dies ceſſit, volo ipſa c. à te repetere: tu negas tradita tibi eſſe: ego inſto tradita, & debere te mihi: fateris tandẽ te à Titio ſeruo tuo, ſed nec à me accepiſſe: hoc ipſum quidẽ eſt cauillari. Ite

lati.Iterum hoc modo.Cùm teſtamentum conderem,ſic lego,[Si poſt Calendas mortuus fuero.]Titio quinquaginta dato. Anne cauillamur,inquit Celſus *l.1.ff.de reg.Catonia*.Nam hoc modo,ſi ſtatim mortuus fuero, non eſſe datum legatum verius eſt, quàm inutiliter datum. Item, ſi tibi legatus eſt fundus qui ſcribendi teſtamenti tempore tuus eſt,ſi eum viuo teſtatore alienaueris,legatum tibi debetur:quod tamen non deberetur,ſi ſtatim & ante quàm alienares, teſtator deceſſiſſet. Iſtud ipſum, cauillari poſſis aliquo modo dicere. Non tamen conuenit cum definitione hic ab Vlpian.tradita:nec cum ea quam Accurſius *in d.l.1.*ſomniat,videlicet.falſum dicere(ſic enim verbum cauillari interpretatur.) Nam hæc legata,ſubtiliter magis & facetè, quàm vtiliter ſcripta ſunt: falſa tamen ſunt,nec omnino inutilia. De quibus vide Franc.Connanum *libro decimo Commentariorum iuris ciuilis.titul.de heredum qualitate & differentia: fermè ad finem capitis.* Eiuſmodi ſi quidem cauillatio, iureconſultis noſtris non magnopere commendatur:propterea quod ſubtilitas omnis abeſſe debet à præſcripto æqui & boni:ſaltem ſuperuacua eſt,vt ſcripſit Paul.*in l.actio.ff.de neg.geſt*.Non omnino tamen nec ſemper exploſa debet eſſe:ſed quandoque neceſſaria eſt,cùm fraus videlicet fraude,veluti clauis clauo,vt eſt in prouerbio trudenda eſt.Videto latiùs in eam rem Philip.Decium *in l.ea eſt natura.ff.de reg.iur.*

FORNERIVS.

NATVRA. ¶ Eadem ex Iuliano totidem verbis ſententia inculcatur *l.65.ea eſt.*[illegible] *iit.ſeq.*de acerualis diſputationis captione:qua breuiſſimis mutationum gradibus ab euidenti veritate ſenſim ad falſum traducimur,eique temerè aſſentimur.Cuius vt & reliquarum fallacium ratiocinationum, tria vitia vnde oriantur præclarè *libro de Elenchis* docet Ariſtoteles:Exempla ipſi ex iure noſtro hauriemus. ¶ Primùm de Æquiuoco, cùm vnius vocis multiplex ſignificatio, ſimpliciter elata non diſtinguitur,vt canis,ſydus,piſcis,quadrupes,talorum iactus:Aries.ſydus,piſcis, quadrupes,& machina bellica. Accurſius *l.1.de non.op.nunc.* & *l.40.ita fides.de iur.fiſci. l.80.quoties.de verb.obl.* Idem & in coniunctis verbis accidit Accurſius *l.39. veteribus. de pactis.* *Aio te Æacida Romanos vincere poſſe.* Papinianus.[Eos alere te volo.]*l.9.alio.de alimen.& cibar.legat.In lib.2.de Feud.tit.4.*[Reſponſum eſt, fidelitatem præcedere debere inueſtituram.] Teſtamentum eſt *lex. Nouell.22.* Princeps ſolus *legem* condit *l.vlt.C.de legib.*Ergo ſolus teſtamentum.Imò omnes.*l.1.ad leg.Fal. l.120.verbis.*[illegible] *hoc tit.* Quicquid *nullius* eſt in bonis occupanti conceditur *l.3.de acq.rer.do.§.ſacra.de rer.diuiſ.*Res ſanctæ,ſacræ, religioſæ,liberi homines *nullius* in bonis ſunt *l.1.de interd.l.1.de rer.diu.*Abſurdè tamen eas occupanti acquiri colligitur *l.83.inter.§.ſacram.de verb.obl.* Teſtator quatuor pocula oleagina *paria* legauit:vtrum quatuor paria poculorum. an ſemel quatuor paria,id eſt, æqualia legauerit,ambigitur. *l.29.qui concubinam.de leg.3.*Exhibet qui rem qua de agitur,in medium producit *l.2.ad exhib.l.3.§.ait.de lib.ho.exh.*& is qui probat.*l.vlt.C.de ad.act.* ¶ Secundo cum accidentis vitio,qualitates in propoſitionum partibus immutantur.Accurſ.*l.56.vindicatio.de reiuind. l.82.debitor.fin.de leg.2.* vt ecce, Iniquum eſt quem alterius iactura locupletari. *l.14.nam hoc.de cond.ind.l.206.iure.*[illegible]*.tit.ſeq.* Vſucapione res aliena domini damno,poſſidenti quæritur.Vſucapio igitur iniqua.contrà *l.3.de vſucap. l.vlt.pro ſuo.* Sed rudior naturalis ratio,ab æquitate ciuili perpolita diſtinguitur.Quicquid vindicatur poſſiderur.*l.vn.C.de alien.iud.mut.cauſ.fact.*pars incerta vindicatur *l.76.qua de tota.§.incerta.*[illegible]*.de reiuind.*Ergo pars incerta poſſidetur.Falſum.*l.3 §.incertam.de acq.poſſ.* Quod commune,meum eſt. *l.5.de leg.1.l.48.illud.de rit.nupt.* Fundus mihi cum Titio communis,ergo meus. Falſum. *l.10. Quintus.de aur.& arg.leg.* Non ſimpliciter,ſed in partem meus. *l.2.de cond.inſt.* Quicquid emiſti comediſti,carnes crudas emiſti: comediſti igitur crudas carnes. Bartholus *d.l.82.debitor.*mutatur qualitas ſeu accidens Carnis. vt & in hoc cauillo,qui ex diuiſo & compoſito ſenſu naſcitur. Adulterium quinquennio tollitur:ergo & inceſtus coniunctus.Minimè.*l.1.C.de qu aſtion.l.39.vim paſſam.§.præſcriptione.*[illegible]*.ad leg.Iul.de adulter.l.5.C.eod.* Nec enim rectè à ſimplicibus ad coniuncta. nec rurſus ex coniunctis ad ſingula ducitur argumentum. Si aſinæ pullique eà nati dominum roges: Num ea aſina, quòd pullum habeat.mater ſit,& ille annuat:Eadémque tua, ſanè. Ergo,inquies,mater tua. Doctores *l.3.poſſiden.§.1.de acq.poſſ.* In tribus inſunt duo:tria & duo efficiunt quinque:ſic ex tribus quinque oua ineptè numerantur.Patri tres heri liberos habenti hodie quartus agnaſcitur,heri, habebat tres, hodie quatuor: an igitur ſeptem? ſeparatim an coniunctim iſta ponas,permultum intereſt. Accur.*l.4.de militi.& iur. & d.l.80.quoties.* ¶Poſtremò vitioſè id quod certa quapiam ratione notáue præditum eſt: ἁπλῶς,ſimpliciter abſolutéq; ponimus:vt quod commune eſt,idem & meum in partem ſcilicet, non in ſolidum. *l.5.de ſtip.ſerm.l.6a. Manius.§.duorum.de leg.2.l.25.recte.*[illegible]*.h.t.* Libertus a patrono adrogatus iura conſequitur ingenuitatis: nec tamen ipſi Senatoris filia nubet, ſic diuerſa ratione homo ingenuus, idémque libertus cenſebitur *l.vlt.de ſtatu hom. l.32.ſciendum.2.de rit.nupt.* In familia quidem arrogantis,ingenuus:non abſolutè. Quam Græci *ἀπειρία*. ¶ Multò id rectius, quàm quod hic Alciatum & *lib.2.prætermiſſorum* obtendere non puduit,*σόφισμα*. Græci hic. Σωρείτης λέγεται ὁ [illegible]λογισμὸς,ἤτοι ὁ σωρείτης. Quanuis enim alibi *σοφίζεσθαι τε καὶ [illegible] κακοῦργος [illegible]*,cauillari,& calumniari ius ciuile legimus.*Nouell.18.l.pe.ad exh.l.1.de reg.Caton.*Quinctil.*proœmio lib.8.* Senec.*lib.19.epiſtol.112.* Tamen ſoritem ſeu acerualem ſyllogiſmum Stoicæ ſectæ ſtudioſis familiarem, hic deſcribi verius eſt: cuius laude floruit Chryſip. Cuius exempla tum à Suida,tum Diog.Laërtio *lib.7.*circunferuntur.de quo & Perſius *Satyra 6.*

Inuentus Chryſippe tui finitor acerui.

Alluſit & M.Cicero in Hortenſio,apud Nonium. [Túne pſendomenon & ſoritem & totam dialecticam aut illudis,aut increpas?Africanus,[illegible], quæſtionem, quæ apud dialectos [illegible] dicitur.*l.88.qui quadringenta.ad leg.Falc.*Seneca *lib.6.epiſt.49.*[Mus ſyllaba eſt:mus autem caſeum rodit: ſyllaba ergo caſeum rodit. Niſi fortè acutior eſt illa collectio. Mus ſyllaba eſt: ſyllaba autem caſeum non rodit.Mus ergo caſenm non rodit.] Idem *libro 7.de beneficiis.cap.4.* [Is cuius proſtitutæ ſunt,leno eſt

no eſt: Omnia autem ſapientis ſunt, Ergo ſapiens eſt leno.] Ibidem. [Nemo rem ſuam emit. Omnia autem ſapientis ſunt. Ergo ſapiens nihil emit.] Innumera ſunt eiuſmodi per quæ cauillari & illudere licet: quæ & diſſerendi peritia, & iuris ratione franguntur. Nimiam enim ſubtilitatem prudentum repudiauit auctoritas. *l. 4. § de transſ. l. 51. ita ſi. de leg. Aquil. l. vlt. C. vt ab her. & in her. l. 4. § de manumiſſ. teſtam. Nouel. 160. l. 43. ſunt perſonæ. de relig. & ſumpt. fun. l. antep. de neg. geſt. l. 91. ſi ſeruum. de verb. oblig.*

CLXXVIII. IDEM lib. xlix. ad Sabinum.

PECVNIÆ verbum, non ſolùm numeratam pecuniam complectitur: verùm omnem omnino pecuniam, hoc eſt, omnia corpora. Nam corpora quoque pecuniæ appellatione contineri, nemo eſt, qui ambiget.

ALCIATVS.

PECVNIÆ VERBVM. ¶ Pecuniam dictam eſſe à pecu receptum eſt, quòd in pecoribus omnis veterum cenſus eſſet: hincque tractum eſt, vt appellatio pecuniæ. *l. ſi de conſtit. pec.* cùm latiſſimè accipitur, ad omnem cenſum referatur, quo ſenſu & ſpecies, & corpora, & iura quoque continentur: in fauorabilibúſque propius eſt, vt ita intelligamus. Plinius tamen pecuniam pro nummis ſimpliciter accipit, quòd pecudum nota antiquitas moneta ſignaretur: qui ſenſus in materia odioſa probabilior eſt. *l. ſed Iulianus. § mutui. ad Maced.* hocque & vulgarem loquendi vſum ſecuti pleriqque tradiderunt. quod ſi ſubiectum argumentum nec omnino fauorabile. *l. ſi verò. in ſi. ſol. mat.* nec odioſum ſit, mediam viam diligemus, pecuniámque ad id, quod in numerato eſt referemus. *Bart. l. talis. de leg. 1.* idémque ſi pondere, vel menſura conſiſtat, vt in legatis, & contractibus: niſi aliud ex coniectura voluntatis appareat, vel ratio legis ęquè in corporibus procedat, atque in quantitate. *l. 1. & ſeq. de calum.*

BRECHÆVS.

PECVNIÆ. ¶ Iam quid pecuniæ verbum ſignificet, ac vnde pecunia dicta ſit, expoſuimus ſuprà *in l. bonis. & l. rei appellatio.* Hoc autem loco Vlpianus tradit pecuniæ verbo, non numeratam pecuniam nummoſque in numerato contineri tantùm, verùm etiam omnem omnino pecuniam, hoc eſt, omnia corpora: videlicet res, tam ſoli, quàm mobiles, iura item & actiones. Simile quoque ſcripſit & in eandem ſententiam Hermogenianus *in l. pecuniæ nomine. § h. t.* Vnde ſi quis bona Titij rogatus ſit reſtituere, non dubium eſt quin pecuniam omnem, quæ in bonis Titij fuerit, reſtituere compellendus ſit. E contrario autem, ſi quis pecuniam omnem ſuam alteri legauerit, cenſebitur vniuerſam rem ſuam alteri legaſſe, vel omnia ſua, hoc iura & actiones omneis ad eandem rem pertinenteis. Sic enim generalis eſt pecuniæ appellatio, quæ quidem fuit Hermogeniani ſententia *in l. nam quod ius publicum. ad ſi. ff. ad Sc. Treb.* Sed & ſi quis ita cauerit. Quantocunque pecunia ex hæreditate de bonis meis ad Titium peruenerit, eam pecuniam omnem ad Noſocomium Turonicum peruenturam volo. Reſpondit Celſus *in l. baliſta. d. t. ad Treb.* ex his verbis, ſcilicet, *Pecuniam omnem*, exiſtimare ſe, etiam fructus, quos ex hereditate Titius perceperit, reſtituere eum debere, perinde quaſi ſpecialiter hoc ipſum teſtator expreſſiſſet. Ita M. Cicero *act. 3. in Verrem*, pecuniam pro hereditate poſuit, aut pro quibuſlibet his rebus omnibus quæ in bonis & hereditate cenſentur eſſe, ſeu mobilibus, ſeu immobilibus. Demoſthen. πρὸς τὴν Λακρ. pro mercibus poſuit ἀντηγοράζειν πάλιν χρήματα. Iureconſulti verò, vt etiam hoc loci videre eſt, χρημάτων verbo, tam immobilia compræhendunt quàm mobilia: hócque cum ipſis Græcis Latini conueniunt in ſignificatione harum vocum, ſic vt tam latè pateat apud Græcos χρημάτων verbum, quàm pecuniæ apud Latinos, vt corpora ipſa etiam ſignificent, atq; eo amplius. Χρήματα autem ſunt τοῖν κτήματα, βοσκήματα, cenſus denique, & facultates, opes, bona, & fortunæ, id eſt, τὰ ὑπάρχοντα, τὰ ὄντα, καὶ τὸ χρήσιμον, vt docet Xenophon in principio Oeconomicῶn, Nummus ἀπὸ τοῦ νομίσματος, quæ vox monetam ſignificat legitimè ſignatam: vnde eius ſtrictior eſt quàm pecuniæ ſignificatio. *l. ligatores. § ait Prætor. ff. de arbit. l. 1. ff. de contr. emptio.* Cæterùm pecuniæ vocabulo, exactiore quidem, & proprio ſignificato continentur ea omnia quæ pondere, numero, menſuráue conſtant, vt ex Paulo Iureconſ. docemur *in l. 2. § fi. ff. de reb. cred. ſi cert. pet. l. talis. ff. de leg. 1. l. cùm ſtipulamur. § h. t. l. quiſquis. de leg. 3. l. in illa ſtipulatione per te. § item in ſtipulatione. ff. de ver. ob.* Quo loco Zaſius interpretatur pecuniam, res omnes quæ in hereditate ſunt. Ideò autem pecuniam res omneis & corpora cumprehendere, Hermogenianum ipſum dixiſſe exiſtimo cum Alciato *in d. § fi.* quòd ante percuſſos nummos res huiuſmodi in commercio erant, ac permutationis ſolùm vſus erat χρύσια χαλκεῖων: cui tandem permutationi ſucceſſit emptio & venditio, & pecuniatum vſus cœpit eſſe: quæ quoniam pecudum nota ſignarentur, pecunię dictæ ſunt, vt ſupra adnotauimus, Quare Plinius *lib. 18. nat. hiſtor. cap. 2.* ſcribit dictam eſſe à pecore pecuniam. Quòd igitur pecunia generatim ſignificet eas res quæ functionem in ſuo genere recipiunt, *vt d. § fi. l. 2. ſi cer. pet.* videtur id quippe διὰ τὴν μετάληψιν factum & introductum. poſt inuentam emptionem & venditionem. Sic pecunioſum Cicero *act. 2. in Verrem.* dixit, hominem diuitiarum copiis & facultatibus inſtructiſſimum, & qui præpingueis fortunæ copias conſcenderit. Non enim diuitiæ & facultates ac familiæ, numerata tantùm in pecunia & nummis percuſſis haberi ſolent, ſed poſſeſſionibus rerum immobilium. His, inquit, indiciis, quæ nunc ſint pecunioſum hominem, quamuis ſit nocens, neminem poſſe damnari. Et alio loco, facere pecuniam maximam dixit, pro rem & patrimonium augere. Qui, inquit, ſimul atque ei ſorte Sicilia prouincia obuenit, ſtatim Romæ & ab vrbe antequam proficiſceretur, quærere ipſe ſecum, & cogitare cum ſuis cœpit, quibuſnam rebus in ea prouincia maximam vno anno pecuniam facere poſſet. Videto in hanc rem Vldar. Zaſium *in l. in illa ſtipulatione per te. numero 9. ff. de verb. obl. &*

in aut

*in intellect.ſingal.ad princ.*quo loco de genere tractat.

FORNERIVS.

PECVNIÆ. ¶ Generale pecuniæ nomen non modò nūmorū numeratione, ſed & omnia corpora cõtinet. Græci hic, οὐ μόνον τὰ ἀργυρικὰ περιλαμβάνεται τῇ τῶν χρημάτων προσηγορίᾳ, ἀλλὰ καὶ πάντα τὰ σώματα. quæcunque in patrimonio habentur *l.4.l.5.* ͞ *h.t.* item ex re quapiam perceptos fructus. Teſtator cum heredi fideicommiſiſſet. [Quantacunque pecunia ex bonis ad eum perueniſſet, reſtitueret] Celſus hoc verbo pecuniam, etiam fructus ex hereditate perceptos reſtituendos exiſtimat. *l.32. Baliſta. ad Sc.Treb.* D. Auguſtinus, [Pecuniam, inquit, aurum, argentum, poſſeſſiones, breuiter dicam, pecuniam: totum enim quicquid homines poſſident in terra, omnia quorum domini ſunt, pecunia vocatur: Seruus ſit vas, ager, arbor, pecus, quicquid horum eſt, pecunia dicitur. Et inde eſt primùm vocata pecunia, ideò quia antiqui totum quod habebant, in pecudibus, pecoribus habebant, à pecore pecunia vocata.] Hæc ille *ſermone 239.* Plinius *lib.18.c.5.* Euſtathius ſcholiaſtes Homeri κτήματα interpretatur τὰ ζῶα καὶ ἀνδράποδα. *l.222.pecunia.* ͞ *h.t.*

Numeratam. ¶ *l.2. C. de non num. pec.* Hoc ita, niſi quæ ſpecialis fortè ratio diuerſam interpretationem ſuaderet, latiúſque pecuniæ nomen, ad nummos, contraheret. vt aliud eſſet pretium, aliud merx. *l.1.de cont.empt.l.1.de rer.perm.* vt cùm filiusfamilias mutuatur. *l.item ſi.valg. l.8.Iulianus.§.matri.ad Sc.Maced.* vel ad eas res quæ pondere, numero, menſuráue continentur, vt in ſpecie. *l.30.talis. de leg.1.* Nam & Ariſtotel *initio lib.4.Ethic.* τὰ χρήματα interpretatur, res omnes quæ pretio nummóque æſtimantur: id eſt, πάντα, ὅσων ἡ ἀξία νομίσματι μετρεῖται. Pecunia eſt quædam veluti regula, ad quam cæterarum rerum æſtimationes exiguntur: Vnde fideiuſſor ita [Quod credidi, de ea pecunia mille modios triplici fide tua eſſe iubes!] quaſi in aliam rem, quàm quæ credita eſt, acceptus non obligatur. Quia [non vt æſtimatio rerum quæ mercis numero habentur, in pecunia numerata fieri poteſt, inquit Iabolenus, ita pecunia quoque merce æſtimanda eſt.] *l.42.ſi ita.de fideiuſ.* Theophilus *§.conſtituitur.de vſufr.* τὰ γὰρ ἀργύρια οὐ διατιμᾶται, ἐπειδὴ αὐτὰ ἑτέρων ἐστὶ διατίμησις. *Corpora quoque.* ¶ Permultum alioqui inter pecuniam ſeu quantitatem & corpora ſpecierum intereſt. Hæc perire poſſunt. *l.5.ſi cert. pet.* In illam nullus cadit interitus. *l.11.incendium. C.ſi cert.pet. l.30.in ratione.§.incerta.ad leg.Falc.* Pro nummis propter certitudinem, in litem non iuratur: pro cæteris rebus iuratur. *l.3.de in lit.iur.l.68.qui reſtituere.de rei vind.* Corporum non fit compenſatio, ſed quantitatis tantùm. Paulus, [Si id nomen pecuniarium fuerit, exactam pecuniam tecum penſabis: ſi verò corporis alicuius, id quod acceperis, erit tibi pignoris loco.] *l.18.ſi conuenerit. de pign.act.* Sed & alia differentia quantitatis & ſpecierum notari poteſt. *l.vlt.de praſ.ver.* Alia ex Vlpiano *fragm.tit.24.* Alia item. *l.34.plane.1.de leg.1.l.87.Titia. de leg.2.* Interdum tamen nummos non tanquam quantitatem conſideramus, ſed vt certum corpus. *l.1.C.de nox.act.l.94.ſi is cui nummos.* ͞ *de ſol.* Quod opportunius *in l.222.pecunia.* ͞ *h.t.* tractare inſtitui.

§. j. Hereditas iuris nomen eſt, quod & acceſſionem & deceſſionem in ſe recipit: hereditas autem vel maximè fructibus augetur.

ALCIATVS.

HEREDITAS. ¶ Ipſum ius eſt, perſonam defuncti referens, ideóq; ab ipſis rebus hereditariis differt: vnde, qui hereditatem vendit *l.2.in prin.de her.vend.* rebus hereditariis euictis, nihil præſtat. ἀναφορικῶς tamen ſupra dixi pecuniam ipſam hereditariam, hereditatis nomine accipi poſſe.

Deceſſionem. ¶ Id eſt, diminutionem, plerunque enim accidit vt diminuatur hereditas, quo caſu grauatus reſtituere, ſi tantùm ex fructibus percepit, reſtituere eos compellitur, quatenus deceſſit hereditas, vt Celſus, & Marcianus ſcribunt *l.ſi is qui.400.ad Treb.*

Vel. ¶ Id eſt etiam fructibus. Augetur enim & aliis modis, vt partu ancillarum. *l.ancillarum. de pet.her.* itémque penſionibus: intereſtque hoc ſcire, vt omne heres habeat: nam & fideicommiſſario huiuſmodi fructus reſtituendi ſunt: nec diſtinguitur, coactus heres an ſponte adierit: pars enim hereditatis ſunt, nihilque à cæteris rebus hereditatis differunt *l.ita tamen.§.1.ad Treb.vbi Alex.* Sed quid ſi iacente hereditate ſeminatum eſt, & ea adita ab herede fructus percepti? & exiſtimauerim eatenus computandum, quatenus in agro ſpes, quæ aditionis tempore ſuberat, vendi potuiſſet. Et ita accipi, quod vulgò dicitur in lege Falcidia fructus pendentes hereditatis eſſe. *l.in lege.ad leg.Falc.* quódque alibi traditur, hoſce fructus filium ſibi in legitimam iure naturæ debitam imputare. *l.in fideicommiſſariam.ad Treb.vbi Alex.* licet alij aliter.

BRECHÆVS.

HEREDITAS. ¶ Vlpianus ex Labeone tradit *in l.bona. §.hereditas. ff.de bon.poſſ.* Hereditatem non vtique rerum poſſeſſionem accipiendam, iuriſque magis, quàm corporis poſſeſſionem eſſe. Vnde hoc quidem differt a bonorum poſſeſſione, quòd hereditas ſit ius directum: bonorum verò poſſeſſio, vtile: ea quippe id ratione, quia Prætori non licet directò heredem facere. *§.quos autem.Inſt.eo.tit.lib.de bon.poſſ.* Ipſam itaque pecuniam hereditariam, quomodo hereditatem appellare rectè poſſis, planè non video: tametſi Alciatus hic ſenſerit ἀναφορικῶς. & per relationem poſſe appellari. Rectius ſi quidem dicemus, pecuniam, res, & bona, in hereditate eſſe. Quemadmodum actiones functionéſq; corporis, animum dicere nequeas. in animo autem eſſe id eſt, ab animi ipſius virtute, & facultate animali dependere. Qualiter namque fieri hoc poterit, vt quod incorporeum eſt, veluti animus, & ius ad corporea referatur? Hoc mehercule improprium fuerit, καὶ ἄτοπον. Sed hoc pace tanti viri dixerim, quem reprehendiſſe videri nuſquam volo.

Deceſſionem. ¶ Verbum, decedere, propriè eorum erat, qui è prouincia, in qua functi erant magiſtratu, in vrbem redierant: vnde deceſſio, ſicut adnotauit Budæ. *in l.2.ff.ad leg. Iul. maieſt.* Hoc tamen loco, deceſſio, imminutionem ſignificat. Dicimus enim Latinè, hoc mihi decedit: quemadmodum è diuerſo hoc mihi accedit. Et quidem Vlpianus deceſſionem in eum ſignificatum poſuit. Creſcit enim & augetur nonnunquam hereditas: decreſcit etiam & imminuitur aliquando: quemadmodum peculium naſci & creſcere, idem quoque decreſcere & mori, Martianus tradidit *in l. peculium naſcitur. ff.de pecul.*

Fructibus augetur. ¶ Nam hereditas & augmentum recipit, & diminutionem, vt ſuprà dictum eſt, & ſcripſit ipſe Vlpianus *in l.item veniunt.§.item non ſolùm.ff.de pet.hered. & paulo ̄j.in §.fructus autem.* Fructus autem, inquit, omnes hereditatem augent, ſiue ante aditam, ſiue poſt aditam hereditatem acceſſerint. Sed & partus ancillarum ſine dubio augent hereditatem. Idem quoque traditum eſt *in l.poſt motam controuerſiam. verſ.fructibus enim. C.eod.tit.* Pecunia igitur quæ ex rebus hereditariis, vel ex fructibus ipſius hereditatis acceſſit, hereditatem auxiſſe dicetur. Quod ſi poſt perceptam ex rebus hereditariis pecuniam, apud fideicommiſſarium ipſa nimirum pecunia perierit, dicendum nihilominus erit acceſſionem, non deceſſionem, hereditatem recepiſſe. Nam ſi ipſa res, inquit Iulianus *in l.ſi ipſa.ff.de eo quod met.cauſ.geſt.* quæ ad alium peruenit, interiit, non eſſe locupletiorem dicemus. Si verò in pecuniam, aliámue rem conuerſa ſit, nihil amplius quærendum eſt quis exitus ſit: ſed omnimodò locuples ſactus videtur, licet poſteà depereat. Nam & Imperator Pius Antoninus Claudio Frontino de preciis rerum hereditariarum reſcripſit, ob id ipſum peti ab eo hereditatem poſſe, quia licet res quæ in hereditate fuerant, apud eum non ſint, tamen precium earum locupletem eum, vel ſæpius mutata ſpecie faciendo perinde obligat, ac ſi corpora ipſa in eadem ſpecie manſiſſent.

FORNERIVS.

HEREDITATIS. ¶ Hereditas in iure, non corporibus conſiſtit. *l.1. de rer.diuiſ.* Iuris intellectu, & quidem vniuerſalis, quanuis nulla in ea inueniantur corpora. *l.50.hereditas.de pet.her.* quæ vendita, licet inanis, emptori euictionem non præbet. *l.1.C.de euict.* Vnde fit, vt acceſſionem recipiat, ac fructibus, vt hic dicitur, augeatur. Vendita ergo hereditate non modo corpora hereditaria ſequentur emptorem, ſed omnia commoda pariter & incommoda. Vlp. *l.2.§.in hereditate.§.peruenıſſe.§.ſolet.§.ficuti. de her.vel act.vend.* cuius cum huius capitis epigraphe congruit inſcriptio. Mæcianus, [Honorariæ quoque actiones, quæ intra certum tempus à prætore promittuntur, cum bonis actoris defuncto eo, augmentum rei deceſſionémue, ſi tales erunt, vt in heredem quoque tranſeant, præſtabunt.] *l.32.pœnales.ad leg.Falc.* Florentiæ ita rectè ſcriptum Rei, id eſt, vt quidem interpretor, *τ̃ οὐσίας*, hereditaris, patrimonij: non autem *(res)* *τ̃ ἐναγομένου*, eius vnde petitur: quem Ant. Goueanus, ac P. Faber acutiſſimi homines (eum locum mendoſum rati) actori oppoſuerunt: quanquam paulò antè *reus* eo ſenſu dicatur: verùm ne idem cum illis ſentiam, huius loci ſententia dimoueor. Acceſſionem enim deceſſionem ſuſcepit hereditas: vt cæteræ quoque res, quæ vniuerſo iure cenſentur: vt peculium. *l.40. peculium.ɔ̄.de pecul.* vt grex. *l.8.ſi ex toto.l.21.grege.de leg.1.* vt dos. *l.4.de iur.dot.* Nam res alteri applicita & addita, naturam ipſius cui acceſſit, æmulatur. *l.91.prædiis. §.qui domum.de leg.3.* Si quidem velut additamentum, non tanquam alterum æquè principale acceſſerit. *l.10.cùm fundus.l.65.peculium.de leg.2.l.18.ſi conuenerit.§.ſi nuda.de pig.act. l.16.ſi fundus.de pig. l.9.item ſi fundi.§.huic vicinus.de vſufr.l.7.id quod.de peric.& comm.rei vend.*

Fructibus. ¶ Fructus omnes augent hereditatem *l.2.C.de pet.her.* ſiue ante ſiue poſt aditam acceſſerint: oues, fœtus, ancillarum partus, vecturæ nauium & iumentorum. *l.19.& non. l.ſeq.§.non ſolum.l.26.quod ſi oues.l.ſeq.de her.pet.* Malæ quidem fidei poſſeſſor, omnes indiſtinctè: etiam quos heres percepturus non erat, etiam illiberali ac minus honeſto queſtu perceptos reſtituet. *d.l.2. l.2. l.22.item.§.cæterum. l.40.illud.§.prædo. l.52.ſi poſſeſſor.de her.pet.* Bonæ verò fidei poſſeſſor eos demum, quibus factus locupletior fuerit, non omnes reſtituet. *d.l.20.item.§.eos.l.22.ſi & rem.d.l.25.item.§.1.et §.quod autem.de her.pet.l.1.C.eod.* A percipiendis turpibus excuſatur: non excuſatur à perceptis: veluti ex ancillarum proſtitutione: [Ne honeſta interpretatio non honeſti quæſtus lucrum poſſeſſori faciat.] *d.l.52.ſi poſſeſſor.l.27.ancillarum.eod.tı.* Fuit meretricium vectigal Athenis inſtitutum, *πορνικὸν τέλος*, quotannis a ſenatu venditum. Æſchines contra Timarchum. Conſtantinopoli Chryſargyrum, ſublatum ab Anaſtaſio, cuius Cedrennus & alij Eccleſiaſticæ hiſtoriæ autores meminêre. [In multorum honeſtorum virorum prædiis lupanaria exerceri,] fatetur Vlpianus *d.l.27.ancillarum.* Hodie publicaretur lenonis domus. *Nouell. 14.* meritò. cùm nihil contra bonos mores, in bonæ fidei iudiciis præſtari oporteat. *l.5.ɔ̄.de vſur.*

§. ij. ACTIONIS verbum & ſpeciale & generale: nam omnis actio dicitur, ſiue in perſonam ſiue in rem ſit petitio. Sed plerunque actiones perſonales ſolemus dicere. Petitionis autem verbo in rem actiones ſignificari videntur. Perſecutionis verbo extraordinarias perſecutiones puto contineri: vt puta fideicommiſſorum, & ſi quæ aliæ ſunt, quæ non habent iuris ordinarij exſecutionem.

ALCIATVS.

ACTIONIS. ¶ Iure gentium olim actiones nullæ erant, ſed manu regia controuerſiæ dirimebantur: deinde in duodecim tabulis actiones repertæ ſunt, & certis verborum formulis concluſæ,

quas

quas à Pontificibus litigaturi accipiebant: qui formulam malè concepiſſet, cauſa cadebat. Huiuſmodi autem quæſtiones in hoc genere, vt Quintil. *lib.3.* ait, verſabantur, an huic, an cùm hoc, an hac lege, an apud hunc, an hoc tempore agere liceat, quas nunc dilatorias, declinatoriaſque exceptiones appellamus. ¶ Hæ formulæ ex natura actionum variæ erant. In petitione fundi huiuſmodique rei immobilis, hęc ex parte vendicantis verba recepta fuiſſe traditum eſt: Fundus qui eſt in agro qui Sabinus vocatur, meus eſt: eum ego ex iure meum eſſe aio: ibi ego te ex iure manu conſertum voco. Cui is, à quo vendicabatur, ſic præſcribebat: Vnde tu me ex iure manu conſertum vocaſti, inde ego te reuoco. Quorum verborum Cicero *in Oratio. pro Murena* meminit, vimque eorum *lib. vlt. cap. 9.* A. Gel. explicat. Rei verò mouentis vendicatio ſic fiebat, apud Magiſtratum pop. Rom. vel prætorem vel præſidem. Is qui vendicat, in iudicio rem exhibitam tenens dicebat: Hanc ego rem ex iure Quiritium meam eſſe aio. Cui aduerſarius. At ego eam contra vendico. Quod ſi aduerſarius contrà non vendicabat, ſed actui aſſentiebatur, ceſſio in iure dicebatur. *l.1. §.1. de rei vind.* fiebátque vt plurimum, cùm filium quis adoptionis cauſa vendicaret: imaginaria enim hæc vendicatio obſeruabatur, prætórque vendicanti addicebat, idq; legis actio vocabatur: cuius rei *lib. Inſt. 2.* Caius eſt autor. Actionis in perſonam verba erant in vſu, Aio te mihi dare oportere. *l. verbum oportere. ff. eo. & §. ſic itaq. de act.* itémq; oportere facere, quorum Val. Probus in libello de præſcriptis notis meminit. ¶ Harum actionum præparatoriç erant interrogationes, & vindiciæ. Interrogatio ſic fiebat: Q.T.I.I.C.P.A.T.F.A. Id eſt, Quando te in iure conſpicio, poſtulo an te facias autorem: Vindicia erant ius poſſeſſionis, quo diſceptabatur pendente iudicio, penes vtrum res, quæ vendicabatur, deberet remanere: ſic dictę, vt Pedianus ait, quòd qui in his obtineret, vindicem, id eſt, prędem dare deberet, nil in re poſſeſſa deterius interim factorum. Pompon. *l. 2. de ori. iur.* Cùm animaduertiſſet, inquit Virginius Ap. Claudius, vindicias filiæ ſuæ à ſe abiudicaſſe, & ei, qui in ſeruitute ab eo ſuppoſitam peteret, addixiſſe. Quæ verba adduxi, quoniam in vulgatis codicib. corrupta circunferuntur. ¶ Cæterùm propoſita formula, Prætor de ea primùm cognoſcebat, vt an formula, vel actione actor excidiſſet, perſpiceret, vt ſic actionem, quod Vlpianus quoque vſurpat, eximeret. *l. ſed & ſi. §. ait. ff. ex quib. cau. maio.* ſi verò negotio conueniens. *l. 1. C. de for.* iuſtáque ea formula videretur, actionem dabat, quam quoniam certis verbis partes petebant impetrare dicebantur. Interrogabat enim, an ſibi de ea re iudicandi poteſtatem facerent, ipſiq́ue ſe facere reſpondebant: ſicq́ue iudicium accipiebatur, id eſt, lis conteſtabatur: deponebantq; in æde ſacra ſportulam, in qua pecunia erat, quàm, qui viciſſet, lucrabatur: ea pecunia ſacramentum dicebatur. Inde eſt apud M. Varronem, & Ciceronem, Sacramento vincere. Et quia deinde cœptum eſt ex huiuſmodi ære iudicibus honoraria perſolui, ſportulę iudicum inde nomen traxerunt. Erant & qui re ipſa non deponerent, ſed ſimpliciter ſponderent: vnde ductum, vt ſponſione contendere dicerentur, tractabantúrque huiuſmodi ſacramenta, & ſponſiones, vt ego arbitror, ſponte partium: inuiti verò compellebantur vadimonium facere, id eſt, ſub certa pœna ſe iudicio ſtaturos promittere. Id etiam vadari dicitur, quod videlicet ea de cauſa, qui multæ fidei poſſeſſor non erat, vadem, id eſt, fideiuſſorem dare tenebatur. Supererat poſtremò legis actio, cùm prætor negotium definiebat: id tribus verbis explicatur, *Do, dico, addico.* Primum ad actiones, quibus rem dari petimus: ſecundum ad facta, vel rei vendicationem: vltimum ad executiones pertinet, ſicut & adiudico. ¶ Cum igitur lex de magiſtratu apud quem legis actio eſt, verba facit, de ordinario iudice intelligit. *l. 4. de adopt.* qui non ſolùm iudicare, ſed etiam exequi poſſit. Idémque eſt cùm de eo meminit, cui adiudicatio data ſit, vt ſuprà vidimus. *l. aliud. ff. eod.* ¶ Sanè actionum variæ ſunt ſpecies: non enim in rem, aut in perſonam tantùm ſunt, ſed etiam mixtæ, quibus vtrumque perſequimur. *§. quadam. Inſt. de act.* qualis eſt familiæ erciſcundæ formula: ſicut & perſonales in rem ſcriptæ, vt quæ ad exhibendum datur. *l. 3. §. eſt autem. & § fin. ad exh.* omniáque ferè interdicta: licet enim in perſonam ſint, tamen ratione rei competunt. *l. 1. § interdicta. de interd.* Dicuntur autem interdicta, quaſi interim dicta: cùm enim poſſeſſionem reſpiciant, totam litem non perimunt, quin de domino quæri poſſit. Quapropter & præiudicia quandoque appellantur. Interdicere autem apud veteres id ſignificat, quod interim dicere. Cicero *in Rhetoricis ad Heren. lib. 2. cap. 11.* Verùm pueriles horum opiniones rectiſſimis rationibus, cum voles, refellemus: in præſentiarum hoc interdicere non alienum fuit. *l. actionis. ff. de act.* Eſt & officij iudicis imploratio quam Perſecutionem propriè vocamus. *l. actionis. ff. eod.* ſoláque æquitate ſuggerente, conceditur, & ideò extraordinarium eſt iudicium. Pertinet autem ad mixti imperij cauſas, ſicut accuſatio ad meri. *l. imperium. de iu. omn. iud.* Actio ſimpliciter ad nudam iuriſdictionem: ſic res iudicata executioni mandatur: ſic de damno infecto cauetur. *l. iubent. eod. tit.* tutores conſtituuntur, iudices dantur, decretum ſemel iterúmque interponitur: ſic & fideicommiſſa olim effectum habebant, licet hodie Iuſtiniani conſtitutione actio conceſſa ſit tam perſonalis, quàm hypothecaria. *l. 1. C. comm. de leg.* Addit Angel. *§. ſi. in auth. de her. & Falc.* officium quoque iudicis competere, quod in executionibus exerceri ſolet: quoniam ſi in teſtamento non cancellato nec abolito ſcripta ſint, executionem in promptu habeant. *Moder. l. ſi. C. de edict. diui Adr.* cui ego aſſentior, licet alij contrà, quorum ſententia hoc iure verior eſſet. Sunt & qui hoc iure fideicommiſſa ordinariè per actionem peti crediderint: nam plerunque ex fideicommiſſo rem peti, agi, vendicari, in ipſis digeſtis repetitur. Accedit his, quod Vlpianus ſcribit, per omnia exæquata eſſe legata fideicommiſſis, videtúrque crebrior hæc eſſe ſententia, cui tamen nos minimè aſſentimur: nec enim Vlpianus è conuerſo dicit fideicommiſſa legatis exæquari, vt ſicut ordinario iure legata petuntur, ita & fideicommiſſa peti neceſſariò fateamur: adnotauimúſque pleriſque in locis, verba illa peti, agi, vendicari, ad officium iudicis referri: qua de re *Paradoxorum lib. 2. cap. 10.* diffuſius diſputauimus: ſentítque nobiſcum *l. etiam. C. de compenſ.* Petrus, Cinus, Baldus, Imola, Raphael, & quandoque idem aſſeruit Bartolus cum Accurſio.

BRECHÆVS.

ACTIONIS VERBVM. ¶ Proditum eſt apud logicos profeſſores Genus de ſuis ſpeciebus dici,eſſéque ipſum genus alicuius ſpeciei. Quædam autem genera,ſpecies appellari τὰ ὑπάλληλα dicta,& interiecta inter extrema,videlicet τὰ γενικώτατα καὶ εἰδικώτατα. Vt inter ſubſtantiam & hominem enumerantur,corpus, corpus animatum,animal. Quæ quamuis genera ſint,ſpecies tamen aliquando cenſentur. Nam animal cùm genus ſit ad hominem & brutum , eſt nihilominus ſpecies ad ſubſtantiam,& corpus. Eo modo, licet actionis nomen generale ſit omnium ſiue in rem,ſiue in perſonam actionum,& apud omnes veteris iuris conditores hoc nomen in omnibus pateat. *l.ſi.C.de her.vel act. vend.* Petitio tamen & perſecutio cùm ſpecies ſint, vocabulum actionis habent,ſic vt petitio dicatur actio : perſecutio item. Habet igitur actio tam ſpeciei quàm generis nomen : & tum de reali tum etiam de perſonali dicitur , de petitione & perſecutione. Ecce enim ſi quis actiones alicui legauerit, cenſebitur non reales tantùm legaſſe,ſed & perſonales atque omni ſpecie actionis poterit legatarius experiri. Quod Ioan.Fab.*in §.appellamus autem.tit. de actio.Inſt.* haud dubiè cenſuit. ¶ Iam verò actio propriè de perſonali dici ſolet,vt quia ex perſonali obligatione nata ſit,ducátque originem à contractu vel quaſi,à delicto vel quaſi delicto.*§.omnium.Inſt.de act.*& Iaſ.in eum locum.Illa autem quę ſcaturit à iure quod quis in re habet,realis propriè nominanda eſt. Veluti,Si rem corporalem poſſideat quis , quam Titius ſuam eſſe adfirmet , poſſeſſor autem dominum eius ſe eſſe contendat. Nam ſi Titius ſuam eſſe intendat,in rem actio eſt. Imperator *in d.§.omnium autem.* Equidem ſi quis rem meam poſſeſſione vſurpat, is nullo mihi iure obligatus cenſebitur : ſed ob rem meam à te poſſeſſam, aduerſum te experiri licet,actionémque realem intendere.*l.1.C.de alien.iud.mut.cau.fact.* Petitio ſi quidem propria ſignificatione in rem actio dicitur Papiniano *in l.actio.ff.de action.& oblig.* & dicitur petitio, quaſi per certum perſecutio. Nam ab aduerſario qui nullo iure mihi obligatus eſt, directè non peto: ſed per tertium,videlicet per iudicem ab eo peto,ac contendo. Et in eam ſententiam ſcribit Ioan.de Blanaſco *in tit.de act.* Perſecutio (ait idem Papinian.*in d.l.actio.*) eſt in rem vel in perſonam rei perſequendę gratia,vt quamlibet actionem perſecutoriam comprehendat,ſicut ſcribit Accurſ.*in d.l.actio.* Vel perſecutio eſt extraordinaria petitio,vt fideicommiſſaria olim. *vt inſt.de fideicomm.her. ad princ.* Præterea petitiones ſalariorum, alimentorum, mercedis, præceptorum, ingenuarum diſciplinarum, ſeu liberalium artium,quas Gręci ἐλεύθερα μαθήματα vocant,aduocatorum,Medicorum,obſtetricum, nutricum, & ſimilium quæ recenſentur *in l.1. ff.de var.& extraord.cogn.* perſecutiones dicuntur , eodem Accurſio teſte *in d.l.actio.* De perſecutionis verbo diximus abundè ſupra *in l.actionis verbo.* Cæterò,quæ actio Ciuilis,quæve criminoſa ſit,tradit ampliſſime Iaſon *in tit.de action.§.ſupereſt.* Reliqua vide apud Andr.Alc.in hunc locum.

FORNERIVS.

ACTIONIS. ¶ Tria olim formulis verba hæc vſitata erant, Actio,Petitio,Perſecutio.vt in Aquiliana ſtipulatione [Quarum rerum mecum,tibi actio,petitio,perſecutio eſt.] *§.præterea.quib.mod. tol.ob.l.18.& vno.ꝫ.de accep.l.4.de castr.pec.l.10.creditores.l.49.bonorum.ꝫ.h.t.* Cic.*Oratore ad Brut.* [Quis vnquam dubitauit,quin in rep.noſtra primas eloquentia tenuerit, ſecundas iuriſſcientia?cùm in altera gratiæ, gloriæ, præſidij plurimum eſſet , in altera perſecutionum actionumque præceptio?] Idem, ſeu quis alius auctor *Rhetoricorum ad Herennium lib.2.* [Quæritur in tranſlationibus primùm, num aliquis eius rei actionem,petitionem,poſſeſſionem,aut exſequutionem,&c.] ſuſpicor reponendum *perſecutionem.* Actio quidem rem & in perſonam generaliter:ſpecialiter petitio in perſonam,ſeu condictio.*§.ſic itaque. verſ.appellamus.de act.* quæ non niſi ex antegreſſa obligatione naſcitur.ſempérque ex contractu, vel quaſi maleficio vel quaſi oritur. *§.vlt. de obl. Inſt. l.1.ꝫ.de ob.& act.* Petitio verò propriè reiuindicationem ſignificat.*l.28.actio.de ob.et act.* quæ non in obligatum creditori:ſed in poſſeſſorem domino competit.*§.1.de act.l.verſ.in rem.de ob. & act.* Dominum enim actorem eſſe oportet. Cicero *pro L.Murena.* [Fundus meus eſt,imo meus.] Vlp. [non videtur ſuum eſſe, quod vindicari non poſſit.] *l.27. Quintus.de aur.& arg.leg.l.9.ſi ego.de iur.dot.* Ex aduerſo poſſeſſorem eſſe reum oportet vnde petitur. *d.§.1.l.vn.C.de alien.iud.mut.cau.* quomodocunque poſſideat.*l.9.officium. de rei vind.* Nam ſi poſſidere(modo non doloſè)deſierit,reus abſoluetur.*l.27.ſin autem.l.22.quod ſi dolo.l.69.is qui dolo. de rei vind.* Dolus enim pro poſſeſſione habetur, nec abnuentem poſſeſſionem excuſat. *l.131. qui dolo.de reg.iur.l.pen.de pet.her.l.1.C.vbi in rem act.*

Extraordinar. ¶ Extraordinarium ius eſt, quod nec legibus certis conſtat,nec conſtitutionibus, vlláue certa iuris ſcripti parte definitur. vt crimina extraordinaria , quorum pœna legibus non eſt conſtituta.*l.13.hodie.de pœnis.l.8.ordo.de pub.iud.* quæ ἔκτακτα ἀδικήματα. Arpocrationi ac Suidæ nominantur.de quibus nos *in l.antep.h.t.* Sicut extraordinariæ quoque actiones & cognitiones.*ꝫ.tit.de var. extraord.cogn.* vt interdicta. *§.vlt.de interd.inſt.* & *ꝫ.tit.*de interdictis, ſiue [extraordinariis actionibus,quæ pro his competunt.] vt fideicommiſſa quæ olim nulla lege nullóque iuris vinculo petebantur:ſed pudore tantùm eorum qui rogabantur,nitebantur,antequam illis Auguſtus auctoritatem tribuiſſet. *tit.de fideic.her.§.vlt.de ſing.reb.per fid.rel.* In quib.ſola teſtatoris voluntas ſpectabatur. Caius *lib.2.inſt.* Paulus *lib.4.ſentent.tit.1.& l.pen.de leg.1.* Vlpianus *frag.tit.25.* [Fideicommiſſum eſt,quod non ciuilibus verbis , ſed precariuè relinquitur : nec ex rigore iuris ciuilis proficiſcitur , ſed ex voluntate datur relinquentis.] Ibidem. [Fideicommiſſa non per formulam petuntur, vt legata : ſed cognitio eſt Romæ quidem conſulum,aut prætoris,qui fideicommiſſarius vocatur,&c.]

§. iij. Hoc verbum [debuit,] omnem omninò actionem comprehendere intelligitur,ſiue ciuilis,ſiue honoraria,ſiue fideicommiſſaria fuit perſecutio.

Alciatvs.

Hoc verbvm. ¶ Verbum debere ſi ad omnes omnino actiones refertur, procul dubio etiam eam, quæ in rem eſt, comprendet: quam ſententiam veriorem eſſe, etiam ſupra teſtatus ſum. *l. creditores. ṡ. eod.* & Accurſius hîc probat: atque ideo conſequens eſt, vt lex municipalis aliquid aduerſus eum qui quod ſibi debetur petere negligit, conſtituens, etiam de eo intelligatur, qui vendicare rem ſuam nolit, Bald. Iaſ. *Inſtit. de act. in princ.* licet aliqui diſſentiant. Qua ratione etiam arbitror, ſi quis liberationem ab eo, quod ſibi debetur, legauerit, etiam legata videri, quæ vendicari potuiſſent, niſi cùm probatur teſtatorem hoc non egiſſe, vt donaret, ſed quia verè redditas ſibi rationes exiſtimabat: Bal. *l. cum neceſſitatem. C. de fideic. l. pactum. C. de coll. quaeſt.* 12. tunc enim ne furtum committere quiſquam tutor impunè poſſit, propius eſt, vt in rem actio heredi detur. Sed & ſi quis vetet rationem repoſci, clarum eſt his verbis non eſſe rei ſuæ dominium remiſſum, *l. fi. §. pen. de lib. leg.* Sed num is, qui id, quod Titius debet, fide ſua eſſe iuſſit, promiſiſſe etiam videbitur, quod officio iudicis acceſſoriè debetur, quales in contractibus bonæ fidei ſunt vſuræ? Et non teneri verius eſt, niſi in omnem caſum promiſerit. *l. quaero. ff. loc.*

Fornerivs.

Hoc verbvm. ¶ Cum Actionis nomē generale ſit omnium ſiue in rem, ſiue in perſonam, actionum, & apud omnes veteris iuris conditores hoc nomen in omnibus pateat, auctore Iuſtiniano. *l. vlt. C. de her. vel act. vend. l. 25. actionum. l. 37. actionis. ṡ. de obl. & act.* conſequens eſt, *debendi* verbum ad omnem quoque actionem pertinere. Cùm actione quiſque quod ſibi debetur, perſequatur. *§. 1. de actionibus.* At aliquis dicat: nobis id quod noſtrum ſit, non deberi: neque id condici, ſed vindicari ſolere. *d. l. 27. Quintus. l. 27. quicquid. de acq. rer. dom.* Quare alterutrum (vel rem noſtram actione, ab eo qui nullo iure nobis ſit obligatus, peti: vel reiuindicationem actionis nomine contineri) abſurdum videri. *d. §. 1. & §. ſic itaque. verſ. appellamus.* Sed verius eſt, (quod hîc dicitur) generale (Debendi) verbum in omnem actionis ſpeciem cadere. Quare nihil neceſſe fuit, Celſi definitioni, quam eruditi viri mancam cenſent, quicquam addi. [Actio nihil aliud eſt, quàm ius, quod ſibi debeatur, iudicio perſequendi.] *l. 51. nihil. de ob. & act.* Illi, quo reiuindicationem quoque complectantur, adiiciunt, *Suúmve eſt.* At nihil vetat, quominus & rerum noſtrarum, non quidem dominium, ſed earum poſſeſſionem nobis reſtitui debere, eóque nomine reum nobis obnoxium eſſe intendamus. *l. 9. officium. de rei vindic.*

CLXXIX. Idem lib. Ij. ad Sabinum.

Inter hæc verba, [Quanti ea res erit: vel Quanti eam rem eſſe paret.] nihil intereſt. In vtraque enim clauſula, placet veram rei æſtimationem fieri.

Alciatvs.

Inter hæc verba. ¶ Hæc verba, quanti ea res eſt, ad veram rei, de qua agitur, æſtimationem referuntur. *l. arbitrio. ṡ. de dol. l. prætor. 2. vi bon. rap.* nō etiam ad id quod intereſt: illud enim plerunque rei pretium excedit. Quandoque tamen etiam id quod intereſt continēt: verbi gratia, in magiſtratum qui damni infecti caueri non curauerit, lex, quanti ea res eſt, actionem dat. *l. 4. §. in eum. de dam. infec.* eius enim culpa non minus damnum rei, quam acceſſiones quoque reſpicit: vnde meritò omnis vtilitas actori reponenda eſt, quoniam ea res, id eſt, detrimentum de quo agitur, tanti eſt. Sed & hæc clauſula ad eam, quæ petita eſt, quantitatem quandoque refertur. *l. fi. ṡ. ſi quis ius dic.* licet veritas æſtimationis alia ſit, vt quidam ſentiunt. *l. 3. in fin. qui ſat. cog.* quod tamen ipſe omnino non probo, intelligimúſque quanti ea res eſt, ſcilicet, quæ petita eſt. *l. hac verba. ĵ. eod.* Referunt & quandoque ad pœnam, vt cùm quis ſtipulatur, ſi dolus malus non aberit, quanti ea res erit dare ſpondes? *l. nouiſſ. ma. ind. ſol.* Eſt & alia clauſula huic ſimilis. In quantum iudici æquum videbitur. *l. fina. de var. cog.* quæ ſine dubio id, quod intereſt, continet. ¶ Hinc autem notandum eſt, non differre quanti eſt, vel quanti eſſe apparet: id enim eſſe dicimus, quod probatum eſt. Vnde in iudiciis id verum eſſe proditum eſt. *l. final. de probat.* non quod ex ſe ſimpliciter verum eſt, ſed quod ex actis verum eſſe probatur. Qua ratione infertur, debere iudicem ſecundum acta iudicare. *l. illicitas. §. veritas. de offic. præfec.* non ſecundum conſcientiam ſuam: niſi is legibus ſolutus ſit, vt princeps, vel qui abſque actorum confeſſione ius dicere poſſit, vel exploratiſſimum habeat, nihílque penitus dubitet, quin veritas aliter ſe habeat, quàm probatum fuerit: tunc enim principem admunere debet, cùm probabiliter dubitet, illúdque, exequetur, quod ſibi reſponſum fuerit. *§. fina. in auth. de iud.* Crediderim & poſſe eum munere iudicandi abſolui, ſi ſibi non liquere iurauerit: cùm enim per conſcientiam ſuam probationes infirmentur, non iniuria quid agere debeat, dubitare poteſt: & ideo more maiorum iurabit N. L. id eſt, non liquere. *l. Pomponius. de re iud.* Quod & Aul. Gel. cùm iudex à prætore allectus eſſet, ſe in caſu non æquè dubio feciſſe autor eſt, *lib. 14. cap. 2.*

Brechævs.

Inter. ¶ Vt clariùs hoc Vlpiani reſponſum aperiam, præfari lubet, *Id quod intereſt* tripbariam à noſtris vulgò accipi. Aut enim id quod intereſt, ad communem rei æſtimationem traducitur, aut ex adiectione ſingulari, aut ex conuentione deduci ſolet. Siquidem intereſſe ſingulariter dicimus,

quod ex perſona petentis conſideratur:communiter,quod communi omnium æſtimatione. At verò quamuis hęc oratio, *Quanti ea res erit*, ad id quod intereſt referenda ſit, ſiutque eadem, Mea intereſt, & quanti ea res eſt, tamen nec ſimpliciter nec abſolute ad id quod intereſt referri debet. Tantùm enim ad id quod communiter, non ſingulariter, nec ex conuentione, intereſt, adæquanda ſunt hæc verba, *Quanti ea res erit*, id eſt, ad veram germanámque rei æſtimationem: de qua id quod communiter intereſt, ſeu intereſſe commune, dici propriè oportet. Itaque tametſi, id quod intereſt, nihil aliud ſit quam quando damnum ſentit aliquis, vel proprium perdendo, vel lucrum non acquirendo, & propter generalem latéque patentem rei ſignificationem, augmentum acceſſionémque plerunque admittat, ac etiam precium rei quandoque longè excedat & ſuperet. ſi tamen quis ſtipuletur, Quanti ea res erit, penſitabitur id quod intereſt ſecundum communem rei, id eſt, veram rei æſtimationem, ſeu in dãdo, ſeu etiam in faciendo concepta ſit ſtipulatio. ¶Nihil ergo intereſt quis ſtipuletur, quanti ea res erit, vel quanti eam rem eſſe apparebit. Quandoquidem non aliter quanti res erit apparere poteſt, quàm ex communi omnium æſtimatione, & veritate ipſius vel rei, vel pœnæ. *l.1. ff. ſi quis ius dicen. non obtemp. l.2. §. fin. ff. qui ſatiſdare cogan. l. ſi ſeruum. ff. ad leg. Aquil. & §.1. Inſtit. eod. titu. l. ſi procuratori falſo. ff. de cond. cauſ. dat.* Concludendum igitur fuerit, has duas clauſulas *Quanti ea res erit*, vel, *Quanti eſſe apparebit*, in eundem ſenſum accipi. Quod Vlpianus hoc reſponſo intelligi voluit. Videto reliqua in eum locum apud And. Alciat. & apud Zaſium *in d. l.1. §. hoc iudicium. ff. ſi quis ius dicen. non obtemp. & in intellect. ſingul.* & eundem *in l. ſtipulatio. §. ſi quis dolum. ff. de verb. oblig.* Alciat. *in l. vnic. C. de ſenten. quæ pro eo quod inter. prof. & de.* Iacobum Reginaldum Turonum quondam apud Andes Iuris profeſſorem eximium, in eo tractatu, quem de eo quod intereſt, ſcripſit ampliſſimum eundémque eruditiſſimum. Erat ille enim doctrina iuris & literarum cognitione præſtantiſſimus: qui poſtquàm totos plus 40. annos in Andium academia iure publicè & frequenti auditorum corona edocuit, tandem nonageſimum agens annum raptim exceſſit è vita, Anno domini M. D. XLVII. Sexto Calend. Nouembr.

FORNERIVS.

INTER. ¶Comparantur duæ formulæ, quarum eandem vim Vlpian. tradit: vtraque verum rei pretium ſignificari, non id quod intereſt. *l. vn. ſ. ſi quis ius dicent. non obtemp. l. pen. ne quis eum qui in ius voc. l.4. de damn. inf. l.1. de in lit. iurand.* QVANTI EA RES ERIT: clauſula multis edictis, legibus, ſtipulationibus adhibebatur: apud veteres his notis excipi ſolita. Q.E.R.E.T.P.I.R.D.T.Q.D.T.D.D. P.F. id eſt interprete Valer. Probo. QVANTI EA RES ERIT, TANTÆ PECVNIÆ IVDICIVM RECVPERATORIVM DATO, TESTIBVSQVE DVNTAXAT DECEM DENVNCIANDI POTESTATEM FACIAM. Sed hæc interpretatio in multos incurrit anfractus: cum alibi, his verbis, *Quanti ea res erit*, nõ modò veram rei æſtimationem: ſed omnem vtilitatem ademptam, omne illatum damnum, ſeu id quod intereſt, intelligi non ſemel iuris auctores admoneant. *l.14. ſi cum exceptione. §. Labeo. ſ. quod met. cauſ. l.3. §. in hoc. vti poſſidet. l. vlt. ne quis eum qui in ius voc. l. antep. ad legem Aquil.* Quod Deo volente, vberiùs pòſt in eiuſdem argumenti capite enucleabimus. *l.193. hæc verba quanti. ſ. h.s.*

CLXXX. POMPONIVS lib. xxx. ad Sabinum.

TVGVRII appellatione omne ædificium, quod ruſticæ magis cuſtodiæ conuenit, quàm vrbanis ædibus, ſignificatur. Ofilius ait tugurium à tecto, tanquam tegularium, eſſe dictum, vt toga, quòd ea tegamur.

ALCIATVS.

TVGVRII. ¶Tugurium ruſtica eſt caſa, à tegendo dictum, quòd videlicet maximum in eo vſum præſtet, quòd ab aëris iniuria, & pluuiis nos tegat: propter fragilitatem enim cratium, nec à frigore ſatis defenditur, nec calore, neque admodum à furibus effractoribúſve tutum eſt. Hincque apparet, debere quaſcunque res ab eo potiùs denominari, quod ſibi ſpecialius eſt, quàm quòd cum aliis commune habeat. Sic ſtipulatio potiùs à verborum firmitate, quàm à conſenſu nomen ſumpſit. *l.1. in prin. de verb. oblig.* Sic hominem negat Fab. Quintil. ab humo dictum: cùm id omnibus animantibus commune ſit: nam & ab eo, quod potentius eſt, vnumquodq; denominari debet: potentius autem id cenſetur, quod magis ſpecialiter conuenit. *l. quæritur. de ſtat. hom.* ¶Sanè videtur Iuriſconſultus tugurium accipere pro quacunque domo ruſtica: quod ita ſimpliciter verum non eſt: quæ enim parietibus & tegulis lateritiis conſtat, tugurium nõ eſt: igitur de gurgutiolo intelligendum eſt, quod vel arundine, vel vlua paluſtri, ſtramentiſve, vel etiam (vt Vergilius ſcribit) ceſpite contectum ſit, cuius parietes viminei, luto, vel huiuſmodi materia cruſtati ſint. Videtúrque prius dictum eſſe tegurium à tegulo, quaſi tegularium: non autem à tecto, vt vulgati hic habent codices. Plin. Tegulo aquaticarum arundinum domos ſuas ſeptemtrionales populi operiunt. Hunc in modum domunculas ſuas habebant Aphri, quas Vergil. mapalia, Iuuenalis attegias vocat.

BRECHÆVS.

TVGVRII. ¶Eſt propriè Tugurium ruſtica domuncula ædificata vimineis aut aliàs ligneis cratibus, intextis ſtramentis aut harundinibus, tectáque culmis temerè congeſtis. Dicitur autem Tugurium à tegendo, authore Seruio *in Vergilium*. Offilius à tecto putat dictum: ſed non tam quidem appoſitè quàm Seruius ipſe à tegendo: propterea quòd tectum ipſum, tugurium eſt: periudéque à tegendo dicitur tectum, atque tugurium, quòd ipſo tugurio, vt tecto tegamur: cæteræ quoque

res

res ruſticæ, & animalia ac etiam inſtrumenta ruſtica contegantur. Sic toga à tegendo dicta, quemadmodum Stola apud Græcos ἀπὸ τοῦ στέλλεσθαι, quod operire & induere ſignificat, vt ſupra annotauimus, & Lazarus Bayſius teſtis eſt. ¶ Sed quorſum hoc Pomponij reſponſum ſpectat? Sanè vt doceamur argumentationem ab interpretatione verbi nonnunquam in iure cenſendo prodeſſe, atque illi quidem argumentationi eſſe locum. Vt ſi quis dicat: pupillorum bona tuetur, ergo tutor eſt. Hoc autem multipliciter dici ſolet. Aut enim Etymologia eſt, aut Alluſio, aut allegoria, aut cætera huiuſmodi. Sæpe etiam coniugata & denominata dicuntur. Etymologia quæ à Cicerone *in Topicis* modò notatio, modò veriloquium ab Ariſtotele appellatur σύμβολον, quod latinè, eodem Cicerone teſte, eſt nota, vel, vt quibuſdam aliis placet, ſignum, indicium eſt, quando ad veram verbi interpretationem, vocem traducimus. Ipſe Cicero ſcribit argumenta duci à notatione, cum ex vi nominis argumétum elicitur: eámque eſſe notationem quam Græci ἐτυμολογίαν vocant, id eſt (inquit) verbum ex verbo, veriloquium. At verbi non ſatis apti nouitatem fugiens, genus hoc argumenti, notationem melius (vt Rodolphus agricola cenſet) appellat, quia ſunt verba rerum notę, ἔστι τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, inquit Ariſtoteles *lib.1. περὶ ἑρμηνείας*. Cùm igitur ducuntur argumenta ab Etymologia ſeu à notatione aut veriloquio, vel, vt Boetbio placet, ab interpretatione verbi, non tam vocem quàm vocis & verbi ipſius veram ſignificationem, quæ animi ſenſa aperiat, conſideramus, & eam quidem orationem quæ mentis ſit interpres, vt ait Cicero *libro primo de legibus*. Nam, vt idem Cicero *in Topicis* tradit, cum intelligitur quid ſignificatur, minus laborandum eſt de nomine. Multa igitur diſputando efficiuntur notatione, ex verbo: vt cum dicimus ducem, quia ducat: regem, quia regat: & togam à regendo corpore. Sic caſam ædificiúmque quod ruſticæ rei tegendæ ac cuſtodiendæ magis conuenit, quàm quod vrbanis ædibus, Tugurium à tegendo, tanquam tegularium dici Pomponio placet. Sic quoque ex vi nominis dicimus animam conſtare & perfici ex aere quem ſuſpitando haurimus: quoniam anima, quòd ventum ſignificet, ſit vocata, ἀπὸ τοῦ ἀνέμου. Eo modo pecuniam in inſtrumento domeſtico eſſe, quoniam ipſa inſtruatur domus. Hoc idem tradidit Rodolphus Agricola *libro primo de inuentione dialect.c.23.* Sic quæ à nobis alienata ſunt, cum ad hoſtem peruenerint, & ex ſuo tanquam limine exierint, hinc cum redierint poſt ad idem limen, poſtliminio (quod à limine & pòſt Scæuola dictum putauit) rediiſſe videntur, id eſt ad verum & ſuum dominum vnde exciderant, & ad alium peruenerant: & hoc quidem ab Etymologia poſtliminij, & nota ipſius vocis, quę quidem nota ſenſa animi aperiat. Nam quamuis poſtliminium ſit ius quo qui ab hoſtibus, à quibus in bello aut circa bellum capti erãt, ad ſuos redeunt, & limen proprium recipiunt, ſi tamen quid mihi vel vi vel furto perierit, & in alterius ditionem, quocum neque fœdus, neque hoſpitium, neque amicitiam inieram, peruenerit, tum demum idipſum recuperé, poſtliminio ad me rediiſſe videbitur. *l.poſtliminij ius.& l.poſtliminium.ff.de capt.& poſtlim.reuerſ.* Non enim quæritur quæ ſint poſtliminij iura, ſed verbum ipſum poſtliminij notatur. Ita quamuis Sacrilegium à ſacro & legendo, videatur dictum, vt ſpicilegium, à legendis, id eſt colligendis ſpicis, nihilominus qui ſacri aliquid, aut pecuniam de templo ſurripuit, is ſacrilegium admiſiſſe cenſebitur. Et non ex voce, ſed ex mentis captu & coniectura: vel ex hoc quod τεκμήριον Græci appellant, id eſt, propriam rei notam. Quare rectè mihi videtur Baldus *in cap.1.§.ſi quis de manſo.de controuerſ.inueſtitu.in vſib.feud.* definiſſe Etymologiam eſſe reſolutionem vocis in verum & proprium effectum verbi. Proxima equidem Etymologiæ eſt Alluſio, quæ plerunque a ſono vocis prouenit: frequenter ab effectibus, aut fini veriſimili, quiq; frequentius contingere ſolet: aut à modis efficiendi: de qua latè ſcripſit Claud. Cantiuncula, vir egregiè doctus, *in Topic.legal.*& exempla profert ex *l.1.ff.de acquiren.poſſ.ex l.bonorum.l.dimiſſoriæ.l.ager.l.Tugury.l.plebs.§.pignus. hoc tit.de verb.ſig.& inſtitu.de teſtamen.in princip.* Poſtea varias Alluſionis ſpecies proſequitur: docétque quantum ab Etymologia diſcrepat Alluſio: quæ ab alludendo verbo dicitur. Alludit autem is qui ad aliud mentem referens, inde ducit, quod ad rem, de qua agitur, facit: & qui quaſi ludens rem ſuam proſequitur. Quæ diffinitio eſt Iacobi Strebæi *in Comment. ad lib.1.Ciceronis, de oratore ad Q.Fratrem.* Metaphoræ autem, Allegoriæ, imagines, collationes, ſimilitudines, exempla ſunt Alluſiones, quæ modò ad probandum, modò ad ornandum valent. ¶ Allegoria, quam inuerſionem Quintilianus *lib.8.* vbi de tropis agit, interpretatur, eſt cum fluxerunt plures continuæ tranſlationes, & alia planè fit oratio. Ab aliis immutata oratio dicitur, & contexta metaphoris: ſeries metaphorarum. Hoc genus, inquit M.Cicero *in oratore ad Brutum*, ἀλληγορίαν Græci appellant. Hæc, vt tradit ipſe Quintilianus *eodem loco*, aliud verbis, aliud ſenſu oſtendit: ac etiam interim contrarium. Nihil ſanè ad rem pertinet Anagoge, tametſi metaphoræ videatur aliquo modo finitima. Eſt autem ἀναγωγή, quæ à noſtris, receſſus dicitur, quando ab humilibus ad ſublimia & ardua aſcendit oratio, & hæc theologis frequentior. Quandoquidem mentis ſubnexionem à littera ad ſenſum ſpiritalem, à terrenis ad cœleſtia, ἀναγωγὴν dicunt. Vt cùm dominus pollicetur Iudæis terram fluentem lacte & melle, ἀναγωγικῶς cœleſtem ſedem, & patriam deliciarum ſpiritalium copia redundantem intelligunt: παρὰ τὸ ἀνά, τουτέστιν ἄνω, quod ſurſum ſignificat. Eſt ἀναγωγὴ mentis ſurſum eleuatio, & receſſus. Quemadmodum ſanguinis rejectionem Medici τὴν τοῦ αἵματος ἀναγωγὴν, id eſt, ſurſum eductionem dicunt, quum videlicet ſanguis è pulmonibus, tuſſi, aut è ventriculo, vomitu ſurſum educitur: vnde ἀναβάττειν αἷμα, extuſſire ſanguinem, frequens apud Gale.& Hippocr. loquutio. ¶ Sed longius inſtituti rationem egredior, atque euehor. Hoc quippe leuiter & in tranſitu libuit attingere. Redeamus ad Etymologiam. Eſt illa quidem plerunque fallax, teſte Valla *lib.4.elegan.c.20.*& imprimis (niſi fideli fundamento nitatur) friuola. Nihil (ait ipſe Valla *lib.6.c.36.*) habet magis ridiculum hæc de qua loquimur ſcientia, quàm Etymologiam, in qua ipſe quoq; Varro luſit & luſus eſt. Et paulò infra arguit Donatum ſcribẽtem ſyncerum dici quaſi ſine cera: cum potiùs ex duobus Græcis σὺν videlicet, & κηρὸς cõponatur: quod iunctum ſignificat, cum cera. Et quamuis *Cice.lib.1.Offic.* ſcripſerit

fidem ideo dictam, quia fiat quod dicitur: hanc tamen etymologiam fallacem eſſe ex eo declarat, quod nomen etiam chordam muſici inſtrumenti ſignificet. Ita mulier ab aliquibus ineptè ἐτυμολογεῖται mollis aër: quam rectius à mollicie dictam cum Lactantio exiſtimauerim. Verum tamen Iureconſulti frequenter ab etymologia ducunt argumenta: quod non ſimpliciter fieri ſolet. Aut enim ducitur argumentum ab eo quod per etymologiam interpretamur ad ipſam etymologiam: aut è contrario, ab ipſa etymologia ad vocem interpretatam. Quod quomodo fiat, & de locis argumentorum ab etymologia, alluſione, & interpretatione vocabuli, videbis diffusè apud Clau. Cantiunculam *loco ſuprà commemorato*: & apud Nicolaum Euerardum de Midelburgo, In eo opere quod Topicorum legalium centuriam inſcripſit. Eſt locus de ea re ampliſſimus. Illum tu petes ſi voles. Eſt enim vir copiosè eruditus in Iure.

FORNERIVS.

TVGVRII. ¶ Tuguria, mappalia, humiles non vrbanæ, ſed ruſticæ caſę, quales ferè paſtoribus parabantur. A. Gellius. *de Peregrino philoſopho. lib.* 12. *cap.* 11. [Diuerſantem in quodam tugurio extra vrbem vidimus.] Græci hic. Καλύβη καλεῖται πᾶν ἀγροικὸν οἰκοδόμημα. Quod Caius dixerat, [In mare piſcantibus liberum eſſe caſam in littore ponere, qua ſe recipiant.] *l.* 5. *de rer. diuiſ.* ita Theophilus *de rer. diuiſ.* πᾶσι τοῖς βουλομένοις ἄδεια δίδοται καλύβας ἑαυτοῖς ἐπιτιθέναι, ἵνα ἑαυτοὺς ἀναπαύειν. Vnde ſeruitus vt liceat mihi tugurium habere in tuo, ita demùm rectè conſtituitur, ſi paſcui ſeruitutem habeam, aut pecoris appellendi. [Vt ſi hiems ingruerit, habeam, quo me recipiam.] *l.* 6. *veluti. de ſeruit. præd. ruſt.* Vnde ſaltum Gallus Ælius. *lib.* 2. *ſignificationum quæ ad ius ciuile pertinent*, ita definiit. [Saltus eſt, vbi ſyluæ & paſtiones ſunt (νομαὶ αἷς Γραικοί, Harmenop.) quorum cauſa caſæ quoque, ſi qua particula in eo ſaltu paſtorum, aut cuſtodum cauſa aratur. ea res non perimit nomen ſaltus:] Hæc Feſtus Rectè igitur Pomponius ruſticæ magis cuſtodiæ. quàm ædibus vrbanis Tugurium conuenire ait, non temerè repetita ex Ofilio nominis notatione. Cui Feſt. Pompeij quod ex Romana editione ſubiiciam teſtimonium adſtipulatur. [Tuguria à tecto appellantur. domicilia ruſticorum ſordida.] Afranius *in Virgine*, [Sordidum tugurium eſt.] Cæcilius *in hypobolimæo*. [Habitabat in tugurio, ne operculo.] Quo nomine Valerius *in explanatione* 12. ait etiam .... ſignificari. Legem illam non ſine deſiderio amiſimus, Vtinam verò fragmentum, vnde huc aliquid opis afferre liceret, haberemus,

Toga. ¶ Non clam me eſt, dici tegillum, & tectum pro toga, ſeu qualibet veſte, qua tegeremur: Feſtum ac Nonium annotaſſe. Plautus Rudente. [Tegillum mi vuum areſcit: Id ſi vis, dabo. Eodem amictus, eodem tectus eſſe ſoleo, cum pluit.] Scio & togam, eiúſque vſum ciuium Rom. proprium, *l.* 32. *ſed ſi accepto* §. *de iur. fiſc.* quo vt carebant, quibus aqua & igni eſſet interdictum. Plinius *lib.* 4. *epiſt.* 11. ſic Romanis ciuibus non impunè licebat abſtinere, & barbara veſte indui. Cicero *pro Corn. Balbo*. Macrob *lib.* 6. *Saturnal. cap.* 5. Paulus *lib.* 3. *ſent. tit.* 4. Verùm & togam pro tecto, quò reſpexit Pomponius, vſurparunt. Titinius, Gemina. [Si rus ſcorto conſtituit, claueis illico abſtrudi iubeo: ruſticæ ne ſit togæ copia.] (interprete Nonio, in Toga) id eſt, tecti.

CLXXXI. IDEM lib. xxxv. ad Sabinum.

VERBVM illud PERTINERE latiſſimè patet. Nam & eis rebus petendis aptum eſt, quæ dominij noſtri ſint: & eis quas iure aliquo poſſideamus, quamuis non ſint noſtri dominij. Pertinere ad nos etiam ea dicimus, quæ in nulla eorum cauſa ſint, ſed eſſe poſſint.

ALCIATVS.

VERBVM ILLVD, PERTINERE. ¶ Verbum pertinere, latiſſimam habet ſignificationem: ſiue enim res aliqua ad me iure dominij, ſiue etiam iure poſſeſſionis tantum ſpectet, pertinere dicitur: idē ſi iure pignoris, ſed & ſi nullo iure pertineat, ſed pertinere poſſit, idem dicendum eſt. Quare ſi quis mihi Stichum dare promiſerit, quo caſu ſola perſonali actione conueniri poteſt vere poterò dicere Stichum ad me pertinere. Quapropter dicuntur articuli ad cauſam pertinere qui quoquo modo vel leuiſſimè adminiculentur. Bal. *c.* 3. *extra de teſt.* atque ideo admittendi ſunt. Sed & qui quamcuq; in libello rem petit, cum his quæ ad eam pertinent, petiiſſe intelligetur quicquid ad eam ſpectat, ſeu ex iuris communis, vel municipalis forma. Doct. *c. cum ad ſedem. de reſt. ſpol.* ſeu ex conſuetudine, ſeu per ſe, ſeu per alium. Glo. *c. ſi. de elect. in* 6. Vnde qui fundum cum his, quæ ad fundum pertinent, vendidit, ius quoque incidendi nemoris pro illius fundi vſu vendidiſſe intelligetur, Socin. *l.* 1. *de reb. dub.* ſi ex dominij conſuetudine id nemus in hoc deputatum erat: atque id Socino placuit. Sed & ſi Rom. Pontifex epiſcopo concedit, quæcunque ad legatos pertinent, ea quoque tribuiſſe videbitur, quæ ſpeciali priuilegio legati conſequuntur, vt Decius reſpondit, *Conſ.* 128. & mihi placet: quoniam id beneficium tanquam fauorabile interpretatione adiuuandum eſt. Cæterum dubitari poteſt cùm is, qui furti accuſat, debeat adſerere in libello, an res oblata iure proprietatis vel quaſi dominij ad ſe ſpectet: ſi ſimpliciter ad ſe pertinere dicat, an cauſam obtinere poſſit? Et quidam negant, propter eius verbi incertitudinem. Socin. *conſil.* 8. At ipſe aio: debet enim ad iuris diſpoſitionem referri, vt de eo intelligatur, quod ſuſtinendæ intentioni neceſſarium erat. *l. ſi quis intentione. de ind.* ¶ Illud non omittendum, id verbum in ſubſtitutionibus commune eſſe, & tam ad directam, quàm fideicōmiſſariam

ſubſtitutionem refetri. *l.licet. C.de pact.* idque frequentiùs proditum eſt.

BRECHÆVS.

VERBVM ILLVD, PERTINERE. ¶ Latiſſima eſt verbi huius, *Pertinere*, ſignificatio. Continet enim ea quę & noſtri dominij ſunt, & quę etiam quoquomodo poſſidemus, tametſi hę in dominio noſtro nequaquam fuerint. Pertinere autem (inquit Cuiacius *lib.10.c.5.* cùm de heredum qualitate & differentia agit) ad aliquem hereditas aut legatum dicitur, cùm poteſt, ſi velit, ſibi acquirere & ſibi habere; vt purè data hereditas tempore mortis: ſub conditione data, cum impleta eſt conditio. Vnde Neratius. *l.non oportet. de legat.2.* Non oportere tradit prius de cuiuſquam conditione quæri, quàm ad eum hereditas legatúmve pertineat. Sed & cùm Prætor ait: Cuius nomine quis actionem dari ſibi poſtulabit. Is eum viri boni arbitratu defendat: & ei quocum eo nomine agit, id ratum habere eum ad quem ea res pertinet, boni viri arbitratu ſatiſdet, illis verbis, Vlp. *l.nõ ſolùm.§.quæritur. ff.de proc.* negat creditores contineri, & de domino tantum eſſe cautum, cenſet, déque eius heredibus. Quæ etiam eſt Bartoli in eundem locum ſententia. Sic quoque id quod me mandante factum eſt, pertinere ad me dicitur. Quare idem Vlpianus in *l.ſi quis ex argentariis.§.ex hoc edicto.ff.de edendo.* Pertinere autem (ait) videtur ad me ratio, ſi modò eam tractaueris me mandante. Ad eum ſiquidem pertinere dicitur, cui actio competit. Sed & ſi quæ res ſit mihi cum aliquo communis, eam ad me pertinere iure dicam, cuius quidem rei diſtrahendæ facultas mihi conceſſa ſit. *l.quoties. C.de vendit. re.fiſcal.com.cum priua.& l.res quæ.§.res autem.ff.de iur.fiſci.*

FORNERIVS.

VERBVM ILLVD. ¶ Pertinere quid ad nos, non vna ratione dicitur. Iure dominij, ciuilis, aut prætorij *l.70.ſciendum.ꝯ.h.t.l.19. Liber.de acq.rer.dom.l.pen.filiam.de legat.2.* Iure poſſeſſionis, id eſt, quaſi dominij: non quidem detentionis, ſeu κατοχῆς. *l.1 de acq.poſſ.l.9.ſi ſuper.C.de tranſ.* ſed prędij, cuius aliena proprietas, vſus noſter ſit *l.115.quæſtio.ꝯ.h.t.* Quale ius habent, emphyteutę, ſuperficiarij, vectigales coloni, perpetuarij, embateutici, clientelares ſeu feudatarij. *l.3.de reb.cor. qui verius poſſeſſores, quàm domini cenſentur.l.1.ſi ager vectig.vel emph.* Quamquam & hi propter inconcuſſum ius poſſeſſionis, domini nominentur *l.3.l.5.l.12.poſſeſſores.C.de fund.patrim.* Et generaliter omne, in quo quid iuris vindicare mihi poſſum, iuriſdictionis, pignoris, patronatus, eiúſue quod intereſt nomine, rectè id ad me pertinere dixerim. *l.1.§.ad vrbem. de off.præfect: vrb. l.4.l.6.ſi quis.§.pertinere. ꝯ.de ed.arg.l.51. talem.ſi.de hered.inſt.l.3.l.antep.de pop.act.* Vnde fit, vt quamuis rei alienæ pignus niſi volente domino, non conſtituitur, aut niſi debitor poſteà nactus ſit dominium *l.9.ſi rem l.20.aliena.l.antep. de pign.act. l.16.ſi fundus.22.l.ſi Titio.ꝯ.de pign.* Tamen creditorem, (qui pignoris dominium non habet) rem ſibi oppoſitam oppignerare nihil vetat: ſed ita vt perempto ipſius iure, ſecundi pignoris cauſa euaneſcat. *l.1.l.2.C.ſi pign.pignor.* Sic rei communis ſocius partem ſuam, non alienam pignori opponit. *l.7.ſi conſenſit.§.illud.ꝯ.quib.mod.pign.vel hyp.ſol.l.vn.C.ſi rec com pign.*

Rebus petendis. ¶ Id eſt vindicandis. *l.28.actio.de ob.& act.l.178.pecunia. ꝯ.h.t.* Tot enim reiuindicationum, quot & dominiorum genera: vniuerſalium rerum, ſingularium, ſeruitutum, vſusfructus, rerum vectigalium. *l.1.ſi ager vectig.rerum, quas poſſidẽdo vſucupere cœperamus.tit. de Publician.§.namque ſi cui.de action.* Eadémque ratione, eum qui Publiciana vti poteſt, ſi pignus cuius dominium non habebat, creditori dederit, tuebitur Prætor: & vectigalem poſſeſſorem: cuius iure ſoluto, ius quoque pignoris ab eo conſtituti perimetur. *l.18.ſi ab eo.l.31.lex vectigali.ꝯ.de pign.* Vt creditoris rem ſibi oppigneratã pignori opponẽtis, iure ſublato poſterius pignus liberatur *l.13.grege.§.cum pignori.ꝯ.de pig.*

Iure vtique poſſideamus. ¶ Iure vſusfructus vel ſeruitutis, vel ſuperficiei *tit.ſi ſeruit.vind.tit.ſi vſusfruct.pet.§.æquè. de action.* Vnde quamuis ſuperficiarius (quia dominus non eſt) ſeruitutem non imponat: quia ſuperficies ſolo cedit *l.vlt.ꝯ.de ſuperfic.* ſitque velut inquilinus & conductor. *l.3 ſi.de non. op.nunc.* & ſolus, qui dominus eſt, ſeruitutem poſſit iure ciuili conſtituere. *l.5.comm.præd.* Iure tamen prætorio ſeruitutem imponet: quia & pro domino à prætore habeatur, & ſuperficiem vindicet. *l.1.ſi. de ſuperfic.l.73.in ſpeciali.ll.ſeqq.ꝯ.de reiuind.* & Publiciana experiatur. *l.12. cum ſponſus.§.in vectigali. de Public.in rem act.* & interdicto vti poſſidetis, ſi quis quominus fruatur, vim faciat. *d l.1.l.3.§.cæterum.vti poſſid.* denique ſeruitutes tum reales, tum perſonales imponet. quæ ſi minùs iure ciuili, prætoris certè tuitione valeant. *d.l.1.ꝯ.quib.mod.vſusfr.amitt.* Nam quod dicitur, neminem niſi qui proprietatem habeat, ſeruitutem imponere. *l.15.ſed etſi.§.pen.ꝯ.de vſufr.* ſic accipiendum eſt, ne impoſita à ſuperficiario ſeruitus directo domino noceat: quo minùs ſi ſuperficies cum ſolo conſolidetur, redeátque ad proprietatem, ſeruitus extinguatur. Sicut in emphyteuta, vaſſalóq; receptum eſt: qui rebus in feudum vel Emphyteuſim conceſſis, ſeruitutem vel pignus imponunt, ſaluo domini iure. *c.1.§. quid ergo. de inueſtitura in re alien.fact.* Non ſecus ac impoſita ab herede fundo ſub conditione legato ſeruitus, exiſtente conditione ceſſabit *l.11.ſi is cui.fin.quemad.ſeru.amitt. l.1.ſi.de vſufr.leg.* Generaliter enim, [reſoluta auctoris cauſa, ius quoque accipientis extingui,] definitur. *d.l.31. lex vectigali. l.4.aliàs.l.5.ſi ex duobus. §.idem Iulianus.de in diem addict.* Quod in pignore ita quidẽ obtinet, niſi ius auctoris culpa reſoluatur: tunc enim pignoris vinculum permanebit. *l.3.ꝯ.quib.mod.pign.vel hyp.ſol.l.43.bonem.§.pignus.de adil.ed. Non ſint dominij noſtri.* ¶ Idem ergo hic in Emphyteuta, quod & in ſuperficiario, quando quod huic datur, idem & illi conceditur, ſtatuemus *l.1.ſi ager vect.* Etſi enim alienare prohibeatur. *l.vltim. C.de iur.Emphyt. §.adeò. de locat. Inſtit.* ac ſeruitutis impoſitio ſpecies ſit alienationis. *l.vlt.C.de reb.alien.non alien.* In qua conſtituenda, eorum, qui ius in re habent, conſenſus requiritur. *l.8. in concedendo.de aqua pluu.* Sicuti maritus (quamuis conſtante matrimonio dominus.

l.9.doce.C.de reiuind.) nec ſundo dotali ſeruitutem imponere, nec debitam remittere poteſt *l.5.6.7.ff.de fund.dot.* Non prorſus tamen otioſa erit Emphyteutæ (ſeruitutem imponentis) conuentio: vt ipſi quidem, non domino noceat, exemplo prouincialium, prædiis tributariis & vectigalibus ſeruientem imponentium: at ſaluo principis iure. *l.3.C.de ſeruit.l.3.ſ.de non.oper. nunc.* Semper id agitur ſcilicet, tacitáque ſubeſt conditio, vt exſtincto auctoris iure, manans quoque ab eo accipientis cauſa deleatur. *l.69.peto.§.prædium.de leg.2.l.antep.fin.de iur.fiſc.* Nihilque vetat vaſallum in re clientelari, colonum in emphyteutica, pignus, vſumfructum, ſeruitutem (ſpreto domini conſenſu, ſaluo tamen ipſius iure) conſtituere. *d.§.quid ergo.l.1.ſ.quib.mod.vſusfr.amitt. l.16.inter.fin.de pign.act.* Sui quemque iuris arbitrum ac dominum leges iubent *l.21.in re.C.mand. l.7.nemo externus. C.de Iuda.* etiam abutendo. *l.25.ſed etſi.§.conſuluit.de pet.her.* Dummodo citra alterius fraudem & incommodum id fiat. *d.l.31. lex vectigali.l 3.ſ.de oper.pub. Sed eſſe poſſint.* ¶ Qualia ſunt, quæ a conditione pendent, vel in diem conferuntur. *l.8.cum is.qui & à quibus man.l.4.de ſeparat. l.6.in poſſeſſionem. quibus ex cauſ in poſſ.eat.l.54.conditionales.ſ.h.t.* Quæ enim ſperantur, quadamtenus ad nos pertinent, vt filij κατ' ἐλπίδα, etiam viuo patre, domini exiſtimantur. *l.11. in ſuis.de libe.& poſthum.* Illud enim *eſſe poſſint,* Græci, *ſperamus,* conuertunt. Τὸ διαφέρον δηλοῦν καὶ τὰ ὄντα τῆς δεσποτείας ἡμῶν, καὶ ἅπερ νεμόμεθα, ἢ ἐλπίζομεν κατὰ ἀρχὴν νέμεσθαι. Donari ſpes poteſt, ac remitti. *l.2.C.de pact.l.3.C.de donat.* Et quæ nondum ſunt, futura tamen ſunt, hypothecæ dari poſſunt. *l.15. & qua.ſ.de pign.* Concedi etiam poteſt, vt aquam quæras, & inuentam ducas. *l.vlt.ſi ſeruit.vind.*

CLXXXII. VLPIANVS lib. xxviij. ad Edictum.

PATERFAMILIAS liber peculium non poteſt habere, quemadmodum nec ſeruus bona.

ALCIATVS.

PATERFAMILIAS. ¶ Peculium lata ſignificatione pro patrimonio omni accipitur. *l.cogi.ad Trebel.* ea quoque pecunia, quam repoſitam quis in ſubitos caſus habet, peculium dicitur. Quapropter Proculus ſe audiſſe ruſticos ſenes refert, adſerentes pecuniam ſine peculio fragilem eſſe. *l. thorus.de legat.3.* Sed hoc ſenſu minimè id reſponſum intelligi poteſt. Eſt & peculium, de quo hic Iuriſconſultus loquitur, quod niſi his, qui in aliena poteſtate ſunt, quæritur: & cùm extra poteſtatem mittuntur, amplius peculium non eſt. *l.fin.C.de inoffi.teſt.* In filiisfamilias profectitium dicitur, quod propter patrem habent: Aduentitium, quod aliunde: Caſtrenſe, quod militibus acquiritur: Quaſi Caſtrenſe, his qui priuilegia militum habent, quales ſunt ſacerdotes, & aduocati. Habent & ſerui peculium, quod illis dominus adminiſtrandum permittit: vnde etiam exercitoria, inſtitoriáque actio prodita eſt: alioquin proprium nihil habere poſſunt ſerui. *l.rectè.ſ.ex quibus cau.ma.* prætterquàm ſi quid conniuentibus oculis domini acquirant. *l.4.de manumiſſ.* vel ex dimenſo ſuo, vel aliunde. Iure tamen gentium non ambigo ſeruum bona habere poſſe: quod in Hebraica Regum hiſtoria *cap.9.& cap.16.* probatur. Vnde ſi paulò opulentiores eſſent, ad munera quoque publica eligebantur, quod ab Ariſtotele *lib. Politicorum.4.cap.15.* proditum eſt. Nam & eo iure dominis ſine legitima prole decedentibus, ſuccedebant, vt ἐν τῇ βιβλίῳ Geneſeos *cap.15.* habetur: & ideo Cornel. Tacitus non multum à liberis apud germanos differre eos tradidit, vnde non dubito, ſeruum naturaliter poſſidere. *l.quod ſeruus.de acqui.poſſeſſ.* licet ciuiliter ſecùs ſit. Bart. *l.ſi id quod.de condict.indeb.* Nec mihi placet quorundam ſententia duplex ius gentium diſtinguentium, vt ex antiquiore ſerui ſibi acquirerent, ex poſteriore non acquirerent, ſed pro nihilo reputarentur: hæc enim diſtinctio iure probari non poteſt, & lex expreſſim iure ciuili incapaces eos eſſe. *l.quod attinet.ſ.iu.1.* non autem gentium dicit: mecúmque Archidiac. & Aret. ſenſerunt. *l.1.de acq.poſſeſſ.*

BRECHÆVS.

PATERFAMILIAS. ¶ Bona filiorum familiâs, & qui in poteſtate parentum ſunt, peculium propriè dicuntur: de quibus cùm teſtamentum in caſtris cõdere liceat, hoc tamen priuilegij iure cenſentur, vt querelæ minimè ſubiaceat. Cũ verò ſui iuris effecti ſunt & patresſamiliâs, peculij nomen amplius non permanet, & cum aliis rebus cõfunditur: ſimiléque fortunam recipit, quemadmodum & cæteræ res eorum: & vnum congregatur ex omnibus patrimonium. *l.ſi.ad finem. C.de inofficioſo teſtamen.* Hoc igitur à peculio differt patrimonium, quòd de patriſſamiliâs & eo qui ſui iuris eſt, dicatur: ac cum de patrimonio, teſtamento ſtatuerit, inofficioſi querela poſſit intendi: Peculium verò ſit filiorumfamiliâs, nec ad inofficioſi querelam pertineat.

FORNERIVS.

PATERFAM. ¶ Peculium eſt ſeruorum filiorúmve ſam. poſſeſſio. Gloſſat. vet. κτῆσις τῶν ἐν ἀλλοτρίᾳ ἐξουσίᾳ ὄντων ἴδιον ἤ, ἢ δούλων. ſeu patrimonium naturale eſt, patris aut domini voluntate conceſſum. Theophilus. *§.cum autem. Inſt. quod cum eo qui in alien.pot.* Οὐσία φυσικὴ συγχωρουμένη υἱῷ, κατὰ γνώμην πατρὸς, ἢ δεσπότου. &c. Singula deinceps definitionis verba enarrans, expendit, *naturale:* quoniam iure ciuili, alienæ obnoxius poteſtati nihil habeat proprium: Κατὰ νόμους οὐσίαν ἔχειν ὑπεξούσιος οὐ δύναται. Philo Iudæus περὶ δεκαλογίου, expunens diuinum, de parentibus obſeruandis præceptum: Παῖδων γὰρ οὐδὲν ἴδιον, ὃ μὴ γονέων ἐστὶν, ἢ οἴκοθεν ἐπιδιδόντων, ἢ τὰς αἰτίας τῆς κτήσεως ὑπηρετησαμένων. id eſt. Filiorum nihil proprium, quod parentum non ſit. Aut enim parentes de ſuo dederunt, aut auctores dominij, habendique cauſam filiis præbuere. Vnde fit, vt bonorum omnium publicatio non niſi in patresfamiliâs (qui ſoli bona habere dicuntur) cadat: in ſeruos filióſve familiâs

(qui ſu

(qui iuri alieno ſubſunt) damnatos minimè. Sed peculia damnatorum ciuili, quaſique imaginaria morte, iure poteſtatis ad parentem dominúmve redeant *l.1.§.5. C.de bon.proſcrip.* Marcianus, [Filiusfamilias neque retinere, neque recipetare, neque adipiſci poſſeſſionem rei peculiaris videtur.] *l.93. filiusf.§.vlt.ſeq.* Iſidorus *lib.5. Etymolog.cap.25.* peculium eſſe ait, quod pater vel dominus, filium vel ſeruum pro ſuo iure tractare patitur: ſeparatum ſcilicet à rationibus dominicis. *l.5.fin.de pecul.* Alludens Seneca *lib.7.cap.4.de benefic.* [Nunquid dubium eſt, inquit, quin ſeruus cum peculio domini ſit? dat tamen domino ſuo munus. Non enim ideò nihil habet ſeruus, quia non eſt habiturus, ſi dominus illum habere noluerit: nec ideò non eſt munus, cum volens dedit: quia potuit eripi, etiam ſi noluiſſet.] Et pòſt paulò. [Omnia patris ſunt, quæ in liberorum manu ſunt. Quis tamen neſcit, & donari aliquid filium patri?] Quamobrem quod in filiorum ſeruorúmque peculio eſt: non in ipſorum dominio eſt, ac ne in ciuili quidem poſſeſſione, pro qua interdictum detur. *d.l.93. filiusf. l.44. initio.§.filiusf.de vſuc. l.4.de acq.poſſ.l.13.filiusf.* *de iure patro.* [Paterfamilias.] ¶ Vlpian. bona & peculium oppoſuit: illa liberorum hominum: hoc obnoxiorum. Feſtus. [Peculium ſeruorum, à pecu dictum eſt: vt & pecunia patrumfamiliæ.] vt XII. Tab. lege, [Super pecunia, tutelâve ſua legaſſit.] *l.53. ſæpe.* *h.t.* & in illo plebiſcito. [Quantam cuique ciui Romano pecuniam dare legare volet.] *l.1.* *ad leg.Falcid.* Quamuis autem peculium, puſillam pecuniam, ſiue patrimonium puſillum. *(l.5.de pecul.)* non habere paterfamilias hic dicatur: abuſiuè tamen interdum (quod & hic obſeruauit Accurſius) id nomen accipitur. [Si heres rogetur patrimonium, facultates, cenſum, fortunas, ſubſtantiam reſtituere. ſed etſi peculium meum teſtator dixerit (inquit Vlpianus) quia plerique ὑποκοριστικῶς patrimonium ſuum, peculium dicunt, &c.] *l.16. cogi. ad Sc.Treb.* Alioqui non niſi ex impropria vocis ſignificatione, teſtamentum ſubſiſteret: quod ab eo, qui alienæ ſubiicitur poteſtati, fieri non poteſt. *l. 6. qui teſt.fac.poſſ.* Pater autem familias peculium non habet: ſed extenuandæ rei gratia, καταχρηστικῶς teſtator ita loquutus eſt. Vt aliàs peculium minùs propriè pro ſepoſita in periculi ſubſidium pecunia veteres vſurparunt: Celſus. [His verbis, *(Quæ ibi mobilia mea erunt, do lego)* nummos ibi repoſitos, vt mutui darentur, non eſſe legatos Proculus ait, at eos, quos præſidij cauſa repoſitos haberet vt quidam bellis ciuilibus factitaſſent, eos legato contineri & audiſſe ſe ruſticos ſenes ita dicentes, *Pecuniam ſine peculio rem fragilem eſſe:* pecuniam appellantes, quod præſidij cauſa ſeponeretur.] *l.79. ſi chorus.de leg.3.* Quorum verborum ſententiam diu multúmque ab elegantioris doctrinæ magiſtris quæſitam, ſeduloque tractatam memini. Ipſe ſymbolam conferre, quidque mihi videatur, paucis abſoluere non grauabor. Periculoſis bellorum ciuilium temporibus, ancipitique reip. diſcrimine, incerti ciues, aliò ſedibus relictis migraturi, nummos viatici ergò, quaſi neceſſarium quoddam ſubſidium ſeponebant: quibus nec facilè ædes, fundóſue auferre nec occulere, oculiſque inſidiantium auertere liceret: pecuniam contrà, expedire & exportare commodiùs. Theodoſ. & Valent. [Immobiles res, quæ nec latere facilè poſſunt, &c.] *l.2.C.quand.& quib.quart.pars deb.* ſicut Græcis τὰ ἔγγεια χρήματα, ſunt manifeſtæ facultates, rerum quæ ſolo continentur, φανερὰ οὐσία: contráque ἀφανὴς οὐσία, pecunia Harpocrationi, & Sudæ exponitur. Euſebius Emiſenus, de ſymbolo *Homel.1.* [Si quis poſſeſſor, inquit, diffuſus ac locuples, migraturus ad aliam regionem quaſcunque opes habet, in aurum ac gemmas redigat, & intra vnum ſacculum congreget bona ſua, non cumulo æſtimanda, ſed pretio: vt facilè quocunque vadit, ſuas ſecum poſſit ferre diuitias, concludens in ſinu ſuum theſaurum.] Quod cum nonnullam fugæ ſpeciem ferret, plerique tanquam malè de reip. ſalute ominantes, in coniurationis & proditionis patriæ ſuſpicionem veniebant. Suet. Tranquillus, de Tyberij calumniis, & diuitum confiſcatione diſſerens, *cap. 49.* [Vt quibuſdam nihil aliud ſit obiectum, quàm quòd partem rei familiaris in pecunia haberent.] Obiectum id P. Cincio crimen Cicero purgare nititur: cum ait. [Plurimis & pulcherrimis P. Cincij prædiis venditis, æs alienum eiuſdem diſſolutum eſt: vt quæ cauſa cæteros ad facinus impulit, cupiditas retinendæ poſſeſſionis, ea Cincio non fuerit, prædiis diminutis.] & aliquantò pòſt. [Vænire ſuas poſſeſſiones, & patrimonio ſe ornatiſſimo ſpoliari maluit, quàm vllam moram cuiquam fieri creditorum ſuorum. A quo quidem genere Iudices, ego nunquam timui, cum in illa reip. tempeſtate verſarer. Illud erat genus hominum horribile, & pertimeſcendum qui tanto amore ſuas poſſeſſiones amplexi tenebant, vt ab his membra diuelli citius ac diſtrahi poſſe diceres. Cincius nunquam ſibi cognationem cum prædiis eſſe exiſtimauit ſuis. Itaque ſe non modò ex ſuſpicione tanti ſceleris, verùm etiam ex omni hominum ſermone, non armis, ſed patrimonio ſuo vindicauit.] Hæc ille, *in orat. pro P. Sylla.* Ex quibus facilè quiuis affinem coniurationis ſuſpicioni, prædiorum in bello ciuili venditionem fuiſſe perſpiciat. [Liber.] ¶ Hæc vox Florentiæ ſcripta, à cæteris antiquioribus, ac meis manuſcriptis abeſt: otioſa quidem, at non abſurda: Cum ſerui homines, præter alimenta ac peculium (quod à domini nutu pendet) proprium habeant nihil. *l.17. ſeruos.de alim.& cib.leg.§.Item vobis. Inſt. per quas perſon.cuiq.acq.* Quorſum de dediticiis ac Latinis libertis agens Iuſtinianus. [Licet, vt liberi, inquit, vitam ſuam peragebant: Attamen ipſo vltimo ſpiritu ſimul animam atque libertatem amittebant: Et quaſi ſeruorum ita bona eorum iure quodammodo peculij, ex lege Iunia Norbana manumiſſores detinebant.] *§.ſed hæc.de iis de ſucceſſ.libert.* quaſi peculium dixit, neque enim viuorum libertinorum vllum fuerat peculium: quum liberi vixiſſent. *l.vlt.§.C.de inoff.teſtam.* lege Norbana, at non iure hereditario. Theophil. Vlpian. *fragm.tit.20.§.Latinus.* [Nec ſeruus bona.] ¶ Sed, vti diximus, peculium. Plautus Rudente. [Peculioſum eſſe decet ſeruum, & probum.] Frugi enim ſerui certa parſimoniáque rem peculiarem adaugebant. Dauus Terentianus *Phorm.*

Quod is vnciatim vix de demenſo ſuo
Suum defrudans genium, comparſit miſer,
Id illa vniuerſum abripiet, haud exiſtimans,
Quanto labore partum.

Baſilicôn

Baſilicôn ſynopſ.*lib.57.tit.2.ὃ ἀπὸ βασιλικῶν ὀψωνίων ἐκτήσατο ἢ ἐξ ὧν μὴ ἀπαιτεῖται.* Florentinus. [Peculium & ex eo conſiſtit, quod parſimonia ſua quis parauit: vel officio meruit, à quolibet ſibi donari. Idq; velut proprium patrimonium ſeruum ſuum habere quis voluerit.] *l.39.peculium.ff.de pec.* Plautus *Moſtellaria.*

Hi ſi deprehenſi ſunt, faciunt à malo
Peculium, quod nequeunt facere de ſuo,
Augent ex pauxillo, theſaurum inde parant.

Vide Iſidor.*lib.5.Etymolog.cap.25.lib.16.c.17.* Senec.*lib.7.c.4.de Beneſic.*

CLXXXIII. IDEM lib. xxviij. ad Edictum.

TABERNÆ appellatio declarat omne vtile ad habitandum ædificium. Non ex eo quòd tabulis cluditur.

ALCIATVS.

TABERNÆ. ¶ Taberna dicta eſt, quòd tabulis (vt Feſtus interpretatur) conficeretur, non quòd tantùmmodo clauderetur: omne tamen ædificium, licet tabulis non conficiatur, vel claudatur, taberna dici poteſt. Et hinc apparet, argumentum ab Etymologia, etiam negatiuè adſumendo, non valere. In quo articulo inextricabiliter ferè diſputatum eſt. Sed hanc rem ego ſic finire ſoleo. Cùm etymologia vim definitionis habet: quam *κατ' ἀντίλεξιν* Victorinus appellat: argumentum & adfirmatiuè & negatiuè concludit: vt donatio, eſt doni datio, exceptio, eſt actionis excluſio: inſtrumentum, quod inſtruit cauſam *l.1.ff.de fid.inſtr.* Appellarunt autem veteres id genus non etymologiam, ſed aduerbium. Cùm verò etymologia naturam ſuam ſeruat, argumentum adfirmatiuè non eſt efficax: cùm enim generalius id ſit, vnde fit deductio quam ipſum quod deducitur. *l.ſi quid.§.inter.de leg.3.* poſita aliqua generis parte, non ſequitur, eam ſpeciem, de qua agimus, poni: vnde qui dicit de meo fit tuum, non ideo concludit eſſe mutuum. Negatiuè verò efficax eſt, quia à quo remouetur genus, ab eo & quælibet ſpecies remouetur. exempli cauſa: Fur à ferendo, id eſt, contrectando dicitur: verum erit, ſi dicamus, res non fuit contrectata, igitur in eo furtum factum non eſt *l.1.de acquir.poſſ.* & id pro regula proditum eſt: Quæ hanc exceptionem patitur, vt non procedat, cùm ratio inuentionis vocabuli aliud inducit. Quid enim ſi quid inductum eſt ab eo, quod fieri deberet? Non ſequitur, ſi id minus fiat, nomen non competere. Tutores dicti ſunt, quòd pupillum tueri debent: Idque ex eorum definitione à Seruio tradita apparet: Monachi, quòd ſolitarij eſſe deberent: non conſequitur eum tutorem, qui pupillum negligit, non eſſe tutorem: nec aſſiduum in frequentibus locis, non eſſe monachum. Quod & in Pontifice. & Auguſto ex recentium interpretatione dicendum eſt: iamdiu enim eſt, cùm nec Pontifices ad vitam æternam nobis pontem faciunt, nec augent imperium Auguſti. Quid item ſi ab eo, quod olim & frequentius obſeruabatur, nomen deductum ſit? vt nuptiæ, quòd in his ſolerent obnubi capita. *Inſt.de pat.pot.in princ.* tametſi non obnubantur hodie mulieres, ſunt tamen nuptiæ. Sic taberna prius dicta, quòd ex tabulis fieret: vnde etiam ſi alio modo conficiatur, nihilominus ſeruat nomen. Sic monaſterium nomen retinet, etiam ſi à monachis derelictum ſit. *c.cùm dilectus.de conſu.* ¶ Putarem tamen in dubiis propius eſſe, vt arbitremur, ab eo, quod de ſubſtantia impræſentiarum ſit. Abb.*c.1.in fi.de ind.* fieri deriuationem, quàm ab eo, quòd eſſe deberet, vel olim fuerit. Et ideo conſequens erit, Caret molis, ergo non eſt molendinum, vt Baldus ſcripſit. *c.1.§.ſi quid.de contr.inueſti.* Item non inuenitur in bonis pupilli, ergo in inuentario deſcribendum non eſt, vt Bartolus exiſtimauit. *l.tutor.de admin.tut.* & hæc in etymologia procedunt, quam veriloquium Cicero appellat. In alluſione verò aliud eſt. hæc enim nec ad ſubſtantiam rei, nec ad deriuationem omnino reſpicit. ſed ad ſolius vocis ſimilitudinem refertur: vt, poſſeſſio quaſi poſitio, magiſtri quòd monſtrent, furtum quaſi furuum, teſtamentum teſtatio mentis, ſacellum ſacra cella, interdictum inter duos dictum: vera enim poſſeſſionis etymologia eſt, à ſedibus: magiſtri, quòd curam magis cæteris præſtare debeat: furis à Græco *φῶρ*, quæ vox *ἀπὸ τοῦ φέρειν*, id eſt, auferendo, contrectandóque deducitur, teſtamenti ſacellíque à ſimplici teſtatione. & ſacro, interdicti, quaſi interim dicti, vt ſuprà oſtendimus. Vnde conſequens eſt, vt cùm alluſio ad ſimilitudinem vocum ſolum referatur, argumentum ab ea non ſit iuſtum. niſi ſimilitudini nominis ſimilitudo quoque rationis accedat. Damnantur pleriſque huiuſmodi alluſiones, vt à Donato Fabióq; Quintil.*lib.1.* Sed & Hieronymus quadam epiſtola interpretem Lucæ damnat, qui alludit in verbis, friget in ſenſu. Videtur alluſio eſſe, quam Græci, vt Martianus inquit, *παρέτυμον* vocant, vel *παρονομασίαν*, id eſt, adnominationem.

De hac lege vide Brechaeum ff.l.ſeq.

FORNERIVS.

TABERNÆ. ¶ Quamuis hæc tabernæ definitio latiùs pateat: propriè tamen ad officinam ſeu ergaſterium pertinet *l.2.C.de epiſc.& cler.Nouel.45.* Taberna Lanionis *l.2.de orig.iur.* Caſearia.*l.7.ſicuti.ſi ſeru.vind.* Argentaria.*l.32.qui tabernas.de contr.empt.* Ferraria.*l.pen.de leg.2.* Purpuraria. *l.91.praedui.§.pater.de leg.3.* Vſitatiùs tamen pro loco, vbi merces vænales exponuntur, accipi ſolet. Veluti cum quæritur, quid legata, vendita, oppigneratáve taberna, contineatur, ſolum, an ius, an etiam merces quæ ibi ſunt, inſtitoréſque contineantur. *d.l.32.l.pen.l.7.tabernam.l.13.taberna.de fund.inſtr.* Comparatus ad negotiationem exercendam habitandi locus *l.19.heres.de iudic.l.27.ſi pendentes.de vſufruct.* Seneca *lib.2.in ſapientem non cadere iniuriam,c.13.* [Non moleſtè feram, ſi non reddiderit nomen aliquis ex his, qui ad caſtra negotiantur, nequam mancipia ementes vendentéſque, quorum tabernæ peſſimorum ſeruorum turba refertæ ſunt?] Inſtitores innuit, qui officinis negotiis gerendis,

contrah

contrahendiſque mercimoniis præponuntur. Nam & ſeruos, ancillas, mares, fœminas, pueros, puellas tabernæ præficiebant: ex quorum contractibus domini conuenirentur. *l.3.l.7.ſed & ſi quis. l.ſeq.l.11. ſed ſi pupillus.§.proſcribere.de inſtit.act.l.5.§.ſed ſi duas.de trib.act.* [Non ex eo, quod.] ¶ In editione Norica, negatione detracta ſcribitur. [Nempe ex eo.] ¶ Quod licet conſentanea veriloquij ratione defendi poſſit: Florentinorum tamen, ac veterum librorum, paſſim etiam Accurſio probata lectio verior videtur: hoc ſenſu: Quamuis tabernæ à tabulis, vnde primùm ſtruebantur nomen inuenerint: Tamen inſuper habita etymo, omne ædificium, licet tabulis non clauſum, tabernæ vocabulo denotatur. Græci, *σκηνὴ λέγεται πᾶσα οἴκησις. d.l.19.heres. l.13.qui bona.§.quidam.de damn.infect. l.15.item apud. §.conuicium.de iniur.* Sæpe enim vſuuenit, vt antiqua rerum, vnde initio tracta, nomina maneant, ſublata licet principe cauſa. Supellectilis origo inde manauit, quòd olim his, qui in legationem proficiſcerentur, locari ſolerent, quæ ſub pellibus vſui forent: hoc in deſuetudinem abiit, nec eò minùs nomine in aliis pleriſque vtimur. *l.7.Labeo. & tot.tit. de ſupp. leg.* Cum ex altera parte inſulæ alueus fluminis exaruerit, deſiit eſſe inſula: [Sed quo faciliùs res intelligeretur (inquit Proculus) agrum qui inſula fuerat, inſulam appellant.] *l.56.inſula.fin.de acq.rer.dom.* Tecta caſtrenſia, quamuis tentoriis ac pellibus contegantur, tabernacula tamen dicuntur, vt Feſtus tradit. Seneca *de breuitate vitæ.cap.13. Cluditur.* ¶ Veteri Latinorum ab eiuſmodi verbis (a) reticentium more: occludere, includere, recludere, concludere, cluſuræ. Caſſiodoro: cluſus carcere. *l.216.verum.ͳ.h.t.* cluſa pecunia. *l.31.in naue.ͳ.loc.* in antiqua inſcriptione, [Orbe, mari, & terra pacatis, templo Iani cluſo, & rep.P.R. optimis legibus & ſanctiſſ. inſtitutis reformata.] Ita vti cluduntur. *l.92.ſi mihi.de leg.2.* Defrudare. [Nepti, ne ex auita conuentione commodo dotis deſrudetur.] *l.45.Cauus.ſol.matr.*

CLXXXIIII. PAVLVS lib. xxx. ad Edictum.

INDE tabernacula & contubernales dicti ſunt.

ALCIATVS.

INDE CONTVBERNALES. ¶ Ædificia antiquorum ſolis tabulis conſtabant, claudebantúrque: vnde taberna generaliter poteſt accipi pro omni habitatione: & tabernaculo. Inde & contubernales, qui ſimul habitant. Vſus tamen poſteriorum obtinuit, vt tabernam ſimpliciter dicamus, in qua merces venduntur. Sicque Catullus dixiſſe videtur, Salax taberna vóſque contubernales, A pileatis nona fratribus pila. Sic & M. Cicero tabernarios accepit pro his, qui negociationes in tabernis faciunt, dum inquit: Opifices & tabernarios, atque illam omnem fæcem ciuitatis, quid eſt negocij concitare? Addit Nonius Marcellus, tempeſtate ſua tabernas appellari ſolitas vinarias, quod & vulgò nunc obtinet. In re militari contubernales dicuntur. *l.rem.§.1.commod.* qui in iiſdem tabernaculis ſeu tentoriis militant. Hinc & contubernium. Sanè quod in Quiritibus matrimonium eſt, in ſeruis contubernium quandoque appellatur. *l.liberorum ͳ.eo.*

BRECHÆVS.

TABERNÆ. ¶ Supra traditum eſt a Pomponio, Tugurium, ruſticum ædificium eſſe, ipſumque à tecto, &, vt toga, a tegendo dictum: hoc autem loco Vlpianus etymologiæ exempla dum exequitur, Tabernam ideo dictam ſcribit, quòd tabulis claudatur: atque ex hoc declarari eſſe ædificium omne quo habitationis gratia vti ſolemus. Donatus dictam exiſtimat Tabernā, quaſi trabeam, à validioribus trabibus, quibus ſuperiora ſuſpenſa ſunt. Sunt autem Tabulæ apud architecturæ profeſſores, aſſeres ſectiles, authore Feſto, à quibus etiam & aſſamenta, & aſſulæ dicuntur. A tabulis, tabulationem, & tabulata accipiunt. Ioan. Baptiſt. Albert. *lib.7.rei ædificatoriæ.c.9.* Vacua inter tigna, vbi eſt opus elegans, complentur tabulis æquè latis, & imponunt tigna perpendiculo vt aſſideant in ſolido ſuæ columnæ. Tignorum verò capita, ex tabulis prodeunt ad modulum dimidium tabulatum perpendicula, cum infirma condicunt faſcia trabis ſubſtitutæ. In tabulis iſtiuſmodi, ſculpuntur capita vitulorum, patinæ, rotæve, & eiuſmodi. Tignis & tabulis quibuſque ſua imponitur faſceola, cimatij loco, lata modulos duos, &c. Idem *lib.3.c.12.* Tabulas nimium ſpiſſas putant non commodas: quoniam detorqueri cum occeperint, clauos extrudant: & aſſeribus quamuis tenuiuſculis, clauos apponi iubent duplices, præſertim ſub diualibus craſſationibus, quibus tabulatum anguli, & media lateráque firmentur. ¶ Tabernæ igitur inde appellatæ ſunt, quòd tabulis & clauderentur, atque etiam operirentur. Apud veteres enim, ædificia, domoſque magna quidem ex parte tabulis fuiſſe tectas, traditum eſt monumentis. Nam Plin. *lib.16.c.10.* ex Cornelij nepotis authoritate ſcribit Romam ſcandulis opertam, vſque ad regis Pyrrhi bellum annis quadringentis ſeptuaginta. Sunt autem Scandulæ quaſi ſcindulæ tabellæ, non ſerra, ſed bipenni productæ trunco delecto, veluti Plancæ quibus ad plurima vtimur. Vnde tectum ſcandulare Apuleio: niſi potiùs à ſcandendo, vt putat Marius Grapald. *lib.2.de part.ædium.* cùm tamen Iſidorus *lib.9.Etymolog.c.19.* ſcandulas à ſcindendo dictas credat: & verius vter ſenſerit, videro. Sunt igitur ſcandulæ tabellæ vicem tegularum præſtantes, quernis & ligneis aſſulis, ſeu ſectilibus aſſerculis confectæ. Vitruuius *lib.2.architect.c.1.* Hæc autem, inquit, ex his, quę ſupra ſcripta ſunt, originibus inſtituta eſſe, poſſumus ſic animaduertere, quòd ad hunc [illegible] nationibus exteris, ex his rebus ædificia conſtituuntur, vt in Gallia, Hiſpania, Luſitania, Aquitania, ſcandulis robuſteis aut ſtramentis, &c. ¶ Cæterò, Taberna erat ædificium in loco publico vbi merces, & quæcunque alia opera omnis generis venum proponebantur: hocque differt ab Officina, quòd in officina ipſa opera fierent, teſte Valla *lib.4.c.44.* Officina, inquit, eſt ſtatuarij, fuſoris, flatoris, cælatoris, excuſoris: vitrearij, pictoris, ſutoris, fabri, qui multiplex eſt: lignarius, & hic non vnius generis: fer

tis:ferrarius,nec hic ſimplex:lapidarius,qui & ipſe in multas diuiditur ſpecies. Taberna vocatur,lanaria,vinaria,olearia,& mille huiuſcemodi:vnde opifices & tabernarij vocantur. Dicimus & Tabernam argentariam,quę rectè hodie Lugduni vocari poteſt à vulgo,Cambium. T. Liuius *lib.1. Decad.1.* Ab eodem, inquit, Rege, & circa forum priuatis ædificanda diuiſa ſunt loca, porticus, tabernæque factæ. Vitruuius *lib.5.c.1.* Igitur circum ſpectacula ſpatioſiora intercolumnia diſtribuantur circáque, in porticibus argentariæ tabernæ mœnianáque ſuperioribus coaxationibus collocentur, quæ & ad vſum,& ad vectigalia publica rectè erunt diſpoſita. Scribit Pomponius in *l.2.ff. de orig.iur.* Virginium quendam arrepto cultro de taberna lanionis filiam interfeciſſe. Tabernam lanionis intelligit,in qua venduntur carnes laniatorum pecorum: cùm etiam lanionem à laniandis pecoribus dictum tradant Latini authores:& Zaſius *in d.l.* x.idem aſſerat,eúmque eſſe lanionem, quem vulgò Macellarium vocant. Tabernas quoque pro œnopoliis accipimus, & cellis vinariis vbi vinum & ſeruari & vendi ſolet,quas Xenophon ὀπώρας appellat, Vitruuius *lib.6.c.8.* Apothecas:quo etiam loco docet in veſtibulis ædificiorum,eorum maximè qui ruſticis rebus ſeruiunt,tabernas,ſtabula eſſe facienda,quæ ad fructus ſeruandos magis,quam ad elegantiæ decorem poſſunt eſſe. ¶ In ſumma,tabernæ nomen ſignificat omnem illum locum ædificio tectum tabulatum, quo & merces vendi, & opera quæcunque fabricari ſolent,ſicut in officina: ita vt eam Vallæ differentiam eludi oporteat. Cùm quæritur, inquit Neratius *ff. de fundo inſtruct. & inſtru.lega.* quod ſit tabernæ inſtrumentum? Intereſt quod genus negotiationis in ea exerceri ſolitum ſit. Papinianus *eod.tit.l.taberna.* tradit Neratium exiſtimare,tabernæ cauponæ inſtrumento legato, etiam inſtitores contineri. Sed videndum eſt (ait) ne inter inſtrumentum tabernæ & inſtrumentum cauponæ ſit diſcrimen: vt tabernæ,non niſi loci inſtrumenta ſint, vt doliaria vaſa,ancones,calices,& trullæ quæ circa cœnam ſolent traiici. Item, vrnæ,æreæ, & congiaria ſextuaria,& ſimilia. Cauponæ autem cùm negotiationis nomen ſit,etiam inſtitores. Quo quidem capite docet ipſe Papinianus multùm referre tabernæ inſtrumentum,an verò tabernę cauponæ legatum ſit. Quod reliquum eſt, taberna in genere ſignificat quodcunque ædificium habitationi paratum aptúmque. Scæuola in *l.tabernam.ff. de fundo inſtru.* propterea quòd,vt ſuprà diximus,antiquitus ædificia & domus tabulis fabricari & contegi ſolita erant. Inde tabernaculum dictum: inde etiam contubernales,quos Epimenides Cretenſis ὁμοκάπους, vt teſtis eſt Ariſtotelis *in Polit.* appellat, quòd eiuſdem tabernæ ſocij eſſent. Eſt quippe Tabernaculum Caſa, tabulis, vel corio,vel etiam arborum ramis,ſeu ſtramentis facta tectáque,ac quæ loco moueri poſſit,& huc aut illuc transferri: & eo in caſtris Imperatores vtuntur aduerſus ambientis aëris καὶ ἀνέμων ac cœli iniurias. Plinius *lib. 2.natur.hiſto.c.55.* Ideò pauidi altiores ſpecus tutiſſimos putant:aut tabernacula è pellibus belluarum, quas vitulos marinos appellant,&c. Et quoniam in prætorio Imperatoris locari ſolebat tabernaculum, Auguſtale appellabatur. Tradit Xenophon *lib.8. Padia Cyri*, tabernaculum ipſius Cyri ſemper tum hyeme,tum verò æſtate Orientem verſus ſitum fuiſſe. De tabernaculorum caſtrenſium fabrica varia, apud diuerſas gentes, ſcribit eleganter Alexander ab Alex. *lib.1. Genial.dier.c.12.* Iam verò tabernaculum quod à Græcis σκηνὴ, id eſt, Scena Latinis, eſt frons theatri, ſeu medium theatri hoſtium,vt ſcriptum eſt à Caſſiodoro *in epiſt.ad Symmach.* vbi de theatri origine tractat. Scena altior erat pulpito: pulpitum, altius Orcheſtra in qua erant Senatorum & grauiſſimorum hominum ſedes collocatæ. Proſcenium,authore Diomede,locus eſt ante ſcenam: ibi erat pulpitum, in quod fabularum actores prodirent. Vlpianus ex Labeone in *l.2.§.ait Prætor. ff. de his qui not.infam.* tradit ſcenam eſſe, quæ ludorum faciendorum cauſa quolibet loco, vbi quis conſiſtat moueatúrque, ſpectaculum ſui præbiturus poſita ſit, in publico priuatóque, vel in vico, quo tandem paſſim homines ſpectaculi cauſa admittantur. Titus Liuius *lib.9.ab vrbe cond.* ſcribit P. Licinij Pont.Max. funeris cauſa viſcerationem datam, & gladiatores C X X. pugnaſſe: & ludos funebres per triduum factos: poſt ludos, epulum:in quo cum toto foro ſtrata triclinia eſſent,tempeſtas cum magnis procellis coorta,coëgit pleroſque tabernacula ſtatuere in foro:eadem paulò pòſt,cum vndique conſerenaſſet,ſublata,defunctóſque vulgò ferebant, quòd inter fatalia vates cecinniſſent, neceſſe eſſe in foro tabernacula ſtatui. Quo Liuij loco docemur,tabernacula tentoria eſſe,quæ cuique licebat etiam in loco publico, veluti vmbracula quædam,vt ruſtici in agris inumbrationis gratia ſolent conſtruere,quæ Græci τὰ σκιάδια, παρὰ τὸ σκιάζω,quod obtegere & inumbrare ſignificat. Sic Plato περὶ θανάτου, in Axiocho dixit, τὸ σῶμα ἐστὶ τὸ τῆς ψυχῆς σκῆνος,τοῦτ' ἐπὶ ἐκπωτέρων. Corpus,inquit,hoc noſtrum,veluti quoddam tabernaculum ſeu tentorium magno noſtro malo circumaptauit natura. Hæc illius ſunt verba, τὸ δὲ σκῆνος πρὸς κακοῦ περιήρμοσεν ἡ φύσις. Teſtatur diuus Lucas *in Actis Apoſtolorum.cap.18.* Beatum Paulum texendorum tabernaculorum artem exercuiſſe cum Aquila quodam Iudæo pontico genere, & Priſcilla vxore eius. ἦσαν γὰρ,inquit,σκηνοποιοὶ τὴν τέχνην. In ſacris literis, Templum ſummi Dei, quò fideles omnes Chriſtiani coeunt adorationis gratia,tabernaculum appellatur, τὸ σκήνωμα. Εἰσελευσόμεθα εἰς τὰ σκηνώματα αὐτοῦ. προσκυνήσομεν εἰς τὸν τόπον οὗ ἔστησαν οἱ πόδες αὐτοῦ. Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco quo ſteterunt pedes eius. Hoc quidem loco ſignificatur,populum Iſraeliticum polliceri ſe celebraturum & pie ſanctéque veneraturum templum Dei,cui ędificando iam inuentus erat locus. Sanè, cùm Deus Opt.Max. ſapientiſſimúſque, ac idem ſummus rerum omnium parens & φιλάνθρωπος, vaſtam atque ampliſſimam domum dederit mortalibus,id eſt,mundum,communem (vt ait Cicero *lib. 2.de nat.deor.*) deorum & hominum ciuitatem, tum demum cœlum, mundi ſcilicet partem, vt ipſi Ciceroni poſt Ariſtotelem videtur,veluti cognationis domicilium illis conſtituerit,quod quidem ab ipſo Ariſtotele οὐρανὸς dicitur ὅρος ὢν τῶν ἄνω,vel quod omnium cóſpectui vndique pateat,vt ſit ab ὁρᾶν nónne indignum cenſebimus eſſe,templum ſummo illi opifici καὶ δημιουργῷ denegare, qui talem tantamque domum non muribus & muſtelis,ſed nobis ædificauerit? Itaque, ait diuus Bernardus, ſanctæ ſunt animæ propter inhabitantem ſpiritum Dei in nobis: ſancta ſunt, propter animas, corpora:

ſancta

ſancta eſt etiam, propter corpora,domus. Sanctum erit igitur Deo ſacrum templum, vbi perpetuò Sanctorum Deus habitet. ¶ Sed,vt omnia ſi licet,exequamur.Templum vna & altera ſignificatione dicitur. Etenim à beato Paulo,corpus noſtrum templum ſpiritus ſancti appellatur. An,inquit,neſcitis quòd templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis? Et beatus Hieronymus in quadam epiſtola ad Paulinum,de vita eremitica. Verum Chriſti templum,anima credentis eſt: illam exorna, illam veſti, illi offer donaria,in illam Chriſtum ſuſcipe. Templum etiam ipſe Chriſtus, corpus ſuum appellauit.Λύσατε, ait, τὸν ναὸν τοῦτον καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν. At ille, vt teſtatur d. Ioannes, *cap.*2. dicebat de templo corporis ſui. Quod ſi varias & multiplices templi ſignificationes perſequi liceat, templum rurſus dicitur locus in terra,augurij aut auſpicij cauſa quibuſdam conceptis verbis finitus & conſecratus.Et apud Romanos nullo alio in loco,quàm in templo,licebat cum populo agere.Nam Comitium forum,Campus Martius erant templa: id eſt,conſecrata loca. Vnde Marcus Cicero *lib.*2. *de Oratore ad Q. Frat.*Habueras enim,inquit,tu omnia in cauſa ſuperiora:vim,fugam,lapidationem, crudelitatem,tribunitiam in Cæpianis graui miſerabilíque caſu,in iudicium vocabas:deinde Principem & Senatus ciuitatis. M. Æmylium lapide percuſſum eſſe conſtabat: vi pulſum ex templo,id eſt, ex loco auguriis conſecrato,& vbi concio habebatur.Cœlum etiam dicitur templum,quòd omnium vndique pateat aſpectui, vt ex Ciceronis verbis,in ſomnium Scipionis videre eſt. Niſi enim,inquit, Deus is,cuius hoc templum eſt omne quod aſpicis, iſtis te corporis cuſtodiis liberauerit, huc tibi aditus patere non poteſt.Homines enim ſunt hac lege generati,qui tuerentur illum globum,quem in hoc templo medium vides,quæ dicitur terra.Hic templum,cœlum appellauit,& vacuum illud omne quod vndique circunſpicitur & patet: in medio cuius,tanquam in media mundi ſede,globum terræ locauit.Eſt enim templum à tuendo,vt M. Varroni placet, aut à contemplando dictum. Quoties augures ex arce augurium petunt,lituum tenent ſine nodo aduncum,quo cœli regiones & certa ſpatia, quibus videnda ad ſe pertinere volebant,tuebantur: quæ templa dicta ſunt. Sedebat enim Augur velato capite, & lituo cœli regiones notabat. Quapropter templum tribus modis dicebatur, teſte Varrone:ab natura,ab auſpicio,ab ſimilitudine. Natura in cœlo:ab auſpiciis,in terra: ab ſimilitudine,ſub terra. Templum etiam tigillum ſignificat, quod in ædificio tranſuerſum ponitur ſupra Canterios prominenteis ad extremam ſuggrundationem, author Vitruuius *lib.*5. Verùm interim à nobis templum accipitur vulgò pro æde ſacra & domo,vbi Deus adoratur.Idem etiam à Græcis vſurpatur, vt ſcribit Heſych.optim.linguæ Græcæ author ναὸς,inquit,οἶκος ἔνθα θεὸς προσκυνεῖται.Et diuinus Pſaltes.Adorabo ad templum ſanctum tuum,&c.Similiter etiam in Euangelio. Et erat ibi orans in templo.Templorum autem originem à ſepulchris magnificè extructis ſumptam Euſebius & Lactantius tradiderunt: & ante eos Clemens Alexandreus in προτρεπτικῷ ſcribit templa ædificare primum ſuperſtitionem docuiſſe. Quæ enim ſepulchra, inquit, condita fuere excellentius, templorum poſtea nomen ſortita ſunt. Etenim apud Lariſſam vrbem in templo Palladis, ſumma vrbis arce viſum fuit Acriſij templum. At verò in ſummo vrbis Athenienſium, Cecropis extitit ſepulchrum, vt Antiochus *in* 9. *hiſtoriarum libro* ſcriptum reliquit. Erichthonij quoque tumulus fuit in templo Palladis Poliados in quo iacet. Immarux autem Eumolpi ac Daeiræ filius ſimul cùm Celei filiis in Eleuſinæ templo conditus ſepulchro ſub arce ſumma,recenſetur.Clementis verba hæc ſunt. Ἔστω δὲ μὴ ἀνακτόρια, ἀλλ' εἰς ἐπίδειξιν ἐλθοῦσα, πολλὴ δὲ ἡ φύσις δημιουργὸς πολλῶν καθίσταται δαιμόνων ἐκ τύμβων θύουσα καὶ πανηγύρεις ἐπιτελοῦσα, καὶ ἀγάλματα ἀνιστᾶσα καὶ νεὼς ἀνοικοδομοῦσα, ὡς δὴ οὐδὲ γὰρ, οὐδὲ τούτους σιωπήσομαι, πρὸς δὲ, καὶ αὐτοὺς ἐξελέγξω, νεὼς μὲν, εὐφήμως ὀνομαζομένους. τάφους δὲ γενομένους, τουτέστι τοὺς τάφους νεὼς ἐπικεκλημένους. ὑμεῖς δὲ, ἀλλὰ κατ' γοῦν δεισιδαιμονίας ἐκλάθεσθε, τοὺς τάφους τιμᾶν αἰσχυνόμενοι. ἐν τῷ νεῷ τῆς ἀθηνᾶς ἐν λαρίσσῃ, ἐν τῇ ἀκροπόλει τάφος ἐστὶν Ἀκρισίου. Ἀθήνησι δὲ ἐν ἀκροπόλει Κέκροπος, ὥς φησιν Ἀντίοχος ἐν τῷ ἐνάτῳ τῶν ἱστοριῶν. Τί δαὶ Ἐριχθόνιος, οὐχὶ ἐν τῷ νεῷ τῆς πολιάδος κεκήδευται. Ἴμμαρος δὲ, ὁ Εὐμόλπου καὶ Δαείρας οὐχὶ ἐν τῷ περιβόλῳ τοῦ ἐλευσινίου τοῦ ὑπὸ τῇ ἀκροπόλει. Αἱ δὲ Κελεοῦ θυγατέρες, οὐχὶ ἐν ἐλευσῖνι τετάφαται. Pleraque alia huiuſmodi commemorat ipſe Clemens eo loco:quæ ſanè omnia longum eſſet hic transferre.Qui Græcos Clementis codices habent, ad eos, ſi videbitur, confugient. Nondum enim (quod ſciam) Latinus factus eſt ipſe Clemens. ¶ Primus omnium Moſes ſummo & vero Deo tabernaculum ædificauit,vbi orationes & pia vota ipſi Deo Opt. Max. fierent:ac in eo quidem tabernaculo extructa arca,in qua reconditæ fuerunt lapideæ tabulæ,leges populo latas continentes. Poſtmodù autem Salomon Rex ſapientiſſimus, anno Regni ſui quarto,& ab exitu Ægypti 480. præclariſſimum templum, idémque excelſum cultu artificióque mirabili fecit Hieroſolymis in honorem ſummi Dei: quod ſane ter conſecratum fuit. Primùm quidem ab ipſo Salomone, vt patet ex *c.*1.*de conſecr.diſtin.*1. Secundò in Martio, ſub Rege Dario tertio,ſub Iuda Machabæo,menſe Decembri. Tum deinde cœpere gentes magnifica Diis ſuis & idolis templa ædificare: quale fuit quondam apud Atheoienſes Iouis Olympij: & Antiochiæ,Iouis Capitolini templum percelebre,non auro laqueatum tantùm,ſed parietibus totis lamina inauratum.Et in Delpho,mundi totius vmbilico,viſum fuit templum dicatum Apollini,& intra vrbis ambitum extructum:vbi Apollinis ſimulachrum humana erat effigie. Nam in Delo,Drachonis: in Lycia verò,Lupi fuit. Ibi quidem inſigne fuit Oraculum, quò viri præclariſſimi ex omni orbe frequentes conſultum confluebant: vnde vera clariſſimáque reſponſa accipiebant. Quare, Regum, populorúmque donis ampliſſimis, ac etiam vrbium plurimarum oblationibus & theſauris luculentiſſimis refertum hoc templum fuit:Gallis poſtea Brenno duce ſpoliatum,Scurriliter autem iocabatur Brennus,locupletes deos,largiri hominibus oportere,nulliſque egere opibus, vt qui eas omnibus copioſè dare ſoleant. Quod tandem ſcelus vltore non caruit. Etenim terræ motu portio montis abrupta, Gallorum ſtrauit exercitum, inſecuta deinde tempeſtas quæ grandine & fulgure ſaucios ex vulneribus abſumpſit. Dux Brennus ingentem vulnerum dolorem ferre non valens, mortem ſibi pugione conſciuit.Vaſtauit quoque hoc idem templum Philippus Macedo,& incendit:vaſaque,& quæcunq;

precio

precioſa erant, immiſſo exercitu,dirupit. Tarquinius Gabij receptis (vt eſt apud T.Liuium *lib.1.*) & pace cùm Æquorum gente facta, templum permagnis ſumptibus laboribúſque, Tarpeio in monte Ioui conſecrauit. In quo quidem perficiendo non publica tantùm pecunia eſt vſus, fabris ex Hetruria vndiq; accitis,ſed operis etiam ex plebe. Templum quod primum omnium Romæ ſacratum fuit, illud eſt,quod Romulus fuſo fugatóque in agro Romano Ceninenſium exercitu, Ioui Feretrio in Capitolio meratus eſt: vbi ſpolia inimicorum adferri iuſſit. Apud Lacedæmonios,templa ſunt, timori, riſui,& morti dicata,vt author eſt Plutarchus in vitam Cleomenis.Timorem verò non eo cultu quo Dæmonas alios,venerantur: quos ſcilicet,tanquam veiones,procul ciuitate eſſe voluit,ne noceant: ſed quòd bene compoſitam rempubl.timore maximè contineri iudicent ipſi. In Croto vrbe viſum fuit nobile templum ipſa vrbe nobilius,Iunoni Liciniæ ſacrum,ſanctum omnibus circa populis: author T.Liuius *lib.4.ab vrbe cond.* Lucus ibi frequenti ſylua,& proceris abietis arboribus ſeptus,læta in medio paſcua habuit: vbi omnis generis ſacrum deæ paſcebatur pecus ſine vllo paſtore: ſeparatimque egreſſi cuiuſque generis greges,nocte remeabant ad ſtabula, nunquam ferarum inſidiis,non fraude violati hominum. Magni igitur fructus ex eo pecore capti, columnáque aurea inde ſolida facta & ſacrata eſt: inclytúmq; templum diuitiis etiam,non tantùm ſanctitate fuit. Permulta quidem fuere & alia Gentilium templa inſignia:quę ſingula commemorare ingentis eſſet operis.Scribit Hegeſippus *lib.1. c.35.* Herodem decimo quinto Regni ſui anno, templum Cæſari, albo de marmore, ad fonteis Iordanis condidiſſe,in eo loco,cui Panium nomen eſt. Cætera denique templa quæ apud pleraſque gentes magna in religione cultúq; fuere, & diuitiis ac ſanctitate inſignia, commemorat ampliſſimè Alexand. ab Alexan.*Genial.dier.lib.6.cap.2.* Perſæ nulla diis conſecrata templa habebant. Illi namque mundum vniuerſum,templum dicebant eſſe,propterea quòd Solem deorum maximum pręcipuúmque numen colerent. Byrhini,cùm adorare volunt, ſumma montium ſolent conſcendere: & ſine templis Iouem Papam ſalutare. ¶ At poſtquàm piiſſimus Chriſtiani numinis cultus cœpit eſſe, & homines diuina accenſi flamma,verique adoratores falſis diis neglectis, ſpretáque idololatria, in ſpiritu & veritate adorantes, vni ſe Summo Deo,ac filio eius vnigenito & coëſſentiali Chriſto omnino manciparunt,templa religioſiſſima conſecrauere,erutis primùm ac euerſis ſimulachris,quę falſis ipſis diis & item deabus erant ſacrata. Principio igitur Hieroſolymis, cellulam beatus Iacobus Deo ædificauit,& dicauit:ibique cathedram primus locauit,& apoſtolico ritu cœpit ſacrificare,teſte Euſebio.Sic diuus Matthæus in Æthiopia:ſic d.Andræas,in Scythia:& in citeriore India,diuus Bartholomæus.Quibus locis ſanctiſſima Chriſti dogmata intrepidè profitebantur. Augeſcente,tum demum,ac in dies ſingulos increbreſcente Chriſtianiſmo,ornatiora, atque altius ſe attollentia templa condebantur. Sæuiſſimis tamen impiorum Imperatorum perſecutionibus,aliquantum temporis deſiere.Cœpit enim primùm gens Iudæa Chriſtianam perſuaſionem odio habere: & ſtatim poſt aſcenſum,atque adeò ad patris dexteram reuerſum Dominum Ieſum Chriſtum, grauiſſimis inſectari ſuppliciis.Subſequutus deinde Nero impiiſſimus,& poſt eū Domitianus θεομαχίαν exercuit crudeliſſimè anno poſt paſſum Chriſtū.80. & ab orbe cōdito 4040.Sicq; imperauit annis 15. Quo tamen extincto, nephariæ ac flagitioſiſſimæ perſecutionis tempeſtas nondum quieuit:at ſæuiſſimas excitauit procellas aduerſus Chriſtianam pietatem & religionem:& id quidem vſque ad furioſa Diocletiani tempora. Qui ſanè Diocletianus, accepto imperio 210.anno poſt Domitianum, Chriſtiana perſuaſione offenſus,ingenti clade,ac variis itidémque crudeliſſimis tormentorum generibus Chriſtianos affecit. Is nonodecimo Imperij ſui anno,edicto ſanxit, vt quotquot eſſent in toto orbe eccleſiæ, funditus euerterentur ſolo æquatæ. Scripturæ ſacræ flammis penitus antiquarentur: & Chriſtianum nomen infamiæ loco eſſet, vt eſt apud Euſebium *lib.7.eccleſiaſtica hiſtor.c.26.& lib.8.c.2.* Quo toto tempore, eodémque profligatiſſimo,nulla à fidelibus publice templa extructa fuere:ſed ſacella tantùm in intimis terræ penetralibus & locis abditis conſtituebant: quod neque palam, neque apertè audebant propter imperiorum Tyrannorum ſæuitiam.Perdurauit autem hæc Chriſtianorum ingens calamitas vſque ad fœliciſſima Conſtantini Imperatoris tempora. Imperij cuius, anno decimo quarto, Nicena ſynodus coacta fuit:& decimo nono, Diuus Auguſtinus natus eſt. Ille etenim optimus ac etiam fœliciſſimus Imperator Conſtantinus,ἐς ἀεί,(vt ait Theodoritus. *eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib.1.cap.1.*) Ἀπ' ἀνθρώπων, οὐδὲ δι' ἀνθρώπου, ἀλλ' οὐρανόθεν κατὰ τὸν θεῖον ἀπόστολον τῆς κλήσεως ἔτυχε, ταύτην αὐταῖς ἐπρυτάνευσε. Νόμους γὰρ ἔγραψε θύειν μὲν εἰδώλοις ἀπείργων, οἰκοδομεῖν δὲ τὰς ἐκκλησίας παρεγγυῶν, καὶ ἄρχοντας δὲ πίστει κοσμουμένους ἐφίστη τοῖς ἔθνεσι, γεραίρειν κελεύων τοὺς ἱερέας, καὶ τοῖς παροινεῖν εἰς τούτους ἐπιχειροῦσιν ὄλεθρον ἀπειλῶν. Τότε δὲ οἱ μὲν τὰς καταλυθείσας ἐκκλησίας ἀνήγειρον, οἱ δὲ ἑτέρας εὐρυτέρας ἀνῳκοδόμουν καὶ λαμπροτέρας,&c. Id eſt, Qui neque ab hominibus, neque per homines, ſed à Deo,vt Diuinus Apoſtolus, vocatus ad imperij dignitatem,huiuſce tranquillitatis author extitit, leges namque tulit de idolorum cultu ſacrificióque ſummouendo,& inſtaurandis eccleſiis.Præterea etiam fide ornatiſſimos Proconſules ac Pręſides miſit in prouincias & nationes, quibus ſacerdotum honorem venerationémque commendauit: morte his denunciata qui hos ipſos ſacerdotes violare auſi fuiſſent.Ac tunc temporis non adflictæ proſtratæque eccleſiæ tantum reficiebantur, ſed aliæ etiam nouæ & clariores ac nobiliores ædificabantur. Hoc equidem ex ipſo Theodorito libuit in hanc rem adferre (quod vtcunque, & pro exiguis eruditionis noſtræ facultatibus ſic vertimus) quòd plurimum profuerit noſſe,quo primùm tempore, quique principes τὰ ταῖς ἐκκλησίαις συμβάλλοντα,vt idem ipſe Theodoritus ait,id eſt,eccleſiarum ſtatum erexerint,tum verò maximè confirmarint ac illuſtrarint.Quæ ſanè cauſa fuit,cur ab inſtituti propoſiti ratione hucuſque diuerterim. ¶ Redeamus igitur in viam. Eſt ſiquidem eadem ferè ſignificatio Tabernæ,quæ Tabernaculi: vtrunque enim ædificium habitationis ſignificat, quanquam vario vſu & modo: & vtrunque à Græcis ἡ σκηνή. Propriè tamen τὸ καπηλεῖον tabernam ſignificat, παρὰ τὸ καπηλεύειν, quod mercari & cauponari dicunt Latini. At σκηνὴ tabernaculum & tentorium ſignificat

καὶ σκηνὴ

καὶ σκήνωμα, καὶ σκηνώς. Homerus Illiad. *α.* vbi tabernaculum deſcribit Achillis, *κλισίαν* pro tabernaculo ponit: ſed quod ad ædium ſimilitudinem ſit extructum, & vbi poſſis accumbere. Quo fit vt Eccleſiæ verbum, cùm pro templo vſurpamus (quoniam & tabernacula, quæ etiam Herodoto *κλισιάδες* vocantur, pro templis Theologi, vt ſuprà diximus, nonnunquam accipiunt) *ἀπὸ κλισίας* dici poſſe aliquando exiſtimauerim. Sed tandem nominis originem diſcutiens & expendens, nullo negotio mutaui ſententiam: vt qui ſtatim conſiderarem *τὴν ἐκκλησίαν ἀπὸ τὸ ἐκκλησιάζειν* rectius deriuatam eſſe, quod congregare & conuentum celebrare eſt. Sic Athenienſes conuentum ciuium vocant, id eſt, *σύνοδον τῆς κατὰ τὴν πόλιν.* Nam quoties ad magnæ alicuius rei ſpectaculum, homines ex agro acceſſebant, *σύγκλητον* appellabant: & dicebatur *ἐκκλησία σύγκλητος, καὶ συνάγμενη*, id eſt, conuocata & indicta, quæ repentè noua aliqua de cauſa fiebat. Et *νόμιμος ἐκκλησία*, legitima, ſixa, ſtatáque concio, quæ ter in menſe habebatur. Vnde Demoſthenes *τὴν ἐκκλησίαν ποιεῖν* dixit, pro dare concionem. At verò Eccleſiaſterium Vitruuius *libro ſeptimo, capitulo ſexto*, tradit eſſe valde paruum theatrum, in quo Scena apud Alabandanos ab Apaturio concinnata fuit. Verumtamen non abs re fuerit, Tabernaculum, templum appellare, & eccleſiam, locúmque ſacrum ac religioſum: in quam quidem ſignificationem ipſe Dauid tabernaculi nomen vſurpauit. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? &c. Sic autem Grçca verſio habet, *Κύριε τίς παροικήσει ἐν τῷ σκηνώματί σου.* Diuus Hieronymus vertit, in tentorio. Et quidem vtrunque *σκηνὴ καὶ σκήνωμα* ſignificat. Hac autem voce Tabernaculi, intelligit Vates omnem illum locum regionémque vbi Deus Optimus Maximus ſumma & vera religione colitur. Hebræi interpretantur, cœlum: quòd tabernaculi inſtar cœlum ipſum videatur eſſe. Rectè itaque tabernaculum pro templo accipitur, quod antiqui delubrum nuncupabant. Eſt tamen inter delubrum ac templum nonnihil diſcriminis. Sunt enim templa (inquit Aſcon. Pædianus) ſingulorum Diis attributorum locorum. Delubra, multarum ædium ſub vno tecto à diluuio pluuiæ munitarum. Alij delubra dicunt eſſe ea templa in quibus nunc ſunt delubra corporum abluendorum more Dodonæi Iouis, aut Apollinis Delphici, in quorum delubris, Lebetes Tripodéſque viſuntur.

Sunt etiam qui delubra, ligna delibrata, id eſt, decoriata pro ſimulachris deorum, more veterum poſita exiſtiment, ſed perperam. Nos verò Chriſtiani templa omnia, vulgò Eccleſias appellamus, vt eccleſiæ vocabulum etiam locum ipſum ſignificet, in quem conuenitur diuini cultus gratia: qui & Baſilica, teſte Alciato, appellatur: ſiue quod loca publica, baſilica Græci vocent, ſiue quòd domus principis, Baſilica, id eſt, Regia dicatur: quæ ſignificationes diuinis quoque templis conueniunt. Iam verò, templum quod modò diximus vulgo eccleſiam appellari, veteres & naſcentis eccleſiæ Chriſtiani, Dominicum vocabant. Nam & apud eos Domini nomen paulò frequentius erat, quàm Chriſti, ſecundum Apoſtolicum morem & Euangelicæ hiſtoriæ modum. Qua ratione, cum Domini vocabulum ſemper illis eſſet in ore, ipſa ideo loca, in quibus orationis Euchariſtiæque ergo coïbant, Dominicum dicebant, ſeu quod ea ipſa loca in honorem Domini Dei ſacrata erant. Vnde Ruffinus aquileienſis *libro decimo eccleſiaſticæ hiſtoriæ, capitulo quarto*: Si hæc, inquit, ita eſſe credis, ſurge, & ſequere me ad Dominicum, & fidei ſignaculum ſuſcipe. Ad Dominicum, intellexit ad templum, vel, quod nunc dicimus eccleſiam. ¶ Sed quid? An cœmeterium (quia & locus ſacer eſt) templi appellatione veniat? Et templi eccleſiæque partem eſſe exiſtimauerim. Quippe quemadmodum vrbis nomen continentibus ædificiis finitur, vt traditum eſt *in l. vrbis appellatio. ſuprà, hoc titulo.* ita templum cœmeterium continet. Nam ad effectum vacationis beneficij & ſacerdotij alicuius (hic liceat pro re nata *βαρβαρίζειν*) eccleſiæ nomine veniunt etiam Sacella contigua, & cœmeterium. Rota *deciſ.* 200. *incipiente, Habens gratiam, in nouis.* Etenim eccleſia & ciuitas adæquantur. *l. finali. & ibidem* Bartolus *C. de ſacroſanctis eccleſiis.* Speculator *titulo, de reſtitution. in integrum. §. quarto. verſicul. hoc idem.* Alexander *in conſilio 60. parte prima.* Vnde polluta eccleſia, pollutum quoque cœmeterium cenſetur eſſe, quòd ſit illi eccleſiæ contiguum: non autem è contrario, ne minus dignum videatur dignius ad ſe attrahere. *capit. vnic. de conſecration. eccleſiæ, vel altaris. libro ſexto.* Eſt autem cœmeterium locus ſepeliendis Chriſtianis dicatus, *πολυάνδριον* Græci appellant, quaſi plurimorum hominum ſepulturam à Catullo, ſepulchretum. Athenienſibus erant Ceramici duo. Hic ſanè cohibere me non poſſum quin ineptam Dominici Geminiani de cœmeterio etymologiam rideam. Dicunt (ait vir ille bonus) deriuatores, quòd cimis Græcè, interpretatur dulcis ſtatio animarum vel potius corporum: vnde Cimeterium, quaſi cimiſterium, quia ibi cinis mortuorum teritur: vel à cimone quod eſt dormio: quia illic mortui dormiunt. Et hæc quidem egregiè docta eſt Ioannis Andreæ cum eodem Geminiano etymologia, id eſt, delira diuinatio per ſomnium. Nam quid Cimis ſeu Græcè, ſeu latinè ſignificet, quiſque ſit eius dictionis author, non eſt planè compertum mihi, necdum etiam conſtat inter claſſicos authores. At cum dixit à Cimone, non magis acceſſit ad ſcopum, ſed corruptè. In quodam exemplari, vt coniectura ducor, cum etiam eſſet ipſe græcanicæ literaturæ penitus ignarus, legit Cimone, pro Cœmaomai, id eſt, *κοιμάομαι.* Eſt quippe *κοιμάομαι*, ſeu *κοιμάω*, dormio. Vnde *κοιμητήριον*, id eſt, Cœmeterium: quod ſignificat locum, in quem dormientes recipiuntur. Scribit Athenæus *lib.* 4. duas quondam apud Cretenſes conuiuantibus paſſim fuiſſe deſtinatas domos: quarum vnam Andrion vocarent, vbi duæ primæ menſæ hoſpitibus parabantur: quæ xeniçæ ea ratione dicebantur. Alteram verò in qua dormirent hoſpites Cœmeterium appellabant. Eius autem Athenæi hæc ſunt verba, ne forſitam putet quis me diuinaſſe: *Εἰσὶ δὲ πανταχοῦ κατὰ τὴν Κρήτην οἶκοι δύο ταῖς συσσιτίαις· ὧν ὁ μὲν καλοῦσιν ἀνδρεῖον, ὁ δ' ἄλλον ἐν ᾧ τοὺς ξένους κοιμίζουσι, κοιμητήριον προσαγορεύουσι.* Lyſias in epitaphio eorum qui Corinthiis auxiliarentur: *Εἰ μὲν οὖν ἡγούμην οἷόν τε εἶναι, ὦ παρόντες ἐπὶ τῷδε τῷ τάφῳ, λόγῳ δηλῶσαι τὴν τῶν ἐνθάδε κειμένων ἀνδρῶν ἀρετήν, ἐμεμψάμην ἂν τοῖς ἐπαγγείλασιν ἐπ' αὐτοῖς ἐξ ὀλίγων ἡμερῶν λέγειν.* Siquidé, ô viri qui ſepulchro huic adeſtis, fieri id poſſe exiſtimaré, vt eorum hominum qui iacét, virtus oratione queat exprimi: hos mehercule

accuſarem,qui mihi diebus paucis denuntiarunt,vt de ipſis quidem verba facerem. κειμένων ἀνδρῶν dixit: pro his qui mortui ſepulti ſunt, παρὰ τὸ κεῖμαι. Quod nos etiam Latini,iacendi verbo,vſurpamus. Ego tamen rectius puto ἀπὸ τοῦ κοιμάομαι ἢ κοιμάω (vt ſ. dictum eſt) Cœmeterij vocem deriuatam,quàm ἀπὸ τοῦ κεῖμαι: vt ſit cœmeterium ſepultorum locus, & dormientium ſepulchrum. Nam veteres Chriſtiani,mortuos nequaquam dicebant eos qui in domino vita functi eſſent, ſed dormientes:vt videre eſt apud D.Paul.*in epiſt.ad Theſſal.1.c.4.*his verbis, Οὐ θέλω δὲ ὑμᾶς ἀγνοεῖν ἀδελφοί, περὶ τῶν κεκοιμημένων ἵνα μὴ λυπῆσθε, καθὼς καὶ οἱ λοιποὶ οἱ μὴ ἔχοντες ἐλπίδα. Εἰ γὰρ πιστεύομεν ὅτι Ἰησοῦς ἀπέθανεν, καὶ ἀνέστη, οὕτως καὶ ὁ Θεὸς τοὺς κοιμηθέντας διὰ τοῦ Ἰησοῦ ἄξει σὺν αὐτῷ. Τοῦτο γὰρ ὑμῖν λέγομεν ἐν λόγῳ κυρίου ὅτι ἡμεῖς οἱ ζῶντες, οἱ περιλειπόμενοι εἰς τὴν παρουσίαν τοῦ κυρίου, οὐ μὴ φθάσωμεν τοὺς κοιμηθέντας,&c. Hic non dixit Paulus de mortuis,ſed de dormientibus:neque ἀποθανομένους,ſed τοὺς κοιμηθέντας:id eſt,eos qui obdormierunt. Et in ſacro Euangel. mortuus oon erat Lazarus,ſed dormiebat. Λάζαρος ὁ φίλος ὑμῶν κεκοίμηται. Animæ enim à corpore ſeparationem, eorum maximè qui in Domino Deo mortui eſſent, θάνατον non appellabant,ſed κοίμησιν,id eſt,dormitionem & ſomnum. ὅτι περὶ τῆς κοιμήσεως τοῦ ὕπνου λέγει. Quandoquidem peccatum,mors eſt:Gratia autem, vita. Quique à ſceleribus & flagitiis oon reſipiunt,mori dicuntur. Vnde Phariſæis dicebat Chriſtus, Et in peccatis veſtris moriemini. Qui verò pie moriuntur,in aliam vitam mori dicuntur. Quod etiam diuinus ille Plato in Axiocho dixit, ὥσπερ εἰς ἕτερον ζῆν ἀποθανούμενος. Quapropter κοιμητήριον, id eſt,Cœmeterium,rectiſſimè nos Chriſtiani dixerimus eum locum quo fideles dormientes,id eſt,piè in domino mortuos, ſepultos condere ſolemus. Ait namq; D.Hieronym.io quadam epiſt.de teſtamento Geruntij ſepulchrum eſſe locum quietis , vbi iuxta mundi rationem defuncti corpora collocantur. Primus omnium Abraham,cœmeterium condidit atque inſtituit. Nam ab Ephron Etheo filio Saor iuxta Hebron emit quadringentis ſiclis ſpeluncam duplicem, & circa eam, agrum, atque in ea (vt Ioſephus teſtatur) Sarram vxorem ſuam ſepeliuit,vbi quoque poſtea fuit & ipſe conditus.

Fornerivs.

INos. ¶ Tabernaculum,vnde adtubernales & contubernales Feſto,qui in caſtris ſub eodem tabulato,tectóque habitabant, ὁμόσκηνοι Harmenop.*lib.6.tit.vlt.*Quinctil.*lib.7.c.*8. [è domo in ius ducere non liceat.] *Tabernaculis eduxit* Alfenus. [Vbi quiſque ſedes & tabulas haberet.] *l.203.in lege.* ꝟ. *h.t.*Senec.*lib.*11.*epiſt.*78. [Triduo abſtinuit,& in ipſo cubiculo poni tabernaculum iuſſit.] σκηνήν. Am. Marcellin.*de Iſaurorum latronum moribus ac nuptiis, lib.*14. [Vt ſit ſpecies matrimonij , dotis nomine futura coniux haſtam & tabernaculum affert marito.] id eſt τὸ σκήνωμα,tentorium,papilionem. Nam & Nomades, quòd in tabernaculis degerent, σκηνῖται dicebantur. ¶ Inde contubernium cuius (vt & cõtubernalis) duplex ab eo fonte ſignificatio deducitur. Prior ad caſtra,poſterior ad quamlibet aliam cohabitatiooem, ſed ſeruorum præcipuè coniugia pertinet, de vtraque diſſeram. Contubernium in caſtris. *l.5.de re mil.* Fl. Vegetius *lib.2.de re mil.c.*8. [Erant decani denis militibus præpoſiti : qui nunc caput contubernij vocatur.] *& c.vlt.* [Singula contubernia ad armandum , vel dirigendum : hoc eſt vndecim homines deputantur.] Senec.*declam.2.lib.*10. [Non capit idem contubernium victum & virum fortem.] Contubernales pro commilitoobus,& caſtrenſium expeditionum comitibus. *l.antep.* ꝟ.*com.l.2.de equor.col.C.Th.lib.11.l.vlt.* ꝟ.*de aur.& arg.leg.* Veget.*lib.1.c.12.* [Armaturæ eruditi reliquos contubernales ſuos bellandi arte præcedunt.] *lib.2. c.12.* [Præpoſiti contubernales ſibi creditos ſub oculis ſuis, iuberent quotidie meditari.] Inter cootuberoales autem & commanipulos honeſtæ neceſſitudinis rationes erant:quorum amor commilitij periculis ac laboribus augeretur:quibus ius ἀλληλοκληρονομίας mutuáque ſucceſſio concederetur. *l.35.plerunque.de adil.ed.l.19.de hereditate.* ꝟ.*de caſtr. pec.l.19.licet.C.de pact.l.vn.C.ſi liberal.imp.ſuc.ſine her.dec.* Extat & vetus lapidis Rom. inſcriptio eiuſmodi, D. M. P. ÆLIO MAXIMINO MIL.COH.V.PR.P.V.EX.ET MONV.QVI VIX.ANN.XXXI.MENS.VIII.MILITAVIT ANNIS XII. OMNIS. EXPEDITIONIBVS FVNCTO AVRELIVS SEXTIANVS COMMANIPVLVS ET HERES EIVS CONTVBERNALI CHARISSIMO P. Sed eo ſenſu non putem hic accipi. Quinimò peculij habita priùs, & ſequens inſtructæ tabernæ mentio , vt hoc ad ſeruos actionémque inſtitoriam referamus,admonet. Nam quod inter liberos & ciues Rom. matrimonium id in ſeruorũ coniunctione & copula,contubernium veteres appellarunt. *l.3.C.de inceſt.nupt. l.3.l.23.de ancilla.C.de lib.cau.l.23.ſeruil. l.ſeq.C.ad leg.Iul.de adult.l.11.miles.* ꝟ.*eod.tit.* Seruile cooſortium vocat Iuſtinianus, *titul.de ſeruil.cogn.* quod contuberoium Paul.*l.14.adoptiuus.de rit.nupt.* Theodorici regis edicto,*c.*64. [Ancillam alienam virginem vel originariam cuiuſlibet,&c.eius quam vitiauit,contubernium non relinquat.] Inde deſcendunt contubernales,id eſt coniuges ſerui & ancillæ,vt Vlp. interpretatur. *l.12.quaſitum.de fund. inſt.l.41.vxorë.§.codicillis.de leg.3.l.41.Thais.§.heredi.de fid.lib.* Quos Leo *Nouel.*101. δούλους ἐν συντροφίᾳ ὄντας nomioat. Non raro in antiquis monumentis ioſcripti lapides viſuntur eiuſmodi, ATINETVS PAMPHILI TI. CÆSARIS AVG. L. L. ANTEROCIANVS SIBI ET CLAVDIÆ HOMONEE CONLIBERTÆ ET CONTVBERNALI. in agro Vincentino. PALEMON L.L.L.O.P.GRAMMA. VTICET. ATQ.RHET.SIBI ET TVBERONIÆ CONTVBERNALI FOEMINÆ OBSEQVENTISSIMÆ ATQ. BENEMERENTI LAPIDEVM STRVXIT TVMVLVM. IN EO QVIDEM CADAVER QVIES ESTO:ALIÒ AVTEM REVERTITO ANIMVS. Cæterùm, vt eodem vnde paulùm deflexímus,reuocemur : Conſtat inter ſeruos & aocillas iuſtarum nuptiarum ius non fuiſſe. *Nouel.22.* Vlp.*fragm.tit.5.* [Cum ſeruis,inquit,non eſt connubium:] ergo nec dotem, nec propter nuptias donatiouem,ſed quaſi dotem & res quaſi dotales:ſi fortè mulier ingenua in conditione viri,cui oubebat,errauerit. *l.22.ſi cum dotem.ſi.ſol.mat.l.39.ſi ſerua.* ꝟ.*de iur.dot.* Plautus prologo Caſinæ,

Hercle quid iſthuc eſt? ſeruiles nuptiæ?
Seruine vxorem ducent? aut poſcent ſibi?
Nouum attulerunt,quod ſit nuſquam gentium.

Sed hoc iterum paulò mox,& *in l.220.liberorum.* ꝟ.*h.tit.* tractabitur.

CLXXXV. VLPIANVS lib. xxviij. ad Edictum.

INSTRVCTAM autem tabernam ſic accipiemus, quæ & rebus & hominibus ad negotiationem paratis conſtat.

ALCIATVS.

INSTRVCTAM. ¶ Qui tabernam vendit, vel etiam legat, de loco ipſo intellexiſſe videtur. *l. qui tabernas. de cont. emp.* non de inſtrumento vel mercibus: qui verò pignerat, etiam merces pigneraſſe intelligitur. *l. qui tabernam. de pign.* nullum enim inde detrimentum debitori affertur, cùm non ideò plus debeat. Idémque ſi quis de taberna pannaria ſeu pannorum contrahat, videntur enim merces cauſa demonſtrationis adiectæ. Bart *l. cum pater. § menſa. de leg. 2.* Quòd ſi tabernam cum inſtrumento dicit, non contineri inſtitores Paulus reſpondit *l. taberna. de fun. inſt.* ſunt enim illi negotiationis ipſius, non autem loci inſtrumenta: vnde tabernæ cauponiæ inſtrumento legato, loci tantùm inſtrumenta præſtabuntur, vt doliaria vaſa, vectiones, ancones, calices, trullæ, quæ circa ahenum ſolent traici, congiaria, ſextaria. Nec obſtat, quòd inſtructam tabernam hic Vlp. appellet, quæ non ſolùm rebus, ſed etiam hominibus ad negotiationem parata eſt: quia quamuis taberna hominibus inſtructa dici poſſit. *l. librorum. §. ſed ſi bibliothecam. de leg. 3.* non tamen inſtitores ipſi tabernæ inſtrumenta propriè ſunt, niſi cùm tabernam pro vniuerſitate iurium ipſius negotiationis, non autem ſimpliciter pro loco accipere nos conſtat: de cæteris igitur ſeruis accipiendum hic eſt, cùm eiuſmodi eſt negotiationis genus, vt ſine operis non conſiſtat. *l. cùm quærunt. de fun. inſtruct.*

BRECHÆVS.

INSTRVCTAM. ¶ Superiore reſponſo declaratum eſt Taberna quam ſignificationem habeat, ſed quod ad locum, & ædificij rationem ſpectet tantùm: nunc autem tradit Vlp. qualiter inſtructam tabernam accipias, ſiue ea legata, ſeu vendita ſit. Et hic diſtinguendum quidem fuerit, de loco, an verò de negotiatione tantùm agatur. Si enim de loco agatur tantum, inſtrumenta non etiam inſtitores cenſentur legata. Si de negotiatione, inſtitores contineri Papin. ait *in d. l. taberna. & l. tabernam. d. tit. de fun. inſtr. & inſtr. leg.* At verò, cum quæritur quod tabernæ ſit inſtrumentum, reſpondit Neratius *l. cum quærunt. d. tit. de fun. inſtr.* intereſſe quod genus negotiationis in ea exerceri ſolitum ſit. Videto amplius in hunc locum And. Alc.

FORNERIVS.

INSTRVCTAM. ¶ Quoniam in tabernis & ergaſteriis negotiatio (loco ſcilicet promerciis idoneo) exercebatur. *l. 183. taberna. ſ. h. t. l. 2. C. de ep. & cle.* hanc Vlp. definitionem non minùs ad inſtitoriam actionem, quàm ad legata pertinere arbitror. Inſtitoria autem, tunc locum habet, cùm quis tabernæ fortè aut cuilibet negotiationi ſeruum præpoſuerit: & quòd cum eo eius rei cauſa, cui præpoſitus, contractum fuerit. *§. eadem. quod cum eo qui in al. pot.* Theophilus tabernam καπήλειον vertit: eámque actionem ab æquitatis ratione proficiſci docet: quaſi dominus, qui ſeruum tabernæ præpoſuerit, apertè prædicet, [Hunc ego inſtitui, præpoſui: quiſquis volet, cum eo contrahito: ὁ γὰρ προϊστῶν τινα δοκεῖ λαμπρᾷ λέγειν τῇ φωνῇ, ὅτι ἐγὼ τοῦτον προέστησα· ὁ βουλόμενος αὐτῷ συναλλαττέτω. Quod generaliter, ſicut & cum ſic conteſtatur, [Quod voles cum Sticho ſeruo meo negotium gerere periculo meo.] *l. 1. ſ. quod iuſ.* ¶ Inſtructa igitur, vt ad inſtitutum reuertar, taberna (finiente Vlp.) tum rebus, tum hominibus, id eſt ſeruis ad negotiationem paratis conſtat. Græci hîc & in vetere iuris gloſſario, Εὐπρεπισμένον ἐργαστήριον, τὸ καὶ πράγμασι καὶ ἀνθρώποις, πρὸς πραγματείαν ἕτοιμον. Vlp. [Diſcipulis ſuis, quibus tabernam ſuam inſtructam tradiderat.] *l. 5. de inſt. act.* Tabernæ venditor, ius quod in ea tantùm habet, non ſolum publicum, cui imponitur, diſtraxiſſe intelligitur. *l. 32. qui tabernas. de cont. em.* Debitor verò tabernam oppignerando, omnes merces, reparatas etiam & in venditarum locum ſubſtitutas, in officina inuentas creditori obligat. *l. pen. ſ. de pign.* Inſtructa verò legata, inſtitores quoque, quorum operis negotiatores mercibus vendundis emendíſque, vtuntur, debebuntur. *l. 20. ſeruus. de vſu & hab. l. 7. tabernam. l. 13. taberna. de fun. inſt.* Hinc inſtrumentum tabernæ, vel fundi: non tantùm, vt ligones, raſtri, falces: vt in vetere iuris gloſſario definitur, τὸ ἐργαλεῖον ἤγουν τὸ τοῦ ἀγροῦ παρακολούθημα, οἷον δίκελλαι, δρέπανα, καὶ τὰ ἑξῆς. ſed etiam homines, qui agrum colunt: & qui eos exercent præpoſitiue ſunt. *l. 8. inſtrumento. de fun. inſtr.* [Contubernales quoq; ſeruorum, id eſt, (interprete Vlp.) vxores & natos, inſtructo fundo contineri verius eſt.] *l. 12. quæſitum. l. 20. Seia. eod. titulo.* Inſtrumentum ferrariæ tabernæ. *l. pen. de leg.* Ferrarias autem tabernas, (id vt obiter) olim quibuſuis adire volentibus patuiſſe: ἐργαστήρια fuiſſe ἄθυρα notat Tzezes in Heſiodum. Inſtrumentum cauponæ, ancillas, Vlp. vocat. Si qua, vt aſſolet in taberna vel caupona pudori ſuo non parcens, corpora quæſtuaria habeat, ſub prætextu inſtrumenti cauponij proſtitutas mulieres, lenæ appellatione continebitur. *l. 43. palam. ſ. de rit. nup.* Nonnulla huc adduci poſſint, quæ in *l. 198. vrbana. l. 220. liberorum. ſ. h. t.* conſultò reiicio.

CLXXXVI. IDEM lib. xxx. ad Edictum.

COMMENDARE nihil aliud eſt, quàm deponere.

ALCIATVS.

COMMENDARE. ¶ Commendare variis modis in iure accipitur. Commendamus amicum, quem laudibus, vt charior alicui ſit, proſequimur. Cõmendamus rem, quam deponimus: vnde qui c. tibi commendat, vſuras exigere non poteſt: id. n. notiſſimos depoſiti terminos excederet. Commendat & Rom. Pont. ſacerdotia, *c. nemo. de ele.* cùm adminiſtratoré generalé alicuius opulẽti templi aliquem cõſtituit, cenſetúrq; is liberã habere procurationẽ, modo nimirũ reperto, quo citra ius irreuocabilis

 rit

tituli ex ſacrorum fructibus *οἱ ἑλκεσίπεπλοι* luxuriatentur. Commendat etiam qui cuſtodiam mandat. Sanè verbis generalibus facta commendatio non obligat. *Bartol. in l. Lucius de fideiuſſ. l. fideicom. §. 1. de legat. 3.* & teſtatur qui libertum ſuum heredi commendat, non ideò alimenta legaſſe exiſtimatur. Sed & ſi Seium tibi commendem, iubeámque ei plenam fidem adhiberi, non tamen meo periculo illi eredes, cùm aliquid perſuadere tibi voluerit *l. fi. C. quod cum eo.* quod ad ſuam vtilitatem vel honorem pertineat, vt ſi ſe conſtitutum à me procuratorem dicat.

Brechævs.

Commendare. ¶ Si alicui aureos centum còmmendauero, his nequaquam illi licebit vti: & tanquam rem depoſitam, quandocunque voluero, poſſum repetere. non enim videor (inquit Conna. *lib. 7.*) mutuaſſe, ſed depoſuiſſe: & ego licitè eorum, tanquam depoſitorum vſuras exigam à tempore moræ, vt in omnibus contractibus bonæ fidei fieri ſolet. Quòd ſi mutuo dati cenſerentur, pro his, niſi poſt litem conteſtatam, vſuræ peti non poſſent. Hic ergo ſtatim à mora contracta debebuntur vſurę. Nam Commendationis verbum ſatis indicat, hos centum aureos depoſitos fuiſſe, non mutuatos: cùm verbum Commendare, nihil aliud ſit, quàm deponere. Sed & ſi quis per literas, aut coram aliquem amico, vel cuiuis alij commendauerit, non videbitur mandaſſe: nec eaptopter mandati tenebitur. Vnde ſcribit Vlp. *in l. ſi verò non remunerandi. §. cùm quidam. ff. man.* Cùm quidam talem epiſtolam ſcripſiſſet amico ſuo: Rogo te, vt commendatum habeas Sextilium Creſcentem amicum meum, non obligabitur mandati: quia commendandi magis hominis, quàm mandandi cauſa ſcripta eſt. Etenim in mandato, conſenſus vtriuſque, videlicet eius qui mandat, & eius cui mandatur, neceſſarius eſt, vt inde actio naſcatur. Commendare quoque intelligimus credere, & committere alicuius curæ, tutelæ, & patrocinio negotium. Sic frequenter *in epiſtolis* Cicero: Omnia tibi eius negotia commendo, liberos, procuratores, familiam. *epiſt. 3. lib. 1. epiſt. fam.* Inde ego quidem arbitror, pontificiarum conſtitutionum funditatores, commendandi verbum vſurpaſſe: licet tamen ſatis impropriè. Nam quamuis epiſcopatus & alia id genus luculenta ſacerdotia, commendari in ſex tantùm menſes debeant, vt *c. nemo. de elect. lib. 6.* ac tum committi curæ & fidei commendatariorum, qui ob id procuratores appellari debent, cenſentur, licet tamen huiuſcemodi commendatariis totam vitam vti frui fructibus & obuentionibus opimis ipſorum ſacerdotiorum commendatorum, ac de illis liberè & pro arbitrio ſtatuere. Panorm. *in c. cùm nobis olim. vlt. not. de elect.* Quem ſanè modum adinuenerunt homines *ἑλκεσίπεπλοι*, ait Alciatus, id eſt, laxis & demiſſis veſtibus vtentes, vt de ſacrorum fructibus luxuriatentur. Qua ratione Cõmendæ & Vniones, ad vitam (ſic autem loquuntur ipſi) palliatæ diſpenſationes dicuntur: ſolet enim inſeri clauſula, qua liberum & integrum ſit de rebus ad ipſam commendam & vnionem ſpectantibus interim ſtatuere & diſponere. *c. dudum. 2. de elect. in ult. conſ. 39. Domin. Gemin. Rot. deciſ. 1. in antiq. tit. de conc. præb.* Ea quippe de cauſa id factum volunt, quod commenda ſit canonicus titulus, *vt d. c. dudum. & c. qui plures. 21. q. 1.* & fructus ſequantur titulolum poſſeſſorem. *c. fi. de of. ord. in 6. cum ibid. not.* Veruntamen gl. *in c. qui plures. 21. q. 1. & in d. c. nemo deinceps.* Commendatarium non eſſe verum pontificem, nec prælatum eccleſiæ aſſerit, ſed procuratorem tantùm cum adminiſtratione legitima. *c. is cui. de elect. lib. 6. c. cum nobis. ext. eod. tit.* Itaque qui commendatum habet ſacerdotium, is tanquam depoſitum, non proprium habet: cùm interim & adminiſtrationis rationem reddere teneatur. Archid. *in d. c. is cui.* Sic pecunia commendata eccleſiæ dicitur, id eſt apud eccleſiam depoſita: videlicet, cum defertur in theſaurum eccleſiæ. *Gl. c. 1. de dep.* Quemadmodum res miſſæ in nauem dicuntur commendatæ nauarchæ, & ad ipſum nauarcham earundem rerum periculum pertinet, quarum quidem cuſtodia illius fidei commendatur & curæ, id eſt creditur atque committitur. Commendata tamen pecunia perſonæ eccleſiaſticæ, id eſt depoſita eccleſiam ipſam non obligat, cum delicto perſonæ damnum accedat. *d. c. 1. & gl. ibid. de dep.* Sic commendare eſt deponere & committere. *l. Lucius. la 2. ff. dep.* ¶ Lucius Titius, inquit Papinianus, Sempronio ſalutem. Centum nummos, quos hac die commendaſti mihi, adnumerante ſeruo Sticho actore, eſſe apud me vt notum haberes, hac epiſtola manu mea ſcripta, tibi notum facio: quos quando voles, & vbi voles, confeſtim numerabo. Quęritur, propter vſurarum incrementum? Reſpondi, depoſiti actionem locum habere. Quid eſt enim aliud commendare, quàm deponere? Quod ita verum eſt, ſi id actum eſt, vt corpora nummorum eadem redderentur. Nam ſi, vt tantundem ſolueretur, conuenit, egreditur ea res depoſiti notiſſimos terminos. In eum ſenſum Imp. Alexand. dixit, res commendatas, id eſt, depoſitas. *l. cùm hereditas. C. eo. in dep.* in quem locum Bart. notat cõmendare, eſſe deponere. ¶ Sed quæſitum eſt, an verbum, Commendare, vim habeat fideicõmiſſi. Et reſp. Vlp. non habere. Si quis (inquit ille *in l. fideicõmiſſa. §. ſi ita. ff. de leg. 3.*) ita ſcripſerit, illum tibi commẽdo. D. Pius reſcripſit, fideicommiſſum non deberi. Aliud eſt. n. perſonã cõmendare, aliud perſonã ſuam fideicũmittentis heredib. inſinuare. Eſt etiam Commendare, laudare, comprobare, & æſtimare. Quid igitur ſi quis rem ſuam vendens, eam plus, quàm par ſit, commendet, an ob id venditor teneatur? Reſp. Vlp. *in l. quod venditor. ff. de dolo malo.* Hoc ſic habendum eſſe, vt neque dictum, neque promiſſum ſit. Si verò decipiendi emptoris cauſa dictum eſt, æquè ſic habendum, vt non naſcatur aduerſus dictum promiſſúmue actio empti, ſed de dolo actio detur. Diuerſum videtur ſentire Flor. *in l. ea quæ. ff. de cont. emp.* Quæ, inquit, in venditionib. commendandi cauſa dicuntur, ſi palam appareant, venditorem non obligant. Veluti, ſi dicat ſeruum ſpecioſum, domum bene ędificatam. At ſi dixerit hominem literatum, vel artificem, hoc præſtare debet. Nã hoc ipſo pluris vendidit. In quam quidem ſententiam deſcendit Vlpian. *in l. ſciendum. ff. de æd. ed.* Et tradit a promiſſo dictum ſic diſcerni: quod dictum accipimus, quod verbotenus pronunciatum eſt, nudóque ſermone finitur. Promiſſum autem poſſit referri & ad nudam promiſſionem, ſeu pollicitationem, vel ad ſponſionem. Quædam etenim ſunt, quæ ſi quis dixerit, præſtare eum non debere planè conſtat: ea videlicet, quę ad

nudam

nodam laudem pertinent. Veluti ſi dixerit venditor, ſeruom frugi, probum, dicto audientem. Nam, vt Pædius ſcribit, multum intereſt, commendandi ſerui cauſa quid dixerit, an verò præſtaturum ſe receperit & promiſerit, quod dixit. Planè, ſi dixerit aleatorem non eſſe, furem non eſſe, ad ſtatuam nunquam confugiſſe, oportet eum idipſom præſtare. Quam quidem antinomiam qualiter diſſoluas & concilies, docebit te abundè Accurſ. *in d.l. quod venditor.* Quam Gloſ. multum commendat Bartol. in euodem locum, & magiſtralem appellat.

FORNERIVS.

COMMENDARE. ¶ Imo aliud. Et res & homines commendantur. Res quidem, vt inſtrumenta, tabulę, nummi. *l.6. is penes. l.9. cum hereditas. C. dep.* Perſonæ verò quibus apud alios ſuffragamur, ſtudioſéque, vt quid faciliùs noſtra prædicatione ornati conſequantur, laboramus. Sed quo animo verba literæque commendantium emittantur, imprimis ſpectandum eſt. Id ſi parùm liqueat, neque fideicommiſſum à teſtatore, neque à commendante conſtitutum arguunt. Nam quum teſtator ita ſcripſiſſet, [Illùm tibi commendo,] fideicommiſſum ideò non debetur: quia aliud ſit, inquit Vlp. perſonam commendare, aliud voluntatem ſuam fideicommittentis heredibus inſinuare. *l.11. fideicommiſſa. de leg.3.* Et quum quidam amico ſcripſiſſet, [Rogo te commendatum habeas Titium] mandati, quòd commendandi magis hominis, quam mandandi cauſa ſcripſerit, minimè obligabitur. *l.12. ſi verò. ¶. mand. l.5. de alim. & cib. leg.* Illud etiam obtinuit, ne familiares epiſtolæ, quibus homines plerunque commendantur, abſentem in id traherent, vt quaſi rogaſſet ſibi pecuniam dari, obligarent. *l.5. de pact. C. Th. l. vn. quod iuſ. C. Th. l. vlt. C. quod cum eo.* Commendatitiæ literæ dicuntur. Macrob. *lib.2. Saturn. c.4. de Augusti nomenclatore,* [Accipe, inquit, commendatitias: quia illic neminem noſti.] Earum vſus inter eccleſiaſticos frequens fuit, quibus clerici ab epiſcopis dimiſſi, peregrè abeuntes commendarentur συςατικὰ γράμματα veteribus canonibus dicuntur. Apoſtolic. *can 33.* Antiocheni concil. *c.7.8.* Photius Nomocan. *tit.8. c.5. & 6.* Iuſtinianus *Nouel.6.* συςατικὰ γράμματα κατὰ θεσμὸς κάνονας. Iul. Patric. commendatorias literas expoſuit. Sed hoc nihil ad inſtitutum. ¶ Commendare rem, eſt cuſtodiendam dare, ſeu deponere. Cicero *lib.2. de legib.* [Sacrum, ſacróue commendatum qui clepſerit, rapſeritue, parricida eſto.] *l.5. ¶. ad leg. Iul. pecul.* Vlp. [Si quid ad corpus cuſtodiendum, vel etiam commendandum.] *l.14. & ſi quis. ¶. de relig. & ſumpt. fun.* id eſt deponendum. *l.40. ſi quis eum. eod tit. l.10. ſi nec. C. eo.* D. Ambroſ. *de bono mortis. c.10.* [Habitacula reddent animas, quæ his commendatæ ſunt.] Vt non defuerunt eruditi viri, qui *in l. vlt. C. com.* pro *commodati,* reponendum *commendati,* cenſuerint. Sic ipſe apud Paulum conflatum præpoſtero literarum ordine vitium *condemnauit*, in recenti Ruſſardi editione moneo emendandum, vti in veteribus, tum editis, tum manuſcriptis codicibus, & archetypo Florentino: [Tabulas fecit, quas matri eius commendauit aperiendas.] *l. vlt. ad Sc. Treb.* Sic Auguſtus teſtamentum Veſtalibus ſeruandum dedit, teſte Suetonio, & Suida. vt & priuati apud æditoos deponebant. *l.3. de tab. exhib. l. vlt. de iis quæ in teſt. del. l.77. cum pater. §. donationis. de leg.2. Nouel.74.* Ea eiuſdem vocis ſignificatione aliquando de huiuſmodi cautione diſceptatum: [Centum nummos, quos hac die commendaſti mihi, eſſe apud me tibi hac epiſtola notum facio, quos quando voles, & vbi voles confeſtim tibi numerabo.] Multùm autem mutuum ſit, an depoſitum propter vſuras, periculum, moram, intereſt. Papin. reſpondit, eſſe depoſitum: quia commendare nihil aliud ſit, quàm deponere. *l.24. Lucius. ¶. dep.* Quod à Conſulto Fortunatiano tractatum *lib.1.* in antiſtrepbuſæ exemplo memini. Repetebat ab amico ſuo pecuniam cum vſuris, quaſi creditam. Ille offerebat, ſine vſuris, tanquam depoſitam. Inter moras iudicij, lata eſt lex, de nouis tabulis: repetit ille pecuniam tanquam depoſitam: retinet ille, quaſi creditam. In mutuo periculum ad debitorem pertinet, in depoſito ad creditorem. *l.9. certi. l. ſeq. ſi cer. pet. l.1. C. dep. l.12. ſi in Aſia. ſi. l.14. ſi plures. ¶. eod. tit.* In mutuo vſuræ, niſi in ſtipulatum deductæ non præſtantur: ex pacto nudo minimè. *l.3. C. de vſur. l.10. ſi pro patre. §. in rem. de in rem verſ. Nouel.136.* In depoſito ex pacto incontinenti vſurarum obligatio naſcitur. *l. antep. de praſcri. ver. l.34. qui negotia. ¶. mand.* Non abs re igitur ambigebatur, num commendati nummi, pro depoſitis potiùs, quàm creditis haberentur. *d. l.24. Lucius l.4. l.9. certi. ¶. ſi cer. pet.* Eodem hæc M. Cic. (Thermo proprætori ſcribentis, *Epiſt. fam. lib.13.*) verba pertinent. [Cauiij præterea debent, ſed aiunt ſe depoſitam pecuniam habuiſſe: Id velim cognoſcas: Et ſi intellexeris, eos neque ex edicto, neque ex decreto depoſitam habuiſſe, des operam, vt vſuræ Cluuio, inſtituto tuo conſeruentur.] Neque multum hinc, de vtendæ rei depoſitæ vſuris abhorrens, ſed in aliud tempus reiicienda quæſtio: Quæ tractatur *l.1. §. ſi rem. ¶. dep. l.3. C. eod. l.16. qui furtum. ¶. de cond. furt.*

CLXXXVII. IDEM lib. xxxij. ad Edictum.

VERBVM [exactæ pecuniæ] non ſolùm ad ſolutionem referendum eſt: verùm etiam ad delegationem.

ALCIATVS.

VERBVM EXACTÆ. ¶ Exigere variè accipitur: exigit qui extra agit, id eſt expellit: inde exacti reges vrbe Roma Pomponio. *l.2. de orig. iur.* Exigit, qui requirit, qui perficit, qui iniuſtè petit. *10. quæſt.2. quia. Archid.* Sed ſtricta ſignificatione propriè exegiſſe dicitur, qui id recipit. *l. fideicomm. §. ſi rem. de leg.3.* quod inſtituta actione petebat. vnde exigere ab inuito accipitur. Iuriſconſultus tamen latius id verbum parêre exiſtimauit, & exactam pecuniam intelligit, quæ perſoluta eſt: ſiue enim volens, ſiue inuitus debitor dederit, non eſt dubium dici eum ſoluiſſe. Sed & exegiſſe dicitur, cui per delegationem ſatisfactum eſt, cùm delegationem vicem ſolutionis habere receptum ſit. *l. quamuis. §. interdum. ad Velleianum.* hincque arbitror in dubiis hunc ſenſum admittendum eſſe,

vt exegiſſe dicamus, etiam quod ſponte debitor obtulit, cùm alioquin inuitum potuiſſemus cogere. vnde qui procurator ad exigendum conſtitutus eſt, etiam præſente domino voluntariam ſolutionem recipere poterit. *l. non ſolum. ſol. mat.* idque crebrius probatum eſt. ¶ Sed an mulier. cui vſusfructus à marito legatus eſt, donec dotem non exegerit, ſi alteri actiones cedat, legato excludetur? Bartol. *in auth. quod locum. in fi. C. ſi mul. ſec. nup.* Et non excludi verius eſt: qui enim cedit, non ideò exigit: quòd ſi ceſſionarius ipſe exigeret, putauerim vſumfructum amplius non deberi. non enim a teſtatore heredem in tantum voluiſſe grauari credendum eſt: atqui ideò vſumfructum legauit, quia interim dotem, heres poſſidebat. Sibi igitur imputet mulier, ex cuius facto conditio defecit. *l. qui per alium. ꝗ. ſimil. c. Bart. in l. amplius. in fi. rem rat. hab.*

Brechævs.

VERBVM EXACTÆ PECVNIÆ ¶ Quàm variè & multipliciter, verbum exigere, accipiatur, abundè in hunc locum Alc. exequitur, & nos ꝗ. ampliſſime. Cæterùm, quoniam exactam pecuniam dicimus etiam quæ ſoluta ſit, ſane eam quoque exactam accipiemus, quæ à debitore delegata eſt. Nam & qui debitorem ſuum delegauit, is plane ſoluiſſe cenſendus erit: ac pecuniam dediſſe, qua ota ei debetur. Et ideò, ſi fideiuſſor debitorem ſuum delegauerit, quamuis eum qui ſoluendo non erat, confeſtim mandati agere poteſt. Iulianus *in l. qui debitorem. ff. de fideiuſ. & mand.* Vlp. *in l. quamuis. §. interdum. ff. ad Vel.*

Fornerivs.

VERBVM EXACTÆ. ¶ Exacta pecunia primùm cum effectu quidem dici ſolet ea, quæ creditori ſoluitur. Vnde vt in exigenda, ita & in ſoluenda dote, quæ patri filiæ communis eſt, vtriuſque conſenſus requiritur. *l. 3. ſol. mat.* Pro altero inuito ſoluere poſſumus: quod cuiquam debeatur, eo inuito exigere non poſſumus. *l. 39. ſoluendo. de neg. geſt.* An ſi teſtator nomen quod legarat, ipſe exegerit, fideicommiſſum extinguatur? *l. 11. fideicommiſſa. §. ſi rem. de leg. 3.* Deinde cùm creditor ab inuito debitore poſſit exigere. *l. 109. debitor. ꝗ. h. t.* Exactum id quoque videtur, quod exigi potuit: & ad creditorem quod per ſuam moram non ſit conſecutus, perueniſſe. Ideóque in hereditatis petitionem veniet: quia exigere potuit. *l. 20. item veniunt. §. exacta. l. 25. ſed & ſi lege. §. quod aut. l. 31. ſi quid. de her. pet.* Sic maritus, quod ad eum ex liberti manumiſſi bonis peruenerit, vxori reſtituit: in quo & illud quod exegit, vel exigere potuit, continetur: quia [actio ei delata eſt,] inquit Vlp. *l. 64. ſi verò. ſol. mat.* Sic etiam venditor hereditatis quicquid ad ipſum peruenerit, emptori reſtituet: nec ſolùm ſi quæ corpora hereditaria nactus fuerit, [ſed quatenus mandare poſſit eorum perſecutiones actionéſque tribuere.] Pretia autem non res ipſas præſtabit. *l. 2. §. perueniſſe. l. 21. venditor. de her. vel act. vend.* denique, quod exigi potuit, pro exacto cenſetur meritò. Habetur enim quod peti poteſt. *l. 143. id apud ſe. ꝗ. h. t.* ¶ Prętetea exegiſſe eum dicemus. qui pecuniæ loco debitorem ſibi à reo delegari patitur. Qui delegat, ſoluit. *l. 16. ſi ex pluribus. de acceptil.* quaſi nummos ad ſe reuerſos, in creditorem breui manu transferat. *l. 15. ſingularia. ꝗ. ſi cer. pe.* vt celeritate coniungendarum actionum, vitato circuitu, vna actio occultetur. *l. 3. de don. int. vir. & vx. l. 43. licet. de iur. dot.* Solutionis igitur vicem obtinet delegatio: abeſſéque pecunia videtur, cum debitor creditori delegatur. *l. 76. inter. §. abeſſe. ꝗ. mand.* ob eamque cauſam, non minùs mulieri eius quod delegauerit, quàm quod pro alienæ obligationis interceſſione ſoluerit, condictio datur. *l. 8. quamuis. §. interdum. ad Sc. Vel.* Exacta igitur pecunia, cuius nomine creditor alium ſibi debitorem ſurrogari voluerit. hic. Quo demùm conſentiente delegatio non inuito fiat. *l. pen. de pign. act. l. 11. delegare. ꝗ. de nouat.* Sibi igitur imputet, qui omiſſo reo, alium elegerit, neglectáque compendiaria exigendæ auferendæque pecuniæ via, delegationem vice ſolutionis ſequutus fuerit, licet non ſit ſoluendo: quia [bonum nomen facit creditor, qui admittit debitorem delegatum.] *d. §. abeſſe.* Inde pendet explicatio. *l. 11. ſi quis quendam. ꝗ. ſi quis caut. l. 41. vxori. § legauerat. l. antep. de leg. 3. & l. 88. Lucius. de leg. 2.* conſimiliúmque locorum explicatio, quam certum eſt aliàs diligentiùs exſequi. Vnum hoc poſtremum ex Paulo ſubiicere lubet. [Inter debitores eum ferri, eámque ab eo is qui hoc imperio vtitur, exigeret, id eſt, pignus capiendo, corpus retinendo, multam dicendo, &c.] *l. 9. ſacrilegi. vulg. l. 10. cum eo. ꝗ. ad leg. Iul. pecul.* Feſt. Pompeius exponens [Sacramentum, æs quod pœnæ nomine penditur] legem refert Papyrij tribuni pleb. qua ſancitum erat, his verbis: [Quicunque Prætor poſt hoc factus erit, qui inter ciues ius dicet iij. viros capitaleis populum rogato: hique iij. viri quicunque facti erunt, ſacramenta exigunto iudicantóque: eodémque iure ſunto, vti ex legib. plebeiq. ſcitis exigere, iudicare, eſſéque oportet.] Extremum leui mendo in omnibus libris, ac Romana, quæ nouiſſimè exiit, editione contaminatum ſuſpicarer, [Eſſeque,] pro [Eſſequi,] *Exſequi.* exigere, petere, conſequi, ſed nihil muto, vt exſequi. *l. 2. C. fam. erc.* durem ſententiam. *l. 50. ſi pignore. ꝗ. de euict.* Exſecutio pecuniæ debitæ. *l. 132. quidam cum filium. de ver. ob.* Apertè Paulus, [Nemo videtur dolo exſequi (ſic Florentiæ, perperam vulgò dolo facere, vel in dolo eſſe) qui ignorat cauſam, cur non debeat petere.] *l. 177. qui in ius. ꝗ. tit. ſeq.* Ecquid aliud obſecro, exſequi, quàm exigere, per iudicem petere, iudicio perſequi ſignificat?

CLXXXVIII. Pavlvs lib. xxxj. ad Edictum.

HABERE duobus modis dicitur: altero, iure dominij: altero, obtinere ſine interpellatione id quod quis emerit.

Alciatvs.

HABERE. ¶ Habere generale verbum, quod & ad ius dominij, & ad poſſeſſionem refertur, qui etiam de facto detinet, vt ſeruus habere dicitur. *l. ſtipulatio iſta. §. hi qui. de ver. ob.* Cornel. Fronto

in lib. quem de verb. differentiis ſcripſi. Habere, inquit, poteſt etiam fur, nequam: poſſidet nemo, niſi qui aut relictæ, aut donatæ, aut emptæ rei dominus eſt: ita in habente onus, in poſſidente vſus eſt. Quibus verbis à iure antiquo proditam differentiam declarare videtur, non autem id iuris quòd hodie receptú eſt. *ſ. eo l. quæſtio.* ¶ Solebant autẽ in venditionib. emptori promitti habere licere: quę verba cùm ex ſe duplicem habeant intellectum, in hoc contractu alterum tantummodo recipiunt, vt videlicet emptori liceat ſine interpellatione obtinere: in eo enim contractu de iure dominij actum non videtur. *l. ſi ita. de contr. emp.* quoniam verior eſt eorum ſententia, qui non teneri ad dominij tranſlationem venditorem exiſtimauerunt, & ideò tradendo liberari. quod & Iuriſconſultus hic ſentit. *l. ſi ſtipul. de vſu.* & nos quandoq; diſputando demõſtrauimus. *l. 1. C. de eo quod inter.* licet in contrariam partem frequentius itum ſit. Sanè hæc ſtipulatio, habere licere, diuiſionem non recipit. *l. cum ex cauſa. de verb. obl.* accedit enim contractui venditionis, qui pro parte valere non debet: vnde ſi rei diuiduæ accederet, aliud dicendum eſſet: quod pleriq; probant. *l. 3. ſ. de verb. obl.*

Brechævs.

HABERE. ¶ Eſt verbum, habere, generale & ad dominij ius, & poſſeſſionis, atque etiam ad eum qui detentor eſt. Habere (inquit Vlpia. *in l. ſtipulatio iſta habere licere. §. habere. ff. de verb. oblig.*) dupliciter accipitur. Nam & eum habere dicimus, qui rei dominus eſt: & eum qui dominus quidem non eſt, ſed tenet. Denique habere rem apud nos depoſitam ſolemus dicere. Sed habere licere dicimus, ſi nemo controuerſiam moueat: hoc eſt, neque ipſe reus, neque heredes eius, heredúmue ſucceſſores. Habere enim non licet ei, cui aliquid imminuitur ea iure quod habet. Et in hac quidem ſtipulatione, vt dolus malus abſit, tenetur ſtipulator curare. *l. inter ſtipulantem. ff. de verb. obl.* Hoc autem verbum *Habere*, cum effectu accipiendum eſt, ſicut Peruenire. Vlp. *in l. nomen filiarum. §. fin. ſ. hoc titu.* Quod quidem an ſignificet dominium, vide Bart. *in l. 1. §. poteſtatis. ff. de pecu.*

Fornerivs.

HABERE. ¶ Varias pro cuiuſque argumenti ratione ſignificationes recipit habendi verbum. ¶ Primùm iure dominij, id eſt cum effectu, ne à quoquam euincatur, auferatur. *l. 164. nomen. ſi. ſ. n. s.* haberi non poſſunt ea, quorum commercium non habetur: vt liberi hominis, loci ſacri, & religioſi. *l. 4. l. 6. ſed Celſus. de contr. empt.* Ita qui alienæ poteſtati ſubiiciuntur. rem peculiarem tenere poſſunt, habere, poſſidere non poſſunt. *l. 49. poſſeſſio. de acq. poſſ. l. 38. ſtipulatio iſta. §. ſi quis forte. §. quaſitum §. ſicut. §. ſeq. de verb. oblig.* ¶ Deinde interdicto, ne quid in loco publico, tenetur qui quid in via publica, quo iter deterius fiat, factum habet. Habere eum dicimus, qui vtitur, & iure poſſeſſionis fruitur. *l. 2. fin. ne quid in loc. pub.* Poſtremò in emptore, cui venditor præſtare debet *habere licere*: Id eſt, ſine interpellatione rem obtinere, tradita ſcilicet poſſeſſione tantùm: non etiam tranſlato rei dominio. *l. 25. ſi ita. l. 34. ſi in emptione. §. res. de contr. empt. l. 1. l. 11. ex empto. de act. empt.* Poſſeſſorem, non dominum facere tenetur. *l. 1. de rer. permut.* Sed ita, ne vlla interpellatione poſſeſſio emptoris aufcetur: Alioqui tradita non intelligetur. *l. 3. de act. emp.* Nec enim videtur poſſeſſionem adeptus, qui ita nactus eſt, vt eam retinere non poſſit. *l. 22. non videtur. de acq. poſſ.* Propè eſt, vt res ſtatim à meo dominio abiecta, mea non dicatur. *arg. l. pen. de teſtam. mil. l. 10. ſi pro patre. §. verſum. ſ. de in rem verſ.* Poſſeſſionis autem interpellatio & vſucapionis curſum interrumpit, & ſeruitutum vſum. *tot. tit. de Public. in rem act. l. 2. l. 5. de vſuc. l. 14. ſeruitutes. ſ. de ſeruit. l. 32. ſi ædes. fin. de ſeru. vrb. præd. l. 18. ſi quis alia. ſi. quemad. ſer. amitt. l. 84. quamuis. 2. de furt.* *Obtinere.* ¶ Tria in actionum formulis verba, quibus omnem poſſeſſionis, obtentionis, detentioniſque ſpeciem complecterentur, vſurpabant: Habere, tenere poſſidere. *l. 38. pater. §. quindecim. de leg. 3. l. antep. l. pen. C. ad exhib.* M. Cicero *pro L. Flacco.* [Hanc fiduciam commiſſam tibi tenes hodie, ac poſſides.] Seneca *lib. 2. de tranquillitate vitæ. cap. 6.* [Integrum incolumémque eſſe cenſum meum profiteor: Teneo, habeo quicquid mei fuit.] Plinius *Erucio lib. 1. epiſt. 15.* [Nunc verò me totum tenet, poſſidet.] Vlpianus *lib. 7. de offic. proconſulis. ſub tit. de Mathematic. & diuinatorib. in Pithœanis frag. tit. 15.* [Quæ ſemel ab antiquis tractata & definita ſunt, ſtatum & curſum tenent, ac poſſident.] Idipſum Nicæni concilij *cap. 6.* eleganter effertur, τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω. Querolus in Aulularia nuncnuper edita, [Agè dicito, ha, ha, he. habeat, teneat, poſſideat, ſéque cum ſuis.] Ea tamen tanquam diuerſa in Aquilianæ ſtipulationis formula ſeparantur. [Quódve tu meum habes, tenes, poſſides. *l. 18. & vno. ſ. de acceptil.* Theophilus exponit, κρατεῖν, νέμειν, κατέχειν. *§. præterea. quib. mod. toll. obl.* Placentinus. *C. de acq. poſſ.* Sed ea differentia plerunque confunditur: poſſidere & tenere pro eodem. *l. 22. cùm proponas. 2. C. de pact. l. 150. parem. ſ. tit. ſeq.* Colonus, inquilinus, quamuis teneant rem, quia tamen animo domini (τῇ ψυχῇ δεσπόζοντος) non poſſident, poſſidere non dicuntur. *l. vlt. de vi & vi arm.* neque creditor ſeruandæ rei cauſa tenens (ἐπὶ τῷ χρέει, ἀσφαλείας ἕνεκα. *§. vlt. quib. mod. re cont. obl.*) poſſidet. *l. 3. §. creditores. ſ. vti poſſ.* Neque commodatarius, conductor. *l. 9. officium. §. denique. ſ. de vind.* Quoniam tamen tenent, reique reſtituendæ poteſtatem habent, placuit eos perinde ac ſi poſſiderent, poſſe nihilominus reiuindicationis iudicio conueniri. *d. §. denique.*

§. j. CAVTVM intelligitur, ſiue perſonis ſiue rebus cautum ſit.

Alciatvs.

CAVTVM. ¶ Siue fideiuſſores quis dederit, ſiue pignora, caiuiſſe dicitur: verbum. o. cauere, idem ſignificat, quod ſecurũ facere. Is autẽ ſecurus eſt, cui vel pignore, vel fideiuſſione cõſultum eſt. Et ideò quoties lex ea cauſa caueri poſtulat, quod ſecuriorem reddere creditorẽ velit, exiſtimarem ſimplicem repromiſſionẽ, quę per ſtipulationem fieri ſolet non ſufficere: ſi verò eum, quem adhuc debitorem eſſe non cõſtat, cauere velit, ſecus eſt: quoniam Iuſt. ſanxit *in l. ſancimus. C. de ver. ſi.* cautionis

nomine

nomine,vel ἀσφαλείας (ita eum ille ſcripſit,licet in vulgatis codicibus Græca vox quæ ſecuritatem ſignificat,deficiat) nudam promiſſionem ſignificari. Satis quippe illi cautum dicitur qui per ſtipulationem iuri ſuo conſuluit. Quod ſi is debitor pauper ſuſpectuſve ſit, ſola ſtipulatio non ſufficeret. *l.pen. de pet.her.* nun.n.ſecurus creditor eſſet:qua de re ſuperius a nobis latius diſputatum eſt.*l.ſatiſdationis.*

Brechæus.

Cautum. ¶ Cautionem,Franc.Connanus *lib.4.Commentariorum iur.ciuil.* appellat ſyngrapham debitoris: quam qui tradidit pignori, etiam nomen ipſum, & debitum, vtileſque ad id exigendum actiones ceſſiſſe videtur. Et id ex Cice.*epiſt.7.ad Treba.* interpretatur. Cauere etiam conſulere eſt. Vnde cautum dicebant eum qui ſibi & aliis cauere conſulereque poteſt, ne quid in ciuitatis leges moreſque peccetur. At verò hoc loco Vlpianus cautum eſſe dicit tum,cùm ſine rebus,id eſt pignoribus ſiue perſonis, id eſt legitimis atque idoneis fideiuſſoribus datis, cautum eſt. Sed quos tandem fideiuſſores idoneos admittimus? Hæc enim quæſtio quotidie in forenſibus negotiis obſeruari ſolet. Præfari ſi quidem me oportet, (quoniam de ratione hic agimus,) quaſdam eſſe prætorias cautiones, quas prætorias ſtipulationes appellant: quæ quamuis plures ſint, duas tamen imprimis nunc conſideramus, cautionem videlicet, damni infecti, cùm vicinus vicinæ domus ruinam extimeſcit, Prętor pro cautione imploratur:& hęc iudicis officio petitur,*l.cùm poſtulaſſem.ad principium.& l.prætoris.ff.de damn.infect.* Et hæc quidem damni infecti cautio,dicitur actio *l.inquilino.ff.eod.tit.* Eſt & alia prætoria ſtipulatio,vel prouiſio, cùm aliquis in bonorum poſſeſſionem contumacis, aliquando ex primo,aliquando ex ſecundo decreto mittitur. Et hoc in prætoria cautione perpetuum eſt,quod vel pignoribus,vel fideiuſſoribus caueatur. *l.1.§.caueri.ff.de collat.bon.* Tunc cautum intelligitur:ſi modò vel pignora,vel fideiuſſores idonei ſint. Vnde Paulus reſpondit,mandati conditioni paritum non videri,cum in mandato adiectum ſit,vt idonea cautio à debitore exigeretur, ſi neque fideiuſſor,neque pignora accepta ſint. *l.ſi mandato.§.ſi.ff.mand.* Accipienda ſi quidem erit cautio idonea ſecundum qualitatem conditionémque perſonarum:quod Baldo viſum eſt *in l.cui rebellum.C.de indict.vidui.tol.* Ecce enim qui fideiuſſores atque expromiſſores dare promiſit, ita demum videtur ſatiſdationis ſtipulationem impleſſe,ſi eos dederit acceſſionis loco,qui & obligari poſſint,& conueniri. Cæterùm, ſi dederit ſeruum,aut filiumfamilias, ex quibus cauſis actio de peculio non datur, vel mulierem, quæ auxilio Senatuſconſulti vtitur, dicendum eſt non eſſe impletam ſatiſdationis ſtipulationem, vt reſpondit Vlp. *in l.qui ſatiſdare.ff.de fideiuſſ.* Oportet itaque fideiuſſorem,vt cenſeatur idoneus,fortunæ copiis eſſe inſtructum,& qui nullo fori priuilegio ſit tutus. Fideiuſſor,inquit Vlpianus *in l.2.ff.qui ſatiſd.cog.* iudicio ſiſtendi cauſa locuples iubetur dari, non tantùm ex facultatibus, ſed conueniendi facilitate. Idem quoque tradit *in l.ſi fideiuſſor.eod.tit.* & Baldus *in l.ſententia.C.de fideiuſſ.* Sed & qui alienum ſortitur forum,is fideiuſſor minimè idoneus cenſetur. Bald.*in l.ſi fideiuſſor.§.ſi neceſſaria.d.tit.qui ſatiſd.cog.* Alex. poſt Bart.*in l.1.ff.ſi quis in ius voca.non ier.& in d.l.ſi fideiuſſor.* Sed & tradidit Paul. Caſtrenſ.*in l.ſciendum.ff.qui ſatiſd.cog. & in l.ſi filius.eod.tit.* eum qui rea ſoli non poſſidet ſatiſdando nequaquam eſſe idoneum. Quæſitum eſt aliquando, an extrarius habitator, & qui eo loco,quo tenetur prędibus cauere,id præſtare non poſſit,dimittendus ſit in locum originis & proprij domicilij ſeu habitationis? Et ea quidem in re diſtinguendum eſt. Aut enim quæ præſtanda cautio eſt, neceſſaria, aut voluntaria eſt. Si quidem neceſſario & lege iubente præſtanda ſit, vt a tutore & curatore, rem pupilli ſaluam fore, vel ab eo cui vſusfructus relictus eſt, de reſtituenda domino proprietate, vel à legatario,vt cauent euicta hereditate,legata reddi:& cætera huiuſcemodi Vlpiano viſum eſt, ſi in alia eiuſdem prouinciæ ciuitate ſatiſdare paratus ſit, audiendum eſſe. *d.l.ſi fideiuſſor.§.ſi neceſſaria.*& Paulus *in l.de die.§.inter.eod.tit.qui ſatiſd.cog.* Si verò voluntaria eſt cautio,& quam quis ſponte obiit, cuiuſmodi eſt,cautio de rato,alium in locum remittendum non eſſe, idem Vlpianus cenſuit. Neque enim id meretur,qui ſibi ipſi ſatiſdationis neceſſitatem impoſuit. Videto in hanc rem Accurſ.*in authen.de exhi.re.§.ſuſcepto.* Quid ſi idoneus fideiuſſor datus eſt,poſtmodum autem in paupertatem inciderit,ita vt iam minimè idoneus ac penitus non ſoluendo effectus ſit. An compellandus ſit reus qui alium idoneum,in locum minus idonei ſufficiendum præſtet? Et hic quoque diſtingui oportet. Nam in ea,quam promiſimus cautione,& ea promiſſo tenemur ſatiſdare. Bartol.*in l.prætoria.la 2.ff.de præto.ſtipul.* cenſet debitorem non eſſe compellendum vt iterum ſatiſdet, fideiuſſore iam dato quantumlibet egeno facto:quia periculum ſubſecutæ inopiæ pertineat ad creditorem. *l.pupilli.§.ſoror.ff.de ſol.* Idem tradit ipſe Bart.*in l.3 ff.de fideiuſſ.* Alex.*in l.ſi ab arbitro.ff.qui ſatiſd.cog.* Si,inquit Vlpianus *in l.ſi is à quo.§.ſi.*& Paulus *in l.planè.ff.vt in poſſeſſio.lega.ſeu fideicom.* ſemel fuerit ſatiſdatum, Quæſitum eſt,an etiam rurſus cauendum ſit,ſi forte dicatur egenos fideiuſſores eſſe datos. Et magis eſt vt caueri non debeat. Hoc enim diuus Pius reſcripſit Pacuuiæ Licinianæ, Ipſam enim facilitati ſuæ expenſam facere debere,quæ fideiuſſores minus idoneos accepit. Neque enim onerari oportet per ſingula momenta eum a quo ſatiſpetitur. Planè,ſi noua cauſa allegetur: veluti,quod fideiuſſor deceſſit,aut etiam rem omnem familiarem inopinato fortunæ impetu amiſerit, æquum erit præſtari cautionem. Nam extremis morbis extrema exquiſitè remedia optima ſunt,teſte Hippocrate *lib.1.Aphoriſmorum, Aph.6.* cùm etiam conueniat leges ſeu pharmaca ad morborum habitum ac rationem accommodare. Et idem Iuriſconſ. *in l.de ætate.§.ex cauſſa.cum ſimilibus.ff.de interrog.actio.* In eandem ſententiam ſcribit iterum Paulus *in l.ſi ab arbitro.d.tit.qui ſatiſd.cog.* Bart.*in l.litibus.C.de agr.& cen.lib.vndecimo.* Eſt text.& gloſſ *in capite.cæterùm.extra,de iuramento calumn.* Aliter quidem ſentiendum eſt in prætoriis ſtipulationibus quæ iudicis officio interponuntur. Si quidem cautio prior deſiit, & finita eſt,ſubeſt adhuc æquitas quæ iudicis officium compellat & admonet, vt faciat hanc ipſam emortuam cautionem exſuſcitari & renouari. Quando verò ex promiſſo teneor ſatiſdare,idque idoneè præſtiti,

finita

finita priore illa obligatione, nulla propemodum reliqua ſupereſt actio, qua compelli poſſim vt rurſus ſatiſdem. Bart. *in d.l. Prætoria.* Eſt igitur cauere, ſtipulari ſatiſdationem: quod Græci ἐγγυᾶσθαι dicunt, & cautionem ſeu ſtipulationem ἐγγύην. Dicimus autem Cauere alicui, id eſt ſatiſdare. Vnde cauere capite, fortunis, chirographo, obſidibus. Cauere ab aliquo, eſt ſatis accipere: vt *in l. ſi ſciente. ſub finem. ff. ad leg. Pompe. de parric.* aut à quo (inquit Vlp.) ita cauerint. Quem locum Accurſius modò interpretatur, fideiuſſerint: modò legit, curauerint: & vtrumque perperam. Cicero *in Brut.* At verò inquam Brute, tibi ego non ſoluam, niſi prius à te cauero amplius eo nomine neminem petiturum: id eſt, niſi à te ſpondente ſatis accepero. Quod eleganter Budæus annotauit *in commenta. linguæ Græca, & in annot. in Pand.*

FORNERIVS.

CAVTVM. ¶ Principali obligationi confirmandæ acceſſiones quædam interdum adhibentur. *l. 44. obligationum. §. acceſſio. ff. de oblig. & action.* vt ſunt rerum reorúmque cautiones, id eſt fideiuſſorum vel pignorum. *l. 59. ſi mandatu. ff. mand. l. 1. §. iubet. de coll. bon. l. 3. C. de verb. ſign.* Prædibus & prædiis cauere dixit Varro. Cicero *3. in Verrem.* Vtriuſque cautionis idem finis eſt, eadémque caucauſa, nempe æris alieni ſecuritas. Vt enim pignus apud creditorem, ob contractus fidem, debitique reſtituendi vinculum deponitur. *l. 9. legata. §. 1. de ſupp. leg. §. vlt. quib. mod. re contr. obl.* Sic & fideiuſſores intercedunt, quo magis creditori caueatur. *l. 1. de obl. & act. §. 1. de fideiuſſor. §. vlt. de replic.* Itaque ſæpe fideiuſſoris ac pignoris obligatio coniungitur. *l. 2. l. 17. omiſſo. ff. de fideiuſſ.* & pignori fideiuſſor, fideiuſſorique pignus accedit. *l. 51. inter. §. creditor. l. ſeq. de fideiuſſ.* Interdum tacitè, quamuis nominatim id non agatur. *l. 64. fideiuſſor. §. minoris. de fideiuſſ.* Vtriuſque ſimilitudo efficit, vt à pignore ad fideiuſſionem non inepte ducatur argumentum. [Si quis conſtituat ſe ſatiſdaturum, inquit Paulus, fideiuſſorem vel pignora det, non tenetur: Quia nihil intereſt, quemadmodum ſatisfaciat.] *l. 21. promiſſor. de conſti. pec.* Ob eámque cauſam, mulieri non minus pro pignore & cautione, auxilium Velleiani, quàm pro fideiuſſione datur. *l. 5. ſi ſine. l. 7. ſi ſciens. l. 22. ſi mulier. C. ad Se. Vell.* Eadem, inquit Caius, de vtroque dicenda ſunt. *l. 2. ff. qua res pign.* ¶ Interdum tamen ita comparantur, vt vtrum alteru ſit tutius cautiúſque vinculum, controuertatur. Quamuis enim qui actionem ad rem habet rem ipſam habere videatur. *l. 143. is apud. ff. h. t. l. 15. qui actionem. ff. iti. ſeq.* Aliquantò tamen minus eſt, actionem habere, quàm rem: tutiúſque pignori incumbere, quàm fideiuſſorem perſequi. *l. 25. plus cautionis. l. 104. minus. ff. iti. ſeq.* ſiue priuatorum ſiue fiſci pecunia credatur. Nam & Vlpianus *lib. ſingulari de officio curatoris. reip.* proſpiciendum admonet, ne pecuniæ publicæ credantur, ſine pignoribus idoneis. *l. 33. ff. de vſur.* Martialis *lib. 10. epigrammate. 25.* conqueritur.

> *Cùm rogo te nummos ſine pignore, non habeo, inquis:*
> *Idem ſi pro me ſpondet agellus, habes.*
> *Quod mihi non credis veteri Theleſine, ſodali;*
> *Credis colliculis, arboribuſque meis.*
> *Ecce reum Carus te detulit: adſis agellus:*
> *Exſilij comitem quæris: agellus eat.*

Et grauiter Seneca *lib. 3. de beneficiis, cap. 15.* de auidiore creditore diſſerens: [Ille per tabulas, inquit, plurium nomina interpoſitis pararius fecit. Ille non eſt interrogatione contentus, niſi rem manu ſua tenuit.] Id eſt, niſi ad ſtipulationem acceſſerit pignus, ἐνέχυρον. *l. 238. plebs. §. pignus. ff. h. t.* malè alij *reum* pro *rem* ſubſtituere conantur. Quamuis plerunque debitoris intereſt, pignus potiùs creditori dare, quàm fideiuſſorem adducere. *l. pen. ff. de pig. l. 3. de teſt. tut.* Quemadmodum & in ſtipulationibus Prætoriis, ij qui ſatiſdare debent, pignorib. defungendo nihil agunt: ſed ſponſorib. datis cautio tranſigitur. *l. 7. prætoria. ff. de præt. ſtip. l. 1. ff. vt lega. vel fid. nom. cau.* Idémque obtinet, quoties inter fratres coheredes, de conferendo cauendum eſt. *l. 1. §. iubet. de coll. bon.* Nec aduerſatur quod cautionis, ſeu ἀσφαλείας nomine, non fideiuſſoris pignoriſve dationem, ſed nudam modò repromiſſionem contineri traditur. *l. 3. C. de verb. ſign.* Longè enim aliud eſt, ſimpliciter cauere, aliud rectè, idonee, vtiliterve cauere: quibus verbis rerum ac reorum, fideiuſſorum pignorúmue cautio ſignificatur. *d. §. iubet. l. 2. §. de illis. l. 5. ſi. de coll. bon. l. 2. de vſufr. ear. rer. l. 58. ſi mandatu. ff. mand. l. 4. §. addici. de fideic. libert. §. conſtituitur. de vſufr. Inſt.* De arræ, fiduciæ, pignoris & hypothecæ differentia, Iſidorus *lib. 5. Etymolog. cap. 25.* nos *d. l. 238. plebs. ff. h. t.* diſſeremus.

CLXXXIX. IDEM lib. xxxiiij. ad Edictum.

FACERE OPORTERE & hanc ſignificationem habet, vt abſtineat quis ab eo facto, quod contra conuentionem fieret: & curaret, ne fiat.

ALCIATVS.

FACERE. ¶ Promiſit aliquis non facere. *l. ſi fundus. locat.* quo minus domo mihi locata frui poſſim: habent ea verba duplicem ſignificationem. Altera eſt vt abſtineat ab omni facto, per quod vſus meus impediretur. Altera eſt, vt etiam curet, ne à quouis alio impediatur: & hic ex vulgari ſcriptura ſenſus elicitur. Alij tamen codices, facere oportere, abſque negatione ſcriptum habent: qua ex lectione colligitur, facti appellatione, etiam ne fiat, contineri. ¶ In quo tractatu ſic diſtinguendum opinor: aut facta accipimus, quatenus ab his quæ iuris ſunt differunt, & propriè obligationem, ne quid fiat, facti eſſe dicemus: cùm enim in dando non conſiſtat, conſequens eſt vt facti ſit. *l. 2. ff. de verb. obl.* Aut in naturalem ſenſum id verbum accipimus, & qui non facit, propriè facere non dicitur: quapropter

propter lex perduellionis, quæ eus inſequitur, qui aduerſus principis perſonam aliquid faciunt, in eo locum ſibi non vindicabit. *l.1.& 2. ad leg. Pomp.* qui conſpirationem ſciens non reuelat, idque receptius eſt: punietur enim mitius: & hoc ex proprio ſenſu dicẽdum eſt: nam ex interpretatione legis aliquando vltra vim verbi aliud reſpondemus. Vnde fraudem facere creditoribus intelligitur, qui ſeruitutes per negligentiam amittit, vel rem pro derelictа habet. *l.4.§.qua in fraud.credi.* Cæterùm cùm in lege de eo fit mentio, qui contrà facit, obſeruabimus qualis ſit iuſſio: ſi enim affirmatiua eſt, qui negligit, aduerſus eam facere dicitur. *l.ſi quis maior.C.de tranſact.* rurſus ſi prohibitiua, ne quid fiat, ſit, aduerſus eam negligendo non facimus, ſed faciendo tantùm. Hincque apparet, ſi à teſtatore ei heredi pœna conſtituatur, qui aliqua in re aduerſus teſtamentum fecerit, pœnam committi, ſi legata ſoluere heres neglexerit, idque indubitati iuris opinor, tametſi quidam aliter exiſtimauerint. *Alex.l.vbi.§.qui id quod.de verb.obl.*

Brechævs.

Facere. ¶ Qui aliquid ſe non facturum ſpopondit, non videtur ſpopondiſſe tantùm quòd ab eo facto ipſe abſtineret, ſed etiam curaturum ne id ab aliquo alio fiat. Quemadmodum qui ſpondet dolum malum abeſſe abfuturúmque, ait Vlpia. *l.inter ſtipulantem.§.1.ff.de verb.obliga.* non ſimplex abnutiuum ſpondet: ſed curaturum ſe vt dolus malus abſit. Idémque in illis ſtipulationib. habere licere: neque per te, neque per heredem tuum fieri, quominus fiat. Paulus *in l.ſtipulationum quadam.§.fi.d.tit.de verb.obl.* Item ſi in facto, inquit, ſit ſtipulatio, veluti, ſi ita ſtipulatus fuero per te non fieri, neque per heredem tuum quominus mihi ire agere liceat, & vnus ex plurib. heredib. prohibuerit, tenentur quidem & heredes eius: ſed familiæ hercíſ. iudicio ab eo repetunt quod præſtiterunt. hoc & Iul. & Pompo. probant. Quo loco Vlpianus tradit in eiuſmodi factorum obligationibus differentiam eſſe inter promiſſoris ipſius & ſtipulatoris heredes. In illis enim ius tale receptum eſt, vt ſi eorundem vnus defuncti promiſſum ſit auerſatus, in ſolidum ſtipulatio committatur. In his autem, ſi aduerſus vnum peccatum eſt, ſtipulatio pro parte eius tantùm committitur: niſi pœna adiecta ſit. Efficit namque ſubiecta pœna, vt in ſolidum committatur. Differentiæ ratio hæc eſt: quòd priore caſu tacitè actum videtur, vt ea ipſa ſtipulatio in ſolidum committatur: cùm vnius heredis indeuotio tantum detrimenti adferat & fraudis, quantum omnium vniuersè & ſimul. *l.in executione. §.quod ſi ſtipulatus.d.tit.de verb.ob.* Non enim niſi in ſolidum κὶ ἀγεῶς peccari poterat. *§.Cato.l.4.circa medium.d.tit.de verb.obl.* Ad hæc potuit defunctus in idipſum eos obligare. *arg.l.continuus.§.vlt.d.tit.de verb.obl.* Vnde cùm obligatio hereditaria ſit, mirum non eſt ſi in ſolidum committatur. *l.heredes.§.in illa.ff.fam.hercíſcun.* hinc conſequens eſt, vt ſi à defuncto ſtipulatio non inceperit, vt ea quidem illum afficiat tantùm qui contra quam promiſſum eſt, fecerit. *l.de pupillo. §.ſi plurium.ff.de non. oper. nunc.* Quemadmodum & id ferè receptum eſt, vt & vbi ex heredibus vnus in re depoſita dolum admiſerit, is ſolus dolum præſtet. *l.in depoſiti.iunct.l.ſeq.ff.dep.* Sic enim captio & iuris iactura integra non eſt ei qui depoſuit: vt cui etiam aduerſus alios depoſiti actione conſultum ſit. *§.præterea.inſt.quib.mod.re contr.obl.* Sed quatenus committatur hæc ſtipulatio, in ſolidum ne aduerſus vnumquemque, an verò pro portione hereditaria? Et verius eſt pro hereditaria tantùm portione committi. *d.§.Cato.ad princ.* Etenim, cùm pœna lege xij. tabularum diuidatur, vt quę in dando conſiſtat. *d.l.2.§.& harum.* Æquum ſanè viſum eſt, vt pro hereditariis partibus diuidatur, & omnes in partem obligentur. Neque verò ſatis conſtare arbitror ſententiam Alciati *in d.§.Cato* (pace tanti viri duxerim) in ſolidum videlicet aduerſus vnumquemque committi. Niſi hæc verba *in ſolidum*, pro portionibus hereditariis, vt aliquando fit accipias: ſicut tradit Vlp. *in l.ad ea.§.fi.ff.de reg.iur.* Nec ad ſententiam eiuſdem Alcia. confirmandam facit id quod à Paul. traditum eſt. *d.§.in illa.et ab eodem in l.inter coheredes.§.quod ex facto.ff.fam.herc.* videlicet vnum ex coheredibus quod ex ſtipulatione hæreditaria præſtat, à coherede non repetere: quoniam in ſolidum committatur ſtipulatio: ne vnius factum cæteris damnoſum ſit. Etenim & hæc quidem pœna hereditaria eſt, quamuis diuerſum ipſi Alciato viſum ſit, vnde in ſolidum committi cenſuerit. Quandoquidem ea quæ per defunctum heredibus quæruntur, iure hereditario quæri cenſentur. *arg.l.pactum ff.de prob.* prætérquam ſi conuentionis natura aliud exigat. Videto in hanc rem Vld. Zaſium *in d.§.Cato.* Planè cùm iniquum ſit alterum alterius odio prægrauari. *l.ſi quis in ſuo.§.legis. C.de inofficio.teſtam.cap.non debet.de regul.iur.in 6.* æquitate ſuadente receptum eſt, vt familiæ herciſcundæ iudicio repetat quis, quod coheredis ſui nomine præſtitit. *d.§.quod ex facto.& d.l.2.§.ex his. de verb.obl. & d.§.in illa.* Quod & in aliis ferè rebus obſeruari conſueuit: vt in Clarigationibus. (Repræſalias vocant.) In quibus id receptum eſt, vt qui propter alium exactus ſit, ab eo pro quo exactio facta eſt, poſſit repetere: cum ſoluendo, in totum eum liberarit. *l.ſoluendo.ff.de neg.geſt.* cúmque alius huic damno cauſſam dederit: adeò vt pleriſque viſum ſit, eum qui exactus eſt, ab eo id quod ſua intereſt repetere poſſe. Gloſſ. *in cap.2.de offic.ord.* Quod tamen accipiendum eſt in his clarigationibus, quæ debito & legitimo modo conceſſæ ſunt. *arg.l.ſi per imprudentiam.ff.de euict.* vt pote miſſis fæcialibus & præmonitis finitimis, vt ab iniuria abſtineant: alioqui futurum eſſet, vt in eos ius eiuſmodi decernatur. Tu vide omnino Galliaulam in hanc rem. Ad confirmandam opin. noſtram, iuuat argumentum militem, qui fide data, à ſocietate, quam cum ſuo commilitone inierat, diſceſſit, ad reſarciendum omne damnum quod culpa commilitonis datum eſt teneri. *l.pen.ff.ſolut.matr.* Quod equidam eò tendit, vt animaduertamus non iniuria repeti poſſe id quod pro deliquente coherede ſolutum eſt. Et hæc quidem omnia pertinent ad priorem *d.l.2.ſpeciem. §.item ſi in facto.* quo loco de promiſſoris heredibus tractatur. ¶ Quod autem ad ſecundam ipſius l. ſpeciem attinet, quæ ſtipulatoris heredes complectitur, hoc ſanè receptum eſt, vt ex heredibus vno prohibito, ſtipulatio, in id quod ſua intereſt, pro parte hereditaria committatur. *d.§.item ſi in facto.* Etenim cùm huiuſcemodi obligatio fact

tiu facti ſit, in id quod prohibiti dumtaxat interfuerit, committitur. Et licet factum, etiam poſt moram, peti poſſit, condemnatio tamen erit ad æſtimationem. Quod recte Accurſ. in hunc locum adnotauit. Exiſtimaui quoque idem omnino in ipſo promiſſore, quod in ſuis heredibus obſeruari: vt ſiquidem vnus tantùm ex ſtipulatoris heredibus prohibuerit, aduerſus illum pro parte pœna committatur: licet Alciatus cum Bartolo diſſentiat, *in d.§.Cato.9.quæſt.* Cùm enim obligatio huiuſcemodi hereditaria ſit, vt ſentit Zaſius *in d.§.Cato.* conſtat tamen eam xij. Tabul. lege, inter heredes diuiſam eſſe. *l.ea quidem. C.fam.hercíſcun. l.1.C.ſi cert. pet. l.pro hereditariis.C.de heredit.act.* Neque verò probari oportet diſſidentium hac in re ſententiam, exiſtimantium eam hereditariam minime eſſe. Quam quidem ſententiam Vld.Zaſius *in d.§.Cato.* ſub finem, per multis rationum argumentis eleganter improbauit, huc pertinet, quod & illius qui prohibitus eſt, tantùm intereſſe videmus: non etiam aliorum. Quid igitur mirum eſt, ſi tantùm quod ſua intereſt, repetere poſſit? Et licet in perſona heredum multiplicetur obligatio principalis, non continuò tamen obligatio pœnæ multiplicari poterit. *l.ſi ſeruus plurium.§.vlt.ff.ſi quis cautio. l.ſi is qui ducenta.§.cùm ita.ff.de reb.dub.* Sed hæc locum non habent, vbi pœna ſtipulationi ſubiecta eſt. *d.§.item ſi in facto. cum l.ſeq.* Nam vbi pœna adiecta eſt, non illud quærimus an alicuius interſit: ſed an pœna tantùm ſubiecta ſit. *d.l.ſtipulatio.§.alteri. d.tit.de verb.obl. & inſt.de inutil.ſtipul.§.alteri.* Pœna etenim committitur, etiam ſi non interſit, vbicunque aduerſus ſtipulationem aliquid directò factum erit. *d.§.alteri.* Cenſetur autem aliquid contra ſtipulationem directò factum eſſe vbi vel ſtipulator offenditur: vel is qui eum exprimit, cuiuſmodi eſt heres: alioqui vbi quis non directò, ſed per obliquum offenditur, non aliàs pœna committitur quàm ſi alicuius interfuerit. *l.aduerſus. et gl. l.cùm pœna. ff.de rece.arb.* Quod & in prætoriis ſtipulationibus obſeruatur, quæ non aliàs, quàm ſi cuiuſque interfuerit committuntur. Bart. *d.§. Cato.3.q.* ¶ Tria autem ſtipulationum quæ in faciendo conſiſtunt, exẽpla proponuntur. Primum eſt, in ſtipulatione, per te non fieri neq; per heredem tuum, quominus mihi heredique meo ire agere liceat. Hæc quippe ſtipulatio facti eſt, cùm verba ad factum referuntur: ire, agere, ſcilicet. Cùm verò ad ius, iuris eſſe cenſentur. Alc. *in d.§.Cato. 2.not.* Secundum exemplum eſt, in ſtipulatione iſta, *Habere licere. l.idem iuris.d.tit.de verb.ob.* quæ non id continet, vt ea dominium transferatur: vnde dationem non reſpicit: ſed vt ſtipulatori de iure rem habere liceat. Hæc autem indiuidua eſt, vt quæ apud veteres venditionibus insereretur. *l.Habere licere.ff.de euict.* quarum quidem venditionum naturam indiuiduam eſſe conſtat. *l.cum ex cauſa dupla. d.tit.de verb.obl.* tametſi Angel. & Socyn. *in d.§.item ſi in facto.* eam modò indiuiduam eſſe, modò diuiduam pro rerum & negotiorum, quæ in illam incidunt, varietate fateantur. Quod & in ſtipulatione de defendendo, & de non excipiendo, aut agendo obſeruari conſueuit, vt teſtatur Alciat. *in d.§.Cato.* Tertium exemplum eſt in ſtipulatione, *Dolum malum abeſſe*, quæ generalis eſt, & heredem quoque conſtringit. *l.hac verba cui rei.§.h.t.l.nouiſſima.ff.iudic.ſol. l.doli.l.ſtipulationes commodiſſimum.d.tit.de verb.obl.* quamuis ſuperiores duæ ſtipulationes non aliter heredem teneant, quàm nominatim earundem facta ſit mentio. Qui enim ἁπλῶς, atque abſolutè abſque vlla heredis adiectione mentionéque eas res ſtipulatur, in dubio ius perſonale ſtipulari intelligitur. Paulus *in l.Caius. ff.de annu.leg.l.pater. ff.de ſeruit.lega.* Sed quid in promiſſione alieni facti. Sanè quamuis ea ſit inutilis, valet nihilominus ſtipulatio qua alium iudicio ſiſtas. *§.ſi quis alium. Inſt.de inutil.ſtipul. l.quoties quis. d.tit.de verb.ob.ff. not.in d.l.2.ad princ.* Etenim, cùm eiuſmodi ſtipulatio prætoria ſit. *l.1.ff.de prætor.ſtip.* latior ex æquitate interpretatio fieri debet. *l.quod Epheſi.§.quod in ſumma. ff.de eo quod cert. loc.* videlicet, vt non tam proprium quàm alienum factum quis curare dicatur: cùm videatur promittere ſe facturum & curaturum. Quod latius not. *in d.l.quoties quis.* Iam verò cùm, vt dictum eſt, factorum obligationes & heredibus dentur, & aduerſus heredes tranſeant *l.veteris. C.de contr.& commit.ſtipul.* dubitari potuit, an ea ſtipulatio, qua quis, cum morietur, in Alexandriam ire promiſit, ſit vtilis. Et id negat Iuriſconſultus. Neque enim factum iſtud, vt quod perſonæ cohæreat, ad heredes tranſmittitur, Conſtitutióque factorum obligationes ad heredes tranſmittens, in his factis loquitur quæ per alium non minus commodè poſſunt explicari. *l.vnic.§.ne autem.verſ.ſin verò.C.de cad.tol. l.pen.* vbi Imola & reliqui Doct. *ff.de cond.& demonſt.l.ſed ſciendum.ff.ad Treb.* gloſſ. *l.Arethuſa. ff.de ſtat. ho.& d.l.veteris.*

BRECHÆVS.

FACERE. ¶ Faciendi verbo, & non factum continetur. In fraudem facit, qui non agendo litem ſilentio mori patitur. *l.3. l.4.ſi quid in frau.patr.* In quodam antiquiore prætoris edicto in bibliotheca templi Traiani ita ſcriptum inueniſſe ſe A.Gellius *lib.11.cap.17.* commemorat, QVI FLVMINA RETANDA PVBLICE REDEMPTA HABENT, SI QVIS EORVM AD ME ADDVCTVS FVERIT, QVI DICATVR, QVOD EVM EX LEGE LOCATIONIS FACERE OPORTVERIT, NON FECISSE. ¶ Facit qui ceſſat & abſtinet: Quare ineptè faciunt, qui addita hic (quæ a probis codicibus abeſt) negatione, legunt, *facere non oportere*. Longè rectiùs, eâ ſublatâ, particula (ET) augendi vim habens additur: Alioqui vt ôtioſa, ab Vlpiani oratione, quæ dubitatione vacaret, amandanda. Quod ſi quis adeò ſtupidus, qui his verbis (*facere non oportere*) ceſſationem, quietémque indici neſciat, Exempla proferemus. Vlpian. [Rectiùs fecerit prætor, ſi eiuſmodi actionem non dederit.] *l.7.prætor.§.de iniur.* Iuſtinianus, [rectiùs tamen & iure facturos eos, qui ab huiuſmodi nuptiis abſtinuerint. *§.ſi vxor.nupt.Inſt.* Cæſar *lib.1.de bel.ciuil.* [Cæſar exercitum dimittat ſi non faciat, aduerſus remp. facturum videri.] Vlpian. [Meliùs facerent, ſi ſe ſumptibus inanibus non vexarent: cùm obtinere, ſpem non haberent.] *l.1. de inoffi.teſtam.* Paulus. [Qui non facit quod facere debet, videtur facere, id quod facere iuſſus eſt.] *l.121.qui non facit.§ tit.ſeq.* Idem factum appellat moram: cùm facto ſuo reus principalis obligationem perpetuat, etiam fideiuſſoris durat obligatio: veluti ſi moram fecerit in Sticho tradendo, & is deceſſerit. *l.58.ſi a colono.ff.de fideiuſſ.* Africanus. [Si quidem

nolit ipſe vxorem ducere, quia ipſius facto *id eſt non facto*, conditio deficit, nihil ex legato conſequitur.] *l.31.in teſtamento.de cond.& dem.* Inficiatiua ſeu abnutiua oratio, in affirmationem reſoluitur. Si permanſerint ſocij: id eſt, ſi non diſtraxerint ſocietatem *l.4.de cond.inſt. Et in l.4.§.Cato.de verb.oblig. verſ.Velut iter fieri*: Florentin. & nonnullis alijs codicibus additum, *vel non fieri*. ¶ Denique in illa iuris definitione, ſine facto noſtro, id quod noſtrum ſit, ad alium non transferri: ſic accipitur, vt negligentiam quoque, ex qua rei noſtræ vſucapio amiſſióq; ſequitur, complectatur. *l.11.id quod noſtrum. ꝗ in ſeq. l.28.alienationis.ꝟ.de v.s.* Ignem innocentem habere: & non habere noxium ignem, locationia lege conuertuntur. *l.9.ſi quis domum.§.ſi colonus.l.11.videamus.§.ſi hoc in locatione.ꝟ.loc.* id eſt, ἀϐλαϐῆ τὸ πῦρ ἔχειν Harmenopul. *lib.3.tit.8.* Verùm admonendi ſumus, hoc non eſſe perpetuum: nonnihílque intereſſe, vtrum in committendo, an verò omittendo quid peccetur: hoc leuius, illud grauius exiſtimari. *l.48.qui vas.§.qui furem.ꝟ.de furt. l.91.qui ſeruum.de verb.oblig. l.15.quoties.ſi.de ſeruit.* Sed de hoc alias pluribus agere inſtitui.

CXC. Vlpianvs lib. xxxiiij. ad Edictum.

Provinciales eos accipere debemus, qui in prouincia domicilium habent: non eos, qui ex prouincia oriundi ſunt.

Alciatvs.

Provinciales. ¶ Vario modo videtur accipi prouincialem poſſe: & qui origine incolatúque ex prouincia eſt, is omninò abſque vlla dubitatione prouincialis eſt: ſed & qui in prouincia domicilium habent, id nominis ſortiuntur. Hinc Apollonius Rhodius dictus eſt, quamuis patria Alexandrinus eſſet, vt Suidas ſcribit: Agrippinenſes quoque apud Cornelium Tacitum *lib.20.* deductis, inquiunt, olim alienigenis, & nobiſcum per connubia ſociatis, quíque mox prouenire, hæc patria eſt: vt minimè dubitari oporteat, ex iure domicilij patriam acquiri, & id propriè, licet aliqui diſſentiant. Qui verò in prouincia orti ſunt, & alibi domicilium habent, ſentit Iuriſconſultus ex recentiorum ſententia non eſſe prouinciales: quod interpretatur Iacob. Oldrad. Alberic. ex communi loquendi vſu. Sed ipſe prouinciales eſſe magis ſentio, ne minus natiuitas, quàm domicilium poſſit: deceptíque in eo ſunt interpretes, quod oriundum exiſtimauerunt idem ſignificare quod ortum, cùm ſ. ex Latinis autoribus docuerimus, oriundum dici reſpectu originis maiorum ſuorum, non reſpectu ſuæ. Quamuis igitur origine patris filius ſequatur. *l.aſſumptio.ad mun.* non tamen eius patriæ nomine cenſetur, cùm aliò pater habitatum conceſſit, & liberos ſuſtulit: & ita noſtræ opin. reſponſi huius verba non obſtabunt. Ac. & Bar. dictionem duntaxat in verbis Iuriſconſulti ſubaudiunt, quam & aliqui ipſi contextui inſeruerũt, nec exemplo caret, vt ita ſubaudiamus, quod à nobis ſ. demonſtratum eſt, *l.auunculum.ꝟ.e.* ¶ Et ex his infertur, appellatione Florentinorũ, non ſolùm eos contineri, qui Florentiæ originarij incolǽque ſunt, ſed etiam quia altero tantùm iure utuntur. Recipit tamen id ex materiæ qualitate aliquam reſtrictionem.

Finge conceſſum aduerſus Florentinos ius prenſionis (clarigationem veteres dixere) iniquum eſſet eos, qui Florentiæ non habitant, nec munera ſubeunt, comprendi, tametſi inde orti proponantur. *Alex.in rub.ſol.mat.vbi dixi.* cùm enim Reipublicæ munera ibi non ſubeant, non debent in eas pœnas incidere, quæ propter Reipubl. delictum irrogantur, quales ſunt eiuſmodi prenſiones, manuúmq; iniectiones. Sed an idem eſt, ſiue prouincialem dicamus, ſiue eum qui de prouincia ſit? *cap.1.de ſponſ.* & idem eſſe communiter traditum eſt, niſi quòd illa verba, de prouincia, aliquanto magis ad originem, quàm ad domicilium referuntur. *l.1.in fi.de tuto.& curat.dat.*

Brechævs.

Provinciales. ¶ Quemadmodum à diœceſi, diœceſanos Pontificij iuris authores nominant, ſic à Prouincia prouinciales noſtri iuriſconſulti, ſed varia quidem ſignificatione. Nam quandoque diœceſani, ab eis dicuntur qui in diœceſi domicilium habent. *gl.in c.ſtatutum.§.nullus.de reſcr.in 6.* Gemin. *in d.c.ſtatutum.§.cum verò.* vbi not. quòd ſi clarigationes, & androlepſiæ, ſeu (vt vocant) repreſaliæ, admitterentur aduerſus eos qui ſunt de diœceſi Bononienſi, comprehenderentur etiam habentes ibidem domicilium: quamuis aliò quàm Bononiæ contraxerint originem. Quod Bart. & Alex. in hunc locum exequuti ſunt: & latiſſimè ipſe Bart. *in tract.repreſ.* At verò prouinciales hoc loco Vlp. dicit eſſe eos qui in prouincia domicilium contraxerunt, non qui ex prouincia ſunt oriundi. Quod videtur velle M.Cicer. *in epiſt.1. ad Q.frat. lib.1.* In prouincia verò (inquit) ipſa ſi quem es nactus qui in tuam familiaritatem penitus intrarit, qui nobis ante fuerit ignotus, huic quantum credendum ſit, vide: non quin poſſint multi eſſe prouinciales viri boni, ſed hoc ſperare licet iudicare, periculoſum eſt. Proinde Romani, prouinciales, quos Græci τοὺς ἐπαρχιώτας, vocabant eos omneis quos ſuo adiunxerant Imperio, præter Italicos. Vnde Plin. *lib.8. epiſt.* Italicus es, an prouincialis? ¶ Non igitur ex Vlp. ſententia, prouincialis cenſebitur, qui in prouincia domicilium nullum habet: tametſi in prouincia ſit ortus. Quod (vt refert Alc.) ex communi loquendi vſu interpretatur Iac. Oldr. & Alb. Cui quidem ſententiæ idem ipſe Alc. refragatur, ac prouinciales magis eſſe cenſet: ne minus (inquit) natiuitas, quam domicilium poſſit: deceptóſque in eo eſſe interpretes, quòd oriundum idem eſſe quod ortum exiſtimauerunt. Nam ortus ab oriundo in hoc differt, quòd ortus ſignificet locum natiuitatis: vt ego ſum ortus Romæ, Turoni. Oriundus autem, eum locum vbi maiores noſtri, à quibus deducti natique ſumus, & vnde fuerunt parentes. Vt T.Liuius *lib.4.decad.3.* natos Carthagine, ſed oriundos ab Syracuſis dixit. Atque etiam alio loco, ſine præpoſitione, dixit Alba oriundum ſacerdotium. Quod Laur. Val. *lib.3.eleg.c.57.* adnotauit. Cæterò, non multum refert, apud pontificios authores, prouinciaлем aliq

lem aliq

lem aliquem, an verò de prouincia dicas: quemadmodum Francigenam, & de Francia, Saxonem & de Saxonia, vtrunque idem ſignificare volunt, *in cap.1.de ſponſal.& mat.* Idémque eſſe vulgò traditum, ipſe Alciat. contendit: niſi quòd illa verba [De prouincia] aliquantò magis ad originem, quam ad domicilij & habitationis locum referantur. Sic Accurſ. in *l.1.ff.de tut.& curat.da.ab his.* eiuſdem prouinciæ tutores, originarios interpretatur. Et videtur Vlpiani ea mens eſſe propter disiunctiuam, *vel.* Qui ſunt, inquit, eiuſdem prouinciæ, vel ibidem domicilium habent. Et in *l.3.eo.tit.* Ius dandi tutores, datum eſt omnibus magiſtratibus municipalibus (eóque iure vtimur) ſed illum qui ab eodem municipio vel agro eiuſdem municipij eſt. Idem quoque dicemus in eo quem aut Diœceſanum aut de diœceſi appellamus. Sed tamen ab ipſis Pontificiis, diœceſanus proprie appellatur Epiſcopus, & non alius: quauis de iure ſpeciali in loco ordinarium habeat. Quapropter, in materia noua, diœceſani appellatione, ſolus Epiſcopus intelligitur, non autem Ordinarius. Sed in ea quidem materia, quæ vel epiſcopi officium vel dignitatem non reſpicit: ſed iuriſdictionem potius. Aliter enim dicendum eſſet, ac tum etiam de eo intelligetur qui iuriſdictionem epiſcopalem habet: vt ſentit Abbas poſt Io. And. *in cap. Ioannes de teſtam.* Vnde in materia collationis (condonabunt mihi aliquid delicatæ aures quod in re planè Gothica minus Latine loqui nequaquam pudeat, ſed quæ tamen πρὸς τὸ ἀσαφὲς faciat) Ordinarij nomine, venit etiam alius non Epiſcopus. *gloſſ. in verb. ordinarium. clem.1.vt lit.pend.* Felyn. *in cap. cum olim. de præſcript.* Ordinarius igitur is eſt qui ordinariam iuriſdictionem habet. Diœceſanus autem, qui diœceſi præeſt: quod ſoli epiſcopo conuenit. Panorm. *in d.cap.cum olim.* Qua ratione poteſt epiſcopus paſſim in omni ſua diœceſi iudicare, neque ſtatam aliquam iuris dicundi ſedem habet, *vt cap.cum epiſcopus.de offic.ordin.lib.6.* Sed eius Officialis aut Vicarius, non item, quippe cui tribunalis locus præſtitutus ſit: niſi forſan in comitatu epiſcopi. Tunc enim ibi pro tribunali ſedet, vbi epiſcopus adeſt. Quod ſenſit Zaſius in *l.nam pluribus.ff.de inſtit.& iur.* Ex quo nos proculdubio colligere poſſumus, diœceſeos appellatione ciuitatem contineri: cum præcipua potiſſimáq; epiſcopi ſedes in ciuitate ſit & collocata ſit. Quod latius καὶ κατ' ἐπέκτασιν exequuti ſumus *in commentariis noſtris, ad ſtatuta municipalia Turonenſis præfecturæ in titulum generalem. verb.* [*Du pais.*] Quo loco luculenter tradidimus multa de prouinciæ & diœceſeos ſignificatione: & quo primum tempore cœpere & diſtinctæ fuerunt diœceſes & prouinciæ.

FORNERIVS.

PROVINCIALES. ¶ Niſi id, quod in vniuſcuiuſque rei definitione potiſſimùm ſolet, hîc quoque obſeruetur, vt à vi ſua finéque potiùs, quàm nuda vocabuli ſignificatione ſpectetur, non poterit non falſa videri hæc prouincialium deſcriptio. Quis enim eſt, qui neſciat, prouinciales eos, qui ciues in prouinciis nati, ortique ſint, verè nominari? *l.vlt.C.de crim.ſacril.l.pen.ff.de ſenat.l.antep.§.vnde.§§.ſeqq.de interd.& releg.l.35.tutor.ff.de iureiur.* Hoc ſubodoratus Accurſius (cui plerique ſuffragantur) maluit ſubaudire, quod & ſæpè fit aliàs [non & tantùm] vt vtrunque complecteretur. Nam quam ſubtilem inter ortum ac oriundum alij differentiam inueſtigant, iuris auctores promiſcuè vſurpando ſuſtulerunt. *l.1.§.ſi quando.de magiſt.conu.l.pen.ff.de ſenat.l.3.de offic.aſſeſſ.l.24.diui.de tut.& cur.dat.ab his.d.l.antep.§.vnde.§.ſeq.de interd.& rel.* Tantúmque abeſt, vt ex prouincia oriundi prouinciales negentur, quinimò aperte & de iis leges nominatim cauerint, ne origo propria cuiuſquam voluntate, migratione mutetur: néve poſſeſſio, domúſve in aliena ciuitate (etiam a decurione comparatæ) emptio quem obnoxium oneribus eius ciuitatis faciat: aut à patriæ ſuæ muneribus eximat. *l.pen.C.de municip.l.17.libertus.§.ſola.ff.ad municip.l.4.C.de incol.* Senatores quoque ibi, vnde oriundi ſunt, domicilium habent: licet & in vrbe domicilium habeant: Vt dignitas domicilij adiectionem potiùs dediſſe, quàm permutaſſe videatur. *l.pen.de ſenat.l.pen.C.de incol.* Denique vtrobique munera, non modò vbi quis incolit, ſed & vnde domo tum domicilij, tum originis loco ſubeuntur. *l.1.ad municip.l.1.l.vlt.C.de municip.& orig.l.6.priuilegio.C.de incol.* ¶ Hæc cum ita ſe habeant, qua tandem ratione Vlpianum à calumniantium imperitiaue vindicemus, non ſuccurrit: niſi hanc definitionem, quamuis generaliter conceptam, non ad omnes in vniuerſum, ſed ſingulares quoſdam intra articulos, referendam eſſe fateamur. Maximè, cum nihil ex ea mutarint Græci: ἐπαρχιῶταί εἰσιν, οἱ τὴν οἴκησιν ἐν ταῖς ἐπαρχίαις ἔχοντες: ἤγουν οἱ ἐν αὐταῖς τεχθέντες. Vt ecce cum ratione fori, exercendique iudicij, contractum prouincialis inſtituris, à Romano ſecernimus. *l.19.heres.§.apud.de iudic.* Et cum milites in prouincia, in qua bellica opera peragunt, prædia comparare prohibentur, præterquam ſi paterna eorum fiſcus diſtrahat. *l.9.milites.l.13.milites.ff.de re milit.* Et cum magiſtratuum poteſtatem puram à ſordibus, & vexationis terrore alienam eſſe oporteat: ne quid ſua auctoritate freti præter ius & æquum à prouincialibus inuitis extorqueant. *l.vn.C.de contr.iud.l.vn.C.ſi quacunque præd.poteſt.* prohibentur ἐθνικοὶ ἄρχοντες, ſeu proconſules, aut præſides prouinciarum, quique iis in comitatu ſunt, mercari, negotiari, emere, vendere. *l.32.qui officij.de contr.empt.* fœnus toto magiſtratus tempore exercere. *l.33.principalibus.l.ſeq.ff.ſi cert.pet.l.3.C.eo.l.5.ad leg.Iul.repetund.l.46.aufertur.§.quod a præſide.de iur.fiſc.* Idémque (quamuis in contractibus multum Leonis *Nouell.84.* derogarit) in nuptiis copulandis, quas mulieris prouincialis ambire magiſtratus non auſit, obſeruatur. *d.l.vn.& 1.C.ſi rector prouinc.l.38.ſi quis officium.l.57.qui in prouincia.de rit.nupt.* Ideò ſcilicet non tam origo, quàm incolatus ac domicilium ſpectatur: propter magiſtratus formidinem: qua qui ibi ipſius iuriſdictioni ſubſunt pro tempore, terrerentur: meritò hac ratione prouinciales cenſeantur. ¶ Ex quo triplex oritur quæſtio. Prima cur in filiæ elocandæ ac filij eius qui prouinciam regit, nuptiis, ius diuerſum ſtatuatur. *d.l.38.ſi quis officium fin.d.l.57.qui in prouincia.* de quo *lib.3.ſelectarum* diſſerui. Altera, quid ſi quis oriundam, nec domicilium in prouincia habentem duxerit, idne liceat. Cum ratio potentatus

M nuptias

nuptias prohibeat. *l.63.præfectus. de rit.nupt.* Et matrimonium ſublata terroris cauſa permiſſum crediderim: vt veterem ſponſam in prouincia ducere: vel ibi deſponſare (vt depoſito officio mulier non cogatur nubere) nihil vetet. *d.l.38.ſi quis officium.* Tertia, ſi eadem prouincia poſteà in duas, ſub duobus præſidibus conſtituatur, velut Germania, Myſia: ex altera ortus, in altera impune aſſidebit, nec videbitur in ſua prouincia aſſediſſe. *l.3.ff.de offic.aſſeſſ.* Ceſſat quippe ratio, ne cui patriæ ſuæ (in qua prouincialis & ciuis eſt) adminiſtratio, ſine ſpeciali principis permiſſu concedatur. *l.vlt.C.de off.rect. l.vlt.C.de crim.ſacrileg.* Et hæc quidem hactenus. Nonnulla quę nunc prudens omitto, de municipum & incolarum iure ſubiiciam, *ad l.239.pupillus.§.incola.ff.h.t.*

CXCI. PAVLVS lib. xxxv. ad Edictum.

INTER diuortium & repudiũ hoc intereſt, quòd repudiari etiã futurum matrimonium poteſt: non rectè autem ſponſa diuortiſſe dicitur. Quod diuortium ex eo dictum eſt, quòd in diuerſas partes eunt qui diſcedunt.

ALCIATVS.

INTER DIVORTIVM. ¶ Repudiare generale verbum eſt, quod propriè ad ius quærendum refertur: quæſita enim propriè non repudiantur: atque hinc dicimus hereditatem delatam repudiari. Hinc etiam repudium dicitur, cùm futuri matrimonij ſponſalia dirimuntur. Diuortium verò non niſi inter coniuges. *l.inter ſtuprum.§.1.ff.eo.* quamuis pinguiore minerua putem etiam de ſponſis dici poſſe: qua ratione & P. Virgilius diuortia aquarum dixit: nec etymologia omnino repugnaret, cùm eriã diſcedant ſponſi, in diuerſaſque eant partes. Non diffiteor tamen ἐμφατικωτέρως in coniugibus dici: cùm enim coniuncti prius fuerint, miſſo repudio, verè in diuerſas partes eunt. Eſt & apud Vlpianum fribuſculum. *P. Fl. Friſuuſculum.* dictio à me nuſquam alibi lecta. *l.cùm hic.§.ſi diuortium.de don.inter vir.* cùm propter iram ſubitariam & breuem coniuges recedunt, non tamen diuortunt, ſed ceſſante fribuſculo, & quieſcente ira reuertuntur.

BRECHÆVS.

INTER DIVORTIVM. ¶ Quoniam de repudiis & diuortiis in iure frequenter fit mentio, Paulus hoc loci differuit quid inter diuortium & repudium differentiæ eſſet. Quapropter tradit repudium ad nondum contractum perfectúmque matrimonium, ſed ad contrahendum pertinere: vt propriè ſponſam ſponſus repudiare cenſeatur, non etiam diuortium facere. Diuortium (inquit Modeſtinus *l. inter ſtuprum.ff.eo.*) inter virum & vxorem fieri dicitur: Repudium verò ſponſæ remitti videtur. Quod & in vxoris perſonam non abſurdè cadit. Quandoque enim repudiare dicimur eam, quam iam duximus vxorem. In quam ſignificationem vſurpauit Vlpian. *tit.de rit.nup.ff.* Si qua mihi, ait, vxor fuit. Deinde à me repudiata nupſit Seio quem ego poſtea arrogaui, non ſunt inceſtæ nuptiæ. Sed id ex improprio & lata ſignificatione acceptum: quemadmodum etiam in *l.quod Seruius.ff.de cond.cauſ.dat.* Quod Seruius, inquit Neratius, *in lib.de dotibus* ſcripſit, ſi inter eas perſonas, quarum altera nondum iuſtam ætatem habeat, nuptiæ factæ ſunt, quod dotis nomine interim datum ſit, repeti poſſe: ſic intelligendum eſt, vt ſi diuortium interceſſerit priuſquàm vtraque perſona iuſtam ætatem habeat, ſit eius pecuniæ repetitio. Quo loco Accurſ. Diuortium pro repudio interpretatur, verámque eſſe interpretationem liquet ex mente Iuriſconſulti. Tunc autem in repudiis, id eſt renuntiationibus dicebatur nuntius remitti vxori. Cicer. *lib.1.epiſt.ad Attic.* Vxori, inquit, Cæſarem nuntium remiſiſſe. Caius Iureconſ. *in l.2.ff.de diuort.& repud.* tradit libellum repudij his verbis cõcipi ſolitum fuiſſe. [Res tuas tibi habeto. Tuas res tibi agito.] In ſponſalibus quoque, inquit, diſcutiẽdis, placuit renuntiationem interuenire oportere: in qua re hæc verba comprobata ſunt. [Conditione tua non vtar.] Siue autem ipſi præſenti renuntietur ſiue abſenti, per eum qui in poteſtate eius ſit, cuiúſve, is eáve in poteſtate ſit, nihil intereſt. Sanè repudiare generalius eſt: quod quidem & ad diuortium vulgò trahunt Latini authores. Sueto. Tranquillus *in Iulio Cæſare.c.1.* ſcribit Iulium Cæſarem à dictatore Sylla vllo modo compelli non potuiſſe, vt Corneliam Cinnam 4. Coſ. filiam, quam vxorem duxerat, & ex qua mox illi Iulia nata eſſet, repudiaret. L. Antonius à Cenſoribus notatus, & Senatu motus fertur, quòd nullo conſilio aut modo, quam in matrimonium duxerat, repudiaſſet. Siquidem repudiare, eſt reiicere à ſe, recuſare: vnde Iureconſulti hereditatem repudiare dixerunt. Et Terent. *in And.* repudiare conſilium. Quintil. *lib.1.cap.10.* Repudiata verba dixit, id eſt, reiecta & minus probata. Et repudiationem dixit Cicero *lib.12.epiſt.ad Attic.* Sic repudiare vxorem dicimus, pro dimittere, & remittere, reiicere: veniam abeundi dare: quod Græcis ἀπολύειν dicitur, & ἀπολῦσαι: vt in Euangel. Matthæi 19. *cap.* εἰ ἔξεστιν ἀνθρώπῳ ἀπολῦσαι τὴν γυναῖκα αὐτοῦ κατὰ πᾶσαν αἰτίαν, Quo loco Eraſmus Roterod. ἀπολῦσαι pro repudiare ſiue abiicere cenſet poſitum: quod alioqui etiam dimittere dicunt: & hoc verbum à Tranquillo in *Tiberio Cæſare.c.10.* pro repudiare poſitum. Dubium, inquit, vxoriſve tædio, quã neque criminari aut dimittere auderet, neq; vltra perferre poſſet, &c. *Et in eod. Tyb.7.cap.* dedit & ludos, ſed abſens: cuncta magnificè impenſa matris ac vitrici: Agrippinam M. Agrippa genitam, neptem Põponij Attici equitis Rom. ad quem ſunt Ciceronis epiſtolæ, duxit vxorem: ſublatóq; ex ea filio Druſo, quanquam bene cõuenientẽ, rurſúmq; grauidã dimittere: ac Iuliã Auguſti filiã cõfeſtim coactus eſt ducere. Hic dimittere, pro diuortiũ facere dixit. Et paulò infrà, diſſidere, pro eodẽ ſignificato. Cũ Iulia, inquit, primò cõcorditer & amore mutuo vixit: mox diſſedit: i. fecit diuortiũ, & miſſam fecit vxorẽ. Et Cice. in *Orat.pro domo ſua ad Pontif.* defleut coniugis miſeræ diſſidiũ, liberorũ chariſſimorũ ſolitudinem, &c.

Confun

Confunditur itaque ſignificatio repudij & diuortij, ac συμμιγῶς frequenter & alterum pro altero ſumitur. Conſtantinus Harmenop. *lib. 6. Epitom. iur. ciuil. tit. de verb. ſign.* τὸ ῥεπούδιον τὸ διαζύγιον δηλοῖ· διαζύγιον δὲ τὸ γράμματι ἐπὶ χωρισμῷ τῶν κατὰ γάμους συνελθόντων γινόμενον. Repudium ſignificat diuortium. At diuortium, libellum, qui fit ad diuerſionem eorum qui matrimonio iuncti ſunt. Igitur διάζευξιν pro diuortio poſuit: & διαζύγιον pro repudio: ac vtrunque ſeparationem & disiunctionem ſignificat διακεχωρισμένον παρὰ τὸ διαχωρίζειν. Quemadmodum etiam ἀποπομπὴ ſumitur promiſcuè pro repudio & diuortio, παρὰ τὸ ἀποπέμπειν quod & reiicere, & remittere, & repudiare ſignificat, vt διαζευγνύειν disiungere ἀποβάλλειν, & ἀποβλητὸν abiiciendum ac repudiandum. Homer. *lib. 3. Iliad.*

Οὔτοι ἀπόβλητ᾽ ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα.

Libellum repudij appellant ἀποστάσιον, παρὰ τὸ ἀφίστασθαι, id eſt, abſcedere, recedere. Nam qui diuortium faciunt, ſeorſum recedunt disiuncti. D. Matthæus *in Euangel. cap. 19.* Τί οὖν Μωσῆς ἐνετείλατο δοῦναι βιβλίον ἀποστασίου, καὶ ἀπολῦσαι αὐτήν. Eraſmus *in c. 5. Matthæi* vertit diuortionale ad verbum τὸ ἀποστάσιον, hoc eſt, inquit, libellum diuortij. Et loco ſupra citato vertit libellum repudij. Quamobrem nihil fermè diſcriminis videtur inter vtrunque ponere: quod Iuriſconſultis ſæpe quoque accidit. Papinianus in *l. viro atque vxore. ff. ſol. matr.* Viro, inquit, atque vxore mores inuicem accuſantibus, cauſam repudij dediſſe vtrunque pronunciatum eſt. Et in Nouell. Iuſtin. *conſtitu. 117. ſub tit. de diuerſ. cap. & ſol. mat.* Ἐπειδὴ δὲ πολλὰς ἐν τοῖς παλαιοῖς καὶ ἡμετέροις εὕρομεν νόμοις αἰτίας, ἐξ ὧν εὐχερῶς καλῶς τῶν γάμων διαλύσεις γίνονται· τούτου ἕνεκα συνείδομεν ἐκ τούτων ἀφελεῖν τινάς, αἵπερ ἡμῖν ἀνάξιαι πρὸς τὸ διαλύειν τὸν γάμον ἐφάνησαν, καὶ ταύτας μόνον ὀνομαστὶ τῷ παρόντι ἐντάξαι νόμῳ, ὑπὲρ ὧν εὐλόγως δύναιτο, εἴτε ἀνήρ, εἴτε γυνή, διαζύγιον πέμπειν. Quod ſic vertit Haloander. Quoniam verò multas in veteribus noſtriſq; legibus cauſas inuenimus, ex quibus matrimonia promptè diſſolui ſolent, propterea viſum eſt ex his nonnullas, quæ nobis ad diſſoluendum matrimonium indignè apparent detrahere: & eas ſolummodo nominatim præſenti legi inſerere: ex quibus rationabiliter poſſit, ſiue vir, ſiue mulier repudij libellum mittere. At verò cum de matrimonio iunctorum agatur diſſolutione, Græca litera habet διαζύγιον πέμπειν, quod repudium ipſe Haloander interpretatur, & libellum repudij: quod ſupra ex D. Matthæo diximus ἀποστάσιον appellari. Similiter & διαλύειν γάμον matrimonium diſſoluere. Eraſmus *in c. 7. Epiſt. 1. ad Corinth.* λύσιν diuortium vertit: δέδεσαι γυναικί; μὴ ζήτει λύσιν. Alligatus es vxori? ne quære diuortium. Solutionẽ vulgata lectio habet. Aliis, inquit ipſe Eraſmus in eundem locum, magis placet diuortium quam ſolutio, veluti Latinius: ſed tamen interim perit aliqua gratia contrariorum. Alligatus, ſolutus, & ſolutio. Si quidem diuortium, proprium verbum non eſt, ſed tranſlatum, vt teſtatur M. Cic. *lib. 3. de Orat. ad Q. fratr.* Nam ſi res, ait ipſe, ſuum nomen & proprium vocabulum non habet, vt pes in naui, vt nexum quod per libram agitur, vt in vxore diuortium: neceſſitas cogit quod non habeas aliunde ſumere: ſed in ſuorum verborum maxima copia, tamen homines aliena multò magis, ſi ſunt ratione tranſlata, delectant. Hæc ille hactenus. Diuortium nanq; dicitur ab eorum diſceſſu qui in alias vias diuertunt: vel (vt tradit Caius in *l. 2. ff. de diuor.*) à diuerſitate mentium, quia in diuerſas partes eunt qui diſtrahunt matrimonium. Vnde diuertere, pro diuortium facere. Si pater ignorãs (inquit Papin. *ff. ſol. mat.*) filiam diuertiſſe, dotem ex cauſa promiſſionis numerauit, &c. Diuertiſſe dixit, id eſt, miſſum feciſſe maritum, & diductio matrimonio, à marito veluti via declinaſſe. Sic diuerticula viæ militaris, diuortia. Virgil. *lib. 9. Æneid. dixit.*

Obiiciunt equites ſeſe ad diuortia nota:
Hinc atque hinc omnemq; aditum cuſtode coronant.

Et alio quidem loco idem Virgil. Diuortia aquarum dixit, cum ex eodem capite in diuerſas partes diffluunt. Vnde non propriè in ſponſalibus diuortium vſurpatur: quia ſponſi nunquam in vnum tanquam caput aut iugum conuenerunt. Quod Fr. Connanus *lib. 8. Comment. iur. ciuil. c. 12.* vbi de diuortiis & repudiis agit, adnotauit. ¶ Apud veteres Romanos nulla fuit lex neque inſtitutum diuortij faciendi: at licebat maritis vxores adulteras occidere: aut vinum ſi bibiſſent, teſte Dionyſio Halicarnaſſ. Quin etiam Martianus in *l. marito. ff. ad leg. Iul.* & Vlpian. *l. ſeq.* tradunt, marito fas eſſe depræhenſum cum vxore adulterum interficere. Vidimus ſanè his noſtris temporibus, & quidẽ ſeptem abhinc annis, Pharmacopolam quendam in ciuitate noſtra Turonenſi minimè obſcurum, Io. Borianum nomine, vxorem ſuam vnà cùm adultero impunè occidiſſe depræhenſos: nullóque negotio, veniali diplomate a Rege noſtro opt. max. Henrico II. in hanc rem concepto, ac conceſſu, & perſonæ, & famæ, & ciuitatis, bonorúmq; poſtliminium impetraſſe: tum deinde factum huiuſmodi & laudatum, & probatum omnibus. Nupſit ille poſtea alteri, tum demum pauco poſt tempore è vita exceſſit. Sed cum durius hoc inſtitutum videretur, & matrimoniorum rationem haberi Romulus voluiſſet, tulit ipſe leges quæ maritis dimittendarum vxorum facerent poteſtatem, non etiam interficiẽdarum: ſed quibus nulla de cauſa liceret vxoribus à maritis diuertere: viris autem abiicere vxores veneficas, adulteras, partus & clauiũ ſuppoſtrices. Quod videtur innuere Plaut. *in Trucul.* his verbis. Quadrupus, veneficia, ſuppoſtrix puerum. Aliis de cauſis vxorẽ qui reliquiſſet, publicatione bonorum multabatur: quæ partim Cereri, partim vxori relictæ tribuerentur. Qui ad tempus diuerterat, ſacrificari eum iuſſit Diis inferis, vt citius reduceretur cũ vxore in gratiã. Quod Plutarc. in vitã Romuli tradidit: & meminit Dionyſ. Halic. *lib. 2.* Cælius Rhodogi. *lib. 28. lect. antiq. c. 16.* Qua lege factũ eſt, vt intra quingẽtos viginti annos diuortium nullum Romæ fuerit. Hoc quoque Vld. Zaſius, *Comment. in l. 2. de orig. iur.* adnotauit. Tradit Plutarchus in comparatione Theſei cum Romulo, & Numæ cum Lycurgo, apud Romanos primum omnium Seruilium Spurium ob ſterilitatem diuortium cum vxore feciſſe, anno ducenteſimo trigeſimo poſt vrbem conditam. Sabellicus *lib. 9. Enne. ad. 4.* eiuſdem Spurij meminit: & Caruilium appellat. ¶ Iam verò author eſt Paulus in *l. nullum. d. tit. de diuort. ff.* non aliter ratum eſſe diuortium quam ſeptem ciuibus Romanis puberibus adhibitis teſtibus, præter libertum eius qui di-

uortium faceret. Et hæc quidem erant apud eos diuortij faciendi ſolennia. Diximus quatuor de cauſis fas fuiſſe olim vxorem abiicere: quòd videlicet vinum ebibiſſet, quod claues ſubieciſſet, id eſt, furtum admiſiſſet, vt Connanus interpretatur, & partum ſuppoſuiſſet, quòd venefica, quódque adultera eſſet. ¶ Videamus igitur cauſas ex quibus citra periculum maritus repudij libellum poſſit mittere, & ab vxore recedere ſimul, & vxoris dotem lucrifacere, reſeruato in ipſa dominio ex eo matrimonio ſuſceptis liberis, aut filiis non exiſtentibus perpetuo ſeriam dominio. Hæ autem cauſæ recenſentur ab Imper. Iuſtiniano, *ſupra dictu conſtitut.117. ad Theodot. Præfect. Orientalium Prætoriorum. tit. de diuerſ. capitulis & ſolut. matr. §. quoniam verò multus*. Et in vulgari tralatione *Auth. vt liceat matr. & auia. §. quia verò plurimas. collat. 8. Et in Authent. ſed hodie. C. de repud.* Sine cauſa ſane diuortium probatum non fuit: atque idipſum ex lege XII. Tab. manaſſe Ciceroni videtur. Is enim *Philipp. Secunda*, ita ſcribit, criminatus Antonium quod vxorem Volumniam Mimam repudiaſſet. Illam ſuam, inquit, ſuas res ſibi habere iuſſit. Ex duodecim Tabulis claues ademit, exegit, Quam porrò ſpectatus ciuis! quàm probatus: cuius ex omni vita nihil eſt honeſtius quàm quòd cum Mima fecit diuortium. Non ergo licet κατὰ πᾶσαν αἰτίαν repudiare, id eſt, ex quauis cauſa, quemadmodum in *Deutero. cap. 23.* legitur. Omneis enim eas cauſas, vna tantum Chriſtus in Euangelio circunſcripſit: videlicet adulterij. Origenes diſſerens & diſcutiens hanc rem in 19. *cap. Matthæi*, putat & alia crimina vel adulterio paria, vel etiam grauiora, veluti veneficium, parricidium, & cætera id genus, matrimonium dirimere poſſe. D. Auguſtinus in cauſa adulterij, idololatriam æquat adulterio, quòd cultus idolorum ſit adulterio miſceri cum immundis ſpiritibus. Eraſmus *in annot.* ab eorum ſententia videtur diſcedere: quòd, inquit, omne peccatum, quia nos ſeparat a Deo & alienos faciat, dirimeret matrimonium. Qua ratione putat ob id exceptum adulterium, quòd hoc ex diametro pugnet cum natura matrimonij. Quare improbata eſt à Domino noſtro Ieſu Chriſto ἀπὸ προφάσεως illa, ob quam olim Iudæis fas eſſet, atq; etiam qualibet ex cauſa, ab vxore diuertere. Matrimonium è duobus vnum facit: eam copulam diſſecat adulterium. Ergo, ait ipſe Eraſmus, ſuis Chriſtus vnam dumtaxat cauſam indulget diuortij: Iudæis non adimit quod indulſit Moſes ob ingenij duritiem, negans ab initio fuiſſe ſic. Si vt conditus erat homo, perſeueraſſet, nullum erat futurum inter vllos diuortium. Chriſtus reuocans ſuos ad priſtinam innocentiam, non vult diuortium: quia non vult duros corde. Adiicit etiam diuus Auguſtinus idololatriam & hæreſim, ea quippe ratione quia hæc ſint quædam fornicatio & adulterium. Non ſunt itaque ferendæ leges hæ quæ tot diuortij cauſas admittant. Præſtitiſſet hercule alias inuehere cauſas, quibus cum vxore, quæ aliorum exemplo & monitis, ad mentem rediiſſet, tandem reconciliaretur maritus. Atqui cenſet beatus Hieronymus etiam ob adulterij ſuſpicionem integrum eſſe & planè liberum cuiuis marito vxorem à ſe dimittere. Vbicunque, inquit, eſt fornicatio, & fornicationis ſuſpicio, liberè vxor dimittitur. Sed tamen arbitror beatum illum virum, id non accipi voluiſſe aduerſus Chriſti præceptum. Vſqueadeò igitur exoſum fuit adulterium non ſolùm viris Dei cultoribus, ſed & Ethnicis etiam Deum verum neſcientibus. Nam Domitianus Imperator Rom. vt tradit Xiphilinus Epito. Dionis Nicæi, in Domitiano, cùm de nece vxoris ſuæ Domitiæ ob admiſſum adulterium cogitaſſet, capto conſilio de ſententia Vrſi, cum ea diuortium fecit: ob quam, in media via Paridem ſaltatorem interfecit. Ferunt autem ipſum Domitianum diuortia permiſiſſe. Ille tamen Equitem Romanum, ob reductam vxorem, cum qua ob adulterium Martius diuortium fecerat, Iudicum albo eraſit, notáque affecit. Vtinam his noſtris calamitoſis ac profligatiſſimis temporibus adulteria perinde odio haberentur, & plecterentur pœnis: nec tam libera, ac veluti recepta eſſent.

FORNERIVS.

INTER DIVORTIVM. ¶ Diuortium propriè coniugum eſt: ſicut repudium ſponſorum. Vlpian. *frag. tit. 14. de pœnis legis Iuliæ*. [Vacatio mulieri legis Iuliæ, à diuortio ſex menſium, à repudio anni & ſex menſium.] Quam tamen differentiam confundi, nec abſurde repudium in vxoris quoque perſonam cadere, Modeſtinus ait. *l. 101. inter ſtuprum. §. diuortium. ſ. h. t.* Et hic Paulus futurum etiam matrimonium repudiari poſſe fatetur: At ſponſam diuertiſſe dici poſſe, ducto ab Etymologia nominis argumento, negat. Priuatio arguit habitum: nec poteſt, id quod nunquam fuerit, videri deſiiſſe. ¶ Diuortij porrò appellationem inde manare, quòd in diuerſas parteis eant, qui diſcedunt. Heſychio *in d.* ἀποστάσιον. Inde diſceſſio, ac diſcidium Latinè ſcientibus, pro diuortio vſurpatur: ſic enim rectiùs non vt vulgò perperam, [Diſſidium.] ¶ In emaculatioribus libris perpetuò ſcriptum offendimus. [Pœnis diſcidij tenebitur.] *l. 8. non vt. de captiu. & poſt l. reuerſ.* Iul. Firmicus *lib. 5. Matheſ. c. 3.* [Vxor citò ab eo, aut repentina morte, aut diſcidio ſeparabitur. Vlp. cum vxorem retinere prohibeatis, non videri te cauſam diſcidij præſtitiſſe.] *l. 11. miles. ſi. ad leg. Iul. de adult.* Diſcedere, pro diuertere. *l. pen. de diuort. l. 32. cum hic ſtatus. §. ſi diuortium. de don. int. vir. & vx.* M. Tullius *in Anton.* [Ipſe autem amore ardens confirmabat, quòd deſiderium tui diſcidij ferre non poſſet, ſe in exidium eſſe iturum.] Idem *pro domo*, [Defleui coniugis miſeræ diſcidium, liberorum chariſſimorum ſolitudinem.] Gel. *lib. 2. c. 12.*

CXCII. VLPIANVS lib. xxxvij. ad Edictum.

HÆc adiectio [pluriſve,] non infinitam pecuniam cõtinet, ſed modicam: vt taxatio hæc [ſolidos decem pluriſve] ad minutulã ſummam referatur.

ALCIATVS.

HÆC ADIECTIO. ¶ Hæc adiectio, pluriſve, quæ ſolet numero certo adiici, ad modicam ſummam refertur: quod & dicendum eſt, cùm quis plus minus dicit *l. publica. in fi. de poſ.* quam clauſulã duabus notis P. M. antiqui ſcribere ſolebant. ¶ Hincq; argumentari poſſumus, eũ qui veræ

æſtimationis neſcius fundum centum aureis vendat, & ſi plus valet, illud reliquum donare ſe aſſerit, non intelligi donaſſe, niſi cùm aliquid modicum plus valet. *Bart. in l. ſi quis cum alter. de verb. oblig.* Quapropter ſi multò pluris res vendita valeat, poterit contractus reſcindi. Sed & ſi me vltra iuſti pretij dimidium deceptum, vel rem eius pretij, quod accepi, duplo pluriſque valere probauero, contractus reſcinderur: quoniam quicquid illud eſt, quod dimidium excedit, tametſi modicum & incertum, ſufficit vt contractus reſcindatur. *l. 1. C. de reſcind. vend.* Qua ratione in interdicto retiuendæ, ſi cæteris probationibus paribus, alter litigantium ſe tanto tempore, quanto aduerſarius intendit, poſſediſſe, plúſque probauerit, obtinere debebit: ſufficit enim etiam tempus incertum, vt longiore poſſeſſione vſus videatur, & ex eo aduerſarium ſuperet. *c. licet cauſam. de probat.* In teſtimoniis verò hæc adiectio nullius eſt effectus. *Iaſ. l. & ſi poſt ul. ſi quis cautio.* quoties de certa quantitate adfirmare teſtes debent: ſi enim incertum adferunt, pro ſuperuacuo habetur, quoniam probationes neceſſariò concludere debent. *c. in præſentia. de prob.* idque crebrius receptum eſt, niſi teſtem iudex rurſus interroget vt certius teſtimonium perhibeat, & de quanta ſumma ſenſerit, declaret. *§. illud. in authent. de teſt.* ¶ Et hæc non ſolùm in hac dictione obſeruanda ſunt, ſed etiam in præpoſitionibus vltra, citra, circiter, penè locum ſibi vendicant, & ſi quæ aliæ ſimiles, quæ tamen ex ſubiecta materia aliter atque aliter accipiuntur. *3. q. 7. qui ſine.* Vnde in his cùm certa ſignificatio afferri non poſſit, arbitrio iudicis erit deferendum. *l. 1. ff. de iure delib.* cuius partes etiam in eo verſabuntur, vt conſtituat, quæ minuſcula ſumma ſit, quandoquidem in iure pro modica ſumma quandoque duo aurei accipiuntur. *l. idem. ff. de dole.* quandoque quarta pars eius de quo agitur. *l. ſi quis in ſuo. ff. de inoffic. teſtam.* quandoque quod intra ſextam eſt, vt cùm ab arbitro nos læſos dicimus. *l. ſocietatem. §. arbitrorum. vbi Bartol. ff. pro ſoc.* quandoque quod minus centum aureis eſt: huiuſmodíque lites ideo breuiores ſunt. *Bart. in auth. niſi. C. de ſent. paſſ.* quandoque quod decem libras non excedit. *l. ſed & ſi. §. 1. ff. de iudic.* Ex qualitate igitur perſonarum ius dicentis religio quid conſtituendum ſit, diſcernet: nam & pauperi viro maximum erit, quod locupleti & aſſiduo modicum. Sanè in antiquis quibuſdam codicibus aliter, quàm in vulgatis reſponſi huius verba concepta ſunt, hoc ſcilicet modo. Hæc adiectio pluriſvè non infinitam pecuniam continet, ſed modicam: vt taxatio hæc ſolidorum decem, pluriſve ad minutalem ſummam referatur.

BRECHÆVS.

HÆC ADIECTIO. ¶ Si inter duos tranſactione tandem pactum ſit, vt eorum alter alteri fundum Tuſſetianum venderet quingentis nummis aureis, cuius tamen iuſtum legitimúmque precium mille quingentorum aureorum eſſet, at pacto ipſi adiectum foret, vt quod pluris eſſet fundus, donatum ſit, An ea quæ excurrit ſumma, mille aureorum videlicet, donata videatur? Reſpondit Paulus, hanc verborum, [Pluriſve,] adiectionem non infinitam pecuniam continere, ſed modicam & minuſculam duntaxat. Argumento eſt quòd neminem ferè inuenias, qui immodice obligare ſe velit, vt ait Celſus *in l. ſi libertus. 2. ff. de operis libertor.* Idque ex præſumpta ſuſpicione colligimus. ¶ Qua ratione donatum non videtur, ſi ignorans venditor dimidia plus parte deceptus ſit: quamuis pacto adiectum ſit, [Quod pluris] eſſet, donatum eſſe. Quod itaque modico amplius eſt, nec donatione quidem, quæ tamen ab ignorante ſic facta ſit, nec emptione concluditur. Quæ quidem Bartoli eſt ſententia in *l. ſi quis cùm alter. ff. de verborum obligat.* Huius rei exemplum fingit Franc. Connanus *lib. 7. Commens. cap. de reſcindend. vendit. 9.* Vendidi tibi fundum triginta aureis, & quo plus valeret, donaui: valebat autem quinque & ſexaginta. Faciendæ erunt tredecim partes fundi totius, ſingulæ quinis aureis æſtimatæ: quoniam pretium à te datum, quod triginta aureorum fuit, cùm ſex fundi partibus, vera æſtimatione concurrit, totidem partes videbuntur tibi venditæ: quæ ſuperſunt ſeptem partes, donationi attribuuntur, omnes quidem verbis donantis: cæterùm voluntate & tanta eius cogitatione, non plures quàm vt modicam ſummam efficiant: quia paruum quiddam videtur largitus. Modus autem donationis, ex magnitudine emptionis, cui accedit, finiendus eſt. Hic certè Connano ipſi videtur ad ſummum eſſe debere, quinque aureorum, quæ precij eſt dati ſexta pars. Sic relinquuntur adhuc triginta aurei, qui nec emptioni cedunt, nec donationi. Arbitratur ideò ipſe Connanus, triginta aureis factæ emptioni ſex fundi partes cedere, quod earum fuerit iuſtum precium: reliquarum ſeptem partium vnam donationis cauſa emptoris eſſe, & ſex poſtremas venditori, eidem & donatori reſtituendas. Paulus *in l. id eſt. ff. de dolo malo.* modicam ſummam vſque ad duos aureos arbitratur. Quod intelligi vult Accurſius, ſi ad libram auri, quæ ſeptuaginta duos aureos pendeat, hanc modicam ſummam referas. Igitur quod ſeptuageſimam partem totius excurrit, modicum dicendum, & in adiectionem horum verborum, [Pluriſve,] cedere. Aliquando hæc pluris interpretatio relinquitur arbitrio boni viri ſecundum Alexandrum *in l. & ſi poſt tres. ff. ſi quis cautio.* Aliquando iudicis: nonnunquam etiam eius, cui relictum eſt. Apud Papinianum in *l. cum filius. §. pater. ff. de legat. 2.* in ea ſpecie facti ſcriptum eſt. Pater cum filia pro ſemiſſe herede inſtituta, ſic teſtamento loquutus fuerat: Peto, cum morieris, licet alios quinque filios ſuſceperis, Sempronio nepoti meo plus tribuas in honorem nominis mei: neceſſitas quidem reſtituendi, nepotibus viriles partes præcedere videbatur: ſed moderandæ portionis, quam maiorem in vnius nepotis perſonam conferri voluit, arbitrium filiæ datur. In quem locum Bart. cum Accurſio, modicam ſummam arbitrari oportere cenſuit. Quid ſi legatarius non ſit arbitratus, vt quia morte præuentus ſit? Ipſe quidem Accurſius tradit aut iudicem oportere arbitrari: aut nihil plus habere debere legatarium ipſum. *argument. l. cùm quidam. d. titul. de legatis ſecundo. & l. Triticum. ff. de verborum obligationibus.* ¶ Quandoque etiam, plus, nihil planè ſignificat. Vt ſi cum pro teſtimonio quis dicit, Titium teſtificetur decem plus annis poſſediſſe, Bartolus opinatur, hac ipſa plus, adiectione iudicem

nihilo magis releuari, nec eundem ob id certiorem factum: at potius anxium & animi pendentem, vt *l.furti. ff.de in lit.iuran.* vbi de hac re plura traduntur a Bartolo. Quid ſi mandatum ſit iudici vt litem decem aureis pluriſve poſſit æſtimare? Aiunt quidam (vt ſcribit Specul. *tit.de arbitro & arbitra. §.7. verſ. quid ergo ſi dicatur.*) valere mandatum, vt certam ſententiam ferat iudex: cùm hæc adiectio, pluris, ad modicam ſummam referenda ſit: videlicet (inquit ipſe Specul.) ad 11. vel 12. Aliud autem dicendum eſſet, ſi mandatum foret, vt liceat æſtimare vſque ad decem, nec eo amplius: vel non vltra, *vt cap. litera. extra de dilat.* vt hæc dictio, vſque, incluſiuè accipiatur, ſicut tradit Accurſ. *in d. l. id eſt vſque. ff. de dolo malo.* ¶ At verò cùm dicitur, plus minus, nihil propterea adiectum neque etiam videtur detractum. Vt ſi quis triginta plus minus iugera terræ vendidit) quod frequenter Notarij in ſyngraphis & contractibus emptionum & venditionum perſcribunt ſub hac voce, circiter,) vulgò traditum eſt valere venditionem, etiam ſi vndecima aut duodecima pars iugeri ex toto venditionis vel deſit, vel ſuperfluat: & id iudicem æſtimaturum Paulus cenſet in *l. Publia. §. Titius Sempronio. ff. depoſ.* Plinius *lib.16. cap.6.* quo loco de glandiferis arboribus tractat, Continentur, inquit, hiſpido calice per genera plus minus complectente: hoc eſt, vel maiore, vel etiam minore calice, ſecundum varia arborum glandiúmve earundem genera. Eſt itaque plus minus, perinde ac ſi dicas, circiter, Quod nihil omnino addit, nec detrahit.

FORNERIVS.

HÆC ADIECTIO. ¶ Quoties ineundæ æſtimationis gratia, hæc incertæ quantitatis clauſula [Pluriſve] adiicitur, quoniam in ambiguis minimum ſequi, obſcuræque orationis vitium in eum retorquere ſolemus, in cuius poteſtate fuit legem apertiùs dicere. *l. 39. veteribus. ff. de pact. l.33. cum in lege. ff. de contr. empt. l.9. ſemper in obſc. ff. tit. ſeq.* ad minimam ſummam hæc adiectio refertur. Idque non vnius ſpeciei exemplo definitur. Nam & hîc Græci ad omnia inſtrumenta referunt. Τὸ προςιθέμενον ἐν τοῖς συμβολαίοις [δέκα ἢ πλέον,] οὐκ εἰς ἄμετρον, ἀλλ' εἰς ἐλάχιστον ἀναφέρεται ποσότητα. Pertinere poteſt & ad ſpeciem ab Iaboleno tractatam: legato petito, cum in litem iuratum eſt, ratio legis Falcidiæ, non eius ſummæ, in quam legatarius iurauit, haberi debet, ſed eius quanti re vera id fuit, quod petitum eſt. [Nam id quod pœnæ cauſa adcreuit, in legem Falcidiam non incidit.] *l.60. cum pater. ff. ad leg. Falc.* Poteſt & ad extraordinarias reſtitutoriáſque (cuiuſmodi de dolo) actiones referri: in quibus ob rem minimam, ſeu ſummam Prætor ſuccurrere non ſolet. *l.4. de reſtit. in integ. l.10. ſi oleum. cum ll. ſeqq. ff. de dol.* ¶ Itaque vulgò huius loci auctoritate freti falluntur interpretes, dum initam inter emptorem & venditorem conuentionem eiuſmodi [Tanti tibi emptus erit fundus: quódque pluris eſt, dono] ad minutulam ſummam exigunt: proinde ſi idipſum quod donatur, veri pretij dimidium ſuperarit, tum beneficio *l.2. C. de reſc. vend.* locum fore dictitant. Ego verò contrà, hac adiectione excludi retractationem ſentio, in eóque diſputo, contrahendorum inter ſanos homines negotiorum, commercij pretijque hinc inde ſtatuendi, ſiue augendi, ſiue minuendi libertatem, amoliendæque reſciſſionis cautionem coarctari non oportere: Tanti, iiſque legibus vendi placuit, Maiores contraxerunt: ſuæ quiſque rei dignitatem explorаſſe creditur. *l. 8. ſi voluntate. l.15. quiſquis. C. de reſcind. vend.* Dicuntur quædam pluris eſſe, quàm emantur, quædam pluris quàm ſint, væ oire. Seneca *lib.6. de benefic. cap.16.* [Primùm quid intereſt, quanti ſint cum de pretio inter emptorem & venditorem conuenerit? Deinde non vænit illud ſuo pretio, ſed tuo. Pluris eſt, inquit, quàm vænit, ſed pluris vænire non potuit: pretium autem cuiuſque rei pro tempore eſt.] Enimuerò, ſi domino totum fundum donandi ius fuiſſe fateamur *l.31. in re. C. mand. l.25. ſed etſi. §. conſuluit. de pet. her.* Cur, ſi partem ſciens prudens, vltro largiatur, eam donationem valere negabimus? *l.21. non debet cui. ff. tit. ſeq. l.3. C. de reſcind. vend.* Sanè, vt ſi rei ſuæ dignitatem venditor ignorarit (quòd non temere quiſquam ſuum iactet *l.25. cum de indebito. de prob.*) non inuitus, nihil eum de ingenti pretij quantitate remittenda cogitaſſe conceſſerim: Ita ſi vltrò citráque captionem animum donandi habuerit: rata & inconcuſſa conuentio manebit. *l.3. C. de reſc. vend.* Alioqui cum leniculæ rei, tantillique pretij nomine venditionem bona fide contractam non facilè reſcindi iura patiantur: planè eiuſmodi cautio (quod pluris eſt dono) otioſa, nec vtilis emptori videretur. *l.24. in modicis. l.54. res bona. de contr. empt.* Et iniquum foret ingenuis hominibus liberam ſuarum rerum alienationem inuidere. *l.2. ſi à parent. quis man.* Si quidem vniuerſæ donationis cauſa facta venditio poneretur, quia colorem venditionis haberet, ſubſtantiam detracto pretio, non haberet, non valeret. *l.3. l. empti. C. de contr. empt.* Viliori verò pretio donationis cauſa valeret. *l.36. cum in venditione, ll. ſeqq. de contr. empt.* Niſi inter coniuges ſimulatio captaretur: vir venditionem commentus, vt donaret vxori, diſtraheret minoris: remiſſio pretij inutiliter fieret. *l.5. ff. de donat. inter vir. & vx.* Harmenopulus *lib.3. tit.3. περὶ τῆς κατὰ δωρεὰν πράσεως.* ¶ Hæc quidem inter priuatos: In principibus indiſtinctè, quorũ beneficia latiùs interpretari magis decet, quàm illiberaliter, ſtrictis plebeiarum donationum finibus regere. *l. pen. de conſt. princ. l.21. princeps. ff. h. t.* Accommodatius igitur hîc Accurſianum videtur exemplum: Cum furti agitur, iurare ita oportet, tanti rem fuiſſe, cum furtum factum ſit: non adiici, [Eo pluriſve.] Quia [quòd res pluris eſt, vtique tanti eſt.] *l. antep. ff. de in lit. iur.* Poteſt quidem iudex, cui minùs, quanti actoris interſit, liquebit, æſtimandi cauſa iuſiurandum in infinitum deferre: niſi, ne actor fluxæ fidei, ſuæque vtilitatis ſtudioſior, temerè iuret, vereatur: tum enim vt periurium vitetur, poterit certam ſummam, ad quam vſque iuretur, definire: Alioqui iurare in infinitum liceret. *l.4. l.8. tutor. de in lit. iur. l.68. qui reſtituere. de rei vin.* Quamuis omninò in iudiciis iurari oportere neget Plato, *initio lib.12. de legibus.* ne cupidiùs alterutter litigantium voto victoriæ, numen diuinum offendat. Vel ne cùm liquidò iuramentum ſibi delatum ſubire poſſet, timidior non auſit. *l. 8. qua ſub. de cond. inſtit.* Quod de Pythagoreo Clinia Baſilius *πρὸς νέους*, tradit. Recuſare enim ſanctius eſt: quàm ſi liquidò nequeas, temerè de re parum

comper

comperta confidenter affirmare. *l.34. iuſiurandum. de iureiur.* Quinctilianus *lib.5. cap.6. l.11. Marcellus. ff. de act. rer. amot.* Demoſthenes præclarè *contra Aphobum oratione 3.* Ἢν μηδεὶς ὑμῶν νομιζέτω καθ' ὑμῶν ποτ' ἂν ὁμολογῆσαι ταῦτα ἐθέλειν, εἰ μὴ σαφῶς ᾔδει τῇ ἐνέργειᾳ ὁμολογῶν. ¶ Quid in iſtis, *pluſminùs*, vel *præterpropter?* Ambigua oratio eſt *l.26. §. Titius. depoſiti.* A. Gellius *lib.19. cap.10.* ideóq; in eum ipſum auctorem, inſidioſè locutum, qui legem apertiùs poterat conſcribere, retorquenda. *l.39. veteribus. ff. de pact. l.33. cum in lege. l. ſeq. l.43. ea quæ. ff. de contr. empt.* ¶ Quid ſi detracta alternatiuæ vocula (Vs) ſimpliciter ita, *quod pluris*, vel *id quod amplius* conuenerit? Sententia vtilitati rerum, & æquitati quæ pacta tuetur conſentanea eſt: vt quicquid amplius ex vſuris redierit, vel quid aliud ſimile, in pactionem omne collatum videatur. *l.6. ſi remunerandi. §. apud. mand. l. antep. de præſc. verb.* Idémque & in vltimis voluntatibus obtinet, ſi teſtator ita roget, [Nepoti meo plura tribuas in honorem nominis mei :] fideicommiſſi moderandi arbitrium filiæ datum videtur. *l.76. cum filius. §. pater. de leg.2.* Cæterùm quando modificationem ſequamur, non eſt idonea huius loci quæſtio.

CXCIII. Idem lib. xxxviij. ad Edictum.

HÆc verba [Quanti eam rem paret eſſe,] non ad quod intereſt: ſed ad rei æſtimationem referuntur.

Alciatvs.

HÆc verba, qvanti. ¶ Verbum eſſe, ad veritatem refertur. Vnde ſi prætor quanti ea res ſit, actionem det, de ea quantitate quæ veram æſtimationem complectatur, intelligemus, non autem de eo, quod præterea intereſt. & cùm de re danda agitur, faciliime cognoſcitur, quanti ea res ſit: ſed cùm ideo datur actio, quia aliter quàm debeat, fiat, difficilius ratio initur: quoniam pleraque facta in promptu æſtimari nequeunt, & ideo conſultius tunc eſt, certam pœnam comprehendere: quod in prætoriis ſtipulationibus obſeruandum. Venuleius inquit, *l. final. de præto. ſtipu.* alioqui ex qualitate negotij diſcernemus, quanti æſtimatio ducenda ſit. ¶ Finge ius dicenti me non paruiſſe. *l. 1. in fi. ſi quis.* in eo condemnabor, quòd, habita ratione iudicis & mea, æquum videbitur, vt quo grauior & dignior eſt iudex, vel contemptus iniquior, eò grauius, & in maiorem quantitatem puniar: non autem eius quod intereſt, tali caſu ratio ducetur. Tripliciter autem noſtra intereſt, ſingulariter, communiter, & ex conuentione: quæ qui apertiùs dignoſcere velit, is eum librum legat, quem de eo, quod intereſt, ſcripſi: nec vlterius hoc in reſponſo à nobis elucubrandum eſt, cùm in eiuſdem argumenti lege, ſuprà explicata ſint, quæ ad rem pertinere viſa ſunt. *l. quinque pedum. C. fi. reg.*

Brechævs.

HÆc verba. ¶ Erant hæc verba certæ formulæ. *Quanti eam rem apparet eſſe*, quæ ſignificabant, quanti intereſt. Vnde ſi quis quanti intereſt promittat, cenſebitur promiſiſſe. Quanti eam rem eſſe apparebit, vel quanti ea res erit *l. fin. ff. de præto. ſtipul.* Quod ad veram rei æſtimationem, non ex voto ſingularium traducendum eſt. Videto amplius in hunc locum quæ ſcripſimus ſuprà *in l. inter hæc verba. hoc titul.*

Fornerivs.

HÆc verba. ¶ Hac adiectione Qvanti id pareat eſſe, non id quod intereſt: ſed verum rei pretium oſtenditur. *l.279. inter hæc verba. ff. hoc.* Τὸ εἰπεῖν, ΟΣΟΥ ΦΑΝΗΤΟ ΠΡΑΙΜΑ, οὐ πρὸς τὸ διαφέρον, ἀλλὰ πρὸς τὴν τοῦ πράγματος ἀληθινὴν ἀναφέρεται. Secus eſt in ſtipulationibus prætoriis. *l. vlt. ff. de ſtipul. præt.* Quod copioſiùs noſtris ad *l. vn. C. de ſent. quæ pro eo quod inter. prof.* commẽtariis explicatur. ¶ Cæterùm pretium quaſi petitium, quòd à peritis ſtatuatur, deductum Varroni placet: & ſolum ſapientem veram rerum æſtimationem noſſe, Seneca tradit.

CXCIIII. Vlpianvs lib. xlij. ad Edictum.

INter donum & munus hoc intereſt, quod inter genus & ſpeciem. Nam genus eſſe donum Labeo à donando dictum, munus ſpeciem. Nam munus eſſe donum cum cauſa, vtputa natalicium, nuptalicium.

Alciatvs.

INter donvm. ¶ Quid inter munus & donum intereſſet, non Iuriſconſulti tantùm, ſed & Grammatici plerunque dubitauêre, aliis opinantibus dona ad Deos pertinere, vt Seruio, & Donato: aliis ad homines etiam, quibus à potentiore donatur, vt cùm pauperibus diuites, Imperator militibus donat, quod Cornelio Frontoni placuit. ¶ Sed verior eſt Iuriſconſultorum interpretatio, vt donum latiore ſignificatione accipiatur, quàm munus, eſſe enim munus quod ex neceſſitate officij, iuſtáve aliqua cauſa præſtatur, vt cùm patrono donatur, qui nuptias cõtraxerit, vel qui filium ſuſtulerit. Terent. *in Phorm.* Nam herilem filium eius duxiſſe audio vxorem, ei credo munus hoc corraditur. Et rurſus: Porrò autem ferietur alio munere, vbi hera pepererit: Porrò alio autem, vbi erit puero natalis dies. Erat enim hæc veterum conſuetudo: vnde & ΣΩΤΗΡΙ noſtro recens nato, Magi reges aurum, thus, myrrham obtulerunt. Súntque hæc munera quæ nuptiarum & natalitia hic dicuntur, Græcis ἐπαύλια ἀμφιδρόμια. Apud eos enim variis ex cauſis, varia munerum nomina habẽtur, ob inuentionem εὕρετρον, ob redemptionem rei amiſſæ λύτρον. *l. falſus. §. plerique. de fur.* ob nuntium μηνύτρον, ob victoriam νικητήριον, ob certamen ἔπαθλον, ei qui nos duxerit ἡγεμόσυνον, qui ſomno demulſerit ἐπαύλιον qui

nutrix

nutriuerit θρέπτρα, vel τρόφημα, qui medium ſe vel interpretē pro nobis geſſerit ἑρμηνευτικόν. *l. fi. ꝟ. de prox.* qui rem mihi meam attulerit φόρετρον. Arbitror & φυλὴν dici poſſe emphyteuticam penſionē, ſeu mercedem meliorationis quæ pro plantis penditur: vnde vulgus corrupte Fictum dicit, vt quod in prędiis vrbanis eſt ἐνοίκιον, in ruſticis ſit φυτίον, videtúrq; vtrunque Latine dici poſſe Colonarium. Eſt & Cœnacularium Vlpiano, *l. ſolutum. in fi. de pig. act.* pro penſione quam inquilini pro conducto cœnaculo ſoluunt. Cœnaticum verò Sportulam ſignificat, quam cœnæ nomine extorquebant à prouincialibus milites. Sed & quæ medico præmia præſtantur, Soteria, vel Iatrea dicuntur: quæ præceptori, Didactra, vel Didaſcalica, Latinè Minerualia: quæ artifici, Epichera: aliquid ferenti, Comiſtra: beneficio, Chariſteria: quo exemplo & Latini quod iudicibus datur, Sportulas vocant: quod Iuriſconſultis, Honorarium: quod militibus, Stipendium: quandoque & ſolarium, Græci & obſonium dicunt, Lucæ *in Euangelio*: vnde & Iſelaſticorum obſonia Plinio 10. *in epiſt.* quod extra ordinem exercitui, Donatiuum: plebi, Congiarium: quod Reipublicæ pro ſolo occupato, Solarium: quod magiſtratui pro ſupellectile, cæteriſque ad commeandum neceſſariis. Vaſarium, quod vbi commeauerit, pro præmio geſti honoris, Salarium: quod nutricibus in mercedem, Nutricium: quod Nautis, Naulum: quod præconi, Præconium, Plauto *in Menech.* quod aduocatis, vel amicis, Strena: quod principi in nouæ dignitatis honorem, Coronarium: quod Commentarienſi ob diligentis cuſtodiæ ſignificationem, Carceraticum. *l. pen. de bon. dam.* quod Reipublicæ ob cloacarum purgationem, Cloacarium: quod abſenti vt alere ſe poſſit, Viaticum: quod vt quis ſingulis diebus ſe alat, Diarium: quod pro calceis impenditur, Calciarium: pro veſtitu, Veſtiarium: idque genus ſimilia. ¶ Eſt & Xenium propriè munus, quod hoſpitibus datur, ſed in iure pro munuſculis accipitur, quæ iudicibus ſolent, ad eorum gratiam aucupandam mitti. *l. ſolent. §. pen. de offic. proconſul.* de quo extat prouerbium, *οὔτε πάντα, οὔτε πάντῃ, οὔτε παρὰ πάντων.* Teſtatur Plinius Cæcilius *quadam epiſtola* in cauſis dicēdis ſe omni dono, munere, xeniis abſtinuiſſe, quæ verba à Iuriſconſulti noſtri diſtinctione non diſſident. Xenicon verò apud Ariſtophanem pro militari nutritio accipitur, quod Corinthij aduenis militibus pendebant. Laurentius tamen Valla etiam cum cauſa donum dici exiſtimauit, Iuriſconſultóſque inſectatur, quòd pugnantia ſimul ſcripſiſſe videantur: ſed hanc ego litem infrà dirimam. ¶ Quòd autem hic dicitur, intereſſe inter hæc verba, hoc quod inter genus & ſpeciem: non aliud ſignificat, quàm ſicut latior eſt generis quàm ſpeciei ſignificatio, ita eſſe latiorem doni notationem quam muneris: nec enim propriè donum genus eſt. Similiter & alibi ſcriptum eſt, Plebs à populo differt, quod ſpecies à genere, quòd videlicet latius populi nomen pertineat. *§. plebs. Inſti. de iur. natur.*

BRECHÆVS.

INTER DONVM. ¶ Hoc reſponſum Vlpiani ſatis aptè & acutè ab Alciato *in Commentariis in hunc locum* explicatur: & rectius quidem *in lib. 3. Diſpunctionum. cap. 13.* Illuc te, lector, remitto. In quam rem etiam video Laurentium Vallenſ. *lib. 6. elegant. cap. 39.* Præterea & hæc differētia vocis vtriuſque non multum facit ad farinas: & nos ſuprà hanc rem attigimus.

FORNERIVS.

INTER DONVM. ¶ Non abs re doni ac muneris differentiam exquirit Vlpianus: Illud generis, hoc ſpeciei vicem obtinet: Illud enim à mera liberalitate, hoc ab aliqua cauſa proficiſcitur. *l. 1. l. 29. donari. ꝟ. de donat. l. 10. nec ignorans. C. de donat.* Seneca *lib. 3. de Benefic. cap. 19.* [Beneficium enim id eſt, quod quis dedit, cum illi liceret, & non dare.] Alioqui ſi quæ cauſa, vel naturalis pudoris ſubſit, non tam donatio, quàm debiti ſolutio cenſetur. *l. 25. ſed etſi. §. conſuluit. de pet. her. l. 19. hoc iure. §. ſi quis ſeruo. l. pen. ſi. de donat. l. 5. proximè. ſi. de rit. nupt.* Dona interdum veluti in coniuges immodica, in magiſtratus, in patronos, oratores, &c. conferuntur. *l. 1. l. 5. l. 31. ſed ſi vir. §. ſi vir vxori. ꝟ. de donat. inter vir. & vxor.* Munera & Xenia, quæ & ex more, & ex cauſa, ſi non in fraudem legum excogitata magnitudine, ſed leuiora, dari non prohibentur: vt Xenia eſculentorum, potulentorum, quæ intra dies proximos conſumantur. *l. 18. plebiſcito. de off. præſid. l. 6. ſolent. de off. proconſ. l. 6. ad leg. Iul. repetund.* Erat in manumiſſionibus ſolemnis iuriſiurandi, de doni, muneris, & operarum præſtatione formula: *l. vlt. de lib. cauſ. l. 7. vt iuriſiurandi. de op. lib.* Quinctil. *decl. vlt. l. 1. §. qua oneranda. quar. rer. act. l. 34. Iuſiurandum & de iurein. l. antep. § ſi quis abſente. de confeſſ.*

Cum cauſa. ¶ Quæ vel lege, more, officio, inſtituto, neceſſitate, imperióve præſtatur: nec mera donantis liberalitate nititur. *l. 214. munus. ꝟ. h. t.* vt munus, natalitium, nuptalitium. hic. ſponſalitium, clientelare, conſulare, ſtrenæ, Xenia: ſolemnia principum munera. Symmachus *libris epiſtol.* Macrob. *lib. 1. Saturnal. cap. 7.* Athenæus *lib. 3. Deipnoſophiſt.* Caſſiodorus *lib. 5. epiſtol. 27. & 42.* Corn. Fronto. *de different. vocab.* [Munus quod amicus, vel cliens, vel libertus officij cauſa mittunt:] ſed de his iterùm poſthac. *d. l. 214. ꝟ. h. t.* diſſeremus.

Natalicium. ¶ Si quod vnquam, hoc ſolemne apud omnes ferè gentes munus fuiſſe perhibent. *l. 31. ſed & ſi vir. §. pen. de donat. inter vir. & vxor.* Symmachus *lib. 6. epiſt. 80. & 81.* Æuum maneat hic dies, qui te nobis filia dedit: adiicere etiam ingrauata tibi iucunda munuſcula, vt nunc lineam miſi.] opinor margaritorum: *ex l. 26. lineam. ꝟ. ad leg. Falcid. l. 52. ſi quis vxori. §. ſi linea. ꝟ. de furt.* Iulianus *in Miſopogone* reprehendit Antiochenſes, quòd neglecto deorum cultu, plurimum pecuniæ in γενέθλια impenderent, de quibus illud Tertulliani, de corona militis, fortaſſis accipiendum. [Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die fecimus. Plautus *Epidico. Inaurem ad te adferre natali die.* Martialis *lib. 7. argutè.*

Vt poſcas Clyte, munus exigáſque:
Vno naſceris octies in anno.
Et ſolus puto, treiſue, quatuórue

Non

Non natalitias habes calendas. & infrà
Tam multos quis enim fuiſſe credat
Natales. Sed ne ſim nimius, vbi Cenſorini *de die natali ad Q. Carellium cap.* 3. teſtimonium addidero, deſinam. [Id moris, inquit, inſtitutique maiores noſtri tenuerunt, vt cum die natali munus annale Genio ſoluerent, manum à cæde ac ſanguine abſtinerent: ne die qua ipſi lucem accepiſſent, aliis demerent.] *Nuptalicium.* ¶ Non recens, nec heri hodiéve natum inſtitutum, vt in nuptiis munera, conuiuiáq; agitarentur. Suidas γαμήλια interpretatur munus, quod curialibus poſt nuptias datur, aut vxorum ad curiales introductionem. Didymus Homer. *Iliad.* ζ. prouerbium refert, γαμηλίαν εἰσενεγκεῖν, nuptiale munus dare. Terentianus adoleſcẽs, *Quem*, inquit, *ad cœnam vocabo meorum æqualium?* Qui enim vxorem in vetere Græcia ducebat, conuiuium lautius parare cogebatur, Iſæus in oratione de Pyrrhi hereditate, ἠναγκάζετο ἂν ὑπὲρ τῆς γαμετῆς γυναικὸς καὶ θεσμοφόρια ἑστιᾶν τὰς γυναῖκας, καὶ τ' ἄλλα ὅσα προσῆκε λειτουργεῖν ἐν δήμῳ. Sportulæ nuptiales. Symmachus *lib. 4. epiſt. 5.* Sed & moris fuit, veſtes ſponſæ tempore nuptiarum propinquis ſponſi donarent: quo alluſit Home. *Iliad.* ζ.

Σοὶ δὲ γάμος σχεδόν ἐστιν, ἵνα χρὴ καλὰ μὲν αὐτὴν
Ἕννυσθαι, τὰ δὲ τοῖσι παρασχεῖν οἵ κέ σ' ἄγωνται

Quo loco ſic Euſtathius, ἔθος γὰρ (φασὶν) ἦν, τὰς νύμφας τοῖς τοῦ νυμφίου οἰκείοις, ἐν τῷ τοῦ γάμου καιρῷ χαρίζεσθαι. Quod & hodie factitant. Sed & viciſſim noti, amici, propinqui nuptæ munera: quæ nuptialia dicebantur. *l. 1. § præterea. ff. de tut. & rat. diſtr. l. 13. inter ſecundum. ff. de adminiſtr. tut.* Cicero *in Cluentiana.* Apuleius *lib. 6. metamorphoſ.* T. Liuius alludit, *lib. 30.* [Hũc nuncium ac ſimul venenum ferens miniſter, cum ad Sophonisbam veniſſet, Accipio inquit, nuptiale munus, nec ingratum: ſi nihil maius vir vxori potuit præſtare.] Alioſum dicitur munus, quod calendis Martiis viri vxoribus mittere ſolebant. *l. 31. ſed ſi vir. § 8. ff. de donat. inter vir. & vx.* Alia quoque mente, donum nuptiale dicitur, donatio propter nuptias, ſeu ἀντιφέρνη, ſeu ἀντίπροιξ, doti reſpondens. *Nouell. 97.* Dona antelucana, quia matutino tempore offerrentur, ὀψθεντήρια Heſychio, & epigrammatibus Græcis. In Germanorum & Langobardorum legibus eadem ratione *mergengab.* vnde *lib. 2. Feuder. titul. de filiis nat. ex matrim. ad Morgengabic. contracto.*

CXCV. IDEM lib. xlvj. ad Edictum.

PRONVNTIATIO ſermonis in ſexu maſculino ad vtrumque ſexum plerumque porrigitur.

ALCIATVS.

PRONVNTIATIO. ¶ Sub maſculino nomine contineri fœmininum, non ex proprietate ſermonis eſt, ſed ex extenſione: quod verbum, porrigitur, hic oſtendit: quia tamen extenſio hæc communi vſu recepta eſt, Bald. *c. ad audientiam. de reſcrip.* in quacunque iere materia regula hæc obſeruabitur, niſi cùm aliam loquentis intentionem eſſe apparebit, vt quia diuerſa ratio diuerſum ius ſuadeat: quapropter ſi filij exulum lege lata extra vrbem expellendi ſunt, de filiabus actum non videbitur: propter enim ſexus imbecillitatem, ab eis nihil periculi imminet, Bald. *l. quæcunque. de ſer. ſug.* qua de re a nobis latiùs ſuprà tractatum eſt *l. 1. ſuprà.*

BRECHÆVS.

PRONVNTIATIO. ¶ Quando vox maſculini generis cõprehendat etiam fœmininum, ſuprà dictum eſt à nobis abunde *in l. 1. huius tit.* Quo fit, vt nihil amplius de hac re dicam hoc loco.

FORNERIVS.

PRONVNTIATIO. ¶ Plura ſunt huius reſponſi tanquam legis ſaturæ capita. Primum oratione maſculino genere concepta fœminas ſæpè comprehendi: quæque de maribus ſolùm cauta videantur, vt plurimùm & de fœminis intelligi. Τὰ λεγόμενα περὶ ἀῤῥένων ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον καὶ περὶ θηλειῶν λέγεται. Quod cum in pleriſque iuris articulis vſuuenit. *l. 1. l. 152. hominis. ff. b. t.* Tum in capiendis hereditatibus de quibus hic agi, tum ſeries diſputationis, tum familiæ legiſque xij. Tab. mentio arguit) maximè obtinet. Lex decemuiralis. (PROXIMVS AGNATVS FAMILIAM HABETO) nullo ſexus diſcrimine, liberos ad parentum ſucceſſionem vocabat. *§ 1. de hered. quæ ab inteſt. § neceſſarij. de her. qual. & diff. l. 1. l. antep. ſi tab. teſtam. null. extab. § 1. de leg. agn. tut. § 1. de leg. agn. ſucceſſ.* Vt & Attica (vnde Romana manarat) lege cautum, ex Demoſthenis de Agniæ hereditate, oratione perſpicitur. Ἐγὼ μὲν ἠγούμην τὸν υἱὸν καὶ τὰς θυγατέρας ἐκείνου τὸν κλῆρον ἐκάστῳ ἡμῶν μᾶλλον ἢ τὸν αὐτὸν ἀδελφὸν ὤν. Secuta eſt lex Voconia fœminis iniquior, vt apud Gallos Salica, quæ ſolis maribus parentum hereditates deferebat. De qua Tullius. *3. Verrina.* Quinctil. *decl. 264.* Dion *lib. 56.* Gellius *lib. 7. cap. 13. lib. 17. cap. 5.* D. Auguſtinus *lib. 3. cap. 21. de ciuit. Dei.* Inter ſecundum, & tertium bellum Punicum, inquit, per Cn. Manlium proconſulem de Gallograecis triumphantem Aſiatica luxuria Romam omni hoſte peior, irrepſit: Eadem tempore lata lex Voconia NE QVIS HEREDEM FOEMINAM FACERET: NEC VNICAM FILIAM. Sed ea abrogata reditum eſt ad legem xij. Tab. conſtitutúmque, vt in capienda parentum (quæ tacita quadam naturæ lege liberis addicitur. *l. vlt. de bon. damn.*) hereditate, æqua eſſet, non modò fratrum. *l. 12. ſi ita de cond. & dem l. 17. vt liberis. C. de coll.* ſed etiam ſororum: vt inter filios ac filias bona inteſtatorum parentum pro virilibus æquo iure diuidantur. *l. 11. inter. C. famil. erciſ.* Quam æquitatem Iuſtinianus legi xij. Tab. acceptam ferens, confirmat. *Nouell. 1. & 118.* [Nullo diſcrimine in ſucceſſionibus habito: Cum natura vtrumque corpus ediderit, vt maneat ſuis vicibus immortale, & alterius auxilio egeat, & vno ſemoto & alterum corrumpatur. *l. penult. C. de legit. her.* Qua ratione inductus Armeniorum ſimilem

Vocon

Voconiæ legem, qua excluſis filiabus ſoli mares parenti ſuccederent, abrogauit. *Nouel.21.* Quamquam melior ex maribus natorum (quod extremo huius capitis oſtenditur) id eſt agnatorum quàm cognatorum conditio fuerit: vt minus ex filiabus editi liberi ex auita hereditate caperent. *l.9. ſi defunctus. C. de ſuis & leg. her. l. antep. C. de collat.* vt quamuis filiæ ſuccederent, agnati tamen cognatis præferrentur. *d. l. 1. l. 3. l. 5. l. 7. patrno. C. de leg. her.* Sed hoc poſteà quoque antiquatum. *d. Nouell. 118. §. vlt. de hered. quæ ab inteſt.*

§. j. FAMILIÆ appellatio qualiter accipiatur, videamus. Et quidem variè accepta eſt: nam & in res & in perſonas diducitur. In res, vtputa in lege duodecim tabularum his verbis, [adgnatus proximus familiam habeto.]

AD perſonas autem refertur familiæ ſignificatio ita, cum de patrono & liberto loquitur lex: [ex ea familia, inquit, in eam familiam.] Et hic de ſingularibus perſonis legem loqui conſtat.

§. ij. FAMILIÆ appellatio refertur & ad corporis cuiuſdã ſignificationẽ, quod aut iure proprio ipſorum, aut communi vniuerſæ cognationis cõtinetur.

IVRE proprio familiam dicimus, plures perſonas quæ ſunt ſub vnius poteſtate, aut natura, aut iure ſubiectæ. Vtputa patremfamilias, matremfamilias, filiumfamilias, filiamfamilias, quíque deinceps vicem eorum ſequuntur, vtputa nepotes, & neptes, & deinceps. Pater autem familias appellatur, qui in domo dominium habet. Rectéque hoc nomine appellatur, quamuis filium non habeat. Non enim ſolam perſonam eius, ſed & ius demonſtramus. Denique & pupillum patremfamilias appellamus: & cum paterfamilias moritur, quotquot capita ei ſubiecta fuerint, ſingulas familias incipiunt habere. Singuli enim patrumfamiliarum nomen ſubeunt. Idémque eueniet & in eo qui emancipatus eſt: nam & hic ſui iuris effectus propriam familiam habet.

COMMVNI iure familiam dicimus omnium adgnatorum. Nam etſi patrefamilias mortuo ſinguli ſingulas familias habent: tamen omnes qui ſub vnius poteſtate fuerunt, rectè eiuſdem familiæ appellabuntur, qui ex eadem domo & gente proditi ſunt.

§. iij. SERVITVTIVM quoque ſolemus appellare familias, vt in edicto prætoris oſtendimus, ſub titulo de furtis, vbi prætor loquitur de familia publicanorum. Sed ibi non omnes ſerui, ſed corpus quoddam ſeruorum demonſtratur, huius rei cauſa paratum: hoc eſt vectigalis cauſa. Alia autem parte edicti omnes ſerui continentur, vt de hominibus coactis, & vi bonorum raptorum. Item redhibitoria, ſi deterior res reddatur emptoris opera, aut familiæ eius. Et interdicto vnde vi familiæ appellatio omnes ſeruos comprehendit. Sed & filij continentur.

§. iiij. ITEM appellatur familia plurium perſonarum quæ ab eiuſdem vltimi genitoris ſanguine proficiſcuntur. ſicuti dicimus familiam Iuliam, quaſi à fonte quodam memoriæ.

§. v. MVLIER autem familiæ ſuæ & caput & finis eſt.

ALCIATVS.

FAMILIÆ. ¶ Familia ad res & perſonas refertur, cùm de perſonis intelligitur, quinq; modis poteſt accipi. Primò, vt certas perſonas, puta libertum contineat. Secundò, vt corpus quoddam, cuius caput iure proprio membra ſubiecta habet, & filiorum, nepotum, pronepotúmq; ſoboles, qui in patrisfamil. poteſtate ſunt. Tertiò, corpus in quo non præeminet alicuius poteſtas, ſed communi omnes iure vtuntur, vt agnati inter ſe. Quartò, ſeruientium turba, qui vetuſtiſſimus huius vocis ſignificatus eſt: antiqui enim, famuli, ſeruum dicebant: vnde Famulari verbum, à quo familia. Quintò nec ad ius proprium, nec ad commune, neque ad ſeruos refertur, ſed ad originem, & memoriam: vt cùm dicimus, Hic eſt ex Iulia familia, id eſt, originem à Iulio traxit.

Diducuntur, diuiduntur. ¶ Quo verbo ſæpè vtitur M. Fabius *in lib. Inſtit. Oratoriarum.*

Familiam, id eſt, hereditatem. ¶ Cice. *ad Herenn. lib. Rhetoricorum 1. cap. 26.* verba legis xij. Tabul. ſic

concip

concipit: [Paterfamilias vti ſuper familia pecuniáve ſua legauerit, ita ius eſto: ſi inteſtatus moritur, familia pecuniáq; eius agnatorum gentiliúmq; eſto.] Sed quomodo dignoſcimus, de rebus, an perſonis actum ſit? Et proditum eſt, cùm familiæ relinquitur, de perſonis actum cenſeri. Bart. *l. fin. C. eod.* cùm à teſtatore de familia diſponitur, tunc de rebus agi. Nec enim poſſumus tunc de perſonis intelligere, quæ cùm liberæ ſint, ad nullius diſpoſitionem pertinent. Ego arbitror, & cùm de familia diſponitur, de famulitio ſeruorúmve choro actum videri, obſoleuit enim ea communi vſu illa. quæ in xij. Tabulis eſt ſignificatio. Quapropter de ea in dubio accipiendũ non eſt, niſi cùm aliqua nos in hoc coniectura adigit, vt quia teſtator rogat heredem, vt familiam ſuam reſtituat: ſi enim de ſeruitio intelligeretur, non erat opus heredem rogare in eo, quod directè legari potuit. *l. nam quod in fi. ad Treb.*

Ex ea familia. ¶ Accurſius verba legis ſic adſcribit: Ea ea familia in eam patroni familiam liberti bona veniant. Intelligitq; de bonorum poſſeſſione, quæ patrono in liberti bonis datur §. *quinto. inſti. de bon. poſſ.* qui ſenſus nõ quadrat, quoniam huiuſmodi bonorum poſſeſſio ex edicto prætoris deſcendit: at hic de xij. Tab. lege agitur. Ipſe igitur aliter ſentio, & opinor verba legis hæc fuiſſe: Ea ea familia, vnde Titius miſſus manu eſt, in eam familiã adſcribatur. Liberti enim nomine, ſeu (vt ita loquar) pareotela patroni cenſebantur, vt in diſpunctionibus docuimus, accipiturq; tunc familia pro ſingularibus ipſorum perſonis: nec enim communia cum cæteris cognationis iura habent, nec aut ſerui, aut domus habitatores ſunt: meritò igitur hæc ſignificatio à cæteris diſtinguenda fuit.

Iure proprio. ¶ Perſonæ ſubiectæ natura ſunt, id eſt, æquitate naturali, vxor marito, gener, nurúſque, ſocero, denique quilibet familiaris domino. Filij verò & nepotes, cæteríque deinceps qui in poteſtate ſunt, etiam iure ciuili ſubiiciuntur *l. in ſuis. de lib. & poſthu.*

Matremfam. ¶ Videtur hic probari, vxorem in familia viri eſſe. *l. quicunque. C. de re milit.* habet enim maritus dominium, id eſt, quandam præeminentiam in illam. Quapropter legato facto familiæ etiam vxor admittetur. *d. l. fin.* quod & in vidua obſeruandum eſt, iuris enim interpretatione adhuc in matrimonio eſſe exiſtimatur. In odioſis tamen fortè aliud obſeruãdum eſſet. Et ideo ſi quis in exilium cum familia mittatur, vxor ea lege non tenebitur, idque Oldradus & Albericus probant.

Neptes & deinceps. ¶ Hic conſtat familiæ appellationem vltra quartum gradum in deſcendentibus intelligi, in prohibitione autem alienationis heredi facta, vt res in familia perpetuò remaneant. *In auth. de reſt. fideic.* Iuſtinianus ſanxit, vltra quartum gradum deſcendentium prohibitionem non extendi: cuius rationem alij viderint. Illud conſtat in fideicommiſſo familiæ vſque ad decimum gradum agnatos admitti: quoniam gradatim, inſtar ſucceſſionis quæ ab inteſtato defertur, vocantur: in fideicommiſſo verò quod duobus antiquioribus de domo relictum ſit, cùm nõ ſanguinis coniunctio, ſed ſolum familiæ nomen in teſtatoris conſideratione fuiſſe videatur, etiam decimi gradus vlteriores non excludi, quidam ſenſerunt. *Dec. conſi. 321. in fin.*

Domo. ¶ Quandoque tamen domus pro familia accipitur, idque præſertim in vulgari ſermone: videturque μετωνυμικῶς continens pro contento poni. *l. pen. de teſt.* quapropter propriè de his, qui vna habitant, intelligitur *l. cum vnus. de alim. leg.*

Dominium. ¶ Id eſt præeminentiam. Alioqui alio ſenſu dominium eſt ius perfectè diſponendi de re ſua corporali. Bartol. *l. ſi quis vi. §. differentia. de acquir.* Sanè qui ſolo huiuſmodi præeminentiæ iure etiam principibus ſubſunt, in eos delinquendo, perduellionis crimine non notantur. *Clem. paſtoralis. § denique. de re iudic.*

Sed & ius. ¶ Vt quis paterfamilias dicatur, ſatis eſt, vt familiæ ſuæ dominus ſit: quoniam hæc vox non ſolum in eis locum habet qui verè patres ſunt, filióſque habent, ſed etiam in eis qui ſine prole ſunt, dum iura in domo ſua habeant, quæ cæteri patresfam.

Quotquot capita. ¶ De ſuis heredibus intelligendum, quia qui in aliorum poteſtate recidunt, familias non habent.

Emancipatus. ¶ Extra patris familiam emancipati ſunt, vt hîc traditur, alioqui propriam familiam non haberent: quod hoc iure maximè procedit, quo emancipati agnationem non retinent. *l. tutelas. de cap. dim.* ſed cùm hodie inſtar ſuorum redacta ſint. putaretim in fauorabilibus eos contineri *l. meminimus. C. de leg. hered.* ſiue de familia lex verba faciat, ſiue de agnatione. *l. fin. & l. qui ſe patres. C. vnde lib.* Quod in legibus quoque municipalibus obſeruandum eſſe arbitror, quibus agnati maſculi cæteros excludunt: non enim in his vinculum patriæ poteſtatis in animaduerſione eſt, ſed id ſolum, quod cognomen familiæ, eiúſque inſignia ſeruent. Bal. *in l. fi. C. de emancip. lib.* quod etiam emancipatis conuenit, licet aliis aliter viſum ſit. Dec. *conſi. 13.*

Agnatorum. ¶ Accipitur ergo familia etiam pro agnatione: quod dubium eſſe non debet, cum huius vocabuli ſignificationem Iuſtinianus in cognatis quoque, cæteríſque propinquis acceperit: quod ideo eſſe ab eo conſtitutum arbitror: quoniam agnatis cognatos æquales in ſucceſſionibus fecerat. Cùm igitur familię teſtator relinquit, qui proximiores in gradu tẽpore teſtamenti, vel mortis erant, admittendi ſunt *l. cùm ita. §. fi. de leg. 2.* quippe illi propriè agnati ſunt. Qui verò poſt eius mortem cõcepti ſunt *l. Seius. de ſuis & leg.* cum agnati non ſint, non admitterentur, niſi aliter de voluntate teſtatoris appareat: velut in fideicommiſſo conditionali: cùm enim dies tempora exiſtentis conditionis cedat, eos admittemus qui tunc in familia proximiore gradu erunt, Io. Andr. *rub. de teſtamen. in Spec.* Vnde fit, vt, prohibita heredi alienatione extra familiam, illi cenſeantur vocati, qui propinquiores ipſi heredi ſuperſerunt, cùm alienabitur, tametſi alij extent ipſi teſtatori coniunctiores: idque quamuis doctiſſimis quibuſdam reclamantibus. Socin. *in l. ſi cognatis. ¶. de reb. dub.* receptius apud recentiores videtur, quoniam de manu heredis fideicommiſſum accipitur. Sed in directis ſubſtitutionibus, cùm ab ipſo teſtatore continenter hereditas deferatur, eius proximiores cenſentur vocati. *l. fin. C. de instit. & ſubſtit.* Sed & ſi quis velit fundum in familia remanere, ſatis conijcitur, mortuis his quibus

fideic

fideicommiſſum reſtitutum eſt, eorum propinquiores deinde admitti, licet poſt teſtatoris ſupremum diem natos. *Com. d. §. fin.* Sed quid ſi cuilibet ex familia relictum ſit? & promiſcuè in obſeruato gradu quicunque admittentur. *l. vnum. de leg. 2.* dum intra decimum gradum ſint, vt etiam Paul. Caſtr. reſpondit. *conſ. 383. vetaſu 1.* Quid item ſi ſimpliciter quis iuſſus eſt fundum in familiam relinquere? Et poſſe eum, quem velit de familia eligere, idem reſpondit. *conſil. 32. proprietarius. in 1. l. voluntas. C. de fideicom.* Quid rurſus, ſi familiæ alicuius extranei, cùm illi iam fato functus eſſet, reliquero? Et admitti eius deſcendentes omnes æqualiter pleriſque viſum eſt. Bart. *d. l. ſi cognatis in fine.*

Ex eadem domo & gente. ¶ Sed nunquid filius illegitimus ea familia erit? & cùm agnatus non ſit, non erit, ſi familiam hac quarta ſignificatione accipiamus: genus enim hic pro agnatione ſumitur: vnde Gentiles agnati. Sed cùm hodie in fauorabilibus Iuſtinianus omnes contineri ſanxerit qui ab eodem ſanguine proficiſcuntur, *d. l. fin.* cognatoſque etiam admiſerit, dubitandum non eſt, quin naturales hoc caſu ea familia cenſeantur: quod aliter in ſpuriis eſt, quoniam illorum patrem incertum lex exiſtimat, odióque inſectatur.

Seruientium. ¶ Non de ſeruis ſolùm intelligendum eſt, ſed etiam de quibuſcunque famulantibus & operam ſuam in id, quod demonſtratum eſt, præſtantibus. Sic in edicto familia publicanorum accipitur. *l. 1. §. familia. de publ.* Sic & quid raptum, vel vi factum cum familia dicitur. *l. 2. §. hoc actio. vi bon. rapt.* Sic ædiles emptorem, qui redhibitoria experitur, reſarcire venditori voluerunt, quatenus ſeruus culpa ſua, familiæve ſuæ deterior factus eſt. *l. 1. l. addes etiam. de ædil.* Sed cùm in prædictis caſibus dominus ea delicto familiæ obligetur, an in cæteris quoque idem generaliter conſtituemus? Et non obligari dicẽdum eſt. *l. 2. §. de noxal.* Quapropter liberabitur, ſi ſeruum pro noxa det, niſi eum delinquenti conſenſiſſe conſtet, quod ex coniecturis quoque deprendetur, vt quia conſultus de delicto tacuit, vel cùm poſſet, non prohibuit. *c. Petrus. de homicid.* Sed & nobiles, qui in famulitium ſuum ſicarios, lenones, idque genus improbos retinet, ea eorum delictis, arbitratu iudicis puniendi ſunt. *Cl. ne in agro. § perro. de ſtatu monac.* præſumuntur enim eorum conditionem notam habuiſſe, nec eis licuit deteſtabiles hoſce domi habere. *c. conſtitutis. de teſt.* & fauoribus proſequi: & ideo etiam ſi dolo careant, culpa non carent. Caupones quoque & nautas pro familia ſua teneri conſtat. *l. 1. ſuprà naut. caup.* ſi damnum in re commiſſum eſt, cuius cuſtodiam præſtare debuerunt. Sed finge hoſpitem ab aliquo aa familia cauponis vulneratum, quid erit? Et ſi in diuerſorio, dum cauponum curæ confidit, affectus eſt, putarim dominum obligari, damnúmque ab eo emendandum, alioquin cauponem abſoluendum. Iaſ. *l. 1. C. de ſer. fug.*

Filij. ¶ Siue in poteſtate, ſiue ſui iuris ſint, ſiue vnà cum patre habitent, ſiue ſeparatim: eadémque interpretatio in ædilitio edicto capitur. *l. quod ſi nolit. §. idem. de ædil. edic.*

Vltimi. ¶ Retrò computando. Et hæc vltima ſignificatio intelligitur, cùm propter antiquitatem originis, gentiles iſti nullo gradu ſe contingunt: ſic enim hoc caſu ab agnatione differet familia, & ita cæteri interpretes ſentiunt. Sed cùm in hoc reſpõſo tot familiæ ſignificationes proditæ ſint, quomodo cognoſcemus, de qua intelligere nos oporteat? Et ex ſubiecta materia arbitror diiudicandum eſſe. vt in relictis familiæ, conſtitutionem Iuſtiniani ſeruemus. *d. l. fin.* ſi lex captum à familia prætoris certa pecunia condemnet, de ſeruientibus, iuréque officij capientibus intelligamus, qua ratione filius ex familia non cenſebitur. Rayn. *d. l. ædiles.* Si piſtor panem coquere Titio, eiúſque familiæ promiſit, *l. aria onera. de excuſ. tu.* de cohabitantibus accipiamus. Videtur enim paterfamil. curæ domus ſuę tantùm prouidiſſe, vt quibuſdam videtur. Cepol. *de ſer. vrb. c. 50.* Quem ſenſum & accipere lex debet, quæ ciuem cogit cum familia ſua in vrbe habitare. Idem eſt dicendum, cùm lex alicui & eius familiæ priuilegium concedit *l. 2. C. de epiſc. & cler.*

Mulier. ¶ Caput id eſt, principium. Refertur autem hoc ad vltimam familiæ ſignificationem: in viris enim familiæ nomen per omnem deſcendentium ſeriem durat. Vnde Aſcanius, qui Iulus dictus eſt, Iuliæ familiæ primus auctor, deſcendẽtes ſuos Iulios appellatos ſemper habuit. Sic Appius Claudius, Claudios, quorum Nero, vltimus fuit. At mulierum filij earum nomina non ſeruant, ſed patrum ſuorum: vnde in eis nulla familiæ origo propagatur, ſed cum eis extinguitur.

BRECHÆVS.

FAMILIÆ APPELLATIO. ¶ Alciat. in hunc locum & *in l. ſeq.* atque etiam in tractatione, de eo, quod intereſt, familiam à famulãdo dictam exiſtimat & à famulitio. Feſtus Pompe. à voce Oſca famul, tradit deriuatum verbũ familiæ, quæ apud illos ſeruum ſignificat. Ego verò à fama ductum crediderim: cùm nomen alicuius gentis & generis, diuturnà fama latè in ſtirpes peruagatum eſt. Scitè ſanè & eleganter hoc reſponſo ſeu capite. Vlp. tradidit multiplicem variamque familiæ ſignificationem. Nam & in res (inquit) & in perſonas diducitur. In res, vt puta in lege xij. Tab. his verbis: *Proximus adgnatus familiam habeto.* Nomine familię, res, id eſt bona & hereditates hoc loco intelliguntur. Nam his legis xij. Tabul. verbis cauetur, vt inteſtatorum hereditates, deficientibus ſuis heredibus, adgnatis proximis liceat habere. ¶ Familiam igitur vocat res, bona, & hereditatẽ defuncti. Qua quidem voce iureconſ. dixerunt familiam herciſcundam, pro hereditate diuidunda inter heredes. Sueton. Tranquillus *in Nerone. cap. 4.* Ex hoc, inquit, Domitius naſcitur, quem emptorem familiæ pecuniæque in teſtamento Auguſti fuiſſe, mox vulgò notatum eſt. Nomen pecuniæ addidit explicationis cauſa, ne verbum familiæ ambiguum dubitationem relinqueret, vt Connano viſum eſt *lib. 9. Comment. iur. ciuilis. cap. 1.* Is autem familiæ emptor in teſtamento dicebatur, qui primus, & ſolus heres eſſet. Quod qualiter, quibúſve ſolennijs fiebat, videbis apud Theophilum *in tit. de teſtamentis.* Præſentibus ciuibus Romanis & puberibus, qui defuncti bonorum & hereditatis ſucceſſor futurus eſſet, morituri res & patrimonium quibuſdam verborum ſolennijs emebat: dabátque domino ipſo

morituro

moriturо, imaginarij pretij nomine, nummum: & is qui ſic morituri patrimonium emebat, [Familiæ emptor] dicebatur. Quę autem eſſent in ipſa verborum ſolennia, idem Theophilus ſcribit, Νῦν περιττὸν τὸ λέγειν ſupervacaneum eſſe dicere. At morientis verba, quibus declararet quid ſe mortuo de ea, quam relinquebat, hereditate ſtatui vellet, quæque ad familiæ emptorem heredémue habebat, ea fuiſſe tradit, ὅτι βούλομαι σὺ τῷ δ' δοῦναι ἀγρὸν, τῷ δ' οἰκίαν, τῷ δ' ἑκατὸν νομίσματα. Huic agrum ſeu fundum dari volo: illi, domum: alij verò centum nummos.

Ad perſonas. ¶ Hæc eſt ſecunda ſignificatio familiæ, quæ quando ad perſonas non ad res transferatur, ex teſtatoris verbis licet dignoſcere, vel ex verbis & mente legis: at ſi teſtator dicat, familiam meam omnem in nominis mei memoriam Roſæ nepti meæ dari volo. Dubium non eſt, quin de re & patrimonio ſuo aut pecunia ſenſiſſe teſtatorem oporteat aſſeuerare. Et cùm lex patrono mortuo vocabat agnatos cognatóſue patroni, ſi libertus abſque liberis deceſſiſſet, [Tanquam ex familia] ſuccedere ad perſonas familia referebatur, non ad res. Quæ ſucceſſio dicebatur, bonorum poſſeſſio tanquàm ex familia. *vt in §. cùmque antea. Inſtit. Imper. de bon. poſ.* Et hic de ſingularibus perſonis legem loqui conſtat.

Ad corporis cuiuſdam. ¶ Tertio loco, familiæ appellatio, de vno quodam corpore dicitur, quod ex plurium perſona conſtat: idque vel proprio iure ipſorum, vel communi vniuerſæ cognationis. Iure proprio, tum naturali, tum ciuili familia conſtituitur. Naturali quidam iure ſeu diuino, maritus, vxor, filij, nepotes, & qui naſcuntur ab illis, vna quadam quaſi compage iuncti, vnum corpus efficiuntur, vna familia. Nam cùm hoc ſit natura commune omnium animantium, inquit Cicero *libro primo Officiorum*, vt habeant libidinem procreandi, prima ſocietas in ipſo eſt coniugio: proxima in liberis, deinde vna domus omnia communia. Id autem eſt principium vrbis & quaſi ſeminarium reipublic. Sequuntur fratrum coniunctiones: pòſt, conſobrinorum ſobrinorúmque, qui cum vna domo iam capi non poſſint, in alias domos, quaſi in colonias exeunt. Inde Trapezuntius teſtatur *libro tertio Rhetoricorum*, à multis relatum eſſe Romæ non ante fuiſſe rempublicam, quam Sabinæ raperentur: quòd niſi familiæ eſſent reſpubl. eſſe non poſſit. At cum in plureis domos & veluti tribus familia diſtribueretur: eorum qui vnius eiuſdémque ſtirpis, & nominis eſſent. Gens vniuersè, καὶ ἀγχιστεῖς dicebatur, etiam ſi milleſimo gradu diſiuncti eſſent. Familia verò magis ad agnationem refertur, ſicuti teſtatur Andræas Alciatus *libro quarto diſpunction. capit. 1.* Sic latiùs Gentis nomen patêre, quam familiæ conſtat. De gentis, & ſtirpis ſignificatione permulta tradidimus ſuprà. In ſacris literis familia, συγγενεῖς καὶ ἀδελφοὺς pro tribu, gente, & ſtirpe accipi ſolet ab interpretibus: quòd apud Græcos nomen πατριᾶς idem ſit quod φυλαί. Act. Apoſtol. *capite tertio.* καὶ ἐν τῷ σπέρματί σου ἐνευλογηθήσονται πᾶσαι αἱ πατριαὶ τῆς γῆς. Et in ſemine tuo benedictionem conſequentur omnes familiæ terræ. Sic in Euangelio Lucæ *cap. 2.* traditum eſt, Bethlehem vocatam ciuitatem Dauid, eò quòd eſſet ἐξ οἴκου καὶ πατριᾶς Δαβίδ, id eſt de domo & familia Dauid. Quod πατριαὶ, à Græcis, id eſt familiæ dicuntur, id aliàs, vt teſtatur Eraſmus, interpres paternitates vertit in Paulinis epiſtolis. Ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur. In loco Actorum Apoſtolorum ſupra citato, vbi πατριαὶ legitur, Eraſmus ipſe tradit in nonnullis exemplaribus haberi φυλαί, id eſt, tribus. Vides igitur qualiter familiæ nomen latiùs quàm ad agnatos porrigatur. Sed id quidem puto ex improprio, vt Alciati ſententia probatior ſit. ¶ Cæterùm familiæ nomen non ad proximiores agnatos tantùm, verùm etiam & ad remotiores, & omnino poſtremos pertinet. Vt cùm teſtator voluit fundum Tuſſetianum in familia ſua perpetuò eſſe, eundem primo loco proximioribus deferri oportet: tum demum per gradationem ad reliquos agnatos, eò vſque dum & genus & nomen perueniat ad poſteros. vt eſt traditum *in l. fin. C. hoc tit. de verb. ſignific.* Et authen. ὥστε τὰς ὑποκαταστάσεις μέχρι ἑνὸς βαθμοῦ ἵστασθαι: Vt reſtitutiones fideicommiſſi ad vnum vſque gradum conſiſtant. *Conſtit. 159.* διὰ τὸ βούλεσθαί με τὸ αὐτὸ προάστειον ἤτοι οἰκίαν διακειμένην, ἤ διακειμένην ὑπὸ τῆς πόλεως τῆς Συκῶν τείχους τῆς ἀναγούσης ἐπὶ τὸ σεβάσμιον μαρτύριον τῆς ἁγίας Θέκλης μένειν διὰ παντὸς καὶ διηνεκῶς ἐν τῇ ἐμῇ φαμιλίᾳ, καὶ μηδέποτε ἐξελθεῖν τοῦ ἐμοῦ ὀνόματος: id eſt, vt vertit Haloand. Proptereà quod hoc ipſum ſuburbium & ædes, ſitum, ſitáſue iuxta portam muri ficulnei, qua via ducit ad ſacroſanctum martyrium ſanctæ Theclæ, per omnia & perpetuò velim permanere in familia mea, neque vnquàm de meo nomine egredi. Quo loco voluit Imperator Iuſtinianus familiæ vocem ad infinitum produci, ac donec nomen domini & patriſfamiliâs perduret, his verbis, neque vnquàm de meo nomine egredi. Quæ quidem verba videtur adieciſſe, vt commonſtraret, quouſque familiæ ius protraheretur, videlicet, in perpetuum. Hoc in vulgari tralatione habetur ſub *tit. de reſtit. fideic. & nom. famil. & ct.* Sic Iuliam familiam dicunt, ſic Claudiam, ab Appio Claudio, cùm ex Sabinis magna clientum manus Romam commigraret: quam etiam familiam, tribum appellant. In eam quidem ſignificationem Ariſtoteles *libro primo Polit.* pagum accipit ſecundum naturalis iuris rationem: vt ſit propagatio quædam domus eorum quos dicimus coaluiſſe, & natos eſſe natorum: cùm videlicet domus ex domo deriuatæ, ex quodam veluti ſtipite filiorum ſtolones enati, ac producti coactam in vnum corpus familiam tribúmue efficiunt. Quare Vlpianus *in l. quod ſi nolit. §. idem Padius. ff. de ædil. edict.* rectè cenſuit familiæ appellatione, filiosfamiliâs demonſtrari: quorum quidem filiorum indefinita eſſet appellatio & ſignificatio, vt quæ ad nepotes nepotumque filios in infinitum protendatur, vt ſatis ſuprà annotauimus. Inde patresfamiliâs, matresfamiliâs, & filiosfamiliâs dixerunt. At cùm ſenior paterfamiliâs moritur, tum diuiditur ingens ille familiæ ſtipes in ſingulas familias eorum, qui patri ipſi familiâs ſubiecti erant: tum ſinguli patrumfamiliâs nomen ſubeunt, qui caput ſunt familiæ. Sed & emancipatus, & ſui iuris factus, qui propriam familiam habet, paterfamiliâs incipit eſſe. Aliter omnium agnatorum familiam dicimus. Quamuis enim diuiſa, patrefamiliâs mortuo, in ſingulas familias, familia: hi tamen omnes qui ſub eiuſdem patriſfamiliâs poteſtate aliquando fuerunt, eiuſdem familiæ nomen ſortiti cenſebuntur, qui de eadem gente & domo proditi fuerunt.

N Vt ſi

Vt ſi ex Iulij Cæſaris familia plures familiæ prodierint, ſingulæ earondem cenſebuntur de Iulia familia: quod ſ. diximus ex ſacris literis, Ἐξ οἴκου καὶ πατριᾶς Δαβίδ. Et id quidem communi iure, non proprio, dicimus, id eſt iure ciuili. Nam agnatio, iuris ciuilis nomen eſt, id eſt, à lege xij. Tabul. qua agnati præferuntur agnatis ſuccedendi iure. *vt §. ſed agnationis. & §. ſeq. cum gl. Inſt. de leg. agn. tut.* Sed hæc quidem agnatio, quæ iuris ciuilis eſt, per adoptionem fit. *§. ſunt autem. ver. per adoptionem. Inſt. de legit. agn. ſuc.* Qui igitur adoptantur in familiam alicuius, his filiifamiliàs ſunt, vt tradit Modeſtinus *in l. 1. ff. de adopt.* Et Vlp. *in l. nec ei. §. & primum quidem. d. tit. de adopt.* Deinde, inquit, excutiendum erit, cuius vitę ſit, is qui velit pupillum redigere in familiam ſuam. Itaque, iure communi, ſeu ciuili familiam dicimus omnium agnatorum.

Seruientium. ¶ Vlp. *in l. ædiles. §. familiæ. ff. de æd. ed.* Familiæ inquit, appellatione, omnes qui in ſeruitio ſunt, continentur, etiam liberi homines, qui bona fide ei ſeruiunt, vel alieni. Accipe eos quoque, qui in poteſtate eius ſunt. Idem Vlp. *in l. 1. §. familia. ff. de vi & vi arm.* cenſet eos, quos ſeruorum loco habemus, contineri familiæ nomine: & hos veluti, qui eodem ſub patreſam. miniſterio funguntur, ſiue liberi ſint, ſeu ſerui: quod etiam ab Vlp. eſt traditum *in l. 1. §. familia. ff. de pub. & vect. & in l. 2. §. familia. ff. vi bon. rapt.* ¶ Sæpe autem diſputatum eſt, qua ratione familiæ factum ac delictum ſubire præſtaréque debeat dominus & paterfamiliàs. Et reſpondit ipſe Vlp. *in d. l. 1. de vi arm.* ſi vnus ſeruus es familia deiecerit, familiam deieciſſe videri: ſed eatenus dominum teneri, quatenus vel ipſe mandauerit, vel iuſſerit, vt vi ſeruus alium deiiceret. Parui enim refert, ſuis manibus quis deiiciat, an verò per alium. Quare, ſi familia mea ex voluntate aliquem vi deiecerit, ego videor deieciſſe. *d. l. 1. §. deieciſſe. de vi arm.* Et idem paulò pòſt. *§. quod ergo.* Cæterùm ſi iuſſit, vi deiecit ipſe. Nec grauari debet dominus, qui non iuſſit, ſed ſeruorum ſuorum factum præſtare, & ſi non iuſſu eius deiecerunt. Nam non grauabitur dominus hoc nomine. Quippe cum aut peruenit ad eum aliquid, & reſtituet: aut non peruenit, & ipſos ſeruos maleficij cauſa noxæ dedendo, indemnis erit. Quid ſi ex familia alicuius, ſerui plures album prætoris corruperint, an dominus vnius tantùm pœnam præſtare teneatur, an verò plurium? Paul. *in l. ſi familia. ff. de iur. om. iud.* reſpondit, non eandem eſſe rationem in corrupto Prætoris albo, in damno, & iniuria data, quam in furto admiſſo. Nam ſi familia Prætoris album corruperit, damnúmue alicui dederit, iniuriámque fecerit, quoniam hoc plurium ac ſingulorum eſt factum, certè ſingulorum pœnæ obnoxium dominum edictum facit: tum quia contempta maieſtas Prætoris eſt, qui quidem contemptus tanquàm virus in omnia capita ſeruorum diffunditur, tum quòd delictum & damnum plurium plus percellit, cùm quiſque admolitur manum: iniuria plurium plus lædit: plus contumeliæ habet, cum quilibet voce hominem impetit, & famoſiſſimis libellis proſcindit. Sic in albo corrupto maior eſt Prætoris contemptus, cùm plures lacerant, quàm cùm vnus: ergo & hîc plura facta intelliguntur: furtum verò, rem ipſam furto allatam reſpicit ſolùm: nec intereſt eius, cui furatur, plures rem ſuam furati ſint, an vnus tantùm, propter vnitatem rei furatæ: neque verò poſſunt omnes contrectare: quæ contrectatio facit furtum, nec quod ego accipio, hoc potes accipere. Quæ ſententia eſt & interpretatio Vld. Zaſij. Quid inquam, ſi cum vnico ſeruo acceſſit dominus ad vim alicui inferendam? Nihilominus dicendum erit cum familia acceſſiſſe, cum vnicum tantùm, non plures ſeruos haberet. Bald. *in l. iubemus. §. ſin autem. C. ad Treb.* Ea quidem ratione, ſi ſeruus vel ancilla quicquam obſcœnum è domus feneſtra in tranſeuntem deiecerit, tenebitur dominus edicto, [De his qui deiecerunt vel effuderunt,] etiam ſi vel domus propria, vel conducta ſit, vel in ea gratis habitatio conceſſa. *l. 1. ff. de his qui deiec. vel effud. & §. item his ex cuius cœnaculo. Inſt. de obl. quæ ex quaſi del. naſcun.* Quo loco Ang. Aret. ſcribit, dominas famulaſue, quæ aut interdiu aut noctu in viam publicam obſcœnas aquas effundunt, ac deiiciunt, in duplum æſtimationis damni & inquinatæ veſtis condemnandas. Quod verum eſſe contendit Barth. Cæp. *in tract. de ser. vrb. præd. c. 67.* Si modò proiectum effuſúmue ſit, qua vulgò iter fieri ſolet, *vt in d. l. 1. §. ſumma cum vtilitate. d. tit. de his qui deiec.* At, quid ſi tueri velit ſe dominus quòd neque mandauerit, neque ratum habuerit quod à familia admiſſum eſt, neque etiam nomine ſuo factum? Nihil ſanè proderit defenſio huiuſmodi, maximè verò ſi eo præſente peccauerit ſeruus, nec eum prohibuerit. Nam traditum eſt à Marcello *in l. eiuſdem. §. item ſi. ff. ad leg. Cor. de ſic.* eum plectendum pœna legis Corneliæ, eam ob cauſſam, quod familia ſua, eo ſciente, & non prohibente, alteri vim in poſſeſſione fecerat: quæ quidem lata culpa fuit, ſed dolo proxima. Videto in hanc rem gl. *in c. cum ad ſedem. in verb. interdictum. extr. de reſt. ſpol.*

FORNERIVS.

FAMILIÆ APPELLATIO. ¶ Sequitur deinceps multiplex familiæ ſignificatio.

PRIMA, rem ſignificat. vt in lege vetere, quæ proximo agnato familiam, id eſt, hereditatem deferebat. hîc. *l. vltim. C. de verborum ſignificatione.* & hinc Familiæ erciſcundæ, id eſt diuidendæ inter conſortes hereditatis, actio. *l. 1. fam. erciſcund. §. quadam. de action.* hinc familiæ emptio, mancipatioque, quæ quidem imaginaria venditione, per æs ac libram fiebat. Theophilus *in §. 1. de teſtament. ordin.* Suetonius *in Nerone cap. 4.* Vlpian. *fragm. tit. 20. & pen.* Plutarchus, ἑτέρως μὲν διαλείπειν κληρονόμους, ἑτέρως δὲ πωλοῦντα τὰς οὐσίας. Et familiæ emptor, qui vicem heredis obtinebat. *§. ſed neque. de teſtamen. ordin.*

Res. ¶ bona: Græci hîc τὸ πρᾶγμα: Subſtantiam, Iuſtinianus *in d. l. vlt.* Græci ὑπόστασιν, Baſilicôn ſynopſ. *lib. 44. tit. 3. cap. 104.* M. Tul. ad Trebatium topica ſcribens, pecuniam definiit. Quamquam hereditatem (cum iuris intellectu magis, quàm corporibus conſtet. *l. 50. hereditas. ſ. de her. pet. l. 178. pecunia. §. hereditas. ſ. h. t.*) etiam ſine rebus eſſe nihil vetet. *l. 1. C. de edict.*

AD PERSONAS. ¶ Altera, Familia perſonas etiam ſingulares, ſignificat: veluti cum de liberto & patrono

patrono loquitur.hic. *d.l.vlt.ver.libertos etiam & patronos d.c.104.* καὶ τοὺς ἀπελευθέρους, καὶ τοὺς πάτρωνας. Vlpianus *in fragm.tit.pen.de ſeptem inteſtati danda bon.poſſeſſione gradibus.§.quarto familia.* Iuſtinianus *§.Quinto.& §.cumque.ver.ſanquam ex familia.de bon.poſſ.*

Lex Ex familia, ¶ quænam illa, niſi κατ᾽ ἐξοχὴν, xij.Tab.lex fuerit, aut Iulia Papia,quæ multa de libertorum ac patronatus iure cauerit , nihil plane compertum habeo:nec quicquam ab aliis hactenus notatum memini.

Familiæ appellatio. ¶ Tertia, familia communiter de vniuerſa gente, κατὰ τὸ παντὸς γένος. Additur, & deficientibus propinquis, generum ac nurum ad fideicommiſſum vocari. *d.l.vlt. d.c.104.* τὸν γαμβρὸν καὶ τὴν νύμφην.eodem ſenſu hereditas ab inteſtato quæ iure ſanguinis propinquis defertur, Ariſtoteli ἡ κατὰ γένος κληρονομία nominatur *lib.5.Polit.*

Vniuerſæ cognationes. ¶ Quoniam publicè intereſt ordinum dignitatem ac familiarum ſaluam manere. *l.1. de vent.inſp.* Totius quoque familiæ intereſt, ne quis ex ea vel in ſeruitutem deducatur, vel flagitioſè,damnúque dignitatis viuat.*l.1.2.3.& 4.ſ.de lib.can.l 6.nec ſi volens.l.10.liberos.l.22.parentes.l.24.interrogatam.l.pen.C.eod.tit.l.vn.C.de Sc.Claud.tol.*Plautus Pœnulo,

> *Tua pietas nobis planè auxilio fuit:*
> *Cum tu aduenisti hodie in ipſo tempore.*
> *Nam hodie earum mutarentur nomina:*
> *Faceréntque indignum genere quæſtum corpore.*

Inde etiam prodiit ius imaginum, quas nobiles ab armorum laude paratint,*armoiries*,ſymbola familiæ, ὁ ἐίγματα, & nomina militum clypeis inſcripta. Vegetius *de re mil. lib.2.cap.*18. Dion ſeu Xiphilinus de Domitiano,ὀνόματα ἐπὶ τὰς ἀσπίδας ἐπιγράψαι ἐκέλευσεν.Clypeorum dedicatio.Plinius *lib.35.c.3.*

Ivre proprio. ¶ Subdiuiſio tertiæ ſignificationis , in propriam & communem familiam. Propriam cum plures perſonæ vnius patrisfamilias poteſtati ſubiiciuntur. Idque rurſus duplici ratione, vel natura,vt filij:vel lege,vt vxores.vnde illi filiifamilias,hæ matresfamilias appellantur. inde & ipſe paterfamiliâs,dominus. Lactantius *lib.4.c.3.* Iſidorus *lib.10.Etymolog.* [Dominus per deriuationem dictus,quod domui præſit,& cunctæ familiæ dominetur.] Macrobius *lib.1.Saturnal. c.15.*[Primus nuptiarum dies verecundiæ datur:poſtridie autem nuptam in domo viri dominium incipere oportet adipiſci.] Dominatio eſt,cum quis ſuæ tutelæ,ſui iuris.ſuæ poteſtatis efficitur. Feſt.Pompeius,Regalia extra definiens, [Quæ potentibus inſperatum honorem pollicentur,priuatis & humilioribus hereditates,filiofamilias dominationem,]id eſt patriæ poteſtatis ſolutionem, αὐτεξουσίαν. Aliorſum dominus pro herede,& dominationem, pro iure hereditario (*l.1.de vent.in poſ.mit.l.22.ſi is ad quem.l.78.duo.de acq.her.l.22.qui pecuniam.de ſtatulib.*) accipi.*lib.1.c.19.Selection.*docuimus.

Quamuis filium. ¶ Occurrit tacitæ obiectioni:licet τὰ πρός τι ad aliquid referantur : vt poſito patre , filium contráque filio poſito , patrem : domino , ſeruum ſequi neceſſe ſit. Tamen paterfamilias (quamuis filium nullum in poteſtate habeat,ac familiæ appellatione filiifamilias demonſtrentur.*l.31. quod ſi nolit.§.idem Pedius.de ad.ed.l.40.deteſtatio.ſ.h.t.l.23.qui in adoptionem.ſ.de adopt.*) rectè-nihilominus dicetur:non quòd familiam,ſed ius familiæ habeat.Nam & hoc nomine pupillus appellatur.

Cum paterfam.moritur. ¶ ſic paulò inferiùs *patrefam. mortuo.* Ordine naturæ , & communi mortalium voto,pater præmoritur, filius ſupereſt,ac ſuccedit.*l.15.nam etſi.de inof.teſt.* Sæpe in veterum epitaphiis (Contra votvm) adſcriptum legimus : cum parentes liberis ſuperſtiterint. Epiphanius *lib.1. tom.1.aduerſ.hereſ.* nullum vnquam ait ex prioribus hominibus, filium ante patrem diem obiiſſe : verùm patres ante vita functos filios ſucceſſores reliquiſſe. Καὶ γὰρ οὐ πώποτε τῶν πρώτων ἀνθρώπων ἀπὸ πατρὸς υἱὸς ἐτελεύτα : ἀλλὰ πατέρες πρὸ παίδων ἐτελεύτων τοὺς υἱοὺς διαδόχους καταλιμπάνοντες.Ominoſa & voto diſſentanea diſplicuit ſententia,ſi liberi ante matrem morerentur. *l.72.cum tale.de cond.& dem.*

Singulas familias. ¶ Ergo & ſuos τοὺς οἰκείους vxorem, liberos, cæteroſque qui de familia ſunt.Iuſtinianus interpretatur *Nouel.60.* καὶ τοὺς οἰκείους τοὺς αὐτοῦ (γαμετὴν φαμὲν καὶ παῖδας καὶ οἶκον ὅλον.Conſtantinus, Milites,qui à principe impetrauerunt, ſuas familias ad ſe venire, non amplius, quàm coniuges,liberos,ſeruos,eóſque de peculio caſtrenſi emptos,neque adſcriptos cenſibus acceſſere licet.*l.10.quicunque.C.de re mil.*Mulier viro militi comes in caſtris, vt apud Procopium vxor Beliſario)*l.1.C.de reſtit. mil.*Sui etiam dicuntur liberti,clientes,hoſpites & amici.*l.2.ſi.de vſu & hab.l.3.§ ſed quod.de penu leg. l.11.videamus.ſ.de oc.l.pen.de prec.*Cic.*lib.1.de offic.* [Sequuntur fratrum coniunctiones,ſobrinorúmque: qui cum vna domo iam capi non poſſunt in alias domos , tanquam in colonias exeunt.] Sua habent ſacra priuata,ſuos lares.de quib.idem pro domo [Nihil ſanctius,nihil omni religione munitius quam domus vniuſcuiuſque ciuium : hic aræ ſunt,hic foci,hic dij penates : hic ſacræ religionis ceremoniæ continentur.] Sacra tamen priuata & ſacella in priuatis ædibus prohibet Plat. *ſub fin.lib.10.de legib.* & Iuſtinian.*Nouel.58.& 131.* *Nomen ſubeunt.* ¶ imò & ius,ſibi enim acquirunt & omnia patrumfamilias iura nanciſcuntur. *Emancipatus.* ¶ vt patris morte,ſic emancipatione filius ſui iuris,αὐτεξούσιος, paterfamilias efficitur,ſibi non patri acquirit,& propriam habet familiam.Nec enim ſi in familia eſſet,familiam haberet ipſe. *arg.l.21.ſic eueniet.ſ.ad leg.Iul.de adult. l.vlt.C.de leg.ius.l.23.cum heredes.de acq.poſ.*In familiæ ſacris,pro necdum emancipatum eſſe.*l.11.cum de.C.de don.&c.*

¶ Qvarta, non propria vnius patrisfam.ſingularis,ſed vniuerſa agnatorum gentiliúmque familia:Qui quamuis iam ſingulis nunc familiis ſinguli præſint,mortuo patreſam. Tamen à communi generis auctore orti,eiuſdem familiæ ſunt:vt in capite Seruiliæ legis,de iudicibus legendis,[Neue amplius de vna familia vnum :] vt ſepulcris familiaribus. *l.5.ſ.de relig.& ſumpt.fun. l.4.l.8.ius.l.antep.C. eod.tit.*quæ non ad exteros tranſibant,vt priſcæ epitaphiorum notæ ſignificant,H. M. H. E. N. S. id eſt, hoc monumentum heredem extraneum non ſequetur.Cic.*lib.1. de offic.* [magnum eſt,eadem habere monumenta maiorum:iiſdem vti ſacris,ſepulcra habere communia,&c.] vt iura patronatus:denique

vt in iure gentilitiæ redhibitionis.quam *προτίμησιν* (*retraict lignagier*) dictitant:vt cum dicimus, nihil vetare ex eadem familia plures alieno adbiberi negotio teſteis *tit.de teſtamen.ord.Inſt.* familiæ totius intereſſe, ne quis ex ea in ſeruitutem deducatur. *l.1.2.& 3. ſuprà,de lib.cauſ.* Denique vt damnatum è familia nomen. Nam & familiarum nomen exſecratione ſublatum, quaſique memoriæ poſt mortem damnatione eorum, qui quid in remp. moliti eſſent,deletum legimus. Antonij ornamenta deiecta,& deleta,dies ipſius natalis nefaſtus iudicatus & edicto cautum,ne quis ex ea familia Marci prænomen ferret. Dion Nicæus *libr.* 51. *Τήν τε ἡμέραν ἐν ᾗ ἐγεγέννητο, μιαρὰν ἐνόμισαν, καὶ τὸ τοῦ Μάρκου πρόσρημα ἀπεῖπον μηδενὶ τῶν συγγενῶν αὐτοῦ εἶναι*).Denique ſi fideicommiſſum familiæ relinquatur. *d.l.vltim.C.de verbor.ſignific.*

§ Qvinta, Seruorum familia: famulitas,Nonio interprete,ſeruitus.Familia quæ in eo fundo moratur. *l.27.prædia.de fund.inſtr.* Lex Fuſia Caninia,ne familia tota manumitteretur. Theophilus vertit, *πάντας τοὺς οἰκέτας*. Milo quæſtioni ſeruos erepturus, familiam manumiſit. Aſc.Pædianus in Milonian.*argum. l.12.proſpexit.qui a quib.manum.* T.Liuius *de Mutia Veſtali lib.*7. [Iuſſa eſt à ſacris abſtinere, & familiam non liberare.] Pro veritate extorquenda ,tota familia tum viri tum vxoris torquenda *l.3.l.32.in adultery.C.ad leg.Iul.de adult.*& cum dominum occiſum ſerui non defenderunt,vel necauerunt. *l.1.pr.ad Se.Syl.* Si familia furtum feciſſe dicatur,iniuriam, vel damnum dediſſe. *l.9.ſi familia.ꝫ.de iuriſd.l.32.illud.ad leg. Aquil.tot.tit.ſi fam.furt.fec.dic.*Familia,ſeruorum vnum corpus,& veluti grex quidam & quidam chorus. *l.5.de her.pet.l.31.cum quis.de dol.l.79.ſi chorus.de leg.3.* vrbana,ruſtica. *de leg.l.166.vrbana.ꝫ.h.t.*apud Catonem *de re ruſt.c.4.* [Familiam ne ſiueris peccare] *c.5.* [Litibus familia ſuperſedeat.] Idem quantum cibi, vini pulmentarij, veſtiarij familiæ dandum præcipit. *c.57.58. & 59.* Senec.*lib.6. epiſt.47.* [Ne illud quidem videtis, quam omnem inuidiam maiores noſtri dominis, omnem contumeliam ſeruis detraxerint , Dominum patremfamiliæ appellauerint : Seruos (quod in mimis adhuc durat) familiares.] Quod & Macrob.*lib.1.c.11.Saturn.*totidem verbis retulit. § Variè autem pro ſubiecti argumenti ratione diſtinguitur : ita vt interdum vniuerſa familia , tanquam vnius corporis vice fungatur:vt cohors ſeruorum publicè diſpoſitorum qui ædilibus,vel tribunis ad arcenda incendia,quoties opus eſſet,miniſtrarent, vel curatoribus aquarum apparerent. *l.1.de of.præf.vig.*Frontinus *lib.de aquaduct.poſteriore.*Vt familia publicanorum. *l.2.l.12.quanta.ꝫ.de publica.* Cicero *in ſuaſione legis Manilia:* [Cum publicani maximas familias,quas in ſalinis habent,quas in agris,quas in portibus.] Vlpianus in eo edicto,non omnes ſeruos,ſed eos demùm qui vectigalis exercendi cauſa haberentur,contineri ait.hic.Contrà verò in interdicto de hominibus coactis & vi bon. raptorum,in ædilium curulium edicto,denique in interdicto vnde vi : familiæ nomine,omnes ſerui continentur.hic.*l.2.§.familia.vi bon.rapt.l.25.Ædiles.§.familia.l.31.quod ſi nolit.§.idem Pedius.ꝫ.de ad.ed.*Quod non ſic accipiendum eſſe exiſtimo:quaſi non aliter dominus familiæ rapinam,vim,iniuriam facientis damnúmue inferentis nomine obligetur : quàm ſi omnes ad vnum deliquerint : Verius eſſe in interdicto vnde vi Vlp.ait, [etiam ſi vnus ſeruus vi deiecerit,familiam videri deieciſſe.*l.1.§.familia.ꝫ.de vi & vi arm.* Cum alioqui vnicus ſeruus familiam non faciat,ac ne duo quidem. *d.l.40. deteſtatio.ꝫ.h.t.* Familiæ tamen appellatione duos ſeruos contineri Paul. tradit, *lib.5.ſent.tit.7.* Nihil enim referre acutè Tullius *pro Cecinna* diſputat,vtrum à pluribus,an ab vno ſeruo deiiciar. Sed ſpecialiter in edicto Prætoris de furtis, vbi de familia publicanorum loquitur:domini unii totius familiæ noxali furti actione teuebatur:ſed eius tantùm corporis, & quaſi ſtationis nomine ſeruorum,quos nominatim vectigalibus & portoriis exigendis , præfecerint. In aliis verò partibus iuris, omnium ſeruorum noxam ac delictum præſtabunt, damni pœnæque ſolutione, vel noxæ deditione defungendo. *l.6. §.ſi decem.de re iud.tot.tit.ꝫ.C.& Inſt.de nox.act.* § Sed an vna pœna plurium ſeruorum delictum expiabitur , an ſicut ſi vnus homo liber furtum feciſſet , ſemel vnicam æſtimationem dominum dependere ſufficiat?In iniuria ſeu publica ſeu priuata numero ſeruorom creſcet pœna. *l.8.adeò.l.ſeq. ꝫ.de iuriſd. l.34.ſi plures. ꝫ.de iniur.* In furto vel damno, vnius pœnæ illatione dominum liberari æquius videtur. *l.1.ꝫ.ſi fam.fur.fec.dic.l.32.illud.ꝫ.ad leg.Aquil.* *Et filij continentur.* § Nec verò ij ſoli,qui in poteſtate,ſeruitioque ſont,ſed & liberi homines qui bona fide ſeruiunt, & mercenarij,vel alieni. *l.25.ædiles. §.familia.de æd.ed.l.1.§.ſi filiusfamilias.de vi & vi arm.*

§ Sexta, Familia,*ἐπὶ πατρός γένος*:gens.familiæ nobilium (*la race*) ſtirps generis:Vt Pompiliorum, Valeriorum, Corneliorum, & familiares, vt ſcribit Feſtus,qui eſſent ex eadem familia. Tuberonum familia,Plutarchus in Marcello.vt Iulia,hic.Corn.Tacit.*lib.1. Annal.*de Auguſti teſtamento , [Liuia in familiam Iuliam,noménque Auguſtæ adſumebatur. Dion Nicæus *ſub fin.lib.56. Τήν Λιουίαν,Ἰουλίαν τε τὴν καὶ Αὐγούσταν ἐπωνόμασεν*.

§ Mvlier occurrit obiectioni tacitæ, cum materfamilias in manum viri conuenit, capite minuitur:quamuis domina ſit,*οἰκοδέσποινα*:eiuſdem cuius & maritus, domicilij ciuitatis,dignitatis,fori eſſe cenſeatur. *l.8.fœmina.de ſenat.l.65.exigere.de iudic. l.pen.de iuriſd. l.vlt.ad munic.* Ipſa familiæ ſuæ caput eſt,& finis:& (vt mox ſequitur) ipſius liberi ab ea nati,in matris familia non ſunt. Quamuis Romuli lege,viri conſors. ſacrorúmque ſocia eſſet. Dionyſ.Halicarn.*lib.2. Γυναῖκα γαμετὴν κατὰ νόμους ἱεροὺς συνελθοῦσαν ἀνδρὶ κοινωνὸν ἁπάντων εἶναι χρημάτων τε καὶ ἱερῶν* (quaſi domina rerum mariti, diuinæ & humanæ domus ſocia. *l.1.rer.amot.l.1.de rit.nupt.l.4.C.de crim.expil.her.*) & paulò pòſt, *Σωφρονοῦσα δὲ καὶ πάντα τῷ γεγαμηκότι πειθομένη γυνὴ κυρία τοῦ οἴκου, τὸν αὐτὸν τρόπον ἦν, ὅνπερ καὶ ὁ ἀνήρ*. Eſt igitur caput & finis familiæ ſuæ:id neminem,vt paterfamilias, ipſa habet in poteſtate. Aliorſum ac prouerbiali genere,capue & finis , Nundinatio magiſtratuum dicitur , *Nouel.* 8. *Ἀργυρολογεῖν τὰς ἀρχὰς πάσης ἐστὶ πονηρίας προοίμιον καὶ πέρας*. D. Auguſtinus de ſalutaribus documentis , de diabolo : [Ipſe eſt,inquit, caput & finis mendacij.] id ex aſſe mendax,nihil niſi mendacium. Sixtus *in de Caſtitate,* [Nefandorum idolorum (inquit) cultura omnis mali cauſa eſt,initium & finis.

CXCVI. Caivs lib. xvj. ad Edictum prouinciale.

FAMILIÆ appellatione & ipſe princeps familiæ continetur.

§.j. Fœminarum liberos in familia earum non eſſe, palam eſt. Quia qui naſcuntur, patris non matris familiam ſequuntur.

Alciatvs.

FAMILIÆ. ¶ Cùm familia à famulando, id eſt, ſeruiendo deducatur, vt ſ. oſtendimus, non videbatur eius appellatione poſſe dominum contineri, tanquam etymologia repugnaret, & tamen aliter Caius hic cenſuit: quoniam nomina hæc collectiua, vel vniuerſitatem, non membris ſolùm, ſed & capite conſtant, ideo illud quoque comprendere debent. Sic appellatione militum, Imperator, *l.1.de teſt.mil.* appellatione populi, Senatus continebitur. *§.plebs.inſt.de iur.nat.* Qua ratione cùm curiam dicimus, etiam de cardinalibus. *Oldr.hic.* cùm monachos, de Abbate. *c.ſi.de ſim.* cùm capitulum, de Decano quoque intelligemus. *c.quia.§.1.de confeſ.* Sic & ſcholaſticorum nomine, rector admittetur. nam & epiſcopus, qui ſtudiorum cauſa in Academia ſit, nihilominus ſcholaſticus dicetur, idque Bald. tradit *in proœm.decr.*

Fœminarum. ¶ Hoc regulariter proditum eſt, vt filij legitimi patris familiam ſequantur, non matris, niſi ſpecialiter aliud indultum ſit, *l.1.ad mun.* vt Ilienſibus, Delphis, & Ponticis, quibus ea priuilegio competit, vt ea alienigenis & eorum mulieribus nati, matris originem ſequantur. Ea hácque regula traditum eſt, nobilis matris filium non idcirco nobilem eſſe: quoniam ex patre ſolùm deducitur nobilitas: vnde nec gentilitia matris inſignia filio gerere conceſſum eſt: nec præter principem quiſquam conſtituere poſſet, vt originem matris filij ſequerentur. *l.exemplo.C.de decur.* quoniam, ne id ab aliquo decernatur, lege expreſſim prohibitum eſt. Et id in legitima prole ſibi locum vendicat: alioquin ſpurij, cæteríque illegitimi ventrem ſequuntur. *l.cùm legitima.ſ.de ſtat.hom.* Sic & natus pendente ſtatus controuerſia cum matre, euentum litis maternæ ſequetur: quod in eis non ſeruatur, qui ante litem motam nati ſunt. *l.ſi.C.de lib.cau.*

Brechævs.

FAMILIÆ. ¶ Verbum familiæ, non complectitur ſolùm eos omneis, qui ſub domini patríſque familiâs poteſtate degunt, verùm etiam ipſum quoque dominum patrémque familiâs: quemadmodum Imperator & princeps exercitus de exercitu eſſe dicitur. Vide quæ de familiæ ſignificatione diſi *in l.detestatio.§.familia.ſ.h.t.*

Fœminarum. ¶ Quamuis matresfamiliâs fœminæ dicantur, ſicut viri patresfamiliâs, tamen cùm fœminæ liberos in poteſtate non habeant, caput familiæ eſſe non poſſunt. Propterea earundem liberi in familia ipſarum eſſe cenſeri non debent. Nam qui naſcuntur (ait Imp. *in §.at qui.Inſt.de leg.agnat.*) patris, non matris familiam ſequuntur. Et id quidem, cùm legitimæ ſunt nuptiæ, & ex iuſtis nuptiis procreati liberi, ſecundum Celſ. *in l.cùm legitima.ff.de ſtat.hom.* Patris igitur tantùm familiam, id eſt agnationem liberi ſequuntur, quatenus ad dignitatem, originem, priuilegium, & generis conditionem attinet, vt adnotauit Accurſ. *in d.l.cùm legitima.* Cæterùm quatenus ad originem tantùm attinet, vulgò quæſitus matrem ſequitur *l.1.in fi.et l.eius qui iuſtum.ff.ad mun. & de incol.* Eius (inquit Neratius) qui iuſtum patrem non habet, prima origo à matre: éxque eo die, quo editus eſt, numerari debet. Idem Vlp. *in l.lex naturæ. & tit.de ſtat.hom.* Itaque à fœminis neque nomen generis, neque conditionem, neque dignitatem, neque familiæ principium aut gentis, ſed ortus & natiuitatis rationem tantùm ducimus. A viris autem & patribus accipimus & gentem, & adgnationem, & quæ ſ. dicta ſunt, quaſi à fonte quodam memoriæ, id eſt propagatione nominis. Quod Vlpian. *cap.ſuperiori* voluit intelligi.

Fornerivs.

FAMILIÆ. ¶ Princeps familiæ, dominus, paterfamilias, δεσπότης. Nam quod regi ſummum in ſubditos, idem priuato in vxorem, liberos, ac ſeruos imperium eſt: & monarchiæ, œconomiam confert Ariſtot. vt Melibœus regna ſua, agellum. Fœminis autem id ius non conceditur, quæ nec familiam, nec liberos in poteſtate habent: cum ſubſint ipſę poteſtati alienę. *arg.l.21.euenit.ſ.ad leg.Iul.de adult.* Non ignota eſt muliebris tutela, ex M.Tul. *Topic.* T. Liuio *lib.4.decad.4.* A. Gel. *lib.5.c.13.* nec ſororis etymon, ex Antiſtio Labeone *lib.4.ad edictum.* quòd quaſi ſeorſim naſcatur, ſeparetúrque ab ea domo, in qua nata eſt, & in aliam familiam tranſgrediatur. Gel. *lib.13.c.10.* Anonymus ſcholiaſtes Rhetoric. Ariſt. ὅ τε νόμος λέγει, υἱὸς μηλίεος οὐχ ὑποκεῖται. Quo ex fonte ſeu capite iuris, cum pleraque alia, tum hæc Rom. inſtituta dimanarunt: Ne filiis [niſi quos ipſa heredes inſtituerit] tutores mater dare poſſit: datus tamen confirmetur. *l.4.ſ.de teſt.tut.l.4.ſ.de confirm.tut.* Nec in adoptionem dare, neque ſuſcipere. *l.5.C.de adopt.§.fœmina.eod.tit.* Inſt. Leonis *Nouel.26.* derogauit iuri veteri: de cuius ratione in Selectionum commentariis accuratè diſputabo. Præterea pater filium ex iure Quiritium vindicat, & ob eum ſurreptum furti agit. *l.1.de rei vindicatio.* mater minimè. *l.14.enim.§.ſi filius.l.38.mater.ſuprà,de furt.* Inæqualis ſcilicet parentum poteſtas: quamuis vtriſque pietas eadem debeatur. *l.4.ſ.de cur.fur.* Vnde ſuos heredes fœminas habere Paulus negat. *l.4.§.ad teſtamenta.de bon.poſſeſſio.contra tabul.* Inde & ante Sc. Orficianum, filij ceteri matri heredes erant, nec ei inteſtatæ ſuccedebant: vt non abs re Cic. ad Pomp. Attic. ſcribens, de Terentiæ teſtamento tantopere laboret: quæ niſi liberos inſtituiſſet, ea non ipſos, ſed agnatos heredes eſſet habitura. Sed hoc ius M. Ant. philoſopho

viſum eſt acerbiùs, vt ſcribit Niceph. *lib.3.eccl.hiſt.c.31.* & Greg. Naz. *in Matth.c.19.* ſicut Vuconiæ legis iniquitatem accuſauit D. Aug. *lib.3.c.21.de ciuit. Dei.*

CXCVII. Vlpianvs lib. xv. ad Edictum.

INDICASSE eſt detuliſſe: Arguiſſe, accuſaſſe, & conuiciſſe.

Alciatvs.

INDICASSE. ¶ Deferre reum, idem eſt, quod poſtulare *l.deferre.de iur.fiſc.* id eſt, coram iudice nocentem nominare, & vt cognitionem ſuſcipiat petere. Fiebat autem id libello, cui ſubſcribere neceſſe habebat, qui detuliſſet, vt ſi obtinuiſſet, præmiis adficeretur: & ſi ſuccubuiſſet, ex Turpiliano Senatuſconſulto puniretur. Hoc peracto diſputabatur, an ſuſcipienda cognitio eſſet, de indiciiſque cognoſcebatur: id erat arguere reum, id eſt, demonſtrare, & ex argumentis probare, ab eo commiſſum crimen. Quòd ſi ſubeſſe legitimas coniecturas iudex vidiſſet, vlteriùs procedendum eſſe interloquebatur *l.Senatus in fi.eo.tit.* ſicq́ue eius nomen, qui delatus erat, inter reos recipiebatur. *Bart.l.is qui reus.de pub.iud.* tum iudex oratores, aduocatóſue admittebat, qui vnà cum partibus continuis orationib. de cauſa diſputabant, túmque propriè accuſare dicebantur, & hinc Accuſator, inde reus eſſe. Si reus conuictus eſſet, præmium accuſatori decernebatur quarta pars bonorum rei, vt in crimine læſæ maieſtatis, Corn. Tacit. *lib.4.* autor eſt: Silio, inquit, condemnato, M. Lepidus quartam accuſatoribus, ſecundum neceſſitudinem legis, cætera liberis conceſſit. ¶ Igitur oſtendit Iuriſcóſultus indicare reum id ſignificare, cùm non ſolùm delatus, argutúſque reus, ſed & accuſatus conuictúſque eſſet. Quapropter cùm ei præmium debeatur, qui famoſi libelli auctorem indicauerit, vt conſtitutioni locus ſit, reum oportet eſſe conuictum. *l.lex Cor.in fine.de iniu.* Et quæ diximus ex ſtricta ſignificatione procedunt, nam latius quandoque ea verba accipiuntur: & arguiſſe quoque non videtur, niſi & qui conuicerit. Vnde cùm ex Senatuſconſulto libertas pro præmio ſeruo debeatur, qui cædem domini arguerit, arguiſſe intelligemus, qui oſtenderit, & damnari fecerit. *l.ſi quis in graui.§.ſi ex ſtip.ad Sil.* Sic & in quibuſdam conſtitutionibus reſponſum à prudentibus eſt, cùm pręmia his decernerentur, qui impieratis reos arguerent. *Alb.l.1.C.quib.ex cau.ſer.pro pra.* id enim verbum generaliter pro oſtendere demonſtraréque accipitur, vt in carmine Vergiliano, *Degeneres animos timor arguit.*

Brechævs.

INDICASSE. ¶ Hoc loco apparet Vlp. in commentariis, quos ad edictum Prætoris ſcripſit, interpretari velle verbum, indicare, & item verbum arguere: traditque indicare idem eſſe quod deferre, id eſt, accuſare. Cicer. *in Orat.pro Q. Ligario.* Nouum crimen C. Cæſar, & ante hunc diem inauditum, propinquus meus ad te Q. Tubero detulit Q. Ligarium in Aphrica fuiſſe, *&c.* Quintil. in tormentis pauper, diuitem detuli reum. Id Græci dicunt ἀποφέρειν δίκην, ἐπάγειν, χεῖρειν, quibus noſtrum deferre (ait Budæus *in Comm.ling.Grac.*) videtur reſpondere. Eſt igitur indicare accuſare, ἐκφέρειν, κατηγορεῖν. Vlp. *in l.lex Cornelia.ſub fin.ff.de iniur.& fam.lib.* Et ei (inquit) qui indicaſſet, ſiue liber, ſiue ſeruus ſit, pro modo ſubſtantiæ accuſatæ perſonæ, æſtimatione iudicis præmium conſtituitur, &c. Indicaſſet, id eſt, detuliſſet, ſeu accuſaſſet: quanquam & inter pleraſque alias ſignificationes, indicare, ſit æſtimare & precium rei venalis ſtatuere: quod Græci ἀξιοῦν, quod iuſtitoris eſt, & venditantis merces, vt Budæus eleganter adnotauit *in Com.ling.Grac.& in adnot.in Pandect.* Quo loco ſcribit indicare eſſe verbum vendentis, ſicut mercari, & liceri emptoris. Indicat igitur venditor, id eſt, τιμᾶται, quod vulgò dicunt, Qui bouem venalem habet, is precium imponit. Cic. *lib.3.Offic.* Scæuola Publij filius cùm poſtulaſſet, vt ſibi fundus, cuius emptor erat, indicaretur, idq́ue ita venditor feciſſet, dixit ſe pluris æſtimare. Vlp. *in l.Iulianus.§.quod autem diximus.ff.de act.empt.* Inter hunc igitur & eum qui ſcit, intereſt: quoniam qui ſcit, præmunere debuit furem eſſe: hic non debuit facilis eſſe ad temerariam indicationem. Quem locum non aſſecutus eſt Accurſ. huius vocis ſignificationis omnino neſcius. Indicationem autem dixit Vlp. pro æſtimatione & probatione, vt nos admonuit ipſe Budæus ex Plinij authoritate, *lib.22.c.14.* in quam etiam ſignificationem idem ipſe Plin. iudicaturam dixit. Hęc eſt, inquit, fiducia operis, hæc indicatura, id eſt, precium & æſtimatio operis, & quo maximè opus probatur & cenſetur. Idem Bud. *alio loco in l.teſtium.ff.de teſtib.* cenſuit iudicare, eſſe rem ſimpliciter enunciare: non figuratè aut ornatè dicere: & ita interpretatur locum quendam Quintil. *lib.2.* in hæc verba ſcribentis. Nam mihi aliam quandam videtur habere naturam ſermo vulgaris aliam viri eloquentis oratio. Cui ſi res indicare modò ſatis eſſet, nihil vltra verborum proprietatem laboraret.

Arguiſſe. ¶ Eſt arguere criminari, reprehendere, atq; etiam accuſare, à Græcis ἐνδεικνύναι, καὶ ἐλέγχειν, ἀποφέρειν, δίκην καὶ γράφειν, id eſt, deferre, vt ſ. diximus, ſeu accuſare: quas quidem omneis ſignificationes indicandi verbum habet. Ob id Vlp. dixit, indicaſſe reum, eſſe detuliſſe, arguiſſe, accuſaſſe, conuiciſſe. Quæ tamen ſingula verba non omnino eadem ſunt ſignificatione, vt ſ. commonſtrauimus. Arguere igitur hoc loci Vlp. pro accuſare & deferre poſuit: pro qua ſignificatione Cic. etiam vſus eſt. Is *in Orat.pro C.Rabirio perduellionis reo,* ſic ait: An non intelligis primum quos homines, & qualeis viros mortuos ſummi ſceleris arguas? Deinde, quos ex his qui viuunt, eodem crimine in ſummum capitis periculum arceſſas? Erant quippe delatores & nomina deferentes, qui à Græcis συκοφάνται χειρὰς ſeu accuſatores, cauſi & infames. Vnde Cicer. *lib.2.Offic.* Duri hominis, vel potiùs vix hominis videtur, periculum capitis inferre multis. Id cùm periculoſum ipſi, tum etiam ſordidum ad famam committere, vt accuſator nominere. Quod contigit M. Bruto ſummo genere nato, illius filio qui iuris ciuilis imprimis peritus fuit. Hi quoque quadruplatores dicebantur, & Sycophantes, id eſt, criminatores, qui delationibus faciendis confiſcationes à Principibus impetrant, vt homines interdum inſon-

teis

teis fortunis omnibus euertant: cuiuſmodi patrum noſtrorum memoria multi extiterunt, inquit Budæus ipſe, noſtra etiam nonnulli Sectores illi propriè appellari poſſunt. In quam rem video latiùs eundem Bud. *ad d.l.ſectium.* Quadruplatores tradit Aſc.Pæd. *i.diuinat.in Verrem*, fuiſſe delatores criminum publicorum, in qua re, quartam partem de proſcriptorum bonis, quos detulerant, conſequebantur. Alij, (inquit ipſe Aſc.) dicunt quadruplatores eſſe eorum reorum accuſatores, qui conuicti, quadrupli damnari ſoleant aut aleæ, aut pecuniæ grauioribus vſuris fœneratæ quam conſuetudine, aut eiuſmodi aliorum criminum. Apud Athenienſes olim, vt teſtatur Ariſt. annis ſingulis conſtituebantur ſorte Aduocati publici decem, qui *ὑπερσυνηγορεῖν*, id eſt, defendere poſſent delatos & poſtulatos criminis. Eius aduocationis merces, *συνηγορικὸν* dicebatur.

Fornerivs.

Indicasse. ¶ Non longiùs à ſuperiore familiæ definitione, traditæ hîc ab Vlpiano, Indicandi & Arguendi differentiæ diſſidet argumentum: de ſeruis qui patrisfa. necem non vlti ſunt, percuſſorémque domini non indicarint. Sed adulterata interpunctionis vitio lectio, minus obſcuritatis habuerit, ſi ita diſtinguatur, [Indicaſſe, eſt detuliſſe: Arguiſſe, accuſaſſe & conuiciſſe:] Græci hic, ΜΕΜΗΝΥΚΕΝΑΙ, καὶ τὸ προσηγγελκέναι: τὸ ἘΛΈΓΞΑΙ, τὸ κατηγορῆσαι, καὶ τὸ συνελέγξαι. Tantùm ſcilicet inter indicare & arguere intereſt quantùm inter deferre tantùm & accuſare pariterque conuincere, reúmque peragere ac damnare. Illud multò minus ac leuius & quaſi accuſationis initium: hoc verò grauius ac maius, extremum, & quaſi portus iudicij eſt. Vt dominorum ſaluti aduerſus ſeruorum extraneorúmque inſidias conſuleretur: ſenatui placuit, domino à familia perempto, de ſeruis qui ſub eodem tecto, vel obiectu corporis, vel clamore periclitanti opitulati non eſſent, quæſtionem, ad indicandum cædis auctorem haberi: neque priùs teſtamenti tabulas aperiri, neque hereditatem adiri impunè. *l.1.3.& 4.ad Se.Syl.l.3.& vlt.C.de iis,qua vt ind.* Seruo autem domini necem detegenti, pro præmio indicij libertatem, libero homini pecuniam dari. *d.l.3.§.ſi ex ſtipulatu.§.ſeq.l.antep.eod.tit.l.1.C.quib.ex cau.ſer.pro præm.lib.* Heredi verò vindictam inſuper habenti, tanquam indigno fiſcum hereditatem adimere. *l.antep.ꝫ.de iis qua vt ind.l.1.C.eod.* Itaque ſeruos hîc ab heredibus ſecernendos ac diſtinguendos arbitror: vt illos indicare tantùm, ac deferre domini percuſſorem, hos etiam vindicare oporteat: illi ni faciant, vltimo ſupplicio, hi hereditatis damno afficiantur. *d.l.3.§.verum.ver.indicaſſe vel arguiſſe.* Sic enim rectiùs, vulgò *vindicare*, vt *in l.18.deferre.§.ſi communem.de iur.fiſc.l.vlt.ꝫ.ad exhib.* pro *indicare*, perperam ſcriptum antehac eruditi viri monuere. In ſeruis igitur indicium in heredibus vindicta requiritur. Alioqui fiſco ereptum ab ingratis hereditatis commodum inſeretur. *l.pen.ver.non vindicauerint.ad Se.Syl.l.17.heredem.ver.vindictam ꝫ.de iis qua vt ind.* vltio cædis, vindicta, & inultæ cędis crimen identidem appellatur. *l.1.l.6.minoribus.l.7.ſi ideò.l.9.cum fratrem. ll.ſeqq.C.eod.tit.* Neque id immeritò: cum filij parentum, viri vxorum, heredes eorum, quibus ſucceſſerint, mortem vindicare negligendo, ignaui ac degeneris animi ſe condemnent. *l.20. & l.ſeq. ꝫ.de iis qua vt ind. l.50.ſi ſeruus. de leg.1.* Corn.Tacit. *lib.9.* [Flebunt Germanicum etiam ignoti: vindicabitis vos, ſi me potiùs, quàm fortunam meam fouebitis.] Hoc non ſolùm Romanis vſitatum fuit. Theodoret. de Prouidentia, legem ait eſſe naturæ. Theſſalorum ritum raptandi interfectorem à contribulibus & cognatis interempti, circa ipſius tumulum, ex Callimacho tradit ſcholiaſtes Homeri *Iliad. χ.* ὅτι πάτριον ἦν Θετταλοῖς τὸν φιλτάτου φονέα σύρειν περὶ τὸν τοῦ φονευθέντος τάφον. Accius Epigone, [Qui niſi genitorem vlto (id eſt interprete Nonio, vltus fuero) nullum meis det finem miſeriis.] Ammon. Monachus *lib.4.de geſtis Franc. c.28.* [Anno xiij. regnante Dagoberto, cuius filij, cum vltores potuiſſent fieri effuſi paterni ſanguinis, maluerunt viuere deſides, ac otioſi: quàm perurgendo armis homicidas, cruorem exigere interfecti. Iccirco in publico Francorum cõuentu, à quibuſdam proceribus, ſecundum leges Rom. quæ ſanciunt à paterna eos decedere hereditate debere, qui noluerint interfecti necem vindicare, omnibus paternis exſpoliati ſunt bonis, atque inanes relicti.] Excuſantur, ſi veneno ſublatus ſit, nec id cuius inſidiis paratum datúmque, exploratum eſt. & cum percuſſores ignorantur. vel non reperiuntur. *l.1.§.occiſorum.ad Se.Syl.d.l.7.ſi ideò.l.9.cum fratrem.C.de iis, qua vt ind.* ¶ Quid igitur, quoniam verba ſunt cum effectu accipienda, ſi quis detulerit indicarit, omniqué grati ac memoris heredis officio functus, reum arguerit & condemnarit, & ille appellarit? Perſequetúrne appellationem? aut contrà, ſi ipſe teſtium inopia laborans, criminis delati probationem non expleuerit, vltúſne videbitur necem, qui prioris litis contentus damno, victoriam aduerſario concedens appellare nolit? Sic conſtituendum eſt, cum pro ſententiæ veritate & æquitate præſumatur. *l.antep.de ſtat.hom.l.29.ſi fideiuſſor.§.in omnibus.ꝫ.mand.l.12.ſi patronus.1.§.ſi quis.de bo.lib.* heredi appellandi neceſſitas non imponatur. *l.21.propter.ad Se.Syl.* Si verò reus illatæ cædis condemnetur, idémque, ne defunctori heres officium impleſſe videatur, litem ad extremum perſequetur. *d.l.6.minoribus.* Obtinendi animo litem intulit, & vincendi voto. *l.pen.de lib.leg.l.11.in ratione.§.ſi ſeruus.ad leg.Falc.* ne partam priore iudicio victoriam, ſibi appellatione aduerſarij eripi ſinat, ſi colluſionis ſuſpicionem velit effugere, prouidebit. Quòd ferè pro ſententiæ æquitate præſumatur. *l.36.cum putarem.fam.erc.l.66.ſeruo.§.cum prætor.ad Se.Treb.l.pen.de iuſt.& iur.*

CXCVIII. Idem lib. ij. de omnibus tribunabus.

Vrbana prædia omnia ædificia accipimus, non ſolùm ea quæ ſunt in oppidis, ſed & ſi fortè ſtabula ſunt, vel alia meritoria in villis, & in vicis, vel ſi prætoria voluptati tantùm deſeruientia. Quia vrbanum prædium non locus facit, ſed materia. Proinde hortus quoque ſi qui ſunt in ædifi-

ciis

ciis conſtituti, dicendum ſit vrbanorum appellatione contineri. Planè ſi plurimùm horti in reditu ſunt, vinearij fortè, vel etiam olitorij, magis hæc non ſunt vrbana.

ALCIATVS.

VRBANA. ¶ Seruitutum aliæ ſunt vrbanæ, aliæ ruſticæ: quæ ſic oomen ſumunt, quòd prædio vrbano, vel ruſtico debeantur: obſeruamus enim non ſimpliciter ſeruitutem ipſam, ſed prædium cui deberur. *l. pecoris. & l. ſeq. de ſer. ruſt.* Vode quamuis via cenſeatur ruſtica ſeruitus, ſi tamen per fundum tuum eam mihi debeas, vt ad domum meam ire agere poſſim, verius eſt vrbanam ſeruitutem tunc eſſe, quoniam vrbano prædio debetur. Quæ autem ſint vrbana prædia, ſic explicat Iuriſc. vt ſint omnia ædificia habitandi cauſa facta, vbicunque ſint, ſiue io vrbe, ſiue extra vrbem, in vicis villíſue, & conciliabulis: vrbanum enim prædium materia, non locus facit.

Stabula. ¶ Diuerſotia, & quas tabernas vocamus, veteres ſtabula appellarunt. Sed & hæc vox pro ſeptis accipitor, quibus iumenta vel greges ſtabulantur. In priore ſignificatu hic capienda eſt, quod arguunt ſubſequentia verba: túmque certiſſimum eſt, vrbanum prædium ſtabulum eſſe. In poſteriore ſenſu videtur accepiſſe Neratius *in l. eo iure. ſuprà, in quib. cau. pign.* cùm numero vrbanorum non eſſe, quoniam à cæteris ædificiis ſeparata ſint, ſcripſit. Cùm enim non pro hominum habitatione, ſed pro pecorum, quæ in rei ruſticæ fructu ſunt, commoditate ſtructa fuerint, oaturam ruſticorum ſequuntur, tametſi ædificiis conſtent.

Meritoria. ¶ Mereri eſt mercede operam præſtare: vnde loca meritoria, quæ mercede locantur, fortè viatoribos, vel peregrioantibus. Hinc & meritoria ſcorta, meritoriæ rhedæ, & muli meritorij, idque genus ſimilia.

Pratoria. ¶ Prætorium domus imperatoria eſt, quòd quemcunqoe militum imperatorem, antiqui prætorem dicebant. *l. officium. in fi. ſ. de re mil.* Sic & principia, pro Principis tabernaculo accipiontur Vegetio. Cœpit tamen prętorij appellatio pro ornatiore domo accipi, in qua paterf. ruri habitat. Tripartito eoim villa diuiditur. Prima vrbana, quam dominus ipſe ad inhabitandum ſumit. *l. plenum. de vſu & hab.* ea & prætorium dicitur Palladio, Tranq. Papinio in Pollij Surrentino, & Iuriſconſultis. Altera ruſtica, quam villici operęque ruſticæ incolunt. *l. videamus. loc.* Tertia fructuaria, in quam fructus deuehuntur: vnde & à vehendo villa dicta autor Columella.

Materia. ¶ Quid ergo ſi quis tugurium, vel caſam ex ſtramentis ædificet? Et ſi pro vſu homiois ſit vrbanum eſſe prædium receptum eſt: quapropter in ea aliquis capi, & in ius duci, non magis poterit, quàm ex domo. *l. plerique. de in ius voc.* Si verò boum, pecorúmque habitationi præparata ſit, aliud eſt, niſi domui coniuncta vel proxima ſit: nam tunc vrbani ædificij pars cenſebitur. *Capol. c. 6. de ſer.*

Hortos. ¶ Cùm horti propter amœnitatem vrbani prædij, cui contigui ſunt, comparentur, æquum eſt vrbanis eis contineri: quod ſi plurimum in reditu ſint, id eſt, principaliter propter ruſticos reditus conſtituti, ſecus eſt. Quid enim ſi olitoribus locentur, vel vineas includunt? arguitur iode mens patrisfam. noo minus vtilitatis, vt fructus vendat, quàm amœnitatis cauſa, eos colentis.

Olitorij. ¶ Ab olere fit olitor, noo ab oliuis, vt Accurſ. exiſtimauit.

BRECHÆVS.

VRBANA. ¶ Marc. Varro tradidit prædium, à præſtando dictum, ea (vt credo) ratione, quòd bona & reditus quotannis præſtant: quemadmodum fundum dictum putat, quòd fundat quotannis multa, vt alibi admoouimus. Prædia, teſte Aſconio, ſunt domus & agri: res ipſæ. Quapropter rectè dicimus vrbanum & ruſticum prędium. Vrbanom dicitur, quod vrbium habitandarum gratia haberi ſolet: ruſticum, quod ruri conſtitutum eſt ſemper: vt pratum, ager, vnde fructus & reditus annui præſtaotur. Nam quodcunque ædificium ſeu ruri, ſeu in vrbe habitarionis cauſa tantùm conſtituitur, prædium vrbanum dicitur: quoniam in eum finem conditæ ſunt vrbes, vt inhabitarentur. At verò quæ in agris ædificia, non habitaodi hominis, ſed fructuum & redituum percipiendorum & conſeruandorum cauſa conſtruuntur, aut ſtabulandi pecoris, aut recipiendi coloni, ruſtica prædia appellantur. Quo fit, vt dixerit Vlpianus, vrbaoa prædia eſſe omnia ædificia, quæ non in oppidis & vrbibus fiunt tantùm, ſed & in vicis & villis ac pagis, vt ſtabula, vel alia meritoria: vel quæ voluptatis ergò domious fabricari curauit, vt prætoria. Nam noo locus, ſed materia ſumptuoſior, quàm qua conſuetum eſt vti in ruſticis ædificiis, vrbanum prædium facit.

Stabula. ¶ Dicitur ſtabulum à ſtando, quaſi ſtatio. Sic ea omnia loca in quæ recipiuntur peregrè proficiſcentes, de via feſſi, vt interim ſeſe quietè reficiant, ſtabula appellantur, i. hoſpitia & diuerſoria, τὰ καταλύματα, πανδοχεῖα: vt apud D. Lucam *c. 2.* διότι οὐκ ἦν αὐτοῖς τόπος ἐν τῷ καταλύματι. Eraſmus ſequutus vulgarem tralationem, vertit in diuerſorio. Aliâs ipſe D. Luc. *c. 10.* alibi dixit πανδοχεῖον, ἐπιβιβάσας δὲ αὐτὸν ἐπὶ τὸ ἴδιον κτῆνος, ἤγαγεν αὐτὸν εἰς πανδοχεῖον. Vulgaris tralatio habet, in ſtabulum: quod etiam vertit Eraſm. Dioerſorium. Nam Græca vox dicta eſt, inquit, quòd accipiat quoſlibet: quod Latini vocant, diuerſorium meritorium. Nec interpres dum ſcilicet πανδοχεῖον vertit ſtabulum, ſenſit de ſtabulo iumentorum, ſed de loco, in quo ſtatur. Vode & ſtabularij dicuntur, qui locum habent alicubi. Hæc ille Eraſm. Stabularij inde dicuntur hoſpites meritorij. Sic ab Vlp. Caupones ſtabularij pro eodem ſignificato accipiuntur. Apuleius, & Petrus Arbiter in Satyris, freqoenter pro hòſpitio & diuerſorio meritorio, ſtabulum vſurpant. Hioc factum eſt, vt locum quo greges atque armenta noctu circumcluduntur, ſtabulum generali vocabulo appellauerimus. Quandoquidem ſpeciatim Ouile dicimus, vbi oues ſtabulantur: Equile, vbi equi: Bubile, vbi boues: & Haram, vbi ſues. Columel. *lib. 1. rei ruſt. c. 6.*

Pecud

Pecudibus fient ſtabula,quę neque calore,neque frigore infeſtentur.Domitis armentis,duplicia bubilia ſint: hyberna atque æſtiua. Cæteris autem pecoribus quæ intra villam eſſe conuenit, ea parte tecta loca,ea parte ſub dio parietibus alti,circumſepta, vt illic per hyemē, hic per æſtatem ſine violentia ferarum conquieſcant. Sed omnia ſtabula ſic ordinentur, ne quis humor influere poſſit: & vt quiſque, qui ibi conceptus fuerit, quàm celerrimè dilabatur: vt nec fundamenta parietum corrumpantur, nec vngulæ pecudum. Varro *lib.1.cap.21.* Si prata ſunt in fundo,neque pecus dominus habet, danda opera, vt pabulo vendito, alienum pecus in ſuo fundo paſcat, & ſtabulet. Stabulari de feris etiam dicitur,id eſt,verſari & locum capere, Budæo teſte. Vnde ferarum luſtra, & ſtabulationes, id eſt,latibula,quibus ſolent ſe ſe condere & recipere interdiu,καὶ φωλεύειν,quæ & ſtabula quoque dicuntur. Virgilius *lib.1.Æneid.*

Itur in antiquam ſyluam,ſtabula alta ferarum.

Valerius Flaccus *lib.6.*

--Stabulis qualis leo ſaucis opimis.

Dixit etiam Varro ſtabulari,de auibus.Is *lib.3.cap.3.* ſic ſcribit.Contra,nunc auiaria ſunt nomine mutato,quòd vocantur Ornithones,quę palatum ſuaue domini parauit,vt tecta maiora habeant,quàm tum habebant totæ villæ, in quibus ſtabulentur Turdi ac Pauones,id eſt, tectæ & circumſeptæ ſeruentur.Noſtrates igitur ſatis aptè pro equili, *Eſtable*, ſermone vernaculo dixerunt: quod videntur à latino ſtabulo mutuati.Poteſt enim Stabulum dici equorum,ſicut aliorum animalium.Leo Bapt.Albertus *lib.9. rei ædificatoriæ.cap.9.* tradit apud Appianum Alex. ſcriptum eſſe, ſtabula fuiſſe Elephantorum trecenta apud Carthaginem,& ſtabula item equorum quadraginta.Caius *tit.nautæ,caup.ſtab. ff.l.5.* Nauta,inquit,& Caupo,& ſtabularius mercedem accipiunt,non pro cuſtodia:ſed nauta,vt traiiciat vectores: caupo, vt viatores in caupona manere patiatur.Stabularius, vt permittat apud eum iumenta ſtabulari:& tamen cuſtodiæ nomine ea locato tenentur. Stabulari dixit, id eſt, hoſpitari & in ſtabulo manere:vt rectè coniectauit Accur. Virgil.*lib.6.Æneid.*

Centauri in foribus ſtabulant,Scyllæq; biformes.

Stabulant pro ſtabulantur (vtrumque enim dicitur,) id eſt,hoſpitantur, καὶ καταγωγαί, & (vt Seruius interpretatur) habitant. Qua ratione dixit hoc loco Vlp.ſtabula, & ſi in villis extructa ſint, tamen vrbana eſſe ædificia,ſi modò habitandi gratiâ non ruſtictrium rerum habeantur. ¶Nam ædificia ab ædibus faciendis dicta videntur. Ædes autem (inquit Connanus) ſiue ab aditu,ſiue quòd edito loco poneretur,dicta ſit,ſignificat quicquid habitabile eſt. Vnde Deorum ædem vocarunt, quam ipſi Dij quaſi inhabitabant:Sic ædificia,quæ homines habitarent,ædes dixerũt.Ædificare autem,teſte Laurentio Vallenſi *lib.3.Eleg.lati.cap.7.* magis ad hominum domos ſpectat, quàm Deorum:nec ad domos tantùm,verumetiam ad naues.Ideo omnia ædificia, ſiue ea in oppidis & villis, vt ſtabula, vel prætoria,ſiue in vrbibus ſint,vrbana dicuntur: vt cubicula,triclinia, balneæ, cæteráque eiuſmodi, & quæ eaſdem habent vſus rationes.At quę fructibus ruſticis ſeruiunt,qualia ſunt,horrea,fœnilia,farraria, piſtrina, granaria, cæteráque quæ ad fructus ſeruandos magis quàm ad elegantiæ decorem poſſunt eſſe,ruſtica ædificia prędiaque dici debent.Præterea & cellam oleariam,torcularia,cellam vinariam, defrutoriam,apothecas,bubilia,ouilia,caprilia,ſtabula ruſtica dicimus.Nam etiam Stabula dicuntur ſepta rectáque,quibus armenta noctu concluduntur. Virgilius *lib.2.Georgic.*

-- Quid ſæpe videntes
Agricolæ propius ſtabulis armenta tenerent.

Sed hæc etiam (vt ſupra diximus) & equorum & iumentorum ſunt,quæ nomine proprio Equilia dicuntur. Vitruuius *lib.6.Architect.c.9.* Cùm enim iumenta proximè ignem ſtabulantur, horrida fiunt.

Prætoria. ¶ Columella *lib.1.rei ruſticæ,cap.6.* villam tripertitò diuidit: in vrbanam ſcilicet, ruſticam, & fructuariam. Vrbana quidem villa eſt,quam Vitruuius *lib.6.cap.8.* Pſeudourbanam videtur appellare,quòd ea inſtar ædificiorum vrbis,domos haberet,& vrbis domos veluti ementiretur.Nam ea villæ pars eſt, quam paterfamiliâs habitandam ſibi reſeruauit: quæ etiam prætorium dicitur Palladio *lib.1.cap.8.* Martiali, ſtatio,*lib.1.Syluar.* & *Iuriſconſ.* Neratio. *in l.2.ff.de ſeruit.ruſt.præd.* Ruſticorum, inquit, prædiorum ſeruitutes ſunt,licere altius tollere, & officere prædio vicini: vel cloacam habere licere per vicini domum,vel prætorium:vel protectum habere licere.De qua re quoque diximus *in commentariis noſtris ad ſtatuta ſeu conſuetud. Præfectura Turonen.ad titulum generalem in verb.* [*villæ.*] Quo loco ex Budęo annotauimus pretorium eſſe ædificium quod in villa dominus voluptatis ergò extruxit,vulgari noſtro idiomate appellatum, *Maiſon de plaiſance.* Cur autem ea villæ pars vocetur prætorium,nulli adhuc(vt cum Connano loquar)quod meminerim,tradiderunt: aut quia ipſi inuenire & excogitare non potuerunt: aut verò neglexerunt quærere tanquam indignum cognitu. Eius autem rei rationem ipſe Connanus adduxit,*lib.4.Commentariorum*,in hæc propemodum verba ſcribens.Prætor quidem(inquit)olim dicebatur omnis magiſtratus, quaſi qui præiret, vt in caſtris is quem vulgò Locum tenentem Regis vocamus, cui totus paret exercitus:& eius tabernaculum,prætorium: & porta qua exibat,prætoria nominabatur. Poſteà quum rerum ſumma vni ceſſit principi, eius domum,prætorium nuncuparunt, quod nos hoſpitium principis:& cohors prætoria,eorum militum ſcilicet,qui ſemper apparet principi.Itaque in vrbe, ſolius principis domus,Prætorium appellabatur:reliquorum ciuium domus, non item,ne vel hac vna re,principis dignitate participarent.At in villis ruſticis, in quibus ferè quiſque tantum habet dominium in ſuos, quantum princeps in ſuos ſubditos,Prætorium dixerunt,vbi ſcilicet quaſi Rex villæ & princeps,habitaret, certè is qui toti familiæ ſuæ ruſticæ præiret. Prætorium igitur hoc,vrbanum prædium eſt,quia voluptati,habitationique domini deſeruit ſolùm,non etiam villaricæ familiæ,aut cætero omni ruſtico inſtrumento. Quod ſi etiam hic quoque ſit opportunum,quod eius vſum dominus colono ſuo,& ruſticis ipſis communicatum

nicatum voluit, erit tum ruſticum prædium, quia ruſtici reditus cauſa habetur.

Hortos. ¶ Qui etiam horti, voluptatis deliciarumque gratia iuxta prætoria domóſque vrbana parati ſunt, vrbanorum prædiorum numero habentur. Quocirca, Seruius, [Ne altius tollas,] ædeis tuas, ne luminibus meis officias, quia vrbana eſt, debetur illis hortis, vt quia ſit tanquam alicuius vrbani habitatoris, & ad ædium commodum tantùm, non ad fructuum ac redituum conſeruandorum rationem pertineat. Si verò horti olitorij ſunt, & olitoribus locati, qui inde prouentum vberem domino præſtent quotannis, inter ruſtica prædia collocandi erunt. Sunt autem Olera, a quibus & Olitores, & Olitorij horti dicti, herbæ fructúſque in agris ſati, & nati, qui vſui cibario hominibus eſſe ſolent, vt Braſſicæ, Bliti, Iutubum, Apbaca, Andryala, Porcellia, Senecio, & quæ traduntur à Theophraſto *lib.7.de hiſt.plant.c.7.* Oleta ab olla dicta tradit Marc. Varro, quòd cruda in olla coquantur: alioqui ab alendo nonnulli exiſtimant.

Fornerivs.

Vrbana. ¶ Loci non qualitate, ſed vſu, ac patrisfam. inſtituto prædium ruſticum ab vrbano ſeparatur. Id verò ne quia temerè iuris auctores definiſſe arbitretur: nonnulla eius notæ effecta proferemus. In primis quòd & de familia vrbana ſuperiùs oſtenditur. *l.166 vrbana.h.t.* Deinde in ſeruitutum diſtinctione. *l.1.de ſer.vrb.præd.l.1.& 2.de ſer.ruſt.præd.* Tertiò in taciti pignoris iure, quòd aliter in vrbanis habitationibus, ac ruſticis contrahitur, in illis tacitè, in his de ſcientia ſeu conuentione coloni: quia in agris fructuum obligatione domino conſulitur ſatis, in ædib. vrbanis non æquè: Niſi inuecta & illata tacito pignore teneantur. *l.4.ff.de pact.§.item Seruiana.de act.l.4.l.6.licet.l.ſeq.ff.in quib.cau.pign.vel hyp.tac.contr.l.5.C.de loc.et cond.* Quartò in conductionis quoque renouandæ tempore, hoc diſcrimen attenditur. Nam ſi exacto locationis tempore, conductor in fundo permanſerit: tacito conſenſu eadem locatio vnà cum pignoris vinculo renouatur. In prædiis verò vrbanis alio iure vtimur, vt prout quiſque habitauerit, ita & obligetur, niſi certum tempus conductionis lege comprehendatur. *l.13.item quæritur.§.vlt.l.ſeq.ff.loc.l.16.legem.C.eod.* Quintò quòd in rerum pupillarium alienatione, alia ædium vrbanarum, ac fundorum ratio habeatur. *l.22.lex quæ.C.de adm.tut.* Melior agri quàm vrbanarum ædium, conditio etiam ex eo perſpicitur, quòd Moſaicæ legis ſanctione, qui intra muros domum vendidiſſet, habebat ius redimendi intra annum: in villa anno Iubileo domus ad dominum reuertebatur. Hych. *in Leuitic.lib.7.c.25.* Sextò, interdictum de migrando, inquilino qui ſoluta penſione alio migrare velit, proponitur: colono verò non competit. *l.1.ff.de migr.* Septimò in vſucapione mobilium diuerſa tempora Plato conſtituit: Vt qui in vrbe palam, nec interpellatus annum poſſideat, dominus rei fiat: in agris verò quinquennio. Si domi in vrbe (ἐν ἄστει) triennio: ſi ruri (κατ' ἀγρὸν) domi & clam, triennio, compleatur vſucapio. Octauò in penu ruſtica vel vrbana. *l.4.de penu le.* Nonò in contractibus ac teſtamentis hoc etiam diſcrimen obſeruatur: in vicis ac pagis, propter hominum ſolitudinem, pauciores: in vrbibus plures teſtes adhibentur. *l.vlt.C.de teſtam. Nouel.73.* Scilicet quoties de leuioribus agitur, pauciores teſtes ſufficiunt. Plato *lib.12.de legib.* Harmenopul. *de conſuetud.lib.1.tit.1.* Ripuariarum legum *tit.61.& 62.* Poſtremò neſcio quid de ædium vrbanarum habitatione, prædiiſque ruſticis ex ſecundo prætoria decreto poſſidendis, & dominio capiendo, diuerſum reſpondere videtur Vlp. *l.15.ſi finita.§.ſi de vectigalibus.de dam.inf.* ab eo quod in eandem rem Paulus tractat, *l.12.ſi ſponſus.de public.in rem act.* Verùm ne longiùs ſermonem proferam, diſſidium eiuſmodi, quod aliàs placare inſtitui, in præſentiarum omittatur. ¶ Non abs re igitur iuris auctores de prædiorum conditione ac differentia diſſerendo, ipſa non tam loco (quamuis rectè alioqui vrbanum ab vrbe, rure ruſticum denominetur. *l.2.de ſer.ruſt.præd.*) quàm materia, qualitate vſúque cenſuerunt. *l.16.ſi prædium.C.de præd.& al.reb.min.* ea ſolùm quæ in vrbe, vel continentibus oppido ædificiis, ſed & ſtabula meritoria, prætoria voluptati tantùm parata: quamuis in villis ruſticis, ac vicis, exædificata: hortos etiam amœnitati, non fructui ſeruientes in prædiis vrbanis numerarunt. hic. *d.l.4.in quib.cau.pig.vel hyp.tac.contr.d.l.22.lex quæ.C.de adm.tut.* *Stabula* ϛαθμοί. *meritoria.* ¶ non in quibus meretrices ſtabulantur: ſed vt hic Græci vertunt, ἐργαστήρια ἐν ταῖς χώραις καὶ ἐν ταῖς κώμαις. Paul. Oroſ. *lib.8.c.20.* & ab eo Paul. Diaconus totidem verbis, [Auguſti Cæſaris temporibus fons olei largiſſimus de taberna meritoria, per totum diem fluxit.] *l.5.§.domum.ff.de iniur.l.13.ſi cuius.vulg.l.aquiſſimum.ff.de vſufr.*

Prætoria volupt. ¶ non quod alias, domos prætoris, aut magiſtratus, aut tabernaculum in caſtris. *l.pen.C.de of.rect.prouin.* Veget. *lib.1.c.23.* Sed ruri ſplendidiores & vrbanarum extructionum æmulæ domus: ἐπαύλια τῆς τρυφῆς μόνον ἕνεκα [illegible] *maiſon de plaiſance.* *l.12.plenum. de vſu & hab.l.2.de ſer.ruſt.præd.l.91.prædus.§.1.de leg.3.l.34.Titia.§.Caius.de leg.2.* [Ad lapidem Torquatus habet prætoria quattuor.] *l.13.iniuriarum.§.ſi quem.de iniur.* quod pertinet ad Leonis *Nouel.56.* Huiuſmodi autem ædificia in quibus plus nitoris, elegantiæ, quam vſus ineſt, Victruuius compoſito nomine pſeudourbana nominat *lib.6.c.8.* Proinde horti quoque, ſi qui in ædificiis eiuſmodi conſtituti, ad geſtationis fortè deambulationiſque amœnitatem, magis quàm ruſticæ vtilitatis rationem habeantur, vrbanis adſcribentur. Cum itaque pars villæ, vna vrbana, altera ruſtica, tertia fructuaria Columellæ dicatur, *lib.1.c.6.* ſi vt plurimùm horti in reditu ſint, vinearij vel olitorij, (id eſt vitibus & oleribus, non oleis conſiti. ἀμπελικοὶ, ἢ λαχανικοὶ) vrbani non erunt, ſed ruſtici. Nimirum quæque res à principe cauſa nomen trahit. Plato Cratylo: vt cum Hermaphroditum ſexus vtriuſque participem, ab altero, qui dominatur, ac præualet, æſtimamus. *l.10.quæritur.de ſtat.hom.*

CXCIX. Idem lib. viij. de omnibus tribunalibus.

Absentem accipere debemus eum, qui non eſt eo loci, in quo loco petitur. Non enim trans mare abſentem deſideramus. Et ſi fortè extra conti-

nentia vrbis ſit, abeſt. Cæterùm vſque ad continentia, non abeſſe videbitur, ſi non latitet.

§. j. Abeſſe non videtur, qui ab hoſtibus captus eſt, ſed qui à latronibus detinetur.

ALCIATVS.

ABSENTEM. ¶ Abeſſe quis, dicitur variis modis. ſunt enim qui ea cauſa neceſſaria probabilíque abſunt, vt milites. *l. ſi. de reſt. in int.* qui ea probabili tantùm, vt qui ſtudiorum cauſa peregrè agũt: qui neceſſariò tantum, vt relegati: ſunt & qui ſponte vt mercatores. Accipitur autem abſentia variis modis, vt ſ. à nobis annotatum eſt. Hoc verò in reſponſo ia traditur abeſſe, qui extra vrbis continentia eſt. Quapropter cum lex velit in iudiciis ordinariis, *§. ſi verò etiam. in auth. de exhib. reis.* ſub ipſum cauſæ initium reum coram & in faciem, niſi abſens ſit, citari, non valebit citatio ad domum facta, niſi proponatur & probetur reum extra continentia vrbis fuiſſe. *l. Fulcinius. §. illud. ex qui. cauſ. in poſ.* vel niſi latitet, vt hic dicitur: poſtquam verò ſemel in iudicium venerit, ſufficiet ſi denunꝰierut domum. *l. & poſt. de iudic.* Sed & in cauſis, quæ celeritatem requirunt, vt quia periculoſa ſit mora. *cap. cauſam. de dol.* ſatis erit etiam a principio libellum vocationis domum deferre. *l. 4. §. abeſſe. de dam. inf.* dicerúrque tunc abeſſe. qui in iure non eſt. ¶ Quod autem hic ſubiicitur, abeſſe non videri, qui ab hoſtibus captus eſt, eam habet ea veterum interpretum ſententia rationem, *l. mulieris. ſ. eod.* quia capti ab hoſtibus pro mortuis habentur: in quo ipſe dubito, quoniam etiam. qui mortui ſunt, abeſſe dicuntur. Verius igitur eſt abſentem ſecundum ſubiectam materiam accipi: & cùm hic reſpectu petitionis loquamur, non poterit captus ab hoſtibus, neque tanquam abſens vocari, citatione in domum ſuam delata, ſed eius ſucceſſor vocandus erit. In capto verò à latronibus aliud eſt, licet ei propter iuſtam cauſam prætor ſuccurrat. *l. ſuccurritur. ſ. ex quib. cau. maior.*

BRECHÆVS.

ABSENTEM. ¶ Multùm ſanè refert quis abſens ſit, an verò præſens, tum in obeundis iudiciis, tum etiam in tractandis negotiis, præterea & in poſſeſſionibus rerum perdendis aut acquirendis vſucapione vſurpationéue, vt aduerſus ea reſtitutio concedatur. Quot modis autem abſens quis dicatur, tradidit Accurſ. *in l. præſens. ff. de procur. & in l. fin. vee. appellare. ff. de reſt. in int. min.* Quo loco quinque abſentiarum genera enumerat atque recenſet. Et Iaſon *in §. rurſus. Inſt. de act.* Ecce enim qui Reipub. cauſa abſunt, cæteróſque omneis, qui eadem in cauſa habentur, videlicet, qui iuſta & probabili ac neceſſaria cauſa abſunt, & ſi per procuratores ſuos defenſi ſunt, hactenus per in integrum reſtitutionem iuuari oportere, vt appellare quidem his liceat, Macer cenſuit *in l. inter minores. §. eis verò. d. tit. de reſtit. in integr.* Reipublicæ autem cauſa abeſſe eos ſolos intelligit Vlp. *in l. Respubl. ff. quib. ex cau. maio.* qui non ſui commodi cauſa, ſed qui coacti abſunt. Nam quod alterius grandis commodi capiandi gratia id egerit aliquis vt Reipublicæ cauſa abeſſe diceretur, Calliſtratus negauit reſtitutionis priuilegium ei concedi oportere. Item qui data opera etiam ſine lucro hoc adfectauerit, vel qui maturius profectus eſt, vel litis aut vitandæ (vt Accurſ. viſum eſt) aut etiam meundæ gratia, cœpit reipub. cauſa abeſſe. Quod Calliſtr. *in l. item hi.* & Vlp. *in l. & qui data.* & Alphenus *in l. non verè. d. tit. ex quib. cau. maio.* cenſuerunt. Itaque oportet dolum malum procul eſſe, vt cenſeri poſſit iuſta aliqua atque probabilis cauſa abſentiæ, quæ prodeſſe debeat abſenti. Ecce enim, ſi quis in caſtris militat ea tantùm gratia, vt reipublicæ cauſa abeſſe videatur, hócque prætextu, militiæ priuilegium vſurpare contendat, audiendus non eſt: quamuis Vlp. ſenſerit milites planè qui Romæ militant, pro Reipublicæ cauſa abſentibus haberi: tamen quibus à ſignis ſine periculo, & iniuſſu Imperatoris de ſtatione licet diſcedere, Reipub. cauſa abeſſe minimè intelliguntur. *l. pen. d. tit. ex quib. cau. maio.* Sed & eum qui reipublicæ cauſa abeſt, ſi aliqua in re læſus eſt, in qua damnum quoque paſſurus erat ſi reipub. cauſa non abfuiſſet, minimè reſtituendum Paulus reſpondit *in l. ei qui. d. tit.* Hæc enim Reipub. cauſa, eatenus excuſat, quatenus omnino ad publicam non ad priuatam vtilitatem ſpectat. ¶ Hæc itaque in re diſtingui oportet. Aut enim qui abſunt, probabili & neceſſaria cauſa abſunt, vt milites, & qui ob morbi vehementiam adeſſe non poſſunt. *l. ſed & ſi per Prætorem. d. tit. ex quib. cau. l. quæſitum. & l. contumacia. §. pœnam. ff. de re iud. Bar. in d. l. vlt.* Aut ex probabili tantum cauſa abſunt, vbi qui ad capiendum ingenij cultum procul conceſſerunt. *arg. l. aduocatos. C. de aduoc. diuer. iud. l. necnon. d. tit. ex quib. cau.* & ibid. Bald. *in l. Seia. §. Pamphila.* & Bart. *in eundem locum. ff. de fun. inſtr. & inſt. leg.* tametſi hi rectè poſſint dici ex neceſſaria & probabili cauſa ſimul, quemadmodum & milites abeſſe. Eſt namque militiæ quædam ſpecies ac veluti ſimulachrum, ſtudium & profeſſio literarum bonarúmque diſciplinarum: tum etiam aduocationis forenſis munus. Qua ratione non immerito Aduocati officium nobile dixerunt Impp. *in l. prouidendum. C. de postul.* & iuriſperitis, in conſilium Principum aſſumptis, quoniam circa latus eorum agunt, honorem deferri oportere, Papinianus reſpondit *in l. iuriſperitos. ff. de excu. tut.* Alij ex neceſſaria tantùm cauſa abſunt, vt deportati. Præterea & qui teſtimonij cauſa ſunt euocati ea qualibet prouincia, vel in vrbem, vel ad principem: ſimiliter & qui cognitionis gratia, vel appellationis peregrinati ſunt. Et generatim quotienſcunque quis ex neceſſitate, non ea voluntate abfuit. *d. l. ſed & ſi per Prætorem. §. ſi.* Ille ſiquidem, cùm vel iudicio abfuiſſet, damnari non poterit: quinimò nullo eundem negotio reſtituendum iura paſſim conclamant, & iuſtam legitimámque abſentiæ cauſam poſſe omnino prætexere. Quippe traditum eſt à T. Liuio *lib. 3. decad. 5.* conſularem virum abſentem indicta cauſa damnari iniurium eſſe, cùm is reipublicæ cauſa abeſſet. At qui ſponte & ea cauſa voluntaria abſunt, cuiuſmodi ſunt mercatores ac reliqui id genus homines, qui mercium

conquirendarum & commerciorum gratia, velut ἄοικοι, perpetuò ſuis ſedibus vagantur, his reſtitutionis beneficium non competit. Hæc itaque habenda erit ratio abſentiæ in reſtituendis abſentibus aduerſus præſentium iniuriam improbè captantium abſentiam probabilem & legitimam, vt ſi vel legitima & probabili tantùm, vel probabili & neceſſaria ſimul, vel neceſſaria tantum quis abſens fuerit, is rectè reſtituatur: quod plane ab Accurſ. & Bart. *in d.l.vlt.ff.de reſt.in int.* traditum eſt. At verò in præſente qui aduerſus abſentem reſtitutionem in integrum poſtulat, ratio & cauſa huiuſmodi minime conſiderari debet, ſed quæri oportet tantùm num is qui præſens fuit, vſurpationem intercipere ac interrumpere præſcriptionem per alterius abſentiam potuerit: nam alioqui inter præſentes, aduerſus vſurpationem reſciſſoria ne quicquam deſideratur. *l.ab hoſtibus.§.ſi damni.d.titul.ex quib.cau.* cum alienare videatur is qui patitur vſucapi. *l.alienationis verbum.* ī *hoc tit.* Habetur item ratio eius, qui quamuis præſens eſſet, non habuit tamen quem poſſet conuenire ob abſentiam. Sic igitur cùm eiuſmodi abſens copiam ſui non feciſſet, nihil refert, ex qua cauſa abfuerit, quin aduerſus eum reſtituatur præſens, vt teſtantur Iaſ. Ang. & Nicol. de Neap *in d.§.rurſus.Inſt.de act.* cuius quidem rei eam rationem ipſe Iaſon profert, quod ſi reſciſſoria rectè concedatur aduerſus eum, qui ex iuſta cauſa abfuit, *vt d.§.rurſus.* quantò magis dabitur aduerſus eum, qui ex cauſa non iuſta abſens fuerit? Quare ſi lateret quis, ne vel poſſit conueniri, vel vt actionem protrahat in tempus diuturnum quo pereat aduerſario, nihil ſanè profuerit huiuſcemodi fraudulenta abſentia, vt conſtitutum eſt *in l.cùm proponas. C.de bon.aut.iud.poſ.* De qua te videto Spec. *tit.de primo & ſecundo decr. §.nunc dicamus. ver.aliud autem. vſque ad ſeq.§.* Quid autem ſi pupillus curatorem habens tamdiu abfuerit, vt in eadem abſentia progreſſu ætatis tandem maior vigintiquinque annis factus ſit, an tutoris ſeu curatoris munus deſinat, & cogi ac compelli poſſit ipſe curator, qui bona pupilli reſtituat matri, aut fratri? Et Nic. Boer. *deciſ.*88. compellendum affirmat: maximè ſi longa diuturnáque abſentia fuerit abſens, quæ quidem morti adæquari ſolet. Quod videtur ſentire Innoc. *in c.ad abolendam.extr.de heret.* Vnde mortem pro iuſta & neceſſaria abſentia haberi, Bartol. & Bald. tradiderunt *in l.ea quæ. ſub fin. C.de temp.in integr. reſtit.pet.* Vide quæ de abſentia ſcripſimus *in Commen.noſtris ad Conſuetud.Turonenſ.præfectura, Tit. Comment Hommage ſe doit offrir à ſon ſeigneur. artic.* 2. ¶ Cæterùm præſentem eum haberi, & qui in hortis ſit, & qui in vrbe, & qui in foro, & qui in continentibus ædificiis, Vlpianus & Paulus tradiderunt *in l. præſens. & l. ſequent. ff. de procuratoribus.* Vnde præſentem hodie dicere poſſumus qui, & ſi in ciuitate Turonum minime moeniatur, in qua habitat, tamen in aliquam Comopolem Turonenſis præfecturæ conceſſerit. Non enim abeſſe cenſetur qui in ſua prouincia, in qua requirendus eſt, agit.

FORNERIVS.

ABSENTEM. ¶ Variæ res abeſſe dicuntur, ac perſonæ. *l.13.mulier.l.173.collegarum.ſuprà,hoc titul.* Abeſt quis animo, quamuis corpore adſit. *l.209.coram.* ī *h.tit. l.27.diem. §.coram. ſuprà,de recept. arbitr.* In vſucapionibus abſentes, qui non ſunt in eadem prouincia, in qua res aliena poſſidetur: præſentes, qui in ea habitant, definiuntur. *l.vltim.C.de præſcription.long.temp.* In ſtipulationibus, abeſt, qui interrogatus verba non exaudit *l.1.de verborum obligation.* Inde quæſtio *l.penult.C.de contrab. & committen.ſtipulation.§.item verborum.de inutil.ſtipulat.l.vlt.de verb.obligation.* In iudiciis, anteſtationibus, denunciationibus, abeſt, qui in iure vel domi non eſt. *l.4.de d.amn.infect.* Cum procurator & abſens dari poſſit, dum ratum habeat mandatum: procurator præſenti eſſe videtur, qui in hortis, qui in foro, qui in vrbe, & in continentibus ædificiis eſt. *l.1.ſi.l.2.l.5.ll.ſeqq.ſuprà,de procurat.* Legis Iuliæ de adulteriis capite ſeptimo ita cauetur, NE QVIS INTER REOS REFERAT EVM, QVI TVM SINE DETRECTATIONE REIP. CAVSA ABERIT. [Neque enim æquum viſum eſt (inquit Vlpian.) abſentem reipub. cauſa inter reos referri, dum reipub. operatur.] *l.15.ſi maritus. ad legem Iuliam,de adulteriis.* Beneficio legis Memmiæ, quæ eorum, qui reipub. cauſa abeſſent, nomina recipi vetebat. Val. Maxim. *libr.3. capit.* 7. de fiducia ſui. Sed & marito reipub. cauſa abſenti non currunt tempora ad adulterum vxoris accuſandum conſtituta. Nec vxor abſens accuſatur. *l.15.ſi quondam. l.21.ob commiſſum.C.ad legem Iuliam, de adulteriis.* In iudiciis vtriuſque litigantium præſentia deſideratur. *l.62.inter.de iudic.* abeſſe dicitur, qui ad tribunal non acceſſit. *l.51.non tantùm.de fideic.lib.tit.C.quom.& quand.iud.* Nam abſentem nec monitum & inauditum damnare periniquum eſt. Ouid.

Cur reus infœlix abſens agor: & mea cum ſit
Optima, non vllo cauſa tuente perit?

Lite enim vtrinque diſceptata, & cognita, iudex veriùs certiúſque de controuerſia ſtatuet. *l.47.de vnoquoque.de re iud.* Nam vt ſeruulus apud Comicum:

An quiſquam iudex eſt, qui poſſit noſcere
Tua iuſta; vbi tute verbum non reſpondeas.

Quamobrem abſentem in criminibus maximè, damnari non oportet, niſi per contumaciam pronunciatur abeſſe. *l.5.de pœn.* Abſoluitur quidem abſens, præſentémque aduerſarium interdum vincit. *l.11. properandum.§.ſin autem reus.C.de iudic.* Nec eò minus, ſi bonam cauſam habeat, ſecundum eum pronunciabitur *l.19.quamuis.C.ad leg.Iul.de adult.l.73.& poſt.* ī *de iudic.l.27.diem.ſi.* ī *de lib.caus.Nouel.*125. *de appellat.* *Non eſt eo loci.* ¶ hoc generale eſt: ὁ μὴ παρὼν ὕβριν ἀπαλείψαι. Quæ ſequuntur, de tutore, eoque qui ab hoſtibus captus eſt, ſingularia. Nam quod ad prius attinet, Prætor tutorem, qui ſit eiuſdem prouinciæ, vel ibidem domicilium habeat, tam abſentem quàm præſentem: & tam præſenti, quam abſenti dare poteſt: nec tamen ignoranti & inuito. *l.1.l.5.l.ſeq.de tutorib.& curatorib.dat.ab his.*

Cæterùm ſi tutor petitus fuerit habenti,ſed abſente eo,quaſi non habenti datus, datio nulla eſt:nec ſi tutor afuerit,curator dabitur *l.10.Tutor.l.ſeq.eod.tit.* id eſt extra vrbis continentia: Καὶ ὁ μὴ [illegible] τῷ [illegible]. Niſi valetudine impediatur:vel ſi præſens quod negotij cootraheretur,ignorarit. *l.10.tutor.l.14.non multum.de auct.tut.* Sed & qui extra continentia vrbis eſt, ita demùm pro abſente habebitur *d.l.173.collegarum.ꝫ.h.tit.* ſi vt hic excipitur,non latitet. Qui enim de induſtria latitant, fruſtrationis pœnis afficiuntur. *l.42.licet ſi.de procur.l.3.de iudic.l.3.eat.* Quod ad poſterius attinet, ab hoſtibus ac latronibus capti abſunt. Nam & mortuis conferuntur : captiuitas ciuilis quidam interitus. *§.ſeruitus.§.ſeq.de iur.perſ.l.antep.ꝫ.tit.ſeq.* Mortui autem abſunt *l.13.mulieris.ꝫ.h.t.* Nec verò eos audio, qui diſcrimen hic inter hoſtes ac latrones conſtituendo, captum ab hoſtibus abſentis loco habendum negant: Apertis edicti prætorij verbis refelluntur : [Abeſſet,inve vinculis,ſeruitute, hoſtiúmve poteſtate eſſet.] *l.1.ꝫ.quib.ex cauſ.maior.* Et quod de eo qui à latronibus, aut prædonibus, vel potentiore vi oppreſſus vinculis detinetur, Caliſtratus, idem ipſe & de eo qui in hoſtium poteſtate eſſet,reſpondit : æquè vtrique ſuccurrendum *l.9.ſuccurritur.l.14.item et.ꝫ.eod.tit.* Nec ad rem pertinet, quod Vlpiani definitione contrarium adſtrui videatur: quæ particulæ ſuppreſſæ adiectione, hoc modo ſupplenda eſt : [Abeſſe non videtur,qui ab hoſtibus (tantùm) captus eſt : ſed (etiam) qui à latronibus detinetur.] Vterque enim inuitus,ac neceſſitate impeditus abeſt *l.15.ab hoſtibus.quib.ex cauſ.mai.* Hæc cum ita ſint,nec cuiquam ſuſcepta reip.cauſa abſentia damnoſa eſſe debeat *l.183.abſentia.ꝫ.tit.ſeq.l.29.videlicet.ꝫ.quib.ex cauſ.maior.l.vlt.C.eod.* Cur Gordianus aduerſus eos qui reip.cauſa abfuerint (niſi legitimè arbitrio boni viri defendantur) miſſionem ea primo decreto pollicetur? *l.4.C.de reſtit.milit.* Nempe quòd non adeò damnoſa ex eiuſmodi decreto bonorum poſſeſſio ſit abſentibus futura:cum venditio in eorum reditum differatur *d.l.4.* hoc idem, quamuis reip.cauſa non abeſſent, damnum nihilominus paſſuri erant:ſi procuratorem,à quo defenderentur reliquiſſent:reſtitutionem in integrum fruſtrà poſtularent. *l.39.si quis.ꝫ.quib.ex cauſ.maior.* nec prætor ſoleat iis incommodis, quæ cuique per abſentiam modò contigerint,ſuccurrere.

CC. IVLIANVS lib. ij. Digeſtorum.

HÆc ſtipulatio [noxis ſolutum præſtari?] non exiſtimatur ad eas noxas pertinere,quę publicam exercitionem,& coërcitioné capitalem habent.

ALCIATVS.

HÆC STIPVLATIO. ¶ Licet noxæ appellatione omne delictum contineri verum ſit *l.plebs.§.fin.ꝫ.eod.* cùm tamen emptor mancipij à venditore ſtipulatur noxis ſolutum eſſe,non de omni delicto intelligitur, nec de capitali fraude actum cenſetur. Cuius rei illa eſt ratio, quoniam ædiles, qui conſtituerant,quibus caſibus redhibitioni locus ſit. *l.1.l.quis ſit.§.quod miunt.de ædil.edict.* noxam ab huiuſmodi fraude diſtinxerant. Vnde creditur contrahentes verba ſua ſecundum legis ſenſum de ea re loquentis intellexiſſe : qua ratione adfirmandum videtur,generalis verbi ſignificationem reſtringendam eſſe,vt ſecundum legis diſpoſitionem contractum cenſeatur. Sic qui poſteris,& ſucceſſoribus hereditatem relinquet,maſculos fœminis prætuliſſe exiſtimandus eſt,quando ex lege municipali præferebantur. But.*conſil.2.de conteſt.* Sic heres qui legata generaliter ſoluere promittit. *l.fin.C.ad leg.Falcid.* deducta falcidia promiſiſſe intelligitur quod hanc quoque rationem habet:cùm enim huiuſmodi cautio ea neceſſitate præſtetur,non videtur alterius cautum,quàm quatenus ex legis iuſſione cauendum fuerat : quod & in huius reſponſi ſpecie dicendum eſt, alioquin verba contrahentium generalia.ſatiùs eſt generaliter accipi.Gloſſ.*l.ſi prior.ſolut.matr.*

Publicam executionem. ¶ De quibus delictis ſuprà habetur ſub rubrica, de publicis iudiciis. Crimen quoque famoſi libelli publici iudicij eſt. *l.quod Senatus. de iniur.* quam rem Corn.Tac. *hiſt.lib.1.* ſic exequitur : Legem maieſtatis Tiberius reduxerat,cui nomen apud veteres idem : ſed alia in iudicium veniebant, ſi quis proditione exercitum, aut plebem ſeditionibus, denique malè geſta Repub. maieſtatem populi Roman.minuiſſet, facta arguebantur, dicta impunè erant. Primus Auguſtus cognitionem de famoſis libellis ſpecie legis eius tractauit,commotus Caſſij Seueri libidine, qua viros, fœmináſque illuſtres procacibus ſcriptis diffamauerat.Quæ verba referre placuit, vt ambigere deſinerent Doct.quomodo crimen illud publicum ſit, quod tamen in tractu publicorum iudiciorum nó connumeretur *l.1.de pub.iud.* apparet enim ſub lege maieſtatis contineri, cùm ad eius exemplum iudicetur *l.famoſi.in ſi.ad leg.Iuliam maieſt.*

BRECHÆVS.

HÆC STIPVLATIO. ¶ Qui ſeruum vendidit, eundem præſtare debet furtis noxiſque ſolutum. Quid ſi poſteà reus publici criminis deprehendatur, & quod publica animaduerſione & capitali ſanciri oporteat, an præſtare debeat venditor? Et Iulianus hoc reſponſo huiuſcemodi ſeruum præſtari oportere, noxalémque actionem prorſus negauit : quoniam in publicis criminibus noxali actioni locus non eſſet. Iam verò, cùm ex publicis criminibus etiam ciuilis oriatur actio, ſicuti videtur Paulo *in l.ne quicquam.ff.pro ſocio.* Quare ædilitia actio, cùm ciuilis ſit, noxaliter intendi non poſſit? Sanè quoniam publica iudicia, ad publicam, non etiam ad priuatorum vtilitatem

pertinent:quod cenſuit Bald. *in l.ſi prædium.C.de adilit.act.* Sed ex publicis iudiciis actionem ciuilem tum demum oriri accipiendum eſt, cum actione in factum pœnali & ad id quod intereſt, experiri licet. Vlp. *in l.qui nomine.ff.ad leg.Cornel.de falſ.* At qualiter & quando actio criminoſa, quando etiam ciuilis & priuata cenſeri debeat, eleganter te docebit Ioann.Gilletus Brienenſ.amicus & familiaris meus, *in ea tractatione, quam Iſagogen in iuris ciuilis ſanctionem inſcripſit.cap.1.& deinceps.*

FORNERIVS.

HÆC STIPVLATIO. ¶ Quæ à Iuliano de huius ſtipulationis formula diſputantur, coniungantur iis, quæ ex Vlpiano diſſerui, *ad l.174.aliud eſt promittere.ẽ.tit.*

CCI. IDEM lib. lxxxj. Digeſtorũm.

IVSTA interpretatione recipiendum eſt, vt appellatione filij, ſicuti filiamfamilias contineri ſæpe reſpondebimus, ita & nepos videatur compræhendi: & patris nomine auus quoque demonſtrari intelligatur.

ALCIATVS.

IVSTA. ¶ Sicuti filios etiam filiam continet, ita & nepotem, eadémque ratione opinor & neptem: cumque conformes eſſe has regulas Iuriſconſultus hic oſtendat, conſequens eſt, vt ſicut maſculinum non niſi per interpretationem fœmininum ſexum cõtinet, ita & filius ad nepotem ex ſermonis proprietate non referatur, ſed tantummodò ex interpretatione, per quam ex ſimilitudine rationis fit extenſio: & ita communiter receptum eſt. Hincque ſi teſtator filiis Titij, & eius deſcendentibus fundum per fideicommiſſum relinquat ſi aliqui filij ſuperſint, prius admittentur *l.cùm ita.§.fin.de leg.2.* tanquam ſub illo nomine, filiis, cenſeantur nominatim vocati: nec cum eis vnà nepotes Titij ex aliis filiis præmortuis ſuccedent, illi enim ſub nomine deſcendentium, potiùs quàm filiorum comprendentur: quippe appellatio filiorum non niſi per extenſionem, deſcendentium verò etiam propriè ad eos refertur. Donec ergo ſuperſunt filij, qui priùs nominati ſunt, non erit locus cæteris deſcendentibus poſteriore loco ſcriptis: & ita quidam ſentiunt. Dec. *conſ.1.in fine.* Idémque dicendum in ea ſpecie, cum exiſtentibus filiis, fœminæ à ſucceſſione repellantur: cenſebitur enim filias fœminas excluſas: quoniam ſub dictione, filiis, per quam vocarentur non niſi per interpretationem continentur: at ſub verbo fœminæ, per quod excluduntur, propriè habentur.

Patris nomine. ¶ Sicut filij nomine nepos, ſic & patris auus continetur: quod generaliter verum eſt, niſi cùm materia odioſa eſt: & non omnino tantum rationis eſt in auo, quantum in patre. Hinc lex Iulia, quæ Senatori prohibet, ne eam vxorem ducat, cuius pater artem ludicram fecerit. *l.lege Iulia.de ritu nupt.* non videtur prohibere, ſi non pater, ſed auus fecerit: quoniam quò magis ille gradu diſtat, eò minùs atris infamia deſcendentes adficit. Eadem quoque patri concedens, vt deprenſam in adulterio filiam occidere poſſit, tantum iuris auo dediſſe non videbitur. *l.patri.ẽ.de adul.* ad cuius dedecus adulteræ turpitudo non ita pertinet, ſicut ad patrem ſanguine iunctiorem. Sed & quoties certam perſonã patris appellatione intelligimus, Bart. *l.liberorum.in fi.* ad auum non fiet extenſio. Quid ſi lex aliquid ſoli patri concedere ſe dicat, an propter eam dictionem reſtrictiuam auus excludetur? Et ex ſubiecta materia faciendam interpretationem plerique ſenſerunt, & in dubio caſu propius eſt vt non excludatur: nam & lex contra veteris iuris regulas, ſoli matri & auiæ tutelam defert, *Authent.vt matri & auiæ.* & tamen frequentius proditum eſt, proauiam non excludi. Mod. *in l.Gallus.§.inſtituens.de liberis & poſthumis.*

BRECHÆVS.

IVSTA. ¶ Quoniam paſſim apud noſtros Iureconſultos, liberorum, natorum, & filiorum appellatio váriari ſolet ſignificatione, aliquando pro eodem ſignificato συμμιγῶς vſurpari nonnunquam etiam καταχρηστικῶς, & ex improprio alterum pro altero poni, Iuriſconſ. Vlpia. *hoc capite* nos admonet, filij appellatione (quæ filiam quoque complectitur) nepotem, iuſta interpretatione, id eſt, legitima compræhendi. Iuſtam autem interpretationem dixit propriam & exactiorẽ, qua in legibus interpretandis vti oportet, ſi vel ratio, vel teſtatoris aut legiſlatoris voluntas aliud non ſuadeat. Nam cum leges ſint quidam veluti ἀφορισμοὶ permolta verborum compendio continentes, oportet in eis explicandis ac interpretandis propriam vim naturámque verborum obſeruare magis, quàm volgarem vſum & conſuetudinem loquendi. Iuſtam itaque interpretationem intelligit Iulianus hoc loci pro vera & idonea, ac etiam plena & propria. Iuſtum enim ſignificat id quod eſt numeris omnibus plenum abſolutúmque, ſeu perfectum: quod Græci ἀκριβὲς dicunt, Budæo teſte *in annotationibus ad l.3.ff.pro ſocio.* quo loco plurima de vocis huius interpretatione commemorat. Sic ab Hippocrate *libro 1. Aphoriſmorum. Aphoriſ.4.* ἀκριβέες δίαιται, victus exquiſitus, perfectus & accuratus, dicitur iuſtus, id eſt, definiens, ſtatus, circumſcriptus qualitate, quantitate, tempore, modo. Quemadmodum iuſtam corporis habitudinem Galenus & ipſe Hippocrates εὐεξίαν dixerunt: & iuſtam indicationem morbi, id eſt, perfectam atque integram. κρίνειν τὰ κρινόμενα ἀρτίως, (ait ipſe Hippocrat. id eſt, ἀπαρτὶ, ἀπαρτισμένως, ὁλοκλήρως, ἀνελλειπῶς, τελέως, αὐτοτελῶς, quæ plenè, perfectè, & integrè indicata ſunt, vt Galenus & Philotheus interpretantur. Eo modo dicunt Iureconſulti fideicommiſſarium non eſſe iuſtum heredem, id eſt, plenum & planè heredem, ſeu perfectum & integrum. Iuſtos etiam dies dicere poſſumus, ait ipſe Bud. qui de rigore (vt dicimus) dantur, & quibus pauciores dari non poſſunt. Simili quoque ratione intellexit Iulianus filiorũ appellatione nepotes neptéſq; iuſta interpretatione compræhẽdi,

id eſt

id eſt, τῇ ἀκριβολογίᾳ, exactiore propriáque iuris interpretatione: quod licet colligere ex Iuliano *in l. filium habeo. ff. ad Senatuſconſ. Macedon.* & Caius *in l. ſenatuſconſulto. ff. de ritu nuptiarum.* tradit Senatuſconſulto, quo cautum eſt ne tutor pupillam vel filio ſuo, vel ſibi nuptui collocaret, nepotem quoque ſignificari. Quæ etiam videtur eſſe ſententia Calliſtrati *in l. libertum. §. ſenatuſconſulti. d. titulo* vbi putat Senatuſconſulti, quo tutores & filij eorum, pupillas ſuas ſibi vxores accipere prohibentur, ſententiâ tutoris quoque heredes extraneos comprehendi. Sic in ſacris literis, filij dicuntur omnes poſteri, vt annotauit Eraſmus *in cap. 1. D. Matthæi*, quo loco vocat ipſe D. Matthæus dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, filium Dauid: qui tamen multis ante eum ſæculis ſuperfuerat. Βίβλος (inquit) γενέσεως Ἰησοῦ χριστοῦ υἱοῦ Δαβίδ, υἱοῦ Ἀβραάμ, &c. Quod etiam nos ſuprà annotauimus. ¶ Sane an appellatione filiorum côtineantur nepotes, diu certatum eſt inter noſtros iuris interpretes, & quidem in tam ancipite pugna variatum eſt ſententiis. Bartolus *in l. liberorum. hoc titulo.* infra contendit voce filiorum nepotes contineri, ea ratione quòd nepotes æquè vt filios, vel etiam magis diligamus: ego his addo, quia filiorum loco nobis habetur. Vnde Calliſtratus *in d. l. liberorum. §. fin.* tradidit naturam nos quoque docere, parentes pios, qui liberorum procreandorum animo & voto vxores ducunt, filiorum appellatione, omneis qui ex nobis deſcendunt, continere: neque enim dulciori nomine poſſumus nepotes noſtros, quàm filij appellare. Etenim idcirco filios filiáſve concipimus atque edimus, vt ex prole eorum earúmve diuturnitatis nobis memoriam in æuum relinquamus. Ioannes Faber *in §. ſi quis filiabus. Inſtitut. Qui teſtamento tutores dari poſſunt.* negat nepotes & vlteriores filiorum appellatione, propria ſignificatione vocabuli contineri, ſecundum Imperatoris doctrinam *in d. §. ſi quis filiabus.* vbi aliter filios, aliter nepotes vocari cenſuit. Idem quoque ſcripſit Vlp. *in l. quod ſi nepotes. ff. de teſtament. tutel.* Alciat. *in l. Herennius. art. 3. h. tit.* exiſtimauit nepotes ad filiorum nomen pertinere: eum tamen ipſe aliter ſenſerit *lib. 3. Paradoxorum, cap. 14.* tranſlatitia videlicet interpretatione, ſeu, vt dicunt, per extenſionem, & ſimilitudine iuris. Qua in re mihi ſanè probatior videtur ſententia Bart. *in d. l. liberorum*, dum explicat *l. ſecundam. § non ſolùm. ff. de excuſ. tut.* in his verbis, Appellatio autem hæc, ad nepotes extenditur, vt intelligi oporteat idipſum, extenditur ſecundum propriam ſui ſignificationem: & ſic per ſe, non per interpretationem ab alio factam. Quæ quidem verba ſunt eiuſdem Bart. quibus nos docet, nepotes appellatione filiorum, ex propria ſignificatione, non tranſlatitia contineri: hócq; modo diſſoluit argumenta eorum, qui Herennij authoritatem *in d. l. 2. §. non ſolum.* expiſcati fruſtra contendunt nepotes per extenſionem filios eſſe appellandos. Sed omnes leges (ait idem ipſe Bartol.) quę dicunt nepotes non contineri, intelligunt ſecundum communem vſum loquendi. Quod quidem videtur Iulianus hoc capite ſenſiſſe, eum ſæpe reſpondiſſe ſe ait, iuſta interpretatione recipiendum, vt filij appellatione nepos côtineatur: ſic itaque patris nomine, auum quoque demonſtrari: idque διὰ τὴν ἀκολουθίαν. Nam ſi nepos cenſetur filius auo, oportet auum patrem eſſe nepoti, per relationem ad aliquid: cùm filius de aliquo patre dicatur, & pater de filio, vt merito videantur, ἀντιστρέφειν, ac reciprocari: quemadmodum ſeruus, domini ſeruus nominatur: ſublato namque domino, ſeruus nullus erit. Eo modo, ſublato filio, pater nullus erit, nullus erit igitur auus, qui filio & nepote prior eſt & naturâ, & ordine. Veluti ſi Seio Caij filio nulli nati ſint filij, certè nulli Caio ſunt nepotes: quoniam niſi de auo nepos dici poteſt, nec auus niſi de nepote. Vnde ſi Caius Seium filium non habuerit, nec auus quidem, nec pater dicendus erit. Hac igitur ratione patet auum patris nomine rectè demonſtrari, cum etiam filij nomen ad nepotem iuſta & propria ſignificatione accommodari poſſit: eſtq; τὰ ἀκόλουθα. Eadem enim ſolet aliorum eſſe ratio quæ ſunt eiuſdem generis, teſte Ariſtot. *in Categorus.*

FORNERIVS.

IVSTA. ¶ Generali filij nomine, filiæ, nepotes, omnes denique liberi continentur. *l. 16. ſi quis ita. 3. de teſtam. tut. l. 84. filij. 3. h. t.* Addit Iulianus hic patris nomine auum quoque demonſtrari.

Filiumfam. ¶ Græci aliquanto ſecius legiſſe videntur (appellatione filij ſicuti & filiorumfam.) quaſi non ad ſexum, ſed ad gradum filiorum nomen producatur: ſic enim verterunt. Τῇ τοῦ υἱοῦ προσηγορίᾳ, καὶ τῇ τῶν ὑπεξουσίων, καὶ οἱ ἔγγονοι περιέχονται. Quod non abſurdum exiſtimo.

CCII. ALFENVS VARVS lib. ij. Digeſtorum.

CVM in teſtamento ſcriptum eſſet, vt heres in funere, aut in monumento duntaxat aureos centum conſumeret: non licet minus conſumere. Si amplius vellet, licet: neque ob eam rem contra teſtamentum facere videtur.

ALCIATVS.

CVM IN TESTAMENTO. ¶ Cum teſtator certam ſummam in funere erogari mandat, poteſt & plus expendi: in maiore enim ſumma etiam minor continetur: quod ſi eam ſummam duntaxat conſumi voluit, adhuc idem eſt. videtur enim taxationem additam, vt ei, qui grauatus eſſet, côſuleret. Vnde licitũ eſt, fauori ſuo renunciare, & quicquid vlterius velit, impendere. Quod hodie forte aliter eſſet obſeruandum, cùm plerunque accidat, vt prudentes teſtatores mandent ſe duobus tantùm cereis, totidémq; presbyteris pręſentibus ſepeliri: propter enim auaritiam quorundã ſacerdotum coercendã, ita præcepiſſe videntur, qui contra Chriſtianę legis ſimplicitatem, mille ſtrophas inuenerunt, vnde hoc nomine pecunias extorquerent. Quid enim ipſi propter pallia, propter cruces, propter æris campani ſonitus, propter denique ſacræ humationis, vel defodiendi cœmeterij ius remiſerunt, quod aliquo colore poſſent exigere? ad hæc, candelas, câtores, ſandapilarios, parochos pannos? Quid de his

controuerſiis dicam, quæ ad quartam canonicam pertinent: vt ſi quid ſponte loco ſepulchri legatum eſt, ex neceſſitate legis contra voluntatem teſtatoris pars deducatur. *c.1. de ſepul.* Cùm igitur in propoſita ſpecie, non tam vt heredi conſuleret teſtator, ita mandaſſe videatur quàm vt auaritiæ ſimonicæque ambitui ſacerdotum obuiam iret, non putarem licere plus impendere, nec reſponſum hoc Alpheni obſeruandum. Illud cõſtat executorem, cui ſepulchri cura mandata ſit, ſi præter iuſſum plus impenderit, nulla actione ab herede conſequi poſſe. *l. qui aliena. §. 1. de nego. geſt.* quòd ſi minore pretio induſtria ſua mãdato defunctus eſt, heredi quod ſupereſt proficere. *l. Lucius. §. 1. de leg. 2.* tametſi enim non poſſe minus, quàm iuſſum ſit impendi hic dicatur, ſi tamen per induſtriam, vel quia apud artificem quis gratia valeat, aliáve ratione minore pretio quis id conſequetur, quod ſecundum communem æſtimationem deſignata à teſtatore pecunia fuiſſet conficiendum, ſatisfeciſſe mandato videbitur, accreſcétque hereditati illud lucrum vt Dinus, Alberi. uſque prodiderunt. Quid ſi vltra modum facultatis ſuæ iuſſerit quis ſumptum fieri? Et hanc voluntatem non eſſe ſequendam, recepti iuris eſt. *l. & ſi quis. §. quid ergo. de relig.*

BRECHÆVS.

CVM IN TESTAMENTO. ¶ Cùm in gerendis negotiis mandati fines diligenter cuſtodiendi ſint, tum vel maximè in exequendis ſupremis voluntatibus & mandatis, ſi quicquam moriens mandauerit, idipſum ab heredibus aut legatariis, aut teſtamentorum curatoribus præſtari ſedulò oportet. Nihil enim eſt (ait Imperator Conſtantinus Auguſtus ad populum *ſub l. 1. C. de ſacroſanctis eccleſiis.*) quod magis debeatur hominibus, quàm vt ſupremæ voluntatis, poſtquam iam aliud velle non poſſunt, liber ſit ſtilus. Immò verò pro lege haberi debet mandatum ſupremum morientis, vt traditum eſt *in Nouellis Conſtitutionibus, ſub titulo περὶ δευτερογαμούντων. De nuptiis iterantibus. Conſtitut. 22.* his verbis. Ἐν μὲν οὖν τοῦτο περιεχέσθω τῷ νόμῳ. δεύτερον δὲ ἐκεῖνο, ὥστε ἅπαντα ὅσαπερ ἂν τις ἐν ταῖς οἰκείαις ἡμέραις ὁ διαθέμενος διατάττοι περὶ τῶν ἑαυτοῦ, εἴτε ἀνὴρ, εἴτε γυνὴ καταστήσειε, ταῦτα κρατεῖν. νομοθετείτω μὲν γὰρ ἕκαστος ἐπὶ τοῖς ἑαυτοῦ εἰκότως. καὶ ἔστιν ὁ νόμος ὁ τοῦτο βουλόμενος, καθάπερ ὁ παλαιότατος ἡμῖν τῶν νόμων καὶ πρῶτος γενόμενος ἐν τῇ πολιτείᾳ Ῥωμαίοις διαγορεύει φησὶ (φωνὴν τῶν δώδεκα δέλτων) κατὰ τὴν ἀρχαίαν καὶ πάτριον γλῶτταν οὕτωσί πως λέγων. VTI LEGASSIT QVISQVE DE RE SVA ITA IVS ESTO. οὐδενὸς δυνάμενος περὶ τὴν ἐκείνου γνώμην, οὐδ' ἂν εἰ θεῖον πράττοι τύπον, οὐδ' ἂν εἰ τῶν πάντων, ὁτιοῦν τι παραλλάττειν τῶν ἀλλοτρίων. Quod ſignificat quodcunque teſtator, ſeu virile ſit, ſeu mulier mandauerit, id ius ratúmque eſſe oportere, ac eiuſdem voluntatem pro lege habendam. Hæc ſunt in vetere tranſlatione Authenticorum, *ſub tit. de nuptiis. §. diſponat.* Qui Græcum non capit, is ad Haloandri verſionem confugiat. In eandem quoq; ſententiam ſcripſit Beatus Gregorius *in canon. vlt. 13. cauſſa, quæſt. 2.* Vltima (inquit) voluntas defuncti modis omnibus ſeruari debet. Sed & compellendi ſunt heredes, ac ſupremorum mandatorum curatores, qui morientis iuſſa penitus exoluant. *cap. ſi heredes. & capitulo tua nobis. extra de teſtam.* ¶ At verò id accipiendum quidem erit, ſi modò teſtator nihil indignum religione & pietate, aut quòd ſacroſanctæ legi aliquatenus aduerſatur, mandauerit. Vt ſi quis teſtamento ſuo heredem ſcripſerit ſub hac conditione, Si reliquias eius in mare abiiciat, Reſpondit Modeſtinus eum ipſum inſtitutum heredem, qui conditioni non paruiſſet, expellendum hereditate non eſſe: imò verò laudandum magis quam accuſandum, qui reliquias teſtatoris non in mare ſecundum eius voluntatem abiecit, ſed in memoriam humanæ conditionis ſepulturæ tradidit. Eſt hoc *in l. quidam. ff. de condit. inſtitut.* Sic etiam ſi teſtator legatis & donationibus immenſis totam hereditatem exhauſtam voluerit, ita vt filij propemodum exheredati iaceant, puto eam voluntatem, vt quæ impia ſit, minimè probandam eſſe: ſed & ſpernendam potius: & ipſo quidem ſupremo mandato valere iuſſo, heredibus legitimam reſtituendam: quoniam immenſæ hæ donationes aduerſus naturalem patris in liberos pietatem tota ratione pugnent. Enecare etenim liberos pater is cenſetur, qui legitimam illis quidem naturæ iure debitam, & quæ alimentorum loco habetur, indignè nullóque merito ſubtrahit. Sic, cum teſtator ſcripſit vt heredes in funere aut in monumento centum aureos conſumerent, & tota quidem eius teſtatoris hereditas centum & viginti aureos tantùm pendeat, ſupremo illi mandato parendum non erit. Nam, vt ait Vlpianus *in l. ſi quis ſepulchrum. §. ſumptus. ff. de religioſ. & ſumptibus funerum.* arbitrari debent ſumptus funeris & æſtimari pro facultatibus & dignitate defuncti. Magna quondam fuit apud veteres funerandorum hominum religio, magna cura: & circa hæc multum æris impendi ſolebat, cum in pompa funeris, tum verò in monumentis extruendis, ac etiam in ceremoniis. Iudicabatur funus per præconem ſi quid ludorum eſſet, dominúſque funeris vtebatur accenſo & lictoribus qui ſpectantis turbæ inſolentiam coercerent. Erant autem Accenſi miniſtri magiſtratuum, qui populum vocabant ad concionem, & præſto erant dicto magiſtratus. Tum honoratorum virorum laudes in concione memorabãtur (quod & adhuc his noſtris temporibus factum vidimus) eáſq; etiam ad tibicinem cantus proſequebatur, cui nomen Næniæ, quo vocabulo etiam Gracco (ait Cicero) cantus lugubres nominantur. Carmen autem quo defuncti canebantur & recenſebantur laudes, dicebatur Græcis ἰάλεμος. Dicuntur ſiquidem Næniæ à dictione græca νεάτη, authore Feſto, id eſt extremum, vel quòd νήτη ὑπάτη ſit chordarum vltima ſoni acutioris. Ad hæc maiorum imagines ducebantur, quæ comitarentur gentilitia funera, vt ſcribit Plin. *lib. 35. cap. 2.* Cic. *pro Milone.* Nec verò non eadem ira deorum hãc eius Satellitibus iniecit amẽtiam, vt ſine imaginibus, ſine cantu, ſine ludis, ſine exequiis, ſine lamentis, ſine laudationibus, ſine funere, oblitus cruore & luto, ſpoliatus illius ſupremi diei celebritate, quã concedere etiam inimici ſolẽt, ambureretur etiam obiectus: non fuiſſe, credo, fas clariſſimorũ virorũ formas illi teterrimo parricidæ aliquid adferre, &c. Iã verò quòd ab antiquis funera ad tubas & tubicines cantúſq; efferrentur, id quidẽ factum aliqui crediderunt, quia anima à multis harmonia exiſtimata eſſet, quorum princeps Herophilus fuit: tametſi Ariſto. *lib. 1. de anima. cap. 4.* & Themiſtius in

eundem

eundem lib.cap.23. diuerſum ſenſerint. Macrob.*lib.2.in ſomnium Scipionis, c.3.* aliam eiuſce rei rationem profert. Mortuos quoq; (inquit) ad ſepulturam proſequi oportere cum cantu, plurimarum gentium vel regionum inſtituta ſanxerunt perſuaſione hac,qua poſt corpus,animę ad originē dulcedinis muſicæ,id eſt ad cælum redire credantur. Ouid.*lib.6. Faſtorum. Cantabat mœſtis tibia funeribus.* Principium autem funerandi hominis hoc fuit, vt ſimul atque exceſſiſſet è vita, Pollinctores mortuom & exangue corpus lauarent vngerêntq;, etiam ſi pyra eſſet cremandum. Vnde Pollucere dixerunt pro eo quod eſt,curare funus.Erant & Libitinarij penes quos funerandi cura verſabatur, a Libitina funeris ſepulchrorúmque dea : in cuius templo quæcunque ad ſepeliendos homines pertinebant,ſolebant vēdi. Hi à Græcis νεκροφόροι καὶ νεκροθάπται teſte Vlp.dicuntur,quaſi defunctiferi,qui Sandapilarij & Veſpilones dicuntur,nō multum diſſimiles his vulturiis codonophoris, id eſt tintinabula geſtantibus,quos Anteambulones artatos latinè appellare poſſumus, & ferales præcones, authore magno Budæo,a Græcis etiam ταφεῖς.Cæterùm lex erat funeris,vt antecedente pompa funebri, viuentes ſequerētur,quaſi morituri confeſtim eſſent.Neq; verò interdiu funus efferei licebat ſecundū antiquorum morem:quinimo noctu & obſcura luce: vnde faces ardentes adhiberētur.Scribit Plin.*lib.16 nat. hiſto.cap.37.*ſirporum candelas funeribus ſeruire.Nec in fruticum (inquit) nec in veprium cauliúmve, neq; in herbarum aut alio vllo quàm ſuo genere numerētur iure ſirpi fragiles paluſtréſque: è quibus detracto cortice candelæ luminibus & funeribus ſeruiunt. Tum demum circumpotationes fiebant, ſeu funebre conuiuium,quod Græci ἀεὶ δεῖπνον καὶ τάφον dicebāt:& Latini Silicernium.Permulta equidem alia fiebant in parentationibus,& iuſtis funebribus perſoluendis,quæ à Cic.*lib.2.de legib.& lib.1.Tuſcul.quæſtio.*à Leone Baptiſta Alberto *lib.8.rei ædificatione cap.2.*à filio Gregorio *in tractatu, quem de vario ſepeliendi ritu edidit* atq; etiam ab Alexan.Neapolitano *lib.3.genialium dierum.cap.7.* diffusè tradita ſunt. ¶Sed hanc tandē ſepulchrorū ac funeris magnificentiam leges ſuſtulerunt, & ſumptus minui voluerunt.ſepulchrorúmq; modum quendam adhiberi. Poſtea quàm (inquit Cic.*lib.2.de legib.* vt ſcribit Phaleseus) ſumptuoſa fieri funera & lamentabilia cœpiſſent,Solonis lege ſublata ſunt:quā legem eiſdem propè verbis noſtri Decemuiri in decimam tabul.cōiecerunt.Nam de tribus Ricinijs, & pleraq; illa Solonis ſunt : de lamentis verò expreſſa verbis ſunt mulieres genas ne radunto , néve leſſum funeris ergo habento.Nos igitur qui Chriſtianiſmū profeſſi ſpem in Reſurrectione mortuorum omnino collocauimus,impij alioqui,quantò magis ſepulchra illa magnificentiſſima,quæ ſaltem ſummos tantùm reges decent,odiſſe debuimus? Audiamus Beat. Ioan.Chryſoſt.*in 20.cap.Ioan.Homilia* 84.Tu autem (inquit) cum audietis nudum Dominum reſurrexiſſe, ceſſa quæſo, ab inſana funeris impenſa.Quid,quæſo.ſibi vult ſuperfluum illud atque adeò inutile diſpendium, niſi quod detrimenti plurimum his qui idipſum faciunt,adfert : mortuis verò nihil adiumenti omnino?& quæ ſequuntur *ibidem.* Laudanda eſt tamen ea,quam nos inire ſolemus nunc, ſepeliendorum Chriſtianorum ratio,ſi modò arrogantia,& faſtus omnis abſit:cum humo corpus,& vt ſinus & gremium quaſi matris mortuo tribuitur.Nam quanuis Romanis antiquis mos eſſet, vt corpora igni mandarentur, & uſti cineres vrna cadoque ab amicis colligerentur,prius tamen iniecta gleba humari ſolebant : & tum ſepulchrum vocabatur,ac tum denique multa religioſa iura complectebatur. Quod ipſe Cicero *loco ſuprà commemorato,*de legibus ex Xenophonte tradidit. At mihi quidem (inquit) antiquiſſimum ſepulturæ genus illud fuiſſe videtur,quo apud Xenophontem Cyrus vtitur. Redditur enim terræ corpus. & ita locatum ac ſitum quaſi operimento matris obducitur:eodémq; ritu in eo ſepulchro,quod ad fontis aras regem noſtrum Numam conditum accepimus : gentémque Corneliam vſque ad memoriam noſtram hac ſepultura ſcimus eſſe vſam. Moriens autem Cyrus (vt eſt apud ipſum Xenophontem *lib. 8.pædiæ Cyri*) præcipit filiis,vt dum vita defunctum corpus eſſet,illud neque in auro,neque in argento,neque alio quouis loculo conderent,ſed quamprimum terræ redderent. Quid enim, ait, beatius, quid idem præſtantius quàm terræ permiſceri , quæ omnia quidem pulchra, omnia bona, gignit & educat? Sic Xenophon. Τὸ δ' ἐμὸν σῶμα ὦ παῖδες ὅταν τελευτήσω μήτ' ἐν χρυσῷ μήτ' ἐν ἀργυρῷ μήδ' ἐν ἄλλῳ μηδ' ενὶ θῆτε,ἀλλὰ τῇ γῇ ὡς τάχιστα ἀπόδοτε. Τί γὰρ τούτου μακαριώτερον τοῦ τῇ γῇ μιχθῆναι,ἣ πάντα μὲν τὰ καλὰ, πάντα δὲ ἀγαθὰ φύει τε καὶ τρέφει. Ante quidem fas fuit cuique in ædibus proprijs ac priuatis ſepeliri. Tum demum lege duodecim tabular.à Solone deſumpta,vetitum fuit in vrbe ſepeliri.In vrbe ne ſepelito néve vrito:ne facito rogum : aſcia ne polito,quod quidē ad ſumptuoſam ſepulturā pertinebat. Nunc verò & in ſacris vrbium templis ac cœmeterijs ſepeliri,& monumēta egregia paſſim extruere omnibus Chriſtianis fidelib.eſt conceſſum:ſed ne id quidem (proh dolor) ſine grandi pecunia,quam Curiales à mortui heredib.aut teſtamenti curatoribus ſolent,laudabilis conſuetudinis prætextu (vt aiunt) obſtinatiſſimè exigere:cum tamen interea Sāctorum Patrum decreta prorſus prohibeant:niſi forteaſſe quis,dum ſuperſtes eſſet,aliquid bonorū ſuorum,mortuo ſe,in templi refectionem aut eleemoſynæ nomine,iuſſerit erogari: *vt canon. Quæſta eſt.& deinceps.3.canon.ſeq.13.cauſa,quæſt.2.* Et Alex. *3.in capit.non ſatis.§.pro ſepultura. extra de ſimonia.* Pro ſepultura (inquit) & chriſmatis & olei receptione,nulla cuiuſquam precij exactio attentetur:nec ſub obtentu cuiuſquam conſuetudinis reatum ſuum quis tueatur.Quia diuturnitas temporis non diminuit peccata,ſed auget. Ergo (vt ad rem propoſitam redeamus) ſi teſtamēto ſuo defunctus plus quam pro modo facultatū iuſſerit in funus ſuum impendi,cum etiam ſumptuoſa illa funeratio defuncto ne quicquā profuerit,at detrimento maximo potius futura ſit,puto teſtatori illi ambitioſo obſequēdum minimè eſſe. Nā iniuſtis præceptis parēre nephas eſt:neque excuſandus erit,qui delinquentis dicto audiens fuerit : *vt capitulo ad aures.de temporib.ordin.* Vnde pro regula haberi ſolet, ius honeſti ab omni ſuperioris præcepto ſemper excipiendum ſupponendúmque, vt cenſuit Bal.*in l.quod ex liberta.C.de oper.libert.iuxta l.retractare.C.ne fiſcus rem quam vend.euinc.* Si tamen pro modo facultatum teſtator eccleſiæ quicquam legauerit. & in ſalutem animę impendi voluerit,idipſum ab herede ſtatim oportet præſtari,cenſuris pōtificiis ac diris

pruſeriptionibus aliàs illi heredi interminatis *canon. clerici. & cano. Qui oblationes. 13. c. anſa quæſtio. 2.* Nam contra teſtamentum iuſtum & ritè factum, videretur heres facere. Quocirca ſi defuncto conditionis implendæ gratiâ bonæ fidei poſſeſſor monumentum fecerit, poteſt dici quia defuncti voluntas vel in hoc ſernanda eſt. vtique ſi probabilem modum faciendi monumenti ſumptus. vel quantum iuſſerit teſtator non excedat, eum, cui aufertur hereditas, impenſas doli exceptione, aut retenturum, aut actione negotiorum geſtorum repetiturum, veluti hereditario negotio geſto. Quamuis enim ſtricto iure nulla teneantur actione heredes ad monumentum faciendum, tamen principali vel pontificali authoritate compelluntur ad obſequium ſupremæ voluntatis. Quod quidem reſponſum eſt Papiniani *in l. heredutas. §. Si defuncto. ff. de pet. hered.* Cui cunuenit Innoc. *in cap. nos quidem. extra de teſtamentis.* Speculator *tit. de iudiciis. §. 1. verſic. Item imploratur contra heredem.* Sed hæc nihilominus priori noſtræ ſententiæ neqnaqnam aduerſantur. Accipienda ſunt etenim. ſi (vt diximus) quę impenſa ſunt, vel à teſtatore iubentur impendi in ſunus. facultatum rationem longè non excedant: tunc teſtatoris iuſſa vt exequatur heres, non erit compellendus. Eſſet enim hoc ipſum teſtatori concedere, heredem nulla omnino cauſa, & obliquo modo exheredare, quod tamen directo. prohibente lege, alioqui non potuit. Sed ſi teſtamenti curator voluntatem defuncti teſtamento ſcriptam, quantumlibet iniqnam, ante quàm prohiberet heres. compleuerit, aliud dicendum eſſet: illum videlicet ab heredibus repetiturum actione negotiorum geſtorum, tanquam hereditario negotio geſto, quod impendiſſet. Neque id tamen pontificali anthoritate, vt reſpondit ipſe Papinianus: ſed prophani iuridici: vt quia hæc actio ad religionem non pertineat: & regia Franciſci primi conſtitutio omnino refragatur. At verò obſequium ſupremæ voluntatis, ſi religionem ſpectat, partes erunt iuriſdictionis pontificiæ. *l. nulli. §. quod ſi teſtator. verſiculo quod ſi in vico. & §. ſequenti. C. de epiſcopis & clericis.* Qui igitur funerandi hominis curam onúſqne ſponte ſubiit, non vltra qnam par eſt, in funus impendia facere. Vlpianus *in l. at ſi quis. §. hec actio. d. tituli. de religioſ. & ſumpt. funer.* Æquum autem (inquit) accipitur, ex dignitate eius qui funeratus eſt: ex cauſſa, ex tempore, ex bona fide: vt neque plus imputetur ſumptus nomine quàm factum eſt, ſi immodicè factum eſt. Debet enim haberi ratio facultatum eius in quem factum eſt, & ipſius rei quæ vltra modum ſine cauſſa conſumitur. Quid ergo, ſi ex voluntate quidem teſtatoris quid impenſum eſt? Sciendum eſt, nec voluntatem teſtatoris ſequendam, ſi res egrediatur iuſtam ſumptuum rationem: pro modo autem facultatum ſumptus debere fieri. Idem quoque dicendum erit de eo qui pupillo alimenta decernit: & in curatore alimenta pupillo miniſtrante, vt præter patrimonij modum ac facultates nulla id ratione fieri debeat. At dare operam curatorem oportet, vt in tractandis pupilli rebus, aliquid ex reditu ſuperſit. *l. 2. & 3. ff. vbi pupil. educ. deb.*

In funere. ¶ Propria ſignificatione dicitur funus, eùm iam incenſum eſt cadauer, & ardet. Exequiæ, dum funus ipſum effertur. Cum verò iam crematum eſt, reliquiæ, & buſtum, quaſi vſtum: quod à Græcis Cicero appellari putat τύμβον. τύμβος γὰρ λέγεται παρὰ τὸ τύφειν. quod vri ſignificat. Apud Seruium *in lib. 11. Æneid.* Pyra eſt lignorum congeries. Virgil. *lib. 4. Æneid.*

Conſcenditq; pyram: dixitque nouiſſima verba.

Rogus. cum ardere cœperit. Buſtum verò, quod iam exuſtum eſt. Tamen accipitur pro eo luco quo conditi ſunt defuncti cineres. Lucretius *lib. 3.*

At nos horrifico cinefactum te prope buſto
Inſatiabiliter defleuimus, &c.

In monumento. ¶ Nihil refert monumenta an verò monimenta ſcribas: vtrunque enim rectè dicitur. Monumenta (inquit Valla *lib. 4. eleg. c. 75.*) i. mutata in u, ſepulchra, ſtatuæ tituli, libri, cæteráque quæ nos alicuius præteritæ rei moueant: vixque monumenta dixerim, niſi literæ, aut alij tituli appareant: quæ ſi deſint, magis ſepulchrum, quam monumentum erit. Hæc ille. Certè monimentum dicitur quicquid mortui gratiâ factum erit, etiam ſi conditus eo loco non ſit. Cic. videtur velle idem eſſe, ſepulchrum, buſtum, & monimentum. Is *lib. 2. de legib.* ſic ait. De ſepulchris autem, nihil eſt apud Solonem amplius, quàm ne quis ea deleat, néve alienum inferat. pœnáque eſt, ſi quis buſtum (nam id puto appellari τύμβον) aut monimentum, inquit, aut columnam violarit, deiecerit, fregerit. Plinius *lib. 8. epiſto. in epiſtola ad Montanum.* Cognouiſſe (inquit) iam ex epiſtola mea debes, adnotaſſe me nuper monimentum Palantis ſub hac inſcriptione: huic Senatus obſidem, pietatémque erga patronoa ornamenta prætoria decreuit, & ſeſtertiùm centies quinquagies, cuius honore contentus fuit. Siquidem monumenta propriè dicuntur ſtatuæ, imagines, columnæ, pyramides & baſes extructæ in honorem memoriámque viri alicuius præclariſſimi ob virtutis & rerum geſtarum excellentiam, & bene de Repnbl. meritum. Ob id ſuperponebatur titulus ἐπίγραμμα & inſcriptio ſeu honorifica, quæ viatores commonefaceret, à Græcis ἐπιτάφιος λόγος. Vnde à monendo monimenta dicta Varro *lib. de lingua latina* tradidit. Monere, inquit, ab eadem memoria, qnòd is qui monet proinde ſit, ac memoria: ſic monimenta quæ in ſepulchris. Et ideò ſecundum viam, quò prætereuntes admoneant, & ſe fuiſſe, & illos eſſe mortaleis. Ab eo quæ ſcripta ac facta memoriæ cauſa, monimenta dicta. Sic Græci μνημεῖον quod nos monimentum, ac ſi dicas memoriale, ἀπὸ τῆς μνήμης. Nam & ipſi eleganter dicunt ἀπὸ μνήμης εἰπεῖν, qnod Cic. à memoria exponere, dixit: hac voce in euágelio D. Marcus eſt vſus c. 16. καὶ λίαν πρωὶ τῆς μιᾶς σαββάτων ἔρχονται ἐπὶ τὸ μνημεῖον ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου, καὶ ἔλεγον πρὸς ἑαυτάς, τίς ἀποκυλίσει ἡμῖν τὸν λίθον ἐκ τῆς θύρας τοῦ μνημείου. Et ſummo diluculo diei primi ſabbatorū veniūt ad munumentū exorto ſole. dicebántq; inter ſe ſe. Quis renoluet nobis lapidē ab oſtio monumēti? Et Ioan. 11. *cap.* ἰησοῦ, οὖν πάλιν ἐμβριμώμενος ἐν ἑαυτῷ ἔρχεται εἰς τὸ μνημεῖον. ἦν δὲ σπήλαιον καὶ λίθος ἐπέκειτο ἐπ᾽ αὐτῷ. Ieſus ergo rurſum fremēs in ſemetipſo venit ad monumētum. Erat autē ſpelunca, & lapis ei impoſitus. Quo tamē loco docemur D. Ioan. τὸ μνημεῖον, i. monumentū dixiſſe pro ſepulchro & humatione ipſa, nō autē

pro

pro cenotaphio & honorario tumulo, memoriæ cauſa condito: quod monimenti dictio ſignificat. Nã τὸ μνημεῖον erat ſpelunca (ait) cui ſuperpoſitus erat lapis, vbi ſitus & cõditus ac humatus erat Lazarus. Sic igitur differt ſepulchrum à monimento, quòd ſepulchrum ſit locus quo mortui plures religionis gratia condi & humari ſolent, ſicut de cœmeterio, quod Catullus ſepulchretum appellat, diximus. Sepulchri appellatione, vt teſtis eſt Vlp. in *l.2.ff.de ſepulch. viol.* omnem ſepulturæ locum contineri exiſtimandum eſt. Videtur quoque Venuleius diſcrimen facere inter ſepulchrum & monumentum, dum in *l.fi.§.ſi quis.ff. Quod vi aut clam.* in hæc verba ſcribit, Si quis proiectum aut ſtillicidium in ſepulchrum miſerit, etiam ſi ipſum monumentum non tangeret, recte cum eo agi quod in ſepulchro vi aut clam factum ſit: quia ſepulchrum ſit non ſolùm is locus qui recipiat humationem, ſed omne etiam ſupra id cœlum: eoque nomine ſepulchri violati agi poſſe. Hic autem Iureconſultus vult [Quod vi aut clam] Interdictum eſſe, ſi quis ſtillicidum aut proiectum in ſepulchrum immiſerit, quamuis monumentum non contingat. Nam cum ſepulcbrum ipſum ſit baſis & fundamentum quo monimentum extructum eſt, & corrupto fundamento periculum eſt ne tandem labatur in præceps ædificium, & funditus corruat, ſi quid vicinus immittat in fundamentum, etiam ſi ſuperficiem non attingat, perinde [Quod vi aut clam] Interdictum dabitur, ac ſi in ipſam ſuperficiem immiſiſſet. Itaque ſi quid in ſepulchrum clam immittatur, quoniam ipſum eſt monumenti fundamentum, & monumentum ſepulchro adiectum, ſepulchri nomine ea propter cenſeri debeat, ſepulchri violati actio erit. Sed id puto διὰ τὴν κατάχρησιν, aut ſi mauis per Sinechdochen, non ex proprio: vt quia ſepulchrum contineat ſuperadditum monimentum: cum tamen monimentum poſſit extra ſepulcbrum eſſe, & ſine ſepulchro: quod quidem (vt diximus) memoriæ fortiſſimorum virorum & eorumdem gloriæ ſempiternæ ædificari ſolet. Cicero *Philipp.14.* Duo certè non præteribo quæ maximæ occurrunt: quorum alterum pertinet ad virorum fortiſſimorum gloriam ſempiternam: alteram, ad leniendum mœrorem & luctum proximorum. Placet igitur mihi P.C. legionis Martiæ militibus, & eis qui vnà pugnantes occiderunt, monumentum fieri quàm ampliſſimum, &c. Quare monumentum, non ſepulchrum modò dicitur, ſed quicquid memoriam alicuius repræſentat, vt annotauit Franc. Connanus *lib.9.cap.1.* Florentinus *l. Monumentum.ff.de religioſ.& ſumpt. funer.* Monumentum, inquit, generaliter res eſt memoriæ cauſa in poſterum prodita: in quam ſi corpus vel reliquiæ inferantur, fiet ſepulchrum: ſi verò nihil eorum inferatur, erit monumentum memoriæ cauſa factum, quod Græci κενοτάφιον appellant. ¶ Itaque in antiquis monimentis, ſolent hæc priore loco verba inſcribi. OB HONOREM, vel MEMORIÆ, &c. At verò ſepulchrorum is fuit tit. D.M. Id eſt, diis manibus. Propterea crederentur vt plurimùm manes eſſe frequentes, vbi humata mortuorum corpora iacebant. Eiuſmodi ſepulchra monimentis ornata adhuc hodie viſuntur Romæ: & paſſim in noſtra Gallia ſummorum Regum & Magnatum, qualia potiſſimùm ſunt in templo Clericæo ad Genabum: & in æde B. Dionyſio ſacra, ad Lutetiam: vbi inter alia videas monimentum marmoreum Ludouico XII. dicatum, miro & eleganti artificio factum in præclariſſima ciuitate noſtra Turonenſi a Ioanne Iuſtu, Statuario elegantiſſimo. Scatet enim celebris hæc ipſa noſtra Turo omni artificum excellentiſſimorum genere. Inter ſtatuarios & plaſtas, extitit Michael Columbus, homo noſtras, & qui cœlebs totam vitam egit: quo certè alter non fuit præſtantior. Inter pictores, Ioannes Foucquertus atque eiuſdem filij, Lodoicus, & Franciſcus. Quorum temporibus fuit & Ioannes Poyettus, Foucquertiis ipſis longe ſublimior optices & picturæ ſcientia. Hos demum ſequuti ſunt Ioannes Ambaſius, Bernardus, & Ioannes Depoſæus. Cæterùm noſtris temporibus ſupra reliquos omneis claruit Ioannes Duuallius, qui polymitorum ac peripetaſmatum liciis texendorum arte cæteros eiuſdem artificij peritos longo interuallo reliquit. Illum ego mirificè dilexi & colui, cum ob artis elegantiam, tum verò ob probitatem ingenuam, & morum vitæq́ue integritatem. Iam ſanè totum triennium effluxit ex quo efflauit animam. At reliquit poſt ſe liberos indolis ingenuæ, quos ipſe quidem diligenter artem edocuit ſuam, ſic vt non tantùm patri artis texendorum πολυμίτων peritia iam æquales facti ſint, ſed & etiam ipſum ſuperent: præterea pingendi quoque arte periti ſſimi euaſerunt ſtudio ac labore indefeſſo. Mirum mehercule eſt quàm affabrè, quam prudenter, quam eleganter, in texendis aulæis, varios ac veluti certantes lanarum colores commiſcere atque accommodare nouerint. Credas ſanè potius pictas penicillo tabellas, quàm ductam liciis lanam ſericúmve. Ex maſculis quidem, ſunt, Stephanus Marcus, & Hector: ex fœminis, Anna, mulier quippe honeſta, & acu pingendi induſtria clariſſima. Porrò, commemorarem ſerici auriq; texendi innumeros opifices, Aſiaticis, Attalicis, & Babylonicis longè præſtantiores: ſed hoc nunc non eſt inſtitutum, & quidem iuſto in eam rem volumine eſſet opus. ¶ Quare redeamus oportet eò vnde digreſſi ſumus. Monimenta illa lineamentis conſtructa exquiſitiſſimis, & columnatum ſuperducta ornamentis, in quibus ſplendent incruſtationes, nitent ſtatuæ, & ſigna, & tabulæ. ſpectantur ducti ære aut marmore viui ſepultorum vultus, non aliò verſum quam in perennem nominis, & meritorum memoriam facta videntur. Cicero *in orat. pro domo ſua ad Pontif.* eius non longè Tanagris ſimulachrum è marmore in ſepulcbro poſitum fuit. Et paulò pòſt, eodem loco. Hanc deam quiſquam violare audeat? & imaginem meretricis, ornamentum ſepulchri, à fure ſublatam, & ſacrilego collocatam? Hæc me domo mea pellet? Hæc vltrix adflictæ ciuitatis, reipub. ſpoliis ornabitur? hæc erit in eo monumento, quod poſitum eſt, vt eſſet iudicium oppreſſi ſenatus ad memoriam ſempiternam turpitudinis? Vnde ipſe etiam Cicero *in eadem orat.* Vt annales, inquit, populi Romani, & monumenta vetuſtatis loquuntur, id eſt, quæ à veteribus memoriæ tradita ſunt. His itaque ſupradictis & traditis, patet monumenti vocem a ſepulchro differre: cum monimentum ſit quod Græci κενοτάφιον dicunt, id eſt, inane ſepulchrum, & quod ſine corpore ſit: quod Sueto. Tranquillus in Claud. honorarium tumulũ vocat, vt Budæus *in l. in tantum.ff.de rer. diuiſ.* adnotauit. At ſepulcbrum locus eſt religioſus, propter mortuum, quem in eum ipſum locum intulimus: éſtque ius ſepulchrorum

rum longè potius ac idem permanentius. Maiores noſtri, ait Cicero *lib.2.legum*, ſtatuas multis decreuerunt: ſepulchra, paucis. Sed ſtatuæ intereunt tempeſtate, vi, vetuſtate. Sepulchrorum autem ſanctitas in ipſo ſolo eſt, quòd nulla vi deleri neque moueri poteſt. Atque vt cætera extinguuntur, ſic ſepulchra fiunt ſanctiora vetuſtate. Dicitur à ſepeliendis corporibus: quamuis Seruius dixerit quaſi ſeorſum à pulchro: & Donatus, ſine re pulchra. Græcis dicitur τάφος παρὰ τὸ θάπτειν, quod defodio ſignificat & ſepelio, mutando π, & θ, in φ, vt ait Etimologicus author, à θάπτειν fit τάφος, quod verbum ſignificat ſtuporem, ſepulchrum, cœnam in exequiis, θάμβος, id eſt, pauorem. Dicitur etiam τάφος παρὰ τὸ θαμβεῖν, id eſt, ſtupere, vel παρὰ τὸ πλήττομαι percutior, ſecundum eundem Etimolog. Qua ratione ſignificat etiam τάφος, πλῆξιν. In eum ferè ſenſum interpres Græcus *Pſal.5.* τάφον poſuit, & in eum credo ſenſum Dauid intellexit in Hebræo, τάφος ἀνεῳγμένος ὁ λάρυγξ αὐτῶν, ταῖς γλώσσαις αὐτῶν ἐδολιοῦσαν. Sepulchrum patens fauces eorum, linguis ſuis dolos admoliebantur. Quibus verbis (vt ſcribit An. Flaminius vir eloquentiſſimus) ſignificat ea iſtorum ore prodire verba mortifera, vt de ſalute illius actum ſit, qui eorum malitioſas blanditias non cauet: Dauidem imitatus Hieremias, pharetras hoſtium, nominat ſepulchrum patens, quòd illorum ſagittæ certam perniciem ictibus adferant.

FORNERIVS.

CVM IN. ¶ Cum teſtatoris voluntati tanquam legi parere heredem religioſè oporteat, quantum in funus vel monumentum impendere iubetur, tantum, nec minus debet: veluti vt vſque ad centum aureos exſtrueretur. *l.42. Titius. de leg.3.* Plus autem in ornamentum ſepulcri in coronas, in ſtatuas impendet impunè. *l.7. ſtatuas. C. de relig. & ſumpt. fun.* Quinctilianus *declam.366.* Addit hîc Alphenus, quamuis caueatur, vt centum duntaxat aurei conſumerentur, heredem non offendere teſtatoris voluntatem: Quia quod pluris eſt, vtique & tanti eſſe: maiorique ſummæ minorem ineſſe conſtat. *l. antep. ff. de in lit. iur. l.1. §. ſi ſtipulanti. de verb. obl.* Non eſt impius, qui vberiùs fidem implet. *l.5. §. ſi quis rogatus. de donat. inter vir. & vx.* qui ſumptuoſius monumentum, quàm teſtator iuſſerat, extruxerit. Sicuti edictum [Ne quid in loco ſacro fiat] non pertinet ad id, quod ornamenti, ſed ad id, quod deformitatis & incommodi cauſa fiat. *l.1. ff. ne quid in loc. ſacr.* Et conditionem ſepulcri deteriorem facere non licet: ſed corruptum & lapſum, corporibus non contractis reficere, nemo prohibetur. *l.7. ſepulcri. de ſepulcr. viol.* Funeſtum ac impium attingere cadauera, & mortuorum loculos effodere, Dion, Tacitus, Suidas de Tyberio, Theod. Balſamon, concilij Carthaginenſ. *cap.61.* nefas habitum fuiſſe prodidere. Quemadmodum lex XII. Tab. de alimentis debitori vincto præſtandis. *l.34. ſi victum. de re iud.* certum farris modum præſcribebat, creditori non licebat minus, plus dare licebat, [Si volet, plus dato.] A. Gellius *lib.20. cap.1.* & in vetere aræ dedicationis lege, [Si quis heic hoſtia ſacrum faxit, quod magmentum nec protollat: Iccirco tamen probè factum eſto. *Ouid. Naſo.*

Tegula porrectis ſatis eſt velata coronis,
Et ſparſa fruges, ſparſáque mica ſalis.
Inq́; mero mollita Ceres, violæq́; ſoluta.
Hæc habeat media teſta reperta via.
NEC MAIORA VETO: *ſed & his placabilis vmbra eſt.*
Adde preces poſitis & pia verba focis.

Non maiora, inquit veto. [In teſtamento.] ¶ Idémne & in contractibus. Mandatum non licet vberiùs explere: cuius fines non licet excedere, ne in melius quidem. *l.5. ff. mand.* nec in bello præceptum ducis, etiam ſi res fœliciter ceſſerit, impunè negligitur. *l.3. de re milit.* Impatientiæ (ſic enim ex Badij editione legendum) pœna in detrectatorem imperij ſtatuitur. A. Gell. *lib.1. cap.13.* Quantò magis, ſi prohibeatur? *l. vlt. C. de neg. geſt.* Sanè ſi quæ iuſta cauſa teſtatori, non modò taxandæ ſumptuum funebrium quantitatis viſa ſit, ſed vel aliarum rerum, non putem arbitrio heredum, ſiue conſilium, ſiue præceptum mutari poſſe: ne in melius quidem. veluti in veſtes CC. duntaxat, in epulum nouendiale, & ferias denicales, tot aureos, nec ampliùs heres impendito: vix permittetur, heredibus multóque minus teſtamenti curatoribus (τοῖς τῶν ἐν ταῖς διαθήκαις ἐπιμεληταῖς. [*executeurs du teſtament*] ab enixa voluntate, certóque teſtatoris iudicio, etiam ſi quæ vel pietatis, vel honeſtatis ſpecies obtenderetur, recedere. *l.4. de admin. rer. ad ciuit. pert. l.16. legatorum. l. ſeq. de vſufr. leg.* Suetonius *de Tyberio*, [Cenſente, vt Trebianis legatum in opus noui theatri pecuniam ad munitionem viæ transferre concederetur, obtinere non potuit, quin rata voluntas legatoris eſſet.] Non ſemper autem funeris, aut condendi corporis cura heredi mandabatur: ſed amicis, quibus certa in eiuſmodi ſumptum pecunia teſtamento deſtinabatur. *d. l.14. & ſi quis. §. ſi cui. de relig. & ſumpt. fun. l. pen. Lucius. §. à te. de leg.2.* Sæpe de moderatione impenſis adhibenda monebantur: vt in L. Cuſpidij teſtamento. [C. Atreius, & Seat. Capito curam habeant ſepulturæ & funeris: monumentúmque faciant, vti melius videbitur: & iuſta quæ poſt funus fieri ſolemne eſt, ita moderentur, vt neque inliberalia, neque ſuperflua ſint.] Quod & Stratonis, ac Lyconis teſtamento cautum Diog. Laërtius *lib.5.* refert. Οἱ ἐπιμεληταὶ τῶν περὶ τὴν ἐκφοράν, μηδὲν μήτε περίεργον ποιοῦντες μήτε ἀνελεύθερον. & rurſus, ὅπως μήτ' ἀνελεύθερος γίνεται μήτε περίεργος. Quid igitur, ſi plus minúſve, quàm teſtator (qui funeri pecuniam è medio præcipiendam definierat) præſcripſiſſet, curator erogauerit? Si quidem minus impenderit, reliqua ſumma proficiet heredibus. *d. l. pen. verſic. quare.* Si verò amplius, vereor (quia fines mandati migrauerit) vt repetitioni ſit locus. *d. l.5. mand. l. vlt. C. de negot. geſt.* Nam ambitioſas illas impenſas ſanis viris fugiendas, Papinianus improbauit. *d. l.113. ſeruo. ſ.* Plinius *lib.4. epiſt.2.* [Non dolor erat ille, ſed oſtentatio doloris. Iulianus Imperator in eandem reſcripſit ſententiam: [Vt dolor eſſe funeribus, non pompa ea ſequiarum, nec oſtentatio videatur.] *l.5. de ſep. viol. C. Th.* [Contra teſtamentum.] ¶ Omnibus, qui contra teſtatoris voluntatē fecerint, vt indignis aufertur hereditas, eáq; fiſco vindicatur. *l. vlt. ſi. C. de fideic.* D. Aug. *c.119.*

[Hered

[Hereditate careat, qui contra teſtatoris voluntatem facere voluerit.] Heredes obtemperare debent voluntati teſtatoris. *l.92.ſi cui legatum.de cond.& dem.* ad cuius obſequium pontificum auctoritate cogebantur. *l.50.hereditas.§.de pet.her.* Quorum ea cura fuit. Cicero *lib.2.de legib.l.3.inteſtato. de ſuis & legit.her.* caput è militari Galli Fauonij Iucundi teſtamento, [Si ſecus fecerint, manéſque mei a Pontificibus opem implorabunt.] id eſt, neglecta ſuprema teſtatoris mandata hereditatis damno vindicabunt *d.l.vlt. Papin.* [Cur enim non videatur indignus, vt qui deſtituit ſupremas defuncti preces, conſequatur aliquid ex voluntate?] *l.55.ſi patroni.ad Sc.Trebel.* Sed minùs iam acerbe cum herede agitur: ſublata contempti teſtatoris iudicij pœna, notabitur infamia, male apud bonos & graues viros auditurus, pudore ſolùm vrgebitur. *l.5.C.de relig.& ſumpt.fun.* [Facere videb.] ¶ Multoque minus, ſi quid vel apertè contra leges, vel tacite in fraudem legum teſtamento caueretur: vt in Falcidiam, Voconiam Theophilus *de leg.Falc.l.55.nemo.de leg.1.* Paulus *lib.3.tit.5.ſent.* [Si nihil teſtamento in fraudem legum fuerit cautum.] Vel turpes, ridiculæ, probroſæ conditiones infererentur: veluti, ſaltare in foro, barbaro habitu vti, inſepultum corpus abiicere *l.pen.de cond.inſtit.* Paulus *lib.3.ſent.tit.4.* Vel nimia obſcuritate ita voluntas teſtatoris ambigua eſſet, & incerta: pro non ſcripta haberetur: nihil ex ea peteretur. *l.30.duo.de teſtam.tut.l.10.ſi fuerit.l.pen.de reb.dub.l.62.in tempus.§.1.de her.inſt.l.1.de iis, quæ in teſtam.del.* [Quæ enim in teſtamento ita ſcriberentur, vt neque legi, neque quid ſignificarent, intelligerentur: ea perinde ſunt, ac ſi omninò ſcripta non eſſent.] *l.2.de iis quæ pro non ſcript.l.73.quo tutela.§.ſit.ſeq.* Denique ſi inepta eſſet teſtatoris voluntas, vt in pileatis ſeruis olim funus domini ſecuturis, vt in operoſioris monumenti ſumptu, vel veſtibus cum mortuo ſepeliendis, impunè non parebit heres. *d.l.pen.d.l.50.hereditas.§.1.de pet.her.l.113.ſermo.fin.de leg.1.l.14.at ſi quis.§.quid ergo.§.de relig.& ſumpt.fun.* Scæuola refert teſtatricem cauiſſe, ſecum in tumulo ſepeliri lineas duas ex margaritis, & viriolas ex ſmaragdis, quas ornatus cauſa comparaſſet. *l.vlt.de aur.& arg.leg.* Idem de Herode narrat Ioſephus *lib.7.antiq.cap.3.* Sed hunc morem Lactantius *lib.2.cap.4.* damnans, [Quis vſus eſt pretioſorum munerum, nihil ſentientium? an ille, qui mortuis? Pari enim ratione defunctorum corpora odoribus ac pretioſis veſtibus illita, & conuoluta humi condunt, qua, &c.] Adſtipulatur D.Hieronymus in vitam Pauli heremitæ, ſub finem, [Cur ambitio inter luctum, inquit, & lacrymas non ceſſat, an corpora diuitum, niſi in ſerico putreſcere nequeunt?] Alioqui defuncti iudicium ſtudioſè ſequetur heres Plinius *lib.3. Sabino, epiſt.10.lib.5.Caluiſio epiſt.7.*

CCIII. IDEM lib. vij. Digeſtorum.

IN lege cenſoria portus Siciliæ ita ſcriptum erat, SERVOS QVOS DOMO QVIS DVCET SVO VSV, PRO HIS PORTORIVM NE DATO. Quærebatur, ſi quis à Sicilia ſeruos Romam mitteret fundi inſtruendi cauſa: vtrum pro his hominis portorium dare deberet, necne?

RESPONDIT duas eſſe in hac ſcriptura quæſtiones: primam, quid eſſet DOMVM ducere: alteram, quid eſſet SVO VSV ducere. Igitur quæri ſoleret, vtrùm vbi quiſque habitaret, ſiue in prouincia, ſiue in Italia, an dumtaxat in ſua cuiuſque patria domus eſſe rectè diceretur. Sed de ea re conſtitutum eſſe eam domum vnicuique noſtrum debere exiſtimari, vbi quiſque ſedes & tabulas haberet, ſuarúmque rerum conſtitutionem feciſſet.

QVID autem eſſet VSV SVO, magnam habuiſſe dubitationem. Et magis placet, quod victus ſui cauſa paratum eſt, tantùm contineri. Itémque de ſeruis eadem ratione quæri, qui eorum vſus ſui cauſa parati eſſent: vtrum diſpenſatores, inſularij, vilici, atrienſes, textores, operarij quoque ruſtici, qui agrorum colendorum cauſa haberentur, ex quibus agris paterfamilias fructus caperet, quibus ſe toleraret omnes denique ſeruos, quos quiſque emiſſet vt ipſe haberet, atque eis ad aliquam rem vteretur, neque ideo emiſſet, vt venderet. Et ſibi videri eos demùm vſus ſui cauſa patremfamilias habere, qui ad eius corpus tuendum, atque ipſius cultum præpoſiti, deſtinatique eſſent. Quo in genere iunctores, cubicularij, coci, miniſtratores, atque alij qui ad eiuſmodi vſum parati eſſent, numerarentur.

ALCIATVS.

IN LEGE CENSORIA. ¶Solebant cenſores publica locare, & ideo pacta cum publicanis inibant, quibus ſtatuebatur, quatenus vectigal exigendum eſſet. Cùm igitur in lege cenſoria portus Siciliæ cautum eſſet, ne pro ſeruis quos quis domum pro vſu ſuo duceret, vectigal ſolueretur, fuit apud Alphenum dubitatum, quomodo eiuſmodi verba accipienda eſſent.

Portorium

Portorium. ¶ Id eſt, vectigal, quod quia de rebus inuectis ſoluitur, nomen ſumpſit: ſic & portorium, quòd pro his mercibus, quæ in portu ſuor, detur: cuius exactor & manceps Portitor appellatur antiquis auctoribus.

Domum. ¶ Vbi igitur domicilium aliquis conſtituerit, domum habere dicitur: vt ſatis non ſit, quòd aliquo in loco quis habitet, animo fortè recedendi, ſed neceſſarium eſt domicilium eſſe conſtitutum, id eſt, rerum ſuarum ſummam ibi eſſe: frequentiúſque a patreſfamiliâs incoli.

Sedes. ¶ Id eſt, habitationem perpetuam. Virgilius: Nec verò hæ ſine ſorte datæ, ſine iudice ſedes. Et rurſus: Priuſquam ſedibus illa quærerint. Potes etiam intelligere agros, ſeu fundos: vnde poſſeſſio non à pedibus, vt vulgò legitur *l.1. de acq. poſſ.* ſed à dictione pos: vnde fit impos, & compos, & potis: itémque à ſedibus dicta eſt. Hinc capere ſedes, mutare ſedes, occupare ſedes, & ſimilia apud veteres exempla. Ille ergo poſſidet, qui ſedere, id eſt, ſedem ponere potis eſt. a ſeſſitando Galli etiamnum vulgò continuare poſſeſſionem ſaiſire vocant.

Magnam dubitationem. ¶ Et ratio dubitationis eſſe poterat, tum quia cùm de vſu loquimur *l.2. & 3. §. de vſu & hab.* generaliter accipimus, ita vt familia quoque ipſa vti poſſit, tum etiam quia iure communi de his quæ patresfamilias ad vſum proprium reuehunt, vectigal non ſoluitur. *l. vniuerſali. C. de vectigal.* Vnde vt lex cenſoria aliquid induceret, debuiſſet latior interpretatio ſumi. Accedit his quòd ſicut in dubiis quæſtionibus aduerſus fiſcum facilius reſpondendum eſt. *l. non puto. de iure fiſc.* ita & aduerſus publicanos qui cauſam à fiſco habent. Et certe negari non poteſt, quin aduerſus proprietatem verbi ex hac interpretatione fiat reſtrictio.

Victus ſui. ¶ Ratio deciſionis eſt, quia immunitas ei concedebatur, qui domum pro vſu ſuo duceret: quibus verbis apparet, non illud conſideratum fuiſſe, quod vſui domino quoquo modo eſſe poſſet, ſed quod vſui in domo eſſet: id autem eſt, quod victus patrisfamilias cauſa habetur, vt ſerui, qui ad domini perſonam tuendam, eiúſque cultum pertinent. Non igitur nouum eſt ex præcedentibus verbis ſubſequentia coarctari, Satíſque priuata portus Siciliæ lex operabitur, cùm iure communi etiam de ſeruis, quos ibi vſuarios qui duxit, vectigal pendatur: licet aliud ſit in cæteris rebus *l. fi. §. quoties. de public.* Vnde communiter receptum eſt, ſi lex triticum extra territorium aſportari vetet, quis pro ſuo vſu ducat, non cenſeri prohibitum. *Bart. l. cætera. §. a. de leg. 1.* Addunt plerique, iuramento eius, qui aſportat, ſtare publicanum debere. *Clem. fin. de cenſib.* quod intellexerim, dum nullæ ſint ex aduerſo coniecturæ. *l. 1. C. de lit. & itin. cuſto. lib. 12.*

Diſpenſatores. ¶ Qui ſint hi ſerui, ſicut & inſularij, & villici, à nobis ſuprà expoſitum eſt.

Atrienſes. ¶ Horum ſumma erat authoritas, quòd domini negotia procurarent, res venales diſtraherent, debita exigerent, & in alios ſeruos non parum iuris vſurparent, quod ex Plauti Aſinaria cognoſci poteſt: arbitror & alimenta cæteris ſeruis diuidere ſolitos, & inde ab atrio nomen ſumpſiſſe: conſtat enim in atrio ſportulas cibariáve diſtribui.

Textores. ¶ Serui à texendo dicti.

Operarij. ¶ Qui ruri operabantur: vnde & antiquis auctoribus ſimpliciter operæ appellantur. Affirmat M. Cicero ab operis Clodianis Milonem inſidias paſſum fuiſſe.

Toleraret. ¶ Id eſt, ſuſtentaret: nouus modus loquendi. Cæſ. æquos tolerari, cætera iumenta interiiſſe. Sic & Tacitus tolerare vitam, Græci ἀ*ſ*ζῆν dicunt.

Vectores. ¶ Solebant veteres vel lecticis deuehi vel curribus: inde ſerui vectores dicti, quo genere lecticarij, agaſones, mulionéſque ſunt, quos tamen vſu ſuo habent.

Cubicularij. ¶ Qui cubicula vel ad limina aſſident.

Adminiſtratores. ¶ Miniſtri ipſius patrisfam. in menſa: ſic enim propriè miniſtrare accipimus, à manibus ducto ſermone.

Brechævs.

IN LEGE CENSORIA. ¶ Traditum eſt à T. Liuio *lib. 4. ab vrbe cond. Decad. 1.* Magiſtratus duos primùm Romæ cenſui agendo populum ſuffragiis præfeciſſe, Cenſores ab ea re appellatos. Cum (inquit) à primoribus ciuitatis ſpretus honor eſſet, Papyrium Semproniúmque, quorum de Conſulatu dubitabatur, vt eo magiſtratu parum ſolidum Conſulatum explerent, cenſui agendo populus ſuffragiis præfecit. Cenſores ab re appellati ſunt. Quod etiam L. Feneſtella, tranſſumptis propemodum Liuij verbis ſcripſit *in tract. De magiſtratibus Romanorum. cap. 16.* Cum igitur his tabularum cura & arbitrium formulæ cenſendi ſubiiceretur, meritò Alphenus dixit legem Cenſoriam, id eſt, quæ de habendo déque penſitando in portu Siciliæ cenſu, à Cenſoribus ſcripta latáque eſſet. Quare mihi videtur Accurſius rectè intellexiſſe hæc verba, In lege cenſoria, id eſt, quæ de cenſu erat lata.

Quærebatur. ¶ In permultis huius noſtræ Galliæ primoribus ciuitatibus, maximè in ciuitate noſtra Turonenſi, lege priuilegióque municipali cautum eſt, vt ſi quicquam municipes ex villis & agris ſuis in vſum proprium & domeſticum, ſeu curru, ſeu clitellario equo, ac quouis alio vecturæ genere vrbi in domum ſuam aſportari fecerint, nihil eo nomine vectigalibus & Publicanis penſitare teneantur, & lege Cenſoria & portorij ſint planè ſoluti. Cum igitur dubitatum eſſet, quid in vſum proprium, quid in domum ſuam, ſignificaretur, poterat hoc Alpheni reſponſum rectè accommodari. ¶ Et variè quidem vſus accipitur. Nam primùm vſus, non eſt ius, ſed quædam vtendi facultas, ſi modò vſum propria & familiari ſignificatione accipias. Qua ratione ſi veri rerum noſtrarum æſtimatores eſſe volumus, ait Conoanus *lib. 4. Comment.* nihil in bonis noſtris habemus, præter vſumfructum, imò verò, ſolum vſum: quæ tandiu & eatenus noſtra ſunt, quandiu & quatenus vtimur. Poſt mortem reſtituimus ea heredibus noſtris. Lubet hic tranſſcribere elegans ipſius Connani epigramma, quod in eam rem ex Græco luſiſſe ſe ait.

Qui ſit

Qui fit vt indigeas ſemper, cum ſemper abundes?
Non præſtat veras area, ſed vſus opes.
Cum frueris, tua ſunt: cum parcis auare, tuorum,
Cui nimium ſua res propria, non propria eſt.

Vnde ea omnia noſtra bona, quibus quia totam vitam frui tantùm licet, ab vſu, Græci vnico vocabulo χρήματα nominaruot, vt iam ſupra ſatis admonuimus. Vtimur itaque rebus eateous quatenus iiſdem ſatis erit vti: vt neque videlicet egeamus, neque etiam abuudemus: at ſecundum neceſſitatis ac commoditatis rationem & vitæ honeſtatem. Vode Latini vſum eſſe dieunt, pro opus eſſe, apud Virgilium *lib.8.Æneid.*

Arma acri faciunda viro, nunc viribus vſus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magiſtra
Præcipitate moras.

Id eſt, nunc eſt opus viribus, & rapidis manibus. Cicero *lib.1.Offic.* Eſſe autem magni animi & fuiſſe multos, etiam in vita ocioſa, qui aut inueſtigarent, aut conareutur magna qoædam, ſeſéque ſuarum rerum finibus contiuerent, aut interiecti inter Philoſophos, & eos qui Rempubl. miniſtrarent, delectarentur re ſua familiari, non eam quidem omuino ſine ratione exaggerentes, oeque ab eius vſu ſuos excludentes, potiúſque & amicis impartientes & Reipublicæ, ſi quando vſus eſſet: id eſt, ſi opus eſſet, & id neceſſitas aliquando poſtularet. Sic Aul. Gallus *lib.3.noct.Attic.cap.*14. Proptetea, inquit, pecuniam, qua nihil ſibi eſſet vſux, ab his quibus ſciret eam vſui eſſe, non aecipere. Vſurpatur quoque vſus pro συνήθεια, conſuetudioe, familiaritate, & conuerſatione, vt annotauit Valla *lib.5.c.5. ex Quintiliano.* Cicero *lib.2.de Orat.ad Q.Frat.* Qui cum inter ſe, vt ipſorum vſus ferebat, amiciſſimè conſalutaſſent: id eſt, vt conſuetudo & familiaritas ferebat. ¶ Quod autem hoc reſponſo Alphenus ait dubitatum, quid eſſet, [vſu ſuo:] ac id eſſe quod victus ſui canſa tantùm eſſet paratum, non ſatis ille quidem mihi videtur hác iuris ambigui quæſtionem enodaſſe: quanuis enim verbum victus, contineat generatim quæcunque eſui potúique, cultuíque corporis, quæque ad viuendum homioi neceſſaria ſunt, vt tradidit Vlpian. *ꝫ. l. Verbo victus*, tamen vſus multa alia complectitur: quæ tamen oportet ſtato & limitato modo circumſcribi. Nam qui vſum habet, fructum non habet: & fructui vſus ineſt, vſui fructus deeſt: fructus autem ſine vſu eſſe non poteſt: vſus, ſine fructu poteſt, vt ait Vlp. *in l. per ſeruum. §. ſi vſusfructus. ff. de vſu & habit.* Quamobrem, ſi vſus à domino proprietatis pluribus legatus ſit, fructus autem aliis. quibus fructus legatus eſt, ad eos quidem commodum atque emolumentum rei pertinet: quibus autem vſus tantùm debetur, vniuerſe & ſolidus debetur omnibus. idque extra emolumentum aliud, quam pro neceſſitate. Vt ſi mihi agrum tuum ad viæ aut itineris vſum tantùm conceſſeris, alij verò fructum agri eiuſdem legaueris ſeu vendideris, cui conceſſus eſt in ipſo agro itineris vſus, is eò vſque conſtrictus eſt, & lege vtendi tenetur, vt ne quidem illi liceat pro arbitrio nec pro voluptate ipſo agro vti, at pro neceſſitate ſolùm. Vnde dicimus, fructum eum non habere, qui vſum tantùm habet. Quod tamen aliter ſentire videtur M. Curius *in epist. ad Ciceronem.* Sum enim, inquit, χρήσει μὲν tuus, κτήσει δὲ Attici noſtri. Ergo fructus eſt tuus, mancipium, illius. Quo loeo maneipium rei ſeu dominium à fructu ſeparauit: & fructum ad vſum accommodauit: dominium, ad poſſeſſionem. Quid enim profuerit peeuoiæ, aut rei alius eiuſmodi vſum legatum eſſe, niſi pecunia ipſa cum vteris, fructnm ea vſu aliquem etiam accipias & conſequaris? Nam & qui tibi pecuniæ vſum legauit, idem quoque cenſetur conceſſiſſe tibi, vt eandem fœnori dares, & fœnus ipſum conſequerere: cum in hac ſpecie legati, vſus appellatione, etiam fructum contineri magis dicendum ſit, vt ab Vlpiano reſponſum eſt in *l. quoniam. ff. de vſufruct. earum rerum, quæ vſu conſum.* At in pecoris vſu id tantum accipi oportet, vt eo ad ſtercorandum tantum vti liceat: ea quo quidem neque lanam, neque lac, neque agnos, quoniã hæc magis in fructu ſint, percipere vſuarius poſſit. Sed ſi boum armenti vſus relinquatur, omnem vſum babebit, & ad arandum, & ad cætera, ad quæ boues apti ſunt. Vlpian. *in l. plenum. §. ſed ſi pecoris. ff. de vſu & hab.* Sed via eſt ſane, vt ex vſu rei alicuius conceſſo, & ſi nudum vſum habeas, fructum tamen aliquem uon percipias, qui ad victum iuuandum quodammodo oon pertineat. Qua quidem ratione Alphenus reſpondit [vſu ſuo] ducere, id eſſe quodcunque ad victum ſpectaret. Hinc verbum vti, pro viuere a Latinis vſurpatum.

Terentius *in Adelph. Act.5.*

Siquidem porrò Mitio
Tu tuum officium facies atque huic aliquid paululum præ manu
Dederis, vnde vtatur: reddet tibi citò, &c.

Dixit Terentius, vnde vtatur, pro vnde viuat, ſicuti Donatus bunc locum interpretatur. Cæterùm, quid ſit domum ducere, quid item domus & domicilium latiſſimè tradidimus *in Commentariis noſtris ad conſuetudines ſcriptas Turonenſis præfecturæ.* At qui ſint diſpenſatores, inſularij, villici, & reliqui ſerui dictum eſt à oobis ſuprà.

FORNERIVS.

IN LEGE CANSORIA. ¶ Alſenum Varrum *lib.7.Digeſtorum*, de cenſoria publicanorum, vectigalium, portotiorúmque lege diſputaſſe, alia ipſius eodem ex libro ſumpta conſultoribus data reſponſa coarguunt. *l.23. in lege. ꝫ. locat. cond. l.15. Cæſar. ꝫ. de public. vectig. l.5. l.7. furt. arbor. furt. Cæſar.* Publicani enim ſyluas, vectigalia, portoria, ſalinas & publica pop. Rom. a cenſoribus redimebant: vnde & publieanorum, & redemptorum nomeo inuenerunt. *l.15. bona. ll. ſeqq. ꝫ. h.t. l.1. l.12. quanta. l. ſeq. ꝫ. de publican.* Lex porro cenſoria, quid quantúmque, cuiuſque rei nomine exigere liceret, vt ne quem lateret, ne fraus fieret, edito loco propoſita, vnde de plano legi poſſet, præſcribebat. Erant & ſtatio-

nes, offi

nes,officinæ,familiæ publicanorum. *d.l.12.quanta.l.195.pronuntiatio.ff.h.t.* Varro *lib.2.cap.8.de re ruſti.* [Omnino tonſores in Italiam primùm veniſſe ex Sicilia dicuntur, poſt Romam conditam anno 454. vt ſcriptum in publico Ardeæ in litteris extat.] Quamuis ſtudioſe vectigalia Romani, quaſi neruos reip. tuerentur. *l. 1. de quæſtion.* Quinctilian. *decl.* 341. Tamen ne quid amplius illicitè exigerent, & quantum quarúmq; rerum nomine, & à quibus ſolui oporteret, diligenter cauerunt. *l.1.l. 4.l.6.ſi multa.l.9.locatio.§.quod illicitè.l.12.quanta.l. vlt. ff.de public.* & quibuſdam & rebus immunitatem tribuerunt:de quibus *ad l.16.enim qui.ff.h.t.* diſſerui. Aliquando nominatim in legibus,vel fœderibus (vt in priſcæ legis, quod modò ſubiiciam, fragmento) excipiebatur. [Quam legem portorieis terreſtribus maritum eiſque Termenſes maiores Piſidæ capiundis intra ſuos fineis dixerint,ea lex ieis portorieis capiundis eſto. Dum neiquid portori ab ieis capiatur,quei publica populi Romani vectigalia redempta habebunt, quos per eorum fineis publicani ex eo vectigali tranſportabunt.] Ita hic earum rerum, quas in vſum proprium ciues aduebi curarent, portorium non ſoluebant. Vnde legis Siculo in portu propoſitæ verſu dubitatum [Seruos quos domum quis duceret vſu ſuo]cuius ſententia duplicem quæſtionem contineat. Licet portorium de omnibus ferè rebus exigeretur: pro rheda, vehiculo,rebus per pontem importatis exigeretur.*l.1.fin.C.de veteran.l.3.C.de publican. l.antep.§.pen.ff.locat. l.59.portus.ff.h.t.* peregrinarum mercium Iul.Cæſar portorium inſtituit,teſte Suetonio.Mancipiorum quoque nomine exigebatur. *hic verſ.portorium hominis.* inter Nicephori conſtitutiones illa de venalium mācipiorum vectigali,commemoratur à Greg.Cedrino, vt qui extra Abydum ſeruos emerent, de ſingulis duo numiſmata publicano penderent. τοὺς ἀνδραποδιζομένους ἔξω τῆς Ἀβύδου σώματα οἰκετικὰ, ἀνὰ δύο νομίσματα τελεῖν. [Cum publicanus mancipia retineret, datáque ei pecunia eſſet, quæ non (portorij ſcilicet nomine) deberetur,actione in factum ex edicto de calumniatoribus conueniendum] Paulus ait.*l.antep.de calumn.* Iuſtinus martyr pro Chriſtianis ad Antoninum Pium, obiicit, de androgynis, meritoriis pueris exigi portoria,quæ procul ab orbe Rom.amandari oporteat. Cum Apoll. Tyanæus apud Philoſtratum *lib.*1. quidnam mercium duceret,rogatus,ſe modeſtiam,iuſticiam,continentiam, fortitudinem aliáſque virtutes vehere reſpondiſſet, tum portitor lucro deditus, nomina vt ancillarum profiteretur inſtabat: Atenim non licet,inquit Apollonius: non enim vt ancillas,ſed tanquam dominas duco.Ergo pro ancillis vectigal ſoluturus. At excipiuntur ea mancipia,quæ quis non mercis,ſed vſus ſui cauſa comparauerit:quæ tamen profiteri debet.*l.5.C.de vectig.& commiſſ.l.vlt.§.quotiens.§.diuus.ff.de public.* Inde illa Symmachi de publicanis,feratum à Senatoribus portorium extorquentibus querela, *lib.5. epiſt.* 60. [Quæſtores ordinis noſtri nunquam ferarum ſuarum portorium contulerunt: à Cynegio quæſtorio candidato quinquageſimæ vectigal exigitur,quod ſolos vrſorum negotiatores, vt poſt quæſtui ſeruientes oporter agnoſcere.] Idem *epiſt* 63. [Quadrageſimæ portorium ſiue vectigal non recte poſcitur à ſenatoribus candidatis:] & poſt. [Noſtri ordinis editoribus dignanter impartias, & vrſorum tranſuectionem cupiditate mancipum ſubtrahas.] Quo tamen exemplo tutior forte publicanorum, quam Symmachi cauſa fuerit: cum his verbis [vſus ſui cauſa] ea duntaxat,quæ ad victum,non etiam quæ ad ludos cæteráſque apparationes pertinent, haberi definiat Alphenus,hic.*& l.28.cum teſtamento.de aur.& arg.leg.* [Sicilia.] ¶ Exſtat in veterum monumentorum reliquiis decretum. S. P. Q. R. Seruio Fuluio Flacco.P.Calpurnio Piſone Coſſ. VRBEM MESSANAM PROVINCIÆ SICILIÆ TRIBVTIS CVIVSLIBET CIVITATIS FIXI IMMOBILISQVE PONDERE PER OMNIA SÆCVLA LIBERAVIT.

Reſpondit. ¶ Sæpe ancipiti quæſtioni abſolutè nulláque adhibita diſtinctione reſpondentes, capimur: Ideoque hic duo conſultationis capita ſecernuntur: Sic Paulus, [plures,inquit,quæſtiones coniunxiſti. *l.14.filius.ad leg Corn.de falſ.* Prior autem ſic definitur quæſtio, Domum enim cuiuſque eam cenſeri,vbi ſedes & tabulas haberet,ſuarúmque rerum conſtitutionem feciſſet,vbi ſe inſtruxiſſet, ſic inſtructa taberna rebus & hominibus, inſtructa domus, fundus inſtructus denique *vt* inſtrumentum *meublé.garni.l.23.palam.de rit.nupt.l.pen.de leg.2.l.5.l.7.tabernam.l.8.de inſtrumento.l.12.quæſitum.de fund.inſtr.l.185.inſtructam.ff.h.t.* Nec ſolùm hic,verùm & pleriſque aliis iuris articulis,domus eſt cuiuſque domicilium,& ſedes,quam incolit: nec refert.vtrùm propriam,an alienam,conductam, precariam, an gratuitam inhabitet: modò ibi larem,tabulas, ſedéſque ſuas collocarit. vt in actione iniuriarum:de domo vi introita.*l.5.§.domum.ff.de iniur.* in crimine adulterij,de domo lenocinij cauſa præbita:& domi deprehenſum adulterum occidere.*l.7.qui domum.l.22.nec in ea.ff.ad leg.Iul.de adul.* In edicto prætoris, de eo apud quem aleatores luſerint. *l.1.§. domum.de aleatoribus.* & cum domum mulier ſe prægnantem viro denunciat.*l.1.§.domum.de agnoſc.& alend.lib.* & cum prætor ait, [Dum ei qui aberit prius domum denuntiari iubeam.] *l.4.verſ.ſed domum.de damn.infec.* Caius *lib.4.ad leg.* XII. *Tab.* de pœna eius, qui ædes, aceruúmve frumenti iuxta domum poſitum combuſerit,diſſerens, [appellatione ædium,omne,inquit,ædificium continetur.] *l.9.qui ædes.de incend.naufr.* id eſt, omnis habitationis ſpecies: ſic enim exponunt Græci: Οἰκία δὲ λέγεται πᾶν εἶδος οἰκοδομήματος. Baſilic. ſynopſ. *lib.58.tit.23.* Denique cum neminem de domo inuitum in ius trahi leges ſinant.*l.18.plerique. de in ius voc.l.48 ſolutum.ff.h.t.l.104.nemo de domo.ff.tit.ſeq.* an ex tabernaculis liceret educere, dubitatum refert Quinctilianus *lib.7.cap.*8. [Conſtitutionem feciſſet.] ¶ Peruulgata iuris ſententia eſt: inſtitutum, conſilium, deſtinationem cuiuſque patrisf. in primis ſpectari oportere. *l.206.vinaria.ff.h.t.l.64.qui filium.de leg.3.l.3.de contrar.tut.act.l.12.quæſitum.§.ſi quis eodem inſtrumento.ff. de fund.* Vnde Celſus addubitat, ſi quis inſtructus ſit duobus locis æqualiter, neque hîc, quàm illic minùs frequenter commoretur, vbi domicilium habeat: exiſtimatione animi eſſe accipiendum. [Ego,inquit,dubito,ſi vtrobique deſtinato ſit animo,an poſſit quis duobus locis domicilium habere: & verum eſt habere, licet difficile ſit quemadmodum ſine domicilio eſſe quemquam.] *l.27. eius. 2. ad municip.* ſed & hanc cunctationem præcidens Vlpianus.[Viris prudentibus placuiſſe,ait,duobus locis poſſe aliquem habere

bere domicilium: ſi vtrubique ita ſe inſtuait, vt nó ideu minus apud alterus ſe collocaſſe videatur.]
[*eſtabls ſa demenranee.*] *l.6.aſſumptio.ad munie.* *Quid autem.* ¶ Alterius quæſtionis definitio eſt, ge-
nerale vſus nomen ad victú reſtringi: ſeruos eos videri vſus cauſa haberi à domino, quos ipſe, non vt
védetet, id eſt mercimonij cauſa haberet, iiſq; ad corporis cultú vteretur. Exéplis appoſitis diſputa-
tio illuſtratur: de nónullis ſtrictim ediſſeram. *Diſpenſatores.* ¶ Hi inter neceſſarios, quibus dominus
vix carere poſſit, à Marciano numerãtur *l.35.Cap.de fideic.liber.* Hi fœnerãdis, ſoluendis, recipiendiſq;
domini pecuniis, dominicis rationibus adminiſtrãdis præficiebãtur *l.12.& ideò.de inſt.act.l.1.ſi.de aur.
& arg.leg.l.vlt.§.ſi inter.de ver.obl.l.51.diſpenſatori.l.62.diſpenſatorē.de ſolut.& lib.* Quinctil. *declam.353.
& decl.vlt.* Iſidor. *Etymol.lib.*10. Diſpēſator, cui creditur adminiſtratio pecuniarú: Gloſſ. ver. Οἰκονόμος.
Theophilo *tit.mand.* ὁ οἰκέτης ὡς εἰώθειν ἐνδυνάζειν τὰ δεσποτικὰ χρήματα. Cicero, *in Hortenſio*, [Quid ſoles
cum rationem à diſpenſatore accipis, ſi æra ſingula probaſti, ſummam, quæ ex his confecta ſit, non
probare?] *Inſularius.* ¶ Domus ſeu inſulæ cuſtodiæ præpoſitus, *concierge.l.166.vrbana.§.h.t.l.vlt.de
off.praſ.vig.l.5.de inſtit.act.l.16.ſi ita.de vſu & hab.* [Operarij quoque ruſtici.] ¶ Vt venatores, ſi qui-
dem venatio ſit in fructu. *l.26.venationem.§.de vſur.* Iſidorus *ſub finem lib.*10. *Etymolog.* quatuor ſta-
tuit venatorum officia: veſtigatorum, indagatorum, illatorum, preſſorum. Si in agro venationes ſint,
Vlpianus venatores quoque, & veſtigatores, & canes inſtrumento contineri putat. *l.12.quæſitum.de
fund.inſtruct.* Symmachus *lib.5.epiſt.65.* [Iuuenilis induſtriæ eſt, excite ſaltibus ferat, & liberalia ſtu-
dia ſyluestri voluptate diſtinguere. *epiſt.66.* Tunc ſeruile munus iure habeatur, cuius venandi: famu-
latus eſt enim quidam, &c.] *Operarij.* ¶ Hoc nomen latiùs etiam patet *l.5.de inſt.act.* Tertullianus, de
patientia, ventris operarius, pro paraſitis vſurpauit. *Iunctores.* ¶ Ita Florentini libri. alij vectores,
victores, actores, ianitores: perperam omnes ad vnum: at detracta prima litera I. vitium, quod Pet.
Victorius animaduerterat, emendabis, *vnctores.* Qui magis ad cultum corporis vt cubicularij, coqui,
miniſtratores aptiſſimè referantur. Hi ſunt aliptæ, & iatroliptæ, ſat ex veterum vnguendi conſuetu-
dine noti. Cicero *lib.1.epiſt.Lentulo*, [Vellem non ſolùm ſalutis meæ, quemadmodú medici, ſed etiam
vt aliptæ, virium & coloris rationem habuiſſent.] Vnguentis enim ad valetudinem plurimùm vte-
bantur. *l.12.plenum.de vſu & hab.* quibus quoniam pleríque ad ſuauitatem voluptatémque abutebantur,
tur, inuiſi cœperunt eſſe vnguentarij, & quarundam ciuitatum legibus expulſi. Plinius *lib.2.epiſt.ad
Arrianum.* [Accepiſſe ſeſtertium decem millia, fœdiſſimo quidem titulo, vnguentarij nomine.] Au-
guſto exprobratum legimus proauum, qui tabernam vnguentariam exercuiſſet, habuiſſe. Iul. Firmi-
cus Maternus *lib.5.Matheſ.cap.15.* Clem. Alexandrinus *lib.2.pædag.c.18*, & Athenæus *lib.15.Deipnoſo-
phiſt.* vrbibus vnguentarios exactos commemorant. Seneca *extremo cap.lib.4.natur.quæſt.* Vnguenta-
rios Lacedæmonij vrbe expulere: & properè cedere finibus ſuis iuſſerunt: quia oleum diſperderent. I-
dem *ad Lucilium epiſt.*88. Non adducor, inquit, vt in numerum liberalium artium pictores recipiam:
non magis, quàm ſtatuarios, aut marmorarios: aut cæteros luxuriæ miniſtros: æque luctatores. & to-
tam oleo & luto conſtantem ſcientiam, expelli ex his ſtudiis liberalibus: aut vnguentarios recipiam,
& coquos & cæteros voluptatibus noſtris, ingenia commodatores ſua. Vnguentarij magis voluptati,
vnctores valetudini ſeruiebant: & vnguenta quædam ſanitati tuendæ parabantur. *d.l.12.plenum.l.22.
in argento.l.25.argumento.fin.de aur.& arg.leg.* Plinius *lib.29. de origine medicinæ differens, lib.29.cap.1.*
[Prodigus quam vocant Iatralepticen, reunctoribus quoque medicorum ac mediaſtinis vectigal in-
uenit.] Vnctoris dominum poſita in balneo veſte diſtentum ſtringentis ac fricantis imaginem, ex-
preſſit Arrianus in *Epictetum cap.vlt.lib.3.* [Commoue te, cedo latus, caput eius tene: humerum præ-
be.] ἵν᾽ ἐν τῷ βαλανείῳ ἐκδυόμενος, καὶ ἐκτείνας σεαυτὸν, ὡς οἱ ἐξυρημένοι. τεῖνε ἰδεῖν καὶ ἴδιον. εἶθ᾽ ὁ ἀλείπτης
ἐπιὼν λέγῃ: Μετάβαθι, δὸς πλευρὸν, κεφαλὴν αὐτοῦ λάβε, παράθες τὸν ὦμον. *Cubicularij.* ¶ Quos negotiatio-
nis appellatione contineri Marcianus negat: ſicuti obſonatores & piſcationibus præpoſitos. *l.65.le-
gatis.de leg.3.* medicum & cubicularium coniunxit Vlpianus. *l.14.qui cum de bon.lib.* Inter intimos &
fideles habebantur. Quinctilianus *declam.* 328. [An verò parùm iuſtas ſæuiendi cauſas habebam ad-
uerſus cubicularium? Dominú ſuum non defenderat, non ſeruauerat, neſciebat quis dominum ſuum
occidiſſet.] Non abludit à Sc. Syllan. argumento. *Coqui.* ¶ *l.17.demonſtratio.de cond.& dem.* Quos
veteres in miniſteriis non habebant, ſed ex macellis conducebant. Plinius *lib.18.c.11.* C. Marius apud
Saluſtium. [Sordidum me & incultis moribus aiunt: quia parùm ſcitè conuiuium exorno: neque hi-
ſtrionem vllum, neq; pluris pretij coquum, quam villicum habeo.] Lixas è caſtris ſummouit, cibúm-
que coctum vænalem proponi vetuit Marius. Val. Maximus *lib.2.c.2.* Coquis multùm poſterior ætas,
quippe mollior vtebatur. Artificium coqui Martianus nominat *l.65.legatis.de leg.3.* Extat apud Treb.
Pollionem epiſtola Valeriani ad Zoſimionem procuratorem Syriæ, de Claudio Imperatore, quot illi
ſeruos deſtinarit. [Coquum quem refundat, vnum: mulionem, notariú, venatores, carpentariú, curam
prætorij, balneatorem.] De coquis multa Athenæus *lib.15.Deipnoſ.* *Miniſtratores.* ¶ Miniſtri nomen
vt & miniſterij latiùs patet. Miniſtratores hìc ſignificari eos arbitror, qui cœnãtibus fercula inferũt
& apponunt *qui ſeruent à table.* Senec. *lib.15.epiſt.* [Tranſeo piſtorú turbã, tranſeo miniſtratorum, per
quos ſigno dato ad inferendã cœnã diſcurritur.] Nulla autē hìc piſtorú mētio: fortè, quod ſatior eſſet
priuatus eorú vſus. Quos Romæ nó fuiſſe ad Perſicú vſq; bellú, annis ab vrbe códita ſuper 580. Plin.
tradit *d.c.11. Ipſi panē faciebãt Quirites, vtque, mulierumq; id opus erat, ſicuti etiã nunc in pleriſq; gentiũ.
Certumq; fit Attey Capitonis ſententia, coctũ panē lautioribus coquere ſolitos: piſtoreſq; tantũ eos, qui far pin
ſebant nominatos.* Var. apud A. Gel. *lib.15.c.19. Si quantũ opera ſumpſiſti, vt tuus piſtor bonũ faceret panem.
& l.5.idē Labeo.de inſt.act.* Sed cú quæ in Iurecõſ. diſputationibus exépli gratia afferuntur, regulam
nó arctēt, quominus quoties eadē vtilitas ſuaſerit, ad ſimilia traducatur. *l.30.dãni.de dam.inf.l.1.vnde
vi & vi arm.* Otioſa fuiſſet & putida, exactior cuiuſuis generis ſeruorú enumeratio. verſ. *Atq; alij, qui
ad eiuſmodi vſum parati:* & ſuperiùs, *Emiſſet, vt ipſe haberet, ne ij, ideò emiſſet, vt vēderet.* Nam qui vœna-
litiariam exercēt, mãcipia, quæ cóparatunt, vt illicò diſtraherent, ſeruos mercis magis quã ſeruorum
ſuorum loco habere creduntur. *l.73.ſuos.de leg.3.*

CCIIII. PAVLVS lib. ij. Epitomarum Alfeni.

PVERI appellatio tres ſignificationes habet: vnam, cum omnes ſeruos pueros appellaremus: alteram, cum puerum contrario nomine puellæ diceremus: tertiam, cum ætatem puerilem demonſtraremus.

ALCIATVS.

PVERI. ¶ Explicatur hîc triplex pueri ſignificatio. Prima eſt, cùm ſeruos pueros appellamus, cuiuſcunque ætatis ſint. Sic Perſius:

I puer, & ſtrigiles Criſpini ad balnea defer.

Qui ſermo in vulgari idiomate etiam hodie eſt in vſu. Altera eſt, cùm contrario puellæ nomine vtimur, vt videlicet ſexum diſcernamus: tametſi dubium non eſt pueris legatis. *l. ſeruis. § ſi pueris. de leg.* 3. etiam puellas contineri: qua de re ſuprà dictum fuit. Tertia eſt, qua ætatem indicamus: vnde propria ſignificatione cùm puerum dicimus, impuberem intelligemus, id eſt, qui quatuordecim annos non expleuerit. Accipitur tamen aliquando aliter ex ſubiecta materia: vnde cùm prætor à poſtulando pueritiam excuſauit. *l. 1. §. pueritiam. de poſtbu.* excuſatus cenſebitur, qui decem & ſeptem annos nondum compleuit. ſed & legatis vſque ad pubertatem alimentis *l. mella. de alimen. leg.* donec ad decimomoctauum annum quis peruenerit, debebuntur: quod propter alimentorum fauorem conſtitutum eſt, & rationem habet: ante enim eam ætatem, vt plurimum videmus nõ ſufficere pueris ſuam ipſorum artem, vel induſtriã, vt ſe alant: meritò interpretatio in id tẽpus proferẽda fuit, nam & tunc plenæ pubertatis eſſe incipiunt. *l. arrogato. §. non tantum. de ado.* Accipitur & in ſacris literis pleniore ſignificatione hęc vox, vt apud Eſaiã: Maledictus puer centũ annorũ. 2. *q.* 7. *Paulus*. Sed hoc ἀναφορικῶς accipiendum eſt, id eſt, per relationem ad tempus quo quis puer fuit. ¶ Sane quemadmodum ætates diſtinguantur, varia fuit apud veteres ſententia. Nam Macrobius gradus omnes humanę vitæ ſeptenario numero diuidit: Bis ſeptem annis pueritia perficitur, incipitque pubertas: Poſt ter ſeptem genas flore iuuenta veſtit, idémque annus finem in longum creſcẽdi facit: poſt quater ſeptem in latum quoque creſcere definimus: Quinquies ſeptennio virium incrementum abſoluitur: Sexta hebdomas ante collectum robur conſeruat: A ſexta in ſeptimam fit occulta paulatim diminutio: Septima totius hominis maturitatem adfert, etiam animi: Decima vitæ metam præſcribit. ¶ At Seruius Tullus rex Romanorum cùm claſſes cenſum faciendi gratia inſtitueret, Pueros exiſtimauit, qui minores eſſent annis ſeptemdecim: abinde vſque ad annum quadrageſimumſextum, iuuenes, & militiæ idoneos: qui ſupra eum annum erant ſeniores. idque ex Tuberonis hiſtoria Aul. Gell. *lib.* 10. refert. Ariſtoteles verò *in Politicis*, corporis vigorem poſt annum trigeſimumſextum minui putat, animi verò poſt duodequinquageſimum. Sed M. Varro, cui propemodum conſentiunt Arabes medici, quinque ætatis gradus commemorat: Pueritiam ad quintumdecimum: Adoleſcentiam, ad trigeſimum annum: Iuuentutem ad quadrageſimumquintum: Virilitatem ad ſexageſimum, qui vlterius viuendo progrediuntur Seniores eſſe. ¶ Cæterum prudentius exiſtimaſſe Iuriſconſulti nobis videntur, qui infantiam ad ſeptimum vſque annum acceperunt. *l. 1. §. 1. de admin. tut. l. 1. de minor.* Pubertatem, ſeu Adoleſcentiam, à quartodecimo initium ſumere, vigeſimoquinto perfici: Iuuentutem inde appellari, cui certus terminus non ſit conſtitutus, ſed ex habitu corporum, & conſuetudine eum, ad cuius notionem pertinet, exiſtimaturum: vt qui adhuc inter ſeniores numerari non cœpit, pro iuuene habeatur: atque ita Marcellus reſpondit. *l. non aliter. ẜ. de leg.* 1. Eodem modo & de Senecta iudicandum niſi quod ab oneribus perſonalibus maiores quinque & quinquaginta annis tanquam ſenes excuſantur. *l. ſi ita. C. qui ætate.* a tutela verò & cura, qui ſupra ſeptuaginta annos vixere. Exiſtimauit Bartolus, qui verum dixit, de adulto intelligere: perinde ac ſi eadem ſit conditio, cum vir factus erit, vel cùm adultus erit: ſed hanc ego ſententiam *Diſpunct. lib. 4. cap.* 12. confutaui.

BRECHÆVS.

PVERI. ¶ De pueri ſignificatione, diximus in *l. illa verba. §. pueri appellatio. ẜ. hoc tit.* Quo etiam loco ſcripſit Alciatus puerum a puritate dictum, quoſdam exiſtimare. Qua ratione poſſemus etiam verbi huius etymologiam a puritate aeris ducere, vt in puer, quaſi purus aër. Sed quàm vera ſit etymologia, expendant docti. Triplicem autem huius vocis ſignificationem hîc Paulus tradidit. Vnam quidem, quæ ſeruos ſignificet. Alteram, quæ puellam: quamuis genere maſculino enunciata ſit. Tertiam verò, quæ puerilem ætatem indicet. ¶ Iam verò, quòd pueri appellatio, primo loco, ſeruos complectatur, patet ex Cicerone *in orat. pro Milone*, Milo, inquit, qui nunquam, tamen tunc pueros ſymphoniacos vxoris ducebat & ancillarum greges, &c. Et 22. *cap.* Geneſ. Abraham quoque loquens ad pueros ſuos, ait, &c. Id eſt, ad ſeruos, vt notat. *in canon. Si qualibet. §. Abraham.* 22. *cauſa, quæſt.* 2. & ruſus *in canon. Cum paſtoris.* 2. *cauſa, quæſt.* 7. Sic igitur tum Græcis, tum Latinis ſerui appellantur, hócque verbo, pueri, omnes ſeruos domeſticos ſignificant, præſertim tabellarios. Credo (inquit *lib.* 10. Connanus) quòd non niſi pueris & in iuuenili ætate conſtitutis qui pedibus valerent, vti poterant ad eam rem. Ideo apud Ciceronem ſæpiſſimè legitur: Pueri tui mihi a te literas reddiderunt. Sic *in Actis Apoſtolorum capit.* 16. legimus τὴν παιδίσκην, id eſt, puellam, pro ancilla & pediſſequa. Ἐγένετο δὲ πορευομένων ἡμῶν εἰς προσευχὴν, παιδίσκην τινὰ ἔχουσαν πνεῦμα πύθωνος, ἀπαντῆσαι ἡμῖν, ἥτις ἐργασίαν πολλὴν παρεῖχε τοῖς κυρίοις αὐτῆς μαντευομένη. Euenit autem euntibus nobis ad orationem, vt ancilla quædam, Pythonis habens ſpiritum, obuiaret nobis, quæ dominis ſuis quæſtum vberem ex diuinatione præſtabat. Hunc locum Roterodamus enarrans, παιδίσκην, id

eſt, pue

eſt, puellam, ancillam ſignificare cenſuit: eo quòd non fiat mentio dominorum, vt intelligamus conditionem explicatam, non ætatem mulieris. Accipitur etiam puer pro turpiter amato iuuene. Cicero *epiſt. ad Attic. lib. 1.* Redeo ad altercationẽ, ſurgit pulchellus puer: obiicit mihi me ad Baias fuiſſe, &c. Eſt quoque vſu receptum, vt pueri ſignificatio ad filij nomen protendatur. Terent. *in Andria:*

Puerum autem ne reſciſcat mihi eſſe ab illa, cautio eſt.

Et Virgil. *lib. 2. Æneid.*

Non prius aſpicies vbi feſſum ætate parentem
Liqueris Anchiſen? ſuperet coniuxve Creuſa,
Aſcaniúſque puer?

Et alio in loco:

At puer Aſcanius, cui nunc cognomen Iulo.

Et in ſacris literis, loco ſupra dicto *Geneſ. cap. 21.* Surrexit itaque Abraham diluculo, & tulit panem, ac vtrem aquæ: deditque Hagar imponens humero eius, puerum quoq; ei dedit. Et *paulo poſt:* Ne extendas manum in puerum: ne facias illi quicquam. Quo loco Latinus interpres puerum pro filio poſuit, vt planè videre eſt: cùm de Iſaac filio Abrahami intelligatur. Græci παῖδα communi voce puerum dicunt, tum pro ſeruo, tum etiam pro filio: prætereà & ad ætatem referunt. Quando in matris vtero fœtus adhuc concluditur παῖδες καὶ κόροι dicuntur Græcis: quos etiam vnico verbo pueros Latini vocant. Plato *in Axiocho* περὶ θανάτου, appellat eum ſtatim ab ipſo ortu puerum κατὰ τὴν πρώτην γένεσιν τὸ νήπιον. Hæc autem pueritiæ ætas quæ ἐκ γενετῆς & vbi primùm infans matris vterum egreditur, incipit, deſinit in decimumquintum annum: quo toto tempore puer dicitur, & pueritia. At Seruius Tullius Rex populi Romani, vt eſt apud Aulum Gell. *lib. 10. noct. Attic. cap. 28.* cum illas quinque claſſes Iuniorum cenſus faciendi gratia inſtitueret, pueros eſſe exiſtimauit, qui minores eſſent annis ſeptemdecim. Atque inde ab anno decimoſeptimo, quos idoneos iam eſſe Reipubl. arbitraretur, milites ſcripſit: eóſque ad annum quadrageſimum ſextum, Iuniores: ſupráque eum annum, ſeniores appellauit. Sic inter pueritiam, iuuentam, & ſenectutem diſcrimina fecit. Galenus *in lib. 3. Aphoriſmor. Hippocratis, Aphoriſm. 27.* tradit pueros πρὸς τὴν ἥβην accedere & pubeſcere a decimoquarto anno. Idque fit tum cum hirquitallire deprehenduntur, vt ſcribit ex Alexandro Rhodoginus *lib. 19. lect. antiq. c. 21.* ob vocis aſperitatem raucam ab hircis ita vocem efferentibus, producta verbi ratione. Quatuor ætatis diſcrimina commemorat Claudius Galenus *in eo libro, cui titulum fecit* Ὅροι ἰατρικοί. Primam quidem ætatem τῶν νέων, id eſt, iuuenum, quorum qui primum ſeptennium ἐκ τῆς γενετῆς, atque ipſi quidem natiuitati proximum, exceſſit, grandior dicitur: ab Hippocrate *lib. 3. Aph. Aphor. 27.* πρεσβυτέροις. τοῖσι δὲ ἔτι, inquit, πρεσβυτέροισι καὶ πρὸς τὴν ἥβην προσάγουσι, &c. id eſt, Grandioribus autem, & iam ad pubertatem accedentibus. Hoc autem toto primi ſeptennij tempore, παιδίον, id eſt, paruulus, vocatur ipſi Hippocrati: Cùm verò ſtatim natus eſt, βρέφος, quem nos infantem dicimus. Quando autem ætatis progreſſu puer decimum annum attigit, ab ipſis Græcis μελλέφηβος vocatur. Tota ſiquidem impuberum ætas, ἀνηβητεία dicitur, à nobis pueritia vſque ad decimumquartum annum. Quo toto tempore pueri ſunt ἄνηβοι καὶ ἀπόγειοι. In ſacro Euangelio à Beato Luca, *cap. 2.* Dominus noſter Ieſus dicitur puer, qui adhuc eſſet annorum duodecim. Τὸ δὲ παιδίον ηὔξανε, &c. puer autem ſuccreſcebat, & paulò pòſt: καὶ ὅτε ἐγένετο ἐτῶν δώδεκα. Et diuus Matthæus *cap. 2.* vocat eundem Dominum Ieſum, puerum, nuper natum: ἐγερθεὶς παράλαβε τὸ παιδίον καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ. Eraſmus & alij interpretes τὸ παιδίον, vertunt puerum. Exacta itaque puerili ætate, pubertas à decimoquarto anno ad vigeſimumquintum extenditur, & deſinit: quod probat ex Hippocrate Galenus in *lib. 5. Aphor. Aphor. 7.* Et hæc quidem ſecunda ætas. ¶ Tertia verò, eſt τῶν μειρακίων, id eſt, adoleſcentulorum, quæ decimoquarto incipit, & in vigeſimumquintum annum protrahitur. Quæ autem ab hinc vſque ad trigeſimumquintum, Iuniorum νεανίσκων eſt: & hæc ætas, quæ quarto loco numerari ſolet, Iuuenta dicitur ipſi Galeno *in lib. 5. Aphor. Hippocratis. Aphor. 9.* Quinta ætas inter iuuentutem & ſenectutem eſt poſita a Cicer. *in lib. de ſenectute* vocatur Conſtans & media: à Græcis, maximè ab Hippocrate & Galeno, καθεστηκυῖα dicta. Vnde qui ætatem conſtantem, id eſt, declinantem a trigeſimoquinto anno, ad quinquageſimum habent, Hippocrati dicuntur οἱ καθεστηκότες, τουτέστιν ἐν παρακμῇ ὄντες Philotheo teſte. Nam qui florente ætate vigent, cuiuſmodi diximus eſſe iuuenes, ἀκμάζοντες nominantur. Thucydides appellat τοὺς ἐν τῇ καθεστηκυίᾳ ἡλικίᾳ, ætate vigentes. Ea eſt ἀνδρεία virilis ætas, quæ ἐν τῷ μεσεύοντι τῆς ἡλικίας, in ætatum medio eſt conſtituta. At cùm declinans ſit, παρακμή vocatur. Vltima ætatum eſt γερόντων, id eſt ſenum: qui quòd honore & præmiis adfici debeant, à Græcis ipſis γέροντες, παρὰ τὸ γεραίρειν dicuntur. Hanc quidem tripartitò diuidit Galenus *lib. 5. de tuendu ſanitate.* Primam autem dicit eſſe eorum, qui ὠμογέροντες dicuntur, viridi ſenectute præditi: ob idque ciuilia negotia obire potentes, quíque conſilio valent. Hæc ſenectutis prima pars ab anno quinquageſimo, ad ſexageſimum perducitur. Secunda exordium facit à ſexageſimo, & in ſeptuageſimum extenditur. Tertia, quod reliquum ætatis conficit, atque eorum eſt qui πέμπελοι dicuntur, παρὰ τὸ ἐκπέμπεσθαι τὴν εἰς ᾅδου δηλονότι πομπήν, quaſi eorum funebris pompa iam Orco dimittenda ſit. ¶ Sed vt redeamus ad rem propoſitam, Puer dicitur qui annorum quatuordecim, ſi ad marem referas, eſt minor: ſi ad fœminam, duodecim. Quod adnotauit Accurſius *in l. ſunt nimis. Cod. de infantibus expoſ.* Hæc ætas, quoniam coeundi impos exiſtimatur, vt traditum eſt. *capitulo quod ſedem. extrà, de frigid. & maleſic.* prohibetur matrimonium capeſſere. Quòd ſi quando pueri nupſerint, nullum matrimonium cenſebitur, *dicto capitulo, quod ſedem.* Verum tamen (quod miraculo ſimile eſt) ſcriptum reliquit Diuus Hieronymus in epiſtola quadam ad Vitalem presbyterum, puerum decem tantùm annorum, mulierem feciſſe grauidam. Eius verba ſunt hæc. Audiui (domino teſte, non mentior) quædam muliercula, cùm expoſitum nutriret infantem, & ſtillaret cibos, & nutricis officio fungeretur,

cubarétqoe cum ea paroulus qui vſque ad decimum iam peruenerat annum, accidit, vt pluſqnam pudicitia patitut, ſe mero ingurgitatet: accenſáque libidine, obſcœnis motibus ad coitum duceret infantem. Prima ebrietas alterius noctis & cæterarum deinceps fecit conſuerudinem. Nec dum doo menſes voloti, & ecce fœminæ vterus intumuit. Quid plura? diſpenſatione Dei factum eſt, vt quæ contra naturam ſimplicitate paruuli in contemptum Dei abutebatur, a naturæ domioo proderetur. Sed & Hoſtienſ. *tit. de pœnit. & remiſſ. §. cui. verſic. cui pueri.* tradit ea Gregorio quendam puerum annorum nouem matrem ſuam impregnaſſe. ¶ Quod ſupereſt, eius ætatis puer iuſiurandum ſubire compelli nequit: nec ſi ipſe forſan iurauerit, validum ratúmque erit iuramentum. *canon. Pueri. vigeſimaſecunda cauſa. quæſtione quinta.* Sic nec eiuſdem teſtimonium tum vel maximè io cauſa criminoſa, ac cum de capite & fortunis agitur, admittendum fuerit: nec ſatis eſt ad tormenta: multò minus igitur ad mortem. Calliſtratus *in l. teſtium. §. lege Iulia. ff. de teſtib. cap. ſi teſtes. tertia cauſa, quæſt. 4. §. lege Iulia.* Nam quodcunque viderit impubes, ignorat, nec eius animi certum eſt iudicium. *l. 1. §. impubes. C. de falſ. monet.* Qua ratione ſuſpectum cenſebitur ipſius teſtimoninm. Quæ ſententia eſt Bald. *in l. teſtium. C. de teſtib.* Quia ad dicendum pro teſtimouio nemo niſi iuratus, & cum iuriſiurandi religione admittitur. *l. ſolam. C. de teſtibus, cap. nuper. & cap. tuis extra de iureiur.* Atqui nullius eſt momenti impuberis iuſiurandum. *d. cap. pueri. & cap. paruuli. 22. cauſa, quæſt. 5.* Non enim ſciens fallere videtur. *l. qui iuraſſe. ff. eod.* Vlpian. *in l. videamus. ff. de in lit. iur.*

FORNERIVS.

PVERI APPELLATIO. ¶ Triplex pueri ſignificatio, io ſtatus, ſexus, ætatis diſcrimine verſatur: vt & apud Græcos, τῦ παιδὸς Iul. Pollux *lib. 3. Onomaſtic.* ¶ Prima, qua cuiuſlibet ætatis ſerui, pueri nominantur: Moſchopulus λέγεται παῖς, καὶ ὁ υἱὸς, καὶ παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς, ὁ δοῦλος, κἂν ᾖ γέρων. Terentianus Simo, [Interrogabam manè illorum ſeruulos, bens puer, dic ſodes] D. Ambroſius, de Abraham Patriarcha. *lib. 1. cap. 9.* pueri, id eſt, ſerui. Euthymius *in canticum 9. & Matthæus cap. 8.* centurionis puerum παῖδα diait, eundem Lucas *cap. 7.* ſeruum τὸν δοῦλον appellauit. *l. 81. ſeruis. §. pueris. de leg. 3.* Hoc ſenſu impenſæ in doctrinam puerorum, id eſt, ſeruorum dotalium eruditionem. *l. 79. impenſa. 3. h. t. l. 117. ſi quid relictum. de leg. 1. l. 27. ſinautem. ſi. de rei vind.* Symmachus *lib. 6. epiſt. 8.* [Puer veſter inconſultis atque ignorantibus nobis, vrbe diſceſſit: vt eſt ſeruis familiaris improbitas.] Scæuola. [Ab heredibus meis dari volo pueros quinque ex meis, duntaxat intra annos ſeptem.] *l. 41. vxorem. §. teſtamento. de leg. 3.* ¶ Altera, cum puerum à puella, ſexu diſtinguimus. Ἐπεὶ ἂν παῖδα τῷ ὀνόματι ἐναντίῳ τῆς κόρης λέγομεν. *l. 161. illa verba. §. pueri. 3. h. t. d. §. ſi pueris. l. 14. mela. de alim. & cib. leg.* ¶ Poſtrema, cum ætas puerilis demonſtratur. καὶ ἰκανὴν παιδικὴν ἡλικίαν δηλοῦμεν. *l. 1. §. pueritiam. 3. de poſtul.* Cicero *in Antonium Philipp. 13.* ET TE O PVER. [Puerum appellat, quem non modò virum, ſed etiam fortiſſimum virum ſenſit, & ſentiet. Eſt iſtud quidem nomen ætatis: ſed ab, &c.] Puer, pro impubere, Vlp. [prædium puero comparari non poſſit.] *l. 5. de admin. tut.* Paul. [pretium acceptum creditoribus paternis pueri ſoluerit.] *l. pen. de reb. eor.* Pap. [ne patris teſtamentum puer filius reſcindat. *l. 39. in tabulis. de ſtatulib.* ¶ Huius ætatis ratio cum in multis rerum argumentis, tum in iudiciis, potiſſimùm, teſtimoniis, contractibus, & delictis haberi ſolet. Ac vt de ſingulis nonnihil attingamus: principio quia iudicio careut pueri, non leguntur iudices. *l. 12. cum prætor. de iud.* Ariſtoteles ſeruos iudicij expertes ait, mulieri iudicium, ſed incertum, puero imperfectum tribuit. *lib. 1. cap. vlt. Polit.* ὁ μὲν δοῦλος ὅλως οὐκ ἔχει τὸ βουλευτικόν, τὸ δὲ θῆλυ ἔχει μὲν, ἀλλ' ἄκυρον. ὁ δὲ παῖς ἔχει μὲν, ἀλλ' ἀτελές. Deinde in contrahendis negotiis, & ſi capti reſtituantur a Prætore. *l. 1. de min.* Parui tamen refert, cuius ætatis ſint inſtitores: ſibi debet, qui tabernæ præpoſuerit, imputare. [Nam & plerique pueros puellaſque præponunt officinis.] *l. 7. ſed & ſi fin. ll. ſeqq. de inſtit. act.* Quod autem ad teſtimunium in aliena lite dicendum attinet, vix eſt, vt ante 14. annum admittantur: qui ante eam ætatem non iurant. *cap. pueri, 22. q. 1. 26. qui iuraſſe. verſic. quia ſciens fallere non poteſt. de iureiur.* nulla autem iniurato teſti fides babeatur. *l. 8. iuſiurandi. C. de teſtibus.* Ideóque io mancipationibus ac teſtamenti ciues Romani puberes adhibebantur. *tit. de teſtam. ord. inſt.* Boetius in *Ciceron. topica*, ex Caij inſtitutionibus. Certè vt non temerè iuſtum legitimi teſtimonij pondus aſſertioni puerili tribuerim: ita nec planè, ſi quid aptè, de iis quæ ſub eius ætatis ſenſum cadant, dixerit, aſpernandum putem.

Maxima debetur puero reuerentia, ſi quid
Turpe paras: Pueri ne tu contempſeris annos.

Cum aliquando de cæde domi facta ambigeretur, placuit propinquis quæri à filio quinquenni, qui vnà dormierat, quem percuſſorem agnoſceret: ille procuratorem digito demonſtrauit. Filius procuratorem accuſat cædis. Senianus dicebat, [Nihil eſſe puero teſte certius, vtique quinquenni. Nam & ad eos peruenit annos, vt intelligat, & nondum ad eos, quibus fingat.] Seneca *lib. 7. declam. 5. lib. 4. controuerſ. 2.* Sanè antè pubertatem non teſtantur. *l. 5. qui teſt. fac. poſſ.* nec litem de ſtatu patiuntor. *tit. C. de Carbon. edict.* De quibus autem annis poſſint teſtificari minores, apertè V Viſigotorum *lib. 2. tit. 4. l. 11.* ita canetur. [Hæc ætas erit conſtituta in minoribus annis ad teſtimonium admittenda: vt poſtquam puer aut puella 14. vitæ ſuæ annos impleuerint, ſit illis in cauſis omnibus, teſtificandi indubitata licentia.] Poſtremò in delictis ætas ſi minus tollat, at certè mitigat pœnam. *tit. C. ſi aduerſ. delict. tit. de delict. puer. lib. 5. decret.* Impunitas ita datur, ſi crimen quod intenditur, in eam ætatem non cadat. *l. 7. impunitas. C. de pœnis.* Vt ecce, pœna quæ falſæ monetæ auctoribus ac conſciis irrogatur, infanti remittitur. *l. 1. C. de falſ. monet.* & pupillo impuberi. *l. 4. C. Th. eod. tit.* Et adulterij crimen, quod poſt pubertatem incipere Papinianus ait. *l. 36. ſi minor. ad leg. Iul. de adult.* ante 14. annum incredibile videtur. Quinctilian. *declam. 355.* Quare non abs re diſpiciendum admonent Græci, num quis ſit proximus pubertati, vt iam ſe delinquere ſentiat. Baſilic. *lib. 60. tit. 51. cap. 44.* Οὐδέποτε συγχωρεῖται διὰ τὴν ἡλικίαν

ἀλκίαν ὁ τιμωρία τῶ ἁμαρτήματος μόνον ἐὰν ἐς ἰ πλεονάζον τῇ ὕβρι τις, ὅτι αἰσθάνεται τῶν παρ' αὐτῷ ἁμαρτανομένων. Areopagitas ferunt, puerum, qui corniculæ oculos effoderat, quòd illum vbi adoleuiſſet, multò fore crudeliorem exiſtimarent, condemnaſſe. Vbi mens adhuc tenera malis cupiditatum imbuta venenis, ſeſe iam prodit, ſupplente ætatem malitia: maximè ſi non longè à pubertate abeſt, punietur: Infantiæ verò proxima, excuſationem merebitur. *l.1.§.impubes.§.ſeq.l.14.excipiuntur. ad Se.Syllan.* Theophilus *§.pupillus.de inutil.ſtipul.* Photius *tit.4.Nomocan.cap.13.* Eſt ille poëtæ verſus non ignotus:

Odi puerulos præcoci ſapientia.

L.Apuleius *apologia pro ſeipſo 2.* [Sed enim malitia præeat puerum, inquit, quis non auerſetur atque oderit, cum videat velut monſtrum quoddam, priùs robuſtos ſcelere, quàm tempore, antè nocentem, quàm potentem, viridi pueritia, cana malitia: vel potiùs hoc magis noxium, quod cum venia pernicioſum eſt, & nondum pœnę, iam iniuriæ ſufficit. *l.109.ferè in omnibus.ʒ.tit.ſeq.l.37.auxilium.ʒ.de min.* *Ætatem pueril.* ¶ Non conſtitui pluribus hic de variis ætatis humanæ gradibus agere: indicabo, quos poſſis conſulere, Hippocratem, Ariſtotelem *lib.2. Rhetor.ad Theodect.cap.*12. A.Gell. *lib.*10.*c.*18. Macrob. *Saturnal.* Iſidorum *lib.11.Etymolog.cap.6.* Accurſ. *l.12.cum prætor.de iudic.l.68.computationi.ad leg.Falc.* Bald. *cap.ex ſtudiis.de præſumpt.*

CCV. ¶ IDEM lib. iiij. Epitomarum Alfeni.

QVI fundum vendidit, pomum recepit. Nuces, & ficos, & vuas dumtaxat duracinas, & purpureas, & quæ eius generis eſſent, quas non vini cauſa haberemus, quas Græci τρωξίμους appellarent, recepta videri.

ALCIATVS.

QVI FVNDVM. ¶ Appellatione pomi omnis fructus edendi cauſa paratus, continetur, non ita ſi ad potum pertineat. Et dubium in hoc caſu faciebat, quoniam pomum dupliciter accipi poteſt, ſpeciali ſignificatione, qua mala intelligimus, itémque generali. Videbatur autem potius ſpecialiter capiendum, tum quia verba in caſibus dubiis ſunt potius ſecundum ſpeciem, quàm ſecundum genus interpretanda. *l.hoc legatum.de leg.3.* tum quia cùm exceptio hæc à venditore facta fuerit. *l.veteribus. de pact.* æquum erat pactionem ambiguam ei nocere, qui legem potuit apertiùs dicere. Adde quòd indefinitè prolatus fuit huiuſmodi ſermo, & in contractibus indefinita oratio propriè vniuerſali non æquipollet. Bart. *l.ſi pluribus.de leg.2.* Sed tamen aliud Paulo viſum eſt: non enim aliter, quàm in vniuerſum, exceptio illa indefinita intelligi poteſt, alioquin nullius effectus eſſet: nec in ſpecie de malo tantummodo fuit accipiendum, cùm non minùs propriè nuces: cæterique fructus, pomi nomine comprendantur, quàm mala, licet hodie in vulgari vſu loquentium aliud ſit. Non ergo tam ambigua eſt pactio, vt quid actum ſit, intelligi nequeat: vnde verbis ſtandum eſt, nec contra venditorem interpretatio ſumenda.

Duracinas & purpureas. ¶ Oſtendit Iuriſconſultus eas vuas, quas non vini cauſa habemus, ſed eſus, poma dici poſſe: eas Græci τρωξίμους, quaſi comeſtibiles dicas, appellant: atque ita in antiquis eſt codicibus. Sunt autem duracinæ, vuæ duriores, quæ propter firmitatem etiam contra frigora durarent, & ideo ſeruarentur, ſunt qui earum ſpecies eſſe Veniculas, & Numeſianas credant. Purpureas verò appellaſſe Iuriſconſultus eas videtur, quæ in ollis conderentur: quoniam cùm adhuc rubeſcunt, ante videlicet perfectam maturitatem, decerpi debent, vt Cato præcipit: qua ratione etiam omphacium fit Dioſcoridi, vuæ videlicet μήπω περκαζούσης, id eſt, nondum nigreſcentis, vt ego interpretor. Poteſt & hic intelligi de vitis ſyluestris, quàm Græci τὴν ἄμπελον ἀγρίαν vocant, vuis: hæ enim πυῤῥοὶ id eſt, ruffi coloris ſunt, vel vt Plinius inquit, cocco ſimiles. Sunt & ſatiuæ aliquæ purpureæ eſui aptiſſimæ, quas Græcas in Prouincia Maſſilienſi vulgò oppellant. Ouid. *Metamorph.lib.*8. non vuas, ſed vites ipſas purpureas appellat:

Et de purpureis collecta vitibus vua. Meminit & Plinius *lib.*14.*cap.*3.*&* 4.

Generis. ¶ Vuarum quæ eſui ſeruantur, quáſque aliqui ſuburbanas vocant, hæ ſpecies ab authoribus proditæ ſunt: Præcoquæ, quas & Lagoas, quaſi Leporarias dicunt: Duracinæ, Purpureæ, Digitales, Rhodiæ, Libycæ, Cerauniæ, Stephanitæ, Tripedianæ, Vnciariç, Cydoniæ: & ex his aliquæ etiam vinis conficiendis vſui eſſe poſſunt. Vnde ſi venditor edules eſſe aſſerat, emptor verò tanquam vinaceas ad ſe pertinere contendat, putarem id, quod veriſimiliter actum eſt, obſeruandum, & ex pretio fundi, vuarúmque quantitate æſtimandum, quid contrahentes ſenſerint, in re verò planè dubia contra venditorem pronunciandum.

Recepta. ¶ Id eſt, excepta. Inde receptitius ſeruus, qué mulier de dote excipit, vt Gel. interpretatur. Eſt etiam recipere, præſtaturũ promittere, quod Græci ἀναδέχεσθαι dicũt, & vterq; ſenſus hîc quadrat.

BRECHÆVS.

QVI FVNDVM. ¶ Cùm pomorum appellatio complectatur omne genus fructus, qui eſui ſit potiſſimùm deſtinatus, quæſitum fuit, an is, qui fundum vendiderat ea lege, vt poma fundo liceret excerpere, cenſeretur vuas vini cauſa paratas ſimul etiam excepiſſe? Et reſponſum eſt, nuces & ficus, & duracinas vuas duntaxat, quas non vini cauſa haberemus, exceptas videri. Quæ autem ad vinum paratæ eſſent vuæ, venditas eſſe. Sic vua duracina dicitur, vt ficus duricoria, authore Budæo in hunc locum. Dicitur autem vua duracina à duritiæ acini, quaſi durus acinus vt traditum eſt à Plinio *libro decimoquarto naturalis hiſtoriæ, capitulo primo.* Ea ſiquidem eſt τρώξιμος, id eſt, edulis & cibaria eſcariáque, eodem Budæo interprete. In Commentario Alciati, vbi legitur μήπω περκαζούσης,

cenſeo legendum, μύτω vel μηδ᾽ ἴπω. Vbi περκάζοντες, forſan egendum fuit περκάζοντος, id eſt, nondum ſuffeſceore, vel nondum ruſſum colurem trahente. Tum enim dicitur vua περκάζειν, cùm incipit nigreſcere, & ex tubore verti io nigredinem.

Recepta. ¶ Recipere, idem eſt, quod Cauere. Sic accipitur ab Vlpiano *in l. emptorem. §. qui autem. ff. de act. empt. & vend.* Niſi forte, inquit, ſi quis omnes iſtas ſupraſcriptas cōuentiones recipiat: quemadmodum recipitur, vt venditor nummos accipiat, quamuis merx ad emptorem non perueniat, recipitur, id eſt, cauetur, Budæo *in forenſib.* interprete. Inde fit, inquit, vt recipere, pro excipere vſurpetur. Quare hoc loco dixit Paulus recepta, id eſt, cauta & excepta, & reſeruata. Hinc receptitia actio; id eſt, quæ alicui (vt vulgò loquimur) reſeruari ſolet.

Fornerivs.

Qvi fvndvm. ¶ Fundi vel ædium venditione ea omnia continentur, quæ ædium ſunt, vel propter ædes habentur, cæteráque, quæ enucleatè Vlpianus, Pomponius, Iabolenus *l. 13. Iulianus fi. & 5. capp. ſeqq. 5. de act. empt.* diſſeruere. Niſi quid in diſtrahendo venditor exceperit, vt ſeruitutem, vſumfructum, habitationem *d. l. 13. §. pen. l. 7. fundum. de act. empt.* ne ſeruus Romæ, vel in pomœrio moretur, ne ancilla proſtituatur *tit. de ſeru. export. tit. ſi mancip. ita ven. C.* lex commiſſoria, addictio in diem, pactum de tranſſcribenda re venditori *tit. de pact. inter empt. C.* Ruta cæſa *l. 241. in rutis. ſ. h. t.* ne piſcatio thynnaria exerceatur *l. 13. venditor. comm. præd.* vt manu ſata (ne longiùs ab Iaboleni exemplis abeamus) & fundi fructus, vel aqua & circa aquam pedes decem exciperentur *l. 40. qui fundum. §. fundi. §. ſeq. l. pen. de contr. empt. l. 29. qui duo. l. ſeq. de ſeruit. rustic. præd.* Denique ſi in fundi venditione pomum recipiatur, Paulus ex Alfeno tradit, nuces, ficos, vuas cibarias, τρώξιμας tantùm, quæ non vini cauſa haberentur, excipi. Columella. [Vitis aut ad eſcam, vel ad effuſionem deponitur. Ad eſcam non expedit inſtituere vineta, niſi cum tam ſuburbanus eſt ager, vt ratio poſtulet inconditum fructum mercatibus, velut pomum vænire: quæ cum talis eſt conditio, maximè præcoques, & duracinæ, tum denique purpureæ, & bumaſti, dactylíque, & Rhodiæ, Lybicæ quoque & cerauniæ.] Hæc ille *lib. 3. de re ruſtic. cap. 1. 2. & lib. 12. cap. 43. 44. 45.* M. Varro *lib. 1. cap. 54. de re ruſtic.* [Vua non ſolùm, inquit, legitur ad bibendum, ſed eligitur ad edendum.] Vua ergo duracina, edulis, cibaria, τρώξιμος pro eodem: paſſa, paſſaria, idem. Paſſa, id eſt, ſicca: opponitur recenti, ac ſucculentæ: paſſi ſenes, Lucilio, apud Nonium, *Rugoſi paſſiq́; ſenes eadem omnia quærunt.*
Apicius de re culinaria *lib. 6. c. 3.* Duracinas, quod areſcant ac dureſcant, dictas hic exiſtimo. de purpureis & Amyneis, Seruius in illud *lib. 2. Georg.*

Sunt & Amyneæ vites firmiſſima vina.

Vopiſcus in Floriano, *Vitis quæ Amyneas albas ferebat, eo anno plurima purpurea facta eſt.*
Serenus *cap. 28.* *Succus Amyneæ vitis cum pane medetur.*

Quod autem de nucibus additur, facilè ſedulam Grammaticorum differentiam eleuat: qui pomum mollioris tantùm corticis fructum, nucem durioris fructum eſſe tradunt. Hic pomo excepto, nux quoque excipitur: pomum igitur nomen generis nucem quoque ſub ſe tanquam ſpeciem continet. Vide Apicium *lib. 4. cap. 2. lib. 6. c. 5.* Plinius iuglandes eſcarias vocat *lib. 15. c. 22.* [Recepit.] ¶ Vt Florentiæ ſcriptum, ita legiſſe Accurſius videtur, rectéque expoſuiſſe, excepit. Sic noſtri ſæpe, Recipere, pro excipere, & reſeruare vſurparunt. Aquam recepit *l. 30. qui duo. de ſeruit. ruſtic. præd.* vſumfructum ſibi recepit *l. 42. Seia. de don. cauſ. mort.* habitatio recepta. *l. auxep. de contr. empt.* recipere ſeruitutem *l. 5. comm. præd.* Seruus receptitius, quem ſibi mulier in danda viro dote reſeruauit, ac retinuit ἐξαίρετ&c. A. Gell *lib. 17. c. 6.* dos receptitia. Vlpian. *frag. tit. 6.* [Nuces.] ¶ A. Caſcelius conſultus à quodam, cum Ædiles edixiſſent, [Ne quis in arenam niſi pomum mitteret,] an nux pinea pomum eſſet, reſpondit vrbanè, [Si in Vatinium miſſurus es, pomum eſt.] Macrob. *lib. 2. Saturn. c. 6.*

CCVI. Ivlianvs lib. vj. ex Minicio.

Vinaria vaſa propriè vaſa torcularia eſſe placet. Dolia autem & ſerias tamdiu in ea cauſa eſſe, quamdiu vinum haberent. Cum ſine vino eſſe deſinerent, in eo numero non eſſe: quoniam ad alium vſum transferri poſſent. Veluti ſi frumentum in his abdatur. Eandem cauſam amphorarum eſſe: vt cum vinum habeant, tum in vaſis vinariis: cum inanes ſint, tum extra numerum vinariorum ſint: quia aliud in his abdi poſſit.

Alciatvs.

Vinaria. ¶ Varia ſunt apud veteres vaſorum nomina, quibus vina imponebantur: Et in primis ea erant, quæ conficiundo muſto vſui habebantur, & torculari coniuncta erant, vnde Torcularia dicta ſunt. Eo perfecto, in dolia & ſerias inferebatur, in quibus deferueſceret: erant hæc vaſa maiora, & capacia, & non minus quàm Culeum, id eſt, vicenas amphoras continebant, videtúrque ſerias figulini fuiſſe operis, nec ſolebant ea de cellis vinariis aſportari, licet alij quoque vſui eſſe poſſent, quàm vino continendo: vbi deferbuiſſet, quod promercale effici volebant, vt meliùs inueteraſceret, in minora vaſa, & certæ menſuræ diffundebatur: conſueuerántque patresfamiliâs illud ſic diffuſum vendere. *l. vinum. de tri. leg.* Ea vaſa erant amphoræ, vel vrnalia, aut cadi: dicta ſunt vrnalia quòd vrnam continerent: hæc eſt menſura ſextariorum vigintiquatuor. Eſt autem ſextarius quinædenæ vocis, ſic dictus, quòd ſit ſexta pars congij. Sextarij ſedecim conficiunt modium, modios

lex con

lex continet medimnus: at amphora idem eſt quod quadrantal, quia pedem quadratum recipiat. id duarum vrnarum pondus eſt, ſicut cadus vel metreta trium. Diffundebatur etiam quandoque in cupas vel cupulas, quæ & ipſa vaſa modica erant, ſed non certæ menſuræ, vt arbitror. *l.2.eo.tit.* ¶ Quæſitum igitur fuit, quæ propriè vinaria vaſa eſſent: & ea ſolùm Vlpian. reſpondit, quæ torcularia ſunt: dolia enim, & ſeriæ, & amphoræ, etiam in alium vſum, quàm vini habentur: vt ſi tritico, vel pecunia impleantur. Sic Horatius, amphoram mellis: Perſius, argenti ſeriam dixit: Cicero quadrantal tritici. Et hæc ex proprietate verbi locum ſibi vendicant. Sed ſi legatum ſit vinum, vel venditum, amphoræ & cadi debebuntur. *d.l.3.& 6.* quoniam ea non ſolent loco amoueri, ſed patribusfamilias remanent. Sic apud Terentium Chremes vir locuples: Releui, inquit, dolia omnia, omnes ſerias. At Horatius ſe empto vino vti oſtendens, Torquatum vocat, vt ſecum vina bibat, Tauro iterum conſule diffuſa.

Poſſit. ¶ Si tamen vini ſolùm cauſa eis paterfamilias ſemper eſt vſus, *Iacob.& Alb.hic.* vinariorum vaſorum numero erunt, vt veteres probanêre. Idem ſi in eum tantummodo vſum comparata fuiſſe huiuſmodi vaſa conſtet. Sed hæc interpretatio ex mente, non ex verbis deſcendit: Iuriſconſultus autem hic de vi verborum diſputat.

Brechævs.

Vinaria. ¶ Teſtator, qui vaſa vinaria legauit, ea tantùm legaſſe intelligitur, quæ non poſſunt in alium transferri vſum quàm vini: vt torcularia. Nam cùm dolia, Seriæ, & amphoræ, tametſi vinaria vaſa ſint, quia tamen alij rei, quàm condendo vino ſeruire quandoque poſſunt, cum ſine vino eſſe cœperint, vinariorum vaſorum numero ea haberi non oportet.

Dolia. ¶ Sunt dolia, teſte Nonio Marcello, vaſa grandia quibus vinum reconditur. Certam menſuram dolia non habebant: ſed quædam olim fieri capaciſſima ex Columella intelligimus, qui de picandis doliis loquens, ita inquit: Sunt autem ſeſquiculearibus doliis picis duræ pondo vicena quina ſatis. Seſquiculeare dolium, ait Budæ. *lib.5.de aſſe,* Columella triginta amphorarum dolium appellat, quam iuſtam menſuram & vſitatam fuiſſe, ex eius verbis coniicere aliquis poſſit.

Seria. ¶ Erant (inquit Budæus *libro ſuprà citato*) Seriæ, grandia vaſa, vt dolia, vnde vinum ad vetuſtatem ſeruandum in vaſa minora diffundebatur. Vas etiam Seria erat variæ capacitatis ad multos vſus accommodatum, eodem Budæo teſte. Columella *lib.12.rei ruſticæ, cap.*18. Dolia quoque (ait) & ſeriæ, cæteráque vaſa ante quadrageſimum vindemiæ diem picanda ſunt. Sunt qui putent eſſe Seriam vas fictile. Perſius *Satyra ſecunda, ad principium.*

—& ô ſi
Sub raſtro crepet argenti mihi ſeria dextro
Hercule.

Amphorarum. ¶ Budæus, *ſupradicto lib.5. de Aſſe*, tradit Amphoram eſſe octauam partem modij Pariſienſis: & centenas amphoras, eſſe duodenos modios noſtros & ſemodium. Horatius *lib. Epod. ode.*2. [Aut (inquit) preſſa puris mella condit Amphoris.] Quo loco videtur ille poſuiſſe Amphoram, pro vaſe eiuſmodi, quod nunc quartam dolij partem aut vulgò Baticam, aut Cacam vocamus, quo depreſſa mella commodè & aptè condas, & ſerues. Sic M.Cato *in lib.de re ruſtica, cap.*10. Amphoras nlearias dixit, alioqui Amphora ἀπὸ τοῦ ἀμφὶ καὶ φορεῖν τὸ φέρω, quòd vtraque anſa circunferatur. Amphoræ formam in ceruicem graciléſcere ſolitam, ex Catone intelligimus, cùm inquit, Amphoram defracto collo puram, impleto aquæ puræ: quę Budæi ipſius eſt coniectura. De vaſis vinariis multa videbis apud Andræam Alciatum *lib.1.prætermiſſorum.*

Fornerivs.

Vinaria vasa. ¶ Cum multis in argumentis, tum in diſcernendo rerum vſu ac nominum impoſitione, maximè patrisfamilias conſuetudinem & inſtitutum attendimus: quo quamque loco rem iure, numeroq; haberi voluerit. *l.24.quod in rerum.de leg.1.l.103.in lege.ſ.h.t.* Plerumq; enim tranſlato rei vſu, mutatur & ipſius nomen: ſpectatúrque id quod frequentiùs fiat: vt ſeruos ab eo artificio, in quo ſæpiùs verſatur, cenſeatur. *l.65.legatis.de leg.3.* Sic ſtraturas loci tabulis factas, quæ æſtate tollerentur, & hyeme ponerentur, ędium eſſe: quoniam perpetui vſus cauſa pararentur, quamuis interim tollerentur. *l.242.malum.fin.ſ.h.t.* Labeo generaliter definiebat, ea quæ perpetui vſus cauſa in ædificiis eſſent, ædificij eſſe: quæ verò ad præſens, non eſſe ædificij: vt puta fiſtulæ temporis quidem cauſa poſitæ, non ſunt ædium: verumtamen ſi perpetuò fuerint poſitæ, ædium ſunt. *l.17.fundi.l. ſeq.ſi.de act.empt.* Vlpian. [Quotidiana aqua non illa eſt (tantùm) quæ quotidie ducitur: ſed (etiam) ea qua quis quotidie vti poſſit. Quanquam quotidianam interdum hyeme ducere non expediat, etſi poſſet duci. *& poſt.* Æſtiua autem ea eſt, qua æſtate ſola vti expedit.] ducto à ſimili argumento. [Sicuti, inquit, dicimus veſtimenta æſtiua, ſaltus æſtiuos, caſtra æſtiua, quibus interdum etiam hyeme, pleruńque autem æſtate vtamur, &c.] *l.1.de aq.quot.* Sic cum ouibus legatis agni non contineantur, Martianus, quandiu agnorum numero ſint, [ex vſu cuiuſque loci æſtimandum eſſe ait.] Eadémque ratione ſaltu æſtiuo cum rebus quæ ibi eſſe ſolent, legato, illa pecora deberi negat, quæ hyeme in hybernis, aut æſtate in æſtiuis eſſe ſolent: ſed *de illis, quæ ibi perpetuò eſſent,* teſtatorem ſenſiſſe videri. *d.l.65.ſeruis ſi.l.67.qui ſaltum.de leg.3.* Mulier villæ cuſtos perpetua, vt ſaltuarius: Bibliotheca & libri: *l.12.quæſitum. l.15.ſi ita.de fund.inſtruct.* Paulus *lib.3.ſentent.tit.6. §.quicquid.* Inductis in prædium creditori oppignoratis, eos tantùm ſeruos, qui huc animo à domino inducti eſſent, vt ibi perpetuò eſſent, non temporis cauſa accommodarentur, obligatos eſſe placuit. *l.32.debitor.de pign.* Idémque de ſeruis, aut certi loci ſuppellectile, poſteà tranſlata, legata, ſtatuendum: Nempe vt in eiuſmodi quæſtionibus patrisfamil. iudicium, ſententia, exquiratur. *l.64.qui filium. l.78.quæſitum. de leg.3.* non

locus

locus,ſed vſus ſpectetur : Boues ei fundo cedant,vbi opus facerent,non vbi manere conſueuiſſent.*l.4.de fund.inſtr.* Si quis eodem inſtrumento pluribus in agris vtatur, ſi quidem appareat, cui potiùs agro dominus deſtinarit, eius erit agri inſtrumentum. *Cæteri enim agri ab hoc velut mutuantur.d.l.12. quæſitum.* ¶ Non aliò pertinet quæ propriè torcularibus adſcribitur,vaſorum vinariorum definitio: quòd torcularis vſus vino cogendo premendóque perpetuò ſeruiat : Doliis autem, ſeriis, amphoris, non æquè: Itaque tùm demùm,quum iis vinum conditur, vinaria cenſeantur:vbi inania, ſiue alium vſum tranſlata fuerint, tùm vaſa vinaria eſſe deſinant. Vino legato an vaſa quoque legata cenſentur. non quia pars vini ſunt vaſa,ſicut emblemata argenti,ſcyphorum,vel ſpeculi:ſed quia mens teſtatoris ea videtur,vt voluerit vino amphoras accedere:In doliis,maximè ſi depreſſa in cella vinaria fuerint.aut eiuſmodi,vt per magnitudinem difficilè moueantur,cõtrarium ſentit Vlpianus.*l.3.de tritic.vino & oleo leg.* Pomponius legato vino ea demùm vaſa ſequi putat, quæ ita diffuſa ſunt, vt non ad perpetuum vſum ſeruarentur : veluti amphoræ & cadi : *l.antep.eod.* Doliaris ergo vini, amphorarij.diffuſi non eadem ratio, inde, ac ſeqq.ll.cognoſcitur : ac Plinio *lib.14.cap.14.* Illa in vaſis quoque differentia obſeruatur,vt alia capaciora fuerint,depreſſa vel eiuſmodi, vt quaſi immobilia, velut inſtrumentum agri eſſent.*d.l.3.fi.* Alia minora,vt vrnæ,amphoræ.cadi,vrnalia:ſeriæ, vtres : Varro *lib.1. de vita popul.Rom. Item erant vaſa vinaria ſini, cymbia, aquilina* (Lypſius, emendat culignæ) *patera, gutti, ſextarij, ſympuuium.* Porrò ampliora non facilè loco mouebantur : qualia in Thuſcia, quæ vini vbertatem teſtantur,ex lignis fabrefacta. quæ ædium magnitudinem ſuperarent. Strabo *lib.5.* τῦ δὲ οἴνυ τὸ πλῆθος μηνύυσιν οἱ πίθοι. ξύλινοι γὰρ μείζυς οἴκων εἰσί.Quare cum defixa eſſent ac depreſſa,aliò transferri non poterant.*l.493.Lacus.§.penult.de leg.3.*vaſa vinaria,id eſt cuppas, & dolia,in cella defixa : ſi expreſſim non legentur fundi legato deberi negat Scæuola:Quod olim accuratiùs cum *l.pen.de tritic. vin.*committere & explanare inſtitui : Nunc id vnum ſat habeo. vino legato acceſſionis iure ea vaſa quæcunque ad præſentem vſum,vt amphoras & cados, habeantur, non quæ ad hæc perpetuò reſeruentur,præſtari oportere.*d.l.pen.*Baſilicôn *lib.44.tit.8.*κέραμοι,ἀσκοὶ,πιθοὶ,κάδοι,ἄγγεια,vinaria vaſa diſtinguuntur. Sunt & Lacus, & ſubterraneæ tectorio inductæ cellæ, quibus vinum & oleum condebant. Suidas. ὀρύγματα ὑπὸ τὴν γῆν ποιοῦντες ἐυρύχωρα καὶ στρόγγυλα καὶ τετράγωνα, καὶ ταῦτα κονιῶντες οἶνον ὑπεδέχοντο καὶ ἔλαιον εἰς αὐτά.Plinius apothecas fuiſſe,& diffundi ſolita vina ſcribit *lib.14.cap.14.*

CCVII. AFRICANVS lib. iij. Quæſtionum.

MERCIS appellatione homines non contineri Mela ait. Et ob eam rem mangones non mercatores,ſed venaliciarios appellari ait,& rectè.

ALCIATVS.

MERCIS. ¶ Mercator eſt, qui negotiationis exercendæ, quæſtúſque faciendi cauſa merces emit, vt vendat.Quapropter qui ſemel emit pannos,vt venderet,mercator non eſt : quia in eo deficit exercitium. Idémque & cùm quis poſſeſſiones conducit, & locat : hæ enim merces non ſunt.*l. mercis.ſuprà eod.* Sed & cùm quis triticum, vinum, oleum in agris ſuis collectum vendit, non ideo mercator eſt,non enim ab alio emit,vt vendat,Bartol.*l.legatis.de legat.3.* vſurarij quoque mercatores non ſunt,quia pecunia in merce non eſt:imò ſi quis ſit mercator.& fœnus etiam exerceat, mercatorum priuilegiis non fruetur. quoniam non eſt veriſimile, legiſlatorem tam improbo homini quicquam voluiſſe indulgere.Cæterùm & qui amplum patrimonium habens,in re modica negotiatur,licet eius reſpectu mercator ſit,non tamen huiuſmodi priuilegio fruetur.*l.ſemper.§.negotiatores.de iure immun.*Cùm enim quilibet ab eo nomen ſortiatur,quod principaliter agit,non videtur lex mercatorem accepiſſe, qui principaliter non ſit, & ampliorem partem ſubſtantiæ in mercimoniis non habeat.in qua tamen quæſtione,quæ ratio legis ſit in primis attendemus.Bald.*in rub.de conſtitut.pecun.* & ſi citra fraudem in album mercatorum quis fuerit aſſumptus, eiúſque negotiationis ſe profiteatur, mercator propriè exiſtimandus erit, tametſi non magnam fortunarum ſuarum partem in quæſtum deduxerit. *l.ſi quid. in fi.de adil.* ¶ Venalitiarij ſunt, qui quæſtus cauſa venalitiarum rerum negotiationem exercent.Sunt autem venalitiæ res, quæ in vſum indigentium venales propoſitæ ſunt. Quapropter qui ipſi à mercatoribus minutatim emunt,vt rurſus vendant,venalitiarij ſunt:hos vulgò reuenditores appellamus. Sic & Propolæ & Annonatij, quique à ruſticis eſculenta emunt, vt deinde vendant,venalitiarij ſunt.Mangones quoque venalitiarij ſunt,quoniam venalitia,id eſt,ſeruos venales expoſitos ipſi emere præoccupant,vt cariùs vendant.Cùm enim mercis nomen in huiuſmodi ſeruis locum non habeat.*l.ſeruos.in fi.de leg.3.*tametſi mercis loco ſint, conquens eſt, vt ſaltem venalitij appellatione cenſeantur. Dicuntur autem mangones,quòd homines agant in manũ,id eſt,poteſtatem. ¶ Artifices ſunt,qui rem à ſe in aliam formam elaboratam vendunt.88.*diſt.eiciens.*quales ſunt cerdones,fabri,pelliones,ſutores,textores,ſarcinatores,fullones,bractearij,mercis enim appellatio ad hos nõ pertinet.*l.1.§.1.de tribu.*quod & in pigmẽtariis dicendũ eſt, qui ipſi medicamẽta conficiunt,& cõtuſas ſpecies minutatim vẽdunt:nã magnarij negotiatores, qui trans mare ad ſe deuehi ſpecies curant,verè.&,vt ita dicã,ἐμφαλιοπωλῶν mercatores ſunt.Sed quid ſi vtrunq; aliquis faciat,vt quia trans mare negotietur,& etiam domi pharmaca conficiat,officiníſque aſſideat? Et mercatorem eſſe dicendum eſt,ſi id principalius agit.*l.legatis.§.ſi vnus.de leg.3.*Quid item ſi ipſe non exerceat, ſed inſtitorum ſeruorúmq; opera vtatur?Et ſi nullo modo ipſe negotium tractet.verius eſt mercatorem, vel artificẽ non eſſe:ſed ſi aliquando nõ ſolùm rationes excutiat,ſed & ipſe negotiũ curet,aliud eſſet.

Illud

Illud non negauerim,leges quæ reſpectu exercitij,propter vtilitatem aliquem notant,in eo non procedere,qui per alios artem exerceat.*argu.l.3. §.ſi procurator.qui ſatiſdar.cog.* licet ipſe rationes deinde à ſeruis exigat. Sic tabernaria , licet inter viles & abiectas perſonas connumeretur , ſi tamen per alios ſolùm exerceat,vilis non cenſebitur.*l.humilem.vbi Albe.de inceſt.nupt.l.quæ adult.C.de adult.* Sic & clericus, qui præſens ipſe eam artem non exercet.Com.*cap.1.de vita cler.in 6.* vti tabernarius non notabitur. § Tradit Philoſtratus in ſophiſtarum vitis, lege fuiſſe prohibitum , ne quis artifex, ſeu, vt ille inquit , τῶν βαναύσων καὶ ἐν τέχνῃ ἐργαζομένων , ſtatuam in Olympiis habere poſſet. quo argumento Iſocratis Rhetoris patrem Theodorum oſtendit inſtrumenta muſica non confeciſſe, cùm ipſius ſtatua in Olympiis conſpiceretur.Potuit igitur non ipſe quidem confeciſſe,ſed aliorum opera in eo artificio vſus eſſe. Sic & Ariſtoteles *in tertio Politicorum* accipiendus eſt , dum in bene inſtructis ciuitatibus tradit,à ciuium conſilio excludi τοὺς βαναύσους,id eſt, ipſos vilium artium operarios : poterunt ergo eorum domini admitti, ſi ipſi non operentur:in qua tamen re vrbis ipſius conſuetudo obſeruabitur,an eos quoque,qui his imperant,inter viles & mechanicos habeat. Eiuſmodi legem apud Hebræos quoque fuiſſe,oſtenditur Eccleſiaſtici *cap.38.*vbi de pigmentariis,pictoribus,fuſoribus, architectis,fabris,& figulis verba faciens,in Eccleſiam,inquit non tranſilient,& ſuper cathedram iudicis non ſedebunt. Conſtat autem iure ciuili non venalitiarios & artifices ſolùm, ſed etiam mercatores inter inhonoratas perſonas cenſeri. *l.ſi cohortalis. C.de cohort.lib.*12. Quapropter lex trapezitas,id eſt, menſarios,gemmarúmque & argenti,& veſtium diſtractores,omnéſque apothecarios,& quibuſcunque ergaſteriis adhærentes, à dignitatibus & militia ſubmouet. Sed hodie aliud dicendum videtur: non enim ea eſt in prouinciis populi Romani opulentia,diuitiarúmque copia,quæ olim florente Imperio , fuit, & ideo mercatores paſſim inter viles non habentur : & cùm huiuſmodi artium negotiationúmque auctoritas , & honor ab ipſius populi exiſtimatione dependeat , ea exercitia ſordida interpretabimur,quæ ex vrbis conſuetudine pro ſordidis habentur.Bart.*l.1. C.de dignit.* ea verò honeſta,quæ ab honeſtis communi ſententia perſonis geruntur:videtúrque communem vrbium in Italia opinionem ab eo non recedere,quod M.Cicero *Officiorum lib.*1.cenſuit:is illiberales & ſordidos quæſtus eorum eſſe ſcripſit,qui in hominum odia incurrunt,vt portitorum(hi ſunt qui vectigalia portibus inſidentes exigunt,& magnariis publicanis ſubſeruiunt) & fœneratorum,itémque eorum,quorum opera,non quorum artes emuntur.In quo genere etiam ſunt opifices, qui in rebus ſordidis verſantur,& maximè qui voluptati & gulæ ſubſeruiunt, vt cetarij,lanij,coci,fartores,piſcatores.Sed & vnguentarij eodem pertinent , quos vrbe expulſos à Lacedæmoniis : autor eſt Seneca *Naturalium quæſtionum lib.*4. Hi myropolæ Græcis dicuntur , effœminandorum animorum artifices. Saltatores quoque in eadem cauſa ſunt : ſed & mercatores tenues , ſicut & venalitiarij , qui à mercatoribus emunt,vt ſtatim vendant (vulgò retaliatores dicuntur) ſordidi ſunt,quòd videlicet lucrum mentiendo faciant. Et ex hac Ciceronis definitione apparet egregios pictores & ſtatuarius viles non cenſeri,ſicut nec copioſos mercatores. Sed an literator pædagogus vilis ſit?Et non eſſe arbitraret:profitetur enim ſtudia liberalia:quòd ſi menſtrua mercede in domo aliena conductus deſeruiat,Luciani teſtimonio,in libello,cui titulum fecit περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων,tanquam indecori muneris affectator, reiiciendus eſt.Eos quoque qui rem alicuius priuatam adminiſtrant(vulgò Factores vocamus) veluti indecores à perfectiſſimatus dignitate leges repellunt. *l.1. C.de perfec.dign.lib.*12. huiuſmodi enim procurationem ſuſcipientes tanquam immemores libertatis, & generis, lex notat. *l.ſi quis procur.C.de decur.*Sed quid de Scriba,aut Tabellione cenſebimus?Et cùm eis merces hodie,non tam pro opera,quàm pro induſtria & publico auctoramento conſtituta ſit,non videntur pro ignobilibus habendi,idque ex Ciceronis definitione : licet conſtitutionibus Cæſarum aliud cautum ſit.*l.vniuerſos.C.de decur.*Scribit Æmilius Probus apud Graios honorificentius eſſe Scribarum officium,quàm apud Romanos:hi enim mercenarios exiſtimant:at Græci ad id munus neminem admittunt, niſi honeſtis natalibus,fidéque & induſtria cognitum,quòd neceſſe ſit eos omnium cõſiliorum eſſe participes:quem morem etiamnum ſeruari vbique conſtat.Quid rurſus de Præcone dicemus? & M.Cicero *epiſt.lib.* 6. ea autoritate Balbi Iuriſconſulti ignobile munus arbitrari videtur,vnde vetari eum in decurionibus eſſe.*l.eos.ff.de decu.* ad Leptam ſcripſit:quam ſententiam & nos probamus:non enim ſimpliciter hic muſicam profitetur,ſed voce & clamore populum alloquitur.Iuuena.

Quondam hi cornicines,& municipalis arenæ,
Perpetui comites,notæq́ per oppida buccæ.

Brechævs.

Mercis. § Mango dicitur,qui ideo homines mercatur vt vendat, commodare etiam abutendos pretio ſolet,ſicut tradit Valla *lib.4. elegant.cap.*110. Dicti autem videntur Mangones,quaſi manu agentes. Hi ſeruos , pueros ſcilicet & puellas emebant , quos tum colore emendito excolebant polie bántq;,fuco ac verum robur inani ſagina mentientes, vt charius eos poſteà diuenderent. Vnde Plinius *natur. hiſtoria lib.37. ad finem operis* , Mangones gemmarum appellat eos, qui has ipſas gemmas expoliunt. Interpolatores etiam Latinè vocari poſſunt , quos vulgus noſtrum regratetios nominat.Quapropter Mango ad omnia venalia pertinet, & omnis generis mercimonia. Venalitiarij autem ſunt qui ſeruos vendunt,& ſeruorum mangones,à Græcis ἀνδραποδοκάπηλοι dicti.Cætera doctè explicat in hunc locum Alciatus.

Fornerivs.

Mercis. § Nomine mercis res tantùm mobiles ſignificari ex Vlpiano docuimus. *l.66. mercis. ff. h.t.*Nunc verò mercis appellatione homines, id eſt ſeruos non venire contendit Africanus:ducitque ab etymologia argumentum:nam qui mancipiorum negotiationem exercent, non rectè

mercato

mercatores,ſed mangones,& vænalitiarij nominantur:& eos diſtinait Seneca lib.4 *de beneficiis cap.* 13. [Mercator vrbibus prodeſt , medicus ægro, mango] (ſic enim, non vt volgò *(magno)* legendum admoneo) *venalibus*.M.Cicero *in aratore ad Brutum:* [Neque me diuitiæ mouent.quibus omnes Africanos,& Lælios multi mercatores,vęnalitiiq́ue ſuperarunt.] Nam qui mancipiis coëmendis,vendendiſque negotiantur,vænalitiarij,& mangones (quanquam & qui gemmas interpolant, vt pluris reuendant, mangones Plinio *lib.37.cap.13.*) propriè nominantur. Pomp. [Vænales nouitios coemendo,vel aliquam negotiationem ineundo.] *l.11.ſi negotia.de neg.geſt.*Quinctilianus *declam.*340. [Mango nouitium puerum in publica roſtra fecit prætextatum , dicitur eſſe liber.*& poſt.* quàm multa aduerſus puerum mango iratus poteſt.] Suet.Tranquillus,*de claris Rhetorib.* [Vænalitij eum Brunduſij gregem vænalium è naui educerent,formoſo & pretioſo puero.quòd portitores verebantur, bullam & prætextam togam impoſuere:facilè fallaciam cælarunt: Romam venitur,res cognita eſt.petitur puer:quòd domini voluntate fuerit liber.] Arpocration *in eo. Rhetoras.* *Ἀνδραποδοκάπηλος, ὁ τοῦ λογιζόμενος, σωματέμπορος. παρὰ τὸ καπηλεύειν τὰ ἀνδράποδα, ὅ ἐστι πιπράσκειν.* Theophil.§.1.*de ſocietate.* Hic mercatores,*οἱ ἔμποροι,*vænalitiarij,*οἱ σωματέμποροι* à Græcis exponuntur. Quamquam in veteri Rom. inſcriptione legerim , L.Valsrevs Zabuæ mercatori vænalitiario. Quinctilianus *lib.5.cap.* 12. [Mancipiorum negotiatores formæ puerorum virilitate exciſa lenocinantur.] ¶Quamuis igitur rei appellatio omnia corporea,incorporea,omnem cõtractum & obligationem,corpora,ipſos etiam homines contineat. *l.5.l.6.ff.h.t.l.32.omnia. de leg.2.* & dominus ex ſerui ea contractibus obligati peculio deducat, quod ſibi debetur,Theophilus *tit.quod cum eo qui in alien.poteſt.* Si ſciuerit ſeruum ex peculiari merce negotiari,velut extraneus creditor in tributum vocabitur.in edicto prætoris meritò adiicitur,Mercis nominis:ne omnis negotiatio cum ſeruo facta tributoriam induceret.*l.5.de tribut. act.*Ecce mercis verbo mancipia contineri negat hic Africanus.Cui videri poſſit duobus in locis obloquutus Vlpianus. Fatetur enim mercis appellationem anguſtiorem , neque ad ſeruos fullones , vel ſarcinatores,vel textores.vel vænalitiarios pertinere : ad omnes tamen negotiationes porrigendum edictum. *l.1.§.licet. de trib.act.* Idem de teſtatore qui vænalitiariam vitam exerceret , agens : [Quos quis ideò comparauit,inquit,vt illicò diſtraheret,mercis magis loco.quàm ſuorum habuiſſe credendus eſt.] *l.73.ſuos.§.cum.de leg.3.* Sed diuerſam horum exemplorum rationem ſpectari, verius eſt:nec quicquam cum hac definitione commune habet tributoria actio : quæ æquitate nititur : cui domini ſeruum negotiari permittentis ſcientia locum facit. *d.l.1.princip.§.ſcientiam.ff.de trib.act.* Quod verò vænalitium haberi mercis loco dicitur : ea ea diſtinctione pendet , quòd paterfamilias cum ſuos legaſſet ſeruos,ſuorum numero cẽſuerit:veluti quibus vteretur ipſe:non quos eſſet,quaſi merces alias quaſuis,illicò diſtracturus:vt & in portorio pro mancipiis exigendo,eadem diſtinctionem adhiberi conſtat. *l.203.in lege.ff.hoc tit.* Africanus de ineunda mercium diuerſa ab aliarum rerum æſtimatione differens,ſubtiliùs hanc differentiam enucleat.Cuius reſponſum ad ſententiam.*l.pen. & l.vlt.de condict.triticar.*pertinere, Iacob.Cuiacius *tertio ad Africanum tractatu*, docet:cui tantiſper,dum quid ab alio probabilius afferatur,acquieſcam.

CCVIII. Idem lib. iiij. Quæſtionum.

Bonorvm appellatio, ſicut hereditatis, vniuerſitatem quandam ac ius ſucceſſionis,& non ſingulares demonſtrat.

Alciatvs.

Bonorvm. ¶ Cùm bonorum appellatio ad ſucceſſionem refertur,pro hereditate capitur, ſeu iure vniuerſali,quo etiam æs alienum continetur.Cuius rei exemplum accipi poteſt. cùm quis bonorum poſſeſſionẽ petit, vel bona ſua Titio reſtitui mandat. *l.3.de bon.poſſ.l.nã quod.in fi.ad Treb.* declarauimuſq; ſuprà,quando id locũ habeat, vt cenſeatur appellatione bonorũ de vniuerſitate agi: regulariter enim eo ſermone æs alienũ non ſignificari conſtat,in eóq; ab hereditate non modico interuallo differuo; bona:túmq; hoc Iuriſconſul.reſponſum nõ procedit, quod quibuſdam exẽplis explicari poteſt.Finge 100.filiæ relicta hac cõditione,ne quid amplius ea bonis paternis petat,an dotẽ maternam,quam reſtituere pater tenebatur,petere poterit?Et cùm huiuſmodi dos ęs alienũ ſit,conſtat non prohiberi.Bar.*l.at iuſiurand.tit.de ope.lib.*Idémq; in emphyteuticis bonis,quæ ex forma initi cõtractus neceſſariò ad filios heredes pertinerent.Iaſ.*auth.vnde.C.de inof.teſt.*quòd ſi prohibita eſſet de hereditate petere,aliud cõſtitueretur. tametſi enim vt quodlibet ęs alienum debeatur,nõ eſt dubiũ hereditatis appellatione æs alienũ cõtineri. Finge rurſus maritum vxori de bonis ſuis 100.legaſſe,an compenſare voluiſſe credemus,quod vxori debebat?Iaſ.*auth.preterea.C.vnde vi.*Et negant plerique : cùm enim ea verba hoc velint vt æs alienum priùs deducatur , reſtituendum erit vxori omne debitum , deinde eo amplius legatum præſtandum. Qua ratione ſi mulier ære alieno oppreſſa, bona ſua in dotem dat , etiam in detrimentum mariti creditores exequentur : quoniam id actum videtur, vt id ſolum,quod ære illo deducto ſupereſt, ſit doti. Guid.Pap.*q.47.* In ea quoque ſpecie aperta inter hereditatem bonáque differentia eſt,quòd cùm hereditas ſit vniuerſitas quædam,augmentum omne illi accedit : vnde quadranti quem deduci de hereditate poſſe C.Falcidius conſtituit,is ſeruus imputabitur.*l.ſeruus qui.ad l.Falc.*qui in hereditate tempore mortis non erat,ſed poſt fuit,vt qui ab hoſtibus reuerſus ſit.At in bonis aliud eſt:quapropter cùm legitima,quæ patrono debetur, nõ quota pars hereditatis, ſed bonorum ſit, quod augmentum vndecunque poſt tempus mortis prouenit, nihil patrono proficiet.*l.ſi patronum.in fi.de bonis liber.* ſed heredi. ¶ Sed quid iuris in legitima quæ iure naturæ filio debetur?& cùm ea quoque ex bonis præſtanda ſit, videtur augmenti nullam rationem ducendam

ceudam

cendam. Iaſ. *in authen. nouiſſima. C. de inoff. teſta.* & ita pleriſq; viſum, & ex facto reſpódit Curt. *conſ. vlt.* Contrà videntur ſentire alij: cùm enim iure inſtitutionis debeatur: & ideò in ipſis corporibus hereditatis accipi poſſit augmentum, non minus filio quàm heredibus prodeſſet. Coru. *conſil. 265. in 1.* nam & filius in legitima heres eſt. Sed hæc ego non probo, cùm clariſſimi iuris ſit, ex bonis non ex hereditate legitimam deberi: & inſtitutio ſolùm requiritur. *l. Papinianus. §. 4. de inoffi.* vt honoratiore titulo filius ſuccedat, alioquin non poſſet pater in certo fundo filium pro legitima ſua inſtituere, cùm fundus quota hereditatis pars non ſit. *§. cæterùm. in authen. vt cum de app.* & tamen conſtat poſſe: & hic enim ex corpore rerum hereditariarum eſt. *l. ſcimus. §. repletionem. C. de inoffi.* Sibi ergo imputet, qui ſtatim fundum pro legitima non petiit. Hincq; etiam conſequens eſt, vt cùm legitima hæc portio non niſi deducto ære alieno debeatur, ſi heres moram non fecerit, quò minus deducatur, non eſſe compellendum vt reſtituat fructus, interim dum ad liquidum res perducitur perceptos: Ang. *conſ. 101. l. in fideicommiſſi. de vſur.* quod & in ratione legis Falcidiæ obſeruamus, in qua tamen quęſtione aliter atque aliter altercatum eſt. Fab. *d. authen. q. 9. verſ. 7.*

BRECHÆVS.

BONORVM. ¶ Sanè appellatio bonorum, aut ciuilis eſt, aut naturalis. Nam cum naturà dicantur bona quæ beant & beatos faciunt, vt ſuprà adnotauimus, aliter tamen bonorum appellatio accipi quandoque conſueuit: videlicet pro vniuerſitatis cuiuſque ſucceſſione, qua in ius mortui ſucceditur, ſuſcipitúrque eius rei commodum & incommodum. Nam ſiue ſoluendo bona ſint, ſiue non ſint, ſiue damnum habeant, ſiue lucrum: ſiue in corporibus ſint, ſiue in actionibus, in hac loco propriè bona appellari, Vlpianus teſtis eſt *in l. 3. ff. de bon. poſſ.* Aliòqui verò, bona dicimus, ex quibus omnino commodum lucrúmque conſequimur, damnum item nullum: vt *l. propriè. & l. ſubſignatum. §. bona. & l. bonorum appellatio. ï. h. t.* Quibus locis latiſſimè de ea re diſſeruimus. Hic itaque Aphricanus bonorum appellationem reponit in actionibus, quibus ius ipſum hereditatis perſequimur: vúltque eandem eſſe bonorum appellationem quam hereditatis. Martianus *in l. ſi legatarius. §. ſi quis. ff. ad Trebel.* Si quis (inquit) bona ſua, vel omnia ſua rogatus fuerit reſtituere, fideicommiſſariam reſtitutionem eſſe intelligendam eſt. Nos etiam Galli vulgati noſtro idiomate ſolemus hanc bonorum appellationem ſub eadem ſignificatione efferre. Vt cum dicimus aliquem bona ſua Eccleſiæ vel alicui alij dediſſe, intelligimus vniuerſam hereditatem.

FORNERIVS.

BONORVM. ¶ Hereditatis nomine bonorum quoque poſſeſſionem contineri, cum multæ anteà notatæ bonorum poſſeſſoris & heredis ſimilitudines probent. *l. 138. hereditatis. ï. h. t.* Tum in hoc etiam conueniunt, quod vterque ſit iuris vniuerſi ſucceſſor, non corporum ſingulorum. *24. nihil. ï. h. t. & hic.* Ex quo imprimis efficitur, hereditatis bonorúmve poſſeſſionis venditorem, ſi inanis inueniatur familia, ſingularum rerum euictionem non præſtare: cum ius, & quaſi aleam ac ſpem, non certa corpora vendiderit. *arg. l. 8. nec emptio. de contr. empt. l. 2. 4. de hered. vel act. vend. l. 1. C. de euict.* Deinde quòd nó, vt in fundi mei certis regionibus à pluribus poſſeſſi, certam partem petere neceſſe habeo: ita in hereditatis petitione: quæ nunquam pro diuiſo peti poteſt. *l. 8. Pomponius. de reiuind.* Iuris quippe nomen eſt, & quidem corporis expers. *l. 50. hereditas. de hered. pet. l. 1. de rer. diuiſ.* At ſi pro rebus hereditariis accipiatur hereditas, nihil vetat, quominus pro diuiſo poſſideatur: & per conſequens vindicetur. *l. 1. §. ſi ego. verſ. cæterùm. & §. pen. & vlt. ſi pars her. pet.* Sed & rei vel minimæ hereditariæ poſſeſſor rectè conuenitur. *l. 9. regulariter. l. ſeq. de her. petit.* Imò bonorum poſſeſſor cum à Prętore heredis loco habeatur, poſſeſſoria hereditatis perſecutione, tantum, quantum ciuilibus actionibus heres conſequetur. *l. vl. 2. de poſſeſſ. her. pet. & tit. ſeq.* Prętereà cum hereditas iuris nomen ſit, acceſſionem & deminutionem in ſe recipit, & maximè fructibus augetur. *l. 178. pecuniæ. ï. h. t.* Adeò vt nó ſolùm ea quæ mortis tempore fuerint, ſed & ſi qua poſteà augmenta hereditati acceſſerint, in hereditatis petitionem veniant. *l. 20. item veniunt. de pet. her. l. 15. contrario. verſ. cum fructibus in hereditate inuentis. de vulg. & pup. ſubſtit.* Omnes fructus, áccesſiones, mercedes, naula, pẽſiones, fœtus, partus, reditus: partus partum, & fœtuum fœtus, vſuræ, omnia denique augmẽta hereditatis, in hereditatis petitionem veniunt. *l. 19. & non tantùm. l. ſeq. l. 26. quod ſi oues. l. ſeq. l. 29. mercedes. l. 51. heres ſi. de her. pet.* Et quoniam ferè quod de tota re, idẽ & de parte ius ſtatui ſolet. *l. 76. quæ de tota. de reiuind. l. 3. pro derelict.* quę de vniuerſitatis fructibus cauentur, eadem & in hereditatis parte obtinebunt. *l. 2. ſi pars her. pet.* Eadémq; in poſſeſſoria, & fideicommiſſaria hereditatis petitione ratio habetur: quòd ea actio eadem recipiat, quæ & hereditatis petitio ciuilis. *l. 1. de poſſ. her. pet. l. 1. l. 2. de fideic. her. pet.* Extrà quàm, quod ab aditione percepti fructus in fideicommiſſariam hereditatis reſtitutionem nõ veniant: niſi vel heres in mora verſetur, vel rogetur eos quoque reſtituere: vel quà coniecturà teſtatoris fideicommiſſario magis conſulentis voluntas deprehendatur: quę omnia latiùs exponuntur. *l. 18. in fideicommiſſariam. l. 22. mulier. l. 27. ita. §. ſi ſeruum. l. 32. baliſta. l. 44. poſtulante ſi. l. 57. heredes. l. ſeq. l. 63. facta. §. ſi heres ante. ad Se. Trebel. l. 8. precibus. C. de impub. & al. ſubſtit.* Vſqueadeò autem fructibus augetur hereditas: vt ante aditionem ex re legata natos, heres vbi adierit, legatario non præſtet: imò verò, ſi quo caſu rem ſibi relictam poſſidens legatarius, fructus ante aditionem perceperit, heredi reſtituere teneatur. *l. 9. in Falcidia. ad leg. Falc. l. 23. ſi quis bonorum. l. 68. ſi poſt mortem. l. 91. quæſitum. §. pen. l. 120. nihil ſi. de leg. 1.* Niſi vniuerſum quid forte ſit legatum, vt equitium, armentum, grex, peculium, fundus inſtructus, cum mancipiis, vel reliquis colonorum, vel quid áliud quod magis in iúre, quam corpore conſiſtat, vt defunctoris numen: tum enim acceſſiones & augmenta legato cedunt. *l. 8. ex fundis. de vſur. l. 21. grege. l. 84. huiuſmodi. §. legatum. de leg. l. 8. denique. de pecul. leg. arg. l. 39. peculium. l. ſeq. de pecul. l. 3. de fund. inſtr. l. 34.*

nomen

nomen.de leg.3.arg.l.4.de her.vel act.vend. Vel niſi aditioni moram heres faciat : ne ex ſua fruſtratione fructuum lucrum capiet. *d.l.23.ſi quis bonorum ſi.l.38.eqms.de vſur.* Idque poſt litem conteſtatam (qua mora contrahitur. *l.3.de vſur.*) indubitatum eſt. *l.vlt. C.de vſur.& fruct.leg.* Denique ſi quid viuus teſtator rei legatæ ipſe adiecerit, debebitur legatario. *l.8.ſi ex toto.l.24.quod in verum.§.ſi quis poſt.de leg.1.* ¶ Poſtremò multum intereſt vtrùm quid vniuerſali iure, veluti hereditario an tanquam certa quædam res, aut pars poſſideatur, vel etiam omnia bona, ſed titulo ſingulari. Nam nec bonorum omnium poſſeſſor, donatarius, legatarius, heres cenſetur. *l.72.mulier.de iur.dot.* ſed ita tamen, ſi non iure vniuerſali ſucceſſerit. Ideoque bonorum vel hereditatis parte legata, quia ſingulari titulo obtinetur, neque funeris impenſa, neque ſeruorum manumiſſorum pretia deducentur : neque legatum minuetur. *l.8.ſi quis ſeruum ſi.de leg.2.* Enimuerò vt nec ſingularum rerũ hereditas, ſed iuris vniuerſi ſucceſſio: ita nec legatum vniuerſi, ſed ſingularis iuris tranſlatio eſt. *l.10.ſi alterius.de her.inſtit.l.37.heres.de acq.he.* Niſi aliud teſtatorẽ (qui minùs propriè bona pro hereditate forte dixerit) ſenſiſſe conſtet. *l.14.nam quod ſi.l.ſequen.ad Sc.Trebel.* vt hic. & *l.1.2.3.de bon.poſſ.* bonorum ſignificatio accipitur. *l.1.ĩ.de bon.hered.pet.* Sicut & illæ quoque fideicommittendi formulæ, [Quicquid ex meis, bonis, vel ex mea pecunia, vel ex hereditate ſupererit.] *l.3.de vſur.l.43.ſi ita.§.Pegaſus.de leg.2.l.32.baliſta.ad Sc.Treb.* Sicuti filiifamilias militis inteſtati bona non quaſi peculium patri deferuntur. *l.2.de caſtrenſ.pecul.*

Sicut hereditatis. ¶ In quo bonorum poſſeſſio cum hereditate conueniat, habes : nunc in quo diſcrepet. paucis accipe : Hereditatem filiusfamilias, niſi patre iubente adeundo nihil agit : Bonorum poſſeſſionem inconſulto patre, agnoſcere non prohibetur. *l.25.ſi quis mihi.§.iuſſum.de acq.her.l.1.C.qui admitt.ad bon.poſſ.* Hereditas ſolo animo, nec adito iudice, quæritur. *l.6.ſi ania. C.de iur.delib.l.20.pro herede.ĩ.de acq.her.* In bonorum poſſeſſione auctoritas prætoris decretũmque requiritur. *d.l.1.C.qui admitt.* Hereditas quidem iura directa : Bonorum verò poſſeſſio vtilia transfert. *l.2.de bon.poſſ.§.quos autem.Inſt.de bon.poſſ.* Hereditas ad xxx. vſque annum adiri poteſt. *l.8.licet. C.de iur.delib.* Ad bonorum poſſeſſionem agnoſcendam liberis quidem annus datur : cæteris dies centum ſufficiunt. *§.largius.de bon.poſſ.Inſt.l.1.§.largius.de ſucceſſ.ed.* Sed & longiſſimum adeundæ hereditati tempus iure ciuili, etiam ignoranti currit. *d.l.8.licet.* Bonorum verò poſſeſſori ex eo demum die, quo teſtatorem obiiſſe ſciuit, potuitque agnoſcere. *l.vlt.ĩ.quis ordo in bon.poſſ.l.2.l.5.C.qui admitt.ad bon.poſſ.* vti vulgari veterum Cretionum formula cauebatur, QVIBVS SCIERIS, POTERISQVE. Cicero *lib.1.de oratore.* Vlpianus *fragm.tit.22.* Solus hereditatem adire pupillus ſine tutore non poteſt, ne lucroſam quidem. *§.2.de auct.tut.Inſt.l.9.obligari.ĩ.de auct.tut.* Bonorum poſſeſſionem ſolus poteſt agnoſcere. Poſtremò per procuratorem bonorum poſſeſſio quæritur. *l.3.§.acquiritur. de bon.poſſ.* Hereditas nec curatoris, nec procuratoris opera acquiritur. *l.90.per curatorem.vulg.per procuratorem.de acqu.her.l.1.C.per quas perſon.l.5.C.de iur.delib.l.10.curatorem.ĩ.de auct.tut.l.17.cum in vna ſi.ĩ.de appell.*

CCIX. FLORENTINVS lib. x. Inſtitutionum.

CORAM Titio aliquid facere iuſſus non videtur præſente eo feciſſe, niſi is intelligat. Itaque ſi furioſus, aut infans ſit, aut dormiat : non videtur coram eo feciſſe. Scire autem, non etiam velle is debet : nam & inuito eo rectè fit, quod iuſſum eſt.

ALCIATVS.

CORAM TITIO. ¶ Coràm & in præſentia, idem eſt, refertúrque ad corporalem præſentiam. Vnde ſi teſtis aliquid coram Titio factum dicat, quamuis Titius non intelligeret, non ideo mendax erit, dum corporaliter adeſſet. Bart. *l.1.in fi.de ant.tuto.* Sic & lex, quæ ſolennia teſtamenta in præſentia teſtium fieri requirit. *l.ſi vnus. C.de teſta.* non tamen in hoc adigit, vt intelligant, ſed ſatis eſt, vt ſciant, cui rei ſint adhibiti. *l.qui teſtamento.in fi.de teſta.* Ex natura tamen rei plerunque illud coràm factum non videtur, cui intelligentia non acceſſerit. *l.diem.§.coràm. de arb.* vt cum quis coram Titio facere iuberetur : nam niſi, eo intelligente, fieret, huiuſmodi præceptum nullius effectus eſſet. Quid enim opus erat eius præſentiam adhibere, qui quod agatur, non intelligat? ſiquidem aiebat Epicharmus philoſophus, mentem eam eſſe, quæ videat, non autem oculos : qui igitur animo non adeſt, abeſſe videtur. Sed & notarius, qui intelligentibus teſtibus conficere inſtrumenta debet, ſi ſimpliciter ſcribat, rem coram illo & illo geſtam, niſi intellexerint, puniri poteſt : cum enim oporteat, vt teſtes negotium percipiant, id verbum ſecundum naturam actus accipietur, vt non corpore ſolùm, ſed etiam animo præſenti eſſent : vnde ſi aliter reperiatur, tabellio ipſe reus agi poterit. Quapropter cum aduocatus in præſentia clientis poſitionibus Latino ſermone reſpondet, non debet notarius in actis profiteri coram cliente reſponſum fuiſſe, niſi ſciat eum Latini ſermonis peritiam habere, vt intellexerit. Bald. *l.1.C.de er.adno.* Sed an in prædicta quæſtione notarius reus, crimine falſi puniri poterit? Et non putauerim, niſi doloſè egiſſe aliter probetur : vt quia data opera tempus obſeruauit, quo qui præſens erat, non attenderet : vel ſcienter affirmaſſe eum ſcripſit, qui ſomno allectus capite annuebat: alioquin qui præſens negotio habitúque intendentis eſt, intellexiſſe quoque præſumitur: nec fraudi notario eſſe debet, qui præſumptionem legis ſecutus eſt. Bal. *l.ſi tutor. C.de peti.tutor.*

Inuito. ¶ Et hoc caſu non procedit quod dici ſolet, qui poteſt inuitis facere multò magis & ignorantibus & abſentibus: & ratio eſt, quia vis verborum ita ſuadet. Qua ratione & qui cum cõſilio alicuius facere tenetur, ſatis eſt ſi conſilium accipiat, *cap.cùm olim.de arb.* licet non ſequatur: tametſi & hoc perpetuum nõ ſit. Quid enim ſi expreſſim mãdatum eſt, vt ſequatur. *l.Titium.de adm.tut.* Quid ſi

tacitè

tacitè ex coniecturis hoc colligamus? vt quia conſultor idem & adminiſtrationis collega ſit. Item quia is,qui requirere conſilium debet,inhabilis & idiota alioquin ſit,vt cùm lex adoleſcentibus permittit ſuſpectos facere curatores,dum ea conſilio neceſſariorum id faciant. *l.impuberibus.de ſuſp.tut.* Qua ratione cùm princeps cauſam difficilem & maximè controuerſi iuris cuidam legum imperito mandaſſet,vt non niſi me conſulto iudicaret. reſponſum fuit, mandatum non obſeruaſſe,qui ſimpliciter conſilium petiit,niſi & ſequutus fuerit. *Raph.conſ.55.* Idémque dicendum eſt,quoties aliæ coniecturæ hoc ſuadeant,nec enim omnes numerare poſſumus.

BRECHÆVS.

CORAM TITIO. ¶ Dictio hæc,Coram,ad perſonarum præſentiam propriè debet transferri. Nam cùm dicimus , Coram quicquam factum dictúmue , id intelligi oportet in præſentia factum aut dictum. Sic frequenter Cic. *in epiſt.* Ego,inquit,coram latiùs,i.in præſentia tua, & dum perſona tua frui licebit.Hoc ſæpe Plat.& Demoſth.dici ſolet ἐν τῷ παρόντι, quod nos in præſentiarum,ſed magis ad tempus referrur. Cùm igitur contendimus eſſe aliquid factum aut dictum coram teſtibus i.in præſentia teſtium, admittendum quidem idipſum erit, ſi modò teſtes ipſi & viderint,& audierint,& omnino intellexerint.Si enim in tabulis ſcripſerit notarius,actum contractúmque teſtibus præſentibus,& hi re vera adfuerint,veruntamen,ſi minimè id intellexiſſe ſe profiteantur,arguenda erit notarij perſcriptio. Eſt namque aliud corpore aliud animo præſentem eſſe, cum intellectus in animo tantùm ſit,non in corpore,quod omnino ſenſus eſt expers, & ſolùm tabernaculum & carcer, vt Plat.videtur,quo animus ipſe continetur & concluditur. Nam ſenſus omnis,i.audiendi, & videndi,& odorandi miniſtra membra,vt ait Lact.*de opific. Dei,c.16.*in capite,ſunt locata:vnde neruorum origo omnis,qui quidem per omneis corporis parteis ſenſum vim circunferunt : & hi ſenſus ſunt veluti mentis ſatellites & internuncij : mens verò ipſa ſenſuum fons eſt,atque etiam ipſa ſenſus eſt (Cicer.teſte *lib.4. Academic.quæſt.*) naturalem vim habens,quam intendit ad ea quibus mouetur. Itaque alia viſa ſic arripit,vt his ſtatim vtatur:aliqua ſic recondit,è quibus memoria oritur.Cętera autem ſimilitudinibus conſtruit,ex quibus efficiuntur notitiæ rerum, quas Græci ἐννοίας, tum προλήψεις vocant. Ideóque, cum intenti ad cogitandum ſumus, & mens occupata in altum ſe abdiderit , neque audire quæ circunſonant,neque videre quæ obſtent, ſolemus. Quippe ipſi oculi corporei, non ſunt quibus videmus : nec aures, quibus audimus : ſed mens per ipſos oculos,tanquam per ſpecularem quendam lapidem,videt:& per aures, ſonos vocis haurit:vnde ab hauriendis vocibus aures dictas Lactantius exiſtimauit.Quare Virgilius dixit,

--Vocémque his auribus hauſi.

Quandocunque igitur ſenſus ille cœleſtis, qui mens vel animus nuncupatur, corporeis vinculis irretitus,& corporea mole obtunditur,atque expugnatur, tum quidem falluntur ſenſus,& hebeteſcunt. Inde furor & inſania , quam Græci tum μανίαν , tum μελαγχολίαν vocant , cum videlicet ater ille humor,atque exuſta & torrefacta bilis,animi mentíſque ſedem peruaſit:inde etiam ſurditas.& cæcitas. Meo autem iudicio, vt ait Cic. *loco ſ. commemorato,* ita eſt maxima in ſenſibus veritas, ſi ſani ſunt & valentes,& omnia remouentur quæ obſtant & impediunt. Itaque & lumen mutari ſæpe volumus,& ſitus earum rerum quas intuemur, & interualla, aut contrahimus, aut diducimus,multáque facimus vſque eò, dum aſpectus ipſe fidem faciat ſui iudicij. Quod idem fit in vocibus, in odore, in ſapore,vt nemo ſit noſtrum qui non in ſenſibus ſuis cuiuſque generis iudicium requirat acrius. ¶ Qua ratione cùm viſus oculorum,& auditus aurium intentione animi conſtent,non autem corporis facultatibus, quæ nullæ ſunt,perperam in tabulis & ſyngrapha ſcripſerit notarius aliquid eſſe actum teſtibus præſentibus,niſi illi quoque & exaudierint.animíque intellectu comprehenderint id quod actum eſt:nec alioqui adfuiſſe præſenteis dicendum erit. Eadem quoque eſt ratio in his qui animi iudicio carent, cuiuſmodi ſunt infantes. Vlp.*in l.diem proferre.§.coram.ff.de recept.arb.* Coram autem (inquit) dicere ſententiam videntur,qui eam coram ſapientibus dicit.Cæterùm,coram furioſo vel demente non videtur dici. Item coram pupillo non videri ſententiam dictam, niſi tutor præſens fuerit. Et ita de his omnibus Iulianus *lib.4. Digeſt.* ſcribit. Coram ſapientibus,Accurſ.hoc loci interpretatur, coram habentibus plenum animi iudicium.Et *in l.1.C.de errar.aduoc.* Idem ipſe Accurſ.præſentes, pro his qui intelligunt, accipi vult. Quo loco tradit Imperator Aurelius, ea quæ ab aduocatis dicuntur præſentibus his,quorum aguntur cauſæ, rata eſſe oportere, perindéque habenda,ac ſi ab ipſis litium dominis proferrentur. Quod ego equidem procedere exiſtimauerim, ſi modò ipſe litigator aduocati ſui orationem exaudierit & intellexerit. Alioqui ſi quantumlibet præſens aduocati ſui idioma non capiat, vt ſi Latinè aduocatos loqueretur , eſſet autem litigator omnino latinitatis expers , præſens cenſeri non debet. Sed & ſi quis corpore abſens fuerit , videlicet longè ſemotus ab his qui vel contrahunt, vel quid aliud agunt quod teſtium præſentiam requirat , eorum tamen vocem exaudire poſſit , præſens nihilominus habendus erit,vt cenſet Felin. *in c.quoniam frequenter.vt lit.non conteſt.* Et doctores cum Gloſſ. *in §.item verborum. Inſt.de inutil.ſtip.* Quid ſi quis præſens ſit, nec tamen conſentiat? Bald. *in l.fin. §.neceſſitatem. C.de bon.quæ lib.* aſſerit eum habendum perinde , ac ſi abſens eſſet. At hoc loco Florian.tradit ſatis eſſe,ſi ſciuerit & intellexerit,non etiam ſi noluerit.Sed intellige,ſi iuſſu legis aliquid actum eſt. Tunc enim inuito eo rectè fit quod iuſſum eſt. Quòd ſi corpus malè habeat, mens tamen ſana ſit & ſui compos, præſentem eum rectè dixeris,qui ſit eiuſmodi : nec ſi tranſactionem cum alio inierit,poſſe teſtitui valetudinis corporis aduerſæ velamento.*vt in l.ſanum.C.de tranſ.*

Fornerius.

Coram Titio. ¶ Duplex eſt præſentia, vna corporis, altera animi: Abeſſe etiam vtroque modo dicitur: Ac de priore quidem abſentiæ ſpecie aliquoties iam antea. *l.13.mulieris.l.ſeq. l.199.abſentem.ſ.h.t.* de altera hoc loco diſpiciendum eſt. Abſens enim habetur, qui quamuis corpore adſit, mente peregrinatur: furore, ſomno, ira, vino, amore, aliáue animi perturbatione præpeditus, minùs attente in eo, quod agitur, verſatur. Apud Athenæum animus in menſa, *lib.1. Deipnoſoph* ὁ νοῦς γὰρ ἐστι τῆς τραπέζης πλησίον. Animus in patinis. Animus in pellibus, Ariſtophanes Pace, ὁ νοῦς γὰρ ὑμῶν ἦν τότ' ἐν τοῖς σκυτίοις: de eo qui præſens abeſt. Plautus, [Tute hîc, animus alibi.] Hæc inſpectio non in vnam iuris ſpeciem cadit. Vt ecce, Captiuus qui ab hoſtibus reuerſus omnia priſtina iure poſtliminij recipit: Ita tamen, ſi ea mente venerit, vt non illo reuerteretur. [Nec enim ſatis eſt (inquit Floren.) corpore domum quem rediiſſe, ſi mente alienus eſt.] *l.26.nihil.de capt.& poſt.re.* Ad inſtar iudiciorum rediguntur arbitria. *l.1.de recept.arbitr.* vt iudex vtroque litigantium præſente de controuerſia cognoſcit. *l.42.de vnoquoque. de re iud.* ita arbiter: alioqui ſententia ab eo non coram litigatoribus dicta non valebit. [Coram autem dicere ſententiam videtur (inquit Vlp.) qui ſapientibus dicit.] *l.27.diem.de recep.arb. c.1.de accuſ.in 6.* Et lex xij. (de qua Feſtus & Iſid.) quæ vindicias ſuperſtitibus dari cauebat, teſtes adhiberi, non fortuitos, aut tranſeuntes, ſed attentos & rogatos requirebat. M.Tul. *in Cæliana defenſione.* [Fuerant hoc rogati, fuerant ad hanc rem collocati, vt veneoum comprehenderetur.] Pater dotem à genero nonniſi ex voluntate filiæ repetit: ſi abſit, cauendum erit, ratam rem filiam habituram à patre: [Vbi enim ſapit (inquit Vlp.) ſcire eam exigimus, vt videatur non contradicere.] *l.2.ſi.ſol.ma.* Νοῦς γὰρ ὁρᾷ καὶ νοῦς ἀκούει: ait Porphyrius, περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων. Itaque ſi pater filio mandet, vt hereditatem coram Titio adeat, non tam Titij præſentiam, quàm ipſius conſilium, exquirendum crediderim: etiam ſi Titij abſentis arbitrio adeatur. ſecundum patris iuſſum rectè adeatur. *l.25.ſi quis mihi. de acq.hered.* vbi, quamuis Florent. codice refragante, lubentiùs, ſic flagitante iuris ſententia legerim, [Si coram Titio iuſſit adire; ſi arbitrio L.Titij adierit, rectè puto iuſſu adiiſſe.] Nemo non videt [iuſſiſſe] in omnibus libris ſcriptum perperam. Exempla porrò quæ de furioſo, infante, dormiente ſubiiciuntur, expendamus. *Furioſus.* ¶ Is cum quid agatur, non intelligat, perpetuò abſentis habetur loco. Corpus eſt hominis receptaculum, ratio, mens, intelligendi ſenſus, verè homo dicitur. Simplicius in Epictetum, & Syrianus, ὁ νοῦς ὁ ἐν ἡμῖν, ἄνθρωπός ἐστιν ὁ κυρίως. Quod *Geneſ.c.14.* ſcriptum Hebraïcè legitur [Da mihi animas] Septuaginta (δός μοι τοὺς ἄνδρας) expoſuere. Plato *de natura hominis, Alcib.1.* aliud ait hominem à ſuo corpore eſſe, hominem nihil aliud, quàm animam: nihil in nobis, maius, quàm animam dicere poſſe, Ἕτερον ὁ ἄνθρωπός ἐστι τοῦ ἑαυτοῦ σώματος: paulò pòſt. Ἐπειδὴ δ' οὔτε τὸ σῶμα, οὔτε τὸ ξυναμφότερόν ἐστιν ἄνθρωπος, λείπεται οἶμαι, μηδὲν εἶναι, ἢ εἴπερ τί ἐστι, μηδὲν ἄλλο τὸν ἄνθρωπον συμβαίνειν ἢ ψυχήν. Quod *in Scipionis ſomnio* M.Tul. fortaſſis adumbrauit: [Sic habeto, te non eſſe mortalem, ſed corpus hoc. Nec enim is es, quem forma iſta declarat: ſed mens cuiuſque is eſt quiſque: non ea figura, quæ digito demonſtrari poteſt.] Furioſus igitur, cum iudicio, conſilióque careat, abſentis loco eſſe dicitur. *l.124.vbi non voce.ſ.ſeq.* Vlp. [Furioſus non intelligitur codicillos facere: quia nec aliud quicquam agere intelligitur: Cum per omnia & in omnibus abſentis & quieſcentis loco habeatur.] *l.2.de iur.cod.l.2.ſi.ſol.mat.* Enimuerò ſi furor morti comparetur. *l.12.ambiguitatem.ſi.C.de vſuf.l.2.§.ſi pecuniam.ſ.de don.l.14.qui ad certum.ſ.loc.& cond.* Multò magis abſentiæ. Nec quod Paulus, [Furioſus, inquit, non eſt habendus abſentis loco,] aduerſatur. *l.2. de proc.* Inconditum namque eſt ex manco & acciſo iureconſulti reſponſo ineptè colligendo, potiùs abſurdam captare ſententiam: quàm quid quæratur, quid diſputetur, totum ſpectare & examinare. Nec enim ius ciuile calumniari decet. *l.24.incivile.ſ.de legib.l.pen.ſ.ad exhib.* Paul. autem *d.l.2.de proc.* perſequitur quod Vlp. ſuperioris cap. extremo tractauerat: Dari ſcilicet procuratorẽ etiam abſentem poſſe. *l.1.ſi.de proc.* ſubiungens Paulus, [Dummodò certus ſit, inquit, qui datus intelligetur, & ſi is ratum habuerit. Furioſus autem non eſt habendus abſentis loco: quia in eo animus deeſt, vt ratum habere non poſſit.] *d.l.2.* Quaſi diceret, nondum eſſe mandatum, antequam ſuſcipiatur. Pòſt adiicit, furioſum non eſſe habendum abſentis loco: Neque hoc ſimpliciter dicit, ſed rationem ſubiunxit, quam à ſuperiore proximo verſu diuellere, inciuile fuerit, & veteratorium: Quia, inquit, in eo animus deeſt [vt ratum habere non poſſit:] vel (vt alij, detracta negatione, legunt) [ratum habere poſſit.] Non abſimilis de furioſo non conſentiente ratio redditur. *d.l.14.qui ad certum. l.40.furioſi.ſ.de reg.iur.d.l.2.ſi.ſol.mat.* *Infans.* ¶ Furioſo comparatur. neuter enim eſt ſatis firmi iudicij: quicquid videt, ignorat. *l.7.Fulcinius.quib.ex cauſ.in poſ.eat.l.1.C.de fal.mon.l.8.nec mandante.ſ.de tut.et cur.dat.* Si quid infans aut furioſus corruperit, damníue quid dederit. etiam ſi hominem fortè occiderit, impunè eſt: quaſi regula deciderit. *l.5.ad leg.Aquil.l.60.quod infans.de rei vind.l.12.infans.ad leg.Corn.de ſicar.* Imò etiam pupillus, quamuis præſens ſit, tutorem autorem non habeat, abeſſe intelligitur. *l.10.ſi pupillus.* *Aut dormiat.* ¶ Dormienti, ſurdóue verba facere, irriti ſignificationem laboris habet. Oreſtes *in Æſchyli Agamemnone,* Κυρεῖς αὐτὸν καὶ καθεύδοντα μάτην ἀκραντεβάζω. Vnde cum rei quæ geritur, notitia, nõ ſola corporis præſentia ad tutoris auctoritatem pupillo accommodandam ſufficiat: ſubiungit Vlp. [vt ſi ſomno, aut morbo comitiali occupatus tacuiſſet.] *l.1.ſi.de auct.tut.* Quid ſi ebrius? Idem planè videtur, ex Publij mimo, [Abſentem lædit, qui cum ebrio litigat.] Ebrietas quoddam veluti mentis exilium inducit, furori finitima. Quidam eadem cum inſania lance temulentiam appendit, apud Athenæum *Deipnoſoph.lib.1.* Εἰς τὴν αὐτὴν τιθεὶς πλάστιγγα τὴν μέθην τῇ μανίᾳ.

CCX. Martianus lib. vij. Inſtitutionum.

IS qui natus eſt ex mancipiis vrbanis, & miſſus eſt in villam nutriendus, in vrbanis ſeruis conſtituetur.

Alciatvs.

ISI QVI NATVS. ¶ Qui in villam mittitur, vt interim nutriatur, non ideo in ruſticis ſeruis conſtituitur: quia quæ ad tempus in aliquem locum delata ſunt, *l.1.C.de ver.ſig.* non cenſentur ibi eſſe, ſed potius in loco, in quo adeſſe conſueuerunt. *l.quæſitum.§.fi.de leg.3.* Quapropter ſi quis omnem ſupellectilem quam in vrbe habet, legauerit, ea quoque continebuntur, quæ in villam miſſa ſunt eo animo, vt diutius ibi non eſſent, ſed in vrbem referrentur, vt Paul.Caſtr. reſpondit. Hincque conſequens eſt ſeruis ruſticis legatis, eum qui in villã nutriendus miſſus eſt, non contineri *l.ſeruus vt ha.de leg.* Idémque arbitror, ſi omnes ſerui, qui in villa ſunt, legati fuerint, quòd ſi dictum fuerit, qui in villa quoque modo ſunt, ſecus eſſe Bart. ſentit, & ratione non caret. *Bar.l.generali.§.vxori.de vſuf.leg.*

Brechævs.

ISI QVI NATVS. ¶ Qui ex vrbanorum ſeruorum familia natus eſt, tametſi dimiſſus in villam fuerit vt ibidem nutriretur, eſt tamen ille vrbanorum, non ruſticorum ſeruorum numero cenſendus. Quid ſi ſeruus vrbanus in villam dimiſſus ſit, eo quidem propoſito, vt ſemper ibidem permaneret, & villatico operi deſtinaretur, an in ruſticis ſeruis habendus ſit? Et habendum puto. Nam quæ perpetui vſus gratia rei alicui deſtinata ſunt, eadem cenſeri debent ad rem eandem pertinere, vt ex Labeone ſcripſit Vlp. *in l.fundi.§.Labeo generaliter.ff.de act.empt.& ven.*

Fornerivs.

ISI QVI NATVS. ¶ Non ſemel iam ruſticæ vrbanæque ſeu familiæ, ſeu rei differentiam, non loco, ſed vſu maximè cenſeri: ac vt cæteris ferè in negotiis, ita hic quoque patrisfam. conſilium, inſtitutúmq; exquiri oportere oſtendimus. *l.166.vrbana.l.198.vrbana.l.203.in lege.296.vinaria.ſ.h.t.* Vt enim bones ei fundo cedunt, vbi opus faciunt, non vbi manere ſolent. *l.4.de fun.inſt.* Harmenop. *lib.5.tit.10.* ſic ſeruus ex familia vrbana, in villam nutriendus miſſus, nihilomagis ruſticus dicetur. hîc. Spectamus ſcilicet, domini mentem, nec temporalem, ſed perpetuum rei vſum. *l.17.fundi.§.Labeo.de act.em. l.1.§.æſtiua.de aqu.quot.* Eadem in diſcernenda ſuppellectile, penu vrbana, obſeruabuntur. *l.antepen.de ſup.leg.* [Etiamſi in villa ſit, vrbico vſui deſtinata: ſicuti vrbica miniſteria dicimus, & quę extra vrbem nobis miniſtrare conſueuerunt.] *l.4.de penu leg.* Vt non ad breuiorис temporis tranſlationem, ſed diuturniorem vſum, rei cuiuſque conditionem, qualitatémque redigamus. *l.78.quæſitum.de legat.3.l.20. Seia.§.Pamphila.de fun.inſt.l.32.generali.§.vxori.de vſuf.leg.*

CCXI. Florentinvs lib. viij. Inſtitutionum.

FVNDI appellatione omne ædificium & omnis ager continetur. Sed in vſu vrbana ædificia, ædes: ruſtica, villæ dicuntur. Locus verò ſine ędificio, in vrbe area: rure autem ager appellatur. Idémque ager cum ædificio, fundus dicitur.

Alciatvs.

FVNDI. ¶ Explicat Iuriſc. quid fundus, quid ager ſit, quid villæ, quid ædes, itémque quid area. ¶ Fundus omnem agrum, omnéque ędificium ſignificat. *l.quæſtio.l.loci.* quia vt ſ. vidimus, ab eo nomen ſumpſit, quòd fundati ſuper eum quæque res poſſit: vt minimè Iouiani Pontani ſententiam probem, qui dictum opinatur, quòd fructus patrifamiliæ fundat, i. præſtet: quod & M.Varro tradidit. In formulis veterum Iuriſc. videtur latiorem fuiſſe agri, quàm fundi ſignificationem, dum ita verba concipiebant: Fundus qui in agro eſt, qui Sabinus vocatur. Sed fortè in ea formula ager pro ipſo territorio accipitur, non pro prędio: de qua ſignificatione ſuo loco dicemus. ¶ Villæ domus ſunt, in quas fructus deuehuntur, quod & ſ. oſtẽdimus. Volgò tamen in Gallia villas etiam ciuitates dicunt: ſed hanc ſignificationem ſermo Latinus non admittit. ¶ Ædes vrbana ſunt prædia quæ ſolo ſuperficiéq; conſtant. Eſt autem ſuperficies, omne quod ſupra faciem terræ eſt: quapropter in prædiis vrbanis parietes & tecta, in ruſticis arbores, herbæ, frutices, ſuperficiei adſcribuntur. Latiorem eſſe ædium quàm domus appellationem plerique ſenſerunt. *l.1.§.deinde.de don.* ædes enim pro omni ſpecie ædificij capi, etiamſi nulla adſint tecta: at domum non dici, quæ adhuc contecta non ſit. Sed promiſcuè hæc accipi ego magis ſentio, exemplo Græci ſermonis: vnde apud Homer.Odyſſ.α. ἐκλύμενοι δ' ἄματα ἔχοντες. ¶ Area locus ſine ædificio eſt, ab ariditate dictus, quòd in ea fructus areſcant: alij quod ſicut ara in templis pura eſt, ita hæc ab ædificiis pura, nec obtecta ſit: ſunt & qui ab aere dictam credant. Ego priorem etymologiam probo, & aream propriè pro ruſtico loco interpretor, *l.fin.C.de ſeruit.in fin.* de quo P.Vergilius:

> *Area quàm primùm ingenti eſt æquanda cylindro.*

Nec in vrbe ſibi nomen vendicare arbitror, niſi μεταφορικῶς. Videtur enim quod veteres impluuium, cohortem, plateam, hypetriúmque dixerunt, vnico nomine per tranſlationem aream appellari poſſe.

Brechævs.

FVNDI. ¶ Videto lector, quæ ſcripſimus ſ. *in l.quæſtio eſt.& in l.locus.* Quibus locis ſatis multa, quę ad hanc rem pertinent, tradidimus.

Fornerivs.

FVNDI. ¶ Fundus generis nomen, ſub ſe tanquam ſpecies, ędificium, & agrum continet. Vſu autem obtinuit, vt extructa quidem in vrbe ædificia propriè ædes: ruri verò, villæ dicerentur. Cic. *Topic.*

[Vſus fundi auctoritas biennij eſto:ſit ergo & ædium.] Plin.*lib.*18.*c.*6.[Neque fundus villam quærat, neque villa fundum. Villa Scæuola fundus carebat, villa Luculli, agro. Quo in genere cenſoria caſtigatio erat, *Minus arare, quam verrere.*] Cato Cenſorinus de ſeipſo ſuáque parſimonia, Publicis priuatiſque opulentus rebus villas ſuas inexcoltas & rudes, ne tectorio quidem prælitas fuiſſe dicit. A. Gel. *lib.*13.*c.*22. Villæ luxurioſiùs ſplendidiúſque exædificatæ damnantur à Varrone *lib.*1.*c.*13.*lib.*3.*c.*2.*de re ruſt.* Plin.*lib.*19.*c.*4. cum initio arcendæ tempeſtatis & fructuum non voluptatis cauſa parabantur. *l.* 12.*quæſitum.*§.*ſi domus.de fun. inſtr.l.*3.*ſi.de ſup.leg.* Quin & Romam ſcandula contectam fuiſſe ad Pyrrhi vſque bellum, annis 470. ex Corn. Nepote tradit Plin.*lib.*16.*c.*10. *ædificium* ¶ Græci οἴκημα. *ædificia* ¶ αἱ οἰκοδομαί. *Area* ¶ ἔδαφος. Sed cum quæ ad huius capitis enarrationem conducunt, iam *ad l.*60.*locus.l.*115.*quæſtio.*ſ.*h.t.* ſatis expoſuerim, tollam tunc de tabula manum.

CCXII. Vlpianvs lib. j. de Adulteriis.

PRævaricatores eos appellamus, qui cauſam aduerſariis ſuis donant, & ex parte actoris in partem rei concedunt, à varicando enim præuaricatores dicti ſunt.

Alciatvs.

PRævaricatores. ¶ Varices noxiæ venulæ ſunt in cruribus, quæ propter atram bilem turgeſcunt, & ferro aduſtionéque curantur, Græci ixyas, vel cirſos appellant. Qui eo morbo laborant, rectè ire nequeunt. inde Varicari verbum in tranſuerſum ire ſignificat, & præuaricari. ¶ Sunt autem præuaricatores, qui cum aduerſa parte colludūt: quod frequentius ab accuſatoribus fit, qui ſubornati vera crimina abſcondunt. & diuerſam partem prodita cauſa adiuuant. *l.*1.*de præuar.* & inde nomen traxerunt, quaſi varicentur, i. in aduerſam partem eant. In hos ex legibus grauis pœna conſtituta eſt. *l.athletas.*§.*pen.de his qui not.* condemnatique etiam infamia notantur. Labeo à varia certatione id nomen tractum aiebat: ſed eius ſententiæ etiam ratio ſyllabæ refragatur, quæ in præuaricatore quandoque producitur, cùm varius primam corripiat. Sanè exiſtimauerunt aliqui, *Bart.de l.*1. eum aduocatum, qui viſis alicuius iuribus, aduerſæ parti acceſſit, eùm priori renonciaſſet, præuaricatorem non eſſe: non enim cauſam prodit, qui apertè aduocaturum ſe negauit: quod & ipſe probo, dum ſciamus, qui cauſæ alicuius ſecreta iam cognouerit, non debere in alias partes tranſire, quoniam ea aduerſariis prodens, lege Cornelia falſi coercetur. *l.*1. §. *qui depoſita. de fal.* Quid ergo ſi nihil ſecreti in cauſa, ſed omnis quæſtio iuris eſt? Et licere ei defendere, qui ſciat iuſtiorem cauſam habere, verius eſt, dum tamen honorarium, quod ab alio cauſæ tuendæ gratia recepit, reſtituat: ſicque in ſenatu damnatum Tuſcilium nominatum; Vincentinorum cauſæ deſertorem, Plinius Cæcilius ad Valerianum ſcripſit.

Brechævs.

PRævaricatores. ¶ Varices, qui ab Hippocr. κιρσοὶ vocantur, ſunt venæ, in cruribus & coxis tumidiores & laxiores, teſte Gal. *in lib.*6.*Aph.Hipp.aph.*21. quod ex craſſo humore & melancholico contrahi ſolet. Id genus morbo adfecti, pedibus introrſum diſtortis coguntur incedere: eiuſmodi autem, Vari dicuntur, quos tamen Vlp. *in l.idem Offilius ait.*§.*quæſitum.ff.de æd. ed.* Inter ſanos connumerat. Quo loco ineptè Accurſ. exiſtimat Varos à varietate ſermonis dictos, quia infinita, inquit, effundunt verba. Qui quàm peruerſus interpres ſit, expendat lector naris emunctæ. Horatius *lib.*1.*Sermonum, Satyr.*3.

-- vt abortiuus fuit olim
Siſyphus hunc varum diſtortis cruribus, illum
Balbutit ſcaurum prauis fultum malè talis.

Tradit Plin.*lib.*11.*hiſt.nat.c.*45. varices in cruribus viro tantùm oboriri: mulieri, raro. Quia igitur vari & qui varicibus affecti ſunt, incuruis cruribus atque obtortis, nec rectè quidem incedunt, à varicando, Præuaricatores dictos, ſcripſit Vlp. Eſt autem varicare, atque etiam diuaricare à recto deflectere: idque propriè, cùm quis rectis pedibus ſtare nequit, ſed diductis, & variè diſcretis. Vnde diuaricata tigna architecturæ profeſſores dicunt, id eſt refracta: quæ nos vulgò vocamus *Cheurons briſés.* Sic qui litigantium vtrauis in partem inclinant, & cum aduerſariis colludunt, Præuaricatores nominantur. Vlp. *in l.*1.*ff.de præuar.* Præuaricator, inquit, eſt quaſi varicator, qui diuerſam partem adiuuat, prodita cauſa ſua. Quod nomen Labeo à varicatione tractum ait. Nam qui præuaricatur, ex vtraque parte conſiſtit, quinimò ex altera Marcellus *in l.*1.§.*calumniari.ff.ad Sc.Turp.* Præuaricari, ait, eſt vera crimina abſcondere. Et paulò pòſt, ibid. Præuaricatorem cum eſſe oſtendimus, qui colludit cum reo, & tranſlatiuè munere accuſandi defungitur, eò quòd proprias quidem probationes diſſimularet, falſas verò excuſationes admitteret. Cic. *in Orat.pro Aul.Cluen.* Qui enim poterat tum in gratiam redire cum Oppianico Cluentius? qui cum matre habebat ſimultates, hærebat in tabulis publicis reus & accuſator: condemnati erant Fabritij, nec elabi alio accuſatore poterat Albius, nec ſine ignominia calumniæ relinquere accuſationem Cluentius: an vt præuaricaretur? Iam id quoque ad corrumpendum iudicium pertinet. Idem de Aruſpicum reſponſis. Pòſt, exercitu L. Luculli ſolicitato per nefandum ſcelus fugit illinc, Romæque recenti aduentu ſuo cum propinquis ſuis decidit, ne reos faceret: à Catilina pecuniam accepit vt turpiſſimè præuaricaretur. Quibus Ciceronis locis intelligimus præuaricatores fuiſſe eos accuſatores, qui pecunia corrupti, in reos ſe dicere paratos diſſimulant, ſed quæ maximè dicenda ſunt, & quæ accuſationem adiuuant, & reum peractum de gradu deiiciant, aut retic

aut reticent omnino, aut leuiter, & veluti in tranſcurſu attingunt, ne ad condemnationem pateat accuſatio: aut dicuntur hi, qui dum cauſam alicuius defendendam ſuſcipiunt, cauſam ipſam produnt, dum *τὰ δικαιολογήματα*, & quæ ad cauſam pertinent, dicendo prætereant, at potiùs, quæ cauſam lædant, proponunt. Plin. 1. *epiſt. in epiſt. ad Corn. Tacitum*: Frequens mihi diſputatio eſt cum quodam docto homine & perito, cui nihil æquè in cauſis agendis vt breuitas placet. Quam ego cuſtodiendam eſſe confiteor, ſi cauſa permittat: alioqui præuaricatio eſt tranſire dicenda, præuaricatio etiam, curſim & breuiter attingere quæ ſint inculcanda, infigenda, repetenda. In ſumma, eſt præuaricator qui (vt noſtrum vulgus loquitur) habet intelligentiam cum parte aduerſa, & cum aduerſario colludit. Et vnde opponere ſibi præuaricatorem dicebant olim (Budæo teſte) pro eo, quod dicimus curauit ſe per tertium adiournandum, vt colluderet, ſcilicet. Vnde Cic. *Philip.* 2. Iam vereor P.C. ne, quod turpiſſimum eſt, præuaricatorem mihi appoſuiſſe videar, qui me non ſolùm meis laudibus ornaret, ſed etiam honoraret alienis. Idem *in Vatinium*. Quem præuaricatorem ab initio iudicaſſes, ei te, quos rogaſſet, ad accuſandum libros dixeris dediſſe. Videto inſuper de ea re Laur. Val. *lib. 6. eleg. c. 50.* quo loco explicat quid ſit præuaricari, tergiuerſari, & calumniari.

Fornerivs.

PRævaricatores. ¶ Accuſatorum temeritas tribus modis detegitur: totidémque pœnis ſubiicitur. Calumniari, falſa crimina intendere. Tergiuerſari, in vniuerſum ab accuſatione deſiſtere. Præuaricari, vera crimina abſcondere. *l. 1. ad Se. Turp.* Præuaricator autem propriæ cauſæ proditor, vera occultans crimina. Baſilicôn *lib. 60. tit. 5.* Προδότης τῆς ἰδίας ὑποθέσεως γίνεται ὁ ἀληθῆ ἐγκλήματα κρύπτων. Qui cauſam aduerſario donat, hic, qui accuſando huc operam dat, vt reus (qui verum & ſedulum accuſatorem nactus damnaretur) conniuentia iudicium eludat, & elabatur: qui tranſlatitiè accuſandi munere defungitur, qualis à M. Cic. Cæcilius Verris Siculi prætoris quæſtor ipſius accuſationem ambiens, deſcribitur, *in Diuinatione*. Plin. *lib.* 1. Corn. Tacit. *epiſt.* 20. [Præuaricatio eſt, tranſire dicenda, præuaricari etiam curſim & breuiter attingere, quæ ſunt inculcanda, infigenda, repetenda.] Id fieri Vlp. ait, proprias quidem probationes diſſimulando, falſas verò rei excuſationes admittendo. *d. l. 1. §. præuaricatorem. gl. vet.* Καθυφίημι τῷ ὑπευθύνῳ. colludo, non ex animo accuſo reum. *l. 3. §. ad l. Iul. de adult.* Corn. Tacit. *lib.* 14. [Pari ignominia Valerius Ponticus afficitur, quòd reos, ne apud præfectum vrbis arguerentur, ad prætorem detuliſſet, interim ſpecie legum: mox præuaricando vltionem eluſurus.] ¶ Martianus cum accuſatorum temeritatem triplici pœnæ obnoxiam dixiſſet, adiicit, ſi quis ab accuſatione citra abolitionem deſtiterit, ſubire pœnam. *l. 1. ad Sc. Turp.* ſed quam? Multiplicem: nempe extraordinariam, infamiæ, calumniatoris. *l. 2. l. 4. pen. l. vlt. de præuaric. l. 15. in ſenatuſconſult. §. eos. ad Sc. Turp.* Corn. Tacit. eo quem paulo antè proferebam libro: *Additur ſenatuſconſultum*, [Qui talem operam emptitaſſet, vendidiſſétue, vt perinde pœna teneretur, ac ſi publico iudicio calumniæ condemnatus.] Vnde illud quoque efficitur, vt accuſator in præuaricatione conuictus, in poſterùm non accuſet. *l. 2. ad Sc. Turp. l. 5. de præuar.* Quod in adulterij accuſatione lege Petronia cauebatur: vt ei qui iure viri delatum adulterij reum non peregiſſet, poſtea hoc crimen deferre non permitteretur. *l. 16. abolitionem. C. ad leg. Iul. adult.* Latiùs tamen ex græco iuris indice, ex bibliotheca regia, de quouis, quod accuſator intenderit, nec probarit, crimine definitur, Πειθόμενος ὁ νόμος, τῷ μὴ δυνηθέντι αὖθις τις κατηγορεῖν τι. Quod & generaliter in omni criminis delatione obſeruatur. Carthagineuſ. concilij *c. 131.* Ἵνα ὁ περὶ ἑνὸς ἐγκλήματος ἀποδεῖξαι μὴ δυνηθεὶς, πρὸς ἕτερον μὴ εἰσδεχθῇ. Sed & Attica lege, delatori calumniæ damnato non licebat poſteà quenquam accuſare: prætereà infamiæ, & mille drachmarum pœna mulctabatur. Καὶ τὸ μηδ᾽ ἐξεῖναι αὖθις μηδ᾽ ἕνα ὑπ᾽ αὐτοῦ γράφεσθαι, vt ait Demoſtheo. in orat. quæ contra Nicoſtratum inſcribitur. Conſentaneum Rom. iuri inſtitutum. *l. 5. de præuar. l. 4. §. de accuſ. c. paruuli. 22. q. 5.* Photius Nomocanonis *tit. 9. c. 3.* Præuaricatoris nomen deductum quibuſdam placet, à varicando: vt Plin. *lib.* 18 *c.* 19. [Arator, inquit, niſi incuruus præuaricatur: vnde tranſlatum hoc crimen in forum: ibi itaque caueatur, vbi inuentum eſt.] *gl. vet.* διχοστατεῖν. Caſſiod. *lib. 6. epiſt. 9. Varicatis greſſibus*, ni fallor, pro doloſè. Vlp. tamen ex Labeone à varia concertatione nomen tractum ait. *l. 1. de præuar.* Quæ notatio ex eo defendi poſſit, quòd varij doloſi nominentur. *l. 1. de dol.* ὁ ποικίλως κατηγορῶν à Græcis conuertitur. *tit. 1. lib. 60. Baſilic.* Verùm quia hic non aguntur ciuium fortunæ, deſinamus.

CCXIII. Idem lib. j. Regularum.

CEdere diem ſignificat incipere deberi pecuniam. Venire diem ſignificat eum diem veniſſe, quo pecunia peti poſſit. Vbi purè quis ſtipulatus fuerit, & ceſſit, & venit dies. Vbi in diem, ceſſit dies, ſed nondum venit. Vbi ſub conditione, neque ceſſit, neque venit dies, pendente adhuc conditione.

Alciatvs.

CEdere diem. ¶ Cedere verbum variæ ſignificationis eſt: accipitur autem quandoque pro incipere in ius alicuius venire, vnde & accedere dicimus: ſic cedit dies hoc in reſponſo, cùm incipit ea die res ad ius alicuius pertinere, licet agi adhuc non poſſit. Venit verò dies, quando perfectè pertinet, vt quia & obligatio & actio efficaciter & verè orta eſt. ¶ Referuntur autẽ hic exẽpla ſtipulationis puræ, & quæ in diem, itémq; eius quã ſub cõditione cõcipimus. Videndũ igitur eſt ſpecialiter de ſingulis. In j. ſpecie quãdo debetur purè, & ceſſit, & venit dies quia obligatio & actio efficaciter eſt

orta,ſuſpenditur tamen actionis exercitium, *§.fi.Inſt.de inut.ſtip. ἐν πλάτει.*& modico tempore,arbitratu iudicis.*l.1.de iur.del.*non enim creditor ſtatim cum ſacco venire debet. *l.quod dicimus.de ſolut.* Aliquibus tamen caſibus id tempus quale ſit, expreſſum eſt:in conſtituto, vt ante x.diem non conueniatur. *l.promiſſor.§.1.de conſt.pec.* in dote,quæ cùm olim annua,bima,trima die deberetur,hodie poſt annum ſoluenda eſt in re iudicata.*l.1.§.exactio.C.de rei vx.act.*cuius olim xxx.dies iuſti ex leg.xij.tab. erant,vt A.Gel.ſcribit,hodie verò ei executioni quadrimeſtris dilatio indulta eſt. *l.fi.C.de vſu.rei iud.* poſſétque qui pro tribunali ſedet, huiuſcemodi terminos ex cauſa mutare. *gl.l.2.de re iud.* ſi quis tamen huiuſmodi tempus humanitatis cauſa indultum non obſeruaret.ſed ſtatim peteret,non ideo ante diem diceretur agere,nec illi in nimiæ celeritatis pœnam duplicarētur induciæ.*§.hodie.Inſt.de act.* Hincque eſt,quod in præſcriptione eius dilationis rationem non habemus.*l.in rebus.C.de iur.dot.*vnde nec compenſationi impedimento eſt.*l.ſi cum milite.in fi.de compen.*neque exceptioni,cùm videatur dolo facere auctor,qui id petit,quod poſt eum terminum reſtituere compellitur.*l.ſi ſocer.§.Lucius.ff. ſol.mat.* & hæc communiter approbata ſunt. *Bart.in l.ita ſtipul.1.q.5.de verb.obl.* ¶ In ſecunda ſpecie, cùm de obligatione in diem agitur, receptior eſt opinio, ante diem & obligationem & actionem eſſe ortam,ſed obſtare exceptionem:cuius ſententiæ illa eſt ratio,quia cùm dies addita obligationis executionem reſpiciat,non debet interim eius ſubſtantia impediri.*l.ex his.C.quan.di.leg.*vnde obligatio, actióque formatur,cùm non ſoleat tempus adiectum ipſo iure effectum obligationis auferre.*l.oblig. fere.§.placet.de act.& ob.*

¶ Non procedit tamen hæc concluſio in promiſſione vſusfructus:in ea enim ante diem nec obligatio,neque actio naſcitur.*l.1.in fi.quan.di.leg.vſu.ced.* ſiue quia cùm ad heredes vſusfructus non tranſeat,ſi antequam dies veniret,moreretur creditor,fruſtra obligatio eſſet orta:lex autem plurimom cauet,ne quicquam fruſtrà inducatur:ſiue quia vſusfructus antequam dies veniat,in rerum natura non eſt , ſed in ipſa proprietate permanet , nec operæpretium fuit ſeparatam à proprietate rationem eius haberi prius , quàm conſtaret omnino eſſe re ipſa præſtandum , vt quia & ceſſiſſet , & veniſſet dies. Non procedit rurſus in actione in rem. *l. Sempronius Attalus. de vſufr. leg.* nam in ea ante diem actio nulla oritur:tranſlatio enim dominij vel iuris in re per executionem legis fit quam lex ante diem non facit . vnde huiuſmodi actio competere non poteſt : vendicatio enim propter dominium in re datur. Quapropter cùm repudiatio ad dominium referatur , qui legatum in diem ante eam diem repudiat, nihil agit.*l.ſi ita ſcriptum.§.1.de leg.2.*adhuc enim ad eum non pertinet. Et hinc etiam conſequens eſt, vt quoties ex diſpoſitione legis tacita dies ſubauditur,ante eius aduentum actio non oriatur. *l.interdum.de ver.ob.*Lex enim quandoque perperàm agi dicit quandoque peti non poſſe.*l.3.§.ſi quis.2.de eo quod cer.loc.* quæ verba ad actionem ſolùm referuntor,licet hoc caſu aliqui etiam obligationem non naſci crediderint.*l.continuus.§.2.de verb.obl.vbi Are.*quæ ſententia recepta non eſt.Nam & in die incerta, veluti cum moriar, crebrior eſt eorum opinio, qui idem iuris eſſe opinantur, vt ante diem ſolùm oriatur obligatio,poſt diem verò actio.vnde qui ante diem ſoluit,non repetit. *l.ſub conditione.de cond.ind.* cùm verè interim deberet,licet agi non poſſet. Nec nos mouet, quòd medij temporis vtilitas incerta eſt:non enim hoc abeſſe poteſt,quò minus in id,quod principaliter deductum eſt, obligatio proueniat. Quapropter ſi vltra dies incertitudinem alia quoque , quæ in promiſſionem deducuntur,incerta ſint,vt cùm quis fructus,qui ex fundo percepti fuerint,promittit,neque obligatio,neque actio interim oritur.*l.1.de cond.& dem.*hæc enim maxima incertitudo conditionem ſapit. Idem cùm non ſolùm dies , ſed obligationis quoque ſubſtantia poſt mortem confertur, tunc enim obligatio ab herede incipit.*l.1.C. vt act.ab her.* Sanè & in diem,quæ multiplicandæ obligationis cauſa additur,ſolet diſtingui,vt in legatis annuis ante diem nec obligatio,nec actio competant : quoniam tacitam in ſe,ſequentium annorum reſpectu,conditionem habeant.*l.ſi in ſingulos.de an.leg.*in contractibus verò competat.*l.ſi Stichum.§.1.de ver.ob.*cuius rei ratio à nobis *lib. Paradox.1. cap.16.*diſputata eſt. In tertia ſpecie,quando ſub cōditione aliquid debetur, certiſſimum eſt,neque obligationem,neque actionem vllam eſſe antè, quàm conditio euenerit : idémque eſt, ſiue expreſſa ſit conditio,ſiue tacita,vt quæ à lege ſubinducatur.*l.item quia.§.1.de pact.*dum tamen propriam conditionis naturam habeat,ſubſtantiámque rei,non autem ſolam executionem reſpiciat.*l.ita demum.in fi.de arb.*conditio enim quam certum eſt extituram,vel quæ tempus præſens reſpicit, propriè conditio non eſt,ſed pro pura habetur.*l. ſi pupillus.§.1.de non.*

BRECHÆVS.

CEDERE DIEM. ¶ Docemur à Iuſtiniano *in §.omnis ſtipulatio.Inſt.ciuil.tit.de ver.obl.*omnem ſtipulationem aut purè concipi,aut in diem,aut ſub conditione. In pura ſiquidem ſtipulatione ſtatim nata eſt &obligatio & actio:ipſius tamen actionis exercitium aliquo tempore retrahitur,&protelatur. Nam quod in pura ſtipulatione dicimus, eum qui ſic purè obligatus eſt, debere ſtatim ſoluere, cum aliquo ſcilicet temperamento temporis idipſum intelligendum eſſe Paulus cenſuit : nec cum ſacco creditorem adire oportere ſuum debitorem.*l.quod dicimus.ff.de ſolut.& lib.arg.can.inſtitutum. 27.q.2.*At quæras,quantum temporis expectandum ſit ipſi creditori poſt conceptam purè ſtipulationem? Paul.*in l.promiſſor. §.1.ff.de conſt.pec.* Si ſine die,inquit,conſtituas, poteſt quidem dici te non teneri,licet verba edicti latè pateant : alioqui confeſtim agi,tecum poterit,ſi ſtatim vt conſtituiſti,non ſoluas.Sed modicum tempus ſtatuendum eſt,non minus x.dierum,vt exactio celebretur. Hoc tamen videtur iudicis relictum arbitrio.*arg.l.1.ff.de iur.dol.* quo loco Bart.cenſet iudicem arbitrari oportere ſpatium temporis,vbi ſtatum non eſt,nec præſcriptum ac præſtitutum à lege. Idem Bart.in explicat. *gl.l.ita ſtipulatus. ff.de verb.obl.* Sic à iudicatis quadrimeſtre tempus ad ſoluendum conceſſum fuit, ne videlicet intereà currant vſuræ, vt *in l.1.& vlt. C.de vſur.rei iud.* Sic dotis in rebus mobilibus , vel ſe

moren

mouentibus & in incorporalibus, quæ quidem nomina ſunt conſiſtentis exigendæ tempus, eſt annuum, non annuæ bimæ, trimæ diei *l. vnic. §. exactio. C. de rei vx. act.* multum autem referre Bart. *in d. l. ita ſtipulatus.* exiſtimauit, ineſſet obligationi tempus, an verò miſerationis cauſa ſolutioni tantùm adiectum eſſet, quod compẽſationem non impedit. Aliud enim eſt, diem obligationis non veniſſe, aliud humanitatis gratia tempus indulgeri ſolutionis, ait Papin. *in l. ſi cum milite. §. cùm intrà. ff. de compenſ.* Nam quod in diem debetur (ait Vlp.) non compenſabitur ante quàm dies veniat, quanquàm dari oporteat *l. quod in diem. d. tit.* At verò in tempore iudicatis, quanuis intra dies conſtitutos iudicari agi non poſſit, tamen multis modis iudicatum liberari poſſe Caius ſcripſit *in l. intra dies. ff. de re iud.* Quia conſtitutorum dierum ſpatium, pro iudicato, non contra iudicatum per legem conſtitutum eſt. Sed ſi actor ante diem tempúsue pactionis aut obligationis litem auſus ſit intendere, Zenoniana conſtitutio voluit, vt inducias quas ipſe actor ſponte indulſerit, vel quas natura actionis continet, ſi contempſerit, in duplum habeant hi qui talem iniuriam paſſi ſunt: & poſt eas finitas, non aliter litem ſuſcipiant, niſi omnes litis impenſas acceperint: vt actores tali pena perterriti, tempora litium doceantur obſeruare. Hoc eſt *in §. hodie. Inſt. de except.* Quinetiam licet in contractibus, quibus vel in diem, vel ſub conditione ad aliquid debetur, præſcriptio ſimul atque dies, vel conditio euenerit, iam currere incipiat, vt conſtitutum eſt in l. *cum notiſſimi. §. illud autem. C. de praſcr. xxx. vel xl. ann. in vlla. l. in rebus. §. volumus. C. de iure dot.* tamen huiuſmodi tempus præſcriptioni obſtare nequit. Iam verò in his quæ in diem conceptæ ſunt, ſtatim quidem & obligatio & actio ſimul nata eſt, tametſi in tempus procraſtinata ſit petitio, vt ne ipſo quidem die, quo differri ſolutionem oportet, petitio ſit intendenda. *d. §. hodie. & §. prætereà. Inſt. de except. & §. plus autem. tit. de act.* Quæ etiam huius reſponſi Vlpia. ſententia eſt. Cuius rei hæc ratio profertur, quòd cum obligationis ſubſtantia, adiectione temporis non ſoleat immutari, nec ad tempus conſtitui magis quàm legatum, vt cenſuit Paul. *in l. obligationum ferè. §. placet. ff. de act. & ob.* certè non debet mirum videri, ſi adiecta dies quæ ſolutionem tantùm, ceu obligationis executionem reſpicit, obligationem naſci ſimul & actionem minimè impediat. At agenti obſtabit exceptio, quæ diei euentu tollitur, ſecundum Bart. *in d. l. ita ſtipulatus. in prin. quaſt. de ver. obl.* in quam rem citat hanc *l. cedere diem. & l. 1. quan. dies vſusfr. leg. ced. §. fi.* Sed hæc quidem non ſemper neque paſſim locum habent: at quibuſdam caſibus circumſcribuntur. Ei namque cui in diem vſusfructus relictus eſt, neque obligatio acquiſita erit neque actio: cùm ante aditam hereditatem dies cedere non cenſeatur, neque petitio ad heredem tranſeat. Fruſtra igitur eſt, ſi ante quis diem eius cedere dixerit, ait Vlp. *in l. 1. & 2. ff. quan. dies leg. vel fid. ced.* Etenim obligationis dies non dicitur cedere potius, quàm certum ſit hanc ipſam diem exituram. Vt ſi ſtipulatus ſum a. Cal. Ianuariis, ſanè quia iam certum eſt Cal. Ianuarias venturas, quibus ipſa obligatio effectum ſortiri, & poſſit & debeat, ſtatim dies cedere dicitur. Diem autem appellat (inquit Connan. *lib. 4.*) quum perfectè quaſi nata eſt, ita vt ſuo fungi poſſit munere, intendere, agere, & cogere vt ſibi quod debetur ſoluatur: vt fœtum, quanquam conceptum, & viuum nondum natum dicimus, antè quam lucis vſura fruatur: & quantum fere eius natura, vitæ commoditates tum quærere, tum petere aut percipere queat. Intellige ergo, lector beneuole, quòd quandocunque dies certa in ſtipulatione adiecta eſt, id eſt, quam plane conſtat exituram, tunc incipit deberi quod in ſtipulationem deductum eſt, & actio obligatióq; ſimul natæ ſunt: quod ipſum, cedere diem dicimus. Sed peti prius non poteſt, quam dies ipſe venerit, id eſt, quando omnino ceſſit, & ipſum diem prorſus attigimus. Si verò dies incerta ſit, quam conditionis inſtar eſſe Papin. ſcripſit *in l. dies incertus. ff. de cond. & dem.* veluti, Cùm pubes erit, cùm in familia nupſerit, cùm magiſtratum inierit, cùm aliquid demum quod ſcribenti comprehendere ſit commodum, fecerit, niſi temporis conditio obtigerit, neque res pertinere, neque dies legati cedere poteſt. Quod Paul. quoque tradidit *in l. ſi dies. ff. quan. dies leg. vel fideic. ced.* Nam in his conditionibus, propterea quòd dum expectantur, dubio & propemodum incerto earundem euentu, tota ſuſpenditur obligatio, diem ceſſiſſe, aut veniſſe nulla ratione dicere poſſumus. Quare & ante hunc diem incertum nihil omninò debetur, neque ſolui poteſt: ſolutum autem per errorem, ius eſt repetere, vt ſentit Pompon. *in l. ſub conditione. ff. de cond. ind.* Neque verò quicquam refert, conditio expreſſa ſit, an verò tacita. Semper enim obligationis natiuitas impeditur, vt in ſtipulatione dotis, quę malè ante diem nuptiarum petitur: tametſi expreſſa in ſtipulatione non fuerit nuptiarum conditio, ſed perinde ac ſi expreſſa fuiſſet: & nuptiis non ſequutis euaneſcit ſtipulatio, ſicut traditum eſt à Paul. *in l. item quia. §. huius rei. ff. de pact.* hęc autem obſeruanda erunt, ſi modò vera ſit conditio, quam videlicet incertum ſit omnino exituram. Conditiones enim quæ ad præſens vel præteritum tempus referuntur, propriè conditiones cenſeri non debent, vt quia ex futuro euentu non dependeant. Veluti, ſi rex Parthorum viuit, centum dare ſpondes? Itaque tunc poteſtatem conditionis obtinet, cùm in futurum confertur. Quod Papinia. cenſuit *in l. cùm ad præſens. & l. itaque. ff. ſi cer. pet.* Idem erit & ſi in præteritum conditio conferetur. Vt ſi Franc. Valeſ. xxx. ann. regnauit, quinquaginta dare ſpondes? Reſpiciendum eſt etenim (ait Scęuola) an, quantum in natura hominum ſit, poſſit ſciri eam debitum iri. Nam quod in rerum natura ſciri poteſt, pro certo haberi, Alc. in eundem Scæuol. locum tradidit *ex l. cùm quidam. §. ſuum. ff. de acq. hered.* Cæterùm, quando dies omnino certa ſit, & quando ante diem naſcatur obligatio ſimul & actio, & permulta alia in hanc rem tradidit Bald. *in l. vnic. C. vt act. ab her. & cont. her. incip.* Item etiam quando intelligas, quando dies vel terminus eſt appoſitus cauſa differendæ, vel cauſa limitandæ obligationis, videbis apud Zaſ. *in l. eum qui. §. qui ita. ff. de ver. ob.* Ad hanc rem faciunt quæ ſcripſi ſ. *in l. conditionales creditores.* videto lector ſi tibi videbitur.

FORNERIVS.

CEDERE DIEM. ¶ Omnia hominum negotia aut pura ſunt, præſentiáue: aut ſub modo, conditione, in diem

in diem vel contrahuntur. *l.77. actus.* ℸ. *tit. ſeq.* §. *omnis. de ver. ob. Inſt. l.44. obligationum ferè. de obl. & act.* Ex pura ſtipulatione ſtatim præſens obligatio nritur, ex conditionali, ſpes eſt tantùm debitum iri: ex ea quæ in diem concipitur, naſcitur quidem obligatio, ſed actio in diem ſuſpenditur. §. *ex conditionali. de obl. & act.* Id eſt, vt hic dicitur, cedit quidem, at nondum exigendæ pecuniæ venit dies. M. Cicero *in Catone maiore,* [Horæ quidem cedunt, & dies & menſes & anni: nec præteritum tempus reuertitur: nec quid ſequatur, ſciri poteſt.] In obligatione puta, ceſſit, & venit dies: Quinctil. *declam.* 280. Seneca *lib.3. declam.5. fin.* In diem ceſſit, ſed nondum venit. Sub conditione, neque venit, neque cedit dies. Inde illa ſequuntur: In diem debitum certius eſſe: ſub conditione, incertius, & quaſi indebitum. *l.10. in diem. l.16. ſub conditione. de cond. ind.* notaui *ad l.10. creditores. l.54. conditionales.* ℸ. *h. tit.* Conditiones in præteritum, vel præſens tempus relatas, non verè conditiones dici. *l.10. inſtitutio. de cond. inſtit. l.100. conditio. l.120. ſi ita. de verb. obl. l.37. cum ad præſens. & ll. ſeqq. ſi cer. pet.* Conditiones propriè ſuſpendunt, per ſe nihil diſponunt: ſunt συγκαταγορήματα. *l.8. ſi quis ſub. ſi quis om. cau. l.41. vxorem.* §. *eius heres. de leg.3.* Vbi nulla petitio, nulla ibi mora fieri intelligitur. *l. antep. ſi cer. pet. l.127. ſi pupillus. de ver. ob. l.45. ſi quis ex ſtipulatu. de obl. & act.* Puta obligatio, aliquando tacitam dilationem & conditionem, ex re ipſa, vel loci adiectione habet: vt ſi partum, fœtum, fructum ſtipulet, vel dari Epheſi. *l.73. interdum. de verb. obl.* §. *loca. eod. tit. Inſt. l.1. de cond. & dem. l.20. promiſſor. de conſt. pec.* Centeſimis calendis dari vtiliter ſtipulamur, quia præſens eſt obligatio, cuius ſolutio in diem differtur. *l.46. centeſimis. de ver. obl.* Nec obſtat *l.41. cum qui. eod. tit.* Nam ibi dies adiectus efficit, ne præſenti die debeatur, ſcilicet, cum effectu: ita vt ſtatim exigi poſſit: quæ αὐθαίρετος ἡμέρα Heſych. finiente dicitur. Non obſtat *l.26. vſusfructus. de ſtip. ſer.* Ibi non de ſtipulatione, ſed legato conditionali Paul. agit, quod ad heredes non tranſmittitur. *l.18. quæ legata.* ℸ. *tit. ſeq.* Quo loco multa, quæ nunc conſultò prætermitto, conijciam. Hic pro colophone ſciendum eſt, regulariter tempus in obligationibus fauore debitoris adſcribi: vt nouiſſimum diei vel menſis momentum expectetur. *l.42. qui hoc anno. de verb. obl. l.17. cum tempus. l. ſeq.* ℸ. *tit. ſeq.* Ac ne ipſo quidem die exigatur, ſed ἐν πλάτει pura obligatio cum temperamento temporis accipiatur. *l.13. ratum. l.105. quod dicimus. de ſol.* Senec. *lib.1. de benef. c.1.* Reis confeſſis, vel damnatis xxx. dies iuſti dabantur ex lege xij. Tab. Gell. *lib.20. c.1.* iudicandi faciendi cauſa, duo poſteà: poſtremò quatuor menſes. *l.2. l.3. C. de vſur. rei iud. l.1. C. Th. eo. ti.* Niſi accelerandæ vel demonſtrandæ obligationis cauſa σήμερον ſtipulanti (*Hodie*) promitteret. *l.118. liber homo.* §. *decem. de ver. ob.* Sanè à Greg. Haloandro & Egu. Barone vitiata eſt. *l.49. ſi in annos. de cond. & dem.* vbi tum ex Pand. Floren. tum aliarum editionum exemplaribus, quæ cum manuſcriptis libris conſentiunt, legendum eſt [Si in annos] Aperta alioqui pugna Celſus à Pomponio diſſideret: Hic enim cui libertas intra x. annos legetur, liberum ſtatim fieri reſpondit. *l.41. ſi ita fuerit. 2. de man. teſt.* Si cui libertas in x. annos relicta eſt, nouiſſimus decennij dies expectatur. *d. l.49. ſi in annos.*

§. j. Æs alienum eſt, quod nos aliis debemus. Æs ſuum eſt, quod alij nobis debent.

ALCIATVS.

AES ALIENVM. ¶ Vetuſtiſſimorum Romanorum pecunia in ære conſiſtebat: quoniam propter eorum paupertatem, rarus illis argenti, rarior auri vſus fuit: indéque æris appellatio, pro pecunia accipi conſueuit. & quamuis domitis nationibus in maximas diuitias excreuiſſent, ſeruauerunt: tamen antiquum nomen, & ſiue pecunia aurea, ſiue argentea eſſet, æs appellabatur, quapropter æs alienum dicitur, omnis pecunia aliena, id eſt, quæ noſtra non eſt, ſed aliis debetur: ſicut æs noſtrum eſt, quod nobis alij debent: μεταφορικῶς verò latius quoque accipitur, vt cùm dicimus, quicquid in ære noſtro eſt, id in tua manu eſſe ſcito: intelligitur enim, non ſolum in noſtris nummis, ſed etiam omni in facultate & poteſtate. Trahitur etiam quandoque latiſſimè ad profeſſionem: vt cùm Iuriſc. de ſophiſmate dialectico interrogatur, reſpondet, id in ære ſuo non eſſe, id eſt, ad profeſſionem ſuam nihil attinere. Sanè notandus eſt hic loquendi modus, æs ſuum eſt, quod alij nobis debent: rectius enim ſcriptum fuiſſet, æs noſtrum, niſi ea verba ex aliqua lege deſumpta credamus, quam hic Iuriſc. interpretetur, vt ὑποφαυλικῶς appoſita ſint, vel (vt Accurſ. ſolet loqui) materialiter.

FORNERIVS.

AES ALIENVM. ¶ Quod alij debeo, æs alienum eſt. *arg. l.39. ſubſignatum.* §. *bona. l.143. is apud.* ℸ. *h. t. l. qui actionem. tit. ſeq.* M. Cicero *Trebatio,* [admonitus huius æris alieni.] Idem *lib.2. de offic.* [Tabulæ verò nouæ, quid habent argumenti, niſi vt emas mea pecunia fundum, & eum tu habeas, ego non habeam pecuniam? Quamobrem ne ſit æs alienum, quod reip. noceat, prouidendum eſt.] Æs hereditarium. *l.20. item veniunt.* §. *ſimili. de pet. her.*

§. ij. LATA culpa eſt nimia negligentia: id eſt non intellegere, quos omnes intelligunt.

ALCIATVS.

LATA CVLPA. ¶ Explicat Iuriſcon. quid ſit lata culpa, & eam ita diffinit, vt ſit nimia negligentia, per quam non intelligimus, quod omnes intelligunt: aduerſus quam Doct. noſtri nouas argutias confinxerunt. *l. quod Nerua. dep.* vt & aliquid ipſi ſcire viderentur, quod Iuriſc. latuiſſet, fiuntque hac ratione ex interpretib. accuſatores, vel potius calumniatores. Aiunt primò, non in negligendo ſolùm eſſe culpam, ſed etiam in faciendo, cùm id fit, quod fieri nõ debet. *l. ſi ſeruum.* §. *1. de ver. obl.* quaſi

neglig

negligere etiam ad factum non referatur, cùm aliquam rem non adhibita cura, ſed cum neglectu pertractamus. Aiunt iterum, dementem vel pupillum non intelligere, quod omnes intelligunt, & tamen in culpa ideo non eſſe. Sed hi non idcirco non intelligunt, quia negligentiæ eorum aliquid imputetur, ſed quia in altero naturæ vitium, in altero ætatis defectus eſt. nam & cùm lex aliquid non intelligenti imputat, de eo accipiendum videtur, qui ſi voluiſſet intelligere, potuiſſet. Sicut cùm neganti aliquid damni irrogat, de eo accipitur qui conſentire potuit. *l. ab adminiſtratione. C. de leg.* Sicut & propriè ſilere ſolum dicitur, qui poteſt loqui. Et propriè excuſatur, qui poteſt acceptare. *Abb. conſ. 22. in 2.* vnde & generalis eſt regula, Eius eſt nolle, qui poteſt & velle. *l. 4. ῀j. tit. 1.* Argumentantur rurſus, Medicus propter imperitiam & latam culpam tenetur. *l. illicitas. §. fin. de off. praſ.* & tamen non omnes medicinam intelligunt. Sed & hoc eadem ratione tollitur: non enim in aliis quam medicis, ignorantia medicinæ negligentiæ imputatur: negligens enim dicitur in ſua quiſque conditione & profeſſione, non in aliena. Subdunt etiam errorem iuris latæ culpæ aſſignari. *l. regula. §. pen. de iur. ignor.* & tamen pauci iuriſperiti ſunt. Sed hoc in pœnam ignorantium conſtitutum eſt, cùm omnes prudentes viri, quæ ipſi ignorant, ab aliis peritioribus ſcrutentur: qui igitur ipſe nec ſcit, nec peritiores conſulit, in lata eſt culpa. nam & idem hominum genus Heſiodi carmine improbatum eſt: quamuis & generalis hæc dictio ſecundum ſubiectam materiam reſtringatur, vt de eis ſolùm intelligatur qui eiuſdem conditionis, vel profeſſionis ſunt. *l. 1. §. 2. de oper. no. nun.* Et ex hac definitione infertur, quòd non omnis imperitia latæ culpæ aſſignatur: ſed ſi in eo quis errat quod communiter omnes eius artis intelligunt, eſt lata culpa: ſi in eo, quod ſoli excellẽtes, eſt ſolum leuis: ſi in eo, quod non niſi rariſſimus quiſque ſciebat, vt quia excellentiſſimis ſolùm erat cognitum, leuiſſima videtur culpa, vt plerique ſenſerunt. Sed quia hic tractatus iterum & iterum in cognitionem reuocabitur, ῀j. quid ſententiæ nobis ſit, differemus. *l. lata. l. magna. h. t.*

FORNERIVS.

LATA CVLPA. ¶ Id eſt, non curare, non intelligere: id quod omnes mortales curare ſolent, atque intelligere. *l. 223. lata. ῀j. h. t.* nimia ſecuritas, μέγα ἀνομίας εἶναι *l. pen. ῀s. de iur. & fact. ign.* ſumma negligentia propè dolus eſt. Sedulò, quaſi ſine dolo. Donatus in Terentium. *l. 226. magna. ῀j. h. t.*

Nimia ¶ ſanè nimis accurata diligentia, & quaſi curioſitas delatoria iuriſprudentibus improbatur. *l. 6. nec ſupina. de iur. & fact. ign. l. 19. doli. ſi. de nouat.*

CCXIIII. MARTIANVS lib. j. Publicorum iudiciorum.

MVNVS propriè eſt, quod neceſſariè obimus, lege, more, imperióue eius qui iubendi habet poteſtatem. Dona autem propriè ſunt, quæ nulla neceſſitate iuris, officij, ſed ſponte præſtantur. Quæ ſi non præſtentur, nulla reprehenſio eſt. Et ſi præſtentur, plerumque laus ineſt. Sed in ſumma in hoc ventum eſt, vt non quodcumque munus, id & donum accipiatur. At quod donum fuerit, id munus rectè dicatur.

ALCIATVS.

MVNVS. ¶ Duplex eſt muneris ſignificatio, de qua hic agitur: altera onus officiúmue quodcunque intelligitur, quod neceſſariò ſubimus: altera largitiones accipiuntur, quæ ex cauſa aliqua non tamen neceſſaria fiunt. In priore ſignificatione quemadmodum ſoleat diſtingui, ſuperius à nobis tractatum eſt. *l. munus. ῀s. eod.* Illud supereſt addendum, exiſtimaſſe Accurſ. non licere munera, quæ ad vectigalia pertinent, ex ſola conſuetudine imponi, niſi etiam lex acceſſerit. *l. ſi publicanus. §. fi. de publ.* & ideo dum hic dicitur, munus lege, more ſubiri, coniunctim accipit: ſed crebrius receptum eſt, vt disiunctiuè hæc ſoluta oratio accipiatur, ſufficiátque alterum, ſiue lex iubeat, ſiue conſuetudo: dum vetuſtiſſima, & poſt hominum memoriam ſit: ea enim priuilegij ius habet, & qualis nunc eſt, præſumitur ſemper retrò fuiſſe. *c. ſuper. §. 1. extr. eod.* eſtque illa firmiſſima præſumptio, quam vulgò iuris & de iure vocant. nec in ea conſuetudine introducenda videtur principis ſcientiam neceſſariò requiri, cùm non ſimpliciter, ſed in vniuerſum iuri omnium officiat. *Imo. d. §. fi. Alex. conſ. 6.* Qua ratione & aduerſus Imperatorem ea tali iure poterunt pleræque Italiæ vrbes præſcriptione ſe tueri, tametſi Imperator ignoraſſe ſe alleget: idque verius videtur, præſertim cum ex fama ſatis potuerit hoc Cæſar ſcire, ſi modò res Italas curaſſet. Curat autem minimum vt qui tot egregias vrbes, eius fidem implorantes, in ſummas calamitates incidere permittat, cùm ipſe interim. vel ſacrificulorum preculis, vel aliis non æquè neceſſariis rebus operam inſumat. Sanè aduerſus vectigal. quod ad alium, quàm ad principem pertineat, non eſt dubium vſucapionem procedere, etiam breuioris temporis, dum titulus & bona fides poſſeſſioni præſcribentis acceſſerint. *Bart. de §. fi. Barb. conſ. viii. t.* ¶ Quod ad alteram muneris ſignificationem attinet, à nobis latius ῀s. diſputatum fuit. Illud in præſentia omittendum non eſt, exiſtimaſſe Vallam, Martianum hic Vlpiano aduerſari, *l. inter donum. ῀s. eod.* quòd ille tradit, doni ſignificationem latius, quàm muneris patere: at hic aliter diſtinguatur, nimirum munus ad neceſſitatem pertinere, donum ſponte dari: rurſus in hoc ventum eſſe vt omne donum munus dici poſſit. Sed has obiectiones ipſe ſic extricat, vt munus, ſi generaliter accipiatur, cùm ad onera officiáue etiam pertinet, verum ſit non quodcunque munus donum eſſe: ſed ſi pro legatione accipiatur, tunc id ſignificare, quod ex neceſſitate alicuius officij, vel ex cauſa datur, niſi quòd in hoc ex communi loquendi

vſu

vſu ventum eſt, vt qualiſcunque largitio vel donum, munus dici poſſit. Vlpianus igitur rationem ſermonis, Martianus vſum conſiderat.

BRECHÆVS.

MVNVS. ¶ Non parum certè refert ſcire qualiter muneris & doni ſignificationem accipias: ex proprio videlicet, an autem καταχρηστικῶς & per abuſionem. Si enim ex abuſu & ſecundum vulgarem loquendi vſum munus vſurpaueris, refertur etiam ad quaſcunque donationes & quę cauſam habeant, & quę nulla quoque cauſa eſſe poſſunt, ſed à mera donantis liberalitate profectæ. Nam quæ donationes ob cauſam fiunt, donationes propriè cenſeri non debent. At ſi ſermonis proprietatem obſeruaueris, munus propriè ad onera pertinet: donum verò ad largitiones. Vide in hunc locum quæ ſcripſit Fran. Connan. *lib.5. Commen. de donation. c.9.* & quæ nos etiam ſ. *in l. munus tribus. & l. inter donum. h.t.* videto etiam Alc. *lib.3. dispunct. c.13.*

FORNERIVS.

MVNVS. ¶ Magna iam ex parte videmur inculcatæ hîc muneris ac doni differentiæ interpretatione defuncti: Nempe vt generis donum, ſpeciei munus vicem obtineat: quod non ſine cauſa conferatur: vt puta, natalicium, nuptalicium. *l.18. munus. l.194. inter donum. ſ. h.t.* Gladiatorum munus, beſtiarum, venationum, arenariorum ludus, à ſenatoribus, conſulibus, & magiſtratibus Rom. edi ſolitum. *l.36. Publius. de cond. & dem.* Suetonius *in Iulio c.39. Caligula c.27.* Quinctilia. *declam.302.* Iſid. *lib.18. c.52.* Veteris iuxta Neapolim reperti lapidis inſcriptio, HIC OBLITERATO MVNERIS SPECTACVLO IMPETRATA EDITIONE AB INDVLGEN. MAX. PRINCIPIS DIEM GLADIATORVM, ET OMNEM APPARATVM PECVNIA SVA EDIDIT. COLONI INCOLÆ OB MVNIFICENTIAM EIVS L. D. D. D. Plinius *lib.10. epiſt.* Traiano, quædam munerum genera commemorans, [Qui virilem togam ſumunt, inquit, vel nuptias faciunt, vel ineunt magiſtratum, vel opus publicum dedicant, ſolent totam bulem, atque ex plebe, non exiguum numerum vocare binóſque denarios, vel ſingulos dare, &c.] Munus conſulare *Nouel.105. & l.36. publius.* D. Aug. *contra Academicos lib.1.* Strenæ, honoris Xenia, dona clientum patronis, Solemnia principum munera, veſtes, annonæ. Symmach. *epiſt.* Athenæus *lib.3. Deipnoſophiſt.* Caſſiod. *lib.5. epiſt.27. lib.7. epiſt.9. lib.12. epiſt.11. l.11. olim. de palat. ſacr. larg. C. Th. lib.6. tit.30.* Munera parentibus ſponſæ ante nuptias data. *l.2. l.7. ſi cum. C. de don. ante nupt.* δῶρα μνηστήρια. Antholog. *epigram. libr.5. ad Neptunum* Δῶρα πολυζήλων γάμων μνηστήρια κούρης. Ἕδνα ſponſalia: Ἐπαύλια, appellabant, quæ poſtridie nuptiarum, ſocer ſponſo ac ſponſæ in pompæ cuiuſdam ſpeciem adducebat. Varino ἐπαύλια, eadem quæ παράφερνα nominantur. Quæ verò viciſſim vir ſponſæ contribuebat, cum ea primùm retecta ſe videndam præbebat, Anacalypteria, aliàs Theoretra dicebantur: de quibus ſic definit Arpocration *in x. Rhetoras.* ἀνακαλυπτήρια δῶρα διδόμενα ταῖς νύμφαις, παρά τε τοῦ ἀνδρὸς καὶ τῶν οἰκείων, καὶ φίλων, ὅταν τὸ πρῶτον ἀνακαλύπτωνται ὥστε ὁρᾶσθαι τοῖς ἀνδράσι. καλεῖται δὲ καὶ ἐπαύλια. ταῦτα δ' εἰσὶν τὰ παρ' ἡμῖν θεώρετρα. Philoſtr. *in Antipatro*, Καὶ τῶν ἐπὶ θύραις ... ἀνακαλυπτήρια. Euripid. *ſcholiaſtes*, Διδόασι γὰρ τὰς θυσίας τῇ Περσεφόνῃ ὑπὸ τοῦ Διὸς ἀνακαλυπτήρια. Pindari *ſcholiaſtes de eodem*, ἢ διὰ τὸ τὴν ἁρπάγαντα τῇ Περσεφόνῃ εἰς τὰ ἀνακαλυπτήρια ὑπὸ τοῦ Διὸς δεδῶσθαι κούρης. De Theoretris & anacalypteriis quoque mentio, duobus in Harmenop. epitome locis extat: nempe *lib.4. tit.7. de adultera. & tit.10. de hypobolo.* *Neceſſariè obimus, lege* ¶ τὸ ἐξ ἀνάγκης νόμου, ἢ ἔθους, ἢ ἄρχοντος γινόμενον. Electus ad publicum munus obeundum ſuam reip. operam non deneget: cogendos philoſophos ait Cic. *lib.1. offic.* ne ſacerdotes, néue magiſtratus electi, detrectent munus *Alex.3.* & Iuſtinianus vetant. *c.1. de ven. Nouel.15.* Suidæ λειτουργία, alia quidem ἱερατική, alia verò ἡ δουλική: alia ἀρχική, pro dignitate & magiſtratu. *d. No.15.*

CCXV. PAVLVS lib. ſingulari ad legem Fuſiam Caniniam.

POTESTATIS verbo plura ſignificantur. In perſona magiſtratuum, imperium. In perſona liberorum, patria poteſtas. In perſona ſerui, dominium. At cum agimus de noxæ deditione, cum eo qui ſeruum non defendit, præſentis corporis copiam facultatémque ſignificamus. In lege Atinia in poteſtatem domini rem furtiuam veniſſe videri, & ſi eius vindicandæ poteſtatem habuerit, Sabinus & Caſſius aiunt.

ALCIATVS.

POTESTATIS. ¶ Poteſtatis variæ ſunt ſignificationes, ex quibus quinque hic connumerantur. ¶ Prima eſt, cùm de magiſtratu dicimus, eum habere poteſtatem: intelligimus enim merum imperium, quod nihil aliud eſt, quàm poteſtas animaduertendi in facinoroſos homines. *l. imperium. de iur. om. iud.* dicitur autem merum quaſi liberum: quoniam cùm delicta ex variis cauſis vel aggrauentur, *l. aut facta. de pœn.* vel eleuentur, in arbitrio ius dicentis reſidet, quam potiſſimùm pœnam irroget, quod non eſt in cauſis pecuniariis, in quibus certam proferre ſententiam, ſecundum ea quæ probata ſunt, debet. Vnde in his quæ officio iudicis expediuntur, quoniam ſummo iure non debentur, plurimúmque in arbitrio eius conſiſtunt, & tamen priuatam vtilitatem reſpiciunt, imperium mixtum exercetur. Merum igitur imperium in inquiſitionibus, accuſationibúsue conſiſtit: mixtum perſecutionibus: ſimplex iuriſdictio actionibus. ¶ Secunda ſignificatio eſt in perſona liberorum, vt patriam poteſtatem intelligamus: hoc ius proprium ciuium Rom. eſt, quoniam à lege xij. Tab. introductum: ſed cùm conſtitutione Antonini, *l. in orbe. de ſtat. hom.* qui in orbe Rom. ſunt, ciues Rom. effecti ſint, ſequitur ad

tur ad omnes Chriſtianos hodie illud pertinere. Quapropter & Francis communicatum eſt, qui licet regibus Germanorum, quos Imperatoris titulo Romani Pontifices inſigniuerunt, non ſubſint: Romani tamen imperij & ipſi pars ſunt, eóque iure viuunt. ¶ Tertia ſignificatio eſt in perſona ſerui, & ad dominium refertur: vt cùm dominus ſe ſuos ſeruos in poteſtate habere dicit, vel de poteſtate dimittere. Id autem ea iure gentium deſcendit, quo iure capti in bello, capientium fiebant: vnde & mancipia dicuntur. Sic Auſonius,

Capta manu, ſed miſſa manu neſciunt herile
Imperium domina, vult domina eſſe manus.

¶ Quarta accipitur pro facultate, quæ in præſentia & ad manum ſit: vnde cùm lex, *l. quoties. de noxal.* niſi dominus ſeruum pro noxa det, cogat eum ad ſuſcipiendum iudicium, ſi modò in poteſtate ſua ſit, intelligemus poteſtatem, id eſt, facultatem exhibendi: quid enim ſi ad aram confugerit? ¶ Quinto in l. Atinia in poteſtatem domini res veniſſe videtur, ſi eius vendicandæ ſibi facultas data ſit, & ipſe neglexerit: non enim amplius cenſetur, inuito domino, ablata, vnde tanquam furtiua non ſit, poterit vſucapi. Accurſ. non ſufficere exiſtimauit, quòd dominus rei vendicandæ facultatem habuerit, niſi etiam apprehenderit, vel litis æſtimationem ſit conſecutus: quæ interpretatio reſponſi huius verba nimis coarctat. ¶ Et hæ ſunt, quas huic verbo ſignificationes Paul. refert: veriſimile autem eſt noluiſſe eum plures recenſere: ſunt enim & aliæ, veluti cùm ipſos magiſtratus ſimpliciter poteſtates appellámus. *l. fideiuſſor. de pign.* vt eſt apud Plin. & Apul. Sic & Iuuenalis:

An Fidenarum Gabiorúmque eſſe poteſtas?

quod ὁμωνυμικῶς dictum videri poteſt, cùm generaliter poteſtas quandoque pro qualibet iuriſdictione accipiatur. *l. 2. de reb. eo. c. ſi. de iudic.* nam & quod Paul. ad Rom. dixerat, ἐξουσίαις, ὑπερεχούσαις. Latini poteſtatibus ſublimioribus habent. *11. q. 1. magnum.* quibus omnis anima ſubdita eſſe præcipitur. Antiquiores tamen, cùm poteſtatem dicebant, de maioribus magiſtratibus intelligebant, qui merum imperium haberent. *l. eum qui. de iur. om. iud.* quod & Paul. Caſt. adnotauit. Dicitur etiam Epiſcopus eccleſiæ fundos in poteſtate habere. *c. 1. de reb. eccl.* id eſt; in cura & adminiſtratione. Tutor quoque in pupilli caput poteſtatem habet, *Inſtit. de tut. in prin.* id eſt, authoritatem. Vnde & alibi ſua poteſtate quis feciſſe dicitur, quod propria authoritate fecit. *auth. ne defun. in prin.* Sed & in edicto prætoris poteſtatem ſui non facere intelligitur, *l. 3. ex quib. cau. in poſ.* qui ſui copiam, vt conueniatur, non facit: quales ſunt abſentes, vel qui latitant. Illud quoque in poteſtate conſiſtere exiſtimatur, quod in actu non eſt, ſed eſſe poteſt, quod Græci δυνάμει dicunt, quo ſenſu & Iulianus. *l. aduerſus. de arbitr.* nam δυνάμει, inquit, qui à fideiuſſore petit, à reo petit.

BRECHÆVS.

POTESTATIS VERBO. ¶ In iure noſtro, verbum poteſtatis vna atque altera ſignificatione aſſumitur. Primùm enim dicitur poteſtas rum eius qui habet: tum etiam eius rei cuius potentes ſumus, & eiuſdem ſit penes nos dominium. Nam cùm de re quauis ſtatuendi libera nobis poteſtas conceditur, intelligimur rei eiuſdem dominium habere, eiuſdem quoque exhibendæ facultatem. Quòd ſi ſeruus in fuga ſit, vel peregre, non videbitur in poteſtate domini eſſe, ait Vlp. *in l. quoties. §. Prætor ait. ff. de nox. act. & in l. Celſus. §. item ſi quis. ff. ad exhib.* Si quis, ait, facultatem reſtituendi non habeat, licet poſſideat, tamen ad exhibendum non tenebitur: vt puta, ſi in fuga ſeruus ſit. Ad hoc planè tenebitur ſolùm, vt caueat ſe exhibiturum, ſi in poteſtatem eius peruenerit. Dicitur itaque in poteſtate quis eſſe, qui paret & obſequitur voluntati eius in cuius poteſtate eſt. Vnde ſi is, in cuius poteſtate eſſe dicetur, negauerit ſe in ſua poteſtate ſeruum habere, vel iubebit Prętor actorem (ſi volet) iurare in poteſtate ſua non eſſe, neque ſe dolo malo feciſſe quominus eſſet: vel iudicium ſine noxæ deditione dabit. *d. §. Prætor ait.* Et poteſtatis verbum communiter accipiendum, inquit idem Vlp. *l. 1. §. poteſtatis. ff. de pecul.* tam in filio, quàm in ſeruo. Nec magis dominium ſeruorum eſſe ſpectandum, quàm facultatem habendi eos. Quamuis enim iure ſeruum poſſideam, ſi tamen ille aufugerit, ita vt habere eum non poſſim, in poteſtate mea non dicetur eſſe, nec vt exhibeam, potero compelli: igitur poteſtatis verbum, ait idem Vlpia. *l. 1. §. poteſtatis. ff. de trib. act.* ad omnem ſexum, item ad omnes qui ſunt alieno iuri ſubiecti, porrigendum erit. Non ſolùm ad ſeruos pertinebit tributoria actio, verùm ad eos quoque qui nobis bona fide ſeruiunt, ſiue liberi, ſiue ſerui alieni ſint, vel in quibus vſumfructum habemus. Quòd ſi res mihi furto ablata ſit, ampliùs in poteſtate mea dici non poteſt, nec ad eam exhibendam tenebor. At ſi eiuſdem rei vindicandæ poteſtas mihi fuerit, quoniam qui actionem habet ad rem, ipſam rem habere videtur, tunc in poteſtate mea cenſebitur eſſe, & in poteſtatem meam rediiſſe. Quandoque tamen redit res in poſſeſſionem domini, quæ nihilominus in poteſtatem rediiſſe non videtur: quandoque etiam in poteſtatem, non in poſſeſſionem. Vt ſi res peculiaris ſerui mei ignorante me ſurrepta ſit, deinde eam nactus ſit, videri in poteſtatem meam rediiſſe Labeo exiſtimauit. Commodius dicitur, inquit Paulus, etiam ſi ſciero, rediiſſe eam in meam poteſtatem. Idem Labeo ait, ſi rem, quam apud te depoſueram, lucri faciendi cauſa vendideris, deinde ex pœnitentia redemeris, & eodem ſtatu habeas, ſiue ignorante me, ſiue ſciente hæc geſta ſint, videri in poteſtatem meam rediiſſe ſecundum Proculi ſententiam, quæ vera eſt. *l. Sequitur. §. Labeo. & §. idem Labeo. ff. de vſuc.*

In perſona magiſtra. ¶ Aliam profert Paulus poteſtatis ſignificationem, videlicet, cum de magiſtratus poteſtate loquimur, intelligimus de ea quam habet, iuriſdictione. Vt cum Vlpianus dixit merum imperium eſſe habere gladij poteſtatem, quod & poteſtas appellatur. *l. imperium. ff. de iur. om. iud.* Et Iureconſultus *in l. 2. de orig. iur.* dixit, maioris poteſtatis magiſtratum creatum, nempe Dictatorem, quod maior eſſet illi & iuris dicundi, & exequendæ ſententiæ facultas iniuſſu populi, quàm Conſulibus, vt

bus,vt eſt etiam apud T.Liuium. Hanc autem poteſtatem Græci ἐξουσίαν appellant. D.Ioan. *Apoc.c.13.* καὶ ἔδωκεν αὐτῷ ὁ δράκων τὴν δύναμιν αὐτοῦ, καὶ τὸν θρόνον αὐτοῦ, καὶ ἐξουσίαν μεγάλην. Et paulò pòſt: καὶ ἐδόθη αὐτῷ ἐξουσία εἰς πᾶσαν φυλὴν καὶ λαὸν, &c. hic τὴν ἐξουσίαν poſuit pro ſumma facultate & virtute. Dixit tamen, καὶ τὴν δύναμιν ſimul & τὴν ἐξουσίαν,cùm ſit inter δύναμιν & ἐξουσίαν longa differentia. Eſt enim δύναμις ſimpliciter facultas & virtus: vt cùm herbarum,aut ſimplicium alimentorum facultates dicunt medici & ipſe Hippocr. & Gal. iubent ægrotanti cibum ſubtrahi, ἐν αὐτῇ τῇ ἀκμῇ ſi vires corporis ſufficiant,vtuntur voce δυνάμεως.& σύμπτωμα ἐκλυτικὸν δυνάμεως,quod vires & facultates corporis deiicit ac diſſoluit. Cæterùm ἐξουσία,id eſt,poteſtas,ius & authoritatem ſignificat, vt apud D.Matth.*c.21.* οὐδὲ ἐγὼ λέγω ὑμῖν,ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ ταῦτα ποιῶ. neq; vobis dico qua ego poteſtate & authoritate hæc ipſa faciam. Vide quæ de huius dictionis ſignificatione latiſſimè ſcripſimus *in Comm.ad conſuetud.ſcriptas Turonenſis præfecturæ:* vbi de iuriſdictione & imperio permulta tradita ſunt à nobis aduerſus multorum ſententiam.

FORNERIVS.

POTESTATIS. ¶ Verbo poteſtatis quinque hæc ſignificari Paulus ait, Imperium,patriam poteſtatem,dominium in ſeruos,noxæ dedendæ facultatem, furtiuæ rei in poteſtatem domini reditum. Sed & tutela & cura poteſtas quædam eſt.*l.1.de tutel.l.50.cum filiofam.de leg.3.*Theophilus.ἐπιτροπὴ,δικαιότητι καὶ ἐξουσία. Ius quoque patrisfamilias in vxorem,quæ in manum conuenerit.*l.195.pronunciatio.§.h.t.l.57.ea quæ.de don.int.vir.& vx.* Vlp.*fragm.tit.5.& tit.25.§.et qui.*Iſid.*lib.10.Etymolog.c.4.* Eius denique qui captum ab hoſtibus redemerit,poteſtas: non quòd is verè ſit ſeruus,ſed donec pretium ſoluerit,obnoxius.*l.2.C.de poſtl.reuer.* Demoſthenes,Οἱ νόμοι κελεύουσι,τοῦ λυσαμένου ἐκ τῶν πολεμίων εἶναι τὸν λυθέντα,ἐὰν μὴ ἀποδιδῷ τὰ λύτρα.Eum qui in poteſtate teſtatoris eſt,conſtat,teſtamento non adhiberi teſtem. Verbum autem poteſtatis producit Vlp.non ſolùm vt ad liberos,qui in parentum familia ſint, referatur,verùm etiam ad eum, quem ab hoſtibus redemerit. Quamuis placeat hunc ſeruum non eſſe,ſed vinculo quodam, donec pretium ſoluat, retineri. *l.20.qui teſtamento.§.qui teſt.fac.poſ.* Sed hoc aliàs,id modò quod inſtat,agamus.

Magiſtratuum. ¶ Hæc interdum coniunguntur, imperium, poteſtas,magiſtratus, interdum ſeparantur. Am.Marcel.*lib.30. Aere graui mercati publicas poteſtates.* Suet.Tranquil.*Iul.Cæſ.c.20. Qui ad poteſtate abiret,domo abditus,nihil aliud,quàm per edicta obnuntiaret.*Plin.*lib.28.c.6. Hac in conſiliis ducum,poteſtatúmque fieri, lib.29.c.4. Mites facere dominos,poteſtatéſque exorabiles.* Vlp.*Cum poneret ius publicum inuocare, & adire aliquem poteſtate præditum, qui vtique eum vim pati prohibuiſſet. l.vlt. quod met.cau.*Poteſtatem veteris gloſſarij auctor ἀρχοντικὴν ἐξουσίαν interpretatur.Pontificium in recentioribus Cod.Theod.conſtitutionibus aliquoties dicitur. *l.1.de bon.mat.l.3.de epiſc.aud.l.13.de heret.l.2.de apoſtat. l.1.de fid.cath.* Idque prolatis aliorum auctorum teſtimoniis Franc. Iuretus *in Symmachi lib.7.* accuratiùs annotauit. ¶ Redeo ad noſtros, apud quos poteſtatis latiùs aliquantò, quàm magiſtratus nomen patet.*l.3.ad leg.Iul.rep.l.13.eum qui.de iur.om.iud.* Præfectura annonæ,præfectura vigilum poteſtas eſt,non magiſtratus.*l.2.ver.ſanè.de orig.iur.*Quare quoties in veterum legum,ſenatuſq.conſultorum formulis coniunguntur, non tanquam otioſa ſynonyma (quod nonnullis videtur) accipienda ſunt,ἐν τῷ παραλλήλῳ,vt in ædilitio edicto morbus,& vitium.*l.1.de æd.ed.*neutrum ſupereſt,ſed vtrunque,vt nihil deſideraretur in lege,exprimitur.Vlp.[Qui magiſtratum poteſtatémue habebit.]*l.1.quod quiſ.iur.* Macer. [Alij propter magiſtratum,poteſtatémue in qua agentes,ſine fraude,in ius euocari non poſſunt.] *l.8.qui accuſare.de accuſ.*Vlp.*l.32.nec magiſtratibus.de iniur.* M.Tul.*in P.Rullum,de lege Agraria,orat.2.* [Omnes poteſtates,imperia,curationes,ab vniuerſo pop.Rom.proficiſci conuenit.] Et paulò inferiùs, [Licinia lex eſt,atque altera Ebutia,quæ non modò eum,qui tulerit de aliqua curatione ac poteſtate,ſed etiam collegas eius, cognatos, affines excipit, ne eis ea poteſtas,curatióque mandetur.] Vlp.Capi iuſſu magiſtratus vel præſidis,vel alterius poteſtatis,& diſtrahi fundus pupillaris poteſt.*l.3.de reb.eor.*Idem [Merum imperium eſt,habere ius gladij ad animaduertendum in facinoroſos homines,quod etiam Poteſtas appellatur.] *l.3.de iuriſd.*Symmach.*lib.9.epiſt.119.* [Cum facinus vbi admiſſum eſt, debeat expiari, neceſſe eſſe proſpeximus, poteſtatem finitimam conuenire, & cui prouinciarum iura commiſſa ſunt.]In verſu Rom.legis Regiæ,ex ænea tabula Lateranenſi deſcriptæ, verſus omnia complectitur: VTIQVE QVOS MAGISTRATVM, POTESTATEM, IMPERIVM, CVRATIONEMVE: CVIVS REI PRTENTAS SANATVI POP. Q. R. COMMENDAVERIT. Vlp.eum lege Iulia teneri ait, [qui cum imperium, poteſtatémue haberet,] ciuem Rom.aduerſus prouocationem necauerit, quíque dolo malo fecerit,quominus iudicia tutò exerceantur:aut iudices,vt oporret,iudicent,vel is, [qui poteſtatem imperiúmue habebit,]quam ei ius erit,decernat,imperet,faciat. *l.7.lege.l.antepen.ad leg.Iul.de vi pub.*Marcianus legem Iuliam repetundarum pertinere ad eas pecunias ait,quas quis [in magiſtratu poteſtate,curatione,legatione, vel quo alio officio, munere,miniſterióue publico cœpit.] *l.1.ad leg.Iul.rep. In perſon.liber.* ¶ Patria poteſtas fuit olim ſumma,δυναστείαν ἀρχὴν vocat Plat.*epiſt.7.* Iure Quiritium *l.1.de reiniud.*Ius vitæ & necis.*l.11.in ſuis.de lib.& poſt.*Quo ſ(t)etus Manl.Torquatus filium interemit:Virginius filiam.*l.2.de orig.iur.* Cuius epitaph. Appianus ab interitu vindicauit D.M. VIRGINIVS FILIÆ MEÆ CARISSIMÆ VIRGINIÆ NIMIAM OB PIETATEM PROPRIIS MEIS MANIB. INTEREMPTÆ, PROH DOLOR, QVANTVM FVIT CARISSIMA. Id ius ab Attica lege migraſſe Romam, Sext.Empiric.auctor eſt,qui *lib.3.Pyrrhon.Hypoteſeon.*Solonem Athenis legem περὶ τῶν ἀκρίτων tuliſſe refert,qua filium ſuum parenti necare permiſit. [At verò apud nos(inquit)filium occidere vetant leges.] Patriæ poteſtati modum ſtatuerunt legiſlatores poſteriores,& quaſi iracundiæ parentum frenum iniecerunt.*l.4.l.vlt.C.de pat.pot.*Inauditum filium hodie interficere prohibetur pater. *l.2.§.ad l.Corn.de ſic.& venefic.*Marcian.*l.5.§.de lege Pompeia.de parric.* Extrà quàm,ſi quid contra reip.ſalutem

moliatur

moliatur. *l.35. minime.* ~~*5.*~~ *de relig. & ſumpt. fun.* *In perſon. ſeruor.* ¶ Vt patria poteſtas iure Quiritium: ſic dominica iuregentium introducta, ſumma olim fuit: vitæ vtique ac necis: *ἡ ἄκρα ἐξουσία*, Theophilo. Sed mitigata pòſt, & ad lenioris caſtigationis modum reuocata. *l.1. ff. de quaeſt. l. vn. C. de emend. ſeru.* ne ſuis domini rebus abuterentur. *l.1. de iis qui ſunt ſui vel al.* Quibus ſatis cõſuli viſum eſt, ſi ſibi ſeruorum operis, ſtipulationibus, poſſeſſionibus, negotiationibus, acquirerent. *l.79. placet. de acq. her. l.10. acquiritur. de acq. rer. dom. tit. 5. C. Inſt. per quas perſon. tit. de ſtip. ſeru.* Quærat forſan aliquis, ecquid hæc ad huiuſce capitis inſcriptionem (*ad legem Fuſiam Caniniam*) conferant? Animaduerti duo potiſſimùm illa lege de ſeruis cauta fuiſſe. Iubebat enim libertatem relinqui nominatim: alioqui inutilis erat, quaſi incertæ perſonæ legabatur. *§. libertas. de legat.* Vlpianus *fragm. tit.1.* Paulus *lib. 4. ſent. tit. vlt. §.1.* Tum vt intra certum numerum ſerui manumitterentur: Suetonius *in Auguſto. cap. 40. l. vn. C. de lege Canin. ſublat.* legitimum modum vocant Theodoſ. & Valentin. *l. pen. de Iudaeis. C. Th.* Iuſtinianus certum. *Inſt. de leg. Fuſ. Canin. toll.* Flau. Vopiſcus de Tacito. [Seruos manumiſit, intra centum tamen, ne Caniniam tranſiſſe videretur.] Is deſcribitur à Caio *in Inſtitut.* Vlpia. *fragm. tit.1.* Paulo *ſub finem lib. 4. ſentent.* Quoties autem numerus ſeruorum propter legem Caniniam ineundus erat, ij demum qui in manumittentis poteſtate, id eſt dominio ac poſſeſſione eſſent, computabãtur: Vnde etiam ſeruos fugitiuos, quorum poſſeſſionem animo retinemus, in familia noſtra numerandos, Paulus eodem loco tradit. Quò huius capitis inſcriptionem referendam exiſtimo. *Noxa deditione.* ¶ Seruorum delicto domini non vltra eorum æſtimationem tenentur: *l.2. l.3. C. eod.* quippe qui aliena non ſua culpâ obligentur. *l.1. ſi fam. furt. fec. l.31. quod au. de nox. act.* Ideóque noxæ dedendæ facultatem à legis beneficio accipiunt. *l.6. miles. §. decem. de re iud.* Sed hoc duplicem habet cautionem, Prior quidem eſt, vt ſi ſcierint domini paſſique fuerint à familia damnum dari, cum prohibere poſſent, in ſolidum detracta noxæ deditione, conueniantur. *l.2.3.4.5. l.9. ſi communis. l.17. ſi ex duobus. l.19. ſi in re. §. ſi ſeruus. de nox. act. l. pen. C. eod.* Poſterior verò, ne ad deditionem quidem ſeruorum noxiorum, quos in poteſtate non habeant, teneantur. *l.7. noxalis. eod. tit.* Qui enim in poteſtate non habet, recuſare poteſt iudicium: vel ſi habet, & indefenſum relinquat, ius ſuum in actorem transferendo. *l.29. non ſolum. eod. tit.* Si nolit conuentus ſuſcipere iudicium, dedat noxæ: Sed non alias condemnabitur, quam ſi in poteſtate habeat: dolóve malo, quominus haberet effecerit. Prętor ait, [Si is in cuius poteſtate eſſe dicetur, negauit ſe in poteſtate habere, vtrum actor volet, vel deierare iubebo, in poteſtate ſua non eſſe, neque ſe dolo feciſſe, quo minus eſſet, vel iudicium dabo ſine noxæ deditione,] *l.21. quoties. eod. tit.* In poteſtate autem habere, ſic interpretatur Vlpianus, vt facultatem & poteſtatem eius exhibendi habeat: nam etſi hîc dicatur, [præſentis corporis copiam, facultatémque:] Tamen ſerui depoſiti, vel commodati nomine cum domino noxali agetur: Ei enim ſeruire & quod ad hoc edictum attinet, in poteſtate eius eſſe intelligitur. [Maximè ſi copiam habeat, reciperandi hominis.] *l.22. ſi ſeruus. eod. titul.* Quod ſi fortè in fuga ſit ſeruus, mortuus, manumiſſúſve, vel in libertatem proclamet: ſiue pro derelicto habeatur: quia eum non eſſe eum in poteſtate, verum eſt: dominus non tenetur. *l.4. l.7. noxalis. l.14. ſi quis à multis. l. ſeq. d. l.21. quoties. ll. ſeqq. l.38. quemadmodum. §. Iulianus. ll. ſeqq. l. pe. §. ſi quis pro ſeruo. eod. tit.* Niſi dominus dolo malo quo minus poſſidere, exhiberéque vel dedere poſſet, effecerit. dolus enim pro poſſeſſione habetur. *l.11. bona. ll. ſeqq. l.16. ſi heres. l.22. ſi ſeruus ſi. ll. ſeqq. eod. tit.* quibus eiuſdem auctoris ea eodem libro adiungenda videtur. *l.136. qui dolo.* ~~*j.*~~ *tit. ſeq.* Nam qui dolo deſierit poſſidere, dolóve poſſeſſionem noluerit admittere, ęquè ac poſſeſſor condemnari ſolet. *l.69. is qui dolo.* ~~*5.*~~ *de reiuind. l.25. ſed & ſi lege. §. perinde. de her. petit. l.150. parem. l.157. ad ea. §. ſemper.* ~~*j.*~~ *tit. ſeq. l.1. l.3. de tab. exhib. l.2. quod vi aut clam.* *Seruum non defendit.* ¶ Liberi homines ex ſuis factis conueniuntur ipſi, etiam filiifamilias. *l.57. tam ex contractibus.* ~~*5.*~~ *de iudic. l.39. filiusf. de obl. & act.* Porrò ex maleficio filij, in patrem tantùm de peculio, vel de in rem verſo, vel quod iuſſu actio redditur: ad noxæ deditionem minimè: cum nulla liberi hominis deditio permittatur. *§. vlt. de nox. act.* Sed ipſi ſui defenſio datur, in eúmque iudicium redditur: & cõdemnatio in patrem fit peculio tenus. *l.33. noxali. ll. ſeqq. eo. tit.* *In lege Attinia.* ¶ Nulla furtiuarum víque poſſeſſarum rerum vſucapio ſequitur. *§. furtiua. de vſucap.* legi xij. tab. [Furtiuæ rei æterna auctoritas eſto.] Attinia lex exceptionem, qua vitium furti eluitur, ſubiecit, niſi in domini poteſtatem reuertatur: his ferè verbis, [Quod ſurreptum erit, eius rei æterna auctoritas eſto: niſi in eius poteſtatem, cui ſurrepta eſt, reuertatur.] Quid in poteſtatem reuerti: vtque (*ſurreptum erit*) accipiendum ſit, diſſeritur à Paulo. *l.4. de vſucap.* & Gellio *lib.17. cap.7.* Decemuirale verbum vſucapionibus aptum (*Æterna auctoritas*) conſtans rei poſſeſſæ, citráque vllam prioris dominij mutationem, mancipium: Vt quantumuis quis rem meam bona fide poſſederit, nihilomagis vſu eam càpiat: verùm ipſius auctoritas apud me perpetuò maneat: nullóque tempore is euadat auctor. Tullius Topic. [Quoniam vſuſauctoritas fundi biennium eſt: ſit etiam ædium.] Quò adducor, vt in Symmachi pro ara Victoriæ relatione, perperam ſcriptum ſuſpicer, [Semel honori vrbis delata compendia, deſinunt eſſe tribuentium, & quod à principio beneficium fuit, vſu atque ætate fit debitum.] Num fortè rectiùs (*vſu atque auctoritate*) legeretur, velim diſpiciant oculatiores: temerè ipſe nihil adfirmauerim.

CCXVI. Vlpianvs lib. j. ad legem Æliam Sentiam.

Vervm eſt, eum qui in carcere cluſus eſt, nõ videri neque vinctum neque in vinculis eſſe, niſi corpori eius vincula ſint adhibita.

Alciatvs.

Vervm. ¶ Quoties reus in carcerem cõiicitur, & corporali aliqua pœna adficiendus eſt, in vinculis teneri debet, ſi de crimine conuictus eſt. *l. ſi confeſſus. de cuſt. o. reorum.* ſed & ſi conuictus non

fuerit, verùm grauiſſimum delictum commiſiſſe arguatur, veriſimiliáque erunt indicia, in vinculis quoque cauſam dicere debet. *l. diuus. cod. tit.* Meritò igitur hic dubitatum fuit, quemadmodum in vinculis quis eſſe intelligatur. Et quamuis in carcere ſit, non tamen idcirco vinctus cenſetur. In edicto tamen prætoris quo his, qui in vinculis eſſent, per in integrum reſtitutionem ſuccurritur. *l. ſuccurritur. ex quib. cauſ. maior.* etiam qui ſimpliciter incluſi ſunt, continentur. Sed id ea æquitate per interpretationem extenſum eſt, non ex verborum proprietate, de qua hic agitur. ¶ Sanè varia ſunt vinculorum genera: nam & Compedes & Pedicæ, & Manicæ leguntur: tum Catenæ, Nerui, Boiæ. Sűt autem Boiæ damnatorum torques, quaſi iugum boum, vnde locus Plautinus in ſeruum vinctum, Boius boiam terit. Ad hæc ſunt & vincula ad infamiam magis & pœnam, quàm cuſtodiam pertinentia, vt Collaria, quibus in publico blaſphemi, & lenæ etiamnum alligantur, vt deriſui viatoribus ſint. Eſt & Numella ligneum inſtrumentum, quo quis incuruus & quadrupes caput & pedes exerit, hócque modo impeditur: vulgò Berlinam dicunt. At Græci κύφωνα, cuius mentio Ariſtophani quoque in Nubibus eſt. Solebant & mulierculæ ſic notari, vt caudici ſiue ſtipiti alicui alligatæ opus facere cogerentur. Prope.

Codicis immundi vincula ſentit anus.

Iuuenalis:

Horrida quale facit reſidens in codice pellex.

Serui quoque in compedibus opus faciebant, ne facilè fugam poſſent capeſſere.

Idem:

Squallidus in magna faſtidit compede foſſor.

Inde etiam in latomiis, hoc eſt, lapidicinis cuſtodiebantur, idem & in ergaſtulis.

Brechævs.

VERVM EST. ¶ Hoc ipſum Vlpiani reſponſum excerptum quidem dicitur eſſe ea eiuſdem Vlpiani *lib. 1. ad legem Æliam ſentiam*, quam videlicet Conſules duo Ælius & Sentius de ſeruorum manumiſſionibus tulerunt: quod ad eiuſdem reſponſi intelligentiam ſcire refert. Nam eorum ſeruorum qui manumittebantur, quidam erant naturales, id eſt, ea natiuitate ſerui: alij verò addicti, nonnulli deditiij, ita dicti quòd cum aduerſus Pop. Roman. arma ſumpſiſſent, deinde victi, & ῥιψάσπιδες ſe dedidiſſent, vincti adducebantur, ſicque vendebantur, vita illis tantùm conceſſa. Erant autem vincula, tormenta, ſtigmata, ſigna ſeruitutis perpetuæ, quamuis cùm manumitterentur, vincula ſe illis ſoluerentur: atque ita manumiſſi, Libertini deditij vocati ſunt lege Ælia ſentia lata, de manumiſſionibus. Theophilus *lib. 1. inſtit. tit. de libertinis*, ἐάν τις (inquit) ἐν τῷ χρόνῳ τῆς δουλείας ὑπεύθυνος ἐπί τινι πταίσματι ὑπ' αὐτοῦ εὑρεθέντων, οἷον ἐὰν διά τι πταῖσμα λάβῃ στίγματα κατὰ τοῦ μετώπου, ἢ γοῦν ἐμβληθῇ ἐν δημοσίᾳ εἱρκτῇ, ἢ καὶ διά τι πταῖσμα τυπτόμενος ὁμολογήσει τὸ πταῖσμα, καὶ μετὰ ταῦτα ὅπως γενόμενος τοῦ δεσπότη ἐλευθερωθῇ, ἐγένετο δεδιτίκιος ἀπελεύθερος. Si quis ſeruitutis tempore horum vitiorum ac delictorum quæ ab ipſa lege Ælia ſentia adinuenta ſunt & enumerata, alicui obnoxius fuerit; vt ſi propter aliquod crimen nota ſtigmatis fronti eius inuſta ac impreſſa ſit, vel in publica vincula coniectus fuerit, ſeu ob aliquod delictum verberatus, delictum ipſum fit faſſus, & poſthæc gratia cum domino inita, ab eodem domino manumiſſus, deditiius libertinus fiet, ἐν δημοσίᾳ εἱρκτῇ dixit Theophilus, quod nos ſententiam Connani ſequuti, in publica vincula, vertimus, non in publicos carceres, vt perperam putauit Angel. Politianus *Miſcellan. capite. 84.* quamuis εἱρκτὴ & carcerem ſimul & vincula ſignificet, παρὰ τὸ εἴργω τὸ κωλύω τοῦτο ἀπὸ τοῦ εἴργω. Significat autem εἴργω in carcerem conijcio, quaſi εἴργω: id eſt, contineo, & vincio. Vnde vincti & ergaſtolarij ſerui dicuntur (Budæo teſte *in Comment. ling. Græca*) εἰργμένοι καὶ εἰρχθέντες, qui etiam ergaſtula appellantur, vt cuſtodia οἱ ἐν τῇ φυλακῇ καὶ οἱ φυλακῖται, qui carceribus continentur. Itaque ergaſtularij qui vincti in opus publicum ob crimen aliquod admiſſum damnati erant, dicebantur in vincula publica coniecti, cùm tamen carceribus occluſi non eſſent. Et cum dominis ſuis reddebantur, vincti reddebantur. Alexander imper. *l. ſeruus. C. de pœnis.* Seruus ſub pœna vinculorum ſine temporis præfinitione domino reddi iuſſus ſententiâ Præſidis prouinciæ, perpetuò vinctus eſſe debet. ¶ Publica igitur & priuata vincula erant. Priuata quidem, tum cùm domini ſeruos vinctos haberent, quos vinculis manumittendo ſoluebant. Quod legis Æliæ ſentiæ inuentum fuit, vt ſuprà dictum eſt. Quare Vlpia. *lib. 1. ad legem Æliam ſen.* dixit, Verum eſſe eum qui carcere clauditur, non videri neque vinctum, neque in vinculis eſſe, niſi corpori eius vincula ſint adhibita. Nam fit aliquando, vt qui in carceribus ſit, nullis ille vinculis contineatur. Vincula enim pœnæ loco habentur. Atqui carcer (ait Vlpia. *l. aut damnum. ff. de pœnis.*) ad continendos homines, nõ ad puniendos haberi debet. Neque etiam qui vinctus & in vinculis eſt, ſemper carcere continetur. Vt qui crimini obnoxij ea propter iudicis ſententiâ in vincula coniecti ſunt: & quos domini ſeruos vinctos poſſident, vt ſuprà dictum eſt. Seruos (ait Vlpia. *l. ſuprà citata*) in metallum vel in opus metalli, item in ludum venatorium dari ſolere, nulla dubitatio eſt: & ſi fuerint dati, ſerui pœnæ efficiuntur: nec ad eum pertinebunt, cuius fuerint antequàm damnarentur. Denique cum quidam ſeruus in metallum damnatus, beneficio principis eſſet iam pœnâ liberatus, Imperat. Anton. rectiſſimè reſcripſit: Quia ſemel domini deſierat eſſe, pœnæ ſeruus factus, nõ eſſe eũ in poteſtatẽ domini poſteà reddendũ. Sed ſiue in perpetua vincula dãnatus ſeruus, ſiue in tẽporaria eius remanet, cuius fuit antequàm dãnaretur. Idem Vlp. *l. ſi hominẽ. ff. depoſ.* commemorat hominem vinctum depoſitum apud ſequeſtrem, vt de eo quæſtio haberetur. Nõ eſt igitur dicẽdus vinctus neq; in vinculis, qui carcere clauditur. Sola namq; mancipia in vincula conijci ſolita erant, nõ etiam liberi homines. Tamen liberi homines perinde atq; ſerui in carceres detrudebãtur. Proptereà ergò nõ dicetur eſſe in vinculis, qui in carcerib. eſt,

niſi

niſi & is quoque vinctus ſit & vinculis præpeditus. Ratio itaque huius reſponſi eſt, teſte Connano *lib.2.* quod carcer nihil habet alienum ab homine libero, vincula habent. Verumtamen vincula aliquando, ſed id quidem καταχρηστικῶς pro carceribus vſurpantur: & qui in carceribus eſt, in vinculis eſſe dicitur.

FORNERIVS.

VERVM EST. ¶ Lege Ælia Sentia (ad quam hæc Vlpiani definitio pertinet) multa de ſeruorum manumiſſione, ac libertorum iure & diſtinctione cauebantur. Dion Nicæus Auguſtum de libertatibus leges tuliſſe commemorat. *lib.55.* Eundem Sueton. refert, ſeruos multis difficultatibus à libertate iuſta remouiſſe, cum & de numero, & conditione, at differentia eorum, qui manumitterentur, curioſè cauiſſet, hoc quoque adieciſſe: [Ne vinctus vnquam, tortúſve quis vllo libertatis genere ciuitatem adipiſcerentur.] Nec enim omnes liberti ciues Romani fiebant: ſed vel Latini tantùm, vel deditítij. Theophilus *tit. de libertinis.* Ἐάν τις ὢν τῷ χαραχθῆ τῆς δουλείας ... (ſcilicet eorum, quæ lege Ælia Sentia comprætenſa ſunt) ... Id eſt, vt Vlpianus. [Dedititiorum numero ſunt, inquit, qui pœnæ cauſa, vincti ſunt à domino: quibus veſtigia ſcripta fuerunt, qui propter noxam torti, nocentéſque inuenti, ſunt: quive traditi ſunt, vt ferro, aut cum beſtiis depugnarent, vel in cuſtodiam coniecti fuerunt: deinde quoquomodo manumiſſi ſunt. Idq; lex Ælia Sẽtia facit.] Hæc ille, *fragm. tit. 1.* ¶ Vnde aliquot natæ quæſtionea. Imprimis quis dominus vinciendo ſeruum, ne ad ciuitatem Rom. perueniat, poſſit impedire? Et dominum propriè, in ſolidum, ſanúmque eſſe oportet. Neque enim ſeruum communem vnus ex ſociis, neque heres ex fideicommiſſo reſtituere rogatus, neque debitor, creditórve oppigneratum, neque pupillus furioſúſve, vinciendo futuræ libertati nocebunt. *l.15. ſi quis ex. de fid. lib. l.24. eleganter ſi. de pign. act.* Paulus *libro 4. ſenten. titul.12.* Deinde quid ſi à domino tortus nocens non comperiatur? Æque ciuitatem manumiſſus conſequetur. Theophilus, ... Id eſt tortus confiteatur noxam: non verberibus afficiatur: vt Curtius vertit. ..., torqueri eſt: Iulianus Patricius, quod *Nouell.45.* decurionum priuilegio tribuitur, μὴ ..., exponit, ne tormentis ſubiiciantur. Sed & Vlpianus addit, ſi propter noxam torti nocentes inueniantur, *d. tit.1.* Paulus. Tormentis apud præſidem ſubiectus, & de nulla culpa confeſſus, ad iuſtam libertatem perduci poteſt. *d. tit.12.* Poſtremò in eiuſdem legis Æliæ Sententiæ interpretatione quæritur, quis vinctus dicatur. Reſpondet Vlp. Vinctum non videri ſeruum eum, qui clauditur carcere, qui ſimpliciter cuſtodia continetur, niſi & vincula admota ſint. Theophilus ἐμβληθῇ ἐν δημοσίᾳ εἱρκτῇ. Quò pertinet, quod reſpondit Paulus, fideicommiſſariam libertatem, ei quem poſteà dominus vinxerit, non deberi. *l.43. fideicommiſſa. de fideic. lib.* Nec tantùm ſi dominus ipſe vinxerit, ſed & ſi vinciri iuſſerit, aut vincientis procuratoris, actoríſve factum comprobarit. *d. tit.12.* Ergo quantum ad eam legem attinet, qui ſimpliciter eſt in carcere, vinctus eſſe non videtur. hic. ὁ φυλαχθεὶς ἐν φυλακῇ, οὐ δοκεῖ δεδέσθαι. Vinculorum quidem nomine publica, priuatáque ſignificantur: cuſtodiæ tantùm publica. Nec obloquitur Caliſtratus, cum ait, ei qui in vinculis ſit, ſuccurri: ſiue in publica cuſtodia ſit, ſiue vinctus, ſiue in latumiis. *l.9. ſucc. nt. tunr. ā. quib. ex cauſ. maior.* quod quale ſit, nos opportuniùs ad *l.224. vinculorum. ȷ̄. h. t.* diſquiremus.

Verum eſt. ¶ Solemne eſt iureconſultis, quotiés quid paulò à vulgi ſenſu remotius, quod ipſi tamen probẽt, regulariter definiunt, ita concipere: VERVM EST. *l.4. ſ. de compenſat. l.3. de bon. poſſ. ſecund. tab. l.63. verum eſt, quod Sabino. pro ſoc. l.31. verum eſt neque pact. ȷ̄. tit. ſeq.*

CCXVII. IABOLENVS lib. j. ex poſterioribus Labeonis.

INTER illam conditionem, [cum fari potuerit, & poſtquam fari potuerit,] multum intereſt * Nam * poſteriorem ſcripturam vberiorem eſſe conſtat: at [cum fari potuerit,] arctiorem: & id tantummodo tempus ſignificari, quo primùm fari poſſit.

ALCIATVS.

INTER ILLAM. ¶ Illa conditio, Cùm fari poterit: citiùs venit, quàm illa, Poſtquam fari poterit: quoniam prima ſtatim cùm primùm quis poteſt proloqui, adimpletur, at alia ſucceſſiuum aliquod tempus deſignat. Oldradus primam referri ad potentiam naturalem exiſtimauit: vnde cùm ſeptimo anno infantiam pueri exeant, ſequitur vt eo tempore dies veniat: at ſequens ad actum ipſum refertur. Quapropter cui legatum eſt, poſtquam fari poterit, ſi mutus eſſe perſeueret, legatum non conſequetur: & hanc interpretationem, licet hìc vacillet, tamen alibi Bartol. approbauit, *l.1. de minſt. rup.* Mihi non placet, quia non video, cur & in priore caſu non debeat expectare, donec actu fari quis poſſit: non enim poſſe propriè dicimus quod actu facere non poſſumus: nec vlla eſt ratio, cur hæc coniunctiua, cùm, ad potentiam ſolam referatur, & poſtquam etiam actum reſpiciat. Alibi Bart. *l. ſi cui legetur. §.1. de verb. obl.* cùm, non ita expreſſam conditionem facere atteſtatus eſt, ſicut poſtquam: & ideo legatum Titio, cùm heres certæ ætatis eſſet, non videri conditionale cùm tamen legatum, poſtquam certæ ætatis erit, conditionale ſit. *l. liberis quos. §. ab heredibus. de alim. leg.* Sed hæc ſententia recepta non eſt: vtranque enim eſſe conditionem hìc dicitur, niſi quòd hæc poſterior aliquantò vberior eſt.

BRECHÆVS.

INTER ILLAM. Hæc verba in legato, *cùm fari poterit. & poſtquam fari poterit*, longè inter ſe differunt. Nam ſi teſtator ita ſcribat: lego Iacobo centum, poſtquàm fari poterit, protrahetur hæc con-

ditio in tempus longius quàm ſi ſcribatur, cùm fari poterit, quæ poſterior conditio & anguſtioris eſt temporis & exactioris, vt videlicet, quo primum tempore fari incipiet legatarius, illi debeatur legatum, & conditio extitiſſe cēſeatur. Tunc autem fari incipit infans, cùm iam poſcit papare minutum, vt ait Perſius, & voces aliquot qualeſcunque efformat lingua. At verò ſi legatum ſit ſub his verbis, *poſtquàm fari poterit*. certe non debebitur priuſquam ἀρτιςομος ac planè loquens ſit, & (vt ait Connanus *lib.3.*) per ſe iam omnia fere verba pronuntiet, ac diſtinctè, quantum illa ætate licet, eloquatur. Sane, cùm, eſt aduerbium temporis: & ſua ipſius natura atque origine tempus præcipuè ſignificat: in cauſa verò habet conditionem. Iſta (inquit Zaſius *in l.Centeſimis.§.fi. de verb.oblig.*) dicuntur habere tempus in capite, conditionem in cauda: tempus principaliter per conſequentiam, conditionem: & cùm dicimus, dabis ſi volueris, & cùm volueris, variam eſſe diſtinctionem. Quandoquidem aliter obſeruatur in vltimis voluntatibus, aliter in contractibus, aliter in voluntate aperta, aliter in voluntate tecta, aliter in voluntate conſenſiua, aliter in voluntate electiua: quæ omnia late ipſe Zaſius exequitur loco antè citato, & rurſus *in l.ſi quis arbitratu. eod.tit. & in l.ſi decem*, quo loco tradit quam vim habeant hæc verba, cùm petiero. Sed quid? An dictio hæc *poſtquam*, conditionem contineat, an verò modum, Videto Bart. *in l.quibus.§.fi.ff.de condit.& demonſtr.*

FORNERIVS.

INTER ILLAM. ¶ Antiſtij Labeonis libri, quòd poſt auctoris mortem editi eſſent, tanquam poſtumi, poſteriores inſcribuntur. Quorum tres continuos, trigeſimum octauum, trigeſimumnonum, & quadrageſimum plenos omni genere rerum, ad enarrandam & illuſtrandam linguam latinam conducentium, teſtatur A. Gellius *lib.13.cap.10.* Ad quos cum plerique Iureconſulti varias adiecerint notas: Tum verò Iabolenus Priſcus: ex cuius adhuc libris (vt alios nunc omittam) ex poſterioribus Labeonis decem, permulta ſuperſunt: vt hocce ex primo ſumptum libro caput. In quo (quantùm ego ex reliquiarum veſtigiis conijcio) de conditionibus videtur eſſe diſputatum. Veluti [Si is heres non eſſet: & Si iurauerit, heres eſto. *l.60. filium. l.62. Antiſtius. de acq.her.* [Si quis ex his impubes deceſſiſſet.] *l.39. cum ex filio. de vulg.& pup.ſubſt.* & regula, Conditiones ad genus perſonarum relatas, totius eſſe teſtamenti, & ad omnes inſtitutos: certis perſonis accommodatas, ad eum duntaxat inſtitutorum gradum pertinere. *l.39. quæ conditio. de cond.& demonſt.* Denique duæ hîc conditionum (CVM, & POSTQVAM FARI POTVERIT) formulæ comparantur: Quarum priorem eſſe arctiorem: poſteriorem verò laxiorem & vberiorem Iabolenus exiſtimat. Nempe ei (*cum fari*) conditionem, quæ eo ipſo, quo primùm fandi facultas fuerit tempore, momentóque exiſtat, ineſſe: id eſt, ὅτι πρῶτον λαλῆσαι δυνηθῇ. Quam videri poſſint iſta reciprocari. *quoad viuet, quoad morietur.* A. Gellius *lib.7.cap.21. Quoad volam, quoad nolam. l.4. de ſeruitut.tit.C. vt actiones ab hered.& in hered.incip. l.46. centeſimis ſi. l.43 ſi quis arbitratu. l.46. ſi decem. de verb.oblig.* *Fari.* ¶ Hoc ferè fit ſeptimo ætatis anno. *l.18. ſi infans. C. de iur.delib.* quo tempore dentibus natis integritas loquendi abſoluitur. Macrobius *lib.1. in ſomn. Scipion. cap.6.* Iuuenalis *ſaty.14.*

-- Cum ſeptimus annus
Tranſierit, puero nondum omni dente renato.

Moſchopulus περὶ σχεδ. ἐκβολὴ ὀδόντων. Ariſtophanes ἡλικίας ὢν ὀδόντας ἐκφύειν. Lucretius.

Nec minus incerto denteis cadere imperat ætas
Tempore Vnde Græci iuris interpretibus infans, ſeptennior minor definitur ὁ νήπιος: ὁ ἐνδεκάτης, καὶ ὁ ἧττον τῶν ἑπτὰ ἐτῶν.

§. j. ITEM ita data conditione, [illud facito in diebus,] ſi nihil præterea fuiſſet adiectum: in biduo conditionem īmpleri oportet.

ALCIATVS.

ITA DATA. ¶ Quoniam pluralis elocutio duorum numero contenta eſt. *l.libertas.§.fin.de manu.teſtam.* ſi quis conditionem hanc apponat, illud facito in diebus, & vlterius aliud non exprimat, in duobus diebus faciendum erit: quod tamen nō procedit, quando per errorem omiſſus eſt numerus: tunc enim ob incertitudinem vitiatur. *l.ita ſtipulatus.de ver.obligat.* In odioſis quoque proprius eſt, vt imperfectam ſententiam exiſtimemus. *arg.d.§.fi.* & huiuſmodi oratio nullius ſit effectus. Sed & ſi quis promiſerit aliquid dare in diebus illis, nihil agit: videtur enim ſe retuliſſe ad communem vſum loquendi. quo ita ſolemus tempus infinitum ſignificare, tranſlatione à myſticis fidei Chriſtianæ libris accepta, in quibus quæ vel olim fuerunt, vel poſt innumera annorum curricula erunt, additur, in diebus illis eſſe facta, vel futura. Et ita aliqui exiſtimauerunt, *in l. cum qui cal.de verb.oblig.* licet articulus controuerſus ſit. Ego in arbitrio iudicis cōſiſtere opinor, qui ex coniecturis colligat, qua mente promiſſio huiuſmodi facta ſit.

FORNERIVS.

ITEM ITA. ¶ Hic quoque de conditionis implendæ interpretatione agitur. Si teſtator quid diebus fieri, nulla dierum definitione, iubeat: de biduo ſenſiſſe videtur. ὁ λέγων ποιῆσαι ἔσω ἡμερῶν, καὶ μὴ προσθεὶς πόσων, ἔσω δύο δοκεῖ λέγειν. Vt & poſt annos indiſtinctè liber eſſe iuſſus, poſt biennium liber erit. Idque & fauor libertatis, & verba patiuntur, inquit Vlpianus. *l.17. libertas. fi. de manumiſſ. teſt.* Quoties enim numerus à lege non finitur, duo pluralem numerū implent. *l.12. vbi. de teſtib.* *Oportet.* ¶ Interdum tamen accidit, vt etiam non expletæ conditiones, ſi per eum, cui adſcribuntur, non ſteterit, pro expletis habeantur. *l.30. qui quattuor. §. vxori. de legat.3.* vel per creditorem, quo minus exple

expleantur, efficiatur. *l.38. in omnibus cauſis l.161. in iure.* ⁊ *tit. ſeq. l.24. in iure. de cond. & dem.* Vel niſi aliud ſenſiſſe patremfamilias, manifeſtis rationibus adprobetur. *d.l.17. libertas fin.*

CCXVIII. Papinianvs lib. xxvij. Quæſtionum.

VErbum FACERE omnem omnino faciendi cauſam complectitur: dandi, ſoluendi, numerandi, iudicandi, ambulandi.

Alciatvs.

VErbvm facere. ¶ Verbum facere, perquam generale eſt, & ad quæcunque facta refertur: & quandoque facere, interpretamur, id eſt, dare: vnde qui facere iuſſus eſt vt centum habeam. *l. ſi heres. de leg.1.* eam ſummam dari cogi poteſt. Quandoq; ſignificat ſoluere, vt cùm dicimus quaſdam eſſe perſonas, à quibus exigi plus non poteſt, quam facere poſſint. *l. ſunt qui. de re iudica.* intelligitur enim, quàm commodè ſoluere poſſint. Interdum eſt facere, quod numerare: vnde patria feciſſe dicitur, qui pecuniam, quam acceperat, numerauit, & id quod debet, reddidit. Sic & iudicare hoc verbo continetur, vt cùm dicimus, factum eius rei eſſe iudicium. Sed & iter facere dicitur qui ambulat. *§. Cato. l.4. ſuprà de verborum oblig.* vnde & ſtipulatio, iter fieri. *d.l.1. de his qui deiec.* Et hæc quidem hic Iuriſconſultus. ¶ Cæterùm aliis quoque modis accipitur, vt cùm paciſcimur, ne ſeruum facias furem, aut fugitiuum, id eſt, ne ad furtum fugámve ſolicites: vel cùm mandat lex vt ſoboles, quam cenſiti fecerint, non alienetur. *l. cum ſatis. de agri. lib.11.* declaramus fecerint, id eſt, procreauerint: vel cùm quis promiſit damni infecti vicino: in ea enim ſtipulatione damnum facere intelligitur. *l. Proculus. de damn. infect.* id eſt, pati: vel cùm aliquem reum facturos nos pollicemur: id enim eſt, reum facere, quod accuſare. *l. ſi vterus. C. de ſi. autor.* & indicare: ſicut facere ſuſpectum tutorem, eſt detegere, & iudici approbare ſuſpicionis cauſas. *l.2. C. de vſu pup.* ¶ Sed finge conſtitutum, pœnas maleficiorum quæ noctu committantur, duplicari, quomodo intelligentur maleficia? Et cùm dicantur quaſi malefacta, videntur non contineri, quæ dicta, ſcripta, conſulta malè ſint. Qui igitur noctu conuiciatus fuerit, in eam pœnam non incidet. Bart. *l. aut facta. de pœ.* & id frequentiùs probatur. Ego non dubito, etiam in lege pœnali malefacta dici, quæ ſcripta, dicta, conſulta criminosè ſint: cùm verba generaliter, & quatenus ſermonis proprietas fert. *l. cum lege. de teſta.* ium quoque accipi debeant. Sed ne conuitia hoc caſu comprendantur, ratio legis ſuadet, ex qua de his delictis ſignificari oſtenditur, quæ ex tenebris nocturnis, vel facilius, vel grauiore cum noxa fierent: quod in iniuriarum crimine non eſt. Sanè cùm antiqui maleficos ſpeciali nomine incantatores intellexerint. *rub. C. de maleficis.* huiuſmodíque diuinatores, de eis potius eſt, vt legis verba accipiantur, cùm noctu præſertim ſoleant vmbras euocare, & animas reſponſa daturas, vt Canidia apud Horatium. Quo ſenſu & Exod.22. ſcriptum eſt: *Maleficum ne patiaris viuere.* id eſt, ſortilegum & carminibus veneficia facientem.

Brechævs.

VErbvm facere. ¶ Huius vocis & verbi ſignificationem ſatis tractauimus *ſuprà in l. faciendi verbo.* & aliis locis. Et hunc locum Alciatus noſter ampliſſimè enarrauit.

Fornerivs.

VErbvm facere. ¶ Polyſemum hoc verbum omnes factorum ſpecies ſuo ambitu complectitur. *Dandi.* Obligationes quæ in facto conſiſtunt, ab iis quæ ad dandum pertinent diſtinguuntur. *l.2. l.3. l.4. l.72. ſtipulationes non diuiduntur. de verb. ob.* Et cum prætor eius, quod metus cauſa factum erit, reſciſſionem pollicetur, etiam ſi quid vi metúue datum, ſolutum, redditum, promiſſúmue fuerit, ratum non habebit. *l.175. faciendi.* ⁊ *hoc tit. l.13. exstat. quod met. cauſ.* factum quoque in fraudem creditorum videtur. quod ante diem redditur: Et cum ceſſatur: cum id non fit, quod fieri debuit. *l.4. l.5. l.17. omnes ſi. quæ in fraud. cred.*

Soluendi. ¶ Eo ſenſu iudicatum facere: iudicati faciendi tempus: quatenus facere poteſt, cæteráque id genus, pro ſoluere. *l.4. quod cum eo. l.9. nam & de cond. indeb. l.10. qui cum. de re iudic.* dotem facere. *l.49. vir ab eo. de iur. dot.* facere pecuniam. *l.50. eo tempore ſi. de pecul.* pretium facere. *l.19. arbor. comm. diuid. l.41. vxorem. § agri plagam. de leg.3.* Paulus. [Nec viro, nec mulieri prodeſt, in hoc iudicio, ſi facere non poſſunt, pendet enim id ex furto.] *l.21. ſi mulier. rer. amotar.* Id eſt, quamuis ſoluendo non ſint, non euitabunt rerum amotarum actionem: ſed quia ex delicto contracto naſcitur obligatio, damnabuntur. Facere, nihil aliud, quàm ſoluere. *l.18. etiam. ſol. mat.* ſoluere ſolidum. *l.63. verum. l. ſi cum tres. pro ſocio.* Plautus Curculione. *Aulul.* , Caſſina ----- [Malè creditur, qui nunquam reddunt, ſed prorſus perit Velut hic decem mnas dum ſoluit, omnis menſis tranſiit. Poſtquam nihil fit: clamore hominem poſco, ille me in ius vocat.] nihil fit: id eſt, non ſoluitur.

Numerandi, iudicandi, ambulandi. ¶ Illa vulgò nota: hoc minùs triuiale, Facere, pro viuere, *ſeiourner, demourer.* Alfenus Varus, *is ſeruus fugerat, & annum in fuga fecerat. l.14. ſeruus qui teſtamenti. §.1. de ſtatulib.* in inſcriptione lapidis Mutinenſis apud Manutium L. PEDVCEÆ IVLIANÆ MORIB. NATAL. AC PVDO. PRISCIS IN LVSTRIBVS QVÆ FOEMINIS COMPARANDÆ. QVÆ VIXIT ANN. XIII. D. XLVII. CVM MARITO FECIT. ME. V. D. XX. Sic & Papinianus, [Ne ſibi computarentur dies, quos in cuſtodia feciſſet.] *l.11. miles. § quidam. ad leg. Iul. de adult.* Hoc dicendi quoque genere D. Bernardus vitam Malachiæ epiſcopi conſcribens vtitur. *Menſem fecit integrum in vrbe, loca ſancta perambulans, & frequentans, cauſa orationis.*

CCXIX. Idem lib. ij. Reſponſorum.

IN conuentionibus contrahentium voluntatem potiùs quàm verba ſpectari placuit. Cum igitur ea lege fundum vectigalem municipes locauerint, vt ad heredem eius qui ſuſcepit, pertineret: ius heredum ad legatarium quoque transferri potuit.

Alciatvs.

IN convsntionibvs. ¶ Certiſſimi iuris eſt, in contractibus, ſiue bonæ fidei, ſiue stricti iuris ſint, id in primis obſeruandum, quod actum eſt, etiam ſi verba impropriè accipiantur, alioquin (niſi de voluntate conſtet) à verbis non recedimus. Conſtat autem quandoque expreſsè. *l. Titia. l. ita ſtipulatus. de verb. obl.* putà ex præfationibus, vel præcedenti tractatu, quandoque tacitè. *l. ſemper in ſtip.* ꝗ. *titul.* 1. vt quia natura contractus, qualitas rei perſonæ, contrahentium conſuetudo, eius quod actum eſt, coniecturam induceant: poteſtque hoc in reſponſo exemplum accipi: fundus enim emphyteuticarius, vel vectigalis, & ad heredem conductionis, & ad ſucceſſorem particularem, niſi aliud actum ſit, transferri poteſt. Quid ergo, ſi cōtrahentes pacti ſint, vel ad heredes tranſeat? Et videbatur eam pactionem propriè intelligi debere, tum ex communi regula, qua cauetur in caſibus dubiis à proprietate ſermonis non eſſe recedendum. *l. non aliter. de leg.* 1. tum quia aliàs pactio eſſet ſuperflua: cùm enim ex tali contractu & heredes & legatarij admitterentur, niſi per huiuſmodi pactionē diceremos cenſeri legatarios excluſos. *l. ſi quando. de leg.* 1. nónne nullius eſſet momenti? quæ interpretatio fugienda eſt. Accedit his, quòd magna ſubeſt ratio, cur heres ſolùm admittendus ſit, non autem legatarius: eſſet enim non modicum detrimētum domino, qui aduerſus legatarium nullam actionem perſonalem haberet, cum actiones in perſonam, neque rem ipſam, neque ſingularem ſucceſſorem ſequantur. *l. finali. de contr. empt.* de herede ergo ſolùm debuiſſet intelligi, qui ipſe in perſonam cōueniri poteſt. Sed tamen Papiniano aliter viſum eſt: quoniam voluntas contrahentium ante omnia ſpectāda eſt, etiam quòd aliud dictum ſit. Voluntatis autem coniectura ex natura contractus colligitur. Nec enim præſumendum eſſe contrahentes in plus contrahere voluiſſe Papinianus ait. *l.* 4. ꝗ. *de vſur.* quàm actio ex contractu eos compelleret: & licet debeant verba intelligi, vt effectus alicuius ſint, non tamen operantur, niſi ſecundum naturam actus: idque & Bal. *rub. C. de contrah. empt.* & Alex. *conſil.* 21. *in* 1. reſponderunt: nec probabile aliquod damnum locatori infertur, cùm non poſſit legatarius propria autoritate poſſeſſionem ingredi, ſed ab ipſo introducendus ſit: quo tempore eum in dominum agnoſcet ſéque obligauit, *l.* 3. *C. de iure emphy.* quinquageſimámque illi, quod præmium vulgò Landemium vocant, præſtabit. Et quod in legato dicitur, in donatione quoq; locum habere receptum eſt: nec enim tunc aliqua denuntiatione opus eſt, ſed ſatis eſt petitio introductionis, & ſolutio quinquageſimæ. Nec diſtinguitur, locator emphyteutici fundi ſit priuatus aliquis ciuis. *l.* 1. *C. de fun. patr. lib.* 11. vel reſpublica, vel eccleſia: poterit enim conductor ius ſuum per legatum vel donationem trāsferre, etiam eis irrequiſitis, dum ſaluo eorum iure & citra fraudem alienet. *l.* 1. *C. ne rei domi.* & ita crebrius approbatum eſt. Qua autem ratione vectigales agri ciuitatum locari ſolerent, ex Iulio Hygino de limitibus agrorum à nobis traditum eſt. *Diſpunctionum lib.* 3. *cap.* 10. Sed & quibus caſibus appellatio heredis ad ſingulares ſucceſſores pertineat, ſuprà attigimus. *l. heredis.* ꝗ. *eod.*

Brechævs.

IN conventioniavs. ¶ Hanc ego reſponſi huius rationem eſſe arbitror, quòd non ſolent pacta & contractus aliter quà voluntate & conſenſu contrahentium iniri. Vnde in conuentionibus (inquit Papinianus) contrahentium voluntatem magis quàm verba ſpectari oportet, & quod inter contrahentes conuenit. Sæpe enim verba, aut ambigua ſunt & ſignificationis ancipitis, aut eiuſmodi, quæ legentes, aut potius ipſos contrahentes fallant. At mens, conſenſus, & voluntas eſt ſemper eadem, nec fallit vſquam. Naturæ igitur contractuum verba ſeruiunt magis, quàm natura verbis ipſis: quod ſuprà tradidimus in rubricam huius operis. Qualiter autem ſenſa captúmq; animi contrahentium depræhenas, ſcitè in hunc locum Alciatus admonet. Cæterùm Bartolus, & poſt eum Alexander hic mirè diſputant, An emphyteuſis conceſſa emphyteutæ ſuiſque ſucceſſoribus, legari poſſit, Illos intereà legito, & meditare.

Fornerivs.

IN conventionibvs. ¶ Theſim proponit, deinde hypotheſim definit Pap. Inter omnes conuenit, in omnibus contractibus, qui ad bonam fidem pertinent: quod ſenſum magis, quàm quid dictum ſit quæri oportere. Pomp. [In emptis enim (inquit) & venditis potiùs id quod actum, quàm id quod dictum ſit, ſequendum eſt.] *l.* 6. *ſed Celſus. de contr. empt.* Quoties nulla quidem in verbis ineſt ambiguitas, voluntatis quæſtio non admittitur. *l.* 25. *ille. de leg.* 3. *l.* 137. *continuus. de verb. oblig.* At cum *ῥητοῦ καὶ διανοίας* diſceptatio incidit, voluntati, non verbis ſeruiendum. *l.* 6. *inſulam. de præſcript. verb. l.* 68. *teſtatorem. de leg.* 3. M. Tullius *lib.* 1. *de offic.* [Semper in fide, quid ſenſeris, non quid dixeris, cogitandum.] *cap.* 6. *extra. de verb. ſignific.* Verba ſunt aptanda rebus, non contrà. *l.* 2. *C. comm. de leg.* Annius Latinorum prætor apud T. Liuium. [Ad ſummam rerum noſtrarum pertinere arbitror, inquit, vt cogitetis magis, quid agendum, quàm quid loquendum ſit: Quoniam facilè erit, explicatis conſiliis, accommodare rebus verba. *l.* 15. *ex conducto.* §. *Papinianus. vulg. l.* 20. *ſi vno. locat. l.* 4. ꝗ. *de vſur. l.* 22. *plenum.* §. *equitij. de vſu & habit.*

In con

In conuentionibus. ¶ Græci biê, Ἐν τοῖς συναλλάγμασιν οὐ τοῖς ῥήμασιν, ἀλλὰ τῇ διανοίᾳ τῶν συναλλαττόντων προσέχομεν. Eadem iuris regula & in legum interpretatione obſeruatur *l.5.C.de legib.l.17.ſcire.ll.ſeqq. l.59.contra.l.ſeq.ꝫ.de legib.& in teſtamentorum.l.69.non aliter.de leg.3.l.7.Labeo.de ſupp.leg. l.19.in conditionibus.de cond.& dem.l.3.C.de liber.præt. Cum igitur.* ¶ Propoſitæ Papiniano conſultationis definitio. Publicanus, finge, cum vectigalem ciuitatis fundum conduceret, à municipibus ſtipulatus eſt, vt ea locatio ad heredem quoque ſuum pertineret. Locatio vt & quiuis alius contractus, ad heredem, etſi nihil de eo nominatim conuenerit, tranſire ſolet *l.9.ſi pactum.de probat.l.10.viam.C.locat.* Ecce redemptor ante exactum locationis luſtrum moriens teſtamento legauit reliquum ſuſceptæ locationis tempus: ad legatarium transferri poſſe Pap. reſpondit. Ex quo non rectè ſtatim eodem legatarium, quo heredem iure cenſeri collegeris: qui non vna alioqui nota ſecernuntur. Hic vniuerſi iuris, ille ſingularis rei ſucceſſor eſt *l.24.nihil aliud.ꝫ.h.t.l.6.ſi rem.de except.* Ille teſtamento adhiberi teſtis poteſt: hic non poteſt. *§.legatarius.de teſt.ord.* Hic damnum ſentire ex aditione poteſt. Ille minimè *l.32.ſi hereditatem.ꝫ.mand.l.119.hereditatis.ꝫ.h.t.* Vitia auctoris in hunc tranſeunt omnia, in illum realia duntaxat. *d.l.6.ſi rem.l.5.l.11.cum heres.de diuerſ.temp.præſcr.l.4.§.ſi quis autem.§.auctoris.de dol.except.* Vniuerſalis ſucceſſor tenetur ſtare colono: ſingularis nequaquam *l.9.emptorem.l.ſeq.C.locat.* Sed & illud diſcrimen notatum ab aliis ſcio, Legatum ſeruo proprio, ſub nomine liberti relictum non valere: contra factam ſub eiuſmodi appellatione inſtitutionem valere: quod plenior ſit hereditatis honos. *l.2.l.pen.C.de neceſſ.hered.inſtit.l.5.§.ſed etſi per.ſo.de leg.præſt.* Vtriuſque differentia alia à Paulo traditur *l.62.quædam.de acq.rer.dom.* Alia denique hinc ex verſic. [ius quoque heredum ad legatarium quoque transferri potuit] colligitur: Tantùm abeſt, vt eodem ſemper vterque iure cenſeatur. Harmenopulus *initio tit.10.lib.5.* legatum definiens omnem rem, quam decedens quis cuipiam reliquerit, nominatim excepit, non quidem, vt hereditatis ſed beneuolentiæ argumentum habeatur, οὐ κατὰ λόγον κληρονομίας ἀφεὶς τοῦτο, ἀλλ' εἰς εὔνοιαν ἀγάπης. Cum appellatione hereditatis neque legata, neque fideicommiſſa contineantur: quinimò legatum delibatio ac ex vniuerſo heredis iure deminutio ſit *l.116.legatum.de leg.1.l.96.ſi Titius ex parte.de leg.3.* Itaque his verbis [Qui in eorum locum ſucceſſerunt] heredes, quippe vniuerſales ſucceſſores, ſignificari ſolent *d.l.24.nihil.l.24.finitum.§.adiicitur.de damn.inf.l.13.venditor.comm.præd.* Non ad ſingularem ſucceſſorem: puta donatarium, emptorem, legatarium, fideicommiſſarium. In quem perſonalis à deceſſore contracta obligatio non tranſit, ſicut in heredem. *l.vlt.ſi.de contr.empt.l.1.§.heres.ad Sc.Treb.l.9.quoties.de hered.inſt.d.l.9.emptorem.l.ſeq.* Ipſo quidem iure. At nihil vetat, quominus actionem quiſque ſibi competentem vendat, mandet, in ſolutum det, donet, leget *tit.ꝫ.& C.de hered.vel act.vend.l.1.l.2.l.6.ſi in ſolutum.l.ſeq.C.de ob.& act.l.1.C.de donat.l.34.nemen.l.59.qui chirographum.de leg.3.* Ex quo perſpicua verſiculi [ad legatarium quoque transferri] ſententia relinquitur: Nempe vt in contractam à deceſſore locationem ipſo iure ſuccedit heres *d.l.9.ſi pactum.d.l.10.viam:* legatarium etiam, in quem teſtator ius ſuum tranſtulerit, ſucceſſurum: Publicanum ius fruendi vectigalis fundi in alium legando transferre non prohiberi: Quamuis in lege locationis ſolius eſſet habita heredis mentio. Quia videlicet nominatim conuenerat ne contractus conductoris perſona finiretur: ſed in ipſius heredes tranſiret: & ex æquitate etiam ad legatarios: quoniam nihil hîc adeò perſonale aut ſingulare reperiatur, quod eiuſmodi legatum iuris ſibi contractu quæſiti impediat. Non ea ſolùm ratione, quòd legandi verbum ſit generale. *l.120. verbis.ꝫ.h.t.* quodq; ex hereditate percipiatur legatum: ſed quòd rei qua de agitur conditio ſuadeat, contrahentes de perpetua locatione cogitaſſe: & heredis non quidem nomen, ſed ius ad legatarium produxiſſe. *l.1.ſi ager vectigal.arg.l.11.cetem ſi.de public.l.pen.de locat.præd.ciuil.C.lib.11.* ¶ Quid in feudis ſeu beneficiariis prædiis? Iure quidem Langobardico feudorum tranſlatio, Friderici ac Lotharij conſtitutione prohibetur: proinde cum heredis inſtitutio, quædam ſit alienationis ſpecies: vix eſt, vt ius clientis in extraneum transferatur: ſiue quòd ipſius fides & quodammodo perſonæ cohærens induſtria videatur à patrono delecta (*arg.l.31.inter.de ſolut.l.vn.C.de cadu.tollen.*) Siue quòd beneficia benemerentibus & amicis conferantur. *l.9.nec adiecit.ꝫ.pro ſocio.l.191.Neratius.ꝫ.tit.ſeq.tit.13.lib.1.feud.* Emphyteuſeos, autem (quæ in commodo ac fructibus potiùs, quàm fide & obſequio conſiſtit) facilior in extraneum tranſlatio conceditur: ſi modò domino directo denuncietur, & quinquageſima pretij pars ex Iuſtiniani præſcripto perſoluatur *l.vlt.C.de iur.emphyt.* Moribus verò Galliæ, cum omnia feuda inſtar allodiorum patrimonij iure obtineantur, libera cuique eſt in quemuis abalienatio, ea tamen lege, vt patrono εἰς τιμήν. ſoluatur, ſi nolit iure protimiſeos vti. Aurelianenſ. legum *cap.1.* ita cauetur. *Le vaſſal peut vendre ſon fief, ou partie d'iceluy: & eſt tenu le ſeigneur, de receuoir en foy & hommage l'acheteur, payant le quint denier de la vente.* Qua de re propediem, in Lugdi Triputij collegæ amiciſſ. commentariis, qui ſunt in expectatione, diſſeretur.

CCXX. Callistratvs lib. ij. Quæſtionum.

LIBERORVM appellatione nepotes, & pronepotes, ceteríque qui ex his deſcendunt, continentur. hos enim omnes ſuorum appellatione lex duodecim tabularum comprehédit. Totiens enim leges neceſſarium ducunt cognationum ſingulorum nominibus, vti, veluti [filij, nepotes, pronepotes,] cæterorúmve qui ex his deſcendunt: quotiens non omnibus qui poſt eos ſunt, præſtitum voluerint: ſed ſolis his ſuccurrent, quos nominatim enumerent

rent. At vbi non perſonis certis, non quibuſdam gradibus præſtatur, ſed omnibus qui ex eodem genere orti ſunt:liberorum appellatione comprehenduntur.

§. j. Sed & Papirius Fronto libro tertio reſponſorum ait,prædio cum vilico & contubernali eius & filiis legato,nepotes quoque ex filiis contineri: niſi voluntas teſtatoris aliter habeat. Filij enim appellatione ſæpe & nepotes accipi, multifariam placere.

§. ij. Divus quoque Marcus reſcripſit,nō videri ſine liberis defunctum, qui nepotem ſuum heredem reliquit.

§. iij. Præter hæc omnia, natura nos quoque docet parentes pios, qui liberorum procreandorum animo & voto vxores ducunt: filiorum appellatione omnes qui ex nobis deſcendunt, contineri. Nec enim dulciore nomine poſſumus nepotes noſtros, quàm filij appellare. Etenim idcircò filios filiáſve concepimus,atque edimus,vt ex prole eorum earúmve diuturnitatis nobis memoriam in æuum relinquamus.

Alciatvs.

Liberorum. ¶ Liberorum appellatione nepotes, & pronepotes, cæteróſque deſcendentes contineri certum eſt, idque exemplum duodecim Tabularum quæ primam ſucceſſionis cauſam liberorum eſſe volebant,& de omnibus deſcendentibus intelligebant. Quo ſenſu & prætores in edictis acceperunt, vt cùm patroni liberos in ius ſine venia vocari prohibuerunt. *l. ſed & ſi. §. liberos. 1. §. 2. de in ius voc.* ſtricte tamen hæc vox quandoque accipitur,& vſque ad trinepotem ſolùm intelligitur, & ita veteres exiſtimabant quod Pomponius & Paulus refert. *l. Iuriſconſultus. de grad.* Sed C. Caſſius & Vlpianus. & in hoc reſponſo Calliſtratus lariùs pertinere exiſtimauerunt, & in infinitum dici, idque tanquam honeſtius meritò obtinuit. ¶ Cùm igitur nomen liberum ſit collectiuum plurium graduum, qui fratrem & eius liberos inſtituit. *cap. Raynutius. de teſt.* ordine ſucceſſiuo vocaſſe videbitur:quod non eſt receptum,ſi filios dixiſſet *l. Gallus. §. 1.* propriè enim appellatione filij,nepotes & deinceps deſcendentes non contineri verius eſt, ſed ex interpretatione tantùm, quo in tractatu quid ipſe ſentiam,ſuprà explicaui. *l. filij. l. iuſta. l. natorum. hoc tit.* In præſentia quod ab aliis communiter traditum ſit,recitabimus:& quadrupliciter in hoc diſtingui à maioribus ſolet:aut enim filiis prouidetur,aut grauantur,aut de eis verſus alium ſit mentio,aut in conditione ponuntur. In prima ſpecie appellatione filiorum comprendi nepotes receptius eſt. *l. Lucius. de hered. inſtit.* cùm enim actus hic fauorabilis ſit,debet lata ſignificatio accipi,& hoc ſiue in teſtamentis,ſiue in legibus,ſiue in beneficiis principum loquamur:ſit enim in his amplior interpretatio. *l. ſed etſi. §. 1. de excuſ. tut.* licet in priuilegiis ſit contrà. Si igitur pater filios ſuos inſtituat,etiam nepotem ex filio præmortuo inſtituiſſe videbitur:quod tamen varie acceptum eſt,aliquibus ideo inſtitutum cenſentibus, quia niſi ita interpretaremur,præteritione teſtamentum rumperetur:interpretamur autem ſemper vt actus valeat: aliis ne durum, abſurdumve aliquid conſequatur, quale eſt cùm à parentibus filius ſepararetur, vel melioris fierent conditionis nepotes quàm filij,idque genus ſimilia:aliis,quoniam diſpoſitio in futurum conferetur: cùm enim veriſimiliter dubium ſit, an in id tempus filij vel nepotes exiſtant, debet mens teſtatoris largius accipi,vt non exiſtentibus filiis,nepotibus prouiſum videatur,vt etiam in facti quæſtione conſultus Alex. *conſi. 9. in 1.* reſpondit:quæ declarationes dubitationem nullam habent, cùm generaliter propter fauorem ea interpretatio ex Doctorum frequentiore ſententia procedat: vnde & in municipalibus ſtatutis idem obſeruatur. Finge cautum eſſe, *Alex. conſil. 27. in 3.* vt filij maſculi excluſis fœminis ſuccedant,nunquid nepotes etiam ipſi præferentur? Et reſponſum eſt,præferri: ratio enim eius legis eſt,vt agnatis ſaluæ ſint facultates: quæ ratio in nepotibus locum habet,& tametſi in lege expreſſa non ſit, ab ea tamen argumentari nos poſſe receptius eſt. *l. quamuis. C. de fideicom.* cùm enim hoc beneficium à lege patri conferatur,vt fœminam excludat, debet etiam in nepotem eiuſdem ſexus perpetuari. *l. Gallus. §. videndum. de lib. & poſthum.* qui in ſucceſſione patris ſui locum tenet.eique ſubrogatur: nam & cùm filia propter fauorem filij maſculi excludatur,maſculo ipſo ſuperſtite nepote defuncto, idem fauor durat: vnde etiam ſi ipſa maſculo ſobole relicta decederet,nihilominus frater,eiúſve filius ei ſoboli præferrentur:quoniam fauor propter quem ipſa excluſa fuit,non extinguitur:& ſicut filia ipſa ſuccedere potuit,ita & ex ea nepos repellitur,vt amputata radice,rami quoque decidunt. *l. ſi vna. C. de bon. mater.* Et huius interpretationis,vti diximus, cauſam præſtat fauor, quo ceſſante, interpretatio quoque non admittitur. ¶ Et ideo cum quis tutorem filiis dediſſet, non cenſeri nepotibus prouiſum Vlpianus reſpondit. *l. quod ſi nep. de teſt. tut.* tum quia reſpectu tutorum nullus eſt fauor, imò oneroſa eſt tutela: tum quia non multum inde commodi nepotibus oritur,cùm ceſſante teſtamento,de tutore illis per iudicem prouidendum ſit: & ita Bartolus ſentit. In ſequenti ſpecie filiorum verbo non contineri nepotes certius eſt:vnde qui filios exheredat, nepotes exheredes feciſſe non videbitur. *l. 1. §. quæritur. de ven. inſpic.* odioſum enim hoc eſt:quod & in diſpoſitione legis proditum eſt. Et ideo lex Iulia, quæ ius patri facit filiam adulteram occidendi, in nepote non habet locum. *l. patri. de adulter.* idémque dum prohibet Senatori filiam eius ducere, qui

attem

artem ludicram exercuerit: poterit enim in nepotis matrimonium conuenire. *l. lege Iul. de rit. nupt.* Nam cum leges huiuſmodi merum odium filiorum & quidem principaliter ſapiant, meritò nepotes non continebuntur. Quòd ſi directò odioſæ non eſſent, aliud reſpondendum fuiſſet, vt in Senatuſconſulto quo tutor pupillam ſibi vel filio ſuo nuptui collocare prohibetur: nam nec nepoti quidem impunè collocabit. *l. Senatuſconſultum. de rit. nu.* Sed quid iuris eſſe dicemus, cùm teſtator filiis alienatione bonorum interdixit, an nepotibus quoque vetitum credemus? Gloſſ. *§. nos igitur. de reſtit. ſi.* Et non videri traditum eſt: huiuſmodi enim prohibitio odioſa eſt, ſed hæc concluſio aliquo modo reſtringenda eſt. Pona inſtitutos filios, & ne alienent grauatos: ſi enim in verbis inſtitutionis nepotes contineantur, cur non & in verbis prohibitionis comprendi debent? Conſentaneum certè eſt, eadem verba eandem recipere interpretationem: nec eſt veriſimile voluiſſe patrem minus oneris nepotibus imponi, quàm filiis impoſuerit. Et quod in hac prohibitione diximus, in fideicommiſſo quoque reſpondendum eſt, vt fideicommiſſo filiis iniuncto, nepotes non contineantur. *Dec. conſil. 218. verb. vlt.* niſi ſub iiſdem verbis inſtitutio ſubſtitutióque concepta ſit, tametſi imprudenter hac in re labi mihi Decius videatur. *conſil. 95.* Pone rurſus, verba prohibitionis, heredibus filiis inſtitutis, in rem concepta eſſe: vt quia dictum eſt, veto bona mea vendi: quia volo, vt ad illos & illos perueniant: videtur etiam hoc caſu eſſe etiam nepotibus interdictum, & ita etiam cenſuit Alexand. *l. filiusfam. §. diui. 3. de legat. 1. arg. l. peto. §. fratre. de leg. 2.* quod multò magis dicendum eſt, cùm ratio diſpoſitione generalior eſt: vt cum quis prohibuit alienationem filiis, quia volebat bona perpetuò in familia remanere: hoc enim caſu omnes deſcendentes prohibiti cenſebuntur. *l. pater fil. §. fundum. de leg. 2.* quod & reſponſum eſt, cùm teſtator fratris fideicommiſiſſet, vt hereditatem filiis reſtitueret, quia mentis ſuæ erat, ne bona extra familiam peruenirent: petent enim fideicommiſſum nepotes quoque, & cæteri deſcendentes: & ita contra quam Iaſon reſponderat, ex facto iudicari vidi. In tertio caſu, cum de filiis alterius reſpectu diſponitur, non comprendi nepotes conſtat, niſi dura aliqua ſeparatio induceretur, vt cum quis ancillam cum filiis legat: tunc enim Papyrij Frontonis reſponſum, (cuius hic Calliſtratus meminit) attendendum eſt: cùm non ſit veriſimile, voluiſſe teſtatorem à patribus ſuis filios ſeparari. *l. vxorem. §. concubina. de leg. 3.* Idem ſi aliqua alia coniectura hoc ſuadeat. quales ſunt quas ſuprà retulimus, quando alias actus effectum non ſortiretur, vel abſurdum aliquid conſequeretur: vel conſuetudo ſermonis ita ſuaderet, & ſi quæ aliæ ſunt ſimiles. *l. alimenta. §. libertis. de alimen. legat.* In vltima ſpecie concludendum eſt, quoties conditio, vel cauſa fauorem filiorum reſpicit, etiam nepotes eo ſermone contineri. verbi gratia, Lex dicit, ſi mater filiis tutores non petierit. *l. 2. §. ſi mater. ad Tert.* ius vendicandorum bonorum non habeat: illis enim verbis etiam quæ nepotibus tutores non petierit ab hereditate repelletur: nam actus hic filiis ipſis fauorabilis eſt: quòd ſi de fauore filiorum principaliter non agatur, aliud eſt: vt in eo exemplo cum lex à tutela eum excuſat, qui tot filios habuerit, non enim nepotes excuſationis cauſam præſtarent, niſi lex liberorum verbo vteretur. *l. 2. §. hoc autem. de excuſ. tut.* principaliter enim hoc caſu de patria, non autem filiorum fauore agitur: vnde cùm filiorum fauore non vrgeat, à proprietate verborum non recedimus, quæ in conditionibus maximè attenditur, & primum locum in caſibus dubiis tenet. *l. Manius. de cond. & demonſt.* ¶ Excipiuntur tamen aliquod caſus, in quibus filiorum appellatione generaliter dicendum eſt, nepotes non ſignificari. Primus eſt in communi loquendi vſu: ex conſuetudine enim aliter filios, aliter nepotes appellamus, & ita ſentit Accurſius. *Glo. miles qui teſta. da. tut. §. fin.* Sed Doctores non adducunt, niſi probaretur huiuſmodi conſuetudo, nec ex ſermone vulgari ad Latinum probabile argumentum deduci poteſt. *Alex. conſil. 26.* Secundus caſus eſt, quoties lex ex aliqua cauſa ſignificationem eius dictionis coarctat, vt cùm fructus in quartam, quæ ex Falcidia debetur. *l. iubemus. C. ad Treb. Dec. conſil. 87.* non imputari, quamuis teſtator iuſſerit, lex Iuſtiniani præcepit, ſubiicitque eo præcepto nepotes non alligari. Idémque in hoc reſponſo, cùm leges neceſſarium ducunt cognationum ſingularum nominibus vti, quia non omnibus præſtitum voluerint, ſed his ſolis, quos nominatim enumerant, vt cùm diuus Pius conſtituit. *l. à diuo. C. de quæſt.* ne liberi Decurionum vſque ad pronepotes torqueri poſſent, vel cùm vſque ad eum gradum concedit lex ei ſuccedi, qui inceſtas nuptias contraxerit, & ſi qua ſimilia. *l. ſi quis inceſti. C. inceſt. nupt.* Tertius caſus eſt, cùm de filio non diſponitur, ea ſolùm ratione, quia ſit filius, ſed etiam reſpectu alicuius qualitatis ei inhærentis: nam diſpoſitio huiuſmodi ad eum non refertur, cui ea qualitas non inſit, veluti cùm lex filium ſpurium inſtitui prohibuit. non enim exiſtimabitur vetita inſtitutio legitimi, ex filio ſpurio, nepotis, in eo enim qualitas illa deficit. *l. fin. de natu. lib.* Idem in municipalibus ſtatutis, quæ excluſis filiis, filios maſculos ad ſucceſſionem admittunt, non erunt admittendi nepotes, cùm qualitas maſculina illis deſit, quod & ab Alexand. *conſil. 123. in 1.* reſponſum eſt in eo qui filium primogenitum ad fideicommiſſi petitionem vocauerat. Quartus caſus eſt, cùm ſub alio nomine poteſt cenſeri magis propriè nepotes vocatos, quàm ſub nomine filiorum, vt ſi fratri meo, & eius filiis, & deſcendentibus fideicommittam. admittuntur enim prius filij quàm nepotes. *l. cùm ita. §. fin. de leg. 2.* tanquam priùs nominati, cum de nepotibus potiùs verbo deſcendentis, quam verbo filij actum cenſeatur. ſub illo enim propriè, ſub hoc non niſi per interpretationem continerentur. idque Decius reſpondit *conſil. 3. in fin.* & mihi non diſplicere ſupra atteſtatus ſum. Quintus caſus eſt in contractibus, in eis enim fit interpretatio aduerſus eum, pro quo pactio concepta eſt. *l. veteribus. de pact.* & ideo ſi quis accipiat emphyteuticum fundum pro ſe & filiis, nepotes non admittentur. *Iaſ. §. inſtituens. l. Gallus. de lib. & poſth.* & ita quamplurimis viſum eſt, quæ ſententia apertiſſimè falſa eſt, cum ſupra traditum legerimus, eum, qui pro ſe & heredibus huiuſmodi fundum conducit, etiam legare poſſe, atqui magis impropriè appellatione heredis legatarius comprenditur, quàm filij appellatione nepos. *§. l. prox.* Illud receptiſſimum eſt clientem, cui beneficiarius fundus (feudum vocant) pro ſe & filiis conceditur, etiam nepotibus, cæteriſque deſcendentibus relinquere

linquere poſſe: hic enim contractus latiſſimam interpretationem propter beneficij naturam recipit. *Iaſ.d.§.animaduertens.* Qua ratione idem & in donationibus dicendum eſſet: fauorabilis enim hic contractus eſt. Sextus caſus eſt, cum de filiis fit mentio ex proprio corpore natis. nam videtur nepotes non contineri, & hos præſertim, qui ex filiabus nati ſunt. & ſic ab aliquibus reſponſum comperi. *Guidon. Pap.q.345* Sed in hoc opinatiſſimi ſcriptores diſſentiunt. ſanguinis enim continuatio in nepte quoque eſt. *Alex.l.ex facto.§.ſi.ad Trebel.* niſi igitur alia coniectura adſit, quæ nos in aliam partem deducat, promptius eſt vt pro nepotibus pronuntiemus. *l. Lucius.*

Brechævs.

Liberorvm. ¶ Quemadmodum nomen Parentis ad ſuperiores vtriuſque ſexus, & in infinitum extendi ſolet, ita & liberorum appellatio ad inferiores ac deſcendentes etiam ſexus vtriuſque in infinitum: vt ad maiores videlicet, nomen parentes, ad poſteros, liberorum appellatio referatur, niſi aliud nominatim ſit cautum. Quam rem latè ſuprà ſatis diſcuſſimus. Et Franc. Connanus *lib.10.Comment.iur.ciuil.cap.1.* Alexand. Neapol. *lib.1.Genial.dier.cap.15.* Crinitus *lib.15.de honeſt.cap.8.* permulta & ampliſſima de hac re tradiderunt.

Fornerivs.

Liberorvm. ¶ Summam huius capitis ſententiam Græci contraxerunt. Liberorum ac ſuorum ſeu filiorum ſam. nomine nepotes, pronepotes, ab iiſque deſcendentes omnes ſignificari. *Τῇ τῶν παίδων προσηγορίᾳ καὶ τὴν τῶν ὑπεξουσίων, ἐγγόνων καὶ ἀπογόνων, καὶ πάντες οἱ ἐξ αὐτῶν, δηλοῦται.* Sicuti ex aduerſo parentis nomine non tantùm pater, ſed etiam auus & proauus, & deinceps omnes ſuperiores, mater, auia, proauia continentur. *l.51.appellatione.ff.h.t.l.3.l.4.l.5.de his qui ſunt ſui vel alie.iur.* Quamobrem ſublato patre, nepotes auo ſuccedunt. *Nouell.118.* Philo Iudæus in legatione ad Caium, *τ' ἀγνοῖ γὰρ πατέρων ἀποθανόντων, ἐν ἡμῖν τάξιν οἱ πάππους καθίδρυμένται.* Id eſt, Nepotes enim patribus vita defunctis, liberorum apud auum vicem obtinent. *l.antep.ff.de ſenat.* Filiorum nomine propriè qui primo gradu nobis gignuntur, ſignificantur. *l.5.de teſtam.tut.* Interdum omnes liberi filij nomine continentur. *l.82.fily.l.201.iuſta.ff.h.t.* Ad quam interpretationem ferè, niſi ſi cum inſpecta dictionis proprietate, nepotes, pronepotes, aliique deſcendentes maximo afficerentur damno, confugimus. Vt ecce dato filiis a patrefamilias tutore, grauis nepotibus iactura non fieret, cum aliunde poſſint vel legitimos, vel datiuos tutores nanciſci, filiorum nomine nepotes non continentur *d.l.5.l.ſeq.ff.de teſta.tut.* At quoties eadem vel naturalis pietatis, obſeruantiæ, obſequij ſucceſſionis, ratio ſubeſt, idem quod in filiis, ius & in nepotibus obtinet. *l.3.§.1.de lib.agnoſc.tit.de obſeq.l.9.moris.§.parentes.§.ſeq.de pœn.* non modò vſque ad trinepotem *l.10.ſed & ſi has.de in ius vocand.* ſed etiam in infinitum *l.53.nuptia.de rit.nupt.l.1.§.1.de legat.præſt.l.1.§.liberos.de coniung.cum emancip.lib.* *Ἡ δὲ τέκνων προσηγορία καὶ ἐπὶ τοὺς ἐγγόνους ἐκτείνεται.* *l.2.de excuſ.tut.l.104.ὁ τῶν.ff.h.t.* Sublato etiam ſexus marium fœminarúmve diſcrimine. *l.56.cognoſcere.§.liberorum.ff.h.t.l.2.§.prætor.qui ſatiſd.cog.*

Sed & papinus. ¶ Superior definitio non in liberis tantùm, ſed & ſeruis obſeruatur. Teſtator prædium cum villico, côtubernali & filiis legando, nepotes quoque legaſſe intelligitur. *l.41.vxorem.§.concubina.de leg.3.* quorum alioqui dura foret moleſtáque contubernio coniunctarum perſonarum ſeparatio. *l.35.plerunque.de edil.ed.l.pen.C.comm.vtriuſque iud.* Contubernalis, id eſt, ancilla: contubernium ſeruorum, idem quod ciuibus liberis matrimonium. vt notare me anteà memini. *l.184.inde.ff.h.t.l.39.Pamphilo.§.propoſitum.d.l.41.vxorem.§.codicillis.de leg.3.* Vetus lapis D. M. S. Terentianæ clavdi secvndi servæ. vixit ann. xxii. mens. iii. hermes callipianvs contvbernali svæ cariss. piis. bene merenti posvit. Contubernales etiam ex ſeruorum ancillarúmque copula nati dicebantur. hic Filij peculiares fortè in Romana (quæ in cippo Maffeorum ædibus viſitur) inſcriptione. C. Ivlio vrbano et Ivliæ optatæ contvbernali. C. Ivlio vrbano pecvliari filio posterisq. svis. Alioqui ſûmne ac Plauti Captiueis?

Te mihi paruulum peculiarem paruulo puero dedit.

Diuus quoque Marcus. ¶ Si verum eſt, filiorum appellatione liberos omnes contineri *l.84.fily.ff.h.tit.* etiam nepotes: vt paulò ſuperiùs oſtendimus, profectò relinquitur, eum qui nepotem moriens reliquerit, ſine liberis deceſſiſſe non videri. hic. *l.1.C.de cond.inſert.* Quamquam autem nepos & auus, ſicuti filius ac pater oppoſitè ad inuicem referuntur. Poſterioribus tamen ſeculis ſenſim exoleſcente Imperij Rom. dignitate & elegantia, cœpit eo nomine filius filiáq; fratris ſignificari. *Nepuen, Niepce.* Eutropius Hermionem Helenæ filiam Caſtoris & Pollucis neptem appellauit. Spartianus, Sabinam vxorem Adriani neptem Traiani vocat, Quæ ſororis Traiani filia fuit. In recentioribus Langobardorum ac feudorum libris, eo ſenſu nepos dicitur: aliter atque nepos ex fratre. *l.vlt.de gradib.l.17.nemini.C.de nupt.§.1.de legit.agn.ſtat.l.7.ſunt.ff.de leg.tut.*

Præter hæc. ¶ Id eſt, tota de huius vocabuli ſignificatione diſputatio, non tam adeò iuris ciuilis ſubtilitate continetur: quam in ipſius naturæ principiis, & inſtinctu verſatur. Sic Herennius Modeſtinus ait, fidem ea naturali iuſtitia conſtituere ſufficere. *Οὐ τὴν πίστιν ἀρκεῖ συστῆναι καὶ ἐξ αὐτῆς τῆς φύσεως δικαίου.* *l.15.Εἰδέναι.Scœu.de excuſ.tut.* Paulus. [Cum ratio naturalis, quaſi lex quædam tacita liberis parentum hereditatem addicat.] *l.vlt.de bon.damn.* *Liberorum procreand.* ¶ Mulieris munus eſt parere, & partum tueri. *l.14.quartius.de ad.ed.* Iuſtinus Martyr ad Antoninum Pium ait, Chriſtianos procreandorum tantùm liberorum cauſa vxores ducere: cum cæteri voluptatis ſtudio ſibi adſciſcant. Lucretius *lib.4.* ... *Vnde puellos*

Suſcipere, & partu poſſint diteſcere dulci.

Virgil. *lib.4.Æneid.*

Et dulceis natos, Veneris nec præmia noris.

Seneca

Seneca *de conſolatione ad Marciam, cap.* 10. [Omnes ergo, inquit, noſtros, & quos ſuperſtites lege naſcendi optamus, & quos præcedere iuſtiſſimum ipſorum votum eſt, ſic amare debemus, tanquam nihil nobis de perpetuitate, imò nihil de diuturnitate eorum promiſſum ſit.] Plutarchus *in vita Periclis*, refert Cæſarem, quum Romæ videret peregrinos quoſdam locupletes, canum ac ſimiarum catulos, quos haberent in delitiis, gremio circumferentes, percunctatum, num apud illos fœminæ liberos parerent: innuens nullos catulos infantibus eſſe iucundiores. Affectus & affectiones pro liberis vſurpatos, alias oſtendemus. *Dulciori nomine.* ¶ Cum enim à natura ipſa quiſque, vt quem genuerit, amet, impellatur, ſuóſque partus feræ diligant, non defuerunt, quibus filij nomen, ab amore, ἀπὸ τοῦ φιλεῖν deduci placuerit. Val. Probus, antiquis notis has quoque Tib. D. F. M. adſcripſit, itaque expoſuit, Tibi dulci filio meo. Nullus ſiquidem affectus cuiuſquam tantus, qui paternum in ſuos inſtinctum ſuperet. *l.7. cum furioſus. C. de cur. fur.* Parentes etenim filios naturali propenſione, tanquam quid ex ſeipſis amant. Ariſtot. *Ethic. lib.* 6. Οἱ γονεῖς στέργουσι τὰ τέκνα, ὡς ἑαυτῶν τι ὄντα. Quod de ſeipſo M. Tull. *in ea, quam ad Quirites, poſt reditũ habuit, oratione*, teſtatur. [Quid dulcius hominum generi à natura datum eſt, quam ſui cuique liberi? Mihi verò & propter indulgentiam meam, & propter excellens eorum ingenium, vita ſunt mea cariores.] Vnde in edicto prætoris, quod metus cauſa geſtum erit, nihil intereſſe Paulus ait, in ſe quis territus ſit, an in liberis ſuis. [Cum pro affectu parentes in liberis magis terreantur.] *l.8. iſti ſi. quod met. cauſ.* Latinus Pacatus panegyriſtes ad Theodoſium Imp. [Cum inſtituente natura plus ferè filios, quam noſmetipſos diligamus: omne vicit exemplum, qui amicos his prætulit, quos ſibi præferebat.] Ideóque lex Iulia patri, non marito mulierem & omnem adulterum permiſit occidere, [Quòd plerumque pietas paterni animi (inquit Pap.) conſilium pro liberis capiat. Cæterùm mariti calor & impetus facile decernentis fuerit reſrenandus.] *l.22. nec in ea. ff. ad leg. Iul. de adult.* Quare cum nihil nobis natura iucundius, nihil carius eſſe voluerit, nihil dignius in quo omnis noſtra diligentia, indulgentiáque conſumeretur, haud iniuriis Romani, tantæ pietatis curæq; remunerandæ gratia, ius patriæ poteſtatis, quo & vendere liberos, & impunè necare liceret, in præmium induxerunt. Qui vti præclarè Simplicius in Epictetum, Τῇ τῶν γονέων φυσικῇ φιλοστοργίᾳ θαῤῥοῦντες, καὶ πιπράσκειν, εἰ βούλοιντο, τοὺς παῖδας τοῖς γονεῦσιν ἐπιτρέψαι, καὶ φονεύειν ἀτιμωρήτους. Inde veteribus abdicatio, recentioribus exheredatio. *Nouell.* 115. cæteráque illius Quiritium iuris effecta, de quibus alias diſſerendi locus dabitur. [Idcirco filios filiáſve concipimus.] ¶ Quinctilian. *declam.* 254. [Et virgo pertineat ad patrem, tamẽ nupta pertinet ad maritum. Poſt illum, quo ſpes liberorum inchoata eſt, quo in nepotes vſque cogitationem miſiſti, quid aliud potes exigere à filia tua, quàm quòd placuit ei, cui collata eſt?] Iuſtinianus quoque laudes legum connubialium celebrans, initio *Nouell.* 22. *quæ eſt περὶ γάμων.* ſic ſcribit. Εἰ γὰρ ὁ νόμος οὕτως ἐστὶ σεμνὸν, ὡς τὸ ἀνθρωπίνῳ γένει δοκεῖν ἀθανασίαν ἐπιτεχνᾶσθαι εἰσάγει, καὶ ἐκ τῆς παιδοποιΐας ἀνανεούμενα τὰ γένη μένει διηνεκῶς, τῆς τοῦ θεοῦ φιλανθρωπίας, καθ' ὅσον ἐστὶ δυνατὸν τὴν καθ' ἡμᾶς τὸ ἀθάνατον χαριζομένης φύσει. Lact. Firmianus *lib.* 1. *de opificio Dei. c.* 12. [Mirabile inſtitutum eſſe, quòd ad conſeruationem generum ſingulorũ, duos ſexus maris & fœminæ machinatus eſt, quibus inter ſe per voluptatis illecebras copulatis ſucceſſiua ſoboles pareretur: ne omne genus viuentium conditio mortalitatis extingueret.] Eandem pene ſententiam Theophilus *tit. de iur. nat. gen. & ciu.* his verbis adombrauit. Ἡ γὰρ φύσις ἐμφυτεύσασα τῷ καθ' ἕκαστον τῶν ζώων θανάτῳ δαπανωμένῳ διὰ τοῦ γάμου καὶ τῆς ἐντεῦθεν παιδοποιΐας, καὶ τῆς πρὸς τοὺς τεχθέντας στοργῆς τε καὶ ἀνατροφῆς, τῇ διαδοχῇ, τὴν ἀθανασίαν τοῖς ἐμηχανήσατο. Ea nimirum eſt vis inſtinctus parentum in liberos, vt ipſis, quàm ſibi benè eſſe malint. *l. 8. iſti. l. pen. §. de rit. nupt.* Caſſiodorus *lib.* 4. *epiſt.* 12. [Auiæ cura tenerior.] Amor à natura inſitus magis in inferiores deſcendens propagatur, quàm contrà ad ſuperiores reflectatur: idque propter ſobolis educandæ ſtudium, immortalitatem quandam generis humani natura commenta videtur. Val. Maximus, de Cenſoria nota, [Natura vobis quemadmodum naſcendi, ita gignendi legem ſcribit, parentéſque vos alendo, nepotum nutriendorum debito (ſi quis pudor eſt) alligauerunt.] Ariſtoteles Oeconomic. Κατὰ τοῦτον γὰρ νόμον ὁ τῶν ἀνθρώπων κατὰ στάσεις εἴδει θνητὰ ἐκ τῆς διαδοχῆς τοῦ ἀεὶ ἐντυγχάνει. καὶ αἱ τῶν γονέων εὐχαὶ τοῦτο πᾶσαι συντείνουσι. Hoc votum commune parentum: Quò flagitioſiores, qui vxorem liberum quærendorum cauſa ducere auerſati, meretriciis ſeruiunt amoribus. Quinctil. *decl.* 344. [Verùm igitur dices non eſſe deforme, non eſſe inutile domi meretricem habere? Dicam nunc ego hic interceptam ſpem nepotum, inquinatam filij mei famam: futurorum quoque annorum ſpem eſſe ſublatam.] Quò & illud panegyrici Maximiano & Conſtantino Auguſtis dicti acroama pertinet. [Maximas itaque vobis, æterni principes, publico nomine gratias agimus: quòd ſuſcipiendis liberis, optandiſque nepotibus, ſeriem veſtri generis propagando, omnibus in futurum ſeculis prouidetis: Vt Romana res olim diuerſis regentium moribus, fatiſque iactata, tandem perpetuis domus veſtræ radicibus coaleſcat, támque ſit immortale illius imperium, quàm ſempiterna ſoboles imperatorum.]

CCXXI. Pavlvs lib. x. Reſponſorum.

Pavlvs reſpondit, falſum tutorem eum verè dici, qui tutor non eſt, ſiue habenti tutor datus eſt, ſiue non. Sicut falſum teſtamentum, quod teſtamentum non eſt. Et modius iniquus, qui modius non eſt.

Alciatvs.

Pavlvs. ¶ Quod falſo tutore auctore geſtum eſt, per in integrum reſtitutionem emendat, prætor, & quanti ea res eſt, aduerſus eum qui dolo fecit, actionem dat. *l.1. & l. nouiſſimè. quod fal. tut.* Delectat hic Iuriſc. quis dicatur falſus tutor, & eum eſſe interpretatur, qui verè tutor datus nó eſt,

vel

vel qui datus eſt, ſed perperam & inutiliter, vt qui habenti alium tutorem datus eſt. *§. interdum. inſt. de cur.* ſicut & falſum teſtamentum dicitur, quod nullum, vel inutile eſt: idémque in modio iniquo. ¶ Hinc accipi argumentum poteſt, tutorem inutiliter datum, propriè tutorem non dici. *l. 3. de teſt. tut.* & ideo adiectione illa falſi diſtinguitur, vnde conſequens eſt, vt hic probetur quod communiter traditum eſt, quod nullum eſt, actus nomen propriè non habere, ſi actus iuris ciuilis ſit: qua ratione teſtamentum nullum, non eſt proprie teſtamentum. *l. 2. §. 1. quemad. teſt. aper.* ſtipulatio nulla non eſt ſtipulatio. *l. 1. §. ſed ſi mihi. de verb. oblig.* ſententia nulla, non eſt ſententia. *l. 4. §. condemnatum. de re iudic.* quod non in iudiciis ſolùm, ſed & in compromiſſis procedit.

Sic & electio nulla, non dicitur electio. *Bart. l. filium. de leg. præſt.* & ceſſio perperàm facta, non habet ceſſionis nomen, & qui iurat ſe ſtatuta obſeruaturum. *Felin. c. ex tenore. de reſcrip.* de his quæ nullo iure valent, iuraſſe non intelligitur. Sic & alienaſſe emphyteuta non dicitur, qui venditione nulla, & non ſolenni diſtraxit. Quòd ſi nomina facti, non autem iuris ſint, quod inutiliter actum eſt, propriè nomen ſeruat. *Bald. l. 2. de epiſc. aud. C.* vnde libellus incertus vel citatio inutilis. *l. 1. in prin. de fer.* nomen ſuum ſeruant, licet in effectu non obligent. *c. 1. de præſcrip.* Sic & epiſcopus inutilis, vel hereticus, epiſcopus propriè eſt, tametſi perinde habeatur ac ſi non eſſet. *cap. inter. de tranſ. epiſ.* Eadem ratione etiam inutilis maritus. *l. fin. C. ad l. Falcid. de pla.* nomen mariti ſeruat, quamuis legis interpretatione eius vapor orbata exiſtimetur. ¶ Sanè plerunque accidit, vt etiam actus iuris ſub vero nomine deſignentur, licet caſſi & inutiles ſint, quod quandoq; fit enuntiationis cauſa, vt cùm lex matrimonium nullum, vel diuortium ſimpliciter ſuo nomine appellat. *l. quod Seruius. de cond. cau. da.* quandoque per locum qui ex affectu dicitur. *l. Labeo. ī. eo.* vt cum Titium rem ſuam emiſſe ſcribimus, nimirum indicantes, hoc eum egiſſe, vt rem emeret: quandoque actus ſuſtinendi cauſa, vt cùm iuſſus eſt quis hereditarium ſeruum manumittere, & deinde heres eſſe. *l. mulier. §. 1. de cond. inſt.* ſufficiet enim vel de facto manumittere vt adire poſſit. Sed & lex Pontificia *c. per venerabilem. qui filij ſint leg.* Rex, inquit, Cæſarem in dominum non recognoſcit quod de facto interpretantur plerique: hoc enim verbum magis ad factum, quàm ad ius refertur.

BRECHÆVS.

PAVLVS RESPONDIT. ¶ Ne, dum falſus tutor adhibetur, decipiantur contrahentes, propoſuit Prætor ea æquitate edictum, quo reſtituatur is qui falſo tutore authore aliquid geſſit, ac contraxit, ſi modò eum falſum tutorem eſſe, ignoraſſet. Eſt autem falſus tutor, qui vel tutorem habenti datus eſt, vel ſi furioſus datus eſt, & ob eam rem authoritatem præſtare non poſſit: vel ſi ad aliam regionem ſit datus. Eiuſmodi tutor perinde habetur ac ſi tutor non eſſet, vt traditum eſt ab Vlpian. in *l. 1. ff. quod falſ. tut. auth. geſt. eſſe dice.* Sic falſus procurator, id eſt, qui mandatum omnino non habuit, aut ſi reuocatum fuit mandatum, procurator non eſt: ac quod cum eo geſtum erit, ratum non habebitur. Dici quoque poteſt falſus procurator, ſi eſt furioſus, & minor 25. annis, vt quia huiuſmodi defendere non poſſunt, atque ipſis, eorúmque fideiuſſoribus, per in integrum reſtitutionem ſuccurritur, vt teſtis eſt Vlpia. *in l. minor. ff. de procur.* At quod diximus falſum procuratorem eum quidem eſſe ſi reuocatum fuerit mandatum, ratúmque non futurum quod cum eo geſtum erit, id accipiendum cenſeo, ſi vel iudici, vel aduerſario obſcura, nec comperta fuerit iſtiuſmodi mandati reuocatio. *cap. mandato, extra de procur.* & Accurſ. in *l. ſi procuratorem. in verb. mutata. ff. eo. tit.* hãc rem diffuſè tradit. Alioqui falſus procurator, videlicet qui nullum vſquam accepit mandatum, depoſitum recipiendo, vel æs alienum exigendo citra domini voluntatem furtum facit: ac præter rei reſtitutionem, actione dupli nec manifeſti furti conuenitur. Quod Impp. Maxim. & Diocler. reſcripſerunt *l. falſus. C. de furt.* Cæterum Alciatus doctiſſimè, vt ſolet, & dilucidè hoc reſponſum Pauli enarrat.

FORNERIVS.

PAVLVS RESPONDIT. ¶ Nihil aliud eſt falſum, quam mendacium, imitatio & adumbratio veritatis. *l. 23. quod fie. ī. ad leg. Corn. de falſ.* Μηδὲ ἐν ἑτέρῳ τινὶ παραχαράξεις, εἰ μὴ τῆς ἀληθοῦς μίμησις. *Nouell. 73.* Vt autem quæ fiunt contra ius, & leges offendunt, ea vtique nec fieri poſſe creduntur. *l. 15. filius. de cond. inſtit. l. 125. nepos. ī. h. t.* & pro infectis habentur *l. 5. C. de legib.* Sic etiam falſa, nulla cenſentur. Imò verò, id quod omninò non eſt, falſum quoque dicitur: vt falſus nummus, modius, teſtamentum, falſus tutor. Πᾶς δὲ ἐπίτροπος ἐστὶν ὁ μὴ ὢν ἐπίτροπος. Falſa cauſa, non eſt cauſa. *l. 1. eodemq; tit. C. ſi tut. vel cur. falſ. alleg.* Ratio iners, ratio non dicitur. Et rectè eos demùm ſermones, qui veri ſunt, cenſet Hierocles in Pythagoreos verſus: ὡς μόνοι λόγοι εἰσὶν οἱ ἀληθεῖς: contrà verò, qui falſi ſunt, οἱ μόνον ψευδεῖς τῶν λόγων, οὐδὲ λόγοι ὄντως εἰσί. Falſus nummus & adulterinus, non eſt nummus, nec debitorem ſoluentem liberat. *l. 24. eleganter. §. qui reprobos. de pign. act.* vt ærosa pecunia, ea vſu ciuitatis eiicitur. *l. 102. creditor. de ſolut.* Dion Traiano tribuit, quòd omnem adulterinum nummum ſuſtulerit: Τότε νόμισμα πᾶν τὸ ἐξίτηλον ἐξεχώνευσε. Aurelianus quoque nouam monetam publicè diſtribuit, quum plebem, quicquid haberet adulterinæ monetæ, reddere iuſſiſſet: eáque ratione commercia confuſione liberauit. Zoſimus *lib. 1.* Ἤδη καὶ ἀργύριον νέον δημοσίᾳ διέδωκε, τὸ κίβδηλον ἀποδόσθαι τοὺς ἀπὸ τοῦ δήμου παρασκευάσας, τούτῳ τε συμβόλαια συγχύσεως ἀπαλλάξας. *Falſum tutorem.* ¶ Qui in contrahendo auctor minori 12. aut 14. annis fuerit, tenebitur actione in factum, propter dolum malum. *l. pen. quod falſ. tut.* Verba edicti Prætorij, [Quod eo authore qui tutor non fuerit, ſi id actor ignorauit, dabo in integrum reſtitutionem. In eúmque qui cum tutor non eſſet, dolo malo author eſſe dicetur: iudicium dabo: vt quanti ea res erit, in tantam pecuniam condemnetur.] Ne contrahentes decipiantur, dum falſus tutor adhibetur. Sed ſi id actor non ignorauit, quia ſeipſum decepit, non erit reſtitutioni locus: niſi minor fortè, aut pupillus ſciuerit. Tutoris tantùm ſcientia nocebit. *l. 1. 2. 3. l. 4. l. 6. pupillo. ī. quod falſ. tut.* Si plures ſint, alter falſus, alter verus tutor, ſufficit alterum authoritatem accommodaſſe: ſin vterque falſus, nihil valebit,

bit,

bit,quod actum eſt.Idē enim in plurib.quod in vno ius obtinebit.*d.l.1.arg.l.158.in vſu.ſ.h.t.* Iudicium in ſalſum tutorē datur,quanti ea res erit.In quo non pœna,ſed veritas continetur,habita ſumptuum in reſtitutione factorum,ratione.Itaque vno ſoluente,cæteri liberantur,non ſoluente,aut minùs ſolido ſoluto,in reliquos agitur.*d.l.6.pupilli.& ll.ſeqq.eod.tit.* *Qui tutor non eſt.* ¶ Ergo inutiliter datus tutor,vel qui non ſatiſdedit,agere pupilli nomine volens hac exceptione ſummouebitur. *l.7.conſilio,§.cum dementis.ſ.de cur.fur.* Si quid tamen geſſerit,vel non oppoſita exceptione exegerit,ratum erit. *l.3.ſ.quod falſ.tut.* Errori eorum quibuſcum contraxerit,litigarit,venia dabitur.Exemplo,Barbarij,qui obrepſerat ad præturam *l.3.de of.præt.*& filiifamilias,qui omnium opinione paterfamilias habebatur, *l.4.ſ.ad Sc.Maced.*& ſerui teſtis,qui vulgò liber exiſtimabatur *l.1.C.de teſtam.* Et notarij,qui ciuium pacta conuenta quaſi fide publica, quum reuera non eſſet tabellio,perſcripſerit. *Nouel.44.* Et ea quæ ſub tyrannis rectè & abſque metu doloque geſta ſunt,non reſcinduntur. *l.2.l.8.omnes.C.Theod.lib.15.tit.14.* *Falſum teſtamentum.* ¶ Καὶ πλαστὴ διαθήκη,ἡ μὴ οὖσα διαθήκη. *l.2.teſt.quemad.aper.l.1.§.fine.l.3.§.hoc interd.de tab.exh.l.6.ſi quis legatum.ad leg.Corn.de fal.* Quid in falſis codicillis? Idem. *l.47.cum ex falſis.de man.teſt.l.2.C.de fid.lib.* *Modius iniquus.* ¶ Vt teſtamenta in æde publica deponebantur.vt ab æditus,vel veſtalibus ſeruarentur. *l.3.de tab.exh.l.vlt.de iis quæ in teſt.del.l.77.cum pater.§.donationis.de l.g.2.* Ita pondera & menſuræ,publicè aſſeruabantur, ne quid in iis falſi à priuatis admitteretur. *Nouel.128.* Caſſiod. *lib.5.epiſt.36.* Iul.Capitol. *in Maximin.patre.* Iul.Front. *de aquæd.vrb.Rom.lib.2.* Fannius,

> *Amphora fit cubus:quam ne violare liceret,*
> *Sacrauere Ioui Tarpeio in monte Quirites.*

Falſæ igitur menſuræ ſunt, iniquæ, quæ quamuis modij ſpeciem habeant : quia tamen ad legem publicæ menſuræ non exiguntur : perinde eſt,ac ſi modij omninò non eſſent.Imò non impunè iis vti licet. *l.pen.ſ.ad leg.Corn.de fal.l.6.annonam.fin. de extraord.crim.* Ea cura ad ædiles, vt quibuſdam, at vt mihi videtur etiam ad præfectum vrbi pertinebat. *---- Italo quod honore ſupinus*

> *Fregerit heminas Areti ædilis iniquas.*

Verſus in Aproniani præfecti vrbi edicto, [Sub conſpectu publico fide ponderis comprobata.] *l.1.de of.præf.vrb.l.4.C.Th.lib.14.tit.4.* Caſſiod. *lib.6.epiſt.18.* Victruuius *lib.10.c.2.* [Trutinarum verò librarúmque ponderibus examinatio reperta vindicat ab iniquitate,iuſtis moribus vitam.] Modij ænei & lapidei aſſeruabantur,per manſiones, ſingulaſque ciuitates collocabantur. *l.9.modios.de tab.C.lib.10.* Edicti Theodorici regis *c.149.* ita cauetur. *Si quis exactorum vel ſusceptorum maiorem menſuram,vel maius pondus adhibuerit , dum fiſcales traduntur ſpecies , quàm publica ordinationis moderatio antiquitùs promiſſa conſtituit:ad iudicem continuò cum ipſis menſuris & ponderibus deducantur. Vt ſi fuerit de eorum iniquitate conuictus,inde quadruplum pro vtilitate illius,quem grauauit,malè ſuſceptarum ſpecierum damna ſuſtineat. Quod etiam circa negociatores obſeruari debere cenſemus in commerciis,ſi iniuſta pondera vel menſuras adhibuiſſe fuerint adprobati.* Exſtat & apud Feſt.antiquiſſimum plebiſcitum,quod duo Silij P.& M.tribuni pleb.rogarunt.De quo aliàs,neque.n.hîc nobis commorandi,ſed diuertendi locus datur.

CCXXII. HERMOGENIANVS lib. ij. iuris Epitomarum.

PECVNIÆ nomine non ſolùm numerata pecunia, ſed omnes res tam ſoli, quàm mobiles,& tam corpora,quàm iura continentur.

ALCIATVS.

PECVNIÆ NOMINE. ¶ Pecuniæ ſignificationem vario modo accipi, *l.pecunia.ſ.eo.* demonſtrauimus,& quandoque latiùs patere, quam vt id quod in numerato eſt,ſolùm comprendat : mobilia enim & immobilia complectitur,atque etiam iura,cęteráſque huiuſmodi res incorporales:quapropter ſi tibi pecuniam,quam Titius debet,donauero,actionem quoque donaſſe videbor. *Bar.l.ſi ſeruus.§.fi.de ſtip.ſer.* hinc apparet,pecuniæ verbum vniuerſale eſſe,vt meritò Sc.Trebellianum in eo locum habeat. *l.nam quod.in fi.ad Treb.* qui pecuniam omnem reſtituere rogatus ſit:de iurib. enim actum quoque intelligetur.cuius rei rationem adſignat hanc Accur.quia omnes res in pecuniam conuerti poſſunt : idque 4.*Ethic.* Ariſt.ſenſit. ¶ Sed hac ratione etiam cùm numum dicimus,aliud quàm quod in moneta eſt,ſignificaremus,párque eſſet numi & pecuniæ notatio, *l.litigatores.§.quod aut.de arb.* quod falſum eſt.Verius igitur. *Iaſ.l.ſalut.de leg.3.* quod Aug. *in lib.de doctr.chriſt.* tradit, dum,Totum,inquit, quod omnes in terra habent,quorúmque domini ſunt,pecunia dicitur, *1.q.3.totum.* quia antiqui quod habebant , in pecoribus habebant. Sanè reſtringitur hæc ſignificatio quandoque ex ſubiecto argumento.Pone.in ſermone hominis illiterati & idiotæ, *Bar.l.vxorem.§.legauerat.de leg.3.* facta eſt pecunię mentio,intelligemus anguſtè de pecunia numerata, *l.ad Macedon.* quam & vulgares denarios vocant,cùm denarius propriè ſit x.aſſes,hoc eſt,argenti drachma. *Card.cle.exim.§.porrò.eod.tit.*

BRECHÆVS.

PECVNIÆ. ¶ Variam & generalem pecuniæ appellationem docet hìc Hermog.videlicet,& numeratam pecuniam,& res mobiles ſimul & immobiles,& tam corpora,quàm iura continere. Cicer. *Act.3.in Ver.* pecuniam pro hereditate poſuit,ac pro omnib. his reb.quæ in hereditate eſſent,tum mobilib.tum etiam immobilibus. Demoſth. *πρὸς τὴν λακρ.* pro mercib. ἀντιχρηματίζειν πάλιν χρήματα. Apud iuriſconſultos quoq́, χρημάτων appellatione tam mobilia,quàm immobil.veniunt:hócq; conueniunt Latini cum Græcis in voce & ſignificatione harum duarum dictionum:tam.n.patet eadem apud Gręcos,quàm altera apud ſuos Latinos.Sunt autem χρήματα,οὐσία,κτήματα,βοσκήματα.cenſus deniq; & facultates,opes,bona,& fortunæ.i.τὰ ὑπάρχοντα,τὰ ὄντα,ὅθεν τὸ χρῆμα ἦν,vt Xenoph.in Oecon.docet,ſub princ. Vide quæ in hanc rem ſcripſimus diffuſe καὶ κατ' διέξοδον ſ.l.pecunia.& l.ſeq.& in l.res appellatio.

FORNERIVS.

PECVNIÆ. ¶ Cum iam de huiuſce capitis argomento ac ſententia nos aliquoties egerimus. *l. 5. l. 178. pecunia. ȷ̄. h.t.* parciùs nunc diſſeremus. Hoc igitur nomine, quæcunque res, ſoli, mobiles, corporeæ, & corporis expertes, iuráque continentur. *l. 32. baliſta. ad Sc. Treb. l. 2. C. de non num. pec.* Ita vt nummi etiam ipſi, & pecunia quamuis numerata, interdum non vt quantitas, ſed tanquam certum corpus, ac ſpecies habeatur. Quanquam, vt ſuperiùs oſtendimus, lata inter hæc duo differentia ſtatuatur: quæ non attenditur, quoties pecunia certa demonſtratione notatur. *l. 1. C. de nox. act.* [Pecunia quæ in arca eſt: *vel* vinum, quod in apotheca.] *l. 30. talis. de leg. 1. l. 94. ſi is cui nummos. de ſol. & lib.* Vnde qui quinque quę in arca habebat, ita legauit vel ſtipulanti promiſit [Decem quę in arca habeo] & legatum & ſtipulatio valebit: Ita tamen vt ſola quinque, vel ex ſtipulatione vel ex teſtamento debeantur. Quinque verò, quæ deerunt, peti poſſe negat Africanus: [Nam quodammodò certum corpus, quod in rerum natura non ſit, legatum videtur.] *l. 108. ſi ſeruos. de leg. 1.* Exemplo teſtatoris, qui cum nullas haberet ædes, domum ſuam Titio legauerit, deriſorium magis eſſe, quàm vtile legatum reſpondit Vlp. *l. 71. ſi domus. de leg. 1.* Illud pro colophone ſubieciſſe ſufficiet, Veteres omne patrimonij robur ac ſubſidium in nummis collocaſſe. *l. 22. lex qua. §. huc accedit. C. de adm. tut.* Sunt enim firmiſſimi rerum agendarum nerui, quibus ſucciſis, via eſt, vt quicquam tum priuatim, tum publicè commodè geratur. *l. 79. ſi chorus. de leg. 3.* Demoſth. *Olynth. 2.* Δεῖ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἔστι γενέσθαι τῶν δεόντων. Leonis *Nouel. 52.* Mutianus dicebat pecuniam eſſe neruos principatus. Dion Nicæus, Νεῦρα τῆς ἡγεμονίας τὰ χρήματα εἶναι ἔλεγε. Sic reip. neruos Vlp. tributa dixit. *l. 1. §. in cauſa. de quæſt.* Vectigalia, & portoria Tullius, *pro lege Manilia.* & Quinctil. *declam.* 341.

CCXXIII. PAVLVS lib. ij. Sententiarum.

LATÆ culpæ finis eſt, non intellegere id, quod omnes intellegunt.

ALCIATVS.

LATÆ CVLPÆ. ¶ Culpæ nomen generale eſt, & dolum quoque comprendit: qui enim dolo fecit, vtique in culpa eſt. Vnde qui promiſerit damnum præſtare, quod ſerui mei culpa contigerit, ſi quid doloſè deliquerit, vt quia furtum fecerit, reſarcire quoque tenebitur. Solent tamen Iuriſc. *l. contractus. i. tit. 1.* cùm culpam non præſtandam ſimpliciter dicunt, de leui intelligere: lata enim cùm dolo proxima ſit, ferè ſemper præſtanda eſt. Dicitur autem dolo proxima duobus modis, aut quia præſumptam in ſe fraudem contineat. *l. quod Nerua. depoſit.* vt cùm non eam diligentiam in rebus alienis quis adhibuit, quam in ſuis: aut quia tam ſupina & inexcuſabilis culpa eſt, vt tam etſi non præſumatur fraus, parum tamen ab ea diſtet. *l. ſi procuratorem. in ſi. mand.* veluti cùm quis in gratiam amici negligens fuit. licet enim gratia & nimia facilitas excuſet à dolo, proxima tamen illi eſt. Et ideo regulariter proditum eſt, cùm lex aliquem dolum præſtare teneri dicit, etiam de lata culpa intelligi: quod tamen quemadmodum accipiendum ſit, ȷ̄. tractabimus, *l. magna. h. t.* Quis autem huius culpæ ſit finis, id eſt, definitio, ſuperius diſputauimus. At leuis culpa ſic definiri poteſt, vt ſit negligentia, qua quis in rebus alienis eam curam non adhibet, quam cæteri patresfamiliàs ſolent, tametſi in ſuis minimè diligentior ſit.

BRECHÆVS.

LATÆ CVLPÆ. ¶ Quia in depoſito venit dolus, & huic proxima lata culpa, *vt l. 1. & l. quod Nerua. ff. dep.* refert ſcire, quid ſit lata culpa. Lata igitur culpa (inquit Paulus) eſt, cùm quis id ſe non intelligere nec ſcire prætexit, quod quemuis rudem ac ignorantem latere non debet. Quocirca dolo æquiparari dicitur. Eam tamen præſtare quis non tenebitur, ſi ea ignauia aut negligentia tantùm, non ſi verſutia, fraudéue contracta ſit. *§. præterea. Inſt. quib. mod. re contr. ob.* Iaſ. *in d. l. quod Nerua.* Iam verò, quando lata culpa dolo ſit proxima, eleganter hoc loco Alc. exequitur. Vide quæ dicam ȷ̄. *l. magna negligentia.*

FORNERIVS.

LATÆ CVLPÆ. ¶ Magna negligentia culpa eſt, magna culpa dolus. Græcis hìc, ἡ μεγάλη ἀμέλεια. *l. 226. magna. ȷ̄. h. t. l. 32. quod Nerua. ȷ̄. dep.* *Finis.* ¶ i. definitio. Sulpitius Victor. Inſtitut. oratoriis ad M. Silonem: [Finis eſt, inquit, cum quæritur, quid ſit illud, quod in controuerſiam veniat, aut quo nomine appellandum ſit.] ὅρος idem Græcis valet. Lucian. *in Paraſito.* ἀλλ' ἐπεὶ ὅπως ἢ ὅρον ἡμῖν τινα ἀποδῷς τῆς παρασιτικῆς. *Quod omnes intellig.* ¶ aut certè intelligere debet, vt leges, mores, inſtituta ciuitatis: quodq; in communi hominum conſuetudine verſatur, non ignorare. Quę paſſim occurrunt exempla, non congeram: Illud ex Baſilij ad Amphiloc. epiſtola vnum adduxiſſe ſufficiat. Mulier quæ in via peperit, & ſui fœtus curam non geſſit, cædis crimine teneatur. Theod. Balſamon adnotans, [Debet, inquit, puniri propter magnam negligentiam, quæ dolo comparatur: quæquidem à Iureconſultis lata culpa nominatur.] i. μεγάλη ἀμέλεια. Itaque quod per manus traditur, ob culpam in litem non iurari, ſed ob dolum tantùm. de leui accipiendum eſt: quam ῥᾳθυμίαν Græci interpretantur, ſynopſ. Baſilicôn *lib. 22. tit. 6.* ἀπὸ ῥᾳθυμίας οὐκ ἐπάγεται ὁ ἔνδικος ὅρκος. ἀλλ' ὁ δικαστὴς ποιεῖται τὴν διατίμησιν. Vlp. [Ex culpa autem non eſſe iniurandum deferendum conſtat, ſed æſtimationem à iudice faciendam.] *l. 4. de in lit. iur.* Marcianus *l. ſeq.* [In his omnibus ob dolum ſolùm in litem iuratur, non etiam ob culpam: Hæc enim iudex æſtimat.] Ita cum in Archetypo Florentino, *Hac enim*, & in veteribus, *hoc enim*, ſcriptum reperiam: non verebor emendare, *hanc enim*, videlicet, culpam: quæ non actoris iuriiurando, ſed iudicis religioni permittatur. Vlp. [Culpam quoque in hoc interdicto venire erit probandum: quæ tamen arbitrio iudicis æſtimanda erit.] *l. 15. ſemper. §. pen. quod vi aut clam.*

§. j. AMICOS appellare debemus, non leui notitia coniunctos, ſed quibus fuerint iura cum patrefamilias, honeſtis familiaritatis quæſita rationibus.

ALCIATVS.

AMICOS. ¶ Pluribus modis accipitur amicitia. eſt enim quædam maxima, & pœnitus inhærens animis inuicem ſe amantium, cuius multa exempla commemorat Lucianus *in dialogo, qui Toxaris inſcribitur*, quanquam Græci ſic explicant, *σωμάτων δύο ψυχὴ μία*, vt eadem anima duobus in corporibus eſſe videatur, quod idem vterque velit, nolitque. Alia eſt, quæ hic deſcribitur, non quidem tam ardens, ſed tamen non leuiter coniuncta & honeſta conſuetudine introducta: & de hac proditum eſt leges accipiendas eſſe, quæ cauſa amicitiæ aliquid indulgent, *l. ſecundum. §. ſi alicuius. ff. de legat.* vel vetant: prior enim illa, cum Heſiodi Erigone ad ſuperos (opinor) receſſit, & nuſquam in humanis habitat. Eſt & alia vulgaris; qua congerrones, idque genus ſocij etiamnum vulgò amicos ſe inuicem appellant: ea ex leui notitia contingit, & inter improbos quoque plerunque eſt. Sunt autem arctiſſimæ illius amicitiæ cauſa pleraque conceſſa, & quicquid cognationis fauore introductum eſt, id omne ad huiuſmodi amicos extenditur. *c. requiſiſti. de teſtam.* quæ enim maior poteſt eſſe coniunctio? Hinc aliqui tradiderunt, liciti eius amoris ardorem, vim clauſulæ codicillaris habere. *Bald. ſi inre. C. de teſt. man.* aliqui reuocationem clauſulæ derogatoriæ inducere, quæ in priore teſtamento adiecta ſit, *Rom. conſ. 179.* aliqui in ſubſtitutione fideicommiſſaria ſimpliciter facta hoc operari, vt amici ſui filij ſubſtituto præferantur. *Barb. l. cum acutiſſimi. C. de fideic.* Sunt & qui ſicut coniunctum, ita & amicum abſque mandato ad agendum admitti crediderint. *Iaſ. l. exigendi. C. de procur.* Quę omnia vera eſſe ego arbitror in priore illa amicitia, quæ vſque adeò noſtris temporibus rara eſt, vt cuiuſdam prodigij loco ſit, ſi vſquam gentium reperiatur. ¶ Sed nunquid amicus ad teſtimonium admiſſus pro amico probet? *l. 2. de teſtib.* Et de fide diminui illi conſtat, & ideo ex numero teſtium conualeſcere poſſet, vt ſi, vbi aliàs duo ſufficerent, tres amici reciperentur. Addunt aliqui tam immenſam amicitiam poſſe deprendi, vt non ſolum diminueretur, ſed omninò eleuaretur. *Fel. c. quoties. de teſtib.* Contra Bal. *l. eos. C. de teſtib.* cùm amicitia virtutis & fidei nomen ſit, non eſſe admittendum, vt propter eam fidei minus teſti adhibeatur. Sed in hoc deuentum eſt, vt amicitiæ cauſam iudex inſpiciat, & ſi ex ſocietate otioſa, vel non multum egregia, nec ſeueris viris laudata conſuetudine prouenisse deprenderit, ſummámque eſſe, nihil eis fidat, & ita arbitretur: magna enim affectio veritatem prorſus impedit *3. q. 5. accuſatores.* Nec referet ad amicitiam ſe inuicem vnquam viderint aliqui, vel id minùs, cum fama & bonis operibus ſæpius accidat, *29. q. 1. c. 1.* vt inter ignotos quoque non vulgaris dilectio exoriatur. Sanè non omnis qui parcit, amicus eſt, *5. q. 5. c. non omnis.* nec omnis qui verberat, inimicus, vt Aug. ait.

BRECHÆVS.

AMICOS. ¶ In excutienda teſtium fide (ait Calliſtr. *l. 3. ff. de teſtib.*) In perſona eorum exploranda erunt hæc. Imprimis conditio cuiuſque: vtrùm quis decurio an plebeius ſit, & an honeſtæ & inculpatæ vitæ, an ei inimicus ſit aduerſus quem teſtimonium fert, vel amicus ei ſit, pro quo teſtimonium dat. Bald. *in l. eos. C. de teſtib.* tradit nomen amicitiæ non eſſe ſatis ad expellendum quem a ferendo teſtimonio. In quem locum ſcribens Cynus cenſet amicitiam non in totum teſtem improbare, ſed efficere, vt tanta eadem fides adhiberi non debeat. At ſæpe inter Iuriſconſultos eſt dubitatum, quæ porrò amicitia dicenda eſſet, ob quam teſtis amici fidem imminui oporteret. Et quidem duplex amicitiæ genus potiſſimum tradunt Philoſophi: vnum quod a naturæ fonte proficiſcitur, quando ad aliquem animum appulimus cum quodam ſenſu amandi, coiuſcum moribus & natura congruamus. Eſt (inquit Cic. *lib. 1. Offic.*) ea iucundiſſima amicitia, quam ſimilitudo morum coniugauit. Quare idem ipſe *in Lælio* ſic amicitiam diffiniuit, vt nihil aliud ſit, quàm omnium diuinorum humanarúmque rerum cum beneuolentia & charitate ſumma conſenſio. Et hanc quidem amicitiam, quoniam ea virtutum adiutrix a natura data eſt, non autem vitiorum ſit comes, neque ab amico fieri quicquam patiatur, quod & æquitati & honeſto repugnet, exiſtimo à teſtimonijs arceri non debere. At quæ ex vtilitate orta eſt amicitia, & vtilitatibus tantùm metiri ſolet, vt quia libidini, cupiditatibus, & vitiis patet, nulla ratione debet admitti ad dicendum pro teſtimonio.

FORNERIVS.

AMICOS. ¶ Huius definitionis vſus, ſicut & ipſius amicitiæ vis, latiſſimè patet. Vt ecce, Si cui vſum, cibaria, vel vſus ſui gratia paratum legauero, ad amicos & clientes extenderetur. *l. 3. de pen. leg.* Ex amicorum ſententia filiam nuptui dari iubet, vt in Epicuri teſtamento Diog. Laert. *lib. 10* & apud Scæuol. Theopomp. *τὴν θυγατέρα μου ἐκδοῦναι ᾧ ἂν οἱ φίλοι καὶ συγγενεῖς δοκιμάσωσι. l. 14. Theopompus. de dote prælegata.* Amicis benemerentibus libertus etiam patroni portionem minuendo donare poteſt, legare non poteſt. *l. 9. vnius. ſi quid in fraudem patron.* Cum nimia abſentis tutoris negligentia negotia pupilli deſerentis, prætor euocatis tutoris affinibus & amicis, de eo remouendo, vel ei adiungendo curatore, cauſa cognita decernet. *l. vlt. vbi pup. ed.* Qui amicitia paterna ductus, pupillis tutorem petit, vel ſuſpectum poſtulat. *l. 44. ſi quis. de neg. geſt.* Minoribus tutorem non habentibus parentum amici & educatores puerorum petere poſſunt. Modeſtinus. *Δύνανται καὶ φίλοι τῶν γονέων καὶ τροφεῖς αὐτοῖς τῶν παίδων τοῦτο αἰτῆσαι. l. 2. qui pet. tut.* & cum de tenciendo amicorum in amici lite teſtimonio agitur; cæteriſque id genus, quæ fingi innumera poſſunt, exemplis, amicitiæ nomen non ad quæſtuariam leuémq; notitiam pertinebit, quę Ariſt. *ἀγοραία ὅτι χειρὸς εἰς χεῖρα φιλία* dicitur. Quinctil. *decl. 289.* [Petiit amicus meus, non eſſe hoc vulgare nomen ipſe monſtrauit.] Iterum *decl. 308.* [Non recuſabo, quominus vel propinquos iſtos amicitia conferatis. Per ſe mihi vel ſanctius nomen amici videtur.

S a Hoc

Hoc enim proficiſcitur ab animo, hoc proficiſcitur à propoſito. Iſtud dat caſus, e[illegible]ditio naſcendi, & quæ non ſponte noſtra leguntur. Me heredem eſſe amicus aliquando voluit.] & curſius *declam.* 321. [Venenum ego fratri dederim, non me fugit nomen, quo vtitur, Amicus fuerit ſanè: ſed rogo, &c.] Naturalis & quæſitæ amicitiæ diſcrimen eleganter Simplicius in Epicteti encheiridion exſequitur.

Non leuis notitia. ¶ Inter notos & amicos tantundem, quantum inter ſummos & vulgares amicos, (qui tamen amicitiæ nomen vſurpant) intereſt. Notus ex caſtris. *l.8. ſi fortè. l. pen. de caſtr. pec.* qui commilitonem in militia nouit. *l.11. ſi pater. ꝰ. ad leg. Corn. de falſ.* veteri lapide in inſula Tyberina, SAI IN VITA IVCVNDA VOBEIS VOLVPTATI FVEI, VIRO ATQVE AMEICEIS NOTEISQ. OMNIB. Initium quidem amicitiæ notitia eſt, ſed quid aliquantò minus. Senec. *lib.1. epiſt.3.* [Si aliquem amicum exiſtimas, cui non tantundem credis, quantum tibi, vehementer erras, & non ſatis noſti vim veræ amicitiæ. Errat & ille, qui amicum in atrio quærit, in conuiuio probat. Præpoſterè officia permiſcent, qui cum amauerint, iudicant, & non amant cum iudicauerint.] Meritò igitur leui notitia coniunctos protinus amicos non cenſet hic Paulus: ſed quibus cum patreſamilias honeſtæ familiaritatis iura interceſſerint. Illę non facile intercidunt, tranſeunt etiam in poſteros. *d. l.2. qui pet. tut.* Iſocrat. *Demonico*, Πρέπει γὰρ τοὺς παῖδας, ὥσπερ τῆς οὐσίας, οὕτω καὶ τῆς φιλίας τῆς πατρικῆς κληρονομεῖν. Symmach. Meſſalæ *lib.7. epiſt.87.* [Amicitiæ parentum rectè in liberos transferuntur, vt caritas ſemel inita ſucceſſoribus eorum, iure hereditario proficiat.] Quamuis, ſi verum amamus, nec amicitia, ſocietas, voluntas, cæteràque eiuſmodi, quæ morte ſoluuntur, ad heredes tranſeunt. *l.47. conſilij. §. ſoc. l.191. Neratius. ꝰ. tit. ſeq. l.9. nec adiecit. l.19. qui admittuntur. ſeq. l.59. adeò. pro ſoc. l.14. qui ad certum. loc.* Quo mihi infeſtior priſca lex videtur, (ſiue inſtitutum eſt) vt ex reorum crimine amicis quamuis innocentibus periculum crearetur. Cuius exempla cum ex Q. Curtio in vita Alexandri, cæteriſque veteribus repeterè liceat: Tum verò ex Georg. Cedrino, in Leontio Imp. qui præciſo naſo in Dalmatæ monaſterio aſſeruari iubetur, amicíque eius publicatis bonis releganter. τοὺς δὲ φίλους αὐτοῦ δημεύσας ἐξώρισεν. Maximè verò id in affectati imperij, ſiue læſæ maieſtatis crimine, obſeruabatur. Calp. Flaccus *declam.1.* [Quinque cum tyranno proximę familiæ puniantur.] Sed humaniùs ab Arcad. & Hon. conſtitutum eſt, vt noxa ſuos auctores ſecuta propinquis, notis, familiaribus, amicis, affinibus, qui extra criminis ſocietatem eſſent, non noceret. *l.22. ſancimus. C. de pœn.* *Patreſamilias.* ¶ Sed & qui negotia noſtra ſine mandato gerit, amicus dicitur, ac à procuratore diſtinguitur. *l.11. generaliter. l.33. fundi. § item ſi. de acq. poſ. l.5. quod vi aut clam. l.36. ſi liber. l.38. qui ſine. de neg. geſt.* Poſtremò amici etiam principum, conſiliarij non ſemel in iure noſtro ſalutantur. *l.17. diui. de iur. pat. l.1. de appel. l.4. C. de iur. & fact. ign. l.4. C. de contr. & com. ſtip. l.11. ſi innita. C. de nupt. l.1. C. ſi mancip. ita ven.* vt in Gallicis regiorum reſcriptorum formulis *Noſtre amé & feal.* Sunt enim principum ſtudio beneuolentiáque digniores, qui ſunt tanquam Neſtores à conſiliis, vt de Alexandro Seuero, Herodianus, τὰς πολεμικὰς καὶ ἀγοραίας διοικήσεις τοῖς ἐπὶ λόγοις ἐνδοξοτάτοις καὶ νόμων ἐμπείροις. Seneca de ſeipſo ad Neronem apud Corn. Tacit. *lib.13.* [Muneribus tuis obniti non debui, ſed vtrique menſuram impleuimus: & tu quantum princeps tribuere amico ſolet, & ego quantum amicus & principi accipere.] Sed hæc, pluſquàm inſtituti ratio pateretur, mihi excidiſſe ſentio.

CCXXIIII. VENVLEIVS lib. viij. Stipulationum.

VINCVLORVM appellatione vel priuata vel publica vincula ſignificant. Cuſtodiæ verò, tantùm publicam cuſtodiam.

ALÇIATVS.

VINCVLORVM. ¶ In vinculis eſſe dicitur, quicunque vinctus eſt, ſiue publicè à magiſtratu, ſiue priuatim, vt ſeruus domino. Cuſtodia verò ad ius publicum pertinet, cùm quis in carcerem detruſus vel ſub cuſtodia magiſtratuum eſt. Poteſt autem qui tribunali præeſt, ex qualibet leuiſſima ſuſpicione eum, quem nocentem arbitretur, in carcerem ducere. *Sal. l. nullus. C. de exhib. reis.* oportet tamen qualem qualem veſtigationem pręceſſiſſe, ne iniuriam faciendi cauſa hoc mandaſſe videatur. *Gl. c. ſi. de accuſ. in 6. Bal. l.2. C. de his qui lat.* quo caſu grauaretur eius opinio, licet pœnam aliquam non ſubeat. Solùm enim in ciuilibus receptum eſt, vt iudex iniuſtè aliquem in carcere retinens, actione iniuriarum conueniri poſſit. *l. pen. C. qui bon. ced.* Hinc apparet, cùm iudex ordinarius à captura nocentis cœpit, non excuſari reum, quò minus in examine interrogatus ſub ſacramenti religione reſpondere teneatur. *Bar. l. Marcellus. rer. amot.* deliquerit, an non deliquerit: alioquin lex ius capiendi non concederet, ſi non, niſi præcedentibus indiciis, interrogari poſſet. Accipitur autem cuſtodia pro carcere. *l. ad commentarienſem. C. de cuſt. reor.* quoniam in illum rei non pœnæ cauſa, ſed cuſtodiendi mittuntur. vnde ſi effugient, cuſtodes ipſi tenentur. quoniam lex præſumit, non poſſe parietes effringi. *l. carceri. in fi. de cuſt. reor.* nec inſtrumenta huiuſce rei cauſa haberi ſine eorum culpa: idque & Aret. *conſ.38.* reſpondit. Accipitur etiam cuſtodia pro ipſis incarceratis apud Modeſtinum. *l. cuſtodias. ꝰ. de pœ.* idque obſeruatè aduotauit Accurſ. ¶ An autem ob æs alienum capi, & in carcerem detrudi quiſpiam poſſit? Peritiores negant niſi fiſcale ſit nomen *l. nemo car. C. de exa. trib.* contumaciaque acceſſerit vel niſi aliquis iam condemnatus ſit, quo caſu cedendo bonis liberatur. *l.1. C. qui bon. ced.* At olim lege xij. Tab. aliud erat, cui per deſuetudinem rectè derogatum fuiſſe, apud Gellium Cæcilius Iuriſc. diſputat.

BRECHÆVS.

VINCVLORVM. ¶ Quæ vincula publica, quæ item priuata dicantur, dictum eſt ſuprà à nobis *in l. verum eſt.*

FORNERIVS.

VINCVLORVM. ¶ Tantùm inter cuſtodiam & vincula, quantùm inter ſpeciem ac genus intereſt. Vincula tam priuata, quàm publica dicuntur. Δεσμὰ λέγεται καὶ τὰ ἰδιωτικά, καὶ τὰ δημόσια. Cuſtodia verò publica duntaxat: φυλακὴ δὲ ἡ μόνη ἡ δημοσία. De vtraq; diſſeramus. Ac priuata quidem nemini permittitur, imò multiplici pœna ſancitur *l. vlt. verſ. ſimiliter cuſtodiendo. de eo quod met. cau. tot. tit. de lib. hom. exhib.* Quaſi ſacrilegium ac læſæ maieſtatis crimen, vltimo ſupplicio. *l. vn. C. de priuat. carcer. inhib. l. vn. de priuat. carc. cuſtod. C. Th.* Sed & qui liberum hominem vinxerint, præter litis damnum, totidem dies ipſi in publicis vinculis hærebunt: quot aduerſarium domi incluſum coercuerint. Synopſi Baſilic. *lib. 60. tit.* περὶ φυλακτηρίων, καὶ φυλάκων, καὶ φυλακῆς. Μὴ γινέσθω ἰδιωτικὰς φυλακάς. τοὺς δὲ τοῦτο πράττοντας, ἀποκεῖσθαι καὶ ἐπιτιμίῳ, καὶ διάγειν ἐν τῇ δημοσίᾳ φρουρᾷ τοσαύτας ἡμέρας, ὅσας δήποτ' ἂν γέγονεν ὁ ἐγκλεισθεὶς ἐν τῇ γενομένῃ παρ' αὐτῶν φυλακῇ. &c. Quoquidem in loco, quod alij ex ipſo Baſilicôn archetypo ἐπιτιμίᾳ legiſſe videntur, idque infamiæ periculum expoſuiſſe, vis ſequar ipſe: fortè rectiùs ἐπιτιμίῳ, id eſt pœna arbitraria: vt cum ſæpe aliàs, tum *in apoſtolic. can. 74. & Sexta ſynod. can. 16. & 21. q. 5. can. 1.* Conſtantinus cum à ſeruis atrociora verbera, fuſtium & lapidum ictus remouiſſet: virgis, loris, eos affligere & cuſtodiæ cauſa in vincula coniicere permiſit. *l. vn. C. de emen. ſer. In Cod. Th. lib. 9. proximè ſequitur tit. 11. de priuat. carc. cuſt.* Serui enim apud veteres ſæpe & in cuſtodia, & in opere faciundo vincti, vel ſupplicij cauſa, vel metu fugæ à dominis habebantur. *l. 18. in rebus. commod. l. 23. contractus. de reg. iur.* Columella *lib. 1. c. 8. lib. 11. c. 1. l. 21. ſi à bona. de reiuind.* Hinc illa ſeruorum apud Plautum epitheta, terratile genus, ferreæ ædes, ferriteri, &c. Hinc de compeditorum verbere, vinculis, quæſtione, pœna. *l. 17. quid ſit. §. ſi quis talis. de ad. ed. l. 10. in ſeruorum. l. 38. ſi quis aliquid. §. qui ſe. de pœn. l. 10. ſeruus. C. eod.* Paul. *ſentent. lib. 5. tit. 4. & 18.* Hinc denique illa de ſeruorum à dominis vinctorum, deinde manumiſſorum conditione, ſuperiùs tractata diſputatio, an ciuitatem Rom. conſequantur, & in argumento legis Æliæ Sentiæ placuit, cluſum in carcere non videri eſſe vinctum (vt Latinus ſit libertus tantùm, non etiam R. ciuis) niſi cuius corpori vincula fuiſſent adhibita. *l. 216. verum. ẽ. h. t.* Neque enim eadem omnium viſa eſt ſeruorum conditio, domini indignati acerbitate, deportati, vincti, torqueri, vexari, iuberentur. *l. 6. ſi venditor. l. ſeq. de ſer. exp. l. 7. ſi hominem. ẽ. dep. l. 67. ſeruus. de leg. 1.* Qui in ſimplici cuſtodia ſine compedibus aſſeruatur à domino, non videtur vinctus. *d. l. 216. verum.* Cui non aduerſatur Calliſtrati definitio, apud quem vinculorum appellatio latiùs accipitur, in re ſcilicet minùs odioſa, cum de reſtitutione eius, qui in vinculis fuiſſet, agitur: vt non ſolùm ad eum, qui in publica cuſtodia coercetur, pertineat: ſed ad eum quoque qui à latronibus, prædonibus, vel potentiore vi oppreſſus, fortè latumiis, includatur: quaſi, (vt vinctorum numero habeatur, vt ei à prætore ſuccurratur) nihil interſit, parietibus, an compedibus teneatur. *l. 9. ſuccurritur. ẽ. quib. ex cau. maio. l. 1. ſi. de aleat.* Porta obſerata ſemperque clauſa, inſtar eſt carceris. Caſſiod. *lib. 7. epiſt. 29.* Manifeſta eſt diſſimilitudinis vtraque in ſpecie ratio. Et hæc quidem de priuatis vinculis hactenus, ad publica transeamus.

Publicam cuſtodiam. ¶ Platoni *lib. 10. de legibus*, hæc carcerum genera ſtatuuntur. Horridior & ſqualidior locus, ἀγριώτατος τόπος. Cuſtodia, εἱρκτή: Correctio, σωφρονιστήριον. Pœna, ſupplicium, τιμωρία. Quæ magiſtratibus nec ſingulis permittuntur. *l. non eſt. de regul. iuris.* Neminem iniuſſu maiorum tum in vrbe, tum in prouinciis iudicum coniiciendum, ea quam paulò ſuperiùs ex Baſilic. *lib. 60.* protuli, conſtitutione, cauetur. Οὐδένα χρὴ ἐμβάλλεσθαι φυλακῇ χωρὶς κελεύσεως τῶν μεγάλων ἀρχόντων τῆς βασιλίδος πόλεως· ἐν δὲ ταῖς ἐπαρχίαις, τῶν ταύτας ἰθυνόντων, ἢ τῶν κατὰ τόπον ἐκδίκων. Prima carceris ſpecies horridior ac durior deſcribitur Calp. Flacco *declam. 4.* [Video carcerem, inquit, ſaxis ingentibus ſtructum, anguſtis foraminibus tenuem lucis vmbram recipientem. In hunc coniecti robur Tullianum proſpiciunt: & quoties iacentes ferrati poſtis ſtridor excitat, exanimantur, & alienum ſupplicium ſpectando, ſuum diſcunt. Sonant verbera, cibus recuſantibus ſpurca carnificis manu iniicitur. Sedet ianitor, inexorabili pectore, qui matre flente, ſiccos teneat oculos. Illuuies corpus exaſperat, manus catbenæ premunt.] Hæc ille. Aurel. quoque Prudentius, περὶ στεφάνων, *hymno 5. de Vincentio Cæſaraugustano martyre.*

Lugubre in antrum traditur,
Ne liber vſus luminis
Animaret altum ſpiritum.
Eſt intus imo ergaſtulo,
Locus tenebris nigrior
Quem ſaxa merſi fornicis,
Anguſta clauſum ſtrangulant.
Æterna nox illic latet;
Hic carcer horrendos ſuos
Habere fertur inferos.

Ecce cur aliquando vincula ſupplicij loco fuerint: partim vt noxij ſeruarentur ciues, partim vt lentæ ſqualore pœnæ macerarentur. Cic. *in Catilinam, de Cæſaris in coniuratos ſententia.* [Vincula verò & ea ſempiterna, certè ad ſingularem pœnam nefarij ſceleris inuenta ſunt.] Ideóque vix eſt, vt iure ciuili perpetui carceris pœna in liberos homines vſitata reperiatur, ad continendos magis adſeruandóſq;, quàm vexandos reos comparata. *l. 8. aut damnum. §. ſolent. l. 35. mandatis. ẽ. de pœn. l. 6. incredibile. C. eod.* Seruilia quidem corpora æternis mancipata vinculis legimus, libera minimè. *d. l. 8. aut damnum. ſi.* Præter vnum C. Vatienum (quòd ſibi ne in Italia militaret, digitos abſcidiſſet) à Senatu damnatum. Val. Maximus *lib. 6. c. 3.* *Cuſtodiam.* ¶ Multò humanius antiquis viſum eſt, cuſtodiæ, quàm carceris nomen: quamuis eo tantùm publicus carcer ſignificetur hîc. & *d. l. 9. ſuccurritur. ſi.* Athenienſes quoq; rei atrocitatem molliori verbo leniiſſe, carcerem, ciuitatis cuſtodiam, ac vincula domum appellaſſe,

S 3 Plus

Plutarchus in Solone commemorat, *εὐλακὰς ἢ φρουρὰς τῶν πόλεων εἰσιμαθεῖ δεσμώτηριον καλοῦντας*. Quin ipſi qui aſſeruantur rei, cuſtodiæ nominantur. *l. pen. de fer. l. 6. ſolent. de of. procon. l. antep. de pub. iud. l. antep. de cuſt. & exh. reor. l. 17. vnius. ſi. de quæſtion.* Cum autem pedore illo ac ſqualore liberos homines confici miſerum ſit, conſtitutum eſt, In primis neminem temere in carcerem compelli oportere, vt ſuperiùs oſtendimus. Deinde non priùs quàm conuincatur, vinciendum. *l. 2. C. de exhib. & transm. reis.* Tum ſtatim debere quæſtionem fieri, vt noxius puniatur, innocens abſoluatur. Interim verò nec ferreas manicas, & inhærentes oſſibus, ſed prolixiores catenas mitti, Conſtantinus aliáque humaniſſimè cauit. *l. 1. l. 2. C. de cuſt. reor.* Denique cura incumbit epiſcopo bis in hebdomade commentarienſem adeat, reos viſat, cauſam vinculorum ſciſcitetur, & ſeruos quidem intra xx. diem aut abſoluat, aut caſtigatos, & dominis redditos dimittat: liberos verò quamcitiſſimè ex criminis qualitate iudicari curet. Synopſi Baſilic. *lib. 60. tit. de cuſt. reor. c. 3.* Quid enim aliud eſt carcer, quàm conclusſus locus? Si qua Varroni fides, à coercendo. Pomponius, de conſulibus, [Solum relictum eſt illis, vt coercere poſſent, & in vincula publica duci iuberent.] & aliquantò pòſt, [Trium viri capitales, qui carceris cuſtodiam haberent.] *l. 2. de orig. iur.* Calliſtratus, [Eum qui imaginem Cæſaris in inuidiam alterius prætuliſſet, in vincula publica coerceri.] *l. 28. capitalium. § ad ſtatuas. de pœn.* Idem, [qui publica cuſtodia coercetur.] &, [vt oppreſſus vinculis coercebatur.] *d. l. 9. ſuccurritur.* Vlp. de ſeruis oppigneratis, [Si pro maleficiis ſuis coercuit, vel vinxit.] *l. 24. eleganter. de pignor. actio.* fortè, ſeruorum coercitio, Senecæ *cap. 3. de breuit. vita.*

CCXXV. Tryphoninvs lib. j. Diſputationum.

FVGITIVVS eſt, non is qui ſolùm conſilium fugiendi à domino ſuſcepit, licet id ſe facturum iactauerit, ſed qui ipſo facto fugæ initium mente deduxerit. nam & furem, adulterum, aleatorem, quamquam aliqua ſignificatione ex animi propoſitione cuiuſque ſola quis dicere poſſet: vt etiam is qui numquam alienam rem inuito domino ſubtraxerit, numquam alienam matremfamilias corruperit, ſi modò eius mentis ſit, vt occaſione data id commiſſurus ſit: tamen oportere eadem hæc crimina adſumpto actu intelligi. & ideò fugitiuum quoque, & erronem non ſecundum propoſitionem ſolam, ſed cum aliquo actu intelligi conſtat.

Alciatvs.

FVGITIVVS. ¶ Qui mancipia vendunt, ex edicto Ædilium curulium certiores facere emptores debent, ſeruus fugitiuus, an erro ſit. *l. 1. l. quid ſit. de ædi. ed.* Sunt autem errones hi, qui à domino recedunt, vt cùm vagati aliquandiu fuerint, reuertantur: ſic apud Ouid. Sappho Phaonem appellat:

Nec vos erronem tellure admittite noſtrum.

Licet eius loci interpretes grammatici id iuris verbum non perceperint. Sane oſtendit Iuriſconſultus, ſolam mentem propoſitúmque fugiendi non ſufficere, vt fugitiuus quis dicatur, niſi & aliquis actus fugæ acceſſerit.

Iactauerit. ¶ Verba enim iactatoria non obligant, & nullius effectus ſunt. *l. ſi. de her. inſt.* Vnde & ſi quis iactauerit, ſe Titium occiſurum, quamuis deinde conſtet fuiſſe occiſum, non tamen aduerſus iactatorem illum præſumetur, vt condemnari poſſit, ſed ſolùm poterit quæſtioni ſubiici. *l. metum. C. de his quæ vi met. cau.* Quid ſi homine occiſo, glorioſulus aliquis inter congerrones ſuos iactauerit ſe eius criminis auctorem? Et putauerim non ſufficere id quæſtioni, niſi aliæ coniecturæ accedant, vt quia inimicus eius eſſet, vel alioquin percuſſor, & reprobæ vitæ. nam & confeſſio extra iudicium habita, tanti non eſt, vt ex ea ſolùm torqueri quis poſſit. *l. capite. ꝫ. de adult.*

Alias ſignificatione. ¶ Quantum ſit reſpectu Dei, vt Accurſ. exponit. Quoniam apud Matth. ſcriptum eſt, *32. q. 5. qui viderit.* qui viderit mulierem, & concupiuerit, iam mœchatus eſt in corde ſuo. Ego non arbitror Ethnici ſcripta ab Euangelio interpretationem accipere. Satius igitur eſt, vt de eo loco intelligamus, quem *κατὰ τὴν προαίρεσιν* Hieronym. appellat. Grammatici ab adfectu vocant. Cicero in Arateo carmine:

Vt quondam Orion manibus violaſſe Dianam.

Id eſt, violare appetiiſſe. Vergilius:

Galli per dumos aderant, arcemque tenebant.

Id eſt, adſectabant tenere. Qua figura & adulterum, & furem, & aleatorem dicemus, qui horum criminum adſectatores fuerint.

Aſſumpto actu. ¶ Id eſt, ab actu quem facere cœperit, & per eum non ſtetit quò minus faceret, vt Oldradus ait.

Brechævs.

FVGITIVVS. ¶ Propriè non dicitur ſeruus fugitiuus, qui fugam tantùm cogitauit, atque idipſum facere ſe velle iactauerit: ſed qui re ipſa à domino ſuo aufugerit, & qui huiuſmodi ſeruum vendiderit, ædilitij edicti pœna teneri non debet. Tum enim vitium animi dicendum erit, quando effectu aliquo patere cœperit. Quis autem fugitiuus dicatur, ampliſſime tradit Vlp. *in l. quis ſit. ff. de æd. ed.*

FORNERIVS.

FVGITIVVS. ¶ Tria vitia ſeruilia notauit Saluianus Maſſilienſis epiſcopus *lib. 4. de prouident. Dei*, Furtum, Mendacium, Fugam: quorum nomine iure ciuili, niſi vænalitiario dicerentur, redhibitio concedatur. Cic. *lib. 3. offic.* Sed ædiles de corporis non animi vitiis edixerunt. Verùm de aleatore, de mendace, vinario, impulſore, guloſo, tabularum & ludorum ſtudioſo ſpectatore, ſimilibuſque animi potiùs, quàm corporis vitiis aliquando dubitatum. *l. 4. l. vlt. de ædil. edi.* Fuiſſe tamen ſingulare aliquod de ſeruis fugitiuis caput, non ſolùm ab Vlp. colligitur, *l. 17. quid ſit. eo. tit.* ſed & Donato, qui Terentianæ Heautont. *act. 4. ſcen. 6.* inde hunc verſum laudat,

Si quis fugitiuus erróve ſit, noxáve ſolutus non ſit.

Quò hæc Triphonini definitio videtur eſſe referenda: Fugitiuum non videri eum, qui fugæ conſilium ſuſceperit, vel iactauerit, niſi reuera aufugerit à domino. Vtrumque concurrere neceſſe eſt, ipſius fugæ factum, & fieri perpetuò deſerendi animum. *d. l. 17. quid ſit. l. 43. bouem. §. qui ad amicum. §. §. ſeqq. eo. tit.* Verba namque non debent eſſe inania, ſed aſſumpto actu accipienda, vt pondus habeant, & aliquid efficiant. *l. 109. ſi quando. de leg. 1. l. 8. in honoribus. §. philoſophis. de vac. & excuſat. mun.* veluti *ſtatuerit. l. 1. quod quiſq. iur. exemerit. l. pen. ne quis eum, qui in ius voc. inuenire* latronem, id eſt exhibere & ad magiſtratum tranſmittere. *l. 13. ſi Barſatoram. C. de fideiuſ.* *Fugere.* hic. *furari.* hic. Nec enim verbo, ſcriptura, cogitatione, inficiatione ſola, citra rei contrectationem, furtum admittitur. *l. 1. §. ſola. l. 52. ſi quis vxori. l. 67. inficiando. ff. de furt.* Vnde in formula actionis furti, hæc verba, *ope, conſilio,* ideò pro disiunctis, magis quàm coniunctis accipi placuit, quòd nemo videatur ope feciſſe, niſi & conſilium malignum habuerit, nec niſi ſecuto facto, furandi conſilium habuiſſe. *l. 53. ſupe. ff. h. t. l. 50. in furtis. §. ope. ff. de furt.* *Quis dicere poſſet.* ¶ Vt Sabinus, apud A. Gel. *c. vlt. lib. 11.* [Sed meminiſſe debemus, inquit, furtum ſine vlla attrectatione fieri poſſe, ſola mente atque animo, vt furtum fiat, annitente. Quocirca ne id quidem Sabinus dubitare ſe ait, quin dominus ſit furti condemnandus, qui ſeruo ſuo, vti furtum faceret, imperauit.] Sed obiter illinc mendum eluatur, *ex verſ. Nam furem qui manifeſtò.* Rectiùs ex proxima diſtinctione, *ſeruum.* *verſ. inſequenti. Ex cæteris autem manifeſtis furibus, liberos verberare.* In illis quoque Sabini verbis, *Qui alienum iacens.* reponendum *tacens.* *ex l. 43. falſus. §. qui iacens. de furt.* Plat. *lib. 11. legum:* Quæ poſueris, ne tollas. Verum vt ad rem redeam, Sabini ſententia, vt à cauillo vindicetur, ſic accipienda eſt, ſi conſilium & opem, furtum tandem conſequatur, *l. 50. furti. §. ope. ff. de furt. §. & hoc veteres. §. ope. de obl. quæ ex del.* Alioqui abſurdè diceretur, furtum ſola contrahi voluntate: cum, vt ſubiicit Triphoninus, crimina hæc eadem aſſumpto actu intelligi oporteat, neque inciuiliter debemus diſcrepantem alioqui huius verſiculi ſententiam a totius diſputationis ſerie, quam ſtrictim extulerunt Græci diuellere, κλέπτην καὶ φυγάδα, καὶ ῥέμβον, καὶ μοιχὸν, καὶ κατ᾽ ἐπιτήδευσιν ἀπὸ τῆς προθέσεως αὐτῶν, ἀλλ᾽ ἀπὸ τῆς πράξεως λέγομεν. Cogitationis pœnam nemo patitur: facta ſola cenſenda ſunt, atque in iudicium vocanda: ſed voluntates nudæ, inanéſque, neque legibus, neque pœnis fiunt obnoxiæ. Aul. Gel. *lib. 7. c. 3. l. 18. cogitationis. de pæn.* Et hoc eſt, quod Caius, ex maleficio naſci obligationes ait, veluti ex furto, ex damno, ex rapina, ex iniuria: eáſque re tantùm, id eſt, ipſo maleficio conſiſtere. *l. 4. de ob. & act.* Theophilus, *de obl. quæ ex del.* ἄρχεται τὸ δ᾽ ἔλαττον, ὁ [illegible] *l. 20. cum ex. l. 53 ſi quis vxori. §. neque. de furt.* Præclarè M. Cato *in orat. pro Rhodienſ. ad Senatum*, delictorum non perpetratorum voluntates non cenſuit puniendas. [Ecquis eſt tandem noſtrorum, qui quòd ad ſeſe attineat, æquum cenſeat, quenquam pœnas dare ob eam rem, quòd arguatur malè facere voluiſſe? Nemo, opinor. Nam ego, quòd ad me attinet, nolim. Quid nunc, ecquæ tandem lex eſt tam acerba, quæ dicat, * Si quis illud facere voluerit, mille nummis dimidium familiæ multa eſto. Si quis plus quingenta iugera habere voluerit, tanta pœna eſto. Si quis maiorem pecudum numerum habere voluerit, tantum damni eſto. ¶ Atqui nos omnes plura habere volumus, & id nobis impune eſt.] Hæc ille. *d. c. 3.* Sed hoc ita accipiendum eſt: ſi nuda delinquendi voluntas, cogitationis finibus contenta, nullum facinoris argumentum ediderit, nullum conatus initium aperuerit. Solus enim Deus humanæ mentis interpres intimos conſiliorum receſſus, animique ſenſus explorat: quæque aliis obſcuriores ſunt latebræ, oculis Dei patent omnia. Homer. Ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα. & hoc innuitur, quòd iactatio fugiendi, ipſi fugæ facto opponitur. *Vsuum mentis deſeruerit.* ¶ Rectiùs, vti Florentiæ, *initium mentis deduxerit.* Id eſt, aggreſſus fuerit, pararit fugam. Initium eſt medium quiddam atque interiectum, inter nudam voluntatem, ac rei ipſius conſumptionem conatus ſcilicet, inſtitutum, paratum iámque aliquo patefactum ſigno, delinquendi conſilium, *entrepriſe*, quod incœptionem quoque, ſeu incœptium Latini vocauerunt. Terent. *Andr.* *Incœptio amentium, haud amantium.* M. Tul. *in Catilinam.* *Cuius ego non modo factum ſed incœptum vllum, conatúmue in patriam deprehendero.* Suet. Tranquil. *in Auguſto, Rerum nouarum initia, coniurationéſque complures, priuſquam inualeſcerent, indicio detectas compreſſit.* Theod. Balſamon *in can. 4. Neocæſariane ſynodi.* Quatuor peccatorum gradus tradit, Obiectum, ſeu primum motum, luctationem, aſſenſionem, & actum. Priora duo extra noxam, poſteriora punienda. Sed aliter Theologi, aliter leges reos agunt: illi delictis occurrunt, hi admiſſa plectunt. Solam in adulteriis Sylla vltus eſt voluntatem. Quinctil. *declam. 348.* Sed obtinuit, vt in atrocioribus delictis conatus ſolus, etiam re non ſecuta, puniretur. Conatus, inquam, deprehenſus, foráſque ſuo indicio proditus: vt cum telo hominis occidendi cauſa ambulare, hominem & vulnerare. *l. 1. §. diuus. ad leg. Corn. de ſic.* Veſtalem, aut Deo dicatam virginem corrumpendi cauſa attentare. Maioriani nouel. *de ſanctimonial. lib. l. 5. C. de epi. & cle. l. 2. C. Th. lib. 9. tit. 25.* Quæ vna ex Iouiani Imp. legibus hodie ſupereſt, cuius argumentum, à Sozomeno *lib. 6. c. 3.* Hiſt. tripart. *lib. 7. c. 4.* repetatur. Tentare igitur crimen eſt, & magiſtratus ad nuptias inuitos compellens, & ſi non ſequantur, punitur. *l. vn. C. ſi quac. præd. pot.* Ambientis conatus pro flagitio ipſo ac ſcelere habetur. Arcad. & Hon. [Neque aliud

inter

inter cœptum ambitum atque perfectum eſſe arbitreretur:cum pari forte leges ſcelus,quàm ſceleris puniant voluntatem.] *l.2.ad leg.Iul. de amb. C.Th.* Quod pro ſubiecti argumenti conditione accipiendum eſt.vt & illud L.Apuleij *lib.4.Florid.*[Omnibus bonis in rebus conatus in laude,effectus in caſu eſt: ita vt in maleficiis etiam cogitata ſcelera, non adhuc perfecta iudicentur: cruenta mente, pura manu.] Max.Tyrius,*ſerm.2.*Senec.*de tranquil.lib.2.c.7.*Quorſum & illud eorundem principum ad perduelles terrendos verbum referendum, [cogitauerit: Eadem enim ſeueritate voluntatem ſceleris, qua effectum, puniri iura voluerint.] *l.5. C.ad legem Iuliam maieſt.* voluntatem enim, & cogitationem conatum (ea veſtibulo eiuſdem conſtitutionis) interpretor,[Sceleſtam inierit factionem,aut factionis ipſius ſuſceperit ſacramentum,vel dederit.]Cic.*lib.3.offic.*[In ipſa deliberatione facinus ineſt, etiamſi ad id non peruenerit.] Quod qui de nuda ſceleris cogitatione exaudiret,ius ciuile calumniaretur.*lib.2.Feud.tit.51.*Qui laborauit,ſi non eſt inſidiatus,non priuatur feudo.Qui nummum adulterinum percuſſerit,ſi id totum efformare noluerit,ſuffragio iuſtæ pœnitentiæ abſoluitur.*l.19.qui falſam.* ꝟ.*ad leg.Corn.de fal.*Quia ante impreſſam principis imaginem,non eſt nummus, In quo tria,materia, pondus character requiruntur.*l.1.de vet.num.pot.C.lib.10.Gloſſ.Baſilic.lib.60.tit.41.*In delictis animus pariter,& exitus attenduntur.*d.§.diuus.l.antep.ꝟ.qui cum telo.C.ad leg.Corn.de ſic.*Vnde abeſt animus iniuriæ faciendæ,iniuria non eſt.Quinctil.*lib.7.c.4.l.3.de iniur.*Sicuti nec fraus debitoris argui poteſt, ſi vel conſilium defuerit,vel exitus.*l.15.ſi quis cum.de iis quæ in fraud.cred.l.79.fraudis.*ꝟ.*tit.ſeq.*At vbi ſemel ſcelus,quamuis non adeò atrox perpetratum eſt.pœnitentia non abſoluitur reus. *l.65.qui ea.*ꝟ.*de furt.l.pen.vi bon.rapt.*In grauioribus etiam tentaſſe ſuffecerit.Quamuis Plat.*ſub fin.lib.9.de legib.*ei, qui hominem interfecturus vulneraſſet,nec occidiſſet,ignoſcendum exiſtimet:quia vtrique Dæmon huic ne vim,faceret,illi, ne pateretur, conſuluiſſe videatur. Sed rectiùs noſtri tam ſcelerato conatui occurrendum pœnarum metu cenſuerunt.M.Cic.*pro Milone*,[Non exitus rerum ſolùm,ſed & hominum conſilia legibus vindicantur.Minùs quidem dolendum eſt,re non perfecta,ſed puniendum certè nihilominus.]Vt ecce,qui ſponſas alienas à ſponſis auertunt, quique matrimonia dirimi curant,id eſt,vt ait Hermogenis ſcholiaſtes *pag.357.εἰς γάμων ἀλλοτρίων ἐπιβουλοί*:Paulus.[Sollicitatores alienarum nuptiarum,itémque matrimoniorum interpellatores,& ſi effectu ſceleris potiri non poſſunt,propter voluntatem perniciosę libidinis,extra ordinem puniuntur.]*l.1.de extraord.crim.*Et is qui operas ſuas, vt cum beſtiis depugnaret,locauerit,tanquam infamis, ſiue depugnauerit,ſiue non,à poſtulando remouetur.*l.1.de poſtuland.*Nec ſimilis ei videri debet,qui operas ſuas locauit,vt prodiret artis ludicræ cauſa,neque prodiit.Neque enim hic notatur:quia non eſt ea res adeò turpis,vt etiam conſilium puniri debeat.*l.3.de iis qui not.inf.*Quinctil.de eo,qui ſe prętori in hortis oſtenderat,nec erat productus, an ſedere debeat in xiiij.ordinibus,vnde infames lege Roſcia theatrali remouentur,diſputat,*libr.3.c.6.*Illius verò qui accepta ſtipe,cum beſtiis periculose decernit in arena,crudelitas odioſior eſt:Deſperatæ homo ſalutis,nihil non in alios qui in ſe tantum audebit,auſurus eſt.*arg.l.excipiuntur.de ad.edict.l.vlt. de bon.eor.qui.* Cruenta gladiatorum, & arenariorum ſpectacula poſteriores iuris conditores, & ſancti viri deteſtantur. *Nouel.22.l.vn.de glad.lib.10.C.*Tertul. & Cypr.de Spectaculis.Donatus *in Terentium.*Photius *tit.13.Nomo can.tit.21.in fi.*

CCXXVI. Pavlvs lib. j. Manualium.

Magna negligentia culpa eſt:magna culpa dolus eſt.

Alciatvs.

Magna nagligantia. ¶ Negligentia ſimplex eſt,quam culpam leuiſſimam vulgò vocant.Culpa verò cùm ſimpliciter in lege ponitur,pro ea accipitur,quæ leuis eſt:id.n.inter leuiſſimam,& latam medium eſt,& hoc niſi ſubiecta materia repugnet. Idem in teſtibus,qui ſi culpam interueniſſe in contractu profiteantur,propter incertitudinem non probant. *Alex.in l.ſi mora.ſol.ma.*debuerunt enim declarare expreſſiùs,an de leuiſſima,leui,vel lata intelligerent:& hoc Cornæo viſum eſt *in conſ.8.in 1.* Magna verò, vel lata culpa, dolus eſt,intellige, præſumptus.Nam vero dolo lata culpa ſolùm proxima eſt. Appellatur & quandoque in iure hæc culpa latior, ea ratione, qua comparatiuum pro poſitiuo ſcribimus,*l.quod Nerua.dep.*vt apud Vergil.

Triſtior & lachrymis oculos ſuffuſa nitentes.

Cùm igitur lata culpa dolus ſit, conſequens eſt, vt quælibet diſpoſitio, qua dolum malum duntaxat præſtari tradatur, etiam de lata culpa intelligatur. *l.contractus.* ꝟ.*tit.1.* Quod ego verum eſſe arbitror, prætetquam in lege Corn. de ſicariis.*l.in lege Cornelia.* ꝟ. *ad leg.Corn.de ſic.* qui enim ex lata culpa eo crimine deliquerit,non illius legis pœna,ſed leuius punietur.Quo exemplo reſponſum eſt,cùm ex ſtatuto pœna mortis homicidæ irrogatur.*Card.c.lator.de hom.*niſi quis ſe defendendo occiderit,nihilominùs eum quoque non contineri, qui lata culpa, non autem dolo deliquerat: idque receptiſſimum eſt. Addunt alij idem eſſe generaliter, vbi agitur de pœna etiam pecuniaria, & lex mentionem expreſſam doli facit:tunc enim non ſufficere latam culpam.*l.2.§.ſed & ſi.*ꝟ. *vi bon.rapt.*Quapropter vt iuramentum in litem deferatur aduerſus eum, qui in culpa lata ſolùm eſt,obtineri nequit. *l.in actionib. de in lit.iur.*Idem in eo dicendum,qui ſententia iudicis infamia notatur. *§.ſuſpectus. Inſt.de ſuſpe.* hoc enim in ſolius doli vltionem conceſſum fuit. Sed & qui in lata culpa eſt,verè malæ fidei non eſt. *l.ſed & ſi.§.ſcire.de pet.her.* at qui in dolo eſt, ipſe eſt malæ fidei. Quapropter & in integrum reſtitutio hoc caſu non conceditur. *l. vbi. de edend.* quam tamen & maxime negligentes ſolent impetrare. ¶ Sanè quemadmodum in contractibus culpa præſtanta ſit, longa eſt diſputatio, quæ tamen paucis finiri ſic poteſt,vt diſtinguamus,aut vtriuſque cauſa ineantur contractus,an dantis tantùm,an accipientis.

In priore caſu non ſolùm lata, ſed & leuis culpa præſtanda eſt: quod in venditione,pignore,dote,

emphy

emphyteuſi,locatione,ſocietate dicendum eſt. *d.l.contractus*.niſi res locata friabilis ſit,& quæ facilimè frangitur.*l.ſi merces.§.qui columnam.loc.*tunc enim & leuiſſima culpa præſtabitur.

¶ Sed ſi & quis ſocium negligentiorem adſumpſerit, ſibi imputet. non enim quicquam præſtabit, dum in ſuis rebus diligentior non ſit.*§.fi.Inſt.pro ſoc.*Sequentis ſpeciei contractus ſolum dolum & latam culpam recipiunt. *d.l.contractus.* Quapropter qui diſpoſitum accepit, leuis culpæ non damnabitur:cùm enim ſua gratia initus non ſit,ſed aliena,æquum viſum eſt vt ſolum dolum,ſeu latam culpam præſtaret.Qua ratione ſi contra naturam commodati, *l.ſi vt certo.§.interdum.commod.*gratia commodantis ſolius contrahatur,leuis culpa non oberit. ¶ Non tamen hæc perpetua ſunt.nam in mandato etiam leuis culpa quandoque præſtabitur,*d.l.contractus.* vt cùm res de qua mandatum eſt mediocrem diligentiam requirit,præſtabitur & leuiſſima, cùm natura negotij exactiſſimam induſtriam poſtulat, vt in procuratore ad lites.*l à procur.C.mand.*& præfecto Liburnicarum:qui enim huiuſmodi mandatum ſuſcipit,ſe actui mandato idoneum penitus profiteri videtur: & ita Alex.reſpondit *in conſ.41.in 3.* Negotiorum quoque geſtor, leuis culpæ nomine conuenietur: cùm enim ſe ſpontè offerat,mediocrem diligentiam præſtare debet. *l.tutors.C.de neg.geſt.* In tutelæ quoque contractu, quo minoribus magis ſuccurſum eſſet,leuis culpæ nomine agi poſſe placuit, niſi in exactione nominum ceſſatum eſſet. *l.2.C.arb.tut.* vel in prædiorum emptione captio fuerit, tunc enim ſolùm lata culpa geſtum reſarciet.*l.tutor per.§.2.de adm.tut.* Sed & tutorum heredes ex lata culpa ſolùm conuenientur.*l.1.C.de here.tut.* In vltimo caſu receptum eſt, etiam leuiſſimæ culpæ rationem reddendam , vnde commodatarius ſic condemnabitur:cùm enim ob eius gratiam contractus initus ſit,debuit diligẽtiſſimus eſſe, *§.item is.Inſt.quib.mod.re.*ne beneficium commodanti damnoſum fiat.Quod & in contraria actione depoſiti & mandati eadem ratione receptum eſt. *l.ſi ſeruus. §.inſtiſſ. de furt.* In precario tamen, ſolùm latæ periculum ſubeundum eſt:ſibi enim imputet dominus,qui ſtatim precarium non reuocet, *l.quæſitum. §.illud.de prec.* ſi accipientis diligentiam ſuſpectam habeat. nam poſtquam reuocauerit,ſi mora facta fuerit,de leuiſſima quoque iudicium reddetur.*d.§.ex hoc.§.ſeruitus.*

BRECHÆVS.

MAGNA. ¶ Paulus hîc magnam negligentiam vocauit,quam alioqui latam culpam dicimus: quæ quidem committitur , quando in rerum alienarum cura non tam diligentes & ſoliciti ſumus, quàm in noſtris tractandis eſſe ſolemus. Vnde ſi negligentia noſtra alicui damnum datum eſt.& quidem poteramus damnum illud anteuertere,& immineneti occurrere prudentes,tenemur ea negligentia,vt quæ dolo fraudíque coniuncta ſit. Quare ea ipſa negligentia,quæ magna eſſe dicitur,culpa annumerari debet,quæ dolo adſcribitur. At cùm neſcientes, imprudentes & incauti peccamus,tum leuis culpa dici ſolet,quoniam à delicto & ſcelere ſit remotior. Solum quippe dolum ſanciri ac puniri oportet:non enim abſque dolo peccatum dicitur. Vide in hanc rem Fran.Conuan.*lib.7.c.de depoſito.*Et Vld.Zaſ.*intel.ſing.in l.quod Nerua.ff.dep.*

FORNERIVS.

MAGNA. ¶ Varij ſunt culpæ gradus,& effecta varia. *l.5.commod.l.antep.dep.l.23.contractus.ℑ.ſtul. ſeq.*Lata culpa,diſſolutáque negligentia : id quod omnes intelligunt,negligere,vltróque earum rerum, quæ ab omnibus curari ſolent, curam abiicere. *l.213.cedere.§.lata.ℑ.h.t.* Quam placuit in doli crimen cadere.*l.1.de obl.& act.*dolo malo comparari. *l.1.ſi men.fal.mod.dix.l.1.ſi is qui teſtam.lib. l.pen.de cuſt.& exh.reor.*Donatus *in Adolph.act.3.ſcen.3.* Sedulò,interpretatur,ſine dolo,id eſt inſtanter : quia negligentes,inquit,doloſi dicuntur. Quare hîc meritò,magnam negligentiam,definit Paulus,culpam:magnam verò culpam,dolum. Et quamuis in lege Cornelia de ſicariis,in quos non pecuniaria, ſed capitalis pœna irrogatur, non placeat latam culpam pro dolo accipi. *l.7.in lege.ℑ.ad legem Corn.de ſic.* Tamen quoties ad exemplum pernicioſum res ſpectare videtur,lata culpa,vt commentarienſis *geaulier*,cuius nimia ſocordia reus carcere effugerit,punietur. *l.pen.C.de cuſt.reor. l.antep.ℑ.de cuſt.& exh.reor.* Vt pigmentarius *droguiste*, qui temere cui cicutam, aconitum,cantharidas dederit, pœna legis Corneliæ tenetur. *l.3.§.alio.ad leg.Corn.de ſic.* Sicut & qui abortionis,aut amatorium poculum dat. *l.38.ſi quis aliquid.§. abortionis.de pœn.* In tribus ſuperioribus (neque enim nunc vim lubet exemplorum cogere) ideò culpa ſine dolo punitur,quòd ad exemplum pertineant.Neque enim cuſtodis cui publica fide creditur, ſecuritate reos elabi, neque prætexto curandæ valetudinis,imperitia eius qui artem profitetur, in diſcrimen vocari oportet. Cúmque nonnulla doli coniectura ſubſit, non iniuria Accurſiani *Dolum præſumptum* (quam Græci μεγάλην ἀμέλειαν) nominarunt.*can.92.ſextæ ſynod. in Trullo.*

CCXXVII. IDEM lib. ij. Manualium.

EX illa parte edicti[tum quem ei heredem eſſe oportet]heredis heredibus bonorum poſſeſſio non defertur. Item in ſubſtitutione his verbis, [Quiſquis mihi heres erit,]proximus heres tantùm ſignificatur.immò non tantùm proximus heres,ſed etiam ſcriptus.

ALCIATVS.

EX ILLA. ¶ Verba edicti vnde legitimi à prætore vocantur,*1.vnde leg.*ſunt, [Eum quem ei heredem eſſe oportet,ſi inteſtatus mortuus eſſet,bonorum poſſeſſorem faciam.] Quib.verbis is agnaros

tus cui iure ciuili hereditas delata eſſet, ad bonorum poſſeſſionem à prætore admittitur. Vnde cum eius agnati heres, aut non æquè proximo, aut nullo penitus gradu eum, qui inteſtatus mortuus eſt contingat, meritò à bonorum poſſeſſione reiicitur, ſicut & ab hereditate repelleretur. Sicque verbum illud, heredis, in edicto prætoris ad proximum tantùm refertur. In caſibus tamen, in quibus ius agnoſcendę bonorum poſ. ad heredem tranſmittitur, videretur heredem quoque heredis contineri. *l. emancipata. C. qui adm.* vt cùm intra terminum deliberandi legitimus heres moritur. *l. cum antiquioribus. C. de iure delib.* niſi tunc eum hoc edicto non vocari, ſed aliarum conſtitutionum extenſione diceris, quod magis probo. Alius eſt etiam caſus, quo proximus tantùm heres intelligitur, in illa videlicet ſubſtitutione, Quiſquis mihi heres erit, Titio filio meo, ſi pupillus moriatur, heres eſto. Cuius rei illa eſt ratio quòd ſubſtitutionis pupillaris ſpes ad heredem non tranſmittitur. *l. ſed ſi plures. de vulg.* quapropter ſi iusi accreſcendi coniuncta ſit, aliud eſſet: cùm enim ius accreſcendi non perſonam, ſed rem reſpiciat, heredi quoque heredis portio accreſcit. *l. ſi ex pluribus. de ſuis & leg.* Et ideo in propoſita ſubſtitutionis ſpecie, ſi pupilli coheredem adiiſſe proponatur, deinde pupillum mortuum, eius quoque hereditas illi neceſſariò accreſcet. *l. qui partis. de acq. her.* quod procedit etiam ſi ante pupillum coheres iſte deceſſerit: qui enim ei ſuccedit, pupillo quoque ſuccedet, ne diuerſum ius inter ipſum & eius auctorem inducatur. abſurdum quippe eſſet, primum heredem potuiſſe cogi, eius verò ſucceſſorem non poſſe, & melioris fieri conditionis, idque in pupilli damnum, cuius intereſt ex teſtamento, quod ei facit pater, adiri hereditatem. *l. ſi pupillus. de acqui.* Vnde cùm de fauore eius agatur, hereditas eadem cum paterna cenſetur. *l. Papinianus. § ſed nec impuberis. de inoff. teſt.* & altera alteri accreſcit, tametſi vere duæ hereditates ſint. Quod autem ſubiicitur, hac ſubſtitutione ſcriptum heredem ſolùm comprehendi, hoc ſignificat, vt nec per filiumfamiliàs pater, nec per ſeruum dominus admittatur, non enim illis adfectus fuiſſe teſtator videtur, ſed eis ſolùm quos nominatim ſcripſerat, cum domini vel patris ſpes in huiuſmodi acquiſitione incerta ſit. Quid enim ſi ante quæſitam hereditatem filius vel ſeruus de manu exeat? *l. cùm proponas. de her. inſt.* Quid ſi nullis precibus compelli poſſint, vt adeant? Sed hoc latius ſ. à nobis tractatum eſt *in l. ſciendum. ſ. eod.*

Fornerivs.

EX ILLA. ¶ Exceptio regulæ, qua traditur, heredis nomine omnes in infinitum ſucceſſores contineri. *l. 65. heredis. l. 170. heredis. ſ. h. t.* vt in duobus exemplis hic propoſitis, edicto prætoris, vnde legitimi, ac ſubſtitutione, non obtinent: in quibus ea appellatio, ad primi gradus heredem contrahatur, Ac de ſubſtitutionis quidem pupillaris formula [Quiſquis mihi heres erit, idem impuberi filio meo heres eſto,] & aliquot aliis non diſſimilibus, diſſerui. *l. 70. ſecundum. ſ. h. t.* Illo verò edicti verſu, quo prætor legitimis heredibus bonorum poſſeſſionem pollicetur, non heredis heres, ſed proximus tantum continetur. [eum quem ei eſſe oportet] Mendum in omnibus exemplaribus inſidens, ope Florentinæ editionis abigendum? [tum quem.] Theophilus inſtitutionum paraphraſtes, videtur iam eum in deprauatos codices, in quibus [tanquam ex familia] legerit, incidiſſe: cum verteret, οἰκεῖοι ἐξ ὑπαρχῆς. *§. Quinto. § cùmque antea. de bon. poſ.* pro [tum quem ex familia.] Verba ſunt Præt. edicti, quod vetus ac tranſlatitium, M. Cic. *ij. in C. Verrem* actione appellat. [Poſteaquam ius prætorium conſtitutum eſt, inquit, ſemper hoc iure vſi ſumus: ¶ Tum vti proximum quemque potiſſimum heredem eſſe oporteret, ſi is inteſtato mortuus eſſet, ita ſecundum eum poſſeſſio daretur.] Cuius quædam adhuc veſtigia ſuperſunt, Vlp. [Cum ex lege xij. Tab. quis habet hereditatem, hinc non petit, ſed inde: ¶ tum quem ei heredem eſſe oportet.] Vbi vulgò perperam, [tantum.] *l. vn. vt ex legib. Senat. ve conſultis bon. poſ. detur.* Iulianus hæc edicti verba. [tum quem ei heredem eſſe oportet, ſi inteſtatus mortuus eſſet] ἀδιαθέτως, & cum quodam temporis ſpatio accipienda, nec ad mortis teſtatoris tempus referenda admonet: ſed ad id, quo bonorum poſſeſſio peteretur. Ideoque legitimum heredem, ſi capite deminutus eſſet, ab hac bonorum poſſeſſione ſummoueri. *l. 1. de leg. her.*

CCXXVIII. Idem lib. ſingulari de Cognitionibus.

MVNICIPES intelligendi ſunt, & qui in eodem municipio nati ſunt.

Alciatvs.

MVNICIPES. ¶ Vrbium quæ Romano imperio ſubiiciebantur, varia fuit conditio: vt enim ſtipendiarias & fœderatas omittamus, earum quæ ius ciuitatis Romanæ habebant, aliæ coloniæ, aliæ municipia dicebantur. Coloniæ erant, in quas ciues Rom. habitatum deducti erant, agérque eis aſſignatus: ſolebant autem deduci veterani, & pro diutinorum laborum mercede, vnde ſenectutem tolerarent, iugera bina accipiebant. Cauſa deductionis erat, vel in frequentia vrbium, vel pœna, qua veteres coloni malè de Republica meriti, mulctabantur. Hæ Coloniæ tanquam quædam vrbis Romanæ effigies, paruáque ſimulachra erant: metropolis enim ſuæ legibus neceſſitatibúſque adſtringebantur, & ideo magis obnoxiæ, quàm municipia, licet propter auctoritatem amplitudinémque pop. Rom. maiore in honore eſſent: vnde & in præmium ius Colonicum quibuſdam prouincialibus quandoque tributum fuit, vt Berytenſibus, & Æliopolitanis. *l. 1. de cenſ.* Municipes igitur aliquanto melioris erant conditionis, quòd videlicet ſuis legibus, ſuiſque moribus viuerent, & nihilominus ciues Rom. eſſent. honoréſque in vrbe Romana capeſſerent, & ſicut cæteri ſuffragiorum ius haberent, vnde & nomen ſumpſerunt, ab eo videlicet, quòd honorarij muneris capaces eſſent, licet onerum neceſſitatibus non adſtringerentur, vt *lib. 16.* Aul. Gel. diffuſius explicat, atque ita intelligenda ſunt Vlp. verba, dum propriè municipes appellari tradit, *l. 1. ad munic.* qui in ciuit. Rom. adſcripti ſunt, vt munera

neta nobiſcum faciant. Sed nunc abuſiuè municipes dicuntur, ſuę cuiuſque ciuitatis ciues. Vnde Puteoli, & Capua, licet Coloniæ Romanorum eſſent, tamen *κατ᾽ἐξοχὴν* municipia nuncupabantur, & earum vrbium ciues ſe viciſſim communicipes appellant. Conciuem enim Latinam vocem non eſſe plerique arbitrantur, exemplo Græci ſermonis *συμπολίτης*. Fiunt autem municipes aut natiuitate, ſiue origine, vt quia ab eo municipio aliquis originem ducit. Idem ſi pater eius: paternam enim patriam ſequi filios legitimos receptum eſt. *l. adſumptio. ad munic.* Aut manumiſſione: quoniam liberti patroni ſui patriam acquirunt. *l. 1. C. de lat. lib. tol.* vnde manumiſſi hodie ciues Rom. fiunt. Aut adoptione, vt quia alienigena à patre Florentino adoptatus ſit, fiet enim municeps Florentinus. Quo exemplo receptum eſt, vt Monachus, vel Canonicus, vel Rector, eius vrbis municeps cenſeatur, in qua iure ſacerdotij neceſſariò reſidet. Quod & de milite fatendum eſt. *l. municeps. §. fi. eod. tit.* Illud non prætereundum, P. Mario, L. Aſiano conſulibus factum fuiſſe Senatuſconſultum, ne ſimulata adoptio in vlla parte publici muneris iuuaret: cenſerique ſimulatum, cùm beneficia ſortiti, ſtatim emittunt manu, quos adoptauere, vt Corn. Tacit. *lib. 15.* ſcribit. Allectione quoque creantur municipes, cùm Reſpublica aliquem eligit, *l. ciues. C. de incol.* & in ciuem adſumit. Quòd ſi actum ſit, vt qui allectus eſt, ab omnibus ſit muneribus immunis, non ideo tamen minus municeps eſt, niſi etiam ab honoribus excludatur: tunc enim abuſiuè municeps dicetur.

BRECHÆVS.

MVNICIPES. ¶ Qui dicantur municipes, & quæ municipia, ſatis Aul. Gel. *lib. 16. noct. Attic. c. 13.* explicat, & Alc. *in hunc locum.* & iterum *lib. 3. diſpunct. c. 5.*

FORNERIVS.

MVNICIPES. ¶ Quid ſit municipium, quidque à Colonia differat, quid item municipes, quæque ſit huius vocabuli ratio ac proprietas, & de Adriani in eam rem habita in ſenatu oratione, A. Gel. *lib. 16. c. 13.* Municipes autem natiuitate, adoptione, manumiſſione, allectione fieri traditur *l. 1. l. 6. aſſumptio. l. ſeq. l. 9. eius. l. 15. ordine fi. ll. ſeqq. l. 21. Lucius. l. ſeq. l. 27. eius tot. tit. ad mun. & de incol.* Qui ergo in eodem municipio nati ſunt, municipes ſunt, id eſt, *[illegible]*, liturgiis, & muneribus publicis obnoxij. *d. l. 1. l. 29. incola. eod. tit.* Imò verò, qui ex proximo vico ortus eſt, eam patriam intelligitur, ac municipium habere, cui reip. vicus ille reſpondet. *l. 30. qui ex vico. eod. tit.* Caſſiod. *lib. 5. epiſt. 9. arg. l. 9. inſula. ā. de iudic.*

CCXXIX. IDEM lib. ſingulari de Tacitis fideicommiſſis.

TRANSACTA finitáve intelligere debemus, non ſolùm quibus controuerſia fuit, ſed etiam quæ ſine controuerſia ſint poſſeſſa.

ALCIATVS.

TRANSACTA. ¶ Agit, qui in iudicio proſequitur id, quod ſibi debetur. Ab hoc verbo deducuntur exigere, peragere, tranſigere. Exigit qui quod iudicio proſecutus eſt recipit. Peragit qui obtinet: vnde peregiſſe reum dicitur, qui damnauit. Tranſigit, qui actionem ſibi competentem, *l. 1. de tranſ.* ſiue inſtitura, ſiue inſtituenda ſit, aliquo accepto cauſa concordiæ omittit. Hæcque tranſactionis vera & ſtricta eſt ſignificatio: generaliter tamen etiam accipitur pro quocunque actu, quo concordia inducatur, vel ab obligatione recedatur, *l. 1. de pact.* vel ad finem aliquid ducatur. Vnde tranſigere æſtatem Plinius dixit: ſic & tranſigere æuum, tranſigere diem dicimus. Igitur in Senatuſconſulto, quo tranſacta, finitaue rata maneant, *l. 1. in fi. ad Tert.* cautum eſt: tranſacta generaliter accipiemus, etiam quæ ſine controuerſia facta ſunt. Cur autem ſpecialiter potiùs vox hæc accipiatur, dubitari poteſt: an quòd particula, ve, ſubdiſiunctiuæ vim habet, & eodem ſenſu intelligendam oſtendit, quo & finita intelligitur? an quòd nulla eſt ratio, cur magis in ſpecie accipiatur? Nec enim ſolùm rata eſſe debent, quæ iuſta tranſactione ſopita ſunt, ſed & quæcunque alio modo finem habuerunt. Quapropter vulgò dicimus, *c. 1. de lit. cont. in 6.* litis finitæ exceptionem, ſi, ne vlterius procedatur, oppoſita fuerit, conteſtationem impedire. Sunt autem huiuſmodi exceptiones non hæ tantùm quæ hic enumeratæ ſunt, rei videlicet iudicatæ, vel tranſacta, vel vſu captæ, ſed etiam multę aliæ: vnde generaliter proditum eſt, quamcunque exceptionem peremptoriam, quæ euidenter & in continenti conſtare poſſit, non potuiſſe reum in ius vocari, litis conteſtationem impedire. *Bart. l. eleganter. §. ſi quis poſt. de cond. ind.* veluti, quoties conſtat actionem nullam actori competere, vt quia lex dicat, eius rei nomine actio nulla petitióne ſit. *l. mater. de inof. teſt.* Idem ſi agentis nihil interſit, vel in criminalibus accuſationibus ex exceptione obiecta factum impunibile reddatur. *l. ſi ſeruus. C. de his qui ad eccl.* idque protinus appareat. Nam recepti iuris eſt, nullam exceptionem, etiam rei iudicatæ, litis conteſtationem & cauſæ ſtatum impedire, niſi ſtatim probari poſſit, idque ſe facturum reus recipiat. Quæ enim altiorem indaginem requirunt, poſt iudicium acceptum reſeruantur. *Bar. l. nam poſtea. de iureiur.*

FORNERIVS.

TRANSACTA. ¶ Quinque ferè modis lites finiuntur, Tempore, *l. 11. properandum. C. de iudic.* Iureiurando, Confeſſione, Reiudicata *l. 1. l. 2. de iureiur. l. 1. l. 56. poſt rem. de re iud.* Denique tranſactione, *l. 6. cum mota. l. 13. interpoſitas. l. 16. cauſas. C. de tranſ.* Cuius ea vis eſt, vt actionem perimat, & litis ea de re, de qua tranſactum ſit, conteſtationem impediat: ideóque *διάλυσις* ab Harmenop. cæteriſque Græcis appellatur. Quamuis tranſactio decidendi diſſoluendique negotij gratia comparata ſit,

vt aliquo dato, promiſſo, vel retento à lite diſcedatur. *l.1.§.de tranſ. l.38.tranſactio.C. eod.tit.* Nec ferè niſi de iam inſtituta controuerſia tranſigi ſoleat. *l.23.eleganter.§.ſi poſt.l.65.in ſumma.de cond.ind.* ¶ Interdum tamen latiùs id nomen patere innuit Paulus, vt rectè etiam ea res, quæ nunquam in iudicium deducta ſit, nihilominus tranſacta dicatur. De qua ſcilicet controuerti poſſet, vt metu futuræ litis facta tranſactio valeat. *l.2.C.de tranſ.* Quæ alioqui (ſi nulla omninò lis impenderet, aut certè timeretur) quaſi ſublata tranſigendi cauſa, nullius momenti haberetur. *d.§.ſi poſt.arg.l.32.ſi cauſa.C.de tranſactio. arg.l.9. cum poſteà. C.de pact.* Semel autem tranſacta mutuóque partium conſenſu finita negotia non temerè reſcinduntur. *l.10.fratris.d.l.16.cauſas. C.de tranſ.* Ne ſi læſio quidem in quadruplum, vel ſpecies, vel inſtrumentum pôſt repertum obtenderetur. *l.78. Lucius.ſi. ad Sc.Treb. l.19.ſub prætextu.l.29. ſub prætextu.C.de tranſ.* Symmachus, [Aperta eſt, inquit, improbitas eorum, qui reducunt in quæſtionem pactionibus terminata, & per impatientiam quietis, finem iurgij ſecunda lite commutant.] Demoſthenes ſingulas præſcriptionum peremptoriarum ſpecies referens, in exceptione aduerſus Nauſimachum, huius quoque meminit, ac legis ἐαφῶς λέγοντος, ὅσων ἂν μὴ ᾖ δίκας: præcipuè verò, Καὶ ἐὰν ἄν ἀφῆ ἢ ἀπαλλάξῃ μὴ δικάζεσθαι. exemplis plena ſunt omnia *tit.C.de tranſ.tit.C.ſi aduer.tranſact.d.l. Lucius.ſi.* Præclarè enim cum eo agitur, qui à lite diſceſſit. *d.l.65.in ſumma.* Hinc illa exceptionis toties principum conſtitutionibus adſcripta clauſula. *l.vn.ſi.C.de contr.iud.Nouel.19.* lex in præteritum refertur, exceptis ſpeciebus, vel ſententia, vel tranſactione compoſitis. Ἐξαιρουμένων ἐκείνων τῶν ὑποθέσεων, ὅσας ἢ δικαστικὴ ψῆφος, ἢ διάλυσις ἐκοίνωσε. &c. *l.16.contractus.C.de ſid.inſtr.l.vn.C.de er.calc.* Et quamuis ea quæ ſub tyrannis geſta fuerint, ab imperatoribus infirmarentur. Ea tamen quæ vel ſententiis vel tranſactionibus dirimi placuit, reſcindi non placuit. [vt nullus ſub hac occaſione incipiat nolle, quod voluit.] *l.2.l.5.l.8.omnes.l.ſeq. l.pen.lib.15.tit.pen.C.Theod.* Ac ne longiùs in inueſtigandis exemplis excurramus, ſi quid in fraudem legum, per tacitam ſcripturæ fidem relictum incapaci proponatur: déque eo fortè tranſactum ſit, non retractabitur. argumento inſcriptionis huius capitis, [De tacitis fideicommiſſis.

CCXXX. Idem lib. ſingulari ad Sc. Orficianum.

VT ſunt iudicio terminata, tranſactione compoſita, longioris temporis ſilentio finita.

Alciatvs.

VT svnt. ¶ Enumerantur hîc tres exceptiones, quæ litis conteſtationem impediunt, ſi à reo ſint, oppoſitæ, quia litigare ſe velle neget, tanquam res minimè dubia ſit, quam finitam eſſe iam conſtet. Quòd ſi ſimpliciter ſe non debere aſſeras, litémque conteſtetur, tunc in vim peremtoriarum obiicerentur, cognoſcétque iudex, & diffinitiuè pronuntiabit. Sanè annotandus eſt loquendi modus, dum Iuriſconſultus finita intelligit, quæ longioris temporis ſilentio finita ſunt. quibus verbis per vſucapionem negotium finiri ait, non autem dominium acquiri. In quo articulo à noſtratibus Doctoribus diu diſputatum fuit, *in rub. de præſcr.* in hócque tandem deuentum, vt vſucapione directum dominium, præſcriptione vtile ſolùm acquiratur. Eſſe autem vſucapionem in rebus mobilibus, præſcriptionem in immobilibus. Quæ ſententia omnino mihi non placet: paſſim enim veteres vſucapionem appellant, etiam immobilium rerum. *l.3.ſi fur. in ſi. l.eum qui.de vſuc.* idque & Iuriſconſultorum verbis, & ex vij. Tab. lege, cæteriſque auctoribus, & M.Cic. præſertim *in Topic.* probari poteſt. Præſcriptionem verò aſſumere propriè videntur pro exceptione ipſa, quæ ex vſucapione deſcendit: & ideo rectè, iudicio meo, definiuerunt veteres, præſcriptionem eſſe exceptionem, quæ ex temporis lapſu ſubſtantiam capit, & actioni obiicitur. *16.q.3.in ſumma.* Licet Neoterici futilibus quibuſdam argumentis diſſentiant. Igitur per vſucapionem acquiri verum & directum dominium, ſiue mobiles ſint res, ſiue immobiles, ego arbitror. Et cùm dominium ſit iuris, non eſt dubium, poſſe auctoritate legis propriè & verè transferri. Nititúrque ea ratione lex, quòd qui vſucapi rem ſuam permittit, præſtare conſenſum tranſlationi videtur. *l.alienationis.§.eodem.* alioqui nec mobilium rerum vſucapio vnquam procederet, cùm inuito domino contrectatæ res, vitio reali, id eſt, furti afficerentur: quo caſu lex Atinia vſucapionem inhibet. Cùm ergo in huiuſmodi rerum vſucapione ceſſante odio furis interpretetur lex acceſſiſſe conſenſum, meritò dubitandum non eſt, directum dominium acquiri: in rebus autem immobilibus, cùm aduerſus ſcientem & negligentem vſu quis acquirit, eadem ratio ſuadet vt idem credamus. In ignorante magis dubitari poſſet: ſed tamen tum quoque propter auctoritatem legis verius eſt, directum transferri: licet ratione naturali perfecta, quandoque dicatur vtiliter aduerſus eum præſcribi, *l.1.in fin. de aq.plu.arc.* idque eius effectus eſt, quòd re huiuſmodi ad extranei manus delata poſſet naturalis dominus vendicatione vti, nec admitteretur poſſeſſor qui ab alio vſucaptum eſſe affirmaret: quid enim ad eum pertineret, de iure alterius diſceptare? Illud vulgò cognitum, qui cum mala fide vſuceperit, nullum dominij ius acquiſiuiſſe, *l.ſi quis empt.§.1.de præſcript.xxx.* ſed ſola exceptione defendi: cæterùm iure Pontific. nec vſucepiſſe intelligitur *c.ſi.de præſcr.*

Brechævs.

TRansacta. ¶ Hæc duo capita ſatis explicat Alciatus. Cæterùm vide Connan. *libro quinto Commentariorum iuris ciuilis, c. de tranſact.* quo loco multa ad hanc rem pertinentia eleganter tradit.

FORNERIVS.

VT SVNT. ¶ Res iudicata cum pro veritate habeatur. *l.25.ingenuum.de ſtat.hom.l.207.res iudicata.ff.tit.ſeq.* ſingulis controuerſiis ſingula iudicia ſufficiunt: nec res iudicata iterum repetenda eſt. cum pronuntiatione iudicis controuerſia finem acceperit. *l.1.l.56. poſt rem.de re iudic.* Adeò vt iniquæ etiam ſententiæ vel ambitioſæ ſtari oporteat. *l.66 ſerno.§.cum prætor.ad Se.Trebel.l.29.ſi fideiuſſor.§.in omnibus.ff.mand.l.ſi patronus.§.ſi quis.de bon.libert.* Nam ei, qui ſe iniquitate ſententiæ opprimi cauſabitur, patet appellationis remedium. *l.1.de appell. Nouel.* 82. Quo ſi vti nolit, aſſenſiſſe iudicato, ſicuti is qui appellat, diſſentire, videbitur. Symmachus *lib.1.epiſt.*32. Hinc eſt, quòd fruſtra aduerſus rem iudicatam reſcriptum principis obtenditur. *l.1.C.quand.prouoc.non eſt neceſſ. l.vlt.C.de error. aduoc.* Vtque aliquis tandem ſit litium modus, ac portus, rebus iudicatis ſtandum eſt. *l.1.C.de re iudi. l.1.C.vt lit.pend.* Caſſiodorus *lib.1.epiſt.5.* In immenſum, inquit, trahi non decet finita litigia. Quæ enim dabitur diſcordantibus pax, ſi nec legitimis ſententiis acquieſcant. Vnus enim inter procellas humanas portus inſtructus eſt, quem ſi homines ſeruida voluntate prætereunt: in vndoſis iurgiis ſemper hærebunt. Vnde naſcitur rei iudicatæ exceptio: Qua is qui obtinuit, conſequitur, ne actum agatur, id eſt, (Donato *in Terentianam Eunuch.* interprete) ne ſemel petitum, iterum petatur. Quod fit, quoties eadem res, eadem ex cauſa, & inter eaſdem perſonas, lite finita, iterum in iudicium reuocatur. *l.12.cum quæritur.ll.ſeqq.l.27.cum de hoc.de except.rei iud.* Scholiaſtes Ariſtophanis Veſpis, ἅπαξ κριθεῖσι ὑπὲρ τούτων, καὶ μὴ γένοιντο ὑπερβόλαιμον τοῦ πταίσασθαι ἐπὶ τῆς γνώμης καὶ τῆς ψηφισμάτων. ἀλλὰ τὸ ἅπαξ κριθὲν κύριον ἦν. Quamobrem vix ſemel definita iudicio negotia, ſi non ſit appellatum, retractantur. neque reſtitutionis beneficio, neque reſcripto principis. *d.l.13.in bona fide.l.vlt.C.de error aduoc. tit.C.ſi aduerſ.rem iud.* *Longioris temporis ſilentio.* ¶ Non abs re, hæc ferè tria, Iudicio, Tranſactione, Tempore finita, vtpote in quibus eadem verſetur ratio, coniunguntur. *l.2.C.de reb.alien.non alien.l.vn.fin.C.de contr.iud.* Paulus *lib.5.tit.5.ſentent.* Res olim iudicata, poſt longum ſilentium in iudicium deduci non poteſt. Nec eo nomine in dubium (alias, in duplum) reuocari. Symmachus Theodoſio Imper. *lib.10.epiſt.51.* In negotiis, inquit, tempore ac iudicatione finitis, ceſſare æquum eſt longæ orationis excurſum. Quod ſanè in ſcholio *cap.22.ſynopſ. Baſilic. lib.11.tit.* περὶ διαλύσεων aliquantò concinnius, τὰ κριθέντα παρὰ δικαστοῦ ἁρμοδίου, ἢ καλῇ πίστει διαλυθέντα, συναινέσει, ἢ σιωπῇ τῶν χρόνων, κύρια ἐστί. Quæ vel à iudice competente iudicata, vel bona fide tranſacta, vel conſenſu vel ſilentio temporis finita fuerint, rata habeantur. Quod ſumptum ex Sc. Orphitiani argumento (quia filius, quem matris agnati ſucceſſione ſubmouebant, hodie matri eſt heres) & huiuſce capitis inſcriptio docet. & huic conſentanea Vlpiani interpretatio, Quod ait ſenatus, inquit, [quæ iudicata, tranſacta, finitáve ſunt, rata maneant.] ita intelligendum eſt, vt iudicata accipere debeamus, ab eo, cui iudicandi ius fuit. Tranſacta ſcilicet bona fide, vt valeat tranſactio. Finita, vel conſenſu vel longo ſilentio ſopita. *l.1.fin. ff.ad Sc. Tertyl.& Orphit.* Singula verba ſuum pondus habent, & ſuam cautionem. Iudicatum ita demum accipitur, ſi à competente iudice ſententia feratur. *l.vlt. ff.de iuriſd.omn.iud.l.4.§.condemnatum.l.5.de re iudic.l.vn.de re iudic.C.Theod.l.6.ſi quis filio.§.quod ſi quis.de iniuſt.rupt.* Tranſactio autem non niſi bona fide facta, valebit. *l.10.fratris.l.19.ſub prætextu.C.de tranſact.* Finita denique conſenſu, vel longo ſilentio. Illud porrò, quod modò longum, modò ſimpliciter tempus vocant: quantum ſit, non tam certò ſemel in vniuerſum, quàm ex varia cuiuſque argumenti ratione definitur. Aliquando longum tempus decennium accipitur: vt apud Paulum *lib.5.tit.2.ſent.3. Nouell.*100. Εἰ δὲ μὴ τὴν δεκαετῆ χρόνον παραμείνει, τῇ σιωπῇ τοῦ ἀνδρός. Aperte longum tempus decennio definiit. ὁ γὰρ ἐξηγητὴς ἐπὶ μακρὸν οὕτω χρόνον (τὸν τῆς δεκαετίας φαμὲν) προσθεῖναι τὴν μέμψιν, εἰ τὸ σιγῆσαι ἔλοιτο. Paulo de conductoris diu non apparentis abſentia agenti, longum tempus, biennium eſt. *l.56. cum domini. ff.locat.* Iuſtinianus, biennium quo mulier viro impellente fideiubet, longius tempus vocat: intra quod ad ſeſe reuerſa, rem ipſam (τὴν ὑπόθεσιν) διετοῦς χρόνον τὸ εἶναι. *Nouell.61.l.22 ſi mulier.C.ad Sc.Velleian.* Diuturnitas autem temporis in præſcriptionibus decennio conſtat. *tit.C.de præſcr.10.vel 20.ann.* Qui diu in libertate fuit, a debitore fiſci in fraudem manumiſſus, non reuocatur in ſeruitutem: Diu, id eſt, non minùs decennio. *l.16. ſi cum.§. Ariſto.qui & à quib.manumiſſ.* Denique hic longo ſilentio finita, ex veteri iure, quod ante Sc. Orphitianum obtinebat, exiſtimo decennium ſignificari. Ita vt delatam ſibi maternam hereditatem (quam adeundo conſequi poterat) negligendo, ad agnatos matris tranſmiſſam, filius poſteà non vindicet. Neque enim ſemel excluſus, iudicata, tranſacta, finita retractabit. Quamuis hodie ex Diocl.& Maxim.conſtitutione, qui diu tacuerit, hereditati renuntiaſſe non videatur: nec longi temporis præſcriptione, quo minus eam rectè vincet, excludatur. *l.8.licet.C.de iur.delib.*

CCXXXI. IDEM lib. Singulari ad Senatuſc. Tertyllianum.

QVOD dicimus eum qui naſci ſperatur, pro ſuperſtite eſſe, tunc verum eſt, cum de ipſius iure quæritur. aliis autem non prodeſt, niſi natus.

ALCIATVS.

QVOD DICIMVS. ¶ Superiùs traditum fuit, eum qui in vtero eſt haberi pro nato: quæ regula hic declaratur, vt vera ſit, quoties de eius vtilitate quæritur: aliis enim non prodeſt, niſi natus ſit. Quapropter in illa conditione fideicommiſſi, ſi rex Parthorum ſine liberis ex ſe legitimè natis deceſſerit, talis reſpublica ſit heres: reſpondit Bald. *l.qui in vtero.de ſtat.ho.* qui in vtero tempore mortis fuerit, non eſſe impedimento, quo minus eueniſſe cōditio videatur: hic enim nō de vētris, ſed de heredis commodo agitur. Quòd ſi is heres qui grauatus eſt, ipſe poſthumi pater ſit, aliud mihi videretur

deretur: intereſt enim haud dubiè eius, qui in vtero eſt, vt pro nato habeatur, ſicque paternam hereditatem locupletiorem habeat, quod & Aret. *l. qui filiabus. de leg.* 1. licet alia ratione motus, probat. ¶ Cæterum ex hoc reſponſo tradunt plerique, ſi ei, qui lupum cœperit, aliquod præmium conſtitutum ſit, venatorem à quo lupa prægnans capta fuerit, non vltra vnicum præmium conſequi poſſe, etiam ſi deinde enixa plures lupulos ediderit: hoc enim caſu non de lupulorum, ſed de venatoris vtilitate agi. Quod vt verum arbitror, ita conſtanter negauerim, fictionem hanc in brutorum partu locum habere. ſolius enim hominis cauſa introducta eſt, nec æquitas vlla ſubeſt, vt in belluis eadem fingamus. Et quod diximus, in aliorum commodum non fingi, intelligendum eſt, vt nec patri quidem proſit. nam vt ius trium liberorum interim habeat, haudquaquam ſatis eſt duobus natis, alium in vtero adhuc eſſe, idque diuus Seuerus conſtituit. *l. 2. de exc. tut.* Quocirca nec matri quidem proderit, quæ licet prægnans puniri ſummo ſupplicio nequeat. *l. prægnantis. ꝟ. de pœn.* & ventris nomine in poſſeſſionem mittatur. *l. 1. ꝟ. ſi mul. ven. nomin.* non tamen hoc ideo eſt, quia iam peperiſſe fingatur, ſed quia qualiſcunque futura eſt ſpes in lucem prodituri hominis extinguenda non fuit. Subeſt autem ſpes illa à conceptionis die vſque ad decimum menſem, dicitúrque conceptus infans, poſt infuſum ſemen. ab eo enim tempore poſt decem dies dolores capitis, vertiginéſque oculorum mulieri oriuntur, indicium ſcilicet, vt Plinius inquit, inchoati hominis: motus verò in vtero quadrageſimo fit die: ſicque & omnibus antiquis, & etiam Iuriſconſultis conceptum accipi dubium non eſt, licet recentiores aliqui ſolùm quadrageſimo die conceptum infantem dici opinentur. *in auth. de reſtitut. & ea vnam.* tunc enim infundi illi animam, Sed Phyſicorum celeberrimi quadrageſimoquinto in maribus id fieri prodiderunt, longiore in fœminis termino. Empedocles, Diogenes, Herophilus, dum in vtero ſit, propriam animam non habere vllam exiſtimauerunt, ſed matris virtute agitari. Orthodoxi auctores animam formato iam in humanam effigiem ſemine, à Deo creari, infundique receperunt, quo autem tempore corpus ipſum formetur, in medium reliquerunt, quod & nos facturi ſumus, cùm id ad Iuriſconſ. minime pertineat, qui, vt diximus, conceptionem ab infuſo ſemine appellant, non à confirmatione quæ in vtero fiat, quandoquidem & inter ipſos Philoſophos hac de re minimè conuenit, variis Empedoclis, Aſclepiadæq; ſententiis, quarum *lib. de placitis philoſophorum* 5. Plutar. meminit.

BRECHÆVS.

QVOD DICIMVS. ¶ Hoc loco Paulus, ius, pro vtilitate vſurpauit. Quare cùm dicimus, eum qui in vtero eſt, pro iam nato haberi, tunc verum eſſe Paulus ipſe aſſeruit, ſi modò quæſtio eſt de eius iure, id eſt, de vtilitate. Vide quæ ſuprà in hanc rem diximus.

FORNERIVS.

QVOD DICIMVS. ¶ Veſtigiis inſcriptionis ad fontem ſententiæ huius cap. ducimur: quod ſumptum ex ſingulari Pauli libro ad Sc. Tertyllianum: latum Tertyllo & Sacerdote Coſſ. anno vrb. 666. tempore D. Pij, qui ex adoptione dictus eſt Adrianus, Zonaras *lib. 2. annal.* Quo matres (quibus lex XII. tabularum liberorum hereditates inuiderat) ſiue ingenuæ, ſiue libertinæ ius liberorum conſecutæ, ad filiorum ſucceſſionem admittuntur. Vlpian. *frag. tit. vlt.* ¶ Hinc quæſtiones ortæ, Quoties matrem peperiſſe oporteat? Num, ſi quid monſtroſum pepererit, ei proficiat? Si partus membrorum humanorum officia ampliauerit, Si ſeptimo menſe editus: Si abortus, vel abactus venter fuerit, & de iure trium, quatuórve liberorum. Paulus *lib. 4. ſent. tit. 9. & tit. de Sc. Tertyll. Inſtitut. tit. C. de iur. liber. C. Theod. lib. 5. tit. 1.* Denique tractatum an vulgaris iuris regula, qua qui in vtero ſunt, pro iam natis finguntur, hic obtineat. Et hoc demùm admitti, quoties de ipſorum vtilitate agitur. *l. 7. qui in vtero. l. pen. de ſtat. hom. l. 2. de excuſ. tut.* Quod ſuperiùs expoſui. *l. 153. intelligendus. l. 161. non eſt. ꝟ. h. tit.* Ideóque quamuis prægnantis matris pars viſcerum, nondum natus habeatur. *l. 1. de vent. inſpic.* Quia tamen nondum (antequam in lucem edatur) homo eſt, matri non proderit, vt ſi liberta tres, ingenua duos pepererit, quamuis prægnans, ius capiendæ hereditatis non habebit. *d. tit. 9.* Sanè Diocletianus & Maxim. matres liberis, quamuis in infantia morientibus ſuccedere poſſe conſtituerunt. *l. 1. C. ad Sc. Tertyll.* ¶ Atque hæc quidem noſtra eſt, non abhorrens ab huius capitis inſcriptione ſententia: Sed & quæ ſequitur, indidem ducta, non inepta fortè videatur. Cum à filiorum hereditate mater, non petiti tutoris præſcriptione excludatur: an ei imputetur, ſi vel filij fato præuenta non petierit: & cum impuberi non petiiſſet, amiſſo puberi ſuccedat, dubitari poſſit. *l. 2. §. confeſtim. ꝟ. ad Sc. Tertyll. l. 3. C. eo. tit.* meritò & illud tractetur, Si filius dum eſt in vtero, in poſſeſſionem miſſus ſit, mox natus ſit, & ante bonorum poſſeſſionem acceptam deceſſerit: an matris negligentia vel ignauia accuſetur. Vlpianus exiſtimat matri non nocere: ſi non ſuus patri agnaſcatur. [Neque enim ſufficit, inquit, mitti in poſſeſſionem, niſi natus quoque acceperit bonorum poſſeſſionem.] *d. l. 2. §. ſi quis ex liberis.*

CCXXXII. CAIVS lib. j. de verborum obligationibus.

HÆC enuntiatio, [Quæ ſunt pluris aureorum triginta,] ſimul & quantitatis & æſtimationis ſignificatiua eſt.

ALCIATVS.

HÆC ENVNTIATIO. ¶ Quoties ita loquimur, Quod in cenſum detulit Titius. pluris eſt aureorum 30. id ſignificare poteſt, non ſolùm quantitatem triginta aureorũ in cenſum relatam, ſed etiam tantum rerum, ſeu corporum detuliſſe, quàntum æſtimatio 30. aureorum efficere poteſt.

Superiùs

Superiùs autem admonui in Cæſarum conſtitutionibus ita taxari aureum. *l. quoties. C. de ſuſcep. lib.* 10. vt ſeptuagintaduo aurei libram conficiant: licet aureus, qui hodie in vſu eſt, minoris ſit æſtimationis, cum nonaginta ſex ex eis libra contineat. Vnde aliqui cenſuerunt, tametſi conſtitutum ſit, donationem vltra qingentos aureos aut ſolidos, niſi inſinuata ſit. *l. ſancimus. C. de donat.* non valere, eam tamen in qua 666. noſtrates aurei erogati ſint, valere: & ita Angel. & Iaſ. viſum eſt. *l. 2. §. ex his. in fin. de verb. obl.* Nobis videtur aureum, quo hodie vtimur, ex generali omnium populorum conſuetudine, eſſe veteri illi ſubrogatum, & ideo quæ de ſolido in iure ciuili cauta ſunt, ad noſtrum hunc, quamuis leuioris ſit ponderis, referenda. Nam & in præſentia propter temporum qualitates, pauperiores ſunt ciues, quàm olim eſſent. *Inſtitut. de ſucceſ. lib.* & ante eas conſtitutiones cùm Romanum floreret imperium conſtat grauioris ponderis aureos numos ſignari ſolitos. Sunt & qui denarios aureos variæ æſtimationis quoque ſignatos fuiſſe crediderint, idémque arbitrantur denarium & numum eſſe. *Doct. in l. quæ extrinſecus. de verb. oblig.* vulgariſque ſermonis argumento vtuntur: qua in re vulgarem ipſi doctrinam plane oſtendunt. Denarius enim argenteos ſolum erat ponderis drachmæ, quatuórque ſeſtertiis numis cenſebatur, hoc eſt, æris aſſibus decem, vnde & nomen ſumpſit. Tritiora ſunt hæc apud rei Latinè peritos, quàm vt auctorum tibicinibus ſit opus: apud Græcos tamen dubium non eſt, auream quoque drachmam ſignari ſolitam, quam a ſimilitudine ponderis Plinius quandoque *κατὰ χρηστικῶς* denarium appellat.

BRECHÆVS.

HÆC ENVNCIATIO. ¶ Vide quæ in hanc rem diximus *ſ. in l. propemodum. & l. hac adiectio.*

FORNERIVS.

HÆC ENVNCIATIO. ¶ Hac ſtipulationis clauſula (quæ ſunt pluris) non ſolùm vera rei æſtimatio, verùm & id quod intereſt, continetur. *l. 2. ſi. qui ſatiſd. cog.* Sed hoc aliquoties iam attigimus. *l. 97. cum ſtipulamur. l. 179. inter hæc verba. l. 193. hæc verba quanti. ſ. h. t.*

CCXXXIII. IDEM lib. j. ad legem duodecim tabularum.

SI caluitur, & moretur, & fruſtretur.] inde & calumniatores appellati ſunt, quia per fraudem & fruſtrationem alios vexarent litibus, inde & cauillatio dicta eſt.

ALCIATVS.

SI CALVMNIETVR. ¶ Arbitror enunciatiuè verba hæc poſita eſſe, & (vt recentiores Dialectici dicunt) materialiter. Interpretatur autem ea Iuriſconſ. vt calumniari idem ſit, quod per moras & fruſtrationes negotium differre, vel per fraudem alios litibus vexare. idemque & cauillari dicitur: vtrunque enim verbum ab antiquo verbo caluire deducitur, quod decipere ſignificat, & fruſtrari: tracta à caluis metaphora, qui eos fruſtrantur, a quibus per capillos prendi videntur. Quæ autem mora calumniæ præſumptionem inducat, ſic diffiniri poteſt, vt qui in termino accuſationi proſequendæ arbitratu iudicis conſtituto, non adeſt, cauillari videatur. *l. qui crimen. C. de accuſ.* non debet autem is terminus eſſe longior, quàm vt intra biennium cauſa expediri poſſit: is enim eſt inſtauratiæ criminalium finis, ſicut triennium in ciuilibus. *l. 1. C. vt int. cert. temp.* Et ideo bis errant vulgares latrunculatores, qui ſi reum conuincere nequeant, eum, rebus ſic ſtantibus, abſoluunt, vt quandocunque vel minima coniectura ducti, rurſus in carcerem trudant. Nam elapſo biennio, inquietari amplius non poteſt: & cùm accuſatori ſtatutus eſt terminus probationum recipiendarum cauſa. *l. properandum. §. & ſi quidem. C. de iudic.* ſi probatum non ſit, definitiuè reus eſt abſoluendus, non autem eſt forma quam concuſſores, & *δωροδόκοι* iudicis repererunt. *Imol. c. 1. de offic. ord.* Sanè & qui de re minima litem criminalem orditur, videtur non abſurdè calumniator poſſe appellari. *l. fuſtib. C. de infam.* exemplo Athenienſium, qui huiuſmodi homines Sycophantas vocabant, quòd propter ſubreptos ficus minimaque huiuſmodi detrimenta, capitalem quæſtionem excitarent. Quapropter ſi qui colligant de re minima, & viciſſim longas ambages, tricáſque accumulant, non de vtilitate ſoliciti, ſed vt aduerſario noceant, putauerim partes religioſi iudicis fore, vt ceu cauillatores eos reiiciat, actionémque deneget.

BRECHÆVS.

SI CALVMNIETVR. ¶ Hunc locum verè Alciatus explicat.

FORNERIVS.

SI CALVITVR. ¶ Quæ ſequuntur proximè ſex capita, ea ex ſex Caij ad duodecim tabularum leges commentatiis, ſingula ſingulis ſumpta, variarum ſeu vocum, ſeu fragmentorum continent interpretationem: Quorum propter liquefacta legum antiquarum æra, diſiectáſque naufragiu eiuſmodi reliquias, anceps inueſtigandæ, tanquam Nili originis, cura nobis obiicitur. Nonnullorum verò, vt primùm occurrit, minùs obſcura ratio. Feſtus Pompeius, [Si caluitur pedémve ſtruit, manum endo iacito,] id eſt, prehēdito iniecta manu. Creditori debitorem fruſtratorem, moratorem, fugientem, ducere licuit. Fuit & in confeſſos æris, ac iudicatos pœna vinculorum, temporariæ ſeruitutis membrorúmque dilacerandorum conſtituta: quamuis poſtea tanquam durior abrogata. Quinctilianus *lib. 3. cap. 6.* Tertullianus in Apologetico. Aul. Gellius *lib. 20. cap. 1.* Excogitatáque humanior ciuilium actionum ratio, ac via, qua æs alienum iure iudicióque exigendo, aditoque magiſtratu, creditores ſuum conſequerentur. *l. 50. nihil. de oblig. & act.* 10 cauſam iudicati pignora capi, diſtrahi,

mitti in reorum bona poſſidenda liceret. *l.15.a diuo.de re iud.tit.quib.ex cauſ in poſſ eat.tit.de reb.auct.iud.poſſid.* Neque vero ſingulis ἐν ἀρχῇ in debitorem manum inijcere, ſibive ius dicere permittitur. *l.13.extat.quod met.cauſ.l.… negantes. C.de obl.& act.* Ac ne debitorem quidem fugientem propria auctoritate, & χειρῶν νόμῳ ſiſtere, pignerare, ducere. Nec ei ſententiæ, quę Accurſianorum ſectæ adblanditur, fauet Vlpianus *l.10.ait prætor.§.ſi debitorem.quæ in fraud.cred.* Vt copioſè *lib.3.ſelect.* videor oſtendiſſe. *Et moretur & fruſtretur.* ¶ Non ſunt hæc legis XII.tab. verba: ſed Caij applicita ad ipſam legem interpretatio: videlicet Decemuiros [caluendi] verbo, non quamlibet (quod videri poſſit) deceptionem, ſed fruſtrationem pręcipue debitorum, moramque deſignaſſe. Iſidorus *lib.10. Etymolog.* Calumniatorem definit, falſi criminis accuſatorem: à caluendo, id eſt, fruſtrando & decipiendo, dictum. Caluitas apud Vlpianum, propter ſuam caluitatem plectatur. vulgò, caliditatem. Florentiæ, calbitatem, aſſidua B. & V. commutatione. *l.29.ſi fideiuſſor.§.pen.m.iud.* in vetere gloſſario calpitur, (ſed legendum, caluitur) exponitur, ἐξαπατᾷ. id eſt, decipit. Inde calumniatores appellatos Caius hic tradit: & Non. Marcellus, Caluitur dictum eſt, fruſtratur: tractum à calumnijs. Nam calumnia fruſtratiu eſt, ac mora. *l.40.quibus diebus.verſ.ab calumniam, &c.de cond.& demonſt.* M.Cicero *pro Seſtio,* Cum omni mora, ludificatione, calumnia ſenatus auctoritas impediretur: venit tandem de me agendi dies. Idem *lib.2. Academic.quæſt.* Cum victor à Mythridatico bello reuertiſſet, inimicorum calumnia, triennio tardiùs, quàm debuerat, triumphauit. Pro Quinctio, Iacet res in controuerſijs, iſto calumniante biennium fruſtretur. ¶ Hoc quoque verbo ſignificatur mora. Vlpianus cum dixiſſet, non omne quod differendi cauſa optima ratione fiat, moræ annumerandum, ſubiungitur a Paulo, Si modò id ipſum non fruſtrandi cauſa ſimuletur. *l.21.ſciendum. l.ſeq.de v.ſur.* Qui fruſtrationis cauſa beneficium legis Falcidiæ implorauit. *l.89.diui.ſi.ad leg.Falc.* Fruſtratur cauſam agere: id eſt, iudicij extrahendi proferendique cauſa moras nectit. *l.4.eius.§.de appell.* qui conuenti fruſtrantur. *l.24.ſed & ad eos.quib.ex cauſ.maior.* Fruſtrandæ actionis, (niſi malis fruſtrationis) cauſa latitare. *l.3.de iudic.* Cicer. *pro Quinctio.* Accius *apud Nonium.* Tanta fruſtrando lactans vanus protrahit. Apuleius *lib.3.Florid.* de Euathli & Protogaræ diſſertatione (de qua & Gellius *lib.5.c.10.*) Contentus ſcire, quod concupierat, cœpit nolle quod pepigerat: ſed callidè nectendis moris, fruſtrarique magiſtrum, diutuléque nec aſſerere velle, nec reddere: vſquedum Protagoras eum ad iudicem prouocatum, &c. Triphoninus, Ex ipſo tempore delicti pluſquam fruſtrator & debitor conſtitutus. *l.pen.vnde vi & arm.*

§.j. Post Kalendas Ianuarias die tertio pro ſalute principis vota ſuſcipiuntur.

Alciatvs.

Post calendas. ¶ Votum, eſt alicuius faciendi, vel non faciendi, verſus Deum deliberata & iuſta promiſſi. Solebant autem veteres quamplurima vota pro principe nuncupare. Concipiebantur vota anniuerſaria ob diem Imperij, cùm videlicet ad imperium princeps aſſumptus eſſet, quorum & in iure mentio habetur Imperatori Veſpaſiano diem Imperij fuiſſe Calen. Iulijs eumq; in poſterum celebratum, apud auctores traditum extat. *l.omnes. C.de ferijs.* Concipiebantur ob ſalutem principis a ſacerdotibus & Conſulibus, idque poſt tertium diem Calend. Ian. vt hic dicitur: pertinebátque in prouincijs hæc cura ad præſidens qui commilitonibus & Prouincialibus præibant, vt Cęcilius Plin. *lib.10.epiſt.* eſt auctor. Calendis ipſis non autem poſt tertium diem hæc vota ſuſpici Corn. Tacit. *lib.4.* ſentire videtur. Idem Tiberium ægrè tuliſſe tradit, quod Pontifices cùm pro eius incolumitate vota ſuſciperent, iiſdem dijs filios quoque Germanici commendaſſent. Sed & *lib.16.* Traſeæ ab accuſatore obiectum ſcribit, quòd principio anni ſolenne iuſiurandum vitaret, nuncupationibuſque votorum non adeſſet, quamuis quindecimuirali ſacerdotio præditus. Addit Septimius in Apologeticu, tum ſolitos ciues focos & choros in publicum educere, vicatim epulari, ciuitatem tabernæ habitu obolefacere, vino lutum cogere, cateruatim curſitare. Concipiebantur & pro ſalute principis vota à priuatis, aliquid vouentibus, ſi principem ſuperſtitem reliquiſſent, vt in Auguſto Tranquillus oſtendit. Idem auctor eſt, C.Cæſarem Caligulam pleróſq; huiuſmodi conualeſcentes, tanquam impoſtores per ora hominum traductos, inſulatóſque peſſime mulctaſſe, quoſdam etiam ad necem vſq; compuliſſe. Erant & alia vota, quæ in quinquennium, publicè nuncupabantur, habebanturque tum ludi pulcherrimi, & Quinquennalia appellantur. ¶ Eorum origo videtur ex libris Sibyllinis emanaſſe, quibus tradebatur, vt in difficillimis Reipublicæ temporibus ver ſactum vouerent, ſi ad quinquennium proximum res ita ſaluæ, vti tunc erant, forent. cuius rei *lib.32.* T. Liuius meminit. Horum votorum ludorúmque Quinquennalium & Nazarius, & Mamertinus in Panegyricis mentionem fecerunt. Sunt & Decennalia vota quorum rationem Dion in Auguſti vita ſic exequitur: cùm Auguſtus Rempublicam reſtituere vellet, reclamantibus cunctis, non vltra decennium ſe imperaturum promiſiſſe, quo tempore elapſo precibus adactum, in ſequens decennium diſtuliſſe, atque item in aliud. Quamobrem eius ſucceſſores, licet perpetuam adminiſtrationem accipiant, ſingulis tamen decem annis ludos voueant, quos celeberrimos faciunt, tanquam principatum tunc renouare incipiant. Hinc & vicennalia & tricennalia dicta ſunt. Notantur autem in veteribus numiſmatis hoc modo, *vot.10. vot.20. vot.30.* Horum meminit Trebellius in vita Galieni, & Ammianus Marcellinus, qui Conſtantium Imperatorem ſcribit Arelate tricennalia celebraſſe, Theatraléſque & Circenſes ludos ambitioſo apparatu.

FORNERIVS.

POST CALENDAS. ¶ Magiſtratus Rom. pro ſalute Imperatoris ſacrificabant, & publicè vota ſuſcipiebant. Quod fieri Calendis Ianuariis ſolitum innuit Corn. Tacit. *lib.* 4. Plutarchus, tertio Calendarum die, quo natus M. Cicero. Ἡμέρᾳ τρίτῃ τῶν νέων καλανδῶν· ἐν ᾗ νῦν οἱ ἄρχοντες εὔχονται, καὶ θύουσιν ὑπὲρ τοῦ ἡγεμόνος. Cuius quidem inſtituti non obſcura veſtigia, quamuis à paucis adhuc notata hæc competiiſſe video. Eunapius ſophiſta in vita Maximi philoſophi. Ἡ τρίτη δὲ ἡμέρα τῶν καλανδῶν, ἃς αὐτὰς Ἰανουαρίας ἡμέρας Ῥωμαῖοι προσονομάζουσι, καὶ προσιμάζοντες πάντες αὐτῶν ὑπερέχοντα τινὰ εὐωχίαν. ſinguli inquit, votum ſuſcipiebant, ſupplicabant, epulabantur. Ita vt per genium ac ſalutem principis peierasse, periculoſum erat. *l. 2. C. de reb. cred. l. 13. ſi duo ſin. de iureiur. l. antep. C. de tranſ.* Sic eiuſmodi vota quæ magiſtratuum nuncupabantur religione, negleſſiſſe. Plinius *epiſt. lib.* 10. Traiano nunciat, vota pro ipſius ſalute magna prouincialium alacritate & lætitia fuiſſe celebratam. Thraſeas à Nerone ob eam cauſam occidi iuſſus traditur. Corn. Tacitus *annal. lib.* 16. Quin & illa obiectabat principio anni vitare Thraſeam ſolemne iuſiurandum, nuncupationibus votorum non adeſſe: quamuis 15. virali ſacerdotio præditum, nunquam pro ſalute principis, aut cœleſti voce immolauiſſe. Xiphilinus ex Dione, Θρασέας δὲ ὅτι οὔτε εἰς τὸ βουλευτήριον συνεχῶς ὡς καὶ ἀρεσκόμενος τοῖς ψηφιζομένοις ... οὔτ' ἐπ' ἐκεῖνοῦ ποτ' αὐτοῦ κιθαρῳδοῦντος, οὔτε ἔθυσε τῇ ἱερᾷ αὐτοῦ φωνῇ ὥσπερ οἱ ἄλλοι, οὔτε ἐπεδείξατο οὐδέν. Enimuero è Apologetico Tertulliani, ciues tum focos & choreas in publicum educere, vicatim epulari, & cateruatim curſitare ſolitos colligimus, quod ipſum εὐωχία eſt: de qua Arcadius & Honorius Impp. ad Apollodorum proconſulem Africæ in hæc verba reſcripſerunt. [Vt profanos ritus iam ſalubri lege ſubmouimus: ita feſtos conuentus ciuium, & communem omnium licentiam non patimur ſummoueri. Vnde abſque vllo ſacrificio, atque vlla ſuperſtitione damnabili exhibere populo voluptatem, ſecundum veterem conſuetudinem: inire etiam feſta conuiuia, ſi quando exigunt publica vota, decernimus.] *l. 17. vt profana. lib.* 16. *C. h. t.* 10. de paganis, ſacrificiis, & templis *l. 4. C. de pagan.* Ambroſius Calendarum Ianuariarum epulum gentile improbat, *ſermone* 17. Petrus Chryſologus *ſermone* 155. [Sed dicet aliquis, non ſunt hæc ſacrilegiorum ſtudia: vota ſunt hæc iocorum, & hoc eſſe nouitatis lætitiam, non vetuſtatis errorem: eſſe hoc anni principium, non gentilitatis offenſam.] Sed hunc morem (quo eiuſmodi Calendæ varia gentium ſuperſtitione polluebantur) poſteà ſancti patres de medio tollendum cenſuerunt: cúmque Græcè ſcriberent, Latini etiam ſermonis voculas retinuerunt. Synodi ſextæ in Trullo habitæ *can.* 62. Τὰς οὕτω λεγομένας καλάνδας, καὶ τὰ λεγόμενα βότα. Antiſiodoren. concilij, *can.* 1. [Non licet Calendis Ianuariis, vecola, aut ceruolo facere.] Extat elegans D. Auguſtini de illis Calendis, déque luxu & conuiuiis querela, *epiſt.* 64. *ad Aurelian.* Conuiuia denique, quæ in templis agitabantur, exerceri prohibentur *l.* 19. *templorum, d. tit.* 10. *C. Th.* vnde obiter leuiculum mendum expungatur. in templis, famiſque, pro, fanis. *vt eiuſdem tit. l.* 13. *ſtatuimus.* Idémque Laodicenſi, & Carthaginenſi Concilio conſtitutum. ¶ Quorſum autem hæc de votis, ad leges XII. tab. interpretatio, mihi parùm liquere profiteri malim: quàm illud [cautè vota reddunto] decemuirale ſcitum affirmare. Cum M. Ciceronem, multa quidem ex veteribus, in eos, quos de legibus conſcripſit libros tranſtuliſſe: pleraque etiam de ſuo finxiſſe conſtet. Exemplo Platonis qui receptis iam Athenienſium, quas a Solone acceperant, legibus, multas à ſeipſo commixtas promulgauit.

§. ij. TELVM vulgò quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur. ſed nunc omne ſignificatur, quod mittitur manu. Ita ſequitur, vt & lapis & lignum & ferrum hoc nomine contineatur. dictúmque ab eo, quòd in longinquum mittitur, Gręca voce figuratum, ἀπὸ τοῦ τηλοῦ. & hanc ſignificationem inuenire poſſumus & in Græco nomine: nam quod nos telum appellamus, illi βέλος appellant. Eóque nomine vulgò quidem id ſignificatur, quod ab arcu mittitur: ſed non minus omne ſignificatur, quod (cum) mittitur manu, ἀπὸ τοῦ βάλλεσθαι. Admonet nos Xenophon. Nam ita ſcribit: Καὶ τὰ βέλη ὅμοιον ἐφέροντο, λόγχαι, τοξεύματα, σφενδόναι: πλεῖστοι δὲ καὶ λίθοι. Et id quod ab arcu mittitur, apud Græcos quidem proprio nomine τόξευμα vocatur: apud nos autem communi nomine telum appellatur.

ALCIATVS.

TELVM. ¶ Plectit lex Cornelia eum, *l. 1. ff. ad leg. Corn. de ſicar. l. 7. C. eod.* qui cum telo cauſa hominis occidendi fuerit, dubitatur quemadmodum telum accipiendum ſit, & non ſolum quod ab arcu mittitur ſignificari, ſed omne quod manu mitti poteſt, Iuriſconſ. ait, idque argumento ab etymologia ſumpto: ſiquidem telum dicitur ἀπὸ τοῦ τηλοῦ, quod longè ſignificat. Probatur idem & Græci ſermonis ſimilitudine: quod enim nos telum dicimus, illi βέλος dicunt, deducitúrque ea vox ἀπὸ τοῦ βάλλεσθαι, id eſt, à iaciendo. Quamuis quod arcu mittitur, propriè ab eis τόξευμα dicatur: τόξον enim arcum ſignificat: vnde & toxicum, quoniam eo ſagittæ intingebantur, vt Plinius ait. Quod autem ita ſit in ſermone Græco, probat Iuriſconſultus auctoritate Xenophontis, qui ita ſcribit *lib. expeditionis Cyri, v.* Τὰ βέλη ὁμοῦ ἐχώρει λόγχαι, τοξεύματα, σφενδόναι, πλεῖστοι δὲ καὶ λίθοι. Huiuſmodi, inquit, tela ſimul ab eis habebantur, lanceæ, ſpicula, fundæ, plurimis autem & ſagittæ. Sic autem emendandus

hic eſt locus ex antiquorum codicum lectione,ſuſpicorque eodem modo ſcriptum fuiſſe à Tribuniano in Inſtitutionibus ſub rubrica de publicis iudicijs, vbi epigramma in Xerolophio ſcriptum alle-gatur.Quamuis enim me non lateat,in Xerolopho tripodes fuiſſe, in quibus epigrammata ſcribi ſolerent,vt etiam Priſcianus *lib.1.*ſcribit: Xerolophique mentio pro tumulo ex congeſtis lapidibus facta ſit etiam Suidæ: tamen conuenire magis videtur,vt Xenophontis facta ſit mentio,acceperitque Tribonianus eum locum a Iuriſconſulto hoc reſponſo.

Brechævs.

TELVM. ¶ Non ſolùm ſignificat Telum ſagittam, quæ arcu mittitur,ſed quodcunque brachio vibrari ſolet, & in longinquom emitti, ſed & omne armorum genus quod nocendi cauſa habetur. Vnde ipſe Caius in *l.ſi pignore.§.furem.ff.de furt.* Furem, inquit, interdiu depræhenſum non aliter occidere. Lex XII.Tab.permiſit, quàm ſi telo ſe defendat. Teli autem appellatione, & ferrom, & fuſtis,& lapis,& denique omne,quod nocendi cauſa habetur,ſignificatur. Huius meminit M.Cic. *in Orat.pro Mil.* Quod ſi XII.tabulæ nocturnum furem quoquomodo, diurnum autem, ſi ſe telo defenderit, interfici impunè voluerunt, quis eſt qui quoquomodo interfectus ſit, puniendum putet? cum videat gladium nobis ad occidendum hominem ab ipſis porrigi legibus.Et idem paulò pòſt. Et ſi perſapienter,& quodammodo tacitè dat ipſa lex poteſtatem defendendi,quæ non modò hominem occidi,ſed eſſe cum telo hominis occidendi cauſa vetat,vt cum cauſa non telum quæreretur, qui ſui defendendi cauſa telo eſſet vſus, non hominis occidendi cauſa telum habuiſſe iudicaretur. Hic Cicero telum vſurpauit pro enſe & gladio, aut eo armorum genere, quod offendendi cauſa haberetur. Virgilius *lib.9.Æneid.*In hoc ſignificatum videtur poſuiſſe his verbis.

Figite me.ſi qua eſt pietas,in me omnia tela
Conijcite,ò Rutuli,me primam abſumite ferro:
Aut tu magne pater diuûm miſerere:tuóque
Inuiſum hoc detrude caput ſub tartara telo,
Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.

Idem *paulò pòſt.* -- *Telorum effundere contra*
Omne genus Teucri.

Et idem *lib.8.Æneid.*
De ſuper Alcides telis premit,omniaq́ arma
Aduocat:& ramis vaſtiſq́ molaribus inſtat.

Et idem *lib.2.* -- *aſt alij ſubeunt,nec ſaxa nec vllum*
Telorum intereà ceſſat genus,

Et iterum:
Tela manu miſeri iactabant irrita Teucri.

Omne genus telorum dixit, id eſt, quodcunque manu iaci & vibrari longè poteſt, ἀπὸ τοῦ τηλόθεν, quod de longinquo ſignificat:aut ἀπὸ τοῦ τηλοῦ. Hoc Græci vocant ἀκόντιον. Vnde Theophilus *tit.de public.iudic.*dixit: περιέρχεσθαι μετὰ τοῦ ἀκοντίου, quod in Latinis inſtitutionibus Iuſtiniani ſcriptum eſt, qui cum telo ambulant. Ponitur enim telum aliquãdo pro ſagitta,quæ à Græcis τὸ βέλος,ἀπὸ τοῦ βάλλειν, quod arcu mittere ſignificat. ἐξαπόστειλον τὰ βέλη σου καὶ συνταράξεις αὐτούς. Emitte ſagittas tuas,& conturbabis eos. *Pſalm.143* Virgil.*ſupradicto lib.9.*tela pro ſagittis dixit:

Intendunt acres arcus amentaq́ torquent,
Sternitur omne ſolum telis.

Sic Xenophon,quem noſter Caius citat, τὰ βέλη,pro telis dixit: τὰ βέλη ὑμῶν ἔχοντα λογχαὶ τοξεύματα, &c.Quem locum Theophil.legit ὁμοῦ ἐφέροντο . ſimul afferebantur.Et idem ipſe Virgil.*eod.lib.9.*paulò ſub locum proximè citatum telum pro enſe & gladio vſurpauit,his verbis:

At non hoc telum,mea quod vi dextera verſat
Effugies,neque enim is teli nec vulneris author.
Sic ait,& ſublatum altè conſurgit in enſem.

Quem locum Seruius explicans,in hæc verba ſcribit: Telum hoc loco gladium dixit à longitudine. Vnde & muſtella dicitur, quaſi mus longus. Telum autem pro gladio poſuiſſe illud ſignificat, quod infert paulò pòſt,*conſurgit in enſem.*

Fornerivs.

TELVM. Lege XII. tabularum nocturnum furem occidere licuiſſe plerique auctores prodiderunt. D.Auguſtinus in Exod.quod refertur *c.3.extr.de homicid.* Seneca *ſub finem lib.3.controuerſ.* Quinctilianus.Macrobius legis decemuiralis hæc verba *lib.1.Saturn.cap.4.* fuiſſe refert. [Si nox furtum factum ſit, ſi in aliquis occiſit,iure cæſus eſto.] *l.9.furem. ad leg.Corn.de ſicar.* Interdiu verò, ita demum,ſi ſe telo,cum præhenderetur,defenderet,Aul.Gell.*lib.11.cap.vlt.*M.Tullius *in orat.pro T.Milone*:[Si XII.tabulæ nocturnom furem quoquomodo,diurnom autem,ſi ſe telo defenderit,interfici impunè voluerunt, &c.] Caius. [Lex duodecim tabularum furem nocte deprehenſum occidere permittit: vt tamen idipſum cum clamore teſtificetur. Interdiu autem deprehenſum ita permittit occidere,ſi is ſe telo defendat.] *l.4.ad leg.Aquil.* Teli autem appellatione quid intelligatur, idem illius legis interpres Caius hic explicat. ¶ Primùm quidem ac propriè: quicquid arcu mittitur, telum eſt. Feſtus Pompeius, [Tela propriè dici videntur ea, quæ miſſilia ſunt. Ex Græco videlicet tranſlato eo nomine: quoniam illi τηλόθεν miſſa dicunt, quæ nos eminus: ſicut arma ea, quæ ab humeris dependentia retinentur manibus.] Ab auctore gloſſarij veteris (cuius teſtimonio

Iubentet

lubenter,ſæpéque vtimur) arcutes, exponuntur τοξόται: ac telum, quòd in longinquum eiaculamur, ἀκόντιον τὸ μακρόθεν βαλλόμενον ὅπλον paulò inferiùs Caius, quod proprio nomine à Græcis, τόξευμα, à Latinis telum vocari ait. Sed & toxicum inde dictum ferunt, quòd eo barbarorum ſagittæ illinerentur. Dioſcorides *lib.6.cap.20.* Τὸ δὲ τοξικὸν δοκεῖ μὲν ὀνομάσθαι, ἐκ τοῦ τὰ τόξα τῶν βαρβάρων ὑπ' αὐτοῦ χρίεσθαι. Vnde lapis, lignum, ferrum (quòd emittatur, ſeu proiiciatur) telum dici colligitur. De lapidibus iam dixi *l.41.armorum.§.h.t.* De ligno, Martianus Capella *lib.5.* huiuſmodi iuridicialis cõtrouerſiç ſpeciem effinxit, NOCTV CVM TELO DEPREHENSVM LICEAT OCCIDERE. Quendam cum fuſte noctu depreheſum magiſtratus occidit: reus eſt cædis: lege ſe quidem tuetur: ſed telum quid ſit, quæritur. Ferrum denique telum eſt. Plinius *lib.34.cap.14.* [Ferro vtimur ad bella, cædes, latrocinia, non cominùs ſolùm, ſed etiam miſſili, volucrique, nunc tormentis excuſſo, nunc lacertis, nunc verò pennato. *& mox inferiùs.* In fœdere, quod expulſis regibus populo Ro. dedit Porſena, nominatim comprehenſum inuenimus,] NE FERRO NISI IN AGRICVLTVRA VTERENTVR. *& ſtylo ſcribere inſtitutum eſt.* Vbi ipſe malim deterſa næui macula, (*vetitum*) quàm (*inſtitutum*) ita poſtulante ſententia, legere: ſuffragante etiam Iſidoro. *lib.6. Etymolog.cap.9.* [Romani iuſſerunt, inquit, ne graphium ferreum quis haberet.] Quid mirum? graphiis confoſſus deſcribitur ab Aurel. Prudentio Caſſianus, *περὶ στεφ. hymn.9.*

Innumeri circum pueri mirabile viſu,
Confoſſa paruis membra figebant ſtylis.
Vnde pugillares ſoliti percurrere ceras,
Scholare murmur annotantes ſcripſerant.

Hodie nullum in Italia tam infeſtum, inſidioſúmque teli genus, quàm ſtylus, ſiue ſica, *Stileto* vocant. Ferrum ergo teli nomine continetur. Vlp. [Si quemcunque alium ferro ſe petentem quis occiderit, non videbitur iniuria occidiſſe. *l.5. ad leg. Aquil.* Et de ſpeciali quidem teli ſignificatione hactenus: ſubiungit Caius communi nomine telum appellari. *hic in fi.* id eſt, vt idem apertiùs de hac ipſa xij. tabularum (furem interdiu deprehenſum, ſéque telo defendentem occidi permittente) lege diſſerens, [Teli autem appellatione, inquit, & ferrum & fuſtis, & lapis, & denique omne, quod nocendi cauſa habetur, ſignificatur. *l.54.ſi pignore. de furt.* Synopſi Baſilic. *lib.57.titu.* περὶ ὅπλων. Telum generaliter, quicquid nocendi lædendique vim habet, definitur, Ἀκόντιον λέγεται, πᾶν τὸ βλάψαι δυνάμενον. *l.pen.de vi pub.* Quare is qui cum telo ambulaſſe, cædis aut furti faciendi cauſa, conuincetur, in legem committet. hic. *l.1.§.ad leg.Cornel.de ſicar. l.antepen.C.eod.* σφενδόναι. ¶ Iaculandi funda lapides in militibus induſtriam pleræque gentes coluere: maximè Baleares ſeu Bœoti. Ouid. *Metamorphoſ.lib.2.*

- -Cum Balearica plumbum
Funda iacit. Apud quos, pueris à matre edoctis non priùs maxillia panem attingere fas erat, quàm in trabe expoſitum ſagitta vel lapide petentes attigiſſent. Lycophron.

Τρίπλαις δινωτοῖς σφενδόναις ὡπλισμένοι.
Ὧν αἱ τεκοῦσαι τὴν ἑκηβόλον τέχνην
Ἄδορπα παιδεύσουσι νηπίους γονάς.
Οὐ γάρ τις αὐτῶν ψαύσεται πύρνου γνάθοις,
Πρὶν ἂν κρατήσῃ ναστὸν εὐστόχῳ λίθῳ.
Ὑπὲρ τράφηκος σῆμα κείμενον σκοποῦ.

Ad quos iambos Iſaacius Thzezes, Balearium inſularum incolas præſtantiſſimos milites, & iaculatores tradit: ac pueros ad eam ſagitandi artem cura matrum ſtudioſè edoceri. Εἰσὶ δὲ ἐν αὐταῖς καλούμενοι τινες ἄριστοι στρατιῶται, ἤτοι σφενδονῆται. Αἱ γὰρ μητέρες αὐτῶν τιθέασιν ὑψηλοῖς ξύλοις ἄρτον καὶ οὐ πρότερον αὐτοῖς διδόασι φαγεῖν, πρὶν καταβαλεῖν ἄρτον. Quo exemplo moniti hodie parentes, vtinam liberorum noſtrorum animos iam inde à pueritia ad laborum perpeſſionem aſſuefacientes, ad virtutis ſtudium erigeremus: nec eorum mollitiem indulgentia foueremus.

CCXXXIIII. IDEM lib. ij. ad leg. duodecim tab.

Quos nos hoſtes appellamus, eos veteres perduelles appellabant, per eam adiectionem indicantes, cum quibus bellum eſſet.

ALCIATVS.

QVOS NOS HOSTES. ¶ Hoſtis apud antiquos pro peregrino accipiebatur, quòd ſuis legibus in uiueret, ſicut nos noſtris, & ideo par nobis videretur. Hoſtire enim æquare ſignificat, vnde Hoſtimentum æquamẽtum eſt. Sic Plautus *in Aſinaria:* Par pari hoſtimentum datum eſt, opera pro pecunia. Deinde cœpta eſt hæc vox in alium ſenſum accipi, vt videlicet perduellem ſignificaret: nam & illi iure gentium ęquali cauſa ad bellum procedere exiſtimabantur: vnde quos eo bello capiebant, ſeruos ſibi efficiebant, dominiúmq; eo iure acquirebant: & licet ex ſua malitia lucrari nemo debeat, captiuos tamen ſibi acquirebant: quoniam non per malitiam aut fraudem agere, ſed æqua cum Romanis cauſa rem gerere exiſtimabantur. Licet enim iure ciuili Romani præcellant, iure tamen gentium æquales cæteris cenſentur. Meritò igitur hoſtes publicos inimicos ſignificant, quos veteres, quia cum illis duellium, id eſt, bellum eſſet, perduelliones appellabant: ea enim dictione hi ſolùm indicantur, aduerſus quos ius belli eſt. Quapropter priuatus inimicus noſter, perduellio non eſt. Latrones quoque perduelliones non ſunt: vnde & Cicero *lib.11. Officiorum:* Pirata, inquit, non eſt ex perduellium numero definitus, ſed communis hoſtis omnium. Cùm ergo hanc vocem perduellionis adiecimus, de his iudicamus, quibuſcum ſit bellum. Et ita ego interpretor, licet aliter Accurſius intel-

ligat

ligat. Hincque apparet, quod ſit perduellionis crimen. *l. fin. ad l. Iul. maieſt.* nimirum cùm quis hoſtili animo aduerſus Rempub. vel principem animatus fuit. Quapropter non omne læſæ maieſtatis crimen, idem & perduellionis eſt, ſed alterum altero generalius eſt. ¶ Sed quid ſi legatus Cæſaris mihi mandet, vt principi aureos centum mutuem ſub pœna perduellionis, an niſi id faciam, ceu hoſtis plecti poterò? Et puto non poſſe legatum ſtatuere id perduellionis crimen eſſe. *l. famoſi. verſ. hoc tamen. eod. tit.* quod non ſit: ſicut nec in huiuſmodi iuſſionis executionem contumacium bona publicare poterit, *l. 1. C. ne ſine iuſſ.* quod principi, hiſque qui in ſumma adminiſtratione ſunt, tantùm conceditur. Nec ideo, quòd extra ordinem id munus aliquibus demandatum ſit, videntur in ſumma adminiſtratione eſſe: imo hac in re concuſſoris potius munere funguntur, tyrannicæ auaritiæ ſatellites, publici fures, & (quod dicitur) ſplen patriç. Sed quid ſi ipſe princeps aliquem nouarum rerum ſuſpectum vrbe abſcedere iubeat, certáque illi confinia conſtituat, vnde extra ſuum iuſſum non abſcedat, iſque non paruerit, an læſæ maieſtatis reus erit? Et Bald. negauit, *conſil. 272. in 2.* ſed tantummodo arbitratu principis extra ordinem ceu ſacrilegum plectendum. *l. ſacrilega. C. de diuer. reſcr.*

BRECHÆVS.

QVOS NOS. ¶ Qui ſint hoſtes, & de huius vocis ſignificatione varia diximus ſuprà *in l. hoſtes.* Cæterùm Perduelles dicuntur, qui principis & reipubl. inimici habentur: ſed & qui maieſtatem Principis ſoluere & immiouere ſunt conati. Hos quia tanquam pop. Romanus hoſtes habebat, hoſtes poſtea perduelles appellati ſunt à veteribus: qui peregrini quoque dicti ſunt: quoniam ſeruos ac omnes extraneos, & qui filiorum numero non eſſent, pro hoſtibus habebant. T. Liuius *lib. 2. decad. 5.* Ea omnia cum cura facta, Haruſpices in bonum verſurum id prodigium, prolationémque finium, & interitum perduellium portendi reſponderunt: quod ex hoſtibus ſpolia fuiſſent ea roſtra, quæ tempeſtas diſiecilſet. Et *lib. 9. decad. 3.* in quadam Scipionis concione: Saluos incoluméſq; victis perduellibus, victores ſpoliis decoratos, præda onuſtos, triumphantéſque mecum domos reduces ſiſtatis: inimicorum hoſtiúmque vlciſcendorum copiam faxitis. Idem *lib. 5. decad. 5.* Inde, quod ad honorem deorum immortalium pertineret, decreuit Senatus, vt quoniam perduelles ſuperati Perſeus & Gentius reges cum Macedonia atque Illyrico in poteſtate pop. Rom. eſſent, &c. Olim perduellionis crimen inter ſcelera atrociſſima reponi ſolebat. Vnde Horatius, ob ſororem interfectã, huius nepharij criminis iudicium ſubire eſt iuſſus, & hoſtilitatis reus peractus eſt. Quod quidem iudicium exercuit Tullus Hoſtilius: & conuocato populo Duumuiros fecit, qui perduellionem Horatium iudicarent ſecundum legem: cuius legis carmen prodit Liuius. Duumuiri perduellionem iudicent: ſi à duumuiris prouocarit, prouocatione certato: ſi vincent, caput obnubito, infelici arbori reſte ſuſpendito: verberato vel intra pomœrium, vel extra pomœrium. Quæ lex horrendi carminis, grauitatem facinoris in perduellione, qui velut hoſtili manu (hoc ipſum perduellis nomine ſignificante) perpetrarat, indicabat. Cicero *lib. 1. Officio.* Equidem illud etiam animaduerto, quòd qui proprio nomine perduellis eſſet, is hoſtis vocaretur, lenitate verbi triſtitiam mitigante. Hoſtis enim apud maiores noſtros is dicebatur quem nunc peregrinum dicimus.

FORNERIVS.

QVOS NOS. ¶ Vt nummorum, ſic vocabulorum, temporibus mutationes accidunt: vt de telo proxime, antea, de ære. *l. 141. etiam. h. t.* nunc de hoſte, qui priùs peregrinum, nunc eum, quo cum bellum geritur, ſignificat. Plautus *in Curculione.*

Status, condictus, cum hoſte intercesſit dies. Hoſtem nunc more veteri ſignificat peregrinum. M. Tullius *lib. 1. Officior.* [Qui proprio nomine perduellis eſſet, is hoſtis vocaretur, lenitate verbi triſtitiam mitigante: hoſtis enim apud maiores noſtros, is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant duodecim tabulæ, Aut ſtatus dies cum hoſte: *itémque,* Aduerſus hoſtem æterna auctoritas.] Macrobius *lib. 1. Saturnal. cap. 16.* Aul. Gellius *lib. 16. c. 4.* Hoſtire, hoſtimentum. Feſtus. & Nonius. De hoſtibus autem cum multa, tum hæc veteribus cauta meminimus. Hoſtem non debere quemquam, intra mœnia domi ſuæ retinere. Cicero *5. in Verrem.* Qui prouocatus ab hoſte, non pugnauerit, capite puniatur. Quinctilian. *declam. 317.* Ad hoſtes quædam non exportantur impunè. *lib. 4. C. tit. 41.* Leonis *Nou. 63.* de eorum, qui ad hoſtes tranſeunt, pœna: ecquid ſi ſua ſponte reuertantur, eiuſdem *Nouel. 67.* Qui hoſtili animo in patriam arma feret, occidi impunè: etiam à filio patrem, vel contrà, ſine ſcelere. *l. 35. minime. de relig. & ſumpt. fu.* Hoſtem, vt nec proditorem ſepelire, nec lugere oportet. Quinctil. *lib. 3. c. 8. lib. 8. c. 5.* Homeri ſcholiaſtes, Νόμος τὸν προδότην μὴ θάπτεσθαι. Ab hoſtibus capti, vel hoſtibus dediti ius poſtliminij habent. *l. 4. de captiu.* Non ſeruatur iure noſtro lex Solonis, cuius ſententiam ex Ariſtotele A. Gellius refert, *lib. 2. c. 13.* [qui in ſeditione ciuili neutram partem ſecutus, ſeceſſerit, is domo, patria, fortuniſque omnibus careret, exul, extorriſque eſſet.] Eam legem ſeſe neglexiſſe Cicero ſcribit Attico, *epiſt. 1. lib. 10.* Vlpia. verò perſpicuè, [In ciuilibus, inquit, diſſenſionibus (quamuis ſæpe per eas reſpublica lædatur, non tamen in exitium reipubl. contenditur) qui in alterius partes diſcedent, vice hoſtium non ſunt eorum, inter quos iura captiuitatum aut poſtliminiorum fuerint.] *l. 21. ſi quis ingenuam, de capt. poſtl. reu.* Illud de ciuica corona notare operæ pretium eſt, Plin. *lib. 16. cap. 4.* additas ait leges arctas & ideò ſuperbas, CIVEM SERVARE, HOSTEM OCCIDERA. [Vtq; eum locũ in quo ſit actũ, hoſtis obtineat eo die: vtq; ſeruatus fateatur: aliàs teſtes nihil proſunt. Vt ciuis fuerit, &c.] ¶ Sed quid nunc cætera de hoſtib. quę poſſem infinita cõgerere, iura cómemorem? Quin potiùs datam (*ad l. 118. hoſtes. ĩ. h. t.*) fidẽ liberando controuerſa captiuorũ de vſucapione reſponſa concilio? Palã eſt, ſine poſſeſſione continenti vſucapionẽ non contingere. Vſurpatione verò, interpellatione, impediri. *l. 2. l. 3. l. 5. l. 21. et à quo. l. 25. ſine. l. 31. nunquam. l. 33. nõ ſolum: §. qui pignori. de vſucap. l. 28. ſi aliquam rem. de acq. poſſ.*

Vnde

Vnde quæſitum apud veteres, an amiſſa per captiuitatem eius qui poſſidebat, iure poſtliminij reſtituatur poſſeſſio. Captus enim fit ſeruus hoſtium, à quibus cum poſſideatur, poſſidere ipſe non poteſt. *l.23.cum heredes.de acquir.poſſ.l.118.qui in ſeruitute.ff.tit.ſeq.* Niſi forte per ſeruum filiumve familias, ex cauſa peculiari *l.44.iuſto.de vſucap.l.44.peregre.§.quæſitum.de acq.poſſ.* Papinianus quidem interruptam captiuitate poſſeſſionem poſtliminio reſtitui negat: ideò quòd poſſeſſio plurimum facti habeat: cauſa verò facti poſtliminio non contineatur *l.19.denique.quib.ex cauſ.ma.* licet bonorum ac iuris facilior ſit reſtitutio. *l.22. bona. §.pen. de captiu. & poſtl.reu.* Ingens verò inter Iulianum ac Marcellum controuerſia refertur à Paulo. Hic interpellatam captiuitate poſſeſſionem reuerſo ab hoſtibus vel ipſius ſucceſſori dupliui ratione prodeſſe contendit: Tum quòd poſtliminij, quàm peculij, fictio ſit plenior: vt ſi quod per ſeruos noſtros geritur, nobis ad poſſidendum vſucapiendumque prodeſt: idem nobis ipſis captiuitate liberatis, multò magis poſtliminij iure reuerſis proſit. Tum quòd iacens hereditas vicem perſonæ ſuſtinere fingitur: nihil vt vacare: ſed res captiuitatis tempore poſſeſſa, ſucceſſori prodeſſe videatur. Iulianus contrà, fictionem nihil ad poſſeſſionem pertinere arbitratur. Diſſidium vtriuſque ſimpliciter quidem nudéque narrat Paulus, iudicium non interponens ſuum: neque in huius neque in illius propendens ſententiam. *l.15.ſi is qui pro. de vſucap.* Triphoninus verò definit apertiùs, partibúſque arbitri fungens, Iuliani ſententiam Marcelli opinione repudiata, ſequendam pronuntiat. *l.12.in bello.§.facti.de captiu.& poſtl.reuerſ.* Ac mihi neque vlla alia, nec aliunde illius nodi videtur petenda ſolutio. Maximè cum idem & Papinianus (*d.l.19.denique*) probet, & iuris ciuilis ratio conſentiat: quæ non tam facile in factis, cuiuſmodi poſſeſſio eſt, quam in bonis, dominio, ac iure fictionem admittat. *d.l.23. cum heredes.d.§.facti.d.l.22. bona.§.pen.* Ex quo manifeſtum deprehenditur mendum. *d.l.15 ſi is qui.* vbi expoſitis duabus Marcellinæ ſententiæ confirmatricibus rationibus, protinus abſurda concluſio ſequitur, planéque iis, quæ ſuperiùs à Paulo Triphoninoque diſputantur, contraria: verſ. *Ideóque in ſucceſſionibus locum non habere vſucapionem.* Contrarium potiùs inde colligendum fuit: videlicet, ſucceſſoribus vſucapionem prodeſſe. Sed negationem ſupereſſe, & articulum (*non*) [qui Florentiæ cancellis ſeptus, tanquam ſuſpectus includitur] in quibuſdam libris deſiderari monuit ipſe Accurſius.

§. j. Locvples eſt, qui ſatis idoneè habet, pro magnitudine rei, quam actor reſtituendam eſſe petit.

Alciatvs.

Locvples. ¶ Locupletes antiqui locorum, id eſt, agrorum plenos appellabant: vnde qui ex prædiorum poſſeſſionib. diues eſt, is propriè eſt locuples. *l.2.ſupra.qui ſatiſd.* Cùm ergo in edicto prætoris, qui in ius vocati ſunt, fideiuſſorem locupletẽ iudicio ſiſti dare debeant, eum intelligemus, qui ſatis & idoneè habet, in rebus tamẽ immobilibus, pro magnitudine rei quæ petitur. Et inde conſequens eſt, vt qui pro qualitate rei, de qua agitur, ſatis non habet, dicatur pauper. Et ideo facto legato pro pauperibus puellis marito tradendis, poterit heres etiam nobilis viri filiam eligere, qui licet habeat, vnde viuat, non tamen ſalua dignitate ſua, ſi quicquam dotis nomine alienaret, viuere poſſet. Bald. *l.ſi quis ad declinandam.C.de epiſc.& cler.* Scribit Corn. Tacitus Valerio Meſſalæ conſuli, qui oratoris Coruini pronepos fuit, obtuliſſe Neronem in ſingulos annos quingenta ſeſtertia, quibus paupertatem innoxiam ſuſtentaret: quæ ſumma noſtræ pecuniæ eſt duodecim millium & quingentorum aureorum. Eam, ſi qui hodie habent, omnium ditiſſimi exiſtimantur, & tamen tunc Meſſala paupertate laborare credebatur. In arbitrio itaque Ius dicentis erit, vt ex perſonarum & rerum qualitate diiudicet, quem locupletem, quémque pauperem ducat. Vt quis verò ab accuſatione propter paupertatem reiiciatur, ſufficiet ſi minus quàm quinquaginta aureos in bonis habeat. *l.nonnulli.de accuſ.* Abſurdum forte viſum eſt, illum ad criminis executionem admittere, qui ſi aduerſus edictum eum cui venia debetur, in ius vocaret, non haberet vnde pœnam ſolueret. *l.fin.de in ius voc.*

Fornerivs.

Locvples. ¶ Plerique hoc ad eam legem referunt, cuius ab A.Gellio *lib.16.cap.10.* verba recitantur. [Aſſiduo vindex aſſiduus eſto: proletario ciui, qui vis volet, vindex eſto.] Vix autem ipſe Caium quid locuples, non quid aſſiduus ſit, definientem eò reſpexiſſe mihi perſuaſerim. Cum neque id certò confirmet Gellius, hac præfatione μνημονικὸν ἁμάρτημα deprecatus (*in quibus, ſi rectè commemini, ita ſcriptum eſt.*) Cuius præcipua in eo ſermone opera ſumitur, vt aſſiduum ac proletarium, non locupletem, interpretetur. Idem autem *lib.1 . cap.5* Locupletem ait dictum, qui pleraque loca, hoc eſt poſſeſſiones ac prædia teneat. Caius verò hic, qui ſatis idoneè habet pro rei magnitudine, quam actor ſibi reſtitui intendit poſcere: qui ſcilicet ſoluendo eſt. *l.vlt.ff.de reb.cred.* Qui poſſit diſſoluere, qui datis libertatibus, creditores fraudaſſe non intelligatur. *l.3.de manumiſſ.l.57 ſi locuples.de manumiſſ.teſt.* Quod interdum non tam ex facultatibus, quam conueniendi facilitate æſtimatur: vt in dato iudicio ſiſtendi cauſa fideiuſſore. *l.1.qui ſatiſd.cog.* Mulieres quamuis diuites, quia S.C. exceptione tutæ, non rectè intercedunt. *tot.tit.ad S.C.vell.* nec clerici, qui fideiuſſionibus ſeſe implicantes, deponuntur. *c.1.de fideiuſſ.ex apoſtol.can.20.* Κληρικοὺς ἐγγυητὰς γίνεσθαι καθαιρεῖσθαι. ne vel lucri ſtudio, vt ibi Zonaras cenſet, vel rerum ſecularium procuratione, ac fori nundinationibus occupentur. *Nouel.123.l.36. repetita. C.de epiſc. & cler.* Cum vitiosè ſatiſdatur, vel cauetur non videtur cautum. *l.6.quoties.qui ſatiſd.cog.* Interdum re & fide idonei, tam moribus, quàm facultatibus habentur. *l.1.C.Theod.de patr.hor.pertinenſ.l.7.ad ſuſceptionem.l.9.ſuſceptoribus.C.Th.de ſuſcept.prapoſ.& arc.* Neque verò dignitas, & facultates tantùm ad fidem valent, quantum benigni mores. Modeſt. ὅτι γὰρ ἀξία, ὅτι ἀξίωμα ὑ-

τῶ

*τοὺς ἱκανὸν πρὸς πίστιν, ὡς ἂν μὴ ἀφαιρέσεις, καὶ χρηστοηθείᾳ l.21.*ſi *vni.de tut. & cur.dat.* Ideóque Vlpia. Tutorem eum ſuſpectum putat, quem mores ſuſpectum efficiunt: fidelem autem & diligentem, quamuis pauperem, minimè remouendum. *l.8.ſuſpectum.de ſuſp. tut.* ¶ Quamobrem variè locupletem, pro re ſubiecta accipimus. Propriè quidem eum, qui ſolidum ſoluere poteſt *l.114.ſoluendo.* ⁊ *.h. t.* Sed & eum cuius nomine fideiuſſores idonei interueniunt. *l.95. nemo dubitat.* ⁊ *.in.ſeq.* Contrà verò qui ſatiſdare nolit, quamuis alioqui locuples, non videbitur idoneus. *l.110.nemo.* ⁊ *.in.ſeq.* §.*ſi verò.* §.*ſinautem. de ſatiſd. Inſt.* lege autem Iulia Papia, de iure patronatus, in ſucceſſione liberti, locuples definitur, qui centum millia ſeſtertiorum poſſederit. §.*poſteà.de ſucceſſ.libert. Inſti.* Vtplurimùm ſanè, is minùs locuples habetur, cuius facultates æri alieno ſunt impares: & à quo creditores ſuum conſequi non poſſunt. *d. l.57.ſi locuples.* Theophilus. §.1.*quibus ex cauſ. manumitt. lic.* Cæterùm de æris alieni pudore & miſeria, honeſtos pro diuitibus accipi, pauperibus onera & liturgias remitti oportere: qui non habet in ære, quando corpore exerceatur: alio tractabimus loco: Nunc illud vnum addidiſſe ſufficiat, ampliſſimas facultates, cum de reorum cuſtodia agitur, quaſi pignoris haberi loco. *l.1.* ⁊ *.de cuſtod. & exhib. reor.* & poſſeſſores rerum immobilium ſatiſdare non compelli. *l.pen. qui ſatiſd. cog.* Sunt enim verè locupletes, locorum pleni: in quibus, inquit, Nonius, poſitæ eſſent veterum diuitiæ. Quinctilian. *lib.5.cap.10.* Plinius *lib.18.cap.3.*

§. ij. VERBVM viuere quidam putant ad cibum pertinere. ſed O filius ad Atticum ait, his verbis & veſtimenta & ſtramenta contineri. ſine his enim viuere neminem poſſe.

ALCIATVS.

VERBVM VIVERE. ¶ Superius à nobis tractatum fuit, quemadmodum appellatione victus, etiam veſtimenta continentur. Additur hîc etiam ſtramenta cōtineri, quo nomine ſignificatur omne quod ſolo cauſa quieſcendi inſternitur, vt ſtoreæ, phormiones, paleæ, & matiæ: vnde & vulgò mattaracia vocamus. ¶ Sed quod de verbo, viuere, hîc dicitur, num & in verbo, nutrire, eandem interpretationem accipiemus? & apud Cornæum, *conſ.45.in 4.* reſponſum extat, idem eſſe. Quid ſi cibare dictum ſit? & aliud eſſe arbitror, cùm conſtet cibum cibariáque ad eſculenta ſolùm referri. Cibi verò appellatione potum quoque contineri, Archid. *c.in quibus.de conſec.diſ.2.* dubium non eſt. at Cibarium panem antiqui intellexerunt nigriorem, à quo fur excretum non eſſet, ſicut ſimilagineum albicantiſſimum, qui ex ſolo flore conſtat.

FORNERIVS.

VERBVM. ¶ De vinctis debitoribus, quos creditores in carcere alere tenebātur, ita lege xij. Tab. cautum fuiſſe A. Gellius teſtatur *lib.20.cap.1.* [Si volet, ſuo viuito: ni ſuo viuit, qui eum vinctum habebit, libras farris endo dies dato: ſi volet plus dato.] quò pertinet. *l.34.ſi victum.de re iudic.* quæque tom. *lib.1.cap.6.ſelectionum: tam ad l.43.verbo victus.* ⁊ *.h.t.* notauimus.

CCXXXV. IDEM lib. iij. ad legem xij. Tab.

FERRI propriè dicimus, quæ quis ſuo corpore baiulat: portari ea quæ quis iumento ſecum ducit: agi ea quæ animalia ſunt.

ALCIATVS.

FERRI. ¶ Enarrat Iuriſconſultus differentiam inter hæc verba, ferri, portari, agi: vt ferri ſit proprio corpore baiulare: portari, ſecum cum iumento ducere. Quapropter aliqui prodiderunt, cùm lege municipali caueretur, ne quis triticum extra territorium portaret, ſolùm de eo actum videri, qui cum iumento duceret: quibus tamen ipſe minimè aſſentior: cùm enim hoc conſtituatur, vt vilior ſit annona ciuibus, ſiue iumento, ſiue per baiulos, ſiue quoquo alio modo quis deferat, par eſt ratio: nimis enim propria & ſubtilis eſt hæc Iuriſconſulti noſtri interpretatio: quandoquidem & portari dicitur, quòd quis ſuis humeris fert, vt rectè Valla annotauit ex Terentij Horatiique carminibus, quorum alter, Mi, inquit, homo quid iſtuc obſecro? quò puerum portas? Alter verò, Ne fortè ſub ſub ala: Faſciculum portes librorum, vt ruſticus agnum. Illud nō diffiteor, qui guſtus cauſa annonam abſportarit, non videri aduerſus eam legem feciſſe: quod a nobis *Diſpun.lib.4.* adnotatum eſt.

FORNERIVS.

FERRI. ¶ Notatam à Caio horum verborum proprietatem non perpetuò iuris auctores obſeruarunt. Ferimus baiulando corpore: portamus ope iumenti, muli, bouis, aſini, plauſtri. Agimus animantia, ducimus, minamus. Coniunguntur interdum tollēdæ ambiguitatis gratia: interdum confunduntur. ab Vlpiano *l.1.ſi quis ius dicent.l.11.ſed & ſi ad exhib.l.58.ſi id quod.pro ſocio. l.penul.de tutis.* Paulo. *l.pen.de vi public.* Euſtathius *in Homerum*, vbi eandem apud Græcos differentiam obſeruaſſet: *ἄγεσθαι κυρίως μὲν ἐπὶ τῶν ἐμψύχων λέγονται τὰ ἔμψυχα, καὶ αὐθέντα. φέρεσθαι δὲ ἐπὶ καταλείπων τὰ ἄψυχα.* fatetur vnum pro altero promiſcuè vſurpari. *καταχρηστικῶς δὲ θάτερον ἀντὶ θατέρου λαμβάνεται.* Vnde latinis, agere, ferre: & Græcis, *ἄγειν, φέρειν.* Inuecta & illata, Scholiaſtes Baſilic. ſynopſ. *lib.20.titul.1.* Inuecta mobilia, illata, mouentia expoſuit.

§.j. FAR

§. j. FABROS tignarios dicimus non eos dumtaxat, qui Tigna dolarent: ſed omnes qui ædificarent.

ALCIATVS.

FABROS. ¶ Fabri dicuntur manu artificium aliquod facientes éſtque generale nomen: vnde ex adiectione ſolet diſtingui. vt cùm dicimus, faber lignarius, faber murarius, faber aurarius, & ſimilia. Cæterùm quia lege xij. Tab. *l. tigni. ſ. eo.* tigni appellatione omnis materia. vnde domus confici poteſt, continetur, ideo in ea faber tignarius intelligitur, omnis qui ædificat. Videtur tamen in ſpecie fabrum accipi pro lignario, ſeu materiariu tantùm qualem Græci τέκτονα vocant, cuius vocis meminit Papinian. *l. pen. de vi publ.* dum licitum eſſe tectoni tradit, trochos, id eſt, rotas extra ergaſterium proponere. A fabro deducitur verbum Fabrico vnde & Fabrica, quę quidem & ipſa generalis dictio eſt, in authent. *de armis, in princ.* ſed in conſtitutionibus ſpecialiter accipitur pro armorum factione: vnde & Fabricenſes dicti: in quem ſenſum & fabricæ Cremonenſis meminit Ammianus Marcel. *lib.* 15. *l. pen. §. pen. de iure im.* Erant & collegia fabrûm ea de cauſa inſtituta, vt quoties in vrbe aliquod incendium excitaretur, ad illud compeſcendum accurrerent, eorum inſtrumenta hæc connumerat Vlpianus. *l. quæſitum. de fun. inſtr.* licet corrupta ſint exemplaria, Centones, funes, perticæ, ſcalæ, phormiones, ſpongiæ, hamæ, ſiphones, & acetum: hæc enim incendij extinguendi cauſa parantur. Siphonis in hunc vſum & hamæ C. Plinius quadam ad Traianum epiſtola meminit, *lib.* 10. itémque Iuuenalis *Satyra* 14. Diſpoſitis prædiues hamis, & ſubdit: Dolia nudi non ardent Cynici: vt appareat de inſtrumento quod ignium cauſa habetur, loqui, licet interpretes hoc non perceperint. Eſt autem hama falcis vel ſarculi ſpecies. & ita ſolet Græcis accipi: ſed his in locis aliter videtur dicendum: nam & eo nomine vaſculum ferreum ſignificatur Heſychio: eſt & fabrile inſtrumentum, quod ab igne πυράγραν quoque vocant, Suidæ.

BRECHÆVS.

FABROS ¶ Laurentius Valenſ. *lib. 4. elegantiarum. c.* 44. exiſtimauit Fabros & fabricam propriè de lignariis dici, vt artificium, de artificis: in quo longè fallitur. Tam enim dicitur faber ferrarius, lapidarius, & aurarius, quàm lignarius. Fabrum autem Græci τέκτονα vocant, παρὰ τὸ τεύχειν, quod Suidas docet vocabulum ad lapidarios ſimul & ad lignarios pertinere. Aliquãdo τέκτονα architectum etiam vertunt. Tritum eſt apud Latinos prouerbium. Quas ſtruxit faber compedes ipſe ferat. Cuius quoque meminit Auſonius, & Rhodoginus *lib.* 17. *lectionum antiq. c.* 8. Quod videtur fabris ferrariis maximè conuenire. Fabros præterea cæmentarios, & ærarios dixit Vitruuius. *lib. 1. cap.* 2. Et fabricam ipſe (à qua fabros nominamus) definit eſſe continuatam ac tritam vſus meditationem. quæ manibus perficitur è materia cuiuſcunque generis. Quare faber eſt dictio media, quæ ſecundum epitheta & adiecta ſignificationem admittit. Itaque fabros tignarios dicimus (inquit Caius) omnes qui ædificarent. Nam cùm tignum dicatur quicquid ædificationi paratum ac deſtinatum eſt, ſicut materia, a tigno faber tignarius denominatur: quemadmodum à materia, materiarius. Vide quæ diximus ſuprà *in l. tigni appellatione.*

FORNERIVS.

FABROS. ¶ Quonam hæc definitio, niſi ad tignum iniunctum referatur, non video. De quo quid lege xij. Tab. caueretur, ſuperiùs oſtendimus. Porrò ducto à coniugatis argumento: Si tigni nomine omnem ad ædificandũ idoneam materiem, in lege xij. Tab. accipimus. *l. 7. tigni. ſ. ad exhib. l. 1. de tign. iniunct. §. cum in ſuo. de rer. diuiſ. l. 62. tigni. ſ. h. t.* relinquitur, tignarios fabros, non eos ſolum, qui tigna dolarent, ſed omnes qui ædificarent, intelligi. Quanquam tria ædificiis extruendis adhiberi ſolita artificum genera, diſtinxerit in Grypho Auſonius: quorum alij tectores, tignarij. materiarij: Sed & Officinatorem Victruuius *lib. 6. cap. vlt.* vocat fabrum, ſtructorémque parietarium: Cuius probatur exactio, cum ſubtiliter ædificium perfectum accipitur. Quo nomine magiſtrum quoque officinæ ſignificaſſe videtur L. Apuleius *lib. 9. Mileſiar.* [Forenſi negotio officinator noſter attentus ferias nobis fecerit.] Cæterùm quod de Ergolabis, ædificiorúmque redemptoribus, ſuſceptum opus fraude deſerentibus, conſtituitur à Zenone, id inde opinor, manat: quòd cum eiuſmodi artificum eſſent conſtituta collegia (vt ex veterum lapidum monumentis, quæ mox proferentur, apparebit) facilè in conciliabula, & monopolia, niſi occurſum fuiſſet, conuenirent. *l. vn. C. de monopol.* Romæ in ædib. Iul. Porcarij: MAGISTER QVINQVENNALIS COLLEGII FABRORVM TIGNARIORVM, &c. item Fani MAG. QVINQ. COLL. FABRVM TIGNARIORVM, &c. De quibus nonnihil *lib. 3. Selectionum, c. 3.* diſſerui.

CCXXXVI. IDEM lib. iiij. ad legem xij. Tab.

QVI venenum dicit, adiicere debet vtrùm malum, an bonum. nam & medicamenta venena ſunt: quia eo nomine omne continetur, quod adhibitum naturam eius, cui adhibitum eſſet, mutat. cum id quod nos venenum appellamus, Græci φάρμακον dicunt. Apud illos quoque tam medicamenta, quàm quæ nocent, hoc nomine continentur. vnde adiectione alterius, nomine diſtinctio fit. admonet nos ſummus apud eos poëtarum Homer. nam ſic ait, φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

ALCIATVS.

QVI VENENVM. ¶ Venenorum quæ ſolùm nocumento eſſe poſſunt. *l. quod ſæpe. §. 1. de contrah. emp.* prohibitum eſt commercium, vnde de eis nec ſocietas, nec emtio cõtrahi poteſt: atqui lex Cornelia etiam pigmẽtarios punit. *l. 3. de ſicar.* qui temerè huiuſmodi vendiderint, qualia ſunt cicuta, ſalamandra, aconitum, pityocampæ bupreſtis, mandragora, cantharides: quorum venenorum remedia diffusè attingit Dioſcorides *lib. 6.* Igitur quoniam in malis venenis hæc iure conſtituta ſunt, cùm quis veneni mentionem facit, explicare debet, an de iſtis intelligat: vox enim hæc media eſt, in bonam quoque partem accipi poteſt: nam & medicamenta venena dici poſſunt, quòd eo nomine omne contineatur, quod naturam eius, cui adhibitum eſt, mutet. Vnde Vergilius: Ille malum virus ſerpentibus addidit atris: vt oſtenderet, eſſe quoque aliquod virus, quod malum non ſit. Idem & Græci fecerunt, qui φάρμακον, id eſt, venenum, adiectione qualitatis diſtinguunt, vt Homerus in Odyſſeæ quarto: φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά. Mixta venena quidem bona ſunt, ſunt plurima amara. Et alibi φάρμακον ἀνδροφόνον. Sic & Hieronymus in Ruffinum: φάρμακον θανάσιμον, id eſt, lethale. ¶ Et his exemplis ſatis conſtat, eum, qui venenum ſe dediſſe alicui fateatur, non tamen tanquam veneficum puniri poſſe, cùm de medicamento ſalubri intelligi poſſit: quod in non diſſimili caſu Alexand. quoque reſpondit. *conſil. 115. in 3.* Nam & Vergilius, Nec Aſſyrio, inquit, fucatur lana veneno, cùm de purpureæ conchæ ſpuma intelligeret, quæ omni nocumento caret. Hodie tamen vulgaris conſuetudo admiſit, vt quoties veneni mentionem facimus, de malo intelligamus: quæ verò bona ſunt, ſimpliciter medicamenta appellemus. Quare in hominis illiterati ſermone, forenſibúſque hiſce ſcribliginibus, non putarem hanc Iuriſconſulti differentiam obſeruandam.

BRECHÆVS.

QVI VENENVM. ¶ Venenum dicitur, quod inter venas eat. Vnde Poëtæ frequenter accipiunt venenum pro amore. Virgilius *lib. 4. Æneid.*

Vulnus alit venis & cæco carpitur igni.

Et *libro primo.*

Occultum inſpirans ignem, fallitque veneno.

Qui (inquit Caius) venenum dicit, adiicere debet, vtrùm bonum eſſet, an malum. Eſt enim venenum τῶν μέσων, & ex his quæ ex coniuncti ſunt epitheta: vt ferrum, ait Seruius, odor, facinus. Nam inutile ferrum dixit Virgilius: dicitur & odor bonus & malus, bonum facinus & malum facinus. Sic bonum venenum, & malum venenum: cum medicamenta ſæpe venena ſint. Apolonius Tyanæus apud Philoſtratum *lib. 3. c. 18.* dicebat neceſſarium eſſe venenis vti ad permultas ægritudines: & qui medicamentis perniciosiſſima venena miſcuiſſent, non abſque ratione & præcognitione quadam id feciſſe. Ea ratione Græci φάρμακον dicunt συμμαχοῦν pro medicamento adiuuante naturam aduerſus morbos graſſanteis, & pro nocente ac veneno. Quod hoc loco Caius *ex Homeri Odyſſ. 4.* comprobat. Quem quidem locum Budæus *in Annotationibus poſterioribus* latiùs repetit, & docte interpretatur. Sæpius tamen φάρμακα ab illis accipiuntur pro medicamẽtis quæ aduerſus morbos adhiberi ſolent: & quod medicari dicimus latinè, φαρμακεύειν dicunt illi: quod pro hac ſignificatione familiare eſt Hippocrati. Is *lib. 1. Aphoriſmorum.* κύουσαν φαρμακεύειν καὶ κινεῖν μὴ ἅμα, &c. φαρμακεύειν, τουτέστι, χρῆσθαι φαρμάκῳ καθαίροντι: ſic enim φαρμακεύειν Galenus in Hippocratem interpretatur. Et idem Hippocra. *lib. 4. Aphor. 22.* τοὺς κοιλίας φαρμακεύειν δεῖ ὀργᾷ. &c. Vtero gerentes medicari oportet: id eſt, medicamento purgante vti. Inde φαρμακεία Galeno & Philotheo teſtibus idem eſt quod κάθαρσις Hippocrati, qui medicamenta purgantia φάρμακα appellat. Et quemadmodum eam medicinæ partem quæ circa ſectiones & vſtiones verſatur, χειρουργίαν, ſic eam quæ medicamentorum eſt, φαρμακείαν dicunt illi. Herodoto colores ſunt φάρμακα, ſicut venenum Vergilio *Eclog. 2.*

Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno.

Nam re vera nec ſine veneno purpureus color, & is quem hodie Scalattam & Crameſium vulgò vocant, non ſine veneno ſolet confici. ¶ Quando igitur venenum dicimus, bonum vel malum adiicere debemus. Sic enim Vlpianus *in l. cætera. §. 1. ff. famil. herciſcun.* dixit mala medicamenta & venena in iudicium familiæ herciſcundæ venire. Sed hæc ſignificationis differentia omnino à noſtris non obſeruatur: & parum πρὸς τὸ ἄλφιτα facit.

FORNERIVS.

QVI VENENVM. ¶ Quædam vocabula ancipitia, ambiguo ſenſu, in veterum ſcriptis obſeruari, quæ nunc in ſermonibus vulgi, vnam certámque rem demonſtrent: ita fuiſſe media & communia, vt duas res capere poſſent, & inter ſeſe contrarias ſignificare: literatores vtriuſque linguæ notauerunt: Veluti dolus, perſuadere τιμὴ, honos, tempeſtas, valetudo, gratia, induſtria, periculum, venenum. *l. 1. §. 3. de dol. l. 1. de ſeru. corrupt.* A. Gellius *lib. 12. cap. 9.* Ideóque diſcretionis cauſa, adiici oportet bonum vel malum. Veneni enim appellatio media eſt. Τῶν μέσων ἐστὶ τὸ ὄνομα τοῦ φαρμάκου, καὶ δεῖ προστιθέναι καλὸν ἢ κακόν. Marcianus. [Adiectio iſta veneni mali, oſtendit eſſe quædam, & non mala venena: & tam id quod ad ſanandum, quàm quod ad occidendum paratum eſt, continet.] *l. 3. §. ad leg. Corn. de ſicar. & venefic.* Medicinam dicimus & venenum, tractum à Græcis, qui venenum φάρμακον appellant, Accius apud Non. Marcellum.

Si veneris ſterilem eſſe illius opera medicinam autumas. Virgil.

Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno. Domitius Marſus in Mimiambis apud Aul. Gellium *lib. 20. cap. 8.* [Iam tonſiles tapetes ebrij fuco, Quos concha purpura imbuens venenauit.] M. Tullius *in Hortenſio.* [Vt qui combibi purpuram volunt, ſufficiunt priùs, lanam medicamentis quibuſ-

dam

dam; ſic literis talibúſque doctrinis antè excoli animos, & ad ſapientiam concipiendam imbui, & præparari decet.] Quæ hic medicamenta, ille venena: vt & alij non pauci. Sunt igitur quædam mala venena, & lethalia, noxia, δηλητήρια necandi hominis gratia comparata. *l.3. ad leg. Corn. de ſicar. l.7. ſi ſciente. §. de leg. Pompeia. de parricid.* Paulus *lib.5. tit.23. ſentent. l.4. famil. erciſ. l.35. quod ſæpe. de contr. emp.* Quædam verò bona ac ſalutaria. Caſſiodorus *lib.7. epiſt. vlt.* [Nam venena ipſa ſi iuuare probantur, accepta ſunt: è contrà fugienda: eſt ſuauitas mellis, quæ inferre dignoſcitur læſiones.] Etenim ſæpenumerò venena proſunt. Plinius *lib.25. cap.4.* Qualia ſunt antidota, & theriaca: de quibus in iure legatorum ambigitur, vtrùm penoris, & inſtrumenti appellatione cõtineantur. *l.5. de penu leg. l.12. quæſitum. §. idem reſpondit. de fund. inſtr.* Quæ miſcentur ita ac temperantur, vt nobis multum conferant: qualia ſunt à Nicandro luculenter expoſita, quæ μεμιγμένα dicuntur, cum venenum veneno aduerſatur: alterum altero vincitur. Plinius *lib.24. cap.17. ſi.* vt idem de aconito, [Duo venena inquit, in homine commoriuntur, vt homo ſuperſit. *lib.27. cap.11.* Caius eorum ſententiam, qui putarent, veneni mali non contrahi emptionem, veram ait videri, de iis, [quæ nullo modo adiectione alterius materiæ vſui nobis eſſe poſſint: De iis verò quæ mixta aliis materiis, adeò nocendi naturam deponunt, vt ex iis antidota, & alia quædam ſalutaria medicamenta conficiantur, aliud dici poſſe.] *d. l.35. quod ſæpe.* De veneno quidem malo aliquid in legibus xij. Tab. vel ex hac Caij ad eas leges diſputatione, ſcriptum fuiſſe arguitur. Quid verò illud fuerit, non auſim affirmare: Niſi forte (ſi coniecturæ locus datur) decemuiri, cum magicas incantationes, & γοητείας prohiberent, & de malis venenis cauerint. Plinius *lib.28. cap.2. lib.3. cap.1.* Nam & poſteriores iuris conditores vtrique præſtigiarum generi coniunctim pœnas aliquando minitantur. *d. l.4. fam. erc. tit. C. de malefic. & math.* Sed quoniam id parùm nobis liquet, ſatius videtur, vt quæ noſtri auctores huius mali tollendi gratia, conſtituerint, in medium afferamus. Inprimis veneni mali commercium interdicitur. *d. l.35. quod ſæpe.* Neque arbiter familiæ erciſcundæ iudicio coheredes id inter ſe diuidere patietur. *d. l.4. fam. erciſc.* Commentarienſis reorum cuſtodiæ præpoſitus, in carcerem inferri venenum paſſus, pretio corruptus iudicis arbitrio punitur: ſi neſcit, ob negligentiam remouetur. *l.8. carcer. de cuſtod. & exhib. reor.* Venditor ſerui, ob veneni ſuſpicionem emptori cauet, nihil ſe dolo malo feciſſe, quo ſeruus læderetur. Theophilus. *de diuiſ. ſtipul. l.7. & eleganter. §. qui ſeruum. de dol. mal.* Qui per vim, vel ſuaſum medicamentum alicui infudit, vel eum malo veneno vnxit, in legem Aquiliam incidit. *l.9. item ſi obſtetrix. ad legem Aquil.* Imò qui necandi hominis cauſa venenum confecerit, dederit, pœna legis Corneliæ tenetur. *l.1. §. ad leg. Cornel. de ſicar.* Sed & filius, qui emit venenum, vt patri daret: quamuis non potuerit dare, parricidarum pœna, fratrem autem eius, qui cognouerit tantùm, nec patri indicarit, relegatione: medicum ſummo ſupplicio affici placuit. *l.1. l.2. de leg. Pomp. de parricid.* In criminum à principe reis cõceſſa indulgentia excipitur veneficus. *l.3. l.4. l.6. l.7. l.8. C. Th. de indulg. crim.* [Qui noxiis quæſita graminibus, & dira immurmurata ſecretis, mentis & corporis venena compoſuit. *d. l.6.* Et quò faciliùs apertæ inimicorum vi, & armis reſiſtere, quàm occultis venenorum fraudibus occurrere poſſumus, & ſceleratius habetur hominem veneno, quàm gladio interimere. *l.1. C. de malefic. & mathem.* Venenum quàm telum vitare difficilius. *l.1. ad S.C. Syll.* Inde venena dicuntur inſidiæ. *d. l.4. C. Th. l.5. ad S.C. Syll.* Ideóque ibi occiſi dicuntur, per vim interfecti, iugulati, ſtrangulati, præcipitati, vel ſaxo, vel fuſte, lapide, telo percuſſi, non veneno necati, aut etiam quo alio, quo clam necari ſolent, interempti. Quia toties puniuntur ſerui, cum periclitanti domino aduerſus vim, cum poſſent, opem non tulerint, non aduerſus eos, qui clam inſidiantur. *d. l.1. §. occiſorum. l.20. heres. ll. ſeqq. ad S.C. Syll.* Et verò cum multa ſint, quibus vita noxiis adimitur genera pœnarum, ſi damnetur quis ad gladium, non oportet in eum ſecuri, fuſte, laqueo, vel quo alio modo animaduertere. *l.8. aut damnum. § de pœn.* Græci addũt, neque veneno: eumque Vlpiani verſum *tit.51. lib.60.* Baſilicôn ita conuerterunt. Μόνῳ δὲ ξίφει, καὶ οὐχ ἑτέρῳ ὀργάνῳ, ἢ φαρμάκῳ δεῖ φονεύειν: Venenorum fraudes Romani, ne aduerſus quidem hoſtes probauerunt: vt Plutarchus *in Pyrrho.* Gellius *lib.3. cap.8.* Val. Maximus *lib.6. cap.6.* Corn. Celſus. Caio Iulio Caliſto, [Ne hoſtibus quidem, inquit, malum medicamentum dabit, qui ſacramento medicinæ legitimè eſt obligatus.] § Quid ſi non necandi hominis, ſed vel lædendi tantùm, vel ſuipſius, non alterius interimendi, vel abortus procurandi cauſa venenum comparetur? Non impunè erit. Paulus *lib.5. ſentent. tit. 23.* Veluti ſi ſit amatorium, quamuis enim, ſi dolus abſit, non cadit in legẽ Corneliam, ex ſenatuſconſultis & aliis legib. pœna manet nihilominus. *d. l.9. ſed ſi obſtetrix. d. l.3. §. adiectio. ad leg. Cor. de ſic.* Malus ſeruus & redhibẽdus, qui quo ſe reb. humanis extraheret, medicamentũ pro veneno biberit: quaſi quiduis in aliũ admiſſurus, qui hoc aduerſus ſe auſus fuerit. *l.23. cũ autem. de æd. ed.* Et mulier prægnãs viſcerib. ſuis vim inferens, quo partũ abigeret, caſtigabitur. *l.8. ſi mulierẽ. ad leg. Corn. de ſic. l.39.* Cice. *de pœn.* Ancyranæ ſynodi *can.21.* Baſilij *can. x. Synodi 6.* in Trullo *can.91.* & vtrobiq; Theo. Balſamon. Ei qui abortionis, aut amatorium poculum dant, quãuis dolo id nõ faciant, quia tamẽ res pernicioſi exẽpli eſt, metalli, & relegationis pœna indicitur: interdũ & vltimũ ſupplicium. *l.38. ſi quis aliquid. de pen.* Imò verò ſi ex eo medicamine, quod ad ſalutem hominis, vel ad remedium detur, homo perierit, qui dedit, ſi honeſtior, relegatione, humilior capite plectitur. *d. tit.23.* Vſqueadeò periculoſa res, vt ne habere quidem impunè domi venenum liceat: quamuis eo non vtaris. Seneca *lib.3. controuerſ. vltim.* [Venenum habere ſcelus eſt, tam magnum, quàm dominum occidere.] Quod Caliſtratus, in maleficiis voluntatem, non exitum ſpectari ait, *l.14. Diuus. ad leg. Corn. de ſic.* ipſe de veneficiis (ex Seruij *in 6. Æneid.* interpretatione) accipio. Attica lege Theophraſtus *lib.9. hiſtor. plantar.* cautum refert, vt qui aconitum poſſideret, vltima pœna afficeretur. M. Tullius *in Cluentiana defenſione*, legis Romanæ meminit, quæ iuberet de eius capite quærere, QVICVNQVE VENENVM MALVM FECIT, FACERIT: EMERIT, HABVERIT, DEDERIT. ait, HABVERIT: quaſi ad damnationem, id (cuius cura cuſtodiáque ſceleris ſuſpicione non vacat) vel habuiſſe ſufficiat. Quod poſteà in legem

Corneliam de ſicariis & veneficiis tranſlatum ex Marciano colligitur: Cuius *cap.* 5. plecti ait, eum, [Qui venenum malum necandi hominis cauſa fecerit, vel vẽdiderit, vel habuerit.] *d. l.* 3. *ad leg. Corn. de ſicar.* Habuiſſe igitur venenum, fraudi fuerit: imò etiam noſſe. Pſeudo Quinctilianus *declam.* 13. quæ APES PAVPERIS inſcribitur: [Crimen iſtud, inquit, non priuatam taxationem formulæ merebatur. Venenum leges habere, emere, noſſe denique vetant: ineuitabilem peſtem occulta fraude graſſantem. Malè hæret ibi innocentia, vbi in poteſtate eſt ſecretum ſcelus, velut venenum, & quidem præſentaneum: inuentum, compoſitum eſt.] Quamobrem Vlp. iudicem (qui mala medicamenta & venena in hereditate diuidenda inueniſſet) monet vt boni & innocentis viri officio fungatur: & libros improbatæ lectionis corrumpat *l.* 4. *fam. erciſc.* Et quoniam malarum artium ſcientia vetita eſt. *l. pen. C. de mathem.* ne eiuſmodi lethali pernicie, tanquam veneno malo imbutæ hominum mentes intereant, impiorum libri conquirendi ſunt, & publicè comburendi: quod de Hermogenis magi ſcriptis factum, Abdias *lib.* 4. Numæ, T. Liuius, & Gellius referunt. Et verò fieri oportere legibus noſtris admonemur. *l.* 6. *damnato. C. de heretic. l.* 34. *Ennomiana. C. Th. de heret. Nouell.* 42. Lactantius *lib.* 1. *cap.* 22. Nomocanonis *tit.* 12. *cap.* 3. Enimuerò, ſi prolatos à Caio hic Homeri de Ægypto verſus, Plutarchus in eo, quem de poëtarum audiendorum ratione conſcripſit libro, contendit veriùs de poetica dici poſſe: quanto maiore cura ſcelerata neſandarum diſciplinarum monumenta de medio tollenda, delendáque penitus arbitramur? *l. vlt. de malefic. & math. C. Th.* Paulus *lib.* 5. *ſentent. tit.* 21. & 23. & Franciciæ legis *lib.* 1. *cap.* 73. *Summus.* ¶ Sic de Chryſippo Marcianus: *philoſophus ſummæ Stoica ſapientiæ:* ſed legendum (vt hic) *ſummus. l.* 2. *§. de legib.* φάρμακα. ¶ De fertilitate Ægypti, ex *lib.* 4. *Vlyſſea*, quæ idcirco Homero quidem ζείδωρος ἄρουρα: Greg. Nazanzeno καρποδότης vocatur. Dionyſio Alexandrino, λιπαρὴς πεδόν, καὶ εὔσταχυ: quòd ſit, vt idem ait, ἐυλειμών τε καὶ ἀγλαὰ πάντα φέρουσα. publicum olim orbis horreum nominatam Ariſtotelis auctoritate tradit Strabo *lib.* 17. embolæ ſacræ, & ſpecierum, & frumenti inuectiones eo pertinent, de quibus *l.* 10. *iubemus. C. de ſacr. eccleſ. l.* 2. *C. de nauib. non excuſ. de frument.* Alexandr. *lib.* 11. *Cod. & l.* 1. *lib.* 4. *tit.* 26. *C. Th.*

§. j. GLANDIS appellatione omnis fructus continetur, vt Iauolenus ait, exemplo Græci ſermonis, apud quos omnes arborum ſpecies ἀκρόδρυα appellãtur.

ALCIATVS.

GLANDIS. ¶ Interdixerat prætor, ne vis ei fieret, qui ex agro ſuo in alienum agrum caducam glandem, tertio quoque die legeret: quæſitum fuit à Priſco Iaboleno, quid glandis appellatione veniret? *l.* 1. *de glan. leg.* reſponſumq́; eſt, omnes fructus contineri, exemplo Græci ſermonis, apud quos omnes arborum ſpecies vocantur ἀκρόδρυα, nimirum ἀπὸ τῆς δρυὸς, id eſt, à quercu: vnde eodem ſenſu & δρύκαρπα omnes arborei fructus dicuntur. Diligentiſſimi tamen grammaticorum aliter Acrodrya interpretantur: intelligi enim eo nomine ſolùm volunt, quæ lignoſi exterius fructus ſunt, vt nuces, caſtaneæ, piſtacia, màlum punicum, & ſi qua ſimilia: ſicuti ὀπῶραι è conuerſo, quæ extriuſecus mollia ſunt, vt màla omnia: ſed nobis Iuriſcõſulti ſententia videtur verior. Et cùm ſemel atque iterum Latinas voces exemplo Græci ſermonis hoc in reſponſo declarari videamus, argumentum ſumi poteſt nobis quoque licere vulgare noſtrum maternúmque idioma ſecundum literarum ſermonem exponere: vnde cùm vernacula lingua filiolos ſuos ſe inſtituere teſtator dixiſſet, de nepotibus quoque, quorum pater iam deceſſerit, actum fuiſſe reſpondi. Illud tamen cum Alex. ſentio, *conſ.* 2. *in* 1. tametſi probetur in vulgari locutione communi vſo aliter accipi legitimum filium quàm legitimatum, non tamen conſequens eſſe, vt idem ſit in ſermone Latino: quod ab his præſertim annotandum eſt, qui vulgari loquela iudiciales interrogationes conficiunt, vt Franci & Sequani.

BRECHÆVS.

GLANDIS. ¶ Vide quæ in hunc locum ipſe Budæus ſcripſit eleganter, vbi latiſſimè interpretatur quæ ἀκρόδρυα propriè dicantur.

FORNERIVS.

GLANDIS. ¶ Manifeſta huius definitionis origo, Plinij teſtimonio tenetur. *lib.* 16. *c.* 5. lege xij. Tab. cautum, vt glandem in alienum fundum procidentem liceret colligere. Sed cum alienum fundum inuito domino ingredi, in eo venari, aucupari ius non ſit. *l.* 16. *diuus. de ſeru. ruſt. præd. l.* 13. *iniuriarum §. de iniur. l.* 11. *per agrum. C. de ſeruit.* prætor, quominus glandem cuique ſuam in alienum cadentem legere, auferre liceret, vim fieri vetat. *l. vn. de gland. leg.* ſed & eo nomine de paſtu pecoris, & ad exhibendũ prodita actio eſt. *l.* 9. *Iulianus. ad exhib.* Glandis autẽ nomine cum in lege xij. Tab. tum prætoris edicto, ait ſignificari Caius hic omnẽ fructũ: & Vlp. *d. l. vn.* Τῷ ὀνόματι τῆς βαλάνου, πάντες οἱ καρποὶ δηλοῦνται. *Exẽplo græci ſermonis.* ¶ Ariſtophanis ſcholiaſtes in Equitib. ἀρχαῖον πᾶν δένδρον δρῦν ἐκάλουν: Moſchopulus, περὶ χεδῶν. Δρῦν καλοῦσιν πᾶν ὁπώλεν δένδρον οἱ παλαιοί. ὅτω καὶ ἀκρόδρυα πᾶσαν τὴν ὀπώραν. Neq; verò id temerè monemur: cum Plin. glandem multò ſpecialiùs accipiſſe videatur: [Glandem quæ propriè intelligitur, inquit, ferunt robur, quercus, eſculus, cerrus, ilex, ſuber.] *d. c.* 5. Verùm quoniam quæ glandis, eadem eſt, & cæterorum fructuum ratio, Iuriſconſultis placuit antiquæ verba legis producere, & anguſtiorem ipſius ſententiam augere interpretatione. Cum omnes fructuum ſpecies. & arborum, glandis ac quercus nomen vſurpando ſignificent Græci. Sudas. Ἀκρόδρυα, καρποὶ ὡδεικοί, πάντες οἱ τῶν δένδρων καρποί. Iſaacius Tzetzes in opera & dies Heſiodi, Δρῦς, ἀντὶ τοῦ πάντας τὰ δένδρα. Cæterùm non idem quod ἀκρόδρυα, ſunt & ἀκρίδες, id eſt locuſtæ, quas in cibum cedere

iſque

iiſque quoſdam veſci, certa locupletum auctorum fide confirmatur.

CCXXXVII. IDEM lib. v. ad legem xij. Tab.

DVOBVS negatiuis verbis quaſi permittit lex, magis quàm prohibuit. idque etiam Seruius animaduertit.

ALCIATVS.

DVOBVS. ¶ Duæ negationes affirmationem inducunt, vt etiam Grammatici fatentur: cuius rei illam rationem affert Auguſtinus, quòd negatiuæ natura ſit, quicquid inueniat, deſtruat: vnde ſi conſentiua præcedat, eam in negationem redigit, & contra. Id tamen perpetuum non eſt: quid enim ſi ad maiorem emphaſim iterum negetur? vt in Euangelio: Sit ſermo veſter, eſt, eſt: non, non. Nam & Seruius inficiatorias duas quandoque mentem ſcriptoris augere ait. Quid item, ſi negationi addita ſit dictio, quidem? vt in hoc exemplo, *l.1.§ fin. quis ita. de verb.* rectè dictum eſt non obligari, nec fideiuſſorem quidem. Sic & M. Cicero ad Lentulum: Neq; errarent nec aduerſarij quidem. Quod & receptum eſt, quoties ea dictio tacitè intelligitur: vnde cùm idem ſit nemo, quod nec homo quidem, ſi dicamus, nemine nihil faciente, *l.fluminum. de dam.infec.* locus publicus damnum infert, recta eſt locutio, & duæ negatiuæ pro vna accipiuntur. Sic & M. Varro *de vita patrum.lib.3.* Qua abſtinentia viri mulieréſque Romanæ fuerint, quòd a rege munera eorum noluerit nemo accipere, perinde eſt atque dixiſſet, munera eorum noluerunt accipere, nec homo quidem. Sunt qui per duodecimum modum ſolœciſmi id accipiant: fit enim ex geminatione abeundi: vt cùm dicimus, Nihil nunquam peccaui, pro vnquam. Sed & quoties altera negatio pro vniuerſali ponitur, & particulares ſequuntur, negatiuæ naturam ſuam ſeruant: vt Nullas à te accepi literas: nec breues: nec prolixas. Verùm potius id eſſe ego arbitror ex vi dictionis Nec, quæ verbi repetitionem inducit: vnde & certum eſt cùm duobus verbis aut poſitis aut intellectis duæ negationes adducuntur, conſentiuam non intelligi: vt, Nec me amas, nec Titium, ſubauditur enim, amas. ¶ Qua ratione etiã quandoque fit, vt tres negationes non plus efficiant quàm duæ: vt cùm lex dicit, in fugitiuo locum non habere nec vſucapionem, nec præſcriptionem. *l.1.C.de ſer.fug.* de qua re videndus eſt Valla *elegant.3.libr.* Cæterùm & quædam verba ſunt natura quidem ſui prohibitiua, quibus ſi negatio addatur, non tamen abſolutè permittunt, licet hoc magis inferant, quam negent: de quibus loqui Iuriſconſultum noſtrum ego arbitror, exempli cauſa, ſi prætor dicat. Quo minùs ſectra proſtent, non veto: non enim prętor partes ſuas interponit, vt quicquam iuris concedat, ſed non prohibet. Sunt etiam alia verba prohibitionis, tacitam quandam vim habentia, quæ idem poſſunt, addita vel non addita negatione: vt vereor, timeo, caueo: ſi enim dixero, vereor ne adoptio impediatur, *l.non ſolùm.§.ſed videamus.de rit.nupt.* idem eſt ac ſi dixiſſem, ne non impediatur. Et hæc quidem pro reſponſi huius interpretatione ſint, cætera diffuſius extricanda grammaticis relinquamos.

BRECHÆVS.

DVOBVS. ¶ Ea eſt Latini ſermonis lex, hæc vſu trita loquendi conſuetudo, vt quoties dictionum quædam inſurgit in oratione contrarietas, negantibus duabus intertextis, affirmatiua fiat oratio, nec alteram poſſis negationem tollere: vt nullus tibi non contradicit: nemo ſanus hoc non cogitat. Sic apud Atticos, Budæo teſte, geminatur plerunque negatio elegantiæ & ornatus gratiâ: vt apud Demoſth. κατὰ Μειδίου, ὥσπερ οὐκ ἀλλήλοις ἐπιτιμῶσιν ταῦτα ἃ λέγω, δίκας ἰδίας μὲν προσῆκεν αὐτῷ λαχεῖν, εἰ μὴ δὲ οὐχὶ δημοσίᾳ κρίνειν αὐτόν. Aliquando triplex negatio rectè & eleganter ponitur. Vt non modò non abſoluo hunc, ſed ne leui quidem pœna cum eo tranſigendum eſſe puto. Quem loquendi modum ἀκριβῶς diſcutit Valla *lib.3.elegan.cap.27.* Iureconſulti quoq; cùm verba negantia geminant, volunt eiuſmodi orationem permittere magis quàm prohibere, & affirmare potiùs, quàm negare. Vlpianus *in l.fluminum.ff.de damn.infect.* Quis enim (inquit) dubitat neminem eſſe à quo ſtipuletur, cum nemine nihil faciente locus ipſe publicus damnum inferat ſui natura? Et hìc redundat negatiua vna, nemine. Iulianus *in l.qui pignoris.ff.de acquir.poſſ.* Nam cùm creditoris poſſeſſio non impediat vſucapionem, longè minus precarij rogatio impedimento eſſe non debet: cum plus iuris in poſſeſſione habeat qui precario rogauerit, quàm qui omnino non poſſidet. Duæ ſimiliter hoc loci negationes, vnius vim tantùm habent. ¶ Sed hoc quidem neque paſſim neque ſemper valet. Nam ſi Ruſticus, & qui omnino eſt literarum expers dicat, Nego me tibi hoc ipſum non debere, aut quiduis aliud eiuſmodi, ſane affirmare voluiſſe minimè cenſebitur. Quæ ſententia eſt Cyni, Saliceti, & Baldi *in l.qui ſe patris.C.vnde liberi.* Idem Bald. *in l.1.C.de ſer.fugit.* Quo loco tradit quando plures dictiones negantes aut negant, aut affirmant.

FORNERIVS.

DVOBVS. ¶ Aientia & negantia cõtraria ſunt: affirmationi addita negatiua, priuationis vim obtinet. quale illud, *vti animantibus equinis non iubemus.* perinde valet ac ſi diceret, vſum equorum prohibemus. *l.vlt.quib.equor.vſus conceſ.lib.9.tit.30.C.Th.* Duæ autẽ abnegatiuæ (inquit Diomedes Grãmat. *lib.2.*) vnã confirmationẽ faciunt. Vlp. [quę nũ eſſe extra ęquitatẽ poſita, nõ negauerim] *l.13.ſi duo.de iureiur.* Hęc formula (*Stichus cum erit annorum 30.liber eſto: Stichus ſi 10.non dederit, liber ne eſto.*) hanc vim, inquit Iulianus, habet, Si decem dederit, & ad annos 30. peruenerit, liber eſto. *l.13.ſi quis ſeru. fin.de ſtatulib.* Plato in ſophiſta. Interdum non planè affirmant, ſed medium quiddam obtinent: *non nolle*, minus eſt, quàm apertè velle: ac paulò aliquantò, quàm diſſentire: minus inter vella

ac nolle medium quiddam atque interiectum reperimus. *l.1.§.ſcientiam.de trib.act.arg.l.21.non cogitur.& l.ſeq.de rit.nupt.* Cicero *epiſtol.ad Attic.lib.13.* [Bruto, vt tibi placuit deſpondimus: idque eum non nolle ſcripſiſti.] *Eod.libro, de Varrone,* [proximis tuis literis id te non nolle cognoui.] Interdum verò ea duabus negationibus altera redundat: Vlp. [Quis enim dubitat neminem eſſe, à quo ſtipuletur: cum nemine nihil faciente, locos ipſe publicus damnum inferat ſui natura?] *l.24. fluminum. de dam. inf.* Iulianus. [Cum creditoris poſſeſſio non impediat vſucapionem, longè minus precarij rogatio impedimento eſſe non debet.] *l.36.qui pignoris. de acquir.poſſ.* Sed & hoc ipſum Æſchyli ſcholiaſtes Demetrius Triclinius, & Euſtath. in Homer. (de triplici negatione, [illegible]) annotarunt. Quoniam verò iſtę ſunt proprię Grammaticorum partes operoſiùs iſta conſectari, plura nunc piget adiicere: præſertim cum mihi ad quod potiſſimùm xij. Tab. caput, hæc Caij definitio referatur, non liqueat.

CCXXXVIII. Idem lib. vj. ad legem xij. Tab.

PLEBS eſt ceteri ciues ſine ſenatoribus.

ALCIATVS.

PLEBS. ¶ Tribus ordinibus conſtabat populus Romanus, plebe, equite, & ſenatu: quamuis latiore ſignificatione, plebis appellatione, equites quoque continerentur. Plebs munera militię tributáque ſubibat. Equites dicti, quòd ad eos equo militare pertineret. Senatus curam reipub. gerebat. In eum deligebantur à Cenſoribus, qui ex familiis patritiis erant, vel qui magiſtratus aliquos geſſiſſent vt bello doniſque militaribus maximè illuſtres. Iudicia quoque aliquo tempore ad eos ſpectarunt, donec ad equites fuere tranſlata, ex quibus Centumuiri delecti, ius reddebant. Oppreſſa verò ab imperatoribus republica, cùm eius curam principes tractarent, cœperũt rurſus ſenatores in controuerſiis grauioribus, & quibus libero arbitrio, nec legibus præſcripto opus eſſet iudicare. Appellabantur, & à cæteris iudicibus, puta Centumuiris, decuriiſque iudicum & prætore, cui ipſæ decuriæ aſſidebant. Sunt autem Centumuirales cauſæ, in quibus vſucapionum, tutelarum, gentilitatũ, agnationum, alluuionum, nexorum mancipiorum, parietum, fluminum, ſtillicidiorum, teſtamentorum iura verſantur, vt *lib.de Orat.1.* Tullius ſcribit. Hinc Centumuirale iudicium: quod deinde quadruplex appellari cœpit, cùm aucto numero centum & octoginta iudices ſederent, & in quatuor partes diuiſi eſſent. Iudicum verò decuriæ in foro conſidebant, & in Prætoris erant conſilio: ex his ſortiebatur Prætor, qui in publicis iudiciis cognoſcerent, quique ipſo prætore præſidente, ſententias tabellares ferrent. Aſſediſſe ſe Prætori, datúmque etiam in cauſa pecuniaria iudicem A. Gellius teſtatur. Igitur ab his iudicibus prouocatio ad Senatum erat. Cœperunt & ſenatores à plebe ex cenſu diſcerni. Equitis cenſus erant quadringenta ſeſtertia, quæ pecunia eſt decem ferè millium aureorum noſtratium. Senatores duplicem eam ſummam poſſidebant, deinde etiam triplicem tempore Auguſti, vt Tranq. eſt auctor. Equitum inſigne erat aureus annulus, ſenatorij ordinis lunati calcei, & latus clauus: vnde & Tribunus Laticlauius in iure, id eſt, ſenatorius. *l.ſi Rufinus.C.de teſt.mil.*

BRECHÆVS.

PLEBS. ¶ Plebem (inquit Gellius *lib.*10. *cap.* 20.) Capito in eadem diffinitione ſeorſum à Populo diuiſit: quoniam in populo pars omnis ciuitatis, omnéſque eius ordines contineantur. Plebs verò ea dicitur, in qua gentes ciuium patriciæ non inſunt. Nam plebis appellatione, cæteri ciues ſine patriciis & Senatoribus ſignificantur. Populi autem generalius erat nomen, vt quod & vniuerſos ciues connumeratis etiam patriciis & Senatoribus, complectatur. Quæ autem & quanta fuerit apud Romanos Patrum Senatorum, Patriciorum, populi plebiſque differentia, ampliſſimè traditur apud Liuium, & *in l.2.de origin.iuris.*

FORNERIVS.

PLEBS. ¶ Plebem Capito ſeorſum diuiſit à populo: In populo pars omnis ciuitatis, omnéſque ordines continentur: in plebe patriciæ gentes non inſunt: nec ſenatores nec patricij, ſed reliqui ciues, præter patricios ac ſenatores. A. Gellius *lib.*10.*cap.*20. Itaque populi nomen latiùs, plebis ſpecialius. *§.plebiſcitum.de iur.nat.gent.& ciu.* Plebs, eſt multitudo ciuium obſcurior, pars ignobilior, τὸ πλῆθος. hic. Theophilo, *χυδαῖος δῆμος. d.§.plebiſcitum:* quo ſenſu, eos (qui *in l.1.l.3.de colleg.illic.tenuiores*) ſcholiaſtes Baſilicôn *lib.60.eod.tit.* τὸ χρῆμα videtur appellaſſe. Theodoretus epiſcopus Cyrenſis *in Exodum,* dum quomodo illud, χυδαῖοι ἐγένοντο, intelligatur, examinat. Cum multa autem inter patricios ac plebeios iure inſtitutóque Rom. ciuitatis diſcrimina notare liceat: tum illa: plebeium magiſtratum neminem capere: niſi qui ex plebe eſſet: Plebeij ædiles, plebeij Tribuni, Cicero *pro domo,* Feſtus *in Pleb.* & plebiſcita à legibus & S.C. diſtincta. *l.2.de orig.iur.* Patriciorum connubia cum plebeis interdicta. Liuius *lib.*4. Dionyſius Halicarnaſ. *lib.*11. quæ lex decemuiralis fuit. poſteà tamen Tribunorum pleb. rogatione abrogata: Poſtremò etiam lege Iulia de maritandis ordinibus quadam tenus inſtaurata: ne ſenatores libertinarum nuptiis iungerentur. *l.44.lege.l.48.filio.l.ſeq.de rit.nupt.* Fuit & hæc lex xij. Tabul. [vt quodcumque poſtremùm populus iuſſiſſet, id ius ratúmque eſſet:] vt ex T. Liuij *lib.7.& 9.* cognoſcitur.

Sine ſenatoribus. ¶ χωρὶς τῶν ἀξιωματικῶν. Nam ſenatus ampliſſimus ordo eſt: & quod Conſtantinus, de reiiciendo vnius teſtimonio conſtituens, addiderat, *(Etiamſi præclara curiæ honore præfulgeat) l.8. Iuriſiurandi.C.de teſtib.* Idipſum Græci ſic, vt ad ſenatores referrent, conuerterunt: *κἂν συγκλητικὸς ᾖ. lib.21.Baſilicôn.tit.1.*

§.j. De

§. j. DETESTATVM eſt teſtatione denuntiatum.

ALCIATVS.

DETESTATVM. ¶ Teſtari eſt ſententiam noſtram exponere: vnde teſtes dicti, quòd ea quæ de rei geſtæ veritate ſentiunt, in iudicium proferat. Hinc & teſtamẽtum. Cæterùm quoniam vt maior fides adhiberetur, etiam per numen aliquod affirmatio inducebatur, factum eſt vt teſtari pro iurate acciperemus & precari. Vnde & deteſtor, idem eſt quod deprecor & abominor: & hæc vſitatior eſt ſignificatio. In iure tamen deteſtari, eſt cum teſtatione denunciare, hoc eſt, ſententiæ ſuæ aliquem per denuntiationem admonere; quod & proteſtari dicimus.

BRECHÆVS.

DETESTATVM. ¶ Diximus ſuprà in *l. deteſtatio*, de huius vocis ſignificatione ampliſſimè: eò confuge. Vide etiam quæ de noxa & noxia ſuprà diximus.

FORNERIVS.

DETESTATVM. ¶ Facta adhibitis teſtibus denunciatio, deteſtatio eſt: *ἐπὶ μαρτύρων ἀπαγγελία. l. 40. deteſtatio. ff. h. t.* Atteſtatum abſenti denunciatum *l. 39. ſubſignatum. ff. h. t.*

§. ij. PIGNVS appellatum eſt à pugno: quia res quæ pignori dantur, manu traduntur. vnde etiam videri poteſt verum eſſe, quidam putant, pignus propriè rei mobilis conſtitui.

ALCIATVS.

PIGNVS. ¶ Pignus propriè eſſe id. *l. ſi rem. §. 1. de pign. act.* cuius poſſeſſio traditur creditori, & præſertim rei mobilis, Iuriſconſultus approbat argumento etymi, tanquam à pugno dictum ſit: quod & Vlpianus tradidit, & à Tribuniano in Inſtitutionibus relatum eſt. cui ſententiæ etiam Græcum exemplum ſuccurrit: *ἐνεχυράζειν* enim à ſecuritatis captione ipſi appellant, & *ἐνέχυρον* pignus prætorium. Marcellus tamen pignus & hypothecam ſolo nominis ſono differre exiſtimauit *l. res hypo. ff. de pign.* cuius ſententiæ Valla acceſſit: nam conſtat veteres ſcriptores de re quoque immobili pignus dixiſſe, vt Terentius, Ager oppoſitus eſt pignori, ob decem minas. *l. non ſolùm. §. ſi rem. de vſucap.* quo modo etiam Iuriſconſulti frequenter accipiunt, etiam ſi nulla traditio interuenerit. Ego arbitror hypothecam etiam de re mobili contrahi, eſt enim Græca vox *ἀπὸ τοῦ ὑποτίθεσθαι*, quod eſt obligationi ſupponere. Bart. *l. fundus. de ann.* Vnde & receptum eſt, ſiquis promiſerit decem modios frumenti ſuper tali fundo, videri huiuſmodi verbis contractam eſſe hypothecam: quid enim aliud eſt fundum ſupponere obligationi? Quòd ſi decem modij de tali fundo promiſſi ſint, aliud eſt, ſola enim perſonalis obligatio inde naſcitur.

FORNERIVS.

PIGNVS. ¶ Tripliciter in iure vſurpatur pignoris nomen: pro re obligata: pro iure quod in ea creditor habet: denique pro ipſo contractu ac pignoris conuentione. Pro re autem variè. Strictiùs quidem pro corpore mobili obligato, creditorique tradito: à pugno: quòd in manum detur. *Κυρίως ἐνέχυρον τὸ κινητὸν λέγεται· διὰ τὸ ἐν χειρὶ δίδοσθαι.* Vti & donatio, quòd ſola rei traditione, non conuentione (vt hodie ex Iuſtiniani conſtitutione *l. antep. C. de donat.*) nuda fieret: *δῶρον*, à doro deducitur, id eſt palmo, *δωρεῖσθαι. l. 35. ſenatus. §. donatio. de mort. cauſ. don.* Victruuius Pollio *de Architectura lib. 2. cap. 3.* Plinius *lib. 35. cap. 14.* Sic à pugna, pugnum, aut ab illo pugnam deriuari, Donatus tradit *in Adelph. Terent. act. 2. ſcen. 1.* ſed poſterius magis Caſſiodoro placet, *lib. 1. epiſt. 30.* Hinc illud Senecæ *lib. 3. de beneſic. cap. 15. Non eſt interrogatione* (id eſt ſtipulatione, ſponſione. *l. 70. ſi à reo. §. ſub diuerſis. de fideiuſ.*) *contentus: niſi & rem* (ſic enim non vt vulgò, perperam, *reum* legendum contendimus) *ſua manu teneat.* Id eſt, pignus, *ἐνέχυρον*. Sed poſteà latius pignus pro re qualibet, etiam immobili, modò tradita, ſumi cœpit: veluti fundo vel ædibus. *l. 2. fin. de relig. & ſumpt. fun. l. 23. creditor. ff. de pign.* Denique vſu hominum exigente, eò tandem peruentum, vt etiam rerum, nec traditarum, modò nexarum, creditorique ſuppoſitarum, nominum, cautionum, ſeruitutum, vſufructus, & incorporeorum pignus iniretur. *l. 2. l. 4. C. quæ res pign. l. 11. ſi is qui. §. vſusfructus. l. ſeq. ff. de pignor.* Et hac poſtrema ſignificatione, nihil niſi nominis ſono, pignus & hypotheca differunt: vt iam promiſcuè à Iuriſconſultis neglecta vocis proprietate, vſurpentur. *l. 9. ſi rem. §. propriè. l. 25. cum & ſortis fin. ff. de pign. act. l. 5. fin. de pigno. §. item Seruiana, vbi Theophilus. de actionibus.*

§. iij. NOXIÆ appellatione omne delictum continetur.

ALCIATVS.

NOXIÆ. ¶ Noxam dixêre antiqui id quod nocet: quapropter culpa, pœna, detrimentum, noxa eſt. Vnde & *lib. 33.* T. Liuius, noxæ exoluere, id eſt, à pœna capitalis fraudis liberare, accepit. Seruus quoque, qui contra legem Aquiliam alicui damnũ dedit, noxa eſt. At noxia ſolummodo de maleficio ipſo dicitur, nec tam generali ſignificatione accipitur, ſicut noxa. Cicero *lib. 3.* de Legibus Noxiæ pœna par eſto, vt in ſuo vitio quiſque plectatur, vis capite, auaritia mulcta, honoris cupiditas ignominia. M. Manilius: Quin etiam infelix virtus & noxia felix. Plau. *in Bacch.* Sat ſit. ſuſpectus ſum, cum careo noxia. Quo ſenſu & *in Moſtellaria & in Pſeudolo* vſus eſt. Terentius quoq; *in Phormione:* In te incipienda ad defendendã noxiam. Sed & *in Eunuch. & Hecyra* ad eundẽ modum. Nec noxã eoa

adſcripſiſſe quiſquam dixerit, cùm ratio carminis non conſentiret. Quæ adducere volui, vt palàm fieret, quàm iniquo iure Iuſtinianum in elegantiis ſuis inſectetur Valla, & Seruium Beroaldus, dum adiectiuè tantùm dici noxiam opinantur, contrà veterum auctoritatem. Sanè de noxa à nobis ſuprà ſiloque diſputatum eſt.

Fornerivs.

Noxiæ. ¶ Cum ſeruus noxia ſolutus promittitur, venditor propter eas noxas, quæ publicè coërceri ſolent, non conuenitur. *l.11. Lucius. ſi. de euict.* Id eſt, ſerui propter crimen ſummo ſupplicio affecti, emptori euictionem non præſtat venditor. *l.200. hac ſtipulatio. ſ. d. t.* Quamuis noxiæ nomen delictum omne complectatur. hic. Græci, *πᾶν ἁμάρτημα*. Suet. Tranquillus de Tyberio, [Si quem reorum elabi gratia rumor eſſet, ſubitus aderat, iudicéſque aut è plano, aut è quæſitoris tribunali degum & religionis & noxæ, de qua cognoſcerent, admonebat:] Sed, vt Nonius notat, noxa eſt peccatum leue: delictum priuatum, veriùs, quàm crimen publicum, quod publicam coërcitionem mereatur. *d. l. 200. hac ſtipulatio.* Delictum ferè minus quid ac leuius: crimen grauius. *l.17. quid ſit. §. quod autem. de ædil. edict.*

CCXXXIX. Pomponivs lib. ſingulari Enchiridij.

Pvpillvs eſt, qui cùm impubes eſt, deſiit in patris poteſtate eſſe, aut morte, aut emancipatione.

Alciatvs.

Pvpillvs. ¶ Pupillus diminutiua vox eſt à pupo, quæ dictio puerum ſignificat, quem Catullus Poeta etiam pupulum dixit: vnde ex etymo, qui in patris poteſtate eſt, pupillus dici poterit. *l. ſi. de ver. oblig.* Seruus quoque impubes, hoc nomine appellabitur. *d. l. quam Tuberonis. de pecul.* & hæc huius verbi latiſſima eſt ſignificatio: Iuriſconſultorum enim frequentior vſus aliter accipit, eum ſcilicet impuberem, qui in patris poteſtate eſſe deſiit, aut morte, aut emancipatione, morte, vt quia pater verè fato exceſſerit, vel in exilium miſſus ſit: cuius rei rationem hanc Caius *Inſt. lib. 1. tit. 1.* refert, quia non poteſt ciuem Romanum in poteſtate habere, homo peregrinæ conditionis effectus: vnde exilium hoc caſu idem poteſt, quod naturalis mors poſſet. Emancipatione, vt quia pater eum ſui iuris eſſe voluit, miſitque manu. Eſt enim emancipatio, è manu traditio, introducta à lege veteri per quandam venditionis ſimilitudinem: quia præter naturalem patrem, alius adhibebatur, qui fiduciarius nominabatur. Hic certo patri vnum aut duos nummos quaſi in ſimilitudinem precij numerabat, quo accepto, pater illum mancipabat, manúſque tradebat, idque ter coram præſide vel curia fiebat, adhibitis quinque ciuibus Romanis, & Libripende, qui ſtateram tenebat, itémque alio qui Anteſtatus vocabatur: eum ſic emptum, fiduciarius deinde manumittebat: Quapropter iure antiquo manumiſſio in emancipatione propriè interueniebat: quæ omnia diffuſiùs à Caio, eo quem citauimus loco referuntur: hodie autem huiuſmodi ſolennitates ſublatæ ſunt.

Brechævs.

Pvpillvs. ¶ De huius vocis ſignificatione, ſatis multa diximus ſuprà. Vnde ſuperfluum eſſet eadem hoc loco repetere.

Fornerivs.

Pvpillvs. ¶ Decem vocum definitiones hic à Pomponio explicantur. Prima, Pupillus eſt impubes, *i. ἄπαιδες αὐτεξούσιοι*: ſui iuris. Cornutus *in Perſij ſatyr. 2.* Pupillum definit puerum intra impuberis annos adhuc conſtitutum, & nondum ſuæ tutelæ. Sed in poteſtate ac fide tutoris verſatur. *l. 1. de tutel.* Vtrunque enim requiritur. Vnde aliquando pupillum, pro impubere, & quidem doli non capace legimus. *l. 10. §. hoc edicto. ne vis fiat ei. l. vlt. §. pupillus. de verb. oblig. l. 4. C. de neceſſ. ſeru. her. inſtitu.* Sed & Vviſigothorum legum. *lib. 4. titul. 3.* & qui altero orbus parente ſit, pupilli nomen imponitur: verba *l. 1.* proferamus. [Licet hactenus à patre tantùm relicti paruuli filij, pupilli nuncupentur: Tamen quia non minorem curam erga filiorum vtilitatem, matrem conſtat frequenter impendere, Ideò ab vtrinque parente, hoc eſt, patre vel matre infra xxv. annos, filios poſt mortem relictos, pupillos per hanc legem decernimus nuncupandos. ¶ Sed ad ius Romanum redeamus. Ait, *Impubes*) Non aduerſatur definitioni Vlpianus: *ipſe pupillus ſi impubes eſt. l. 4. de in lit. iur.* quaſi & pubes dici queat. Quod abſurdè colligeretur: quia non iurat, qui ſciens fallere non poteſt. *l. 26. qui iuraſſe. de iureiu.* Si impubes, ſic accipe, id eſt, quia impubes. Articulum Si, nónunquam, pro QVIA vſurpatum videor obſeruaſſe. Marcianus, [Stichus liber eſto: & ſi liber erit, heres eſto.] *l. 51. talem. de hered. inſtit.* Papin. [Si depoſiti actio non teneat.] *l. 47. Titium. §. à matre. de adminiſtr. tut.* Certè manet, & nulla eſt alienatio. Vlpian. [Si poſt mortem meam, maneat ei vſusfructus.] *l. 4. de Nouat.* Minùs etiam negotij facit Modeſtinus, [Tutor, inquit, factam pupillam ſuam, nec ipſe vxorem ducere, nec filio ſuo in matrimonium adiungere poteſt.] *l. 15. de ſponſalib.* Quonam pacto, ea quæ adulta, iámque nuptiis idonea pupilla, ſi hanc definitionem ſequimur, videri poſſit? Videlicet, non ea quæ nunc eſt, ſed quæ dum tutori eſſet obnoxia, ſpectatur ætas: relatio tutoris ac pupilli, vt & ſociorũ, coniugum, dotis appellatio, etiam in præteritũ retrahitur: Nam & actio tutelæ finita demùm tutela datur: & pro ſocio, finita ſocietate. *l. 4. de tutel. & rat. diſtrah. l. 5. ſanè in. C. pro ſocio.* & cũ dos ſine matrimonio nulla ſit. *l. 3. de iur. dot. l. vlt. C. de don. inter vir. & vx. l. 1. de Vſucap. pro dot.* nihilominus ad dotis repetitionẽ iudicium ſoluto matrimonio datur. *l. 31. ſi maritus. l. 41. ſi pater. ſol. matr.* Ita etiam pupillæ ac tutoris, vel ad denotandam perſonarum conditionem, appellatio manet. *l. 59. Senatuſconſulto. l. ſequent. l. 64. libertum. l.*

antep

antepen. l.pen. de rit. nupt. C. tit. de interd. matr. Quamois tutoris officium puellæ pubertate finiatur. *§.1.quibus mod.tut.fin.*

§. j. SERVORVM appellatio ex eo fluxit, quòd Imperatores noſtri captiuos vendere, ac per hoc ſeruare, nec occidere ſolent.

ALCIATVS.

SERVORVM. ¶ Iure gentium introductum eſt, vt capti in bello efficiantur capientium. Cæterùm quoniam multi hoſtili odio in captiuos deſæuiebant, eóſque trucidabant, Romani Imperatores id prohibuerunt, iuſſeruntque vendi, non autem occidi, vnde ſerui dicti ſunt, quaſi ſeruarentur. Hincque apparet non licere nobis hoſtem noſtrum, poſtquam captus eſt, interficere. Quod intelligunt Doct. eſſe obſeruandum, cùm intra præſidia noſtra iam deductus eſt: antè verò quàm deductus ſit, occidi iure poterit, cùm multa interim poſſent accidere. *l.in laqueum, de acquiren. rer. dom.* quid enim ſi fugam capeſſeret? vel cùm hoſtibus rurſus congregaretur? Sed nobis videtur in ipſa acie ſolùm id licere, idque aduerſus eos qui dedere ſe nolunt. Nam dedititium hominem occidere, crudeliſſimum eſt, nec boni Imperatores hoc patiuntur: ab ea quippe humanitate abhorret, quam naturaliter homo homini debet. His illud quoque conſentaneum eſt, vt ſi lege municipali exules pro hoſtibus publicis habeantur, impunéque occidi poſſint, eum qui captus iam à familia ad quæſtorem rerum capitalium ducatur, occidi impunè non poſſe: cùm enim captiuus iam ſit, debet ſeruari, non occidi, alioquin haud difficulter reperirentur, qui eum obtruncarent, ne de conſciis interrogari poſſet, vel vt maturius ignominiæ pœnæque eximeretur.

FORNERIVS.

SERVORVM. ¶ Secunda definitio ab origine ſiue etymo nominis. Serui primùm ſic dicti, quòd bello capti, à victoribus in quorum poteſtatem veniſſent, ſeruarentur: vt mancipia, quòd ab hoſtibus caperentur. *l.4.l.5.de ſtatu hom.* Gell. *lib.7.cap.4.§.ſerui.de iur.perſon.* Iſidorus *lib.5. Etymolog. cap.*27. Seruitus à ſeruando, inquit, vocata. Apud antiquos enim quum bello victi ſeruabantur, ſerui vocabantur. Donatus *in Terent. Adelph.act.*2.*ſcen.*1. Græci hic, ἀπὸ τοῦ φυλάττεσθαι, καὶ μὴ ἀναιρεῖσθαι. *Imperatores noſtri.* ¶ Hæc vocula [noſtri.] tanquam ſuſpecta in editione Florentina, palis vtrinque ſepta meritò abeſſe poſſit. Cum hoc captiuorum ſeruandorum non proprium vnius ciuitatis Rom. inſtitutum: ſed commune ius omnium ferè gentium: quæ bellorum iura ſeruauere. Xenophon. *lib.7. de Cyri inſtitutione* ſeruorum legem inter omnes homines perpetuam ait, quando vrbs belligerantium capta fuerit, victoribus quæri corpora quoque, & pecuniam in victorum poteſtatem conceſſe. Plato *lib.1. de legibus.* Πάντα τὰ τῶν νικωμένων ἀγαθὰ τῶν νικώντων γίγνεσθαι. T. Liuius *lib.21. Alorci oratione.* Aurum argentúmque omne, publicum, priuatúmque ad ſe iubet deferri, coniugum veſtráque corpora, ac liberorum veſtrorum ſeruat inuiolata, ſi inermes cum binis veſtimentis, velitis è Sagunto exire. Ariſtoteles *lib.1. Politic. c.*4. legem, pactum conuentum quoddam eſſe, in quod omnes conſentiunt: quo quæ bello ſuperantur, hæc victorum poteſtati permittuntur. ὁ γὰρ νόμος ὁμολογία τίς ἐστιν, ἐν ᾧ τὰ κατὰ πόλεμον κρατούμενα τῶν κρατούντων εἶναι φασί. D. Auguſtinus *lib.1. ſuper Geneſim, quæſt.* 153. Primùm ſeruos, quibus hoc nomen in Latina lingua inditum eſt, bella fecerunt. Cum enim homo ab homine ſuperatus, iure belli poſſet occidi, quia ſeruatus eſt, ſeruus appellatus, & mancipia, quia manu capta ſunt. Eſt autem ordo naturalis in hominibus, vt ſeruiant fœminæ viris, filij parentibus, quia illic & iuſtitia hæc eſt, vt infirmior ſeruiat fortiori.

§. ij. INCOLA eſt, qui aliqua regione domicilium ſuum contulit. quem Græci πάροικον appellant. nec tantùm hi qui in oppido morantur, incolæ ſunt: ſed etiam qui alicuius oppidi finibus ita agrum habent, vt in eum ſe quaſi in aliquam ſedem recipiant.

ALCIATVS.

INCOLA. ¶ Incola propriè eſt, qui cùm aduena eſſet, in aliquam ciuitatem ea mente habitatum venit, vt ibi perpetuò ſit, ſummámque rerum ſuarum habeat, ea mens ex variis coniecturis ſumitur. qui enim venditis, quas alibi poſſidebat, rebus ſuis, in aliam vrbem cum familia demigrauit. *l. prædia.§.1.de fun.inſt.* veriſimile eſt ſedem in ea ſuam conſtituere velle. Qui item diutius, puta decennio, in aliena patria habitauit. *l.2.C.de incol.lib.*10. credibile eſt ibi perſeueraturum, nec aliò iturum. Ex proteſtatione quoque animus declaratur. vnde qui ſtatim vbi habitare vrbem cœpit, velle ſe in ea domicilium conſtituere affirmat, abſque mora incolatum acquirit. *Abb.c.fin.de paroch.* Idem & in eo habitatore reſponſum eſt, qui priuilegium impetrauit, quo ius ciuitatis petebat. *Dec.conſil.*283. Qua ratione etiam efficitur, vt domicilium pluribus in locis eodem tempore habere valeamus, ſi modo de animo noſtro appareat. Nam & reges ipſi vt plurimum qualibet in vrbe ſibi ſubdita domicilium habent. *l. Adſumptio.§.in ris.ad municip.* licet aliquod ſit principalius, potiſſimúmque illud attenditur cui origo etiam accedit. Quòd ſi res de qua agitur, in domicilio frequentiori ſit, illud præualebit. *Dec. d. conſ.* duplex enim cauſa fortiùs alligat. Nec quicquam refert in oppido aliquo quis domicilium conſtituat, an in eius finibus vicóve, cùm vicus perinde ac pars ciuitatis ſit. *l.qui ex vico.ad municip.* ¶ Incolam Græci πάροικον appellant: vnde quod *in Pſalm.*104. dicitur, ἐν τῷ εἶναι αὐτοὺς ἀριθμῷ βραχεῖς ὀλιγοστοὺς καὶ παροίκους ἐν αὐτῇ, Hieronymus ſic tranſtulit, Cùm eſſent numero breui, pauciſſimi

& ioco

& Incolæ eius. Quem locum Accurſ. quoque adducit, & accolam legit, ſed malè: eſt enim accola, non qui aliquo in loco domicilium conſtituit, ſed qui propè aliquem locum ſimpliciter habitat. Et propriè iuxta flumina ſunt accolæ. vnde Cornel. Nepos accola Padi Plinio dicitur. Sed & Virgil. 7.

Amniſq; vadoſi Accola Vulturni.

Non tamen negauerim paroecum Græcis quandoque ſimpliciter pro aduena dici, quem illi & προσήλυτον vocant & ἄποικον. de quo infrà videbimus.

Agrum. ¶ Hinc argumentum ſumi poteſt, eum qui in patria ſua agrum domúmque habeat, ſi eis retentis aliò ſe transferat, incoláque fiat, nihilominus domicilium quoque antiquius retinere, videríque eum nouum aliud domicilium acquiſiuiſſe, non autem vetus perdidiſſe: & ita ex facto reſponſum ſcio.

BRECHÆVS.

INCOLA. ¶ Incola eſt quem alioqui peregrinum dicimus, qui in alienam ciuitatem venit ibi habitaturus: nec tamen ius ciuitatis habet; nec ciuiles capit honores, tributis pendendis obnoxius, quod tributum μετοίκιον dicitur: nam illi incolę dicuntur à Gręcis μέτοικοι frequentiùs quàm πάροικοι. Rectè tamen incolam πάροικον vocari Pompon. tradidit. Vnde in ſacro Euangelio Lucæ, c. 24. σὺ μόνος παροικεῖς ἐν Ἱερουσαλήμ. Tu ſolus peregrinus es, aut peregrinaris, id eſt, aduena es, vt Eraſmus Roterod. in eundem locum interpretatur. Nam & incola & aduena ſunt eiuſdem ſignificationis. d. Lucas in *Actis Apoſtol.* τοὺς προσηλύτους καὶ τοὺς ἐπιδημοῦντας aduenas dixiſſe videtur, *cap.* 2. qui etiam πάροικοι Budæo teſte. Aduena etiam ἔπηλυς apud Iſocratem dicitur, vt ipſe Budæus adnotauit, quem tamen ἄποικον Pomponius dici cenſet. Budæus legit ἔποικον, de qua re permulta in hunc locum eleganter ſcripſit. In Græca verſione *Pſalm.* 119. παροικία pro incolatu ponitur. Οἴμοι ὅτι ἡ παροικία μου ἐμακρύνθη, κατεσκήνωσα μετὰ τῶν σκηνωμάτων κηδάρ, πολλὰ παρῴκησεν ἡ ψυχή μου. hic παρῴκησεν veteres Latini interpretes, peregrinata eſt, vel incola fuit. παροικία autem propriè vicinia interpretatur: & πάροικοι vicini. Quam quidem ego ſignificationem potiorem eſſe crediderim. Sic enim apud Græcos authores paſſim vſurpari vidimus. Quare, qui phanum aliquod accolunt, πάροικοι dicuntur, eiuſdem ſcilicet phani conſortes, Paroeci. Quod hodie Francia vernacula videtur vſurpare his vocibus, *Paroece & Paroeciens*, ſed per δίφθογγον. Quod propè accedit ad dictionem Paroeciam & Paroeci, ſi addas ſyllabam, *ens*, vulgò tamen, ſed perperam & corruptè ſcribitur, *Parroiſſe & Parroiſſiens*. Et noſtri pontificiarum conſtitutionum profeſſores, parrochias & parrochiam dicunt: quod à ſyncera Latinitate abhorret. Quod ſi Latinè (inquit Budæus) loqui magis placet Latinè ſcientibus Paroeciæ, Curiæ dici poſſunt. Vnde Curiones olim dicti: & πάροικοι ipſi, Curiales. Curio autem maximus eſt, cuius authoritate Curia, omnéſque Curiones regebantur, authore Feſto; inde Curionatus dici debet, quæ vulgò à noſtris cura appellatur: & ædes ipſæ ſacræ, Curiatæ. quæ ſodalitia non habent, ſed accolas ſuos vendicant. Ad hanc rem facit quod M. Varro dicit Curiam nuncupari, vbi cura ſacrorum publica; vnde & Curiones, & Curiarum ſacerdotes, & Flamines curiales appellati. Denique & Sacerdotes in ſua quiſque Curia ſacra fecere, feriáſque obſeruauere. Quod & Zaſius in ſuis intellectibus ſingularibus adnotauit. Qua ratione, qui Parochiæ vocabulo in hanc ſignificationem vtuntur, abutuntur prorſus. Neque etiam Parochus poteſt dici propriè, quem Curatum vulgò appellamus. Parochum autem Suidas ſignificare ait eum, qui, vt paranymphus in currum aſcendat. In Græcia ſeruatum morem Pauſanias ſcribit, vt in nuptiali curru tres modò ſederent. Media, ſponſa: à lateribus ſponſus, & quem vocant Parochum, qui amicitiæ vel ſanguinis nexu colligatus eſſet, cuique deferrent plurimum. Eius rei etiam teſtes ſunt Cælius Rhodig. *lect. antiq. lib.* 21. & Alciatus *Prætermiſſorum lib.* 1. Dicebantur etiam parochi qui ſalem & ligna peregrinis Reipub. cauſa peregrè proficiſcentibus præbebant: quos Porphirius Copiarios à Latinis vocatos eſſe tradit. Parochi à Græcis πάροχοι. ἀπὸ τοῦ παρέχειν, quod ſignificat contribuere & in commune aliquid conferre. Parochias publicas Cicero *lib.* 13. *epiſt. ad Attic. epiſt.* 1. His quidem exemplis patet, Paroecias non parochias dici oportere: neque parochianos, ſed paroecos pro vicinis iuxta phanum aliquod. Sic apud Euſebium *lib.* 3. *eccleſiaſtica hiſtoria cap.* 28. Dionyſius Alexandrinæ paroeciæ epiſcopatum tenuit, & *cap.* 31. Polycarpus Epheſianæ paroeciæ epiſcopus. Et *lib.* 4. *eiuſdem operis. c.* 23. Dionyſius Athenienſis paroeciæ epiſcopatum primus ſuſcepit. Forſan equidem verbum noſtrum vulgare, Parociani, à Græca voce παρωκεανοι eſt mutuatum. Sunt autem παρωκεανοι maritimi & qui iuxta Oceanum habitant.

FORNERIVS.

INCOLA. ¶ Tertia definitio, quæ ad munera ſuſcipienda pertinet. Incola qui vel in oppido vel in agro & municipij finibus domicilium habet. Græci hic: πάροικος, ὡς ἀλλαχοῦ ἐν πόλει, ἢ ἐν χωρίῳ τῆς ὑπ' αὐτὴν ἐστὶν. In manuſcripto veteri iuris gloſſario, hoc ipſum iiſdem propè verbis, niſi quòd, ὡς καὶ ἀλλαχοῦ ἐν πόλει: id eſt, quamuis non in oppido: ſed vel in agro habitet. Ciues autem ſeu municipes, δημόται fiunt, origine, adoptione, manumiſſione, allectione, incolatu: originem abiurare nemo poteſt: domicilium poteſt, & qui aliò habitatum migrat, duobus in locis munera ſuſtinebit. *l. 1. l. vlt. C. de municip. & orig. l. 1. l. 7. ciues. C. de incol. l. 1. l. 6. aſſumptio. l. 22. filij. ff. ad municip.* Incolæ redire ad originem, & detrectare indicta ſibi publica munera licet, modò integris omnibus: inchoatum ſemel, niſi abſolutum non deſeret. *l. 34. incola iam eod. tit. l. 1. C. de incol.* Sed non anguſtè hoc accipitur. Nam, vt in cenſenda origine, qui ex vico ortus eſt, eius patriæ originem habere intelligitur, cui reip. vicus ille reſpondet. *l. 30. qui ex vico. ff. ad munic.* ita incola habetur, qui in municipij finibus habitat, etiam extra oppidum. Verùm hoc non temerè leuitérque fit: ſed ita demùm, ſi ſedes ibi defixerit, domicilium, larem, rerúmque ac fortunarum ſuarum ſummam, animo diuturnioris moræ, conſtituerit. *d. l. 7. ciues.*

Neque

Neque enim vel munerum ſuſceptio incolæ domicilij mutandi arbitrium auferet: nec electa fortè ſtudiorum cauſa (niſi tranſacto decennio) ſedes *l.1.l.2.C.de incol.* Neque ſola ædium, vel fundi poſſeſſio, quem colonum municipémve iniunctis illius reip. muneribus obnoxium efficiet. *l.17.libertus.ff.ad municip.l.4.l.5.C.eor.* Iiſque finibus Modeſtini (quæ huic Pomponij definitioni obloqui videri poſſit) regula circumſcribi debet. Nec enim ſimpliciter eum, qui in agro moretur, incolam eſſe negat: ὁ ἐν ἀγρῷ καταμένων incola οὐ νομίζεται: ſed addit: qui receptis ciuitatis priuilegiis, iure ſingulari præcipuóque non vtatur. ὁ γὰρ ἐκείνης τῆς πόλεως ἐξαιρέτοις μὴ χρώμενος, οὗτος οὐ νομίζεται τῆς incola. *l.35.εἰδέναι.ff.ad munic.* Neque multum inde abhorret Vlpianus: Si quis, inquit, negotia ſua non in colonia, ſed in municipio ſemper agit: in illo vendit, emit, contrahit: eo in foro, balneo, ſpectaculis vtitur, ibi feſtos dies celebrat, omnibus denique municipij commodis, nullis coloniarum fruitur, ibi magis habere domicilium, quam vbi colendi cauſa diuerſatur. *l.27.eius.eo.tit.* Quamobrem non immeritò Ant. Auguſtini huius controuerſiæ diſceptatoris explodenda ſententia. Fruſtrà enim ad Heren. Modeſtinum de exc. tut. ab agris ſuburbia diſtinxit: Vt is quidem qui in aliquam regionem domicilium ſuum contulerit, quamuis in ſuburbano habitet, incola vrbis ſit. Qui verò in agrum, id eſt vrbis territorium procul habitatum migrarit, vrbis incola non cenſeatur. Itaque, vt illi quidem videtur, alter regionis, alter vrbis incola ſtatuitur. Quantò planiùs apertiúſque, quo quiſque animo, vbique habitet, diſtinguẽdum fuit? *l.203.in lege.verſic.vbi quiſque ſedes, & tabulas haberet, ſuarumq́ rerum conſtitutionem feciſſet.ff.h.t.& d.l.7.ciues.* vt incola ab aduena, quem ἄποικον vocant, ſeparetur. *§.incola.Iſt.h.l.& l.19.heres.verſic.nam vbi.ff.de iudic.* Eodémque (vt hoc obiter diluam) ſenſu, Accurſio iudice, Diocl. & Max. reſcriptum accipiendum. *l.3.C.de incol.* Niſi fortè quod ibi ex Græcis, negationem detrahendam Cuiacius notat, ſequi malumus. Multa hic de colonis, & coloniarum iure, (quòd ad ius non adeò multùm conferant, quæque aliunde haurire liceat) conſultò prætermitto. Vide Agg. Vrbicum *de limitib.agror. &c. pag.29.67.70.71.103.*

§. iij. MVNVS publicum eſt officium priuati hominis, ex quo commodum ad ſingulos vniuerſóſque ciues, rémque eorum imperio magiſtratus extraordinarium peruenit.

ALCIATVS.

MVNVS. ¶ Superius viſum fuit inter cæteras muneris ſignificationes, munera quoque perſonalia contineri: quapropter hîc traditur, quemadmodum eo ſenſu definiendum ſit. Et eſt, inquit Iuriſconſultus, officium priuati hominis, quoniam ſolum priuati homines ad huiuſmodi officia deliguntur. Principes enim ea ſubiri mandant, non autem ipſi exequuntur. Subiicit: Ex quo commodum ad ſingulos vniuerſóſque ciues, rémque eorum, ſcilicet publicam, peruenit. Quæ verba ea, quæ propriè vtilitas publica eſt, comprendunt. Nam quatuor modis ea conſideratur. Prima, cùm in vniuerſum & particulariter commodum affertur: quod in ſacerdotibus, magiſtratibúſque conſiſtit. *l.1.§.huius.de iuſt.& iu.* Secunda, quæ in vniuerſum conducit, non autem ſingulis, vt quoties de locupletando fiſco agitur. *l.pen.C.de primip.lib.12.* Atqui optimus Imper. Traianus dicere ſolebat, fiſcum eſſe veluti lienem, quòd ſicut eo excreſcente, artus reliqui contabeſcerent, ita ex priuatorum detrimento locupletaretur fiſcus. Tertia eſt vtilitas, quæ priuata propriè eſt, licet ex ea conſequatur etiam publica, vt cùm dicimus, publicè intereſſe dotes mulieribus conſeruari. *l.1.ſol.mat.* liberíſque hominibus ciuitatem repleri: id enim quod conſequitur, in vniuerſum prodeſt. Quarta eſt, quoties id, quod conſequitur, ſingulis prodeſt, nec in vniuerſum quemlibet particulariter iuuat: vt cùm generaliter dicimus, Reipublicæ intereſſe, ne quis re ſua abutatur. *§.pen.Inſt.de his qui ſunt ſui.* Quæ omnia diffuſius à recentioribus explicata cernere eſt. *d.l.1.* ¶ Quod ſubditur, imperio magiſtratus extraordinarium, puto extraordinario, vel extra ordinem legendum, vt compelli municipes ad ſubeunda munera dicantur, non iure actionis, ſed officio iudicis. id enim remedium eſt extraordinarium *l.cum filius.ſi cer. pet.* quam interpretationem etiam Accurſius probat. Sanè quemadmodum diſtinguantur munera, à nobis ſuprà tractatum eſt.

FORNERIVS.

MVNVS. ¶ Quarta definitio, ſuperioris appendix quædam: quoniam incolæ ad munera reip. vocantur. *l.5.l.ſeq.C.de incol.l.29.incol.l.pen.§.libertos.§.ſeq.ff.ad municip.* Munus autem honorem ſuſtinenti non iniungitur: quamuis munus ſuſtinenti honos deferri poſſit. Ideóque ſenatoriam adeptus dignitatem (quod ad munera quidem attinet) deſinit eſſe municeps. *l.23.municeps.eo.tit.l.10.honorem.de mun.& hon.* ob eámque cauſam hîc (priuati hominis.) adiicitur, quoniam munera ciuilia, aut patrimonio, aut perſonis priuatorum indicuntur, aut mixta ſunt. *l.1.l.vlt.ff.de mun.& hon.* Illa corpore obeuntur, hæc ſumptu. Demoſthenes *Philipp.1.* ὁ μὲν χρήματα ἔχων εἰσφέρειν, ὁ δ' ἐν ἡλικίᾳ στρατεύεσθαι. Varia exempla, *tit.de mun.& honor.& tit.ſeqq.& C.lib.10.tit.41.& ſeqq.* ſuppeditantur. A perſonalibus pleriſque vacatio datur: à patrimonialibus, neque pupilli, neque ſenes, neque mulieres excuſantur. *l.2.l.3.l.5.l.7.etiam.l.pen.l.vlt.C.de mun.patrim.* Ac ne philoſophi quidem, quibus tamen munera perſonalia remittuntur: fruſtra patrimonialia detrectarent. *l.6.profeſſio.C.de mun.patrim.l.8.in honoribus.§.philoſophis.ff.de vacat.& excuſ.* Quoniam vt vtrobique dicitur, dedecet verè philoſophantes, qui pecuniam debent contemnere, auaritia & rapacitate vinci. A. Gellius *lib.13.cap.22.* Sed & Vlpianus de mercede præceptorum, magiſtrorum, medicorum, philoſophorum diſſerens, ſingulis honorarium extraordinẽ decerni ſolere fatetur, non philoſophis. Non quia nõ religioſa res ſit philoſophia:

ſed

ſed quia primùm hoc profiteri eos oportet, mercenariam operam ſpernere. *l.1.§.an & de extraor.cog.* quam ob cauſam eos Græci ne numero quidem profeſſorum habendos cenſuere. Baſilic. *lib.54.tit.14.* Οἱ δὲ φιλόσοφοι τοῖς παιδευταῖς οὐ συναριθμοῦνται. Τὸ μὲν γὰρ πρᾶγμα ἐστὶν ἱερὸν, καταφρονεῖν δὲ χρημάτων ὀφείλουσιν. Alcinous de doctrina Platonis *cap.* 1. inter cæteras philoſophi dotes, lucri contemptum exigit. Oportet præterea, inquit, liberali animo philoſophum eſſe. Etenim rerum vilium æſtimatio veritatem rerum contemplationi aduerſa eſt & infeſta.

§. iiij. Advena eſt, quem Græci ἄοικον appellant.

Alciatvs.

ADvena. ¶ Inter aduenam & incolam hoc intereſt, quòd incola fixit ſedem, domiciliúmque cõſtituit: aduena non conſtituit, & ideo eum Græci ἄοικον appellant, quaſi ſine lare aut domicilio. vnde qui cum eo contrahit in loco contractus agere non poteſt: quia videtur tanquam cum receſſuro contraxiſſe: domiciliũ igitur adire debet. *l.heres.§.2.de iud.* Dicitur autẽ aduena, quaſi aliun de adueniens: quapropter à Græcis προσήλυτος quoq; dicitur: tametſi ea voce in Act. Apoſt. Luc. eos intellexerit, qui diuerſæ ſectæ nati, in ius Moſaicæ legis recepti eſſent. Appellant & ἀοίκους Græci eleganti epitheto Scythas, quòd domibus ſint nullis: vectantur enim ſuper curru, nullis certis ſedibus. Sunt & conuenæ collectitij habitatores, ſic dicti, quòd plures ex diuerſis regionibus in vnum locum conuenerint. Strabo συγκλύδας vocat: vnde & Conuenarum vrbs in Aquitanis. Sanè receptum eſt appellatione populi, eius vrbis incolas contineri, aduenas non contineri. *Feli.c.Rodulphus.de reſcript.*

Fornerivs.

ADvena. ¶ Quinta ſuperioribus finitiuia definitio eſt: Aduena eſt domo profugus, colonus adueniens: non πάροικος. de quo paulò antè diximus. *§.incola.* Iſidorus *lib.*10. *Etymol.* Proinde nec munera ciuilia, vt ille, ſubibit: nec fungetur patriæ honoribus, nec ibi conuenietur. *d.l.19.heres. de iudic.* quòd domicilium ſedéſque fixas non habeat: ſed ſit ἄοικος. Sic enim rectius hîc Græci, quàm quod nobis illudens, *lib.2. prætermiſſ.* Florentino archetypo ſcriptum confirmatat Alciatus, ἄοικον. Quemquam ſine domicilio inuenire difficile eſt: niſi cum nauigat, aut iter facit, quærens quò ſe conferat, atque vbi conſtituat. Nam hunc ſine domicilio eſſe putat Vlpianus *l.27.eius.ad municip.* Aduenas Plato *lib.11.de legib.* cauponarias, & meritorias artes exercere, in aliena ciuitate ſinit. Idémque *lib.*8. iubet eos, poſt exactos viginti annos collectis ſarcinis aliò habitatum commigrare. Et quamuis Athenis eſſent aræ miſericordiæ. Seneca *controuer.lib.*10. Sext. Empiricus Pyrrhonius, *aduerſ.mathem.* Theophilus, *de iur.nat.gent.& ciu.* Καὶ βωμὸς ἐλέου τιμᾶται παρ' αὐτοῖς. & Lacedemoniorum, qui peregrinos vrbe repellebant, ξενηλασίαν improbarent: non ferebant tamen aduenas iura ciuium Athenis vſurpare: ſed erat Peregrinitatis (vt ſic dicam) in eum actio, qui cum non eſſet ciuis Atticus, ſibi tamen iura ciuium arrogaſſet: primùm in vincula conijciebatur: tandem conuictus vænibat. Vlpianus in Demoſthenis Timocratianam: Εἴτις ξένος παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις ὑποκρινόμενος ᾖ πολίτης, μὴ ὢν Ἀθηναῖος κατὰ τὸ ἀληθὲς καὶ τὰ αὐτὰ ποιῶν τοῖς πολίταις πρὸ μὲν κρίσεως ᾤκει τὸ δεσμωτήριον, ἁλοὺς δὲ ἐν τῇ κρίσει, ὕστερον ἐπωλεῖτο. Eius legis Calp. Flaccus meminit, *declam.*23. [Ciuitatem peregrinos vſurpans vænear.] Cicero *lib.1.offic.* Debemus habere delectum ciuis & peregrini: in ipſo quoque peregrino, priuatim an publicè venerit. Quod vtinam Galli hoſpitalitatis ſtudioſiores aliquando ſeruaremus. Ariſtotelea *lib.3.Polit.* ὥσπερ μέτοικος γάρ ἐστιν ὁ τῶν τιμῶν μὴ μετέχων. Quaſi inquilinus, cum quo non communicantur honores: cæteráque, de quibus *l.27.eius.§.1.municip.* ¶ Illud tamen ſæpenumero tractatum à noſtris ſcio, an ſtatuta, municipij extraneos teneant, & quatenus. Et aliis aliud, illud pluribus placuit, eos non obligari: vt ecce, præſidi prouinciæ permittitur tutorem dare: ſed eis tantùm, qui ſunt eiuſdem prouinciæ, vel ibidem domicilium habent. *l.1.de tut.& cur.dat.* Si quid tamen negotij ibi contrahant, litigent, quia tacitè videntur illius in quam aduenerint, ciuitatis ſubire iuriſdictionem, non modò ibi conuenientur. *l.19.heres.de iudic.* ſed etiam legibus, quibus municipes vtuntur, & moribus, erunt obnoxij: & receptam ibi iudiciorum conſuetudinem obſeruabunt. *l.5.§.illud.de reb.cor.l.3.fi.de teſtib. l.6.ſi fundus.de euict.l.2.C.quemad.teſta.aper.l.1. C.de emancip.lib.* Denique in qua quis prouincia crimen contraxerit, ibidem punietur. *l.1.l.2.C.vbi de crim.agi.* Iuſtinianus *Nouell.69.* ὥστε ἕκαστον ἐφ' οἷς ἐπαρχίας πλημμελεῖ, ἢ ἐφ' οἷς χρημάτων, ἢ ἐγκλημάτων ὑπεύθυνος γίνεται, ἐκεῖσε καὶ τὰς δίκας ὑπέχειν. Niſi fortè cum nuper in vrbem appulerit, municipalis legis errore lapſus, pœnam deprecetur. *arg.l.vlt.de decret.ab ord.fac.* Qui ſi diutius, inter ciues in ea diuerſatus, ignorantiam cauſari non poſſet, aut iuriſgentium præcepta migraſſe argueretur, minus excuſaretur. *arg.l.11.ſed & fi.§.proſcribere.de iniſtit. act.l.vlt.§.licet.ſ.de publican.*

§. v. Decvriones quidam dictos aiunt ex eo, quòd initio cum coloniæ deducerentur, decima pars eorum qui ducerentur, conſilij publici gratia conſcribi ſolita ſit.

Alciatvs.

DEcvriones. ¶ Vnicuique ciuitati ſecundum mores ſuos, ſui magiſtratus ſunt, qui Decuriones dicuntur, conſilij publici gratia primùm introducti. Emanauit autem nominis origo à coloniis populi Ro. in quibus qui eas deducebant Triumuiri, decimum quenque conſilij cauſa adſcribebant: ex his magiſtratus municipales eligebantur. *l.fi.de mun.* Quorum varia fuere munera. *l.& ideo.de cõpenſ.* & in primis Ædiles, qui rem frumentariã, ponderáq; & menſuras curabant, ἀγορανόμους

plerique

plerique vocant Iuriſconſ. Arcadius etiam epiſcopos *d.l.fin.* Erant Archeotæ, qui publico archiuo præerant. In ſcholiis Græcis traditum eſt, aulam locum eſſe, in quem fontes ducerentur, cum à iumoribus ἀρχεῖον appellari *d.l.fin.*

Erant & Xenoparochi, quos vox indicat præbendis hoſpitiis præfuiſſe. Nicoſtrategi, qui pro victoria Ducum excubarent, denuntiarentque quid in hoſtico gereretur. ſic enim etymus indicat. Maſtigophori, id eſt, flagelliferi, qui athletas (ſeu athlothetas mauis) in certaminibus comitarentur. Teleſphori vectigalium exactores, vel mancipum præfecti, vnde Teleſphoria munus ipſum Sitocomæ: Decaproti, Proſtatæ, Logographi, de quibus à me alibi diſputatum eſt. Et hi magiſtratus Græcorum erant. In Latinis municipiis Duumuiri: Primi in albo deſcribebantur: hi carceribus præerant, publica locabant, facibus vtebantur, quod *lib. Diſpunct.3.* à nobis annotatum eſt. Ad hæc, Quatuoruiri, qui appellationum cauſas audiebant, in antiquis monumentis ſic annotantur, IIII. *vir. Ap.* Sextumuiri & ipſi de his quæ ad Rempublicam pertinebant, ſolebant cognoſcere. *l.2.§.deinde.de ori.iu.* Erant & x. *viri ſtl.iud.* id eſt, Decemuiri Stlitibus iudicandis, quorum & Spartianus in Adriano meminit. Et hunc magiſtratum geſſiſſe C.Cæcilium Plinium, ex duobus vetuſtiſſimis monumentis quæ Mediolani conſpiciuntur, conſtat. Fuere & Auguſtales, quos eligi à Decurionibus ſolere alias retuli, diuerſus magiſtratus ab Alexandrino præfecto, qui Auguſtalis & ipſe dicebatur. *l.ſi quos.C.de decur. lib.10.* Decurionum cenſus ita vt lege municipali præcipiebatur, varius erat. Plinius *lib.epiſt.1.* Comi fuiſſe centum millium tradit: quæ ſumma eſt noſtratis pecuniæ aureorum duorum millium & quingentorum. Solebant autem cùm in ordinem reciperentur, binos denarios, vel huiuſmodi certam quantitatem, ſingulis collegis diſtribuere: ſed & quoties aliqua ſtatua ædiculáve dedicaretur, aliquid eo nomine recipiebant. *l.ſpurij.§.de decur.* ea pecunia Sportula quoq; appellatur. Et ideo iure cautum eſt, minores 25. ann. Decuriones factos, ſportulas accipere poſſe, licet ſuffragium ferre nequeant. Et hæc quidem de municipalibus ſatis ſint. In caſtris quoque erant Decuriones, ſic dicti, quòd denis equitibus præeſſent, vt Feſtus ſcribit, licet Fronto præfuiſſe eos turmæ dicat. Conſtat turma ex duobus & triginta equitibus. Erant & in Palatina militia: vnde apud Tranquillum traditur Saturium cubiculariorum decurionem fuiſſe: ſed de his nihil ad præſentem materiam. Quomodo autem Coloniæ deducerentur, ſuprà vidimus.

FORNERIVS.

DECVRIONES. ¶ Sexta definitio ſiue etymologia eſt, Decurionum: qui quòd conſilij gratia allegerentur, βουλευταί dicebantur. Plinius *epiſt.lib.10.ad Traianum. Nouell.38.& 70.* Minor ſenatus dicebatur decurionum collegium. Caſſiodorus *lib.2.epiſt.18.lib.9.epiſt.2.fin.* Maioriani *Nouell.1.princip.* Quorum iura, priuilegia, leges, multis reſponſis ac reſcriptis, quæ nunc ſingula perſequi non eſt operæpretium, explicantur. *ī huius lib.tit.2.3.9.C.lib.10.* De quorum prædiis ſine decreto non alienandis agitur. *Nouell.101.tit.33.lib.11.C.* Caſſiod. *lib.7.epiſt.vlt.* Et nos *lib.1.cap.12.lib.2.cap.20.lib.3.cap.7.ſelectionum.* diſſeruimus.

§. vj. VRBS ab vrbo appellata eſt. vrbare eſt aratro definire. & Varus ait, vrbum appellari curuaturam aratri, quod in vrbe condenda adhiberi ſolet.

ALCIATVS.

VRBS. ¶ Vrbs ab vrbando dicta eſt: vrbare autem eſt aratro definire. Solebant enim antiqui, iunctis bobus, tauro, & vacca, Hetruſco ritu, in condendis vrbibus, aratro ſulcum facere, intra quem oppidum muniebant, ædificabántque, id religionis cauſa, & auſpicatò fiebat, quò eius loci penates & genios magis propitios haberent: vnde intra eum circuitum non licebat ſepulchra conſtituere. *l.mortuorum.C.de relig.* quòd huiuſmodi feralibus contaminari ſanctum municipiorum ius, pollui que vrbis Genius videbatur. Nam & cùm hoſtes vrbem expugnarent, in primis eos omnes euocabant Deos, vt non offenderentur, & expugnatores ſacrilegij nomine exoluerent: quod Iuriſconſulti euocare ſacra appellant *l.ſacra.de rer.diuiſ.* Id autem conceptis quibuſdam verbis fiebat, quæ ſe apud Serenum Sammonicum legiſſe Macrobius refert. Eadem ratione & muri vrbium ſancti appellantur. *l.ſanctum.eod.tit.* vnde & iure ciuili ſine Principis vel præſidis authoritate in eis aliquid committi non poteſt. *Doct.l.1 §.fine.de oper.noui nunc.* & ideo eo iure nulli populo licitum eſt vrbem condere, niſi ex principis authoritate: quod in his gentibus non procedit, quæ liberæ ſunt, & vacantia occupant. illæ enim iure gentium reguntur *l.ex hoc.de iuſt.& iur.* quo iure Romani Imperatores non præcellunt. In Pontificiis autem, recentioribúſque Canonibus, non videntur vrbes appellari. Bald. *d. l.ex hoc.* niſi quibus epiſcopus datus eſt. in antiquis enim decretis, maioribus tantummodo vrbibus epiſcopi conſtitui iuſſi ſunt *c.1.de priuil.* Sèd tamen hodie quamplurimæ in Germanis Sarmatiſque vrbes ſunt, quibus ſpecialiter nullus ſacrificulus antiſtes præeſt; hæ enim nationes, non pauca ex iure gentium adhuc retinent, licet in ſacris Chriſtiani ſint, noſtrámque rem armis à Turcarum impetu egregiè, quantum in eis eſt, tueantur.

FORNERIVS.

VRBS ¶ Septima definitio, à notatione & vi nominis ducta: vrbs, ab vruo, de quo in *l.2.l.87.vt Alphenus.ī h.t.* Iſidorus *lib.15.c.2.* Illud vnum demiror, quòd cum de muris vrbis Romæ tam multa ab idoneis auctoribus prodita ſint: quorſum Roma muris primùm cingi cœpta ab Aureliano, & à Probo Imp. (cum muris anteà caruiſſet) perfecta tradatur à Zoſimo *lib.1.* Ἐτειχίσθη δὲ τότε ἡ Ῥώμη πρότερον ἀτείχιστος οὖσα. Καὶ λαβὸν τὴν ἀρχὴν ἐξ Αὐρηλιανοῦ συνεπληρώθη βασιλεύοντος Πρόβου τὸ τεῖχος. Hoc inquam non poſſum nó inſolens ac mirum. (*l.vlt.de rer.diuiſ.* & aliis ſexcentis teſtimoniis impulſus) arbitrari.

§. vij.

• §. vij. Oppidvm ab ope dicitur, quòd eius rei cauſa mœnia ſint cõſtituta.

Alciatvs.

Oppidvm. ¶ Oppidum videtur mihi id eſſe, quod tanquam propugnaculum aduerſus hoſtes conſtructum eſt, & mœnibus vallatum. id enim etymologia arguit, cùm dicatur ab ope, id eſt, auxilio, quòd eius cauſa factum ſit: vnde & plurimum condebantur oppida, vt etiam natura loci tuta eſſent. *Virgil. 2. Georg.*

Adde tot egregias vrbes, operumq́; laborem,
Tot congeſta manu præruptis oppida ſaxis.

Sic & Titus Liuius *lib.* 44. prohibitum Lacedæmoniorum tyranno tradit, ne quod oppidum in ſuo alienóve agro conderet, quòd videlicet nollent Romani habere eum, quò poſſet ſe recipere, & armis tueri. Sic & C. Cęſar *commentariorum* 5. Oppidum, inquit, Britanni vocant cùm ſyluas impeditas vallo, atque foſſa munierunt, quo incurſionis hoſtium vitandæ cauſa conuenire conſueuerunt. Sunt tamen qui oppidum dictum exiſtiment, quòd eò priuati opes ſuas conferant. ſed quod Pomponius hîc ait, verius eſt: quapropter ſiue vrbs ſit ſiue caſtrum, emporium, conciliabulum, pagus, vicus, præfectura, burgum, metrocomia, dum mœnibus cingantur, & ab incurſu hoſtium tuta ſint, putauerim dici propriè oppida, idque cum cæteris noſtratibus interpretibus. Laurentius enim Valla, quique eum ſecuti ſunt Grammatici, oppidum omnem vrbem dici exiſtimauerunt, præter Romam, quæ peculiari nomine vrbs vocari cœpta, fecit vt cæteræ vrbes, oppida vocarentur. Eſt & oppido aduerbiũ, pro valde, tractúmque, id eſt à conſuetudine agricolarum, qui cùm interrogarentur, quantum meſſium collecturi eſſent, reſpondebant, oppido: quaſi & ſibi, & oppido ſuffecturas dicerent.

Fornerivs.

Oppidvm. ¶ Octaua definitio ſeu etymologia: oppidum ab ope. cui complures auctores ſubſcripſere. M. Varro *lib. 4. de lingua Lat.* quòd munitur opis cauſa: vbi ſit & quod opus eſt ad vitam degendam: vbi egebant, tutò oppida, quòd opere muniebant. M. Tullius *lib. 1. de gloria*, eandem originem probat, eámque appellationem vſurpatione appellatam eſſe exiſtimat, quod opem daret, adiiciens, vt imitaretur ineptias Stoicorum. Oppidum dictum eſt, quod opem præbet: vel quòd ibi homines opes ſuas conferant. Feſtus *lib. 13.* Iſidorus verò variè de hoc ipſo ita diſſerit. [Oppidum quidam ab oppoſitione murorum duxerunt: alij ab opibus recondendis: eò quòd ſit munitum. Alij quòd ſit in eo conuentus habitantium, & opem det mutuam contra hoſtem. Nam primùm homines tanquam nudi & inermes. nec contra beluas præſidia habebant: nec receptacula frigoris, & caloris, nec ipſi inter ſe homines ab hominibus ſatis erant tuti. Tandem naturali ſolertia, ſpeluncis ſylueſtribuſque tegumentis tuguria ſibi & caſas virgultis arundinibúſque contexuerunt: quò eſſet vita tutior, nec iis qui nocere poſſent, aditus eſſet. Hæc eſt origo oppidorum, quæ quòd opem darent, idcirco oppida nominata dixerunt.] hæc ille *Etymolog. lib. 15. cap. 1.* vbi etiam oppidum magnitudine & mœnibus, à vico caſtello & pago diſcrepare tradit. Sicul. denique Flaccus de conditionibus agrorum. primam originem oppidorum, quæ ciuitates dictæ ſunt, municipia, ad bella cum hoſtibus geſta retulit. Græci hîc, à cauſa mœnium ſtruendorum. id eſt, ἀπὸ τοῦ ἔργου τῆς τειχῶν κατασκευῆς, à muniendi videlicet opere, oppidum deduxerunt.

§. viij. Territorivm eſt vniuerſitas agrorum intra fines cuiúſque ciuitatis. quod ab eo dictum quidam aiunt, quòd magiſtratus eius loci, intra eos fines terrendi, id eſt ſummouendi ius habet.

Alciatvs.

Territorivm. ¶ Quatuor ſunt nomina eiuſdem intellectus, territorium, comitatus, diſtrictus, diœceſis, eorum ſignificatio ex diffinitione hîc poſita intelligitur: & ſicut territorium à terrendo, ita diſtrictus à diſtringendo, & in vincula trahendo nomen à recentioribus ſumpſiſſe videri poteſt, tametſi ſint, qui latius patere diſtrictum putent. *Clem. paſtoralis. de re iud.* vt hoc nomine ſignificetur, quicquid vltra territorium ſuum ex alieno ditioni ſuæ ciues addunt, vel virtute bellica partum, vel quaqua alia ratione, quod & crebrius receptum videtur. Aret. *in conſil. 77.* qua in re via eſt, vt ego diſputare velim, qui ſciam, vocem hanc apud antiquorum neminem reperiri.

¶ Comitatus propriè de imperatoria aula dicitur. ſed quia tempore Caroli Magni, regnantibúſque Berengariis, & Othonibus ad ſingulas ciuitates regendas aliquis Comes mittebatur, cœpit territorium, quoniam illi Comes præerat, Comitatus dici. Otho tamen Phriſingenſis in Æuobarbi hiſtoria à comminando comitatum dici exiſtimat, eadem ratione qua & à terrendo territorium. ¶ Diœceſis Græca vox eſt, qua adminiſtratio ſignificatur. in iure noſtro pro prouincia aſſumitur. *l. 1. C. de priuat. carc.* vnde Ægyptiaca diœceſis. Sed in patrum decretis ſolet ad epiſcoporum munus deflecti: non enim in primitiua eccleſia epiſcopi iudicia exercebant, ſed ſacra adminiſtrabant, curabántque: meritò διοίκησις, id eſt, procuratio diſtributióque in eis propriè locum ſibi vendicabat. Sicut ergo territorium dicitur, quatenus iudex ius terrendi habet: ſic diœceſis dicitur, quatenus epiſcopus ius adminiſtrandi ſacra habet. Acciditque in limitaneis vicis, vt non eiuſdem ſit diœceſeos caſtrum cuius eſt territorij. ¶ Sed finge aliquod caſtrum à principe fuiſſe de omnimoda ciuitatis iuriſdictione exemptum, an eiuſdem territorij vel comitatus dicetur? Et verius eſt non eſſe: cùm enim vrbis prætor, vel comes, ius terrendi eo in loco non habeat, non videtur de territorio vel comitatu amplius eſſe.

Quapro

Quaptopter ſi conſtitutum ſit, vt eius caſtri legibus deficientibus ius commune Romanorum obſeruetur, conſtitutiones ciuitatis, cui antè ſubiiciebatur, non obſeruabimus. Quòd ſi exemptum non eſſet, minimè procederet, cùm ius commune Romanotum mandet, caſtra quæ in territorio ſunt, vrbis ſuæ legibus coerceri: idque & Pontano viſum eſt, *Rom. conſ.* 218. *Soc.* 81. Idémque arbitror, ſi non omnino ab vrbe ſeparatum ſit, vt quia aliquo caſu illi ſubiiciatur, adiuuatur enim origine inſpecta territoriique nomen ſeruat. quod ex facto Bald. reſpondit, *conſ.* 182. *in* 3. Finge rurſus principem caſtrum alicui ſimpliciter donaſſe, an territorium quoque & iuriſdictionem donaſſe cenſebitur? Et ſi iam exemptum à iuriſdictione vrbis erat, verius eſt videri donatum. pleniſſimam enim huiuſmodi munificentia interpretationem recipit, Bart. *in l. ſi quando. C. de bon. vacant. libr.* 10. Quod ſi ſeparatum non erat, haud quaquam de iure ciuitatis veriſimile eſt voluiſſe principem quicquam diminuere, Bart. *in l.* 1. *de excu. mun. lib.* 10. Quid item ſi territorium conceſſerit, an & proprietates palatiáque conceſſiſſe videbitur? Et Oldr. non videri reſpondit. Territorium enim ad iuriſdictionem refertur, non ad eas poſſeſſiones, quæ dominij principalis ſunt, idque & cæteri probant. *Alb. hic.* Sed quid ſi exercitus alicuius populi extra fines proceſſit, & aliquis ibi deliquerit, an prætor eius populi eum puniet? Et reſponſum extat, ab eo puniri poſſe, *Bart. hic.* iure enim gentium eius ſoli, quod quis bello captum poſſidet, habet dominium, iuriſq; dictio quærirur, vt meritò territorium ſuum dici poſſit, A terrendo, i. ſubmouendo: ſolebant enim magiſtratus pop. R. in ſummæ poreſtatis ſignum, lictores habere cum falcibus, quib. mandabatur, vt turbam ſummouerent, vnde & ſummouere pro terrendi iure accipi cœptum eſt.

FORNERIVS.

TERRITORIVM. ¶ Nona definitio Territorij, quod gloſſarij veteris auctori exponitur, λχές, Ἐπιπολιτεία. Ἐπιδείχωμα, Ἐνοιεία, πιείχωρος. Frontinus de limitibus agrorum, inter controuerſiarum genera recenſet, de iure territorij controuerſiam, ad ipſam vrbem pertinentem. [Nam omnia antiqua municipia habent ſuum priuilegium. Quicquid enim ad coloniæ municipiiue priuilegium pertinet, territorij ius appellant. Sed ſi rationem huius appellationis tractemus, Territorium eſt, quicquid hoſtis terrendi cauſâ, conſtitutum eſt.] Hæc ille. Varroni tamen *lib. 4. de ling. lat.* quod teratur, dictum placet. Sicul. Flaccus diſſentit, *de conditionib. agror.* [Hi ciues, inquit, dicuntur, quidem vltrò citróque aut bello repuliſſe, aut indigenas. Præmenſumque quod vniuerſis ſuffecturum videbatur, ſolum: territis fugatiſque inde ciuibus territoria dixerunt.] Idem aliquantò pòſt, [Bellis geſtis victores populi terras omnes ex quibus victos eiecerunt publicè atque vniuerſaliter territorium dixerunt, intra quos fineis ius ducendi eſſet.] fortè legendum, Iuriſdicendi: quoniam extra territorium ius dicenti impunè non paretur. *l. vlt. de iuriſd.* Hic opportunè quæritur, an municipij leges, ciues etiam extra territorium degentes obligent? Vtrùm in rem an verò in perſonam concipiantur, diſpiciendum imprimis exiſtimo. Si quidem in perſonam, vt exteros indigenarum ſcitis non teneri paulò antè oſtendimus. *l.* 1. *de tut. & cur. dat.* ita ciues patriis legibus obligantur. *l.* 1. *§. ſi heres. ſ. ad Sc. Trebel.* Si verò in rem, contrà, ſemper manet obnoxius rei dominus, ſiue præſens, ſiue abſens, ſiue ciuis, ſiue exterus, ſiue laicus, ſiue clericus, legibus ſuæ ciuitatis obſtringitur. *l. 6. reſcripto. ſ. ſ. de mun. & hon. l. 3. C. de ædif. pri. l. 3. C. de epiſc. & cleric.* quod & de philoſophis patrimonij muneribus obnoxiis proximè diſputauimus. *Terrendi ad eſt ſubmouendi.* ¶ Vtrumque rectè, conſtanti omnium exemplarium fide: Quamuis prius à terendo Varro, & poſteriùs ipſe aliquando dubitarim num melius *ſubmouendi.* Quòd monere ſit caſtigare, coercere, terrere, fuſtium admonitio. *l. 7. veluti. de pœn.* Val. Maxim. *lib.* 1. *c.* 1. [Virgo veſtalis, quia aliqua nocte parùm diligens cuſtos ignis æterni fuiſſet, digna viſa eſt, quæ flagro admoneretur.] Non. Marcel. admonere, exponit percutere, citans illud *ex Æneid. x.*

Lucagus vt pronus pendens in verbera telo,
Admonuit biiugos.

Idipſum terrere, dicitur: Vlp. [Vt impuberes non torqueantur: terreri tantùm ſolent, & habenis vel ferula cædi.] *l.* 1. *§. impuberi. ad Sc. Syl.* A Græcis territorium hîc definitur, vniuerſi ſub vna ciuitate agri. πάντες οἱ ὑπὸ τὴν πόλιν ἀγροί.

§. ix. VERBVM SVVM ambiguum eſt, vtrùm de toto, an de parte ſignificat. & ideo qui iurat ſuum non eſſe, adiicere debet, neque ſibi communem eſſe.

ALCIATVS.

VERBVM SVVM. ¶ Qui fundum, Stichum, domum, huiuſmodiq; certam rem nominat, ſuámq; eſſe affirmat, de tota re integráque ſpecie locutus intelligitur. Qua ratione, quod commune eſt, propriè meum dici non poteſt. *c. ſi eo tit. in* 6. nec quod de re, quæ propria alicuius ſit, à lege conſtitutum eſt, in ea locum ſibi vendicat, quę partim quoque aliena ſit. Id tamen perpetuum non eſt. Nam in indiuiduis, ſi plures ſint inſolidum domini, res illa cuiuſlibet etiam propriè eſſe exiſtimabitur. *l. illud. de rit. nupt.* Vnde communis libertus, eorum ratione quæ ad patroni honorem ſalutémque pertineot, pro proprio habebitur. *l.* 1. *§. domini. ad Syl.* is enim honos, in ſolidum debetur. *l. communis. de in ius voc.* In legatis quoque, quoniam voluntas potiſſimum locum obtinet, idem dicemus. Vnde qui legat Stichum, qui ſuus erit cùm morietur, etiam legaſſe cùm intelligetur. *l. ſeruus.* §. 1. *de legat.* 1. ſi non ſuus, ſed communis erit, eáque pars debebitur, quæ ad eum ſpectat: nec enim dubium eſt, quin illa propriè ſic ſua. Cæterùm & cùm iudex pronuntiat fundum Titij non eſſe, intelligetur id pronuntiaſſe, vt neque illi communis ſit. Cùm enim in iudicio de veritate totius ſummæ agatur, cenſetur iudex etiam de qualibet eius parte pronuntiaſſe. *l. ſi quis cum totam. de exec. rei iu.* alioquin facile eſſet rem iudicatam eludere. Idem & in interrogationibus dicendum eſt, *l. qui ſeruum. in fin. de interrog. action.* qui enim interrogat an fundus ſit ſuus, non ſolùm de toto, ſed & de qualibet parte interrogaſſe cenſebitur.

X Et id

Et ideo ſi illi reſpondeatur, ſuum non eſſe, perinde erit, atque ſi neque ſibi communem dixiſſet. Quid ergo ſi iurauerit ſuum non eſſe, & deinde probetur communem eſſe, an punietur tanquam periurus. Et videretur non eſſe exiſtimandum periurum: vt enim crimen illud euitetur, humanitate receptum eſt, *c. cùm in. de teſtib.* etiam abuſiuam verborum interpretationem admittendam, vnde cùm è duobus teſtibus alter affirmaſſet fundum à Titio poſſideri, alter verò negaſſet, concordiæ cauſa reſponſum fuit. *Dom. Bald. l. 2. C. de cond. inſt.* de parte alterum, alterum de toto intelligendum. Meritò igitur Iuriſconſultus ambiguum eſſe hunc caſum aſſerit: & ideo debent iudices eum, qui iurauit ſuum non eſſe, compellere vt explicet, ſitne ſibi communis, ne periurium obtegere verborum inuolucro poſſit; quamuis verior ſententia ſit, etiam ſi nihil explicet, cenſeri periurum. *Doct. l. 1. §. ſi ſtipul. de ver. ob.*

FORNERIVS.

VERBVM. ¶ Decima definitio. Suum quiſque id & quod cum alio commune habet, dicere poſſit. *l. 5. §. Labeo. de leg. 1.* Dominus etiam is eſt, qui partem habet. *l. 1. §. domini. ad Sc. Syl. l. 46. illud. de rit. nupt.* Itaque in re communi libera mihi partis meæ adminiſtratio eſt, liberúmque arbitrium. *l. 22. dominus. §. dominus. de penu leg. l. 2. de cond. inſt. l. 33. falſa. ſi. de cond. & dem. l. 1. C. qui teſt. fac. poſ.* Partem autem alienam attingere, ius ſocio non eſt: valétque regula in re communi, potiorem haberi prohibentis conditionem. *l. 3. C. de com. rer. al. l. 28. Sabinus. com. diuid.* Maxime ſi res communis diuiſionem non admittat. *l. 2. de ſer. l. 8. parietem. & l. 26. in re communi. de ſer. vrb.* Sed hoc iam attigimus. *l. 25. rectè. ſ. h. t.*

CCXL. PAVL. ex libris ſex lib. j. Imperialium ſent. in cognitionib. prolatarum.

CVM quærebatur, an verbum [ſoluto matrimonio, dotem reddi,] non tantùm diuortium, ſed & mortem contineret, hoc eſt an de hoc quoque caſu contrahentes ſentiant: & multi putabant hoc ſenſiſſe, & quibuſdam aliis contrà videbatur: ſecundum hoc motus Imperator pronuntiauit, id actum eo pacto, vt nullo caſu remaneret dos apud maritum.

ALCIATVS.

CVM QVÆREBATVR. ¶ Cùm quis ſtipulatus eſſet ſoluto matrimonio dotem ſibi reddi, fuere qui crederent, conditionem ſtipulationis eo ſolùm caſu euenire, quo per diuortium ſolueretur, non etiam ſi morte alterius: quorum ſententiam ea ratio adiuuat, quòd cùm matrimonium conſenſu contrahatur, propriè contrario conſenſu diſſolui videtur. Qui autem moritur, non exiſtimatur diſſentire, vnde & viduę iuris interpretatione pleriſque habentur, ac ſi in priore matrimonio adhuc eſſent. Sed Imp. Titus etiam caſum mortis contineri exiſtimauit: quamobrem & quoties conſtante matrimonio dos petitur, vt ſi maritus facultatibus labatur, locum eſſe ſtipulationi videretur, cùm nullo caſu dotem remanere apud maritum pronuntiauerit. *Gl. l. ſi conſtante. ſol.* Sed hoc communiter non admittitur, cùm ſolutum non ſit, & beneficium repetitionis mulieri ipſi lex concedat, non autem extraneo. Interpretantur autem Doctores ea verba, ſoluto matrimonio, id eſt, cùm matrimonium ſolutum erit: indéque colligunt, ablatiui abſoluti naturam eam eſſe, vt conditionem inducat. In quo articulo ſciendum eſt, ablatiuos quandoque in vim ſeptimi caſus, vt Diomedes, Seruiuſque docuerunt, enunciari: túncque dubium non eſt ad conditionem non referri. Inducitur autem huius caſus is ſimpliciter in nominibus: vt cùm dicimus te autor didici, arbitratu Seij ædificaui, ſaluo conſenſu domini alienaui, & ſi qua ſimilia. Quandoque per participium proferuntur, & tunc naturam adiuncti participij debemus inſpicere, præſentis, præteriti, an futuri ſit temporis.

¶ Quod præſentis temporis eſt, conditionem non inducit: vt ſi dixerim, rato manente pacto, pœna ſoluatur. item, filio precedente, patri permittitur quemlibet in locum nepotis adoptare: hic enim non videtur ſubeſſe conditio. Quod tamen non procedit, cùm participium ipſum licet præſentis temporis, futuros tamen caſus reſpicit: vt ſi conſtitutum ſit, ſtantibus maſculis fœminas à ſucceſſione excludi: illa enim verba, ſtantibus maſculis, quoniam ab eo prolata cenſentur, *Bart. l. 2. §. fi. ad Tert.* qui ius de ea re ſtatuendi habet & conditionem inducunt, & diſpoſitionem: quia non ſolùm fœminas ſub conditione excludunt, ſed ipſos maſculos admittunt. Cùm participium eſt preteriti temporis, obſcurior eſt quæſtio: quoniam ex adiectione verbi, poteſt ad omnia tempora referri, vt ſ. à nobis ex P. Nigidij ſententia traditum eſt *in l. verbum erit. ſ. eod.* vnde hęc verba, ſoluto matrimonio, generaliter accipi ex materia ſubiecta poterunt, ſiue retrò ſolutum ſit, ſiue in futurum ſoluetur, reſpectu futuri conditio eſt, non autem reſpectu præſentis præteritiue. Nam & cùm ſermo Latinus pręſens à paſſiuo verbo participium nullum habeat, ſoliti ſunt veteres in eum ſenſum præterito vti, vt apud Vergil. Vimque addere victis, id eſt, qui vincebantur. Et in Georg. Quàm quibus in patriam ventoſa per æquora vectis, id eſt, qui vehuntur. Sic & in edicto prætoris, *l. 2. §. deinde. de incend.* dum in eum, qui rare naue expugnata, quid rapuiſſe dicetur, actio conceditur: illa verba naue expugnata, exponuntur, id eſt, dum expugnatur, & præſens quoque tempus reſpiciunt. Sumuntur & quandoque huiuſmodi participia ferè in vim nominis, vt cùm dicimus, velo leuato iudicauit, reſeruato domini conſenſu alienauit, penum excepto vino legauit. quo caſu dubium non eſt, diſpoſitionem inferri,

non

non conditionem, idémque iuris eſt, quod de vi ſeptimi caſus §. docui. Cùm futuri temporis participium eſt, tempus potius, quàm conditio inducitur, vt in illo Lucani: Venturo Cæſare Romam, Ignauæ liquere manus: id eſt, cùm eſſet venturus. Vnde quamuis Bart. *in l.1.7.q.de cond.& dem.* eas conditiones, quę ab ablatiuis abſolutis inducuntur, expreſſas appellet, mihi tamen videtur huiuſmodi ablatiuos principalius ad tempus, quàm ad conditionem referri. Nam & illud in confeſſo eſt, magis diſpoſitioni eos accedere, quàm conditio expreſſa faciat. *faſ.in rub.ſol.mat.* Illud etiam conſtat, quæ in Dus participia terminantur, nullo modo ad conditionem, neque expreſſam, neque tacitam attinere, ſed id ſignificare, quod fieri oportet, vt in exemplo Iuſtiniani, poſterioribus ſecundo relinquendis: & rurſus, liberis inſtituendis, vel exheredandis.

FORNERIVS.

CVM QVÆREBATVR. ¶ Pacta dotalia variè ex conuentionis formula legem accipiunt. Si in danda pro muliere dote pater vel extraneus in vnum caſum, vel in diuortium vel in mortem pepigerit: mulieri in eum in quem non pepigerit, caſum, competet actio. *l.22.ſi cum.ſol.mat.* Si quis verò à marito ita [Si quo caſu Titia tibi nupta eſſe deſierit] dotem reddi ſtipuletur, hac generale commemoratione, omnis ſoluendæ affinitatis ratio continetur: ideóque ſtipulatio non ſolùm morte, ſed & captiuitate vxoris, deportatione, ſeruitute committitur. *l.56.ſi quos.eod.tit.* Imò etiam ſi cum extraneus dotem pro muliere daret, pepigerit, vt quoquo modo finitum eſſet matrimonium, dos ei redderetur, nec fuerint nuptiæ ſecutæ: quaſi cauſa non ſecuta, condicet dotem. *l.6.ſi extraneus.de cond.cau.dat.* Denique cum, quid hoc pacto [Soluto matrimonio dotem reddi] contineretur, controuerteretur: variæque in cognitione principis aſſeſſorum ſententiæ dicerentur: tandem placuit de omni ſoluendi matrimonij caſu, tum diuortio, tum morte ſenſiſſe contrahentes, dotem commiſſa ſtipulatione à marito condicendam. hîc. Vbi obiter exemplum cognitionis imperatoriæ, de qua *l.1.de conſt.prin.* obſeruandum. Simile *in l.38.Æmilius.de min.l.pen.§.de iis quæ in teſt.del.*

CCXLI. QVINTVS MVCIVS SCÆVOLA libro ſingulari ὅρων.

IN rutis cæſis ea ſunt, quæ terra non tenentur, quæque opere ſtructili, tectoriòve non continentur.

ALCIATVS.

IN RVTIS. ¶ Scripſit Q. Mucius ſingularem librum, quem inſcripſit ὅρων, id eſt, notarum, vel etiam annalium: ſiquidem ὅροι apud Lucianum hoc ſenſu accipiuntur. Potuit & titulus operis fuiſſe τῶν ὅρων, per ο breue. ſic enim Ariſt. *in Topic.* definitionem, ſiue, vt M. Cic. notationem vocat. nam & certa de aliqua re ſententia ὅρος dici poteſt: & hæc ſecunda lectio mihi magis placeret, niſi in antiquis codicibus huius reſponſi lemma, per ω magnum ſcriberetur, nimirum hoc modo, Q. Mucius lib. ſingulari ὥρων. vnde ab ea ſcriptura temerè recedendum non eſt. ¶ Igitur in eo libro Mucius explicuit, quęnam ruta eſſent & cæſa, (ſolebant enim domuum venditores ea excipere, ne empta cenſerentur) & videbatur quæcunque eruta vel cæſa ſunt ſignificari. Id enim voces illæ denotant. Sed Mucius non contineri ea, quæ terræ fixa ſunt, exiſtimauit, *l.fundi. §.ſi ruta de act.empt.* ſed & ſi qua opere ſtructili, vel tectorio concluſa ſunt idem eſſe, *l.ſicuti.ſi ſer.ven.* Dicitur opus ſtructile quod ex lapide quadrato, aut laterculis calcéque conſtructum eſt, eáque propriè pars ædificij eſt, vnde & auferri non poteſt. Tectorum verò incruſtatio eſt, ſiue expolitio parietum, pluribus inductis ex arenato corijs, totidémque ex marmorato: quam rem M. Vitruuius *libr.7.* copioſè explicat. Dureſcebat autem ea ſpecies in cruſtas, adeò vt ſpeculorum modo imagines redderet, poſſétque in abacorum quoque vſum eximi: quæ tametſi vera eſſent, non tamen ea eximere venditori licet, cùm hîc diffinitum ſit, rutorum cæſorúmque appellatione non comprendi. ¶ Sed an inteſtina opera comprendantur, vt ſcamna, ſedes fulcra, abaci, armaria, ſcrinia, idque genus ſimilia? Et contineri quibuſdam videtur. Cùm enim ex materia arboribus cæſa conſtent, ſatis videntur ex vi verbi ſignificari. Quid de ſtatuis & imaginibus, quales maiorum ſuorum antiqui in atriis & veſtibulis conſeruabant, ſicut Philoſophorum, doctrinaque inſignium hominum in bibliothecis cæterorum in hortis vel horreis? Et M. Cic. II. *de Orat.* rutis cæſiſque attribuere videtur: quapropter vendita domo, emptorem non ſequerentur. *l.Celſus.§.idem.in l.ad exh.* Quod tamen aliter ab antiquioribus obſeruatum fuiſſe, Plin. eſt auctor in *lib.35.* In foribus, inquit, & circa limina animorum ingentium imagines erant, affixis hoſtium ſpoliis, quæ nec emptori refringere liceret: quæ etiam dominis mutatis domus ornamenta erant. Sed hæc olim fuere. Mucij enim ſententia deinde recepta eſt, vt ruta cæſáque ædium fundiue eſſe non cenſeantur, *l.in vendendo.de contr.empt.* vti ſcriptum ſit. Sanè harum dictionum M. Cic. *in Topic.* quoque meminit. Solent, inquit, liberales venditores, vt cùm ædes fundúmue vendiderint, rutis cæſis receptis, concedant tamen aliquid emptori, quod ornandi cauſa aptè & ſuo loco poſitum, videatur. Explicuit hunc in locum Budæus quoque.

FORNERIVS.

IN RVTIS. ¶ And. Alc. propoſitis hic duabus veterum codicum ſcripturis, optauit deteriorem ὥρων notarum, annalium. quo nihil eſt ab inſtituto Scæuolæ alienius. Florentiæ rectiùs, ὅρων: quibus in libris Q. Mucius varias tum rerum, tum verborum definitiones exſequebatur. Prioris generis exemplum. *l.vltim.de aqua quotid.l.antep.de acquir.rer.dom.l.73.quo tutela.§.iit.proxim.* Poſterioris, quid lignum, materia. *l.55.ligni.de leg.3.* ruta cæſa, hîc, ὅρος, eſt finis, ſeu definitio: *l.223.lata culpa finit.§.ha...*

& regula definitio eſt *l.1.de reg.Caton.l.202.omnis definitio.in.ſeq.* definire, pro regulam tradere. *l.25.ſed & ſi quid.§.idem Iulianus.de vſufr.l.7.ſi quis.§.& generaliter.de except.rei iudic.l.vn.quan.cont.act.§.ex quibuſdam.de oblig.qua quaſi ex del.* *Definierunt veteres.* id eſt, in regulam coniecerunt, Theophilus, *κανονίζω.* ¶ ſed hoc obiter: nunc ad rem. Ruta cæſa, quæ ædificio non cohærent, non ſunt ædium: quæ terra non ſe tenent, non ſunt fundi, ſiniente Scæuola. Ergo venditor ea ſuo intereſſiget, ac tollet, nec emptorem fundi vel ædium ſequentur. *l.17.fundi.l.ſeq.de act.empt.l.38.ſi venditor.ſi.l.66.in vend.ſi.de cont.empt.l.5.§.Iulianus.ad exh.* fixa, vincta, fundi ſunt: vt opere ſtructili, *maçonnerie*, iunctum. hic. *d.l.38.* Arbores ſtantes, fructus etiam pendentes fundi pars cenſentur. *l.40. Quintus.de act.empt.l.44. fructus.de rei vin.* quia fundo cohærent. *l.vlt.de iis qua in fraud.cred.* Et quia conuentio dat legem contractui, nihil vetat, quominus, vna cum ædibus, vel fundo, ruta quoque cæſa, venditioni accedant, ſi vno pretio diſtrahantur, ſi nihil de iis actum ſit, manent venditoris, emptorem non ſequuntur. Quò alludit M.Tul. *ad Trebatium I.C. ſcribens ſub fin. Topic.* [Feciſque quod ſæpe liberales venditores ſolent, vt cum ædes fundúmue vendiderint; rutis cæſis receptis, concedant tamen aliquid emptori, quod ornandi cauſa aptè, & loco poſitum eſſe videatur.] id eſt, quod & ſi non ſit ædium, ita tamen earum dignitatem auget, vt eo ſublato, multum de ipſarum ornatu detrahatur: vt ſunt ſtatuæ, imagines cæteráque, de quibus *d.l.17.fund.& l.ſeq.arg.l.41.ſtatua.de vſuf.*

CCXLII. Iavolenvs lib. ij. ex Poſterioribus Labeonis.

Malvm nauis eſſe partem, artemonem autem non eſſe, Labeo ait: quia pleræque naues ſine malo inutiles eſſent. ideóque pars nauis habetur. artemo autem magis adiectamento, quàm pars nauis eſt.

Alciatvs.

Malvm. ¶ Artemon velum eſt addititium, dirigendæ nauis cauſa, cuius Iulius Pollux meminit, & in *Act. Apoſt.* Lucas, *ἐπάραντες τὸν ἀρτέμωνα τῇ πνεούσῃ*, id eſt, extollentes artemonem ad auræ flatum. Deducitur à Græco verbo *ἀρτᾶν*, quod ſuſpendere ſignificat, & adſuere: vnde & *ἄρτημα* in etymologico magno pro loro paruo accipitur, cui crumena adſuitur. Eſt & hac ſimilitudine artemon trochlea, quam Græci *ἐπάγοντα* vocant: ea ingentis oneris lapides tolluntur: cùm enim cæteræ huiuſmodi machinæ duas tantummodò trochleas habeant, ea quæ *πολύσπαστος* appellatur, etiam tertiam requirit, quæ addititia eſt, & ideo artemon epagónque dicitur, vt Vitruuius ſcribit Eſt & Artemon machinarij fabri nomen, qui è paupere diues factus, voluptariam vitam agere cœpit, vt apud Athenæum legi: vnde *περιφόρητος*, id eſt, circumlatitius, prouerbio quoque dictus: de quo alij aliter prodiderunt. Sed hoc in Iaboleni reſponſo de velo illo extraordinario accipiendum eſt: quod etiam Iſidorus (vt tempora ſua ferebant) non prorſus malus autor, dirigendæ potius nauis cauſa, quàm celeritatis commendari *lib.19.* tradidit. Igitur id velum tanquam addititium, non eſſe nauis partem hîc traditur: nam & pleræque naues illud non habent, & tamen non ideo inutiles ſunt.

At ex recentioribus plerique, quid artemon eſſet ignorantes, temonem expoſuerunt, quòd ſic vulgari voce nauis gubernaculum vocetur. Hinc variè ſe torſerunt, dum rationem nullam vident, cur illud pars nauis non ſit, cùm alibi expreſſim traditum legerint, gubernacula, malum, antennas quaſi membra nauis eſſe *l.ſcapham.de euict.* Hinc autem apparet, vendita vel legata naui, quid præſtandum ſit. Sed quid ſi quis vendat tibi lembulum, an & remos debeat? Et deberi videtur, niſi ex conſuetudine aliáue ratione aliud actum conſtet. Quid ſi nauim inſtructam quis legauerit, an artemon præſtabitur? Et licet pars nauis non ſit, *l.ſi.de fund.inſtr.* tamen non eſt dubitandum, quin eius inſtrumentum ſit. Quod in ſcapha contrà reſponſum eſt: ſcapha enim nauis inſtrumentum non eſt. Sanè ſciendum eſt, nauim ex vniuerſo quodam conſtare, & ideo ſingulis tabulis euictis, non videri partem euictam, *l.Nauis.de euict.*

Fornerivs.

Malvm. ¶ Malus eſt arbor nauis, qua vela ſuſtinentur: ſic dictus, vel quia quibuſdam malleolis ligneis cingitur, quorum volubilitate vela faciliùs eleuantur, auctore Iſid. *lib.19.etymol.c.2.* Gloſſario vetere, arbor nauis, *ἱστὸς πλοίου*. Artemon autem non eſt pars: ſiue quòd vt ibid. Iſid. ait, dirigendæ potiùs nauis cauſa commendatum, quam celeritatis: ſiue quòd vti vt Iabolenus hîc, nauis ſine malo ſit inutilis, artemone carere poſſit: vt adiectamentum, non pars nauis neceſſaria cenſeatur. Victruuius *lib.10.c.10.* Græci Epagonta, noſtri artemonem appellant. Sed hoc propriè. Nam alioqui fuſiùs etiam rei acceſſiones, quandam rei, ſi minus ſubſtantialem, vt vocant, certè aptam, & vſui accommodatam partem conſtituunt: vt remi, vela, ſcapha, artemon, claui, gubernacula, remiges ipſi, cæteráque quibus armatur & inſtruitur nauis. Et hac diſtinctione conciliari oportet, quę ſpeciem diſſidij præ ſe ferunt. *l.44.ſcapham.de euict.l.3.§.armamenta.de rei vin.l.vlt.de fund.inſtr.*

§. j. Inter proiectum & immiſſum hoc intereſſe ait Labeo, quòd proiectum eſſet id quod ita proueheretur, vt nuſquam requieſceret: qualia mæniana & ſuggrunda eſſent. immiſſum autem, quod ita fieret, vt aliquo loco requieſceret: veluti tigna, trabes quæ immitterentur.

ALCIATVS.

INTER PROIECTVM. ¶ Interpretator Priſcus Iabolenus quid inter proiectum & immiſſum differat: aitque immiſſum id eſſe, quod ita immitteretur, vt in alieno requieſceret, vnde & ſeruitus tigni immittendi nomen ſumpſit. Proiectum autem eſt, quod prouectum extra parietem vel ædificium, nuſquam conquieſcit: qualia ſunt meniana, & ſuggrundia. *l. pen. C. de ædific. priuat.* Meniana (Græci exthas appellant) nomen ſumpſere (vt Accurſ. ait) à mœnibus, cui tamen doctiſſimi Grammaticorum meritò aduerſantur, ex hiſtoriáque etymologiam hanc adducunt. Fuiſſe enim Menium quendam Romanum, qui cùm patrimonium abligurriſſet domum vendidit, quam ad forum ſpectantem reliquam habebat, excepitque ſibi vnam columnam, ex qua proiecit tigna quò amplus podium efficeret, vnde gladiatorios ludos conſpiceret: hincque exterius porrecta ædificia appellari cœpere Meniana. Suggrundia verò ſunt, quas ſuggrundas quoque vulgò dicimus, prominentes videlicet tecti partes, Græci γεῖσα vocant, & ὑπογεῖσα. Varro *de re ruſt.* Aues, inquit, ſubtus ſuggrundas ab initio villatico vſque recto. Sed & edicto prætoris cauebatur, ne quis in ſuggrunda, proiectoue id poſitum haberet quod alicui nocere poſſet *l. ſi verò. §. prætor. de his qui deiec.* Extat etiam rubrica, de damno infecto, & ſuggrundis, & proiectionibus. Sane non modica iuris eſt diuerſitas, immiſſum quid, an proiectum dicatur. Nam immiſſum meo parieti, de facto mihi deiicere licet: at ſupra ædes meas proiectum, non licet, ſed lege Aquilia agendum eſt. *l. quemadmodum. §. 1. ad leg. Aquil.* Quapropter cùm quis ex heliocamino perticas, quibus toralia lintea, vela, idque genus texta ſoli exiccanda ſuſtinerentur, ſupra vicini domum proiectas haberet, reſpondi non licere propria autoritate deiicere, ſed legis actionem ſupereſſe. Non ſolùm autem in ædes alienas immiſſum proiectúmue habere non licet, ſed nec in ædes communes, niſi iure ſeruitutis, vel alia ratione id debeatur. *l. ſi duo. §. Labeo. vti poſ.*

FORNERIVS.

INTER PROIECTVM. ¶ Proiicere & immittere pro diuerſis vſurpantur. *l. 2. l. 20. ſeruitutes. de ſer. vrb. præd. l. 5. §. meminiſſe. de op. no. nun.* Proiectum ita prouehitur, vt nuſquam requieſcat, vt ſuggrundia, de quibus *tit. de dam. inf. & de ſuggrund. & proiectionib.* M. Cic. *lib. 2. de gloria* (apud Nonium, in proiectum) [Iuſtitia foras ſpectat, & proiecta tota eſt, atque eminet.] Vt exoſtæ, & Mœniana. *l. pen. C. de ædif. priuat.* Inde dicta, vt tradit Iſid. *Etymol. lib. 15. c. 3.* quòd Mœnianus collega Craſſi in foro proiecit macerias: vt eſſent loca, in quibus ſpectantes inſiſterent. quæ ex nomine eius mœniana appellat. Hæc & ſolaria (Nouella Leonis 113. ἡλιακά) quòd patent ſoli. Poſthæc alij lapide alij materia ædificare porticibus mœniana & foribus & domibus adiecerunt. Feſt. Pompeius. [Mœniana ædificia, inquit, à Mœnio cenſore ſunt appellata, qui primus in foro, vltra columnas tigna proiecit, quo ampliarentur ſuperiora ſpectacula.] Hic eſt ille decoctor Mœnius, qui adeſis bonis, columnam ſibi ſeruauit, vnde ludos ſpectaret. Porphyrio hunc enarrans Horatij *lib. 1. epiſt.* locum.

Mœnius vt rebus maternis atque paternis.

M. Cic. *lib. 2. Academ. quæſt.* [Vt enim ij, qui ſub nube ſolem non ferunt, item ille cum æſtuaret, veterum vt Mœnianorum, ſic Academicorum vmbram ſecutus eſt.] frequens erat Mœnianorum, antequam interdiceretur, vſus. M. Vitruuius Pollio *lib. 5. de Architect. c. 8.* [Ergo mœnianis & contignationibus variis alto ſpatio multiplicatis, populus Rom. egregias habet, ſine impeditione, habitationes.] Am. Marcellinus, de Prætextato præfecto vrbis Romæ *lib. 27.* [Gloria clari rectoris, inquit, plura & vtilia diſponentis. Nam & mœnia ſuſtulit omnia, fabricari Romæ priſcis quoque vetita legibus.] Sunt & legibus noſtris prohibita: ne podiis, pergulis, ſuggrundiis, liber cœli aſpectus in vrbibus intercipiatur. Græci proiectum hic, quod prouehitur & eminet, τὸ ἐξέχον. ὥσπερ θριγκὸς ἀπὸ ἐξώστου. Immiſſum verò trabem, quæ parieti immittitur, & incumbit. τὴν ἐμβαλλομένην τῷ τοίχῳ δοκόν.

§. ij. PLVMBVM quod tegulis poneretur, ædificij eſſe ait Labeo. ſed id quod hypæthrhi tegendi cauſa poneretur, contrà eſſe.

ALCIATVS.

PLVMBVM. ¶ Solebant veteres, quod in præſentia penitus non exoleuit, domus plumbo tegere. Eóque tegularum loco vti, id Labeo ædificij eſſe aiebat: vnde domu vendita, & ipſum emptori accedebat, nec hac in re quicquam ambigitur: ſed quod ſubſequitur, perquàm obſcurum eſt. Accurſ. ingenuè faſſus eſt, ſe hunc locum non percipere. Sunt qui legant, id quod in ripa tegendi cauſa poneretur, contrà eſſe, vt cenſuerit Labeo, id plumbum, quod flumine aduectum in ripa adhuc eſt, tametſi ea mente paterfamil. apportari fecerit, vt domum contegeret, non tamen ædificij eſſe. Quod quidem iure verum eſt, cùm conſtet deſtinationem rei, *l. fundi. § item. l. ſeq. de act. empt.* pro ipſo facto non haberi, niſi cùm aut opus iam cœptum, factóque ipſi proximum eſt. *l. librorum. §. ſed nec capti. de leg. 3.* aut in id res eſt deſtinata, quod prius fuit: vt cùm tegulas, plumbúmue quis detraxit, vt reponeret: ædificij enim cenſebuntur, cùm alioquin tegulæ nondum impoſitæ, ædificij ipſius non ſint. Cæterùm hæc interpretatio antiquorum codicum lectioni non congruit, in quibus apertiſſimè legitur, id quod hypæthrij tegendi cauſa poneretur, contrà eſſe. Moris fuit apud veteres, media ſpatia quæ inter porticus ſunt, adornare, ambulationéſque eas pulcherrimis pauimentis ſternere, & hypæthria, quòd ſub aperto æthere ſint, appellare, vt Vitruuius *libro quinto*, oſtendit. Latinis etiam ſubdiuales ambulationes dicuntur, vt Plinius *libro decimooctauo*. & ſubdialia pauimenta *libro 36.* Fieri hypæthria etiam ante templorum veſtibula conſueuiſſe, author eſt Zenodotus in adagiis, qui Bacchi ſtatuam, quem

Morychum Siculi dicunt, ἔξω τοῦ ναοῦ collocatum fuiſſe ſcribit, περὶ τὴν εἴσοδον ἐν ὑπαίθρῳ, id eſt, extra templum, iuxta ingreſſus in hypæthro. Igitur hyemali tempore, ne propter gelu vel niues ea pauimenta corrumperentur, plumbo fortè vel quapiam alia materia tegebantur, quæ æſtate demum tollebatur: meritò id non eſſe ædificij Labeo ſenſit, cùm ad ſtructuram non pertineat, & perpetui vſus cauſa non apponeretur. Æſtate quoque in hypæthriis ſolis ardores, expanſis velis defendebant: ea vela Sabinus & Caſſius *in l. quæſitum. §. de velis. de fun. inſtr.* ſupellectili adſcribunt (licet vulgati codices pro hypæthriis, partim in pectis, partim apothecis ſcriptum habeant) vnde ædificij non magis eſſe, quam ſupellectilem conſtat.

FORNERIVS.

PLVMBVM. ¶ Plurimum intereſt, verùm quid ad tempus tantùm, an verò perpetui vſus gratia habeatur. *l. 65. legatis. l. 67. qui ſaltum. de leg. 3. l. 1. de aq. quot.* Idque non ſemel iam anteà monuimus. *l. 103. in lege. l. 206. vinaria. ſ. h. t.* Cuius diſtinctionis duo, de plumbo vnum, alterum de loci ſtratura hîc exempla proponuntur. Ecce plumbum tegulatum ædificij eſt, quia perpetui vſus gratia ponitur: rutis cæſis non cedit: At quòd hypæthro ad tempus tegendo adiicitur, quaſi voluptati non vſui comparatum, ædium partem non facit. Harmenop. *lib. 5. tit. 10.* Οὐκ εἰσὶ τοῦ οἰκοπεδικοῦ, οὐδ' ὁ λογίζονται πρὸς τὴν τοῦ οἴκου σύστασιν συμβαλλόμενα, οἷα πρὸς τέρψιν, ἀλλ' ὡς πρὸς χρῆσιν εἰσιν. Quamobrem ædibus diſtractis, vel legatis, ea eſſe ædium dicuntur, quæ quaſi pars ædium vel propter ædes habentur. Vti & proximè *praeced. l. 241. in rutis.* & Vlpianus, Pomponius, Iabolenus *l. 13. Iulianus. ſi. & iiij. in ſeqq. cupp. de act. empt.* enucleatè diſſeruere. *Hypæthri.* ¶ id eſt ſolarij, ſubdio, ſub cœlo, in aprico, *à deſcouuert*, quòd arcendi ſolis, vel frigoris cauſa tegebatur, velabatur. *l. 12. quæſitum. §. ſi domus. §. de velis. de fund. inſtr.* Vbi, vt & hîc, rectè hypæthri ſcriptum. Vitruuius *lib. 1. c. 2.* [Statione, cum Ioui fulguratori, & cœlo, & ſoli, & lunæ, ædificia ſubdiuo, hypæthráque conſtituuntur.] Idem *lib. 3. c. 1.* [hypæthros, ſubdiuo, ſine tecto, &c.] Hæc enim inuicem opponuntur. Veget. *lib. 1. de re mil. c. 3.* [Interdum ſubdiuo, interdum ſub papillionibus commorentur.] A. Gel. *lib. 10. c. 15.* [Ac ſine apice ſub diuo eſſe licitum non eſt, ſub tecto, vti lubet.] & poſt, [Tunicam intimam, niſi in locis tectis non exuit, ne ſub cœlo tanquam ſub oculis Iouis, nudus ſit.] Fieri autem hypæthria ante templorum veſtibula, ex Zenodoto cognoſcere licet, & ſub dio precandi veterum morem tradit ſcholiaſtes Pindari Olymp. 6. od. Νυκτὸς ὑπαίθριος.) Οἰκίας γὰρ ὁ χωρὸς πρὸς θεῶν ἱκέλευσεν, ἀρχαιότατος γὰρ ὁ τρόπος τῆς εὐχῆς.

§. iij. VIDVAM non ſolùm eam, quæ aliquando nupta fuiſſet, ſed eam quoque mulierem quæ virum non habuiſſet, appellari ait Labeo. quia vidua ſic dicta eſt, quaſi vecors, veſanus, qui ſine corde aut ſanitate eſſet. ſimiliter viduam dictam eſſe, ſine duitate.

ALCIATVS.

VIDVAM. ¶ Viduam eſſe quaſi ſine duitate. Antiſtius Labeo dixit: quoniam particula, ve, priuatiua quandoque eſt, vt in veſano, vecordéque diximus: quapropter etiam quæ nunquam nupta fuit, vidua rectè appellabitur, competéntque ei cætera priuilegia, quę viduis conceſſa ſunt. Bart. *in l. 1. C. quan. imp. int. pup.* Sed hanc ego Labeonis interpretationem vix ſcio quantum adprobem, non quòd A. Gellii exemplo mouear, qui & ipſe quoſdam eius ſimiles deriuationes quandoque confutauit. ſed quòd quacunque autoritate potiores apud me ſunt rationes. Quomodo enim viduam à ve, & duitate dictam credamus, quæ dictio prima in ſyllaba corripitur, cùm ſi Labeonis vera eſſet ſententia, produci debuiſſet? ſicut & vecors, veſanúſque producuntur.

Quomodo item ab etymologia vocabuli affirmatiuè argumentabimur, vt quia ſine duitate puella ſit, vidua dicatur, cùm huiuſmodi argumentum non conſiſtere frequentius receptum ſit? Sed & non parum me legis Iuliæ exemplum mouet, *§. item lex. Inſt. de pub. iud.* quę viduam à virgine ſeparat, licet in vtraque ſtuprum committatur. Hieronym. quoque ad Fabiolam, *34. diſt. viduus.* Vidua, inquit, eſt cuius maritus mortuus eſt. Nam & antiqui autores viduum ſimpliciter pro priuato accipiunt, vnde viduus pharetra Apollo apud Horat. Elegantior igitur ſubtiliórque Labeonis mihi videtur ſententia, quàm verior, vt meritò non niſi ea lata ſignificatione ſuſtineri eam plerique reſponderint. *c. ex tenore. de foro comp.* quandoquidem & ſcientiſſimi grammaticorum ab antiquo verbo iduare, viduam dictam putant, quod ſeparare ſignificat: vnde & Diuidere verbum, & Idus dicti Macrobio. Sit igitur vidua, quæ à viro ſeparata eſt: cui ſententiæ & ceteri antiqui communiſque omnium vſus aſſentire videntur. Addunt aliqui *in l. Mutia. c. ex tenore.* ita demum propriè dici viduam ſi à viro, cui ſuperſtes exiſtit, mulier facta ſit, quod ego non probo, cùm nuptias non concubitus, ſed conſenſus faciat. Sed quid ſi mortui viri honorem non procuret, ſtuprúmque patiatur? Et non eſſe viduam quibuſdam videtur, quod per interpretationem admitti crediderim. *§. quæ verò. in auth. de nupt.* propter enim ſuum dedecus, eis priuilegiis indigna eſt, quibus pudicæ viduæ honeſtantur. Cæterùm quæ inutilem maritum nacta eſt, eadem interpretatione vidua cenſebitur. *Gl. l. ſi. C. ad l. Fla. de plag. & ibi not.* Sed qua ratione moueri legiſlatores exiſtimabimus, vt erga viduas indulgentiores ſint? Et credibile eſt ſexus imbecillitati miſertum fuiſſe, qui per alios regitur, vt plurimùm inſidos, & dominicatum rerum negligentes. In lege pontificia illud quoque conſiderari videtur, vt præmiis viduitatis adductæ, non facilè ad ſecundas nuptias relaberentur, quas ea lex non ſatis approbat, ſed in cœlibe lecto caſtę eſſent: quod quò difficilius his eſt, quæ illicitum Veneris expertæ ſunt, eò & commendatione dignius: ſiquidem, vt Græco prouerbio admonemur, δύσκολα τὰ καλά, quamuis hæc rara auis, vt vulgò dicitur.

FORN

FORNERIVS.

VIDVAM. ¶ Iſid. *Etymolog.lib.*10. Vidua vocata,inquit, quòd cum viro vno fuerit,nec circa conſortium alterius viri,poſt mortem primi coniugis adhæſerit. Nã quæ alteri poſt mortem prioris viri nupſerint, viduæ non dicuntur. Item vidua dicta eſt,quòd ſola ſit,nec circa conſortium alterius viri coniugalia iura cuſtodiat.Itidem hic Iabolenus,viduam dictam ait, ſine duitate. Cecrops quoniam primus Athenis matrimonium ritu conſtituto, vni viro vnam vxorem coniunxerit, vt omnis de patribus incertitudo tolleretur, biformis, διφυὴς creditus fuit, vt refert Athenæus. Matrimonium duorum eſt,non plurium,conſortium. Vidua,ſine duitate:vt veſanus,ſine ſanitate.vecors,ſine corde:Græci hîc,ἀκάρδιος,ὁ ἀπογινώσκει μὴ ἔχων καρδίαν,ἢ ὑγείαν. Ve,articulus priuans.Gell.*lib.*5.*cap.*12.Eodem tecidit veriloquium,Vidua,quaſi valde idua,vel à viris diuiſa.Iduare (vnde idus,dies menſem diuidens) Etruſca lingua,diuidere.Macrob.*lib.*1.*Saturn.c.*15. Sed prior nominis huius notatio magis arridet.Viduare pro priuare. Anaſtaſius,exprimens illud exſecrationis Græcorum εἴργεσθαι ἁγνειῶν,ἢ τῶν ἱερῶν, [omni cultu vacare, omnibus ſacris & ſolitis viduati myſteriis, omni ſplendore priuari.] *l.9.ſi quis.C.de her.*Columel.*lib.*3.*c.*11.[neque enim vllum eſt tandiu viduum ſolum virgultis,vt non aliquos ſurculos progeneret.]Manulius *lib.*5. [Viduata volant pennis.] Et Catoni viduertas,pro calamitate, quæ fructibus priuat *c.*141.*de re ruſt.* *Quæ virum non habuiſſet.* ¶ Græci hîc Χήρα λέγεσθαι οὐ μόνον ἡ διαζευχθεῖσα,ἀλλὰ καὶ ἡ μὴ ὅλως ἄνδρα ἐσχηκυῖα. Harmenop.*lib.6.tit.vlt.* eandem hanc definitionem tractantis codex emendari poteſt,pro ἢ μὴ ὅτως,reſtituendo,μὴ ὅλως. vt hic. Quanquam interpres, qui *Nondum* vertit, videtur μόνον,vel οὔπω, legiſſe. Cum de viduarum iure commentarium inſtituerim,parcius, hîc ediſſeram.

§. iiij. STRATVRAM loci alicuius ex tabulis factis, quæ æſtate tollerentur, & hieme ponerentur, ædium eſſe ait Labeo: quoniam perpetui vſus paratæ eſſent:neque ad rem pertinere,quòd interim tollerentur.

ALCIATVS.

STRVCTVRAM. ¶ Fiunt plerunque ſtructuræ ea tabulis exemptiles.vnde dubitari potuit,an illæ ædium ſint,ita vt domo vendita debeantur & eſſe Labeo ſcripſit.cùm enim perpetuò in hunc vſum paratæ fuerint,tametſi quandoque tollantur,remanent tamen ædium,*l.fundi.in fi.de act.empt.* ſicut & cætera quæ ædificio detrahuntur,vt rurſus reponantur, ædium permanent. Quo argumento arbitrarer etiam telaria,vel vitraria, quibus in feneſtris vtimur, licet exemptilia ſint,tamen vendita domo deberi: in perpetuum enim vſum parata ſunt, nec alij præterea feneſtræ ſolent conuenire,niſi ei cui obturandæ ſpecialiter effecta ſunt: quod non eſt in cæteris operibus, quæ rutorum cæſorúmque appellatione recipiuntur. In ſpecularibus verò, licet eundem vſum præſtent. *l.quæſitum.* §.*itaque.de fund.inſtr.* aliud Pegaſo & Caſſio viſum eſt: cùm enim precioſiora ſint,in ornamento ædium magis, quàm in inſtrumento habentur. Conficiebantur autem ex ſpeculari lapide in tenuiſſimas cruſtas ſecto & pellucido, cuius mentio paſſim apud bonos autores habetur. Qua ratione & domus vſufructu legato,ſpecularia non deberentur,quoniam in inſtrumento non ſunt.Sed tamen Vlpia.ſententia receptior eſt,*l.ſed & ſi.de vſuf.*qui ſpecularia affixa domus partem eſſe cenſuit,*d.l.quæſitum.*§.*ſpecu.*ſicut & pegmata.Fuere ex recentioribus doctoribus quidam,*Cep.in tra.de ſer.* ſpecularia exiſtimantes eſſe tabulas clatris cancellisue ſpiſſioribus diſtinctas,quæ feneſtris opponuntur,ne virgines à prætereuntibus conſpici poſſint,vulgus Zelozias vocat.Sed hæc ſententia ex Martialis carmine confutatur,

Hybernis obiecta notis ſpecularia puros
Admittunt ſoles,& ſine fæce diem.

Sed nunquid qui in vicini domum ex feneſtra iure ſeruitutis proſpectum habet, ſpecularia immittere poſſit,vnde ipſe vicinum,minimè illi contrà perſpicuus,videat? Et non poſſe quidam aſſerebant,*l.*1.§.*illud.de aq.quot.* duriorem enim vicini conditionem fieri, cùm mutuus proſpectus ceu à Plutonis caſſide,vel Gygis anulo adimeretur. contra aliis viſum:cuilibet enim in ſuo id facere permittendum, *l.Proculus.de dam.inf.* quod ſibi conducere exiſtimauerit.

FORNERIVS.

STRATVRAM. ¶ Rectiùs ex Florentina editione,ſtraturam,quàm ex vulgari,ſtructuram. Locus eſt communis, de quo iam ſæpiùs:quoties de diſcernenda cenſendáque rei qualitate & conditione agitur:vtrùm ipſius vſus perpetuus,an ad tempus paratus ſit,diſpici oportere. *l.*206.*vinaria.* ſ.*h.tit.* Generaliter enim definiebat Labeo, ea quæ perpetui vſus cauſa in ædificiis eſſent, ædificij eſſe: quæ verò ad præſens,non eſſe ædificij.*l.*17.*fundi.fin.l.ſeq.de act.empt.*Etiamſi affixa ſint,& catenis religata; ſi ad ornatum tantùm ædium,& amœnitatem,non quo ædes perficiantur, comparentur. *l.pen.* ſ.*h.tit. hic ver. Quoniam perpetui vſus.* ¶ Quæ Iaboleni (Labeonis definitionem explanantis) verba ſunt vti & ſuperiora:in hac l.illa,*quia pleraque naues.*rurſus,*quia vidua.*Animaduerti enim Iaboleno in iis,quos ex poſterioribus Labeonis inſcripſit libris, ſolennæ, vt propoſitæ Labeonis ſententiæ notam ſubiiciens,rationem afferat,*l.*29.*qui concubinam.ver.quia illa.ver.quoniam eiuſmodi.ver.cum heres.de leg.*3. *l.*20.*apud Aufidium. ver.quia omne.de opt.leg. l.*6.*de dot.præl. l.pen.ver.quia non poteſt.quan.dies leg.l.*19.*in fundo.ver.quadam enim habere.de ſeruit. l.*78.*fiſtulas. ll.ſeqq.de contr.empt.l.pen.ver.quia ideò minus, de her.vel act.ven.l.*51.*ſi & per emptorem.ver.non enim. rurſus, quia in vendendo.de act.empt.& ven.l.*57. *qui domum.ver.quia non ipſa congeſtio.l.ſeq.ver.quia id actum.loc.& cond. l.pen.ver.quia ſeruus.dep.l.*79. *annus.ver.quia non poteſt videri.l.ſeq.ver.quia in promiſſio.de iur.dot.*Periculum & in cæteris facere cuique,ſi libet,licet. Neque adeò, ei qui attentiùs iſta conſiderarit, operoſum fuerit vnius iuriſconſulti

orat

orationem ab alterius annotatione diſtinguere.

CCXLIII. Scævola lib. xviij. Digeſtorum.

Scævola reſpondit: ſemper acceptum eſt, vt libertorum appellatione etiam hi contineri intelligantur qui eodem teſtamento vel poſteriore loco manumitterentur: niſi manifeſtè is, à quo peterentur, contra defuncti voluntatem doceret peti.

Alciatus.

Scævola. ¶ Aſſignauerat paterfam. in teſtamento libertos ſuos vni ex filiis, *l.1. de adſign. lib.* deinde poſteriore ſcriptura Titium ſeruum ſuum liberum eſſe iuſſerat: dubitari potuit, an is quoque aſſignatus eſſet cùm de eo intellexiſſe non videatur teſtator, qui cùm aſſignatio ſcripta eſt, adhuc libertus non erat. Sed Scæuolæ aliud viſum eſt: non enim hoc in caſu ordo ſcripturæ videtur diuerſitatem iuris inducere, cùm in inſtrumentis quæ ab vltimo tractu perfectionem accipiunt, *l.2. §. priùs. de vulg.* eodem tempore cenſeantur acta omnia, idcircóque parum referat poſteriore, an priore loco libertas data ſit. Sed quid ſi non teſtamento, ſed codicillis poſt aliquod tempus factis, libertas Titio relicta ſit? Et idem eſſe hîc arbitror: nec enim Scæuola diſtinguit, qualis fuerit poſterior ſcriptura. *l. talis. in fin. de leg. 1.* nam & quod codicillis ſcriptum eſt, perinde eſt, ac ſi teſtamento adnotatum eſſet: quoniam codicilli teſtamenti iam facti pars eſſe videntur. Alibíque traditum eſt, *l.2. § codicillorum. de iure cod.* & codicillos ad teſtamenti ſenſum interpretatione producendos, & vice verſa teſtamentum ad codicillorum ſententiam. *l. Neſennius. de exc. tut.* vnde & conditio in teſtamento legato addita, ex mente teſtatoris repetita in codicillis etiam tranſlato legato cenſetur. *l. Caio. de al. leg.* quod & Decio viſum eſt *conſ.* 190. Sic & ſubſtitutio fideicommiſſaria in prioribus tabulis facta, ex his declarationem ſumit, *l. fi. ad Treb.* quæ poſterioribus codicillorum tabulis ſcripta ſunt, idq́ue niſi verba euidentiſſimè repugnent, vel contraria voluntas defuncti, vt hîc dicitur, poſſit oſtendi. Sed quid, ſi verba quidem omnino non repugnent, ſed quædam alioquin ſuperfluant, quædam diuerſa ſuadeant? Et Cornæus reſpondit. *conſ. 44. in 3.* tum quoque codicillos ſecundum teſtamenti verba intelligendos eſſe, & ideo ex vniuerſali ſubſtitutione in codicillis facta, non videri particulares correctas, quæ teſtamento ſcriptæ proponerentur.

Fornerius.

Scævola. ¶ In teſtamentis ordo ſcripturæ minùs diligenter obſeruatur: nec quid in his priùs, poſteriúſue caueatur, attenditur. Nam & ſi ab heredis inſtitutione, tanquam teſtamenti fundamento, legata robur accipiunt: tamen (quod anteà non obtinebat) placuit relicta etiam ante heredis inſtitutionem legata valere, & datas inter medias heredum inſtitutiones ſeruis deberi libertates, ambiguitatem verborum, ordiniſque præpoſteri vitium vltimæ teſtantium voluntati nihil officere. *l. 24. ambiguitates. l. ſeq. C. de teſtam.* Itaque parum refert, vtrùm in capite teſtamenti quid legetur, in ima cera heres inſtituatur: an verò contrà, primùm inſtituatur heres, deinde legetur aliquid, vel libertas ſeruis adſcribatur, nouiſſimo denique loco coheres adiiciatur. Theophilus. *§. ante. de legat. Inſtit.* Etenim quæ eodem in teſtamento cauentur, omnia eodem contextu, nulláque ordinis religione ſcripta intelliguntur. Vnde cum eſſet paterfamilias ita teſtatus [Stichus peculium ſuum cum moriar, ſibi habeto: libérque eſto.] conſulereturq́ue rectè ne ſeruo peculium relictum videretur: quod priuſquam liber eſſet, peculium ſibi habere iuſſus eſſet; Reſpondit Alfenus Varus, [in coniunctionibus ordinem nullum eſſe: neque quicquam intereſſe, vtrum eorum primùm diceretur, aut ſcriberetur. Quare rectè peculium legatum videri: ac ſi priùs liber eſſe, deinde peculium ſibi habere iuſſus eſſet. *l. 14. quidam. de pec. leg.* Et quamuis codicillis neque hereditas deferatur, *l. pen. C. de cod. § pen. Inſt. eod. tit.* neque inſtitutionis putæ conditio codicillis adiiciatur. *l. pen. de cond. inſt.* Eiuſmodi tamen inſtitutio [Si codicillis Seium heredem inſtituero, heres eſto,] non eſt inutilis: vt nec illa [cuius nomen codicillis ſcripſero, ille mihi heres eſto.] *l. 10. inſtitutio. de cond. inſt.* Ecquid ita? Nempe quòd codicilli pars teſtamenti cenſentur, ab eóque vires mutuantur. *l. pen. teſt. quemad. ap. l. 14. quidam. de iure cod.* Vt cum non aliter inita de iis quæ ex teſtamento proficiſcuntur controuerſiis, quàm perlectis omnibus teſtamenti verbis, tranſactio valeat: ſi codicilli poſteà reperti proferantur, rata non erit. *l. 3. l. 6. de iis. ꝗ. de tranſactio.* Ob eandémque cauſam, ſi ſic teſtator ſcripſit [Quem heredem codicillis fecero, heres eſto,] Titiúmque heredem codicillis inſtituerit, valebit inſtitutio. Non quòd codicillis, ſed teſtamento deferatur hereditas: nomen duntaxat heredis exprimitur codicillis: quorum munus eſt, ſi quid deſit teſtamento, vel obſcuriùs in eo ſcriptum ſit, ſupplere, & explanare. *l. 21. heredes. § 2. qui teſt. fac. poſ. l. 77. aſſe. de her. inſt.* Vnus duarum tabularum finis, vis eadem, atque idem ſcopos. Quamobrem & hoc loco Scæuola regulariter definit, libertorum appellatione, & eos, quibus eodem teſtamento, vel poſteriore loco, libertas legaretur, contineri. Siue de iis aſſignandis, vt hic Alc. vident: ſiue (quod magis ipſe probem) de alimentis legatis quæreretur. Generalis ea ſcilicet ſtatuitur regula, *ver. ſemper acceptum eſt.* Tum ei mox ſua [quæ millies in controuerſis teſtamentorum quæſtionibus occinitur] exceptio ſubiicitur: Niſi contraria teſtatoris voluntas oſtenderetur. Cui parere imprimis ac ſeruire, & ſecundum ipſam pronuntiari oportet. *Is à quo peterentur.* ¶ Ita Florentiæ, vulgò peteretur: Vtrouis modo legamus, parùm referre exiſtimo. Is à quo petitur, id eſt, heres, à quo liberti poſteriore loco manumiſſi, quid [veluti alimenta fortè, indiſtinctè legata] ſibi quoque deberi defenderent: Hic verò aliam fuiſſe teſtatoris mentem exciperet: qui priore tantùm loco donatis, ea præſtari voluiſſet. Hoc ſi doceat, vincet: ſin minùs regula ſeruabitur.

CCXL.

CCXLIIII. LABEO lib. iiij. Pithanon à Paulo epitomatorum.

SI QVA POENA eſt, multa eſt: ſi qua multa eſt, pœna eſt, Paulus: vtrunque eorum falſum eſt. namque harum rerum diſſimilitudo ex hoc quoque apparet, quòd de pœna prouocatio non eſt: ſimul atque enim victus quis eſt eius maleficij, cuius pœna eſt ſtatuta, ſtatim ea debetur. At multæ prouocatio eſt: nec antè debetur, quàm aut non eſt prouocatum, aut prouocator victus eſt. nec aliter quàm ſi is dixit, cui dicere licet. Ex hoc quoque earum rerum diſſimilitudo apparere poterit, quia pœnæ certæ ſingulorum peccatorum ſunt: multæ contrà. quia eius iudicis poteſtas eſt, quantam dicat niſi cum lege eſt conſtitutum, quantam dicat.

ALCIATVS.

SI QVA POENA. ¶ Scripſerat Antiſtius Labeo pœnam & mulctam idem eſſe: ſed Paul. falſum id exiſtimat, & præter cæteras, tres differentias adducit, quibus probet aliud eſſe mulctam, aliud pœnam. Sententia tamen Labeonis, inſpecta vocabuli origine, vera eſt. Quandoquidem & ea vetuſtiſſimis ſcriptoribus admonui, mulctam Oſcum eſſe verbum, quo pœna ſignificetur. Sed Paul. ſecundum temporum ſuorum conſuetudinem loquendi mulctam accipit, qua inſpecta, non eſt dubium expoſitionem Labeonis ſuſtineri non poſſe. ¶ Connumerauimus autem ſuperiùs *in l. aliud. ẞ. eod.* quamplures differentias, in horum vocabulorum ſignificatione: nunc tria ſolùm attingenda ſunt, quę à Iuriſconſulto referuntur. Prima eſt, quòd à pœna non prouocatur, à mulcta verò prouocatio eſt: quę verba vario modo à Doctoribus accepta ſunt. Sed Bart. intra tempus prouocandi defuncto reo pœnam deberi, mulctam verò non deberi interpretatus eſt. Hinc probari exiſtimat, pœnæ petitionem in heredes quoque competere, mulctæ verò morte rei extingui. Quæ ſententia mihi videtur non ſatis recepta eſſe: crebriùs enim traditum eſt, à pœna non eſſe prouocationem: quoniam ſi de delicto conſtet, cùm à lege pœna imponatur, ſi quis prouocaret, non de facto iudicis, ſed de iniquitate legis conquereretur, & ideo admittendus non eſt: quod in mulcta non procedit, quę ab ipſo iudice dicitur, non autem à lege certo modo diffinita eſt.

Quapropter ſi quis eo prætextu à pœna appellaret, quòd innoxium ſe diceret, vel quòd ex lege huiuſmodi pœna adijci non poſſet, dubium non eſt, quin admittendus foret: non enim hoc caſu de legis iuſtitia, ſed de ius dicentis facto diſceptaretur. *Bald. l. 1. C. ne ex del. def.* Cui ſententiæ non abſimile videtur quod traditum eſt, tametſi manifeſtus vſurarius appellare prohibeatur. *c. quam ſit. de vſur.* ſi tamen adſerat ſe tantum fœnoris non exorſiſſe, inque quantitatis modo prægrauari, prouocationi locum eſſe, quod Iacob. & Alb. probant. Meritò igitur cùm quis facinoris conuictus eſt, ſtatim pœna à lege conſtituta debetur: at mulcta non prius debetur, quàm in rei iudicatæ vim ſententia eius indictiua tranſierit. Nam & Corn. Tacit. *lib. 12.* Cenſuit, inquit, L. Piſo Conſul deſignatus ne mulctam à Tribunis dictam quæſtores ærarij in publicas tabulas ante quatuor menſes referrent, medio tempore contradicere liceret, déque eo Conſules ſtatuerent. ¶ Secunda differentia eſt quod pœnam quilibet iudex qui delicti cognitionem habeat, inferre poteſt, aut mulctam his ſolis dicere licet, quibus ex lege vel mandatis principum conceſſum eſt. Quapropter nec magiſtratus municipales, *l. 1. ſi quis ius dic.* nec defenſores ciuitatum, nec delegati iudicum, iuriſdictionem ſuam per mulctæ comminationem tueri poſſunt. Quod & in arbitrio dicendum eſt, *l. non ex omnibus. de lib.* niſi ex compromiſſo hæc ei poteſtas à partibus data ſit. ¶ Tertia differentia eſt, quia certæ pœnæ ſingulorum peccatorum ſunt, at mulcta incerta eſt, & ex arbitrio ius dicentis pendet. Vbicunque igitur delictum perpetratum ſpeciale eſt, & certam pecuniæ taxationem in vltionem non habet, ibi propriè mulcta eſt: vt ſi quis contumax fuerit, coram tribunali irreuerenter aliquid egerit, prætorem contumelioſè compellauerit, & ſiqua ſimilia. hæc enim delicta commune aliquod nomen non habent, ſed ſpecialiter deſignatur. Ea verò quæ communi generalique nomine dicuntur, vt ſtuprum, furtum, falſum, peculatus, certas & à lege conſtitutas habent pœnas, & ideo in eis mulcta propriè locum ſibi non vendicat. Quo fit, vt tametſi ex lege municipali liberum arbitrium circa pœnas delictorum prætori conceſſum ſit, quamuis furi, vel adultero pœcuniariam pœnam indicat, non tamen propriè mulctaſſe dici poſſit, quoniam huiuſmodi delicta communia generaliáque ſunt, at mulcta de ſpecialibus infligitur. Quòd ſi certa pecunia in pœnam à lege conſtituta ſpeciali alicui delicto ſit, ea propriè mulcta dicetur: cum enim ante eam legem incerta eſſet, quamuis deinde ex conſtitutione ad præfinitam taxationem redigatur, ſeruat tamen nomen ſuum. verbi gratia. Si clericus fruſtratoriè appellaret, *l. 2. C. de epiſc. aud.* vel procurator ab executione, arbitrio iudicis olim mulctabatur. *l. ab executione. C. quo. ap.* deinde conſtitutum eſt, vt 50. argenti libras ſolueret, an ideo minus hæc mulcta dicetur? Et propriè mulctam eſſe dicendum eſt, idque etiam ex hoc reſponſo probatur, licet aliter Accurſ. ſenſerit. Quod & de ea pecunia arbitror, quam fiſco iudices litium protelatores exoluere coguntur. *l. properandum. §. aurep. C. de iudic.* mulctam enim eam lex appellat, & quidem propriè. Illud conſtat, cùm hodie ſtatutum ſit, quatenus mulctam dicere magiſtratus poſſunt. *l. eos. C. de mod. mulct.* quoniam minorem infligendi diminuendique ius habent, adhuc incertas eſſe mulctas, & in eis nomen id proculdubio propriè locum habere. Et hęc iure Romano vera ſunt: Athenienſes enim aliter obſeruaſſe quandoque legimus: hi mulctas in aram *διὸς σωτῆρος*, id eſt, Iouis conſeruatoris dedicabant, quas ſemel illatas remittere non licebat

bat:quamuis pœnas iure debitas pecunia redimere fas haberent, idque Platonis exemplo,qui ſingulis delictis pecuniarias mulctas conſtituit. Cætera quæ ad mulctarum cognitionem pertinent, ſuperius à nobis explicata ſunt.

FORNERIVS.

SI QVA POENA EST. ¶ Quamuis inter multam ac pœnam plurimùm interſit:vtrámque tamen Labeo confundebat. eoque nomine hîc à Paulo notatus eſt. Diſſimilitudo verò vtriuſque cum multis aliis ſignis,de quibus anteà, tum in eo cernitur, quod à mulctæ dictione liceat appellare,à pœna non liceat. Cuius diſcriminis ea ratio redditur:quòd mulcta ſit arbitraria,iudicantis religioni permiſſa. Pœna verò legitima,certa,iuréque definita.*l.131.aliud fraus.* §.*1.b.t.* Statim reo conuicto & damnato pœna lege conſtituta debetur. Ἁμαρτίας καταδικασθείσης, ἀκολουθεῖ τὸ ἀπὸ τοῦ νόμου ποινή. Singulis enim maleficiis certa legibus pœna ſtatuitur. ὥρισται δὲ ἡ ποινὴ ὑπὸ τοῦ νόμου ἐφ' ἑκάστῳ ἁμαρτήματι. Ita hunc locum Græci in compendium contraxerunt. Itaque iudices in ferenda ſententia pœnæ genus non exprimebant,ſed legem tantùm,de facto tantùm ſeu crimine pronunciabant,veluti, [vim feciſti.] *l.32. ſi præſes.de pœn.*vel, [calumniatus. ¶ Facti quidem quæſtio(ait Papin.) in arbitrio eſt iudicantis:pœnæ verò perſecutio non eius voluntati mandatur,ſed legis auctoritati reſeruatur.] *l.1.ad Se.Turp.* Pœna igitur ſtatim debetur, ipſo iure. Veluti infamiæ quæ vt vmbra corporis,ita delicti comes eſt, adeò vt præſes prouinciæ non poſſit,quominus furti damnatum ignominia ſequatur, efficere. *l.63.non poterit.* §.*de furt.l.40.diuus.de iniur.l.7.infamem.de pub.iud.* omnes eiuſdem auctoris leges,ex eodem ſumptæ libro,vti ſingulatim indicat inſcriptio. Baſilic.ſcholiaſtes *lib.60.tit.34.* Nemo agens publico iudicio poteſt dicere,hanc vel illam actionem intendo, ſed legem & accuſationem illam:Quaſi diceret,nihil ei eſſe neceſſe ita agere,pœnam illam reo infligi poſtulo,ſimulátque enim victus eſt,quæ ſint ſuæ partes iudex intelligit. Ex quo fit,vt cum ex vna lege, vna ſit pœna: non poſſe vnius criminis reum pluribus poſtulari legibus. Suetonius *de Veſpaſiano.* [Vetuit inter cætera de eadem re pluribus legibus agi.] Paul.*lib.1.de offic.procon.* [Senatus cenſuit, ne quis ob idem crimen plurib.legibus reus fieret.] *l.14.ſenatus.de accu.*Demoſth.*de corona*:Τῶν μὲν κατηγορίας ἀδικημάτων ἐχόντων ἐν τοῖς νόμοις εἰσὶν αἱ τιμωρίαι. Quare iudices reis legitimæ pœnæ gratiam facere nequeunt: quod ſolius principis poteſtati tribuitur: qui interpretandæ leniendǽque legis ius ſibi vni vindicat. *l.1.l.pen.C.de legib.* quaſi lex quædam animata ὡς ἔμψυχος νόμος. *Nouel.106.fin.* Poteſt damnatis pœnam indulgentia remittere,vel abolitione generali,vel reſtitutione,ſed longè latiùs huius,quàm illius beneficium patet.*l.vlt.C.de gener.abol. l.7.generalis.l.vlt.C.de ſenten.paſ.& reſt.*Caſſiod.*lib.3.epiſt.46.lib.4.epiſt.* 41. Vnde cum lex accuſatorem crimine non probato pœna talionis afficiat.*l.pen.C.de accuſ.l.11.l.14.C.Theod.eod.tit.*Symmachus pœnam reciproci apud Impp.deprecaturus, [Sed cum me,inquit,Africani militia pariter,atque incauta adoleſcentia permoueret,malui iudicium de eo clementibus reſeruare. Alia enim eſt conditio magiſtratuum,quorum corruptæ videntur eſſe ſententiæ,ſi ſint legibus mitiores. Alia diuorum principum poteſtas,quos decet acrimoniam ſeueri iuris inflectere.] Hæc ille *epiſt.vlt.lib.*10. Et hoc idem principis ac iudicis diſcrimen non minùs eleganter diſtinxit Themiſtius Euphrades *orat.*5.

Οἶδα μὲν ὁ νομοθετήσας ἀπαιτεῖ, δεῖ τοῦ νόμου κύριος ἐκεῖθεν ἀπαιτεῖ, γινώσκων ὅτι ἄλλο μὲν δικαστοῦ, ἄλλο δὲ βασιλέως ἀρετή. καὶ τῷ μὲν προσήκει ἕπεσθαι τοῖς νόμοις, τῷ δὲ ἐπανορθοῦν καὶ τοὺς νόμους, καὶ τὸ ἀπηνὲς αὐτῶν, καὶ ἀμείλικτον παραμυθεῖσθαι, ἅτε νόμῳ ἐμψύχῳ ὄντι, καὶ οὐκ ἐν γράμμασιν ἀμεταθέτοις καὶ ἀναλλοιώτοις. διὰ τοῦτο γὰρ ὡς ἔοικε, βασιλείαν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ κατέπεμψεν εἰς τὴν γῆν ὁ θεός, ὅπως ἂν εἴη καταφυγὴ τῷ ἀνθρώπῳ ἀπὸ τοῦ νόμου ἀκινήτου ἐπὶ τὸν ἔμπνουν καὶ ζῶντα. Æquè & illud Euſebij ſcitum videtur,Deprecari apud Iudices, legitimam, quàm quis delinquendo mereatur pœnam, aut mitiorem poſtulare, nihil aliud eſſe, quàm legiſlatorem qui acerbiorem ſtatuerit, crudelitatis accuſare. Stobæus *c.44.* ἀπολαμβάνειν τὰς ἐκ τοῦ νόμου τεταγμένας κολάσεις τοὺς ἀδικοῦντας ἐστί, ἀλλ' οὐ τὸν αὐτὸν τὴν ἀξίαν ἀπονέμειν τὰς κολάσεις νομοθέτην. Quare quod iactari audio, pœnas à iudicibus molliri potiùs, quàm exaſperari oportere, vereor,vt hoc dicterium confidentiùs,& aliorſum ac auctores primi ſenſerint,vulgus interpretetur. Etenim ſi quæcunque certa ſunt, ea non ſunt arbitraria:contráque ea ſola,de quibus nihil lege cauetur, arbitrio iudicantium permittantur:relinquitur,in ambiguis,& obſcuris,in quibus iudicis æquitas præcipuè dominatur,facti quæſtionibus,pœnarum moderationem eſſe conceſſam. Obſcura quidem interpretationis luce indigent, aperta verò executione. Seneca *declam.3.lib.*10. [Magiſtratus,quibus improbos interficiendi ius eſt, LEGE AGE,dicunt:crudelitatem imperij mitiore verbo temperantes.] At vbi extra ordinem de crimine cognoſcitur,licet iudici vel grauiorem,vel leuiorem ſententiam dicere. *l.13.hodie. de pœn.* Extra ordinem, id eſt, cum pœna certo iure non conſtituitur: ſed ex cauſa ac circunſtantiarum momentis definienda relinquitur,vt ætate,*l.2.l.vlt.de term.mot.l.37.auxilium.§.in delictis.de min.*genere & modo delinquendi.*l.1.de effr.* cæteriſque,de quibus *l.16.aut facta.de pœn.* quæ quoniam ſub certam regulam non cadunt, interpretationis auxilium flagitant: ita tamen ne vel clementiæ vel ſeueritatis nimiæ gloriam affectando,rationis modus excedatur. *d.l.13.hodie.l.11.perſpiciendum.ver.quàm cauſa depoſcat. de pœn.*Et ita accipiendum cenſeo,quòd temerè ſolet ab imperitis aliò detorqueri ex Vlpiano, [pœna grauior vltra legem impoſita.] id eſt mulcta,non propriè pœna. *l.13. quid ergo. de iis qui not.infam.* [Pœna grauior vltra legem impoſita exiſtimationem conſeruat.] id eſt,quamuis pœnam ex lege indictam ſequatur infamia.*d.l.non poterit.*mulcta tamen damnatos non infamat.*l.1.C.de mod.mulct.l.3.C. quib.ex cau.infam.irrog.*Adde quòd his verbis,vltra legem,extraordinaria cognitio ſignificatur. Hæc enim ferè legitimum,& extraordinarium opponuntur. Illud etiam Hermogen. [Interpretatione legum pœnas molliendas eſſe potiùs,quàm exaſperandas.] *l.pen.de pœn.*ab eadem mente eſt. Etenim vbicunque interpretatione opus eſt,ibidem incerti & ambigui negotij arbitrium verſari fateamur neceſſe eſt. ¶ Ecce cur à pœna non eſt prouocatio:quia legem neceſſariò ſecutus iudex,nihil dolo impe-

ritiaue

nitiáue peccauerit:quorum alterutrum appellatio deſiderat *l.1.de appel.*à lege,à principe non appellatur. A mulcta verò prouocatur,apud maiorem iudicem. Nam qui eam inflixit,remittere via eam ipſe poteſt,ſicuti nec ſemel dictam mutare ſententiam licet. *l.1.ſi.de quæstion.l.27.diui.de pœn.l.9.poſt.C.de ſen.& interl.om.iud.* Arcad.& Hon. [Nec putant factis facilè eſſe, vt aut præcipiti perſuaſione condemnent,quem culpa non ingrauet,aut erubeſcenda varietate iudicij,pro arbitrio proprio immutandum eſſe,quod intulerint.] *l.vlt.C.de mod.mulct.*Excipitur,niſi condemnati paupertas ſuaſerit,vt mulcta remittatur. *d.l.vlt.ſi.l.6.illicitas.ſi. de of.præſid.* Quin & quæſtor ſeu comes rerum priuatarum, qui ambitioſè irrogatam delinquenti mulctam remiſerit,ipſe de ſuo eam fiſco inferre cogitur. *Nouel.60.* [illegible] A maiore autem magiſtratu in appellationis cognitione adiru remitti poterit. Plinius Romano,*epiſt.pen.lib.4.*[Licinius Nepos prætor acer & fortis mulctam dixit etiam ſenatori.Egit ille in ſenatu cauſam ſuam. Egit autem ſic,vt deprecaretur,remiſſa eſt mulcta,ſed timuit,ſed rogauit,ſed opus venia fuit.] M.Tul. *de lege Agraria in Rullum trib.pleb. orat.2.* de immenſa x.virorum poteſtate, [Datur cognitio.inquit,ſine cóſilio:pœna,ſine prouocatione:animaduerſio,ſine auxilio.] Idem [Craſſus conſul pontifex Max.Flacco collegæ flamini Martiali mulctam dixit, ſi à ſacris diſceſſiſſet : quàm mulctam pop.Rom. remiſit.] Ergo à mulcta prouocandi ius eſt.Atque ipſius intereà ceſſabit exactio ſuſpenſa appellatione cognitione.qua iudicatum velut exſtinguitur.*l.6.furti.de iis qui not.infam.l.1.ad Sc.Turp.* *Si is dixit cui dicere licet.* ¶ Omnibus magiſtratibus & præſidibus cæteriſque,qui iuriſdictioni præſunt.*l.2.ſi.de iudic.d.l.131.alind.* tuendæ etiam iuriſdictionis ſuæ cauſa,non tamen duumuiris.*l.vn.ſi quis iuſd.non obt.*non procuratoribus cæſaris,rationalibus, curatoribus reip.qui ius mulctæ dicendæ non habent. *l.2.l.3.C.de mod.mulct. l.5.C.de def.ciuit.* ſed ne iis quidem, quibus ius dicendæ immenſam(ſed pro peccati grauitate) dicere permittitur.*l.4.l.vlt.C.de mod.mulct.d.l.11.perſpiciendum.l.13.hodie.*Imò ſi ſupra ſuæ iuriſdictionis fines mulctauerit iudex,irrita erit ſententia.*l.5.C.quan.prouoc.non eſt nec.* Aliquando enim vt hic dicitur, [lege eſt conſtitutum,quantam dicat :] Præfecti quidem prætorio,pro delicti grauitate,vſque ad 50.auri libras. Rectores verò prouinciarum,ad duas,proconſules, ad ſex, cæteri iudices vice principis, ad tres vncias mulctam dicunt. Quem modum ſi exceſſerint,duplum reſtituent.*l.4.l.vlt.C.de mod.mulct.*Quamuis autem leges grauius minitentur,tamen(vt Iſæus ait) [illegible] Ideoque eidem perſonæ in eadem cauſa,ampliùs vno in anno,quàm trina multæ caſtigatio infligetur. *d.l.vlt.* Quem autem in vſum pecunia ex multis redacta cederet,cum aliunde tum *ex l.5.C.eod.tit.in 6.com.ſelect.*exponemus.

CCXLV. Pomponivs lib. x. Epiſtularum.

STatvæ adfixæ baſibus ſtructilibus, aut tabulæ religatæ catenis, aut erga parietem adfixæ,aut ſi ſimiliter cohærent lychni,non ſunt ædium : ornatus enim ædium cauſa parantur,non quo ædes perficiantur.

§.j. Idem Labeo ait prothyrum, quod in ædibus (iterum qui) fieri ſolet, ædium eſt.

Alciatvs.

STatvæ. ¶ Explicat hoc reſponſo Pomponius tres ſatis dubias quæſtiones , quarum prior eſt huiuſmodi,An ſtatuæ adfixę baſibus ſtructilibus ſint ædium.In quo articulo priùs ſciendum eſt,quid ſignificet baſis ſtructilis.Et conſtat baſem eſſe ſedem & pedamentum cuique rei ſuſtinendæ.vnde baſes vaſorum Corinthiorum Iaboleno,*l.heres.§.pen.de leg.3.* baſes catapultæ & columnarum M.Vitruuio.Hæ ex ſolido lapide quandoque fiebant, quandoque opere ſtructili, id eſt, ex laterculis,calcéque.Igitur ſi quæ ſtatuæ marmoreis baſibus inſiderent, in confeſſo fuit,ædium non eſſe,ſed rutis cæſiſque annumerati,*l.in rut.ſ.b.s.*vt ſ.vidimus : & ideo vendita vel legata domo,auferri poſſunt. Sed ſi ſuprà ſtructiles baſes collocatæ eſſent, tractatus magis ambiguus eſt. quoniam ſtructile opus pars ædificij eſt, nec amoueri poteſt : ſicut ergo baſes ipſæ pars ædium ſunt, ita eis impoſitæ ſtatuæ ædibus adſcribi debent : in qua tamen re aliter Pomponio viſum eſt. apponuntur enim magis cauſa ornatus, quàm vt ædes perficiantur. ¶ Sequens quæſtio eſt,quid de tabulis quas pictas antiqui catenis religabant,vel parieti, tignisve affigebant, an illæ ædium eſſent. Et eadem ratione non eſſe reſponſum eſt. ornant enim elegantioremque reddunt domum huiuſmodi tabulę,non autem quicquam ad eius perfectionem faciunt. Quòd ſi in tectorio opere loco cruſtarum marmorearum inde exemptarum appoſitæ ſint *l.fundi.§.2.de act.empt.*tunc ædium partes ſunt. videntur enim tectorij ipſius perfectioni accedere, & parum refert ea marmore, vel ex tabulis pictis, quod illi deeſt,ſuppleatur. Quid autem ſit tectorium,ſuperiùs à nobis tractatum eſt,*d.l.in rutis.* Hincque probatur ornamenta, quæ à domo ſeparari commodè poſſunt,ſi eam ob rem nihil perfectioni domus deeſt,ædium non eſſe,& ideo ędibus venditis vel legatis non deberi.Sanè hoc loco antiquorum codicum varia eſt ſcriptura:quidam enim habent, Aut ſimiliter quæ cohærent lignis:alij lichnis,alij tignis. ¶ In vltima quæſtione dubitari potuit an prothyron, ædium ſit : & reſponſum eſt , eſſe. Sed in hoc non modica eſt difficultas explicare quid ſibi prothyron velit. Et Græcus ſermo indicat aliquid ſignificare quod ante ianuam vel oſtium ſit,à Græca præpoſitione πρὸ.& dictione θύρα.qua ratione & Hyperthyron dicimus;quod ſuperliminare quidam vocant, ſicut Pſeudothyron poſticum Hypothyron hiantiam cauitatémue ianuæ, Diathyron quod per eam ponitur : qualis eſt in ianuis , quam vulgò poſterulam vocamus, in oſtiis verò

quam

quàm vulgò buxulam appellant,& ex tabulis conficitur,ad arcenda,dum valuæ aperiuntur,irrumpentia frigora: fit & quandoque vice tabularum appoſitis tapetibus, vel peripetaſmatis, huiuſmodique velamine eſt & Dithyron,quod Biualuium dicere poſſumus, vnde Ariſt. *de animal.*4. genus quoddam oſtracôn appellat dithyra, quaſi bifores teſtas: quæ vox etiam poſterulæ conuenire poteſt, quaſi ſit διπλᾶ θυρὰ, vnde & dithyron Græci pro eo quod duplicatum eſt, vſurpant, vt Heſychius & Suidas tradit. Philoſtratus quoque in vitis Sophiſtarum auctor eſt, Secundum rhetorem ab aliquib. ἐπίθυρον fuiſſe cognominatum, quòd fabri eſſet filius. Igitur Græci prothyron vocant, quod Latini Veſtibulum dicunt. vnde Pindarus in Olympiis Corinthum Peloponneſi prothyron appellat, quaſi portam vel fauces dicas. Sed & Poſidippus in epigrammate, ἐν προθύροις, inquit, θῆκεν δ' ἀνδριάντα, videtúrque accepiſſe pro ſtatuariorum pergula, in qua publicè antè ianuam ſpectanda opera proponebantur. Hieronymus verò in Exechielem, quod Aquila & Theodotio prothyron dixerant, limen portæ tranſtulit: frequentior tamen interpretatio eſt, vt veſtibulum ſignificet. Sed in hunc ſenſum hîc accipi ego non arbitror, non quod me moueat Ælij Galli Iuriſconſulti auctoritas, quem refert A. Gellius ſcripſiſſe *libro de ſignificatione verborum, quæ ad ius ciuile pertinent, ſecundo*, veſtibulum partem ædium non eſſe: ſed quia non video cur hoc ſenſu Pomponius, & Labeo Græca magis dictione, quàm Latina, & quidem vſitatiore, vti debuerint, præſertim cùm indubitatum ſit (vt ego ſentio) veſtibulum, tametſi extra ianuam domus ſit, ædibus tamen adſcribi, & ceu earum membrum exiſtimari. Arbitror igitur hac voce poſterulam vel buxulam ipſam ſignificari. interdum enim ea, vt hic dicitur, in ædibus fit. nam M. Vitruuius auctor eſt, quæ Græci diathyra, vel, vt alij magis probant, dithyra dicunt, à Latinis prothyra appellari. Papinianus quoque *in l. quæſitum. §. Papinianus. de fun. inſtr.* Prothyron domus, inquit, ſi velamen eſt, inſtrumento domus continetur. Quibus verbis apertè indicatur, non poſſe nos de veſtibulo intelligere, ſed potiùs de ſtragulis aliquibus pictis: quandoquidem Iulius Pollux *lib.* 10. inter ianitoris inſtrumenta, prothyra quoque commemorare videtur ποικίλα, id eſt, multifariam variegata. Diſtinguendum igitur eſt, vt buxula, ſi ex tabulis ſimiliue materia confecta ſit, pars ædium cenſeatur, ſicut & poſterula: ſi ex velamine, huiuſmodique aulæis, non pars, ſed inſtrumentum ſit domus.

FORNERIVS.

STATVÆ. ¶ Duo velut paradoxæ theſes proponuntur, vt ea quæ adfixa ſunt, non ſint ædium: quæ verò tolli & auelli ſoleant, ædium eſſe cenſeantur. Prioris generis ſunt ſtatuæ baſibus ſtructilibus affixæ. Et harum quædam erant in priuatis ciuium ædibus, quædam publicè locatæ. *l.100. heres. §. dua ſtatua. de leg.3. l.41. ſtatuas. de acq. rer. dom. l.13. Aufidius. de priuil. cred. l.11. is qui. §. quæſitum. quod vi aut clam. l. vlt. de loc. pub. fruend.* Plinius *lib.34. c.6.* Cicero *Philip.9.* Quæ ideò baſibus & ſtructili opere (*maçonnerie. l.2.41. in ruinis. ʒ. h. tit.*) affigi ſolebant, ne facilè tollerentur. Namque eas refigi aut reuelli tum reipub. tum priuatorum intererat. *l.22. lex qua. C. de adm. tut.* & quo eſſent à furum fraudibus, aut inuidorum iniuria tutiores, plumbo etiam affigebantur. *l.2. ver. ſi neque adplumbata fuit aut adfixa. de ſep. viol.* Cicero *lib.6. de repub.* apud Macrob. *in ſomn. Scipionis lib.1.* [Quamquam ſapientibus conſcientia ipſa factorum egregiorum ampliſſimum virtutis præmium eſt. Tamen illa diuina virtus, non ſtatuas plumbo inhærentes, nec triumphos areſcentibus laureis, ſed ſtabiliora quædam, & viridiora præmiorum genera deſiderat.] De ſtatuis deorum plumbo alligatis Prudentius *aduerſus Symmachum lib.1.* [ſuffuſo figunt veſtigia plumbo.] accuratè multa Iuretus noſter annotauit. Cui hanc (ita de me meritus eſt) de Dædali ſignis ſymbolam adiiciam, quæ Socrates, niſi vincirentur, aufugere, nec magni facienda dicebat: ligata verò permanere, & maiore digna admiratione haberi. Plato *Menone*, *Δαιδάλου ἀγάλματα ἐὰν μὲν μὴ δεδεμένα ᾖ, ἀποδιδράσκει καὶ δραπετεύει. ἐὰν δὲ δεδεμένα παραμένει. Τῶν ἐκείνου ποιημάτων λελυμένον μὲν ἐκτῆσθαι οὐ πολλῆς τινος ἄξιόν ἐστι τιμῆς, ὥσπερ δραπέτην ἄνθρωπον. οὐ γὰρ παραμένει: δεδεμένον δὲ πολλοῦ ἄξιον.* Idem Timæo, *ἀλλὰ διὰ σμικρότητα ἀοράτοις πυκνοῖς γόμφοις ξυντήκοντες.* Solent illeque lacte plumbo ſigna ſuæ baſi adfigi. Plutarchus de defectu oraculorum: eóque alludens Euripides.

Κάθησ' ἑδραία, καὶ γὰρ εἰ πέτρα σ' ἔχει
Τηκτὸς μολυβδὸς, ἐξαναστήσω σ' ἐγώ.
Stabilis ſedeto. namque te excitauero,
Etiam liquato vincta ſi plumbo hæreas.

Quominus clam auferrentur ſtatuæ figebantur. Theodoricus rex præmium indicij centum aureorum ei pollicetur, qui æneæ ſtatuæ ſurreptæ furem prodiderit, apud Caſſiodorum *lib.2. epiſt.35. & 36.* Et tamen non ſunt ædium, quia non ad vſum earum & perfectionem, ſed ornatum & amœnitatem comparantur. hic, Et tamen Papinianus, Sigilla & ſtatuas adfixas inſtrumento domus non contineri, ſed domus portionem eſſe: quę verò non ſunt affixa inſtrumento non contineri, ſed ſupellectili annumerari ait: eandémque de fiſtulis, canalibus, crateribus, ad aquas ſalientes neceſſariis, ſeris, clauibus, ſpecularibus, pegmatis, cancellis diſtinctionem adhibet. *l.12. quæſitum. de fun. inſtr.* Quæ in ſpeciem diſſidere videri poſſunt, niſi plurimùm, inter vſum ſeu inſtrumentum rei & ornatum, & quomodo cohæreat id quod affixum eſt, intereſſe ſtatuamus. Quæ terra ſe tenent, fundi ſunt vel ædium. *l. 17. fundi princ. & §. vltim. l. ſequent. de action. empt.* Quæ baſibus tantùm, non item. hic. *& d. l.12. quæſitum. §. ſi domus. ver. quod non voluptatis gratia. & ver. quis dicebat.* vt tabulæ quamuis catenis hîc. *Ornatus enim* & cæt. Contrà verò ea quæ ſoluta ſunt, vt æneum horologium, quod non eſt affixum ædium inſtrumentum eſt, vt prothyrum & velamen. *d. l.12. quæſitum. §. Papinianus. §§. ſeqq. & hic in fin.*

Relegatæ. ¶ Vitium Florentini exemplaris, pro [religatæ.] quale & illud, [Si linum, quo legatæ ſunt tabulæ, inciſum ſit.] *l.1. de bon. poſ. ſec. tab.*

Idem

Idem Labeo. ¶ Poſterioris generis paradoxum cum ob variam prothyri ſignificationem, tum mendoſam librariorum manum, ſubobſcurum. Etenim ſi prothyra ſunt, antè in ianuis veſtibula, ſiniente Vitruuio, *lib.6.cap.pen.* Leonis *Nouell.56.ſub fin.* Veſtibulum autem locus inter fores ædium & viam. A.Gellius *lib.16.cap.5.* Macrobius *lib.6.Saturnal.cap.*8. idque pars domus. *l.1.C.de cuſtod.reo. l.19.arbor.§.de veſtibulo.* ꝫ*.comm.diuid.* Seneca *lib.12.epiſt.*85. [Præteri iſtos gradus diuitum, & magno aggeſtu ſuſpenſa veſtibula: non in prærupto tantùm iſtic ſtabis, ſed in lubrico:] Quid cum Labeonis definitione quadret, ecquid [iterum qui] ſibi velit, non liquet. Aliquid hic monſtri ali, iam inde à puero ſuſpicatus, ne nunc quidem expellendi rationem inuenio. [Vulgò interdum,] aliàs, [interim:] Florentiæ, [iterum qui.] Ego inde aliquando ὑπόθυρον coniiciebam legi poſſe: Iuſtus verò Lipſius *epiſt. 7.lib.2.* [vtetimque,] ſeu [vtrimque.] Idque exponit repagula è ferro, lapide, vel qua alia re vtrimque depacta arcendis à veſtibulo ædium vehiculis & equis. Alciatus autem hic paulò anguſtiùs ex tabulis confectum, ad arcenda, dum valuæ aperiuntur, frigora. Cui Gul. Philander *in Vitruuiy lib. 6. pen. cap.* aſſentitur. Addit Alciatus, fieri quandoque appoſitis vice tabularum, tapetibus, vel periperaſmatis. Quod à Papiniano ſignificari crediderim: vt non ſe terræ teneat, mouerique loco poſſit: ideóque domus inſtrumento contineatur. *d.l.12.quæſitum.* Res in obſcuro verſatur. Sed iis, dum alius quid aptius impertiat, vtemur: Exoriatur velim. *Et philida ſolus habeto.*

CCXLVI. Idem lib. xvj. Epiſtularum.

Apud Labeonem pithanôn ita ſcriptum eſt: Exhibet, qui præſtat, eius de quo agitur præſentiam. Nam etiam qui ſiſtit, præſtat eius, de quo agitur præſentiam: nec tamen eum exhibet. Et qui mutum aut furioſum, aut infantem exhibet, non poteſt videri eius præſtare præſentiam: Nemo enim ex eo genere præſens ſatis aptè appellari poteſt.

Alciatus.

Apud Labeonem. ¶ Scripſit Labeo *πιθανῶν*, id eſt, veriſimilium libros octo: in hoc opere definiuit, quid ſit exhibere. Et id eſſe arbitratus eſt quod eius de quo agitur præſentiam præſtare. Quam definitionem à Pomponio hic reprobari communi calculo receptum eſt, idque duobus argumentis. Nam qui in iudicio hominem ſiſtit, præſtat eius, de quo agitur, præſentiam, & tamen aliud eſt ſiſtere, aliud exhibere. Rurſus, furioſus, aut infans, aut mutus iudicio exhibentur, & tamen eorum præſentia non videtur præſtari: loco enim abſentium habentur. Poſſet tamen Labeonis ſententia defendi, ſi eum, qui hominem ſiſtit, etiam exhibere dicamus, vt exhibendi verbum generalius ſit: eſt enim exhibere *l.1.§.ait prætor. de lib.hom.exhib.* extra ſecretum habere, nec ſimpliciter verum eſt furioſi, infantis, muti præſentiam nullam eſſe, ſed pro abſentibus haberi: quoniam præſentia propriè ad corpus refertur: nec dubium eſt corpore eos præſentes, licet lex plerunque propter ſenſus imbecillitatem abeſſe eos interpretetur. Quapropter quoſdam caſus reperire eſt, quibus furioſus pro abſente non habetur, vt cum de perſeuerantia, non autem de nouo conſenſu agitur. *l. pater.qui ſunt ſui, vel alie.iur.* Itémque cùm hoc non tractatur, vt conſentiat, ſed ſatis eſt ne contradicat: cuius rei exemplum eſt in muliere furioſa *l.2.§.fin.ſol.mat.* de cuius dote pater agit, nec de ratihabitione cauet. Nam & generaliter furioſorum conſenſus eſt nullus, & tamen abſentes per procuratorem conſentire poſſunt *l.1.de procur.* Quapropter ſi quis furioſi præſentiam præſtare promiſerit, non valere ſtipulationem minimè cum Accurſio ſenſerim *l.ſtipulatio iſta.§.hi qui.de verb.obl.* ſed potiùs corpore, & de facto exhibendum eſſe. Illud non diffiteor, ſi poſt ſtipulationem in furorem inciderit, promiſſori competere exceptionem. *l.2.§.ſi quis.ſi quis caut.* Cùm enim de ſani hominis præſentia agitur, non videntur partes voluiſſe exhiberi caſu, quo propter dementiam impediretur. Et quod de muto hìc dicitur, de eo, qui naturaliter mutus ſit, accipiendum eſt: huiuſmodi enim & ſurdi ſunt, vnde quid ſententiæ intellectúſve habeant, exponere nequeunt, idque in cauſa eſt, vt infantibus & furioſis ſimiles exiſtimentur: alioquin qui ſimpliciter mutus eſt, omnes contractus facere poteſt, excepta ſtipulatione, quoniam expreſſio verborum in ea neceſſariò requiritur.

Fornerius.

Apud Labeonem. ¶ Terram iam videre, ac portum vnde primum ſolueram, videor agnoſcere: Siſtere minus quiddam eſt: Exhibere amplius. In illo nudum eius quo de agitur, corporis præſentiam præſtari ſufficit. In hoc etiam animi præſentia, ſenſúſque deſideratur. Non exhibentur ij, quorum abeſt animus: Furioſi, Infantes, Muti. hìc, *& qui mutum*, &c. qui verſus ita vt hìc, ex Florentini exemplaris fide exprimitur (non vt anteà vulgò vitioſè) interpungi debet. Huiuſmodi perſonæ, cum id quod agitur minus intelligant, quamuis corporibus adſint, abeſſe videntur nihilominus *l.27.item.de recept.arb.l.2.fin.ſol.matr.l.209.coram.*ꝫ*.h.t.*

§. j. Restitvit non tantùm qui ſolum corpus, ſed etiam qui omnem rem, conditionémque reddita cauſa præſtet. Et tota reſtitutio iuris eſt interpretatio.

Alciatvs.

Restitvit. ¶ Reſtituere, eſt rem in ea conditione, quæ retrò fuit, præſtare. *arg. not. l. 1. C. de ſent. paſſ.* Non ergo ſufficit corpus ipſum, puta fundum reſtituere, niſi omnino res ipſa pręſtetur. Res autem dictio eſt vniuerſalis, quæ acceſſioues fructúſve cootinet. Sed & in ea coudit ioue eſt reſtituenda, in qua olim erat, vt ſi cauſa vſucapionis ſuberat, ea quoque reddatur. Sed quoniam non ſemper acceſſiones & fructus vel cauſa redditur, ſed aliter atque aliter ſolet diſtingui, ideo hæc reſtitutio omnis in iuris interpretatione verſatur, de qua re ſuperiùs à nobis tractatum eſt. Sunt enim hoc ſub titulo quatuor eiuſdem ſenſus ad hanc materiam pertinentia reſponſa, vt non poſſim non mirari, cur idem toties inculcauerint, qui ſub Iuſtiniano centones hos legum conficiendi curam aſſumpſerunt, quaſi alia noua magiſque neceſſaria deeſſent. Scribat Iuſtinianus quantum velit, glorietúrque ſuos hoſce libros cauſarum negotiorúmque deciſionibus ſatis eſſe, res ipſa planè reclamat, nemóque ciuilis profeſſionis eruditus eſt, qui apertiſſimè non videat innumerabiles dubitationes ex facto oriti, quas, niſi omnino Oedipus is ſit, ex harum legum ſylua decidere nemo vnus poſſit: vt planè ſine Bartolo, aliiſque quibuſdam interpretibus ius noſtrum oon conſiſtere affirmare auſim. Quid enim, ſi bonarum literarum cognitionem excipies, illi acutiſſimè non excogitarunt, aut clariſſimè non docuerunt vt noſtris oculis offuſas per hoſce Græculos tenebras aperirent? Illud non diffiteor, ſi antiquorum Iuriſconſultorum opera extarent, nec Iuſtiniani iniquiſſimo illo edicto ſublata fuiſſent, Accurſij, & qui poſt eum ſcripſerunt, minimè neceſſarias futuras fuiſſe lucubrationes. Sed ſatis ſit conceptam animi indignationem hactenus prompſiſſe, ne crabronum acculeos irritaſſe videar.

Fornerivs.

Restitvit. ¶ Et hoc ſuperiori affine eſt: Plus eſt in reſtitutione, quàm exhibitione. Reſtitui res ita demùm videtur, ſi cum omni cauſa reddatur: ſi id omne, quod ſi controuerſia non fuiſſet, actor habiturus erat, conſequatur: fructus etiam. *l. 22. plus eſt l. 35. reſtituere. l. 73. hac verba in ſtipulatione. l. 75. reſtituere. ꝟ. h. t.* Etiamſi nihil nominatim de fructibus conuenerit: *κἂν μὴ τοῦτο ῥητῶς διωρισθῇ. l. 173. in condemnatione. ꝟ. tit. prox.* Non modò ſcilicet ſolum eius, quo de agitur, id eſt, in iudicio cootenditur, corpus, τὸ σῶμα τὸ ζητούμενον, reſtitutionis verbum: ſed omnem cauſam conditionémque continet. *ὅλην τὴν τοῦ σώματος αἰτίαν καὶ τύχην διδούς. l. 1. C. de ſent. paſſ. Iuris.* ¶ Similis illa Papiniani loquendi ratio: Poſſeſſio non tantùm corporis, ſed & iuris eſt. *l. 49. poſſeſſio quoque. ꝟ. de acquir. poſſeſſ.* ¶ Hactenus ad ſingula huius tractatus capita, duce & adiuuante Deo, nonnihil adnotabam: tuæque potiſſimùm Harlæi v. cl. morem gerendo voluntati, iuriſprudentiæ ſectatorum rationibus commodare cupiebam. Quorum vtrum minùs effecerim, vllúmve ſim operæpretium conſecutus, quid cæteri iudicent, nihil moror: Si tu (quem maximis de rebus, ſumma æquitate ſtatuere ſolitum, vnum iudicem fero) noſtrum bene de re litteraria merendi conatum probaueris. Equidem ſedulò me, vt vtrúmque præſtarem ſtuduiſſe, priſcúmque venatorum inſtitutum æmulatum eſſe profiteor. Nam vt illi prædæ partem, ſeu caput, ſeu pedem clauo impactam arbori ſylueſtri, numini Dianæ ſolebant affigere. Ἔθος ἦν (quod in Ariſtophanis Pluto ſcholiaſtes refert) τοὺς θηρεύοντας τινὰ ἄγραν, μέρος τι τοῦ θηρωμένου κεφαλὴν, ἢ πόδα προσπατταλεύειν ἐπὶ τινὸς δένδρου, εἰς τὴν αὐτὴν ὕλην, πρὸς τιμὴν τῆς Ἀρτέμιδος. Ita quæ ſumus ipſi venatione in huiuſce ſaltus iugis oberrando, veſtigandóque conſecuti, vltrò tibi grauiſſ. iuris antiſtiti offerimus: noſtrorúmque ſtudiorum partem, honoris cauſa, ſacrarij tui poſtibus adpenſam, lubentes meritóque dedicamus. Mox verò ab hac verborum ſylua in rerum ſententiarúmque ſpatia concedentes, vt in pratis bos herbam, ciconia lacertam quærit, itidem nos ſelectum è variis auctorum ſcriptis opus, Aurelianenſi Mœcenati munus adornabimus. Neque enim immortalis Hvralti Chevernii integerrimi iuſticiæ Gall. vindicis, noſtræque Academiæ inſtauratoris diutiùs à nobis gloria ſilebitur. Et cum iacentis penéque depoſitæ ſcholæ vicem miſeratus, Anteceſſores multis ærumnis afflictos, propoſitis ſtipendiis ad obeundorum laborum alacritatem nuper erexerit, tanti beneficij memores, vt proprium propediem grati aduerſus eum animi monumentum publicè exſtet, omni ope contendemus.

*

ANDREÆ

ANDREÆ ALCIATI IVRISC. MEDIOLAN.

DE VERBORVM SIGNIFICATIONE,

Liber Primus.

CVM inuenta ſint verba, vt dicentis ſententiam exprimant, meritò eius voluntas in primis ſpectanda eſt. *l. Labeo. de ſupel. leg.* cognoſcitur autem ea eo, quod verba ipſa indicant. ¶ Hæc quatuor modis accipiuntur, ex proprietate, ex improprio, ex vſu, & per interpretationem. Sigillatim igitur de omnibus videndum. Et triplicem proprietatem verborum aſſumi Fab. Quintilianus *lib.* 8. oſtendit. Primus eius intellectus eſt ſua vniuſcuiuſq; rei appellatio. Non tamen, inquit Fabius, quicquid non erit proprium, protinus improprij vitio laborabit: cùm multa ſint & Græcè & Latinè non denominata, quæ per tranſlationem vel *κατάχρησιν* neceſſariò dicimus: vt iaculatus eſt ſudem vel pilam. Vnde quæ ſuo loco & bene tranſlata ſunt propria dici poſſunt. Proprietas igitur non ad nomen, ſed ad vim ſignificandi referenda: nec auditu, ſed intellectu perpendenda eſt. Secundo modo dicitur proprium inter plura, quæ ſunt eiuſdem nominis, & vnde cætera deducta ſunt, vt vortex, contorta in ſe aqua, vel quicquid aliud ſimiliter vertitur: inde propter flexum capillorum pars ſumma capitis. itémque ſummi montes: propriè tamen ad aquam refertur. Sed iſte caſus mihi ſub priore comprendi videtur, & ad metaphoram ferè pertinere. Tertius cùm res communis pluribus, in vno aliquo habet nomen eximium: vt cum tabernaculum ducis, Auguſtale appellamus, & tabernacula principum militiæ lex Principia appellat. *l. officium. §. fin. de re mil. ff.* & veteratores, & nouitios pro ſeruis. *l. fin. de adil. edict.* Hinc proprium etiam illud dictum arbitramur, quo nil inueniri poſſit ſignificantius, vt quum Celſus inumbratam quietem furioſi dixit, *l. quod meo. §. 2. de acquir. poſſ.* qui in conſpectu ſanæ mentis videbatur. Ad hanc ſpeciem pertinet, quum aliqua res ſpeciali ſibi nomine, & communi cum aliis appellari poteſt: nam quod peculiarius ſibi eſt, id eius proprium: vt quum adulterium in lege Iulia cum vxore aliena dicimus, propriè dicimus, quum ſtuprum, quia etiam cum virgine, vidua, puero, meretrice committitur, *καταχρηστικῶς* loquimur. *l. inter. §. 1. de adult. ff.* Præter Fabij declarationem quartus quoque caſus adduci poteſt, quum res generali aliquo nomine appellatur. nec enim dubitandum eſt, quin ſpecies generi ſuo propriè ineſſe ex propria natura cenſeatur. *Bald. l. 2. C. de iur. aur.* Eodem pertinet, cum voce vtimur quæ lata ſignificatione multa continet. nam omnia comprendi arbitrabimur: vt quum lex inteſtabilem aliquem eſſe iubet. *l. cum leg. de teſti. ff.* intelligetur, vt non ſolùm eius teſtimonium non recipiatur, ſed nec ipſi quidem teſtimonium dici poſſit. Sic cùm lex municipalis petitionem concederet: etiam repetitionem concedi reſponſum eſt. *Bart. rub. ſol. mat.* quia petere generaliter dicimus, ſicut & dare, quod reddimus. Eadem ratione appellatione diœceſis, ciuitatis quoque ipſius, nedum agri procurationem legibus contineri creditur. *c. 1. de offic. ordin.* Sed & ſi quod verbum ſit, cuius ſpecialis, itémque generalis poſſit eſſe ſignificatio, vtroque modo accipietur, nec altera cenſebitur impropria: vt cum lex iuriſdictionem alicui concedit, non de ſpeciali tantum cenſebitur actum, ſed de mero quoque & mixto imperio. *Alex. rub. de iur. om. iud.* quod & de adoptionis nomine dicendum, quod generali adoptione etiam arrogationem continet ſicut in ea re teſtis eſt Herennius Modeſtinus *lib. 2. Regularum.* Idem quoque dicendum eſt de his nominibus quæ variam ſignificationem alicuius ſpeciei habent: & non magis proprio vno, quàm alio modo accipiuntur, vt ſoror: ſignificat enim vtrinque coniunctam, ſignificat conſanguineam tantùm, itémque vterinam tantùm. Cùm igitur ſororis mentio fiet, quæ quoquomodo ea ſuprascriptis caſibus coniuncta ſit, continebitur: idque propriè. Aliud eſt cum in altera ſpecie improprietas eſt, veluti cùm dicimus dominium, propriè de directo accipitur. *Socin. conſ. vlt. vol. 2.* nam qui vtiliter dominus eſt, abuſiuè videtur dominus: meritò igitur ea vi verbi hoc caſu potentior ſignificatio accipietur, quæ ex proprietate deſcendit. ¶ Sed quomodo propriam ſignificationem dignoſcemus? Et crebriore ſententia proditum eſt tribus modis fieri. *Bar. l. omnes populi. de iuſt. & iur.* ab auctoritate, diffinitione & etymologia; non enim dubium eſt, id prudentium auctoritati tributum, vt quo dicendi modo vſi ſunt, & nos vti poſſimus, propriéq; dicere iudicamus. A qua ſententia nec ego diſcedo, tametſi obſeruauerim quandoque M. Tullium non ita arbitratū videri, qui facere contumeliam *Philipp. 3.* impropriè dici cenſuit, hócque nomine M. Antonium damnat, cum tamen & Plautus *in Aſin.* & M. Cato hoc dicendi modo vſi ſint. Idem *epiſt. lib. 7.* Fabium Gallum reprehendit, qui duo nos ſcripſerat, quod tamen exemplo Græci ſermonis defendi potuit: à quo nec Virgilius abſtinuit;

Si duo præterea tales Idæa tuliſſet
Terra viros.

Sic Aulus Gellius *lib. 1. cap. 22.* Supereſſe verbum Latinum non eſſe pro defendere arbitratur, cum tamen hoc ſignificatu apud Tranquillum in Auguſto reperiatur. Fuere & qui Poſſibile, vocem probam non arbitrarentur, & Græca mallent vti: vt Cicero *epiſt. fam. lib. 9.* Me *περὶ δυνατῶν* ſcito ſecundum Diodorum iudicare. Et Iulian. *l. ab omnib. §. 2. de leg. 1.* quia conditio *ἀδύνατος*, id eſt, impoſſibilis, pro non ſcripta habetur. Sed tamen aliorum Iuriſconſultorū auctoritas obtinuit, vt Latinæ ciuitati

reddita hæc dictio cenſeatur. ¶ De etymologia verò & alluſione ita demum proprietate vocabulorum cognoſci proditum eſt, ſi diffinitioni non aduerſarentur. qua de re inferius loco ſuo à nobis tractatum eſt. *l. taberna.* ꝧ. *eo.* Diffinitio autem in iure omnis periculoſa eſt. rarum eſt enim vt non ſubuerti poſſit. Quapropter quum diffinitio ſit propria, & breuiter compreſa rerum ſubſtantiæ enarratio, quæ genere, ſpecie, propriis, & differentibus (vt inquit Quint.) conſtat, non fermè multas huiuſmodi in iure reperies. Sed haſce ſubtilitates Iuriſconſulti Dialecticis reliquerunt, ipſique ſatis habuerunt, ſi ſubſtantiam rei ea communi regula deſcriberent, vt in dote & iudicio fecerunt. quod à nobis *in Paradoxorum libro* tractatum eſt. Quandoque ſatis duxerunt, ſi genus & differentias ſolùm apponerent, quod in doli mali diffinitione cernere eſt. *l. 1. de dol.* Quandoque ea modo per quem introducta eſt, eam deſcripſerunt, vt in ſeruitute, & in ſtipulatione apparet. Quandoque ab ipſo effectu, vt cum appellationem diffinierunt eſſe primæ ſententiæ, quæ in pendenti ſit, reſciſionem. Quandoque & tales diffinitiones retulerunt, quæ non niſi impropriè acceptis verbis defendi poſſint: quod Decius annotauit *in rub. extra de probat.* & ipſe in recentiorum diffinitionibus verum eſſe fateor, non in his quas veteres tradiderunt. Sunt & alij diffiniendæ rei modi, quos Hegendorphinus in dialectica legali perſequitur & explicat. Enumerantur & ab aliis à iuris ciuilis interpretibus. Illud autem in diffinitione potiſſimùm requiritur, vt diffinitio conuertatur cum ſuo definito. Hoc à Iuriſconſulto Vlpiano probari ſcribit Bart. *l. 1. ff. de dolo.* citaríque quotidie hoc reſponſum adnotat ad hoc Baldus Peruſinus. Induco illum textum. Seruius definiebat dolum, machinationem decipiēdi cauſa factam, cùm aliud agitur, & aliud ſimulatur. Labeo hanc diffinitionem dialectico inſtrumento impugnat, dicens poſſe id agi, vt quis ſine machinatione circumueniatur. Ergo Seruij diffinitio non conuertitur cum ſuo definito. Verius igitur Labeonem diffiniuiſſe Vlpian. *d. l. 1.* putat: vtpote cùm Labeonis diffinitio cùm definito conuertatur, vt dolus ſit omnis calliditas, machinatio, &c.

¶ Explicito articulo, quæ verborum ſit proprietas, & quomodo cognoſcatur, videndum eſt quemadmodum ea ſignificatio accipienda ſit. Et ab omnibus traditum eſt, in quacunque materiā, etiam ſi pœnam irroget, eatenus verba generaliter capi, quatenus ſermonis proprietas ferre poteſt, niſi aliam loquentis mentem coniiciamus. *d. l. cum lege.* ea mens in diſpoſitione legis faciliùs dignoſcitur, quàm in hominum verbis. Cuius rei illa eſt cauſa, quòd lex ſemper de ratione legis certa eſt, facilèque, quænam illa ſit, aſſequitur: at hominum incertos animi motus diſcernere nemo poſſit. Vnde & plerunque videmus verba legum vberiorem interpretationem aſſumere, quàm in contractibus, vel teſtamentis, fieri ſoleat: quòd ꝧ. *lib. 3.* diſſeremus. Oritur tamen plerunque ambiguitas, cum de ratione legis non conſtat: in qua re illud ſciendum eſt, ſi ratio in lege expreſſa ſit, illa & augeri, & minui deciſionem, quoniam leges non tam in verborum forma, quam in ratione conſiſtunt. *l. ſcire. de legi. ff.* Si verò non ſit expreſſa, ſed vnica tantùm reddi probabiliter poſſit, idem cenſendum. *gl. l. quamuis. C. de fideicommiſſ.* Quapropter ſi in municipio lege ſucceſſionis, exiſtentibus maſculis, fœminæ excludantur, quoniam ea illa vna ratione, id eſt, ſolo agnatorum fauore, id introductum eſſe etiam aduerſus Bart. ſententiam receptius eſt, *in l. 1. C. de adult.* Ab huiuſmodi ratione, & lex reſtringetur, & extendetur. Quòd ſi duabus rationibus quid conſtitutum appareat, ſolet dici, altera ſublata, ſuſtineri nihilominus generalitatem legis. §. *affinitatis inſt. de nupt.* quod vtique & nobis videtur, dum ſingulæ rationes efficaces ſint & ſufficiant: alioquin quod ex duabus cauſis introductum eſt, altera ceſſante extinguitur, & alia, cum duo vincula arctius ligent. Ecce familia iniuriam prætori fecit, damnum dedit, album corrupit, is ius vindictæ publicæ proſequitur, dominúſne pro omnibus tenebitur? Et lex teneri ait *l. ſi familia. de iuriſd. omn. iud.* duplex enim hic eſt ratio, nempe quia plura hæc cenſentur facta, item quia de publica vindicta agitur. Pone alteram ceſſare vt quia vnicum eſt factum, puta furtum, homicidium, vel de priuata vindicta ſolum, agatur. certè his caſibus dominus pro vno ſolidum ſoluens, cæteros liberat. *l. illud. ad leg. Aquil. ff.* Neceſſariò igitur, vt legis diſpoſitio ſuſtineatur, oportet adhuc eam rationem vigere, quæ tali deciſioni ſufficiat. Qun ſit, vt licet quandoque non tanta ratio ſupereſſe videatur, ſuſtineatur tamen deciſio. *Socin. l. 2. §. ex his. de verb. oblig.* Cuius rei exemplum illud adducitur: Si quis hominem promiſit partem ſoluendo non liberatur. Finge, is promiſſor deceſſit duobus heredibus relictis, num alter dimidium hominum præſtando liberabitur? Et videtur liberari: non enim vltra dimidium debet, quoniam lex XII. Tab. obligationem diuiſit, cuius hæc verba ſunt, [Inter hæredes pro portionibus hereditariis obligationes ipſo iure diuiſæ ſunt.] Non igitur tanta eſt ratio in heredē, ſicut in principali, & tamen proditum eſt nec heredem liberari, ne in diuerſo homine contingat ſolutionem fieri. Quid ſi de ratione legis dubitetur, quia vnicam tantùm adferri poſſe aliquis affirmet, alius variis rationibus motum legiſlatorem contendat? Salic. pluribus rationibus motum magis præſumit. *Salicet. l. ſi ſerui. C. de noxa.* Ego id plurimum in arbitrio iudicis conſiſtere arbitror. nam ſi vna tantùm probabilis ſit, potius credendum eſt illi adhæſiſſe legiſlatorē. Quapropter in ſtatutis filiam dotatam excludentibus etiam de ea actum intelligetur, cui in teſtamento patris dos aſſignata ſit. *Bart. l. Titio centum. §. Titio genero. de cond. & demonſt.* excludentúrque fauore agnationis: quæ ſola probabilis eſt huius ſtatuti ratio, & quam videmus etiam Iuriſconſultis ipſis quandoque præ oculis fuiſſe. §. *cæterum. Inſt. de leg. agn. ſucc.* ¶ Sed quid, ſi ratio legis correcta ſit, an legem quoque correctam dicemus? & Accurſius corrigi exiſtimauit. *Glo. l. 1. de leg. tut. ff.* Quapropter cum hodie lex noua etiam cognatos in ſucceſſione cum agnatis admittat, intelligetur & onus tutelæ deferre, eáſque conſtitutiones corrigere, quibus agnatis ſolis tutela defertur: quod accipiendū, cum ratio legis huiuſmodi eſt, vt deciſioni ſit coniuncta. *c. miramur. de ſer. non ord.* ita vt altera ab altera proximè dependeat, alioquin ratione remota (vt ita dixerim) vel impulſiua correcta, adhuc lex viget. *l. 1. in prin. de cad. tol.* Idem dicendum, cum legis ratio generaliter non corrigitur, ſed aliquo caſu tantum. *Aret. l. 2. de vulg.* nam & in illo quoque ſeruanda eſt lex, donec cōtraria conſtitutione abrogetur

rogetur. *c. à multis. de ætate & qualitate.* Et hæc quidem de ratione legis dicta ſufficiant, ex quibus ea poteſt colligi concluſio. Quamuis lex generaliter loquatur, reſtringẽdum tamen, vt ceſſante ratione & ipſa ceſſet. *l. adigere. §. quamuis. de iur. patro.* Cùm enim ratio ſit anima, vigórq; ipſius legis, non videtur legiſlator id ſenſiſſe quod ratione careat, etiã ſi verborũ generalitas prima facie aliter ſuadeat. ¶ Non procedit tamen id pronunciatum quibuſdam caſibus. Primus cum id agitur, ne quis lucro priuetur: nam quia facilius lex promittit, ne quis lucretur, quam vt damnum faciat, potius ab huiuſmodi lucro arceri aliquem patiemur, quam generalis legis verba arctabimus: idq; Bar. ſenſit. *d. l. omnes populi.* Exempli cauſa: Mulier cum qua ob adulterium maritus diuortium fecit, lege Iulia prohibetur ſeruos intra 60. diem manumittere, ne quæſtioni ſubducantur: quid ergo, ſi ſeruus extra miniſterium mulieris fuerit, vel in prouincia, nunquid manumitti poterit? Et videbatur poſſe, quod hic ratio legis ceſſet, cum nihil de adulterio ipſe ſciat, qui abſens fuit. Vlpianus tamen negat. *l. proſpexit. qui & à quib. man.* quamuis enim id perquam durum ſit, tamen lex ita ſcripta eſt. Interpretantur igitur Doctores hoc ita eſſe, quia ſeruus de lucro captando agit, nẽpe libertate acquirenda. Vnde conſequenter propoſitam ſpeciem ſic finiunt, lex eſt in municipio, quicunque in palatio ſanguinem fuderit, tali lucro priuetur: chirurgus cucurbitula, vel ſecta vena ægrum in palatio adiuuit, in pœnam legis incidere exiſtimat, cum de lucri priuatione tractetur, quod ſecus eſſet, ſi de damno vitando ageretur. Sed hoc ego plane ridiculum arbitror. quis enim exiſtimet voluiſſe legiſlatorem medicam manum, quæ præmio potius inuitanda erat, vlla penitus pœna afficere? & eam legem non coarctet ex ſubiecta materia, vt de ea ſanguinis fuſione intelligatur, quæ in ſpeciem vel leuis delicti cadat? Meritò itaque fuerunt ex recentioribus, qui hanc deciſionem reprobarent. *Salic. Alex. Felin.* Nec me illud exemplũ legis Iuliæ mouet, quoniam in eo ſeruo non omnino ceſſat ratio legis, cum, tametſi abſens, potuerit aliquid ex conſeruis intelligere, vel de priore dominæ vita atteſtari, déque eius moribus, & priſtina inſtitutione: quæ argumenta, quamuis paulò remotius à certæ rei cognitione abſint, in hócque legis durities verſetur, tamen omnino aliena dici non poſſunt, & maxime in ſeruis, quorum ingenia maiores noſtri ſuſpecta habuerunt, præſertim cum nec damnum libertatis eis inferatur, ſed differatur potius, cum poſt ſexageſimum diem nulla ſit prohibitio. Extat C. Caſſij, Iuriſconſulti apud Corn. Tacitum *lib.* 14. oratio, qua ille Sc. Syllanianum defendit, ſuadétq; ſeruos, cæſo domino, vltimo ſupplicio afficiendos, etiam ſi dura ea lex videatur. Libet, inquit, argumenta conquirere in eo, quod à ſapientioribus deliberatum eſt. Sed & ſi nunc primum ſtatuendum haberemus, creditiſne ſeruum interficiendi domini animum inſumpſiſſe, vt non vox minax excideret? nihil per temeritatem proloqueretur? ſane conſilium occuluit, telum inter ignaros parauit, num excubias tranſiret, cubiculi fores recluderet, lumen inferret, cædem patraret omnibus neſciis? multa ſceleris indicia præueniunt ſerui, ſi prodant, poſſumus ſinguli inter plures, tuti inter anxios, poſtremò ſi pereundum ſit, non multi inter nocentes agere, & quæ ſequuntur. Hoc igitur & in propoſito quoque legis Iuliæ exemplo dicendum eſt. ¶ Secundus caſus eſt cum lex verbis geminatis præter vniuerſalem dictionem vtitur: nam tunc de his, qui idonei non ſunt, & conſequenter in quibus ratio legis aliquo modo ceſſat, lex adhuc obſeruatur. Quapropter ſi ſtatutum ſit, vt quicunque quoquomodo aliquem occiderit, occidatur non diſtinguemus dolo an culpa necauerit, in ſui tutelam, vel ne: & ita Salic. ſenſit, *l. 2. C. de noxal.* Idem, quando ſola dictio vniuerſalis adeſt, & ſuper actu iam conceſſa diſponitur. tunc enim non reſtringimus ad idoneos, ne alias diſpoſitio eſſet ſuperflua, vt cùm Iuriſc. dixit, nunciationem omnibus diebus fieri poſſe *l. 1. §. nunciatio. de oper. noui nunt. ff.* intelligitur etiam feriatis: cùm iam ex prætoris edicto nunciato permittetur. Idem etiam ſi de nouo actu agatur, dum tamen de re ad exemplum fauore publico pertinente, tractetur. Quapropter ſi ſeruus necem domini vltus fuerit, ex Sc. libertatẽ acquirit, tametſi aliàs ad libertatẽ peruenire prohibeatur. *l. 3. §. 1. & ſeq. ff. ad Sylla.* Atq; hæc communiter recepta ſunt, & in his ſibi locum vendicant, quæ iure ciuili non ſatis admitterentur. Quòd ſi impedimẽtum iure naturali, vel gentiũ ſit, tunc ſemper lex quibuſcunq; verbis cõcepta ſit, reſtringitur, & de eo iure idoneis intelligitur. Promittendo dotem (inquit lex, *l. promittendo. de iur. d. ff.*) omnes cuiuſq; ſexus conditioniſque ſint, obligantur: reſtringitur dummodo ætate ſint idonei, quia alias naturale impedimentum obſtaret. Quapropter ſupra ſcripta lege homicidã puniente, putauerim in eũ non animaduerti, qui in ſui tutelã occiderit, quoniã id iure naturali permiſſum eſt, nec in hoc Saliceti ſentẽtiam ſequor. ¶ Tertius caſus eſt, quoties lex aliquid pro forma obſeruari cõſtituit certa ex ratione: nam, ea ceſſante, adhuc obſeruãda eſt forma, alias perperã agitur. Quapropter ſi minor fundũ ſterilem abſq; prætoris auctoritate vẽdat, vẽditio eſt nulla. *l. ſi fundus. de reb. eo. ff.* Sic Eccleſia etiã ſi vtiliter, & ex re ſua diſtrahat, tamẽ cõtractus eſt nullus, niſi forma à lege in huiuſmodi alienationibus requiſita ſeruetur. *c. 1. de reb. eccleſ. in 6.* Cuius rei hæc eſt ratio, quòd ea quæ ad rigorẽ iuris cõſeruandũ conſtituta ſunt, ad vnguẽ obſeruari debẽt, nec aduerſus eorũ omiſſionẽ cuiquam ſuccurritur. *Bald. l. iuris. C. qui adm.* Habet aliquid ex iniquo (inquit C. Caſſius apud Tacit.) omne magnũ exẽplum, quod cõtra ſingulos vtilitate publica repẽditur, nam & fuſo exercitu, cùm decimus quiſq; fuſte feritur, etiã ſtrenui ſortiuntur. Putauerim tamẽ ſi ea forma non publico, ſed priuato tantùm fauore, introducta ſit, aliud dicendũ. Quapropter licet de alimẽtis futuris ſine decreto trãſigi nõ poſſit, ſi tamen tranſactũ fuerit, vtiliterq; creditor egerit, ratã eam trãſactionẽ prætor habet *l. cum h. §. eam. de tranſa.* Idẽ credendum, cùm ratio formæ correcta eſt. Quocirca quãuis nepotẽ ex filio emãcipato patet in teſtamẽto inſtitui oportere, vel exheredem facere cogeretur, *Inter cetera. de libe. & poſth.* idq; pro forma traditum eſſet, tamen hodie impune præteribit, *Bart. l. Gallus. §. & quid ſi tantum ff. de lib. & poſth.* cum ratio legis ſit correcta, quoniam emancipationis patriæque poteſtatis differentia nouiſſime ſublata eſt.

¶ Exceptis igitur iſtis caſibus adhærendũ erit regulæ, vt lex generalis, ceſſante ratione, reſtringatur, cuius aliquot exempla proponemus. Lex mandat, fratres, filióſq; eorum, qui principẽ occiderint, ad ſuppliciũ duci, nõ cõtinebitur is frater, qui cũ homicida capitales inimicitias exercebat, idq; Decius

cius teſpoodit,*conſil.*60.hæc enim lex etiam proximos gladio inſequitur,vt hoc terrore dum ſuorum ſaluti proſpiciuot,tyrannicidæ abſterreantur: veriſimile autem non eſt quenquam eius ſaluti voluiſſe conſultum,cui inimicitias denuntiauerit. Lex iubet,qui ſanguinem in palatio fuderit,centum ſolidis mulctari,non contioebitur chirurgos (vt dixi) neq; tonſor,qui nouacula ſummam cutem inciderit,lex conſtituit quenconque,cuiuſuis conditionis teſtari poſſe.*l.1.C.de ſacroſ.eccle.*intelligitor de eo qui naturæ vitio oon impeditur,meritò nec furioſus,nec pupillus poterunt teſtari. Lex ait,Contra inſtrumentum vel ſententiam nulla eaceptio admittatur,non cenſetur reiecilſe niſi friuolas exceptiones.*l.ita nobis.C.de adult.* ne aliàs graue damnum alicui inferatur, & contra ius naturale creditori bis idem ſoluatur. Accedit etiam,quod io mandato videmus:quamuis enim generalibus verbis conceptum proponatur, ad ea tamen non extenditur, quæ non niſi ſpeciali iuſſione demandari ſolent.*c.qui ad agendum.de procur.in 6.* Lea, quæ in ſucceſſione, agnatos cognatis præfert,intelligitur de agnatis maſcolis, cnm appareat ita fauore agnationis conſtitutum, quæ licet in fœminis ſit, tamen cum eis extinguitur. Lea,quæ ſtantibos maſculis,fœminas excludit,intelligitur ſi maſculi velint,vel poſſint ſuccedere, alioqui non obſtabunt fœminis. Quæ dat præmium exulem capienti, intelligitur,& eum magiſtratibus exhibenti, alioqui fruſtrà diceretur captus, & hæc quidem eaempla ſufficiant. ¶ Reſtringitur autem diſpoſitio legis plerunque, non quod eios ratio penitos ceſſet, ſed quòd alia contraria ratio id ſuadeat, quæ efficacior ſit: coius rei perfectam doctrinam qni tradere vellet, eum oporteret quorumcunque caſuum rationes omnes perſpicere, & eis ceu in trutina poſitis,perſcrutari quæ præualeant,quod ego ſupra humanas vires eſſe arbitror. Meritò igitur inſigniores tantummodò,frequentioréſque aliquox modos referemus,vnde ad alios,ſi qui occurrent,diſcernendos via ſtudioſis patere poſſit. ¶ Et in primis frequens is eſt modus,cùm interpretatione diſpoſitio reſtringitur, ea ratione quòd debeant ciuiliter, & ſecundum ius interpretari. In qua re duplex eſt tractatus, alter qoid io hominum, alter quid in legum diſpoſitionibus. Primò ergo de hominum actione videamus, & in hoc generaliter à maioribus tradita regula eſt. Vniuſcuiuſque verba ſiue in contractibus,ſiue in teſtamentis, ad diſpoſitionem iuris referri debere:quoniam quilibet ſecundum leges ſiue Quiritium,ſiue municipales agere voluiſſe præſumitur.*l.quidam.de verb.oblig.* Id pronunciatum quatuor ſectiooes recipit.Prima eſt,cum diſpoſitionis legis verba ex proprietate cõueniunt, licet mens alia præſumatur, tunc ſtamus verbis: quoniam coniectura mentis verborum proprietati ſuccumbit.Et ideo fideicommiſſo(ſi vterque heredom ſine liberis deceſſerit,) fœminæ relicto,priore cum maſculis mortuo, licet io alterius vltimo loco decedentis partem eam admittator, tamen ſi ex lege municipali,eaiſtentibus maſculis,fœminæ exclnderentor,fideicommiſſo locus ooo eſſet. *Bart.l. heredes.§.cùm ita.ad Trebell.* qooniam fœmina hic ex præſumpta mente aduerſus vim verborum admittitur,quæ præſumptio propter legem ceſſat:videtur enim ex legis ſuæ ſententia teſtator voluiſſe fœminas, ſtantibus maſculis,admitti atque ita communiter traditum eſt. Eadem ratione propter eandem municipij legem receptum eſt,ſi pater filios ſuos inſtituat,de maſculis tantum intelligi. *Bal. l.tres fratres.de pact.ff.*quamnis enim appellatione filiorum etiam fœminę contioentor,id non ex ſermonis proprietate,ſed per interpretationem ex præſumpta mente introductum eſt,quę præſumptio per coniecturam ſtaturi tollitur,& à proprietate verborum non recedimus. Et ideo quidam,duobus filiis inſtitutis, cùm fideicommiſiſſet, vter eorum ſine filiis decederet, ſuperſtiti reſtitueret eum,qui relicta filia deceſſerat. reſpondit Dinus,ad reſtitutionem teneri.*Felinus cans generale.1.diſtinct.* quooiam appellatione filij,hoc caſu propter legem municipij non comprenderetur fœmina. Quæ ſententia nobix quoque placet,maaimè ſi appareret teſtatorem etiam propriam filiam excluſiſſe,vt maſculos tantum inſtitueret. *Paul.conſil. 410.caſus iſte frequen.* Secunda ſectio eſt: Quoties ſermonis proprietas repugnat,ad eam potius attendimus,quàm vt imitatione legis quicquam factum arbitremur. Quapropter qui fratrem & eius filios heredes inſtituit, ſimul eos propter coniunctæ naturam vocaſſe creditur.*l. Raynutius.de teſt.*quamuis ea diſpoſitione legis in ſucceſſiooe prius pater quàm filij admittantor. Qua ratione eadem municipio cùm lea adſit, ſi pater filios & filias inſtituerit, receptius eſt ſimul mares & fœminas admitti: quod Paul.Caſtrenſis & Socinus probant,*l.in his.de cond. & demonſt.ff.*tametſi Aocharanus *d.l.tres fratres.*prius maſculos,deinde, eis non exiſtentibus,fœminas iuxta legis ſeriem vocari crediderit. Si tamen vltra legem municipalem aliæ cooiecturæ addocantur,ruuc aliter ſtatuendum eſſet: veluti cùm præter legis,aut natoræ ordinem, etiam inſtitutioois neceſſitas hoc ſuaderet, vt in parte filium & nepotes ex eo inſtituente. *l.Gallus.de lib.& poſthum.* Idem dicendum quoties interpretatio fieret circa verba ei non præiudicantia cum quo contrahitur, & quæ ſoi natura ad terminos iuris referuntur:veluti cùm quis fundum emphyteuticum ſibi,& filiis ſtipulatur.oam exiſtente huiuſmodi lege,quæ mares in ſucceſſione fœminis præferat, etiam ſi pater ſibi & filiis maſculis & fœminis ſtipulatus ſit,admittentur tamen prius maſculi.*Bart.l.liberi.de oper. lib.*qnoniam pater filiis ſtipulando cenſetur vti heredibus ſtipulatus:at ex lege heredes ſoli ſunt maſculi. ¶ Tertia diſtinctionis ſpecies eſt,cùm verba generaliter concepta ſont, num fiat reſtrictio, & intentio à lege reguletur? qui caſus maximè ad rem præſentem pertinet, & hìc ooo modica eſt dubietas. viderentur enim reſtringenda, idque Anton.Burrius ſeoſit, *conſil.2.de conſtit.* dom vocatis à teſtatore per fideicommiſſum proximioribus deſcendentibus,quę verba etiam propriè fœminas continent, ipſe reſpondit: ſolos mares admitti,propter ſupraſcriptam municipum legem: nam etſi lex ſcripta ſit,vxore ſine liberis decedente,maritus dimidiam dotis partem lucretur, pater qui à marito ſimpliciter ſtipulatus ſit dotem reddi,de dimidia ſolum iotelligetur egiſſe: idq; Raynutius probauit, & plerique alij.*l.poſt dotem.in 4.lect.ſol.matr.*Eodem cõfert,quod conſtitutũ eſt,heredẽ,qui legata ſoluere generaliter promiſit,cauitq; intelligi deducta Falcidiæ legis parte promiſiſſe,nõ integra.*l.fi.C. ad l.Fal.*Videti igitur propter diſpoſitiooẽ legis,generalẽ promiſſionẽ arctari? Sed tamẽ nõ arbitror

à verb

à verborum proprietate regulariter hoc caſu recedendum:quod enim de toto dictũ eſt,non poteſt ad partem reſtringi, citra manifeſtam ſtipulatoris iniuriam, niſi quando verba ad ius expreſsè relata fuiſſent,vt quia eam dotis reſtitutionem tibi facere promiſiſſem,quę iure facienda eſſet.*glo.l.ſi prior. ſol.matr.*Idem quando verba eiuſmodi ſunt,vt ad ius referantur,qualia ſunt in eo,quod Anto.Butri. dixit, cùm quis proximiores deſcendentes vocat: intelligitur enim collectiua illa vox,vt eo ordine ſuccedant,quo ea lege admittuntur. In promiſſione verò legatorum ideo ſubauditur ſalua Falcidiæ portione,quia cùm eiuſmodi ſponſio iuſſu legis fiat,non eſt veriſimile neceſſariò promittentem velle ius ſuum donare: ſi tamen ea natura contractus quicquam actum creditur, non eſt dubium ea ea fieri reſtrictionem. Vnde ſi locator conductorem intra quinquennium non eiicere promiſit, intelligitur conductore penſionem ſoluente,*l.quæro.§.inter locatorem.ff.locu.*natura enim contractus etiam proprietati verborum præpollet.*l.inſulam.de præſcrip.verb.* ¶ Quarta ſpecies eſt, cùm nec verba nec mens quicquam repugnant, ſed caſus eſt omiſſus, & tunc non eſt dubium ad diſpoſitionem legis referri. Vnde qui promittit ſoluere centum,intelligitur de moneta à lege permiſſa:qui domum conducit,intelligitur ſecundum morem patriæ conduxiſſe:qui,quod vocant,feudum acquirit, in ea omnia ſe obligaſſe iudicabitur, quæ ex eius contractus lege domino ab huiuſmodi clientibus debentur. Et generaliter verum eſt quod Bald.ſcripſit,*l.ſi duo.de acquir.hered.*qui aliquam actionem ordinat, is legi de ea verba facienti ſe adſtrinxiſſe videri debet. ¶ Sequens tractatus de plebiſcito municipali, quando iuxta antiquiores leges reſtringi debeat,& regula eſt,debere:quoniam ſtatuta ſecundum ius commune interpretationem accipiunt.*l.2.C.de noxal.*Et quoties ſtatutum de aliqua re,perſona,loco,verba facit,de idoneo & habili ex iuris communis diſpoſitione intelligitur. *l.vt gradatim.§.1.ff.de mun.& hono.*Qua ratione ſi lex,vel ſtatutum de aliqua re argumẽtetur & decidat,reſpectu cuiuſcunque alterius impedimenti aptitudinem præſumemus.Bal.*l.qui teſtamento.de teſtamen.* Ex hac regula quamplurimæ quæſtiones finiri poſſunt. Lex ait:Inſtrumenta,niſi intra menſem apud cenſorem inſinuentur,fide careant,non nocebit alienigenis ignorãtibus,cùm hiſce terminos non,niſi à die ſcientiæ,iure communi labatur.*l.genero.de his qui not.* Rurſus lex: Exules & quicunque ſolum verterunt, impunè reuertantur: qui ob falſi crimen cauſat, reuerti nequibit, quoniam iure communi generali abolitione de his actum non videtur.*l.Lucius.ad S.C.Turp.* Item lex:Qui cuiuſque poſſeſſionem intrare,vel apprendere auſus fuerit,ſoluat pœnam: non videbuntur in eam vindemiatores,fœniſecæ, meſſores, huiuſmodique artifices commiſiſſe, gloſſ.*l.in rem.§.tignum. de rei vend.* qui alieno iuſſu ingreſſi ſunt,ſed auctor ſolus plectetur. Item lex:Qui ſibi debitum æs decennio non exegerit, tempore excluſus eſt: qui agere ſuumque ius petere non potuit, legis præſcriptione non ſubmouebitur. *l.fin. C.de ann.exce.*Item lex:Heres hereditariis creditoribus ſolidum ſoluat,intelligetur niſi inuentarium confecerit. *l.fin. C.de iur.delib.*Rurſus lex: Inſtrumenta publica etiam miſſo in neruum carcerémque debitore,executionem habeant,non cenſebitur prouidiſſe, quò minus cedere bonis addictus poſſit. Bald.*l.1.C.qui bo.ce.*Item lex:Victus,victori cenſeatur in expenſis condemnatus:intelligit Fulg.*conſi.* 5.niſi iuſtam cauſam litigandi habuerit.Lex ait:Vxore præmortua maritus lucretur dotem,intelligitur ſaluo iure liberorum prioris matrimonij:non enim per hanc tam generalem verborum formulam cenſeri debet illis quicquam damni illatum.Bart.*l.hac edictali.C.de ſecund.nupt.*Sed quid ſi lucro ea ex lege facto maritus ad ſecundas nuptias tranſierit,an huiuſmodi lucrum filiis quos ex priore vxore ſuſtulit,reſeruare tenebitur? Et licet generalitas legis aliud ſuadeat, tamen receptius eſt reſeruare debere. *l.fœmina. C.eod.tit.* niſi conſtet non contemplatione matrimonij aut filiorum ita à lege conſtitutum,Dec.*auth.ſi qua.eo.tit.* ſed potiùs vt ſpe lucri ad vxores ducendas viri allicerentur: quæ coniectura ex aliis quoque ſtatutis deprendi poteſt.Lex ait:Omnia inſtrumenta inſinuentur,ſi id factum non fuerit,nullius ſit momenti:non comprendet inſtrumenta dotium,cùm ſpeciali dotis fauore iure veteri inſinuatio in his ſublata ſit.*l.ſi.C.de iure dot.* Lex mandat ſtari iuramẽto eius,qui damnum paſſus ſit:poterit nihilominus iudex taxare,ad quam vſque ſummam iurari debeat. Angel.*l.videamus.§.deferre.de in litem iur.*Lex inquit:Homicida quod fecit,expectet.& qui occidit,occidatur, reſtringitur,ſi dolo tamen occiderit.*l.in lege.ff.de ſica.*Lex enim Cornelia,quæ in ſicarios eſt lata,non niſi in eum qui dolo malo cædem patrauerit,locum habet.Iaſ.*l.in actio.de in lit.iur.*Lex ait:Suſpectus perpetrati facinoris in ius veniat, alioquin exulet: veniat intelligitur & perſiſtat: quia lex antiqua non veniſſe eum interpretatur qui non perſiſtit.*c.1.de iud.in antiq.*Lex inquit: Prætor controuerſias arbitratu Iuriſconſulti communi partium conſenſu electi definiat: intelligitur de controuerſiis, in quibus probabilis ſit ambiguitas: claras enim ipſe, nemine conſulto, decidet. *l.ille.§.1.de leg.3.* Lex: Prætor agnatos ad compromiſſum cogat,intelligitur, ſi aliqui litigatorum petierint: nec enim non petenti ſe prætor exhibet.*l.1.§.ſi.de iur.delib.*quod & in ea lege pluries reſponſum eſt, quæ alienigenam ſatiſdare iubet: intelligitur enim ſi cautio petita fuerit. *l.peto.§.fin.de leg.2.* Lex Tarraconenſis Res immobilia aliqua ne alienato:poterit nihilominus pro dote ab vxore accepta immobilia alienare,cum de hoc caſu lex communis actum non fuiſſe exiſtimet:Anthen.*res quæ.C.com.de leg.* Lex:Debitor ſoluere non teneatur,niſi reſtituta ſibi ſyngrapha:non comprendetur qui ſyngrapham amiſiſſe iurauerit,dum acceptilatione,vel antapocha liberare debitorem ſit paratus.*l.fin.C.de fid.inſtru.* Lex: Quiſquis triticum,vel vinum extra territorium aduexerit,plectatur:qui non in territorio, ſed aliunde acceptum aduehat,nó punietur.*l.cætera.§.ſed ſi quis.de leg.1.* qui item vinum guſtus cauſa abſportauerit, impunè fecerit quod & in eo,qui vſus ſui cauſa abſportet, reſponſum eſt. *l.1.C.quæ res expor.* Lex:Negotiatorum codicibus integra præſtetur fides,intelligetur in his,quæ ad negotiationem pertinent. Lex filij mercatorum ab his, quibus pater debet,conueniri poſſint: intelligitur, ſi patris heredes eſſe voluerint,idque Bal.probat,*l.de quibus.de ll.* Lex: Mulier abſque conſenſu agnati contrahere vel donare nequeat:poterit eccleſiæ donare,& alio modo in piam cauſam transferre.Bal.*l.generali.*

rab.C.de ſacroſ.eccl. Lex:In grauibus delictis triumuiri capitales liberè inquirant : non poterunt tamen,niſi præcedente fama, vel legitimis indiciis.*c.1.de offic.ord.* Lex:Ob cõtumaciam exul poſſit impunè occidi.*l.ſi cui.de ſeruit.*aliquis eum armis occidit, quæ licitè ferri non poterant:reſponſum eſt, legem prohibentem arma deferre,ſibi locum non vendicare,cùm quis fert,vt talem occidat. Nel.*in tra.bannit.in 3.temp.*quod vtique faceret,ſi exulem lex,ceu hoſtem publicum iuberet occidi:Sed aliud eſt iubere fieri,aliud pœna facientem liberare. Lex:Mortuo ſuccedant proximi conſanguinei paterni,deceſſit aliquis,relicto conſanguineo vtrinque coniuncto,itémque altero ex patre tantùm : Ancharanus vtrinque coniunctum admitti ſolùm cenſuit exemplo Iuſtinianæ conſtitutionis.*Authent. itaque.C.commun.de ſuc.* Mihi videtur vinculum paternum in ſtatuentium cõſideratione ſolùm fuiſſe,quapropter non temerè à verbis legis recederem.Lex mulier dotata nõ ſuccedat:intelligetur, ſi ipſi qui dotem dedit,idque de ſuo.Bald.*l.1.C.de leg.her.*Quid ſi negat nubere,& mauult caſta viuere:Reſpondeo,non ideo magis ſuccedet cùm per eam ſtet, Bal.*l.mater.C.de iur.dot.* quo minus dotata dicatur.Bal.*l.pactum.C.de coll.*Quid,ſi qui dotem dedit ſtipulatus fuerat eam ſibi reddi? & cùm appareat propter dotem eam excludi,ſuccedet,niſi heredes mulieri ipſi ſtipulationem remittant. Bal.*l.fi.C.de dot.pro.*Quid,ſi minimam dotem conſequuta ſit?Reſpõdeo,nihil refert,cum agere poſſit,vt congrua aſſignetur.Dec.*authent.præterea. C.vnde vir & vxor.* Lex : Nepos auo paterno, quantum ſit reſpectu legitimę,ſuccedat,niſi quando eius hereditati renuntiatum ſit:reſpondi ſecundum ius commune intelligi.Alexand.*d.l.pactum.*& ideo,ſi,viuo patre, mater deceſſerit, eius renuntiatio filiis non oberit. Lex:Publico documento debitor ſoluat,nulla exceptione obſtante : poterit nihilominus obiici illud non eſſe publicum inſtrumentum,*l.non putauit.§.non quantis.ff.de bon.poſſeſ.con.tab.* actorem pugnantia inuicem dicere , vel legitimam perſonam ſtandi in iudicio non habere : quia pupillus aut furioſus, abominatúſque eundem dolo malo petere inſtrumentum falſum eſſe,vel ſe non legitimè citatum,vel vi, aut metu contraxiſſe, vel ſimulatum fœnebrémve contractum, vel iudicem incompetentem, vel ſe ſoluiſſe : idque manifeſtum eſſe, vel incontinenti probaturum. Admittetur & exceptio ex contractu veniens:vt ſi venditor pretium petat,ego rem mihi traditam negem:itémque quęlibet alia exceptio ex alio ipſius legis capite deſcendens. Modeſtin.*c.ex parte.2. de offic.deleg.* ſed hæc ſatis & ſuper.

§ Quod diximus ſtatuta ſecundum leges declarari,reſtringíque quibuſdam caſibus non procedit,veluti cùm verba legis municipalis tam ampla ſunt,vt commodè & citra manifeſtam cauillationem reſtringi non poſſint:vt cùm lex dicit,Maritus,decedente vxore omni caſu lucretur dotem ſibi datam; dictum eſſet reſtringere,vt ſaluum ius filiorum prioris matrimonij cenſeretur.Roma.& Dec.*d.auth. præterea* Idem diceret,Maritus decedente vxore ſine liberis communibus lucretur dotem : quorſum enim hic mentio liberorum communium,niſi vt qui communes non ſunt reiiciantur?Nam & receptiſſimum eſt,ſi ſtatutum aliter nihil operaretur ſecundum legem non reſtringi. Quo fit,vt ſi conſtitutum ſit,poſſe reum perſonaliter vel ad domum citari, arbitrio actoris permiſſum, verum malit intelligamus, nec diſtinguatur, perſona reperiri poſſit,vel ne, cùm hac diſtinctione admiſſa, nihil iuri communi adderetur,ſed ſuperfluum eſſet.Bart.*l.4.§.prætor ait.de damn.infect.*Nam etſi victum victori in expenſis eundem dari iubeat,intelligemus etiam ſi iuſtam cauſam litigandi victus habuerit , ne aliàs fruſtra ita conſtitutum ſit , *l.ſi quando de leg.1.* nec vlla iniquitas ſubeſt, Iaſon. *l.properandum.C. de iudic.* cùm victus de damno vitando & ipſe agat, cui æquius eſt ſuccurri. *l.ſi ſeruum. §.ſequitur. de verb.oblig.* Eodem pertinet quod Bart.cenſuit,ſtatutum quo diſponitur ex præſcriptione, dominium acquiri,de directo dominio intelligendum,vt aliquid iure communi addere videatur. Bart. *l.3.de vſucap.* Quo argumento cum latis tribus ſententiis cõformibus ſtatutum non pareretur eas tanquam nullas improbari,reſpondit Andreas Siculus.Bart.*conſil.18.in fin.l.1.* hoc intelligendum, etiam ſi euidenter id conſtare diceretur,cum etiam iure communi exceptio huiuſmodi ſublata ſit. Aretin.quoque *conſi.106.incip.in præſenti dubitatione.*cùm in ſtatuto diceretur à nulla mera interlocutoria appellari poſſe , etiam de eis intelligendum cenſuit , quæ aliàs iure ciuili per appellationem retractari potuiſſent,Bar.*d.l.1.§.nunciatio. verſ.ad ſecundum.de oper.no.nunt.*generaliter quoque proditum eſt,quoties in ſtatuto rei iure communi iam conceſſæ extenſio ponitur, nullam fieri reſtrictionem:quoniam hoc caſu proditum ſit, generalia verba ad aptitudinem non coarctari:quapropter ſi ſtatutum dicat, aduerſus ſententiam nulla exceptio opponi poſſit,præter talem & talem , à verbis recedendum non erit,quæ clara ſunt,& ex quibus aperte oſtenditur,noluiſſe legiſlatorem ius commune ſequi:quod à Baldo traditum frequentius receptum eſt.*l.ita nobis.C.de adult.*ſeruanda enim lex eſt,tametſi dura, & quicquid lex communis dicat,à municipali non recedendum eſt.Eandem ſententiam alia quoque ratione idem Bal.in hac ſpecie ſequitur.Ex lege municipali inducuntur certæ feriæ,num ex caſibus, quibus feriæ iuris communis non ſeruantur, hæ quoque ſeruari non debeant?& refert,inquit ille,*in l.1.§.fi.de feriis.*an lex ſimpliciter indicat ferias,& intelligetur ſecundum ius commune:an verò procedat vlterius quaſdámque exceptiones inducat , & non reſpiciemus ius commune , cum in caſibus non exceptis ſtandum ſit ſtatuto : quoniam regulam confirmat exceptio. *l.tribunus.§.fin.de teſt.milit.* Hanc ſententiam & ipſe ſequor, dum tamen ſciamus hoc caſu regulam ipſam latiorem ſignificationem ex iure communi mutuari,vt in hac quęſtione. Lex ſacerdotij:Abſentes nec reſidentes,fructus non percipiant,præter infirmos & pontifici Romano deſeruientes : quid de eo,qui proprio epiſcopo obſequatur? & is fructus percipiet, quoniam iure communi abſens non videtur. *c.ad audientiam. de cle.non reſi.*& ideo in regula ſtatuti non cenſetur comprehenſus.Iaſon tamen in his alia ratione vtitur:nam inquit ipſe,cum regula ſtatuti generaliter intellecta, multum operetur, debet exceptio reſtringi : quandoquidem parum refert , ſi quæ incidenter dicuntur , ſuperfluant dum principale otioſum non ſit. Iaſon.*l.1.de offic.eius. cui mand.* § His amplius addendum, ſtatutorum generalia

verba

verba ſecundum legem non reſtringi, cùm ea iuris communis diſpoſitio, non tam effectum reſpicit, quàm formulam verbalem: vt cum ſtatutum auget filiorum legitimam, quam iuberet relinqui filio, exiſtimabitur ſufficere quoquo titulo relinquatur, etiam ſi nõ inſtitutionis iure pater reliquerit: Bal. *l. maximum. C. de liber. præt.* idque verum arbitror, quoniam non tanti eſt ratio quæ Iuſtinianum mouit (nempe quòd titulus inſtitutionis ſit honorabilior) vt tam modica cauſa generalitas ſtatuti reſtringi mereatur. Nam etiam illud in confeſſo eſt, ex iuris communis extraordinariis diſpoſitionibus ſtatuta non reſtringi. Exempli cauſa: Lex iubet matrem ab agnatis excludi, nunquid à ſororis filio excludetur, qui iure quodam commentitio agnatus eſt? *l. meminimus. C. de leg. hered.* & traditum eſt non excludi, nec de eo verba ſtatuti accipienda. Iaſ. *l. omnes populi. in fi. de iuſti. & iur. ff.* Qua ratione nec ab eo quidam iure reſtrictio ſumetur, quòd maximè controuerſum ſit. Quapropter cùm lex maritum vnà cum filiis prioris matrimonij generaliter in maternæ dotis ipſius partem ſolùm admitteret, reſpondi non eſſe priùs deducendam à filiis ipſis legitimam, cùm id maximè controuerſi propter doctorum varias opiniones iuris eſſet. Decius *conſil. 247.* cuius non eſt veriſimile rationem vllam habuiſſe decuriones. Baldus tamen alia ratione prædicto in ſtatuto legitimam quoquo titulo relinqui poſſe cenſuit, quòd videlicet ſtatutum iuris correctorium ab eo interpretationem accipere non debeat. Quam rationem crebriore calculo reprobari conſtat, cùm ſemper ius commune obſeruemus, præter quam in eo quod expreſsè conſtat correctum. Ex ſupradictis igitur Baldi ratio diſtinguenda fuit. Generaliter tamẽ omnis huius materiæ cardo in eo verſatur, vt legis municipalis rationem ſpectemus; & ex ea veriſimiliter conſtituamus, ex iure communi reſtringenda ſit, an id minus. Et ideo in pleriſque locis, vt ſimpliciter cõſtitutum eſt, maritum vxore mortua lucrari dotem, excluduntur filij prioris matrimonij, nec fit vlla reſtrictio, eo colore quòd ratio ſtatuti fuerit, vt promptius mulieres nuberent, Cott. *conſil. 78.* cùm alioquin viduæ propter legale onus doti inhærens, *d. l. hac edictali.* viros æquales facilè non reperirent. ¶ Et ex his ſatis dilucide explicuimus, quibus caſibus ſtatuta à iure communi reſtringi non debeant. Hoc tamen non omittendum, vbicunque aliquis ex generalitate ſtatuti damnum indebitè pateretur, ſemper reſtrictionem ad ius commune faciebam. Ecce, lex ſcripta eſt, Inſtrumento à ſe facto nullus aduerſum eat, nec heres quidem non cenſebitur prohibitus heres aduerſum ire, qui inuentarium fecerit: quoniam iniquum eſſet de ſuo eum teneri, indebitéque id damni ſubire: quamobrem fit hęc interpretatio, vt lex huiuſmodi potius ſit eluſoria, quàm vt iniquitas vlla toleretur. *l. fi. §. in computatione. C. de iure delib.* Nam generaliter fatendum eſt, quamlibet diſpoſitionem in legibus, reſcriptis, teſtamentis, contractibus, coarctari, ne iniquitas aliqua introducatur. ¶ Nec ex hoc ſolùm, ſed aliis & ferè infinitis cauſis fiunt huiuſmodi reſtrictiones, quarum alia certa regula adſcribi non poteſt, niſi vt iudex ſemper rationem legis præ oculis habeat & ex ea vel decretum moderetur, vel generaliter obſeruari iubeat. Duximus autem ex innumeris aliquas cauſas deſcribi operæ pretium fore, vt hac quoque in re ſtudioſorum laboribus conſuleremus. Hæ vt plurimum ex huiuſmodi prædicamentis conſiſtunt perſona, re, qualitate, quantitate, loco, tempore, bono, malóve, iuſta excuſatione. de ſingulis igitur videndum. ¶ Et in primis ex perſona propter excellentiam à regula generali recedi quandoque videmus, quapropter lex iudicibus mandans vt ipſi ſententiam ſuam ex ſcripto pronuncient, *l. 2. C. de ſent. ex breui. reci.* in his ſibi locum non vendicat, qui excellenti dignitate præpolleant, vt præfectus prætorio, vel epiſcopus. Nam & conſtitutum eſt, in generali excommunicationis ſuſpenſioniſve ſententia, qui pontificiæ ſunt dignitatis non comprehendi. *c. quia periculoſum. de ſent. excommu. in 6.* plurima enim illuſtribus, dignioribúſque huiuſmodi conceſſa ſunt, quæ inferioris gradus viris non permittuntur. Qui dignitate illuſtri pollet, non niſi ex ſcripto in ius vocari poteſt. *l. quoties. C. de dignit. lib. 12.* per procuratorem etiam in cauſa criminali litigat. *l. fi. C. de iniuriis.* Qui cingulo militari decoratur, ex delicto ſuſpendi nequit, cùm huiuſmodi pœna ſoli plebeij afficiantur. *l. deſerterem. §. pœna. de re milit. ff.* Is etiam ſi aduerſus eum aliquid indicij emerſerit, quæſtioni ſubiici non debet. *l. milites. C. de quæſt.* Doctor vel medicus ob æs alienum, vel munus aliquod in carcerem detrudi non poteſt. *l. ne quis. C. de aduoc. diu. iudic.* Si lex in mulierem compromitti prohibens, eam non comprendet: quæ excellenti dignitate ſplendeat. *c. dilecti. de arbitris.* Hinc fit, vt in generali vicarij mandato ea poteſtas conceſſa non videatur, quæ illuſtrem perſonam ſubmouere poſſit. *c. 2. in fi. de offi. ord. in 6.* Vnde nec archiepiſcopi vicarius epiſcopum iudicabit, nec municipij poteſtas ius in ſenatorem dicet. quòd ſi quis ius in illum decernendi habeat, mitigare tamen in pœnam tenebitur, eiúſque honori (quantum in ſe erit) deferre. *c. 2. de off. deleg. in 6.* Quod tamen in pœna corporali intelligitur: nam in pecuniaria nobiliores grauius plebiis mulctantur. *l. properandum. §. ſin autem vterque. C. de iud.* Cæterum & ad hæc pertinere videntur, quæ propter concedentis amplam dignitatem indulta in iure reperiuntur. Ecce in albo potiores partes habent, qui & tempore priores fuerunt: niſi tamen maiori dignitatis excellentiâ præpolleat, qui poſteriorem elegerit. *l. 2. de albo ſcrib.* nam & in ſacerdotiis in ambiguo prior præſumitur, iſq; cæteris præfertur, quem Romanus Pontifex deſignauit. *c. ſi à ſede. de prębendis, in 6.* Quod etiam aduerſus iam receptum in Canonicorum ordinem extenditur: is enim nihilominùs propter Pontificis auctoritatem illi cedet. *c. ſi is qui auctoritate. eod. tit.* ¶ Propter excellentem quoque ſcientiam à communibus iuris regulis recipimus: vnde quamuis doctor extra patriam ſuam profitens ab onere tutelæ in patria non ſit immunis; ſi tamen valde in diſciplina emineat, vt reſcripto diui Pij excuſabitur. *l. ſed & reprobari. §. amplius. de excuſ. tut.* Sic ex delicto ad beſtias damnatos, propter ſingularem artificij ſcientiam ad preces populi ex indulgentia principis poterit veniam conſequi. *l. ad beſtias. de pœnis. ff.* Sic edictum prætoris minori 25. annis reſtitutionem in integrum concedens, in minore ſummæ peritiæ & perquam induſtrio non obſeruabitur. *l. 1. ff. qui & aduerſ. quos.* an ipſo iure excellẽs ſcientia proſit, an verò ſolùm iuſtam principalis indulgentiæ cauſam præſtat? Et puto principem adeundum: ſicut videmus illegitimum

abſque

abſque Pontificis Romani diſpenſatione in epiſcopum eligi non poſſe, tametſi tali excellentia polleat *c. innotuit. de elect.* quod & in eo conſtitutum eſt, qui duplex ſacerdotium propter doctrinæ ſummam peritiam poſtulat. *c. de multa in fi. de præb.* ſtandum enim in hoc quoque regulæ eſt, niſi ſummus Pontifex eum exemerit, quantum tamen ſit reſpectu excuſationis à tutela, aliud obſeruabitur: quoniam diui Pij reſcriptum in corpore iuris comprenſum eſt. ¶ Propter indolem quoque & ſpem futuram huius doctrinæ multa contra regulas recepta ſunt: quapropter traditum eſt eos, qui optimi ſint ingenij, poſſe ad doctoratus (vt vocant) apicem promoueri, Innoc. *c. cum in cunctis. de elect.* tametſi adhuc non multum profecerint, ſi ſpes futuræ diligentiæ ſubſit. Cui non abſimile, legum candidatum ſtudioſum & bonæ ſpei, imperito Doctori præferendum eſſe: gloſ. *l. 1. C. de ann. ciuil.* in quo tamen poteſt diſtingui, vt priuilegia Doctoribus conceſſa eorum perſonam reſpicientia indoctis non competant: quapropter ſibi obſtrepentem vicinum fabrum domo non eiiciet: Iaſ. *l. 1. in fin. ſol. mat.* ab oneribus immunis non erit *l. 1. C. de colleg.* quòd ſi ad ordinem ipſum pertineat, ſecùs eſt. Non ſubiicitur ergo Doctor quæſtioni, quoniam inde nota & dedecus in eius dignitatis cæteros viros ſuborietur. *l. 1. C. de tyro.* Ead. ratione putauerim in ſ. ſcripta q. debere ſcholaſticum ei de via decedere cùm cæterorum id propter populi opin. interſit. Fel. *c. clerici. de iudic.* ¶ Propter vitæ integritatem, & ſanctimoniam auctoritatémque hominis à regulis communibus quandoque recedimus, Iaſ. *l. iubemus. C. de iudic.* quales ſunt, poſt publicata teſtimonia neminem vlterius rogandum: conſanguinei teſtimonium ſuſpectum eſſe, ſicut & iudicium: nam propter notam viri probitatem (quanquam hæc rara auis) aliter quandoque iudicabimus. *l. 2. in prin. de teſtib.* Sic iudicem abſoluit reſponſo ſuo Angelus, qui cauſæ capitalis accuſatum magnę exiſtimationis virum, non in compedibus cauſam dicere iuſſerat. *l. ſi à bona. de rei vend.* ſed vrbem pro carcere etiam abſque vadibus, aſſignauerat, cùm is violato iureiurando, ſolum vertiſſet. nam & tutor legitimus ſatiſdare debet: ſi tamen honeſtate, probitatéq; pręcellat, hoc ab huiuſmodi viro non expectabitur. *l. legitimos. ff. de leg. tu.* Quapropter quamuis quiſquis immobilia nõ poſſidet, iudicio ſiſti ſatiſdare teneatur, ſi quis tamen alioquin ſit promiſſi tenax, & à mendacio abhorrens, propè eſt, vt eius ſpõſioni ſtetur. Paul. *l. ſi quis ſtipula. ſi Stichum. §. ſi. de verb. oblig.* Qua ratione cùm ſtatutum eſſet vt quilibet iuxta qualitatem perſonæ ſatiſdaret, reſpondit Bal. eum qui probis ſit moribus, & ſpectatæ fidei, liberari *l. abſtinendum. C. quorum appel.* ſi iuramento cauerit: tametſi ſatiſdare ſolùm is dicatur, qui fideiuſſoribus creditori conſuluit. Sed & illud conſtat, quamuis arbiter extra locum compromiſſi ſententiam dicere non poſſit: propter tamen hominis auctoritatem indulgendum, vt etiam in receſſibus rem finire poſſit *l. ſi cùm dies. §. ſi arbiter in fi. de arbit.* Ex hiſtoria quoque proditum eſt, Ambroſium, Nicolaum, Seuerum, cùm prius ſacris initiati non eſſent, in epiſcopos tamen electos fuiſſe. *c. ſtatuimus. § his omnibus. 61. diſt. & c. epiſcopus. ea. diſt.* quod propter ſingularem vitæ integritatem toleratum fuit, cùm alioquin antiſtes eſſe nequeat, niſi qui antea iamdiu ſacra tractauerit. ¶ Propter hominis quoque deſidiam ſocordiámque, multa contra regulas conſtituta ſunt, quamobrem quamuis procurator poſt litem conteſtatam ſubmoueri non poſſit, ſi tamen iners & contumax appareat, iuſtè reuocabitur. *l. cum quis res. C. de procur.* Sic & tutor eadem nota iniuſtus & ſuſpectus, poterit etiam officio iudicis remoueri *l. hæc enim. §. fin. de ſuſpect. tut.* Sic quamuis ea regula nemo iuri ſuo renunciare cogi poſſit, ſi tamen aliquis epiſcopus ita oſcitabundus & curarum negligẽs ſit, vt aliquid inde periculi diuinis domibus immineat, poterit in hoc adigi, vt ſacerdotio illi cedat *c. niſi. de renunt.* Quo exemplo etiam videmus conductorem ab ædibus, *l. ædem. C. loca.* emphyteutam à fundo, *auth. qui rem. C. de ſacr. ſanct. eccleſ.* deturbari, ſi in re malè verſetur: quod & in cliente, quem vaſallum vocant, receptum eſt. *c. 1. §. quicunque. de pa. ten. & eius viola.* ¶ Et quæ de tali deſidia traduntur, in nimia quoque ſeueritate locum habẽt, cùm, vt Neruæ Imperatori dictum ſoit, æquè malus is princeps ſit, ſub quo omnia licent, atque is ſub quo nihil licet. Hinc videmus inuitum dominum, vt ſeruum diſtrahat, cogi, quem nimia ſæuitia durius, quàm æquum fuit, adficiebat. *l. 2. §. 1. de his qui ſunt ſui.* Sic & paterfamiliàs quamuis emancipare filium non ſit cogendus, ſi tamen vltrà, quàm paternæ pietatis officium ſuadeat, malè eum habuerit, iudicis auctoritate cogetur. *l. ſi. ſi quis à par.* Vnde etiam vir ab vxore ſeparatur, qui nimium moroſus, ſæuúſque ſit. *c. literas in fi. de reſti. ſpol.* Sed ea hac cauſa ſocietatem dirimere permiſſum eſt: durum eſt enim cum rixoſo homine diutiùs cõuerſari. *l. ſi conuenerit. pro ſoc.* Præceptoris quoque nimia ſæuitia (vt *lex præceptoris. ff. ad leg. Aquil.* ait) culpæ adſcribitur. Cæterùm inimicitia quoque & hoſtilitas plurima innouari iubent: Quocirca in grauiſſimis delictis qualia ſunt impietatis in Deum, læſæ maieſtatis in principem, ſacerdotij per ſordes, & ambitum (ſimoniam vocant) acquiſiti, etiam ſi illegitimæ probationes admittantur, inimici tamen teſtimonium recipiendum non eſt. *c. per tuas. de ſimo.* Sic & lex aduerſus fœneratores lata, non intelligitur eum comprendere, qui iuſto hoſti fœneratitiam pecuniam dederit. *14. q. 4. c. ab illo.* nam & lex Pompeia parricidam culeo inſuens, de eo non intelligitur, qui parentes patriæ publicos hoſtes obtruncarit. *l. minimè. de relig.* Quod vt verum ſit, non tamen laudãdus eſt, qui iura naturalia ſic contempſit. *l. ſi adulterium. §. libe. de adult.* Ead. ratione traditum eſt, hoſti impunè violandam fidem, *15. q. 2. dominus.* prætetquam cùm ei aliquid ſpecialiter promiſſum eſt. *l. 1. § non fuit. de dol. gl. in verb. hoſtem.* Sed ambas haſce quæſtiones ea Philoſophorum ſententia M. Cic. *lib. de offic. 3.* elegãtiſſimè explicat: is igitur adeundus. ¶ Propter perſonarum conſanguinitatem legis generalis plerunque fit derogatio, vt hiſce ſpeciebus. Lex eſt: Cum eo cui ſacris interdictum ſit, nemo quicquam commune habeat, ad ſe venientem auerſetur, colloquio non dignetur: non intelligentur prohibiti conſanguinei. *c. inter. de ſenten. excom.* Quo ſenſu & lex in receptatores ſcripta, *l. fin. de receptato.* & edictum prætoris de ſeruo corrupto, ad proximos non trahentur. Sed nec lex quidem prohibens aduocato aduerſus rempublicam patrocinari, vetabit quo minus me meóſque tueat. *l. pen. de poſtulan. ff.* Sic. & S. C. Syllanianum, quo heres ſcriptus non priùs hereditatem adire poteſt, quàm defuncti teſtatoris necem vltus fuerit,

non

non cenſebitur patri neceſſitatem imponere, vt filium accuſet. *d.§.liber.* Iaſon *l.1.C.de his quib. vt indig.* nec vice verſa filio, vt patrem deferat: nam nec tutor pro pupillo ſubire iudicium tenebitur aduerſus proprios coniunctos. *l.humanitatis.C.de excuſat.tut.* quod & ad aduocatum producendum eſt, vt vſque ad quartum gradum aduerſus conſanguineos cauſam dicere cogi non debeat. *l.petitionem.C.de aduo.diuer.iudiciorum.* cùm lege Iulia Papia Iudiciorum publicorum, nec teſti quidem denuntiari poſſit, vt teſtimonium vel aduerſus ſobrinum, ſobrinam, ſobrino, ſobrináve natum dicat. *l.lege Iulia.de teſtib.ff.* & militi emanſori detur venia, qui affectioni parentum & affinium hoc dedit, vt aliquandiu à ſignis abeſſet. *l.qui cum vno.in fin. de re militari. ff.* & quicunque coniunctos in iudicium vocarit, quorum in edicto prætor mentionem fecit, qualemcunque fideiuſſorem iudicio ſiſtendi cauſa accipere teneatur, *l.2.§.2.qui ſatiſd.cog.* cùm alioquin non niſi idoneum accipere cogeretur. Huiuſmodi enim affectioni non parũ à legibus tributum apparet, cùm potiſſima ex ea in dubiis rebus coniectura aſſumatur. Quapropter etiam quando appellatione filiorum nepotes non continentur, tamen de eis actum cenſebitur, quos auus loco filiorum habere tractatéque ſolitus eſt. *l.alimenta. §.final.de alim.leg.* Sic in legato facto Sempronio, ne cùm plures Sempronij ſint, ex incertitudine vitietur, de eo intelligemus, cui maximè teſtator afficiebatur. *l.ſi quis ſeruum. §.ſi inter duos.de leg.2.* nam & legatum ſacerdoti quamuis eccleſiæ factum cenſeatur, ſi tamen is ſacerdos affinitate vel alia affectione teſtatori iunctus probaretur, promptius eſt ad eum, quàm ad eccleſiam pertinere. *c.requiſiſti.de teſta.*

¶Et quæ de conſanguinitate dicta ſunt, in magna quoque amicitia locum habent: quapropter ex teſtamento imperfecto fideicómiſſaria libertas alumnæ ob magnam teſtatoris dilectionem debetur. *l: in teſtamẽto.de fid.lib.* Iudex ob amicitiæ licitum ardorem amici nocentis pœnã mitigare poterit, nec idcirco ſordium, aut gratiæ reus fiet. gl. *c.niſi.de offi.leg.* Et in legatis licet propter ambiguitaté minor ſumma debeatur, tamé propter magnam amicitiam quandoq; interpretabimur maximam deberi. *l.ſi ſeruus plu.§.fi.de leg.1.* quod & in ſtipulatione receptum eſt. *l.capienda.in fin.de reg.iur.* Eadem ratione etiam defenſionis cauſa poterit amicus in iudicio ſtare, cùm alioquin abſque mandato alius pro alio non audiatur: quod intelligendum in eo, qui arctiſſima familiaritate iungatur, & cuius geſta ſoleat abſens rata habere. Bart. *l.non ſolum.§.qui alieno.de proc.* Quòd ſi quicquam ex amicitia, vel affinitate in aliquibus perſonis introductum eſt, id maximè inter patrem & filium ſeruabitur, cũ nulla poſſit eſſe arctior coniunctio. Hinc fit, vt quamuis lex quemlibet adminiſtratorem rationes reddere velit, patrem tamen eximat, *l.fi.§.hoc procul.C.de bon.quæ lib.* qui (quantum ad filium attinet) anelogiſtes eſt, & parens cum eo ſemper rationes habet. Quapropter ſi filio reſtituere hereditatem grauatus ſit; interim nullam cautionem præſtabit. *l.Imperator.ad Treb.* Sic magiſtratus aut miles, licet in prouincia emere prohibeatur, paterna tamen bona, quæ à fiſco diſtrahuntur, ſibi addici iure procurabit, *l. qui officij. de contrah.emptio.* nec legis laqueis tenebitur. Sic doctoris filius in patris demortui locum excluſis cæteris ſuccedet *l.3.C.de aduoc.di.iud.* Poſſent ad hanc rem & alia pleraq; facientia adduci, quæ ſciens prætereo. ¶Propter perſonæ quoque paupertatem à generali lege quandoque recedimus: Quapropter in multitudine cauſarum, ante cæteras, pauperum controuerſias iudex definiet. *l.2. q.1.c.in primis.* eorum alimoniæ, ſi in carcere detineantur, prouidebit tabellionem, *l.iudices.C.de epiſc.aud.* vt documenta illis etiam gratuitò edat ex officio coget. *l.tam de mentis.C.de epi.aud.* Si quis ob inopiam non appellauerit, vel poſt prouocationem fatalia labi permiſerit, eum reſtituet: *§.alius.in authen.de his qui ing.ad appel.* mulctam etiam, ſi eius portio collitigatori debeatur, abolebit *l.illicitas.in fi.de offic.præſ.* Illud enim conſtat, paupertati à legibus multa indulgeri, quæ omnia recenſere præſentis operis non eſt. Nam & non ſolùm ex paupertate, ſed etiam propter perſonæ ignobilitatem pleraque aduerſus iuris cõmunis regulas introducta reperire eſt. Pater etiam inuito filio illi factam iniuriam remittere poteſt: ſi tamen vilis abiectáque perſona ſit, remiſſio filiis, qui honeſtam perſonam ſuſtineant, non nocebit. *l.ſed ſi.§.filios.de iniur.* Sic quamuis filia de dote, niſi ex conſenſu patris, agat, non tamen de eo intelligemus, qui vilis fœdioréque vita ſit. *l.ſi cum dotem.§.eo autem.ſol.matrimo.* nam & ex contrario, lex liberis aliquod beneficium propter patris honorem indulgens, ad eum filium non porrigitur, qui turpem vitam maculoſámque agat. *l.ſenatoris.ff.de rit.nupt.* De huiuſmodi quoque intellexiſſe non videbitur, cùm infamiæ notam inurit. *l.2.C.vt int.cert.temp.* his enim infamia pœnæ loco non eſſet, quare ſeueriùs vindicandum. Quapropter meritò Baldus cùm lex generaliter mulierem in carcerem duci vetaret, de ea non agi reſpondit, quæ meretrix, libidinibúſque infamis, & extra legis Iuliæ pœnas ob vilitatem ſit. Bal. *l.conſentaneum.C.quomodo & quando iu.* Et hęc quidem, quod ad perſonas attinet, ſufficiant.

¶Ex re fit quandoque legis generalis reſtrictio, idque variis ex cauſis, veluti propter rei tenuitatem, ſterilitatem, meliorationem & ſi qua huiuſmodi, quorum exempla plurima in iure habemus. Decuriones propter ſenectutem in curiam venire non coguntur, & tamen ſi leue ſit munus, & quod citò explicari ſoleat, immunes non erunt *l.decurio fortunam.C.de decurio.lib.*10. Mater filiis tutores petere debet, ſi tamen tenuiſſimæ ſunt pupilli facultates, excuſabitur *l.2.C.ad Tertul.* Sic & Senatuſconſultum quo legari domibus adfixa prohibentur, de modici pretij re non intelligetur. *l.ſenatus.§. Marcellus.de legat.1.* Et edictum prætoris de morbo verba faciens ad febriculam leuem, *l.quæſitum.de re iud.* Senatuſconſultum Syllan.de vulnere, ad vulnuſculum non producetur. *l.1.§.penult.ad Syl.* Sic tutor qui pupillo modicam quantitatem crediderit, à tutela tanquam creditor non excuſabitur. glo. *s.auth.minoris.C.qui dare tu.* Iudex qui munera accipere prohibetur: xeniola tamen non improbè accipiet *l.ſolent. de offi.procõſ.* Quod & in ſacerdotium aliquod conferente receptum eſt: non enim ſimoniacæ, vt vocant, labis reus erit. *c.& ſi quæſtiones.de ſimon.* Sic à tutela quarta, cuius occupationibus quis facilè defungi poſſit, non excuſantur, qui ternas ſubierint. *l.ſi is qui tres.in fine.de excuſ.tuto.* Legimúſque etiam in iudiciariis actionibus dilationes amputari, ſommariéque & magis de plano

proced

procedi, vel cùm de rebus leuibus ciuiliter agitur, *c. auth. niſi. C. de ſen. ex pericu. reci.* vel cùm de modicis criminibus accuſatio inſtituitur. *l. leuia. de accuſ.* nam & ea quæ leuis ſolœcitatis ſunt, ſi omittantur, actum non vitiant. *l. 1. §. fi. de ventre inſpi.* In legis perito quoq; proditum eſt, non iure eum quicquam honorarij accipere, cùm citra laborem & librorum reuolutionem clienti conſilio ſuo cauit: *gloſſ. 11. q. 4. non licet.* quod tamen ego non ſatis probo, nec receptum videtur, cum iam exantlati labores, & ærumnæ, quibus ars iſta addicitur, præmio carere non debeant. His accedit quod vulgò dici ſolet, de rebus minimis nullam eſſe prætoris curã. *l. ſcio. de in int. reſt.* quod ita accipitur, vt ex re minima aduerſus ius commune nihil inducendum ſit, nec reſtitutio in integrum concedenda: cùm verò ſecundum ius cõmune agimus, tunc etiam minimæ rei rationem habendam. *l. ſi proprietarius. de dam. inf.* vnde qui vel oboli reliquator eſt, actione ex empto rem non conſequitur, aduerſus detectum petitorio iudicio non experietur. Iaſ. *auth. qui rem. C. de ſacroſ. eccl.* Sed an emphyteuticum fuodum tanquam integrum canonem non ſoluerit amittet? Et cùm hanc legem partes contractui dixerint: propius eſt, vt amittat: quod crediderim verum, cùm inde argui contemptus aliquis poteſt: alioqui humanius eſt, per imprudentiam factum arbitrari. *l. quamuis. de conditio. & demonſt.* Quapropter nec inquilinus, qui excepto nummo penſionem ſoluit, ſubmouebitur: in quam ſententiam Baldus & Paulus Caſtrenſis tranſiẽre. ¶ Propter ſterilitatem à regula generali variis quoq; ſpeciebus recedimus: Quapropter colonus qui agriculturam nõ deſerere promiſit, ſalua fide recedere poteſt, ſi ſterilis fundus effectus fuerit. gloſſ. *l. 2. de agri. lib. 11.* Et conſtitutio, quæ rerum eccleſiæ alienationem fieri poſſe generaliter negat, non tamen de ſterilibus prædiis, tenuibúſque agrorum plagis intelligetur: poterunt enim abſque alia ſolennitate alienari. *12. q. 2. ca. terrulas.* Quod & in conſuetudine receptum eſt, quæ ſi huiuſmodi alienationes infirmet, de modici reditus poſſeſſionibus non intelligetur: nam & lex, quæ clientem in verba domini iureiurando adigi, *c. cæterum. de iure iu.* hoc eſt, præſtare occaſione feudi (vt vocant) iuramentum fidelitatis iubet, in eo non obſeruabitur, qui modicam, tenuémq; rem eo titulo acceperit. Sic propter anni ſterilitatem fit colono remiſſio mercedis. Cẽſetur autem is fundus ſterilis cuius culturæ tantum impenditur, vt, eo deducto, nihil colono ſuperſit. *l. mediterranea. c. de ann. lib. 10.* Bartolus etiam remiſſionem faciendam cenſet, cùm in dimidia iuſti pretij deductis operis, & impendiis colonus læderetur: quæ ſententia crebriore calculo approbata eſt. *l. licet. C. loca.*

¶ Propter rerum meliorationem fit & quandoque legum reſtrictio, vt cùm lex locatorem damnat, nequid vltra penſionem cõuentam petere poſſit, tenebitur nihilominus colonus augere mercedem, ſi præter ſpem magna fertilitas anni ſuperuenerit. glo. *l. ſi merces. §. vis maior. locat.* Sicut enim ex ſterilitate remitti ſibi colonari iure poſtulat, ita ex inopinato prouentu augere domino debet. Eadem ratione lex amota à ſacerdotio nihil conferri iubens, in eo non obſeruabitur, qui propria induſtria diuinę domus fundos ex incultis fertiles reddidit. *c. fi. de pe. cle.* fruetur enim parta ſuo labore fœcunditate: donec vixerit, quod & Innocentius probat: quod eius legis exemplo conſtitutum opinor, quæ fundi deſerti ad Cæſaris patrimonium pertinentis cultorem (ſaluo iure canonis) inquietari non ſinit. *l. quicunque. C. de omni agro deſer. lib. 11.* ¶ Propter rei euidentiſſimam perſpicuitatem aliqua quoque ſpecialiter indulta ſunt. Quo fit, vt quamuis priuſquam aliquis ad profitendi munus doctor poſſit promoueri, præceſſiſſe oporteat diligentem morum doctrinæque inueſtigationem. *l. magiſtros. C. de prof. & med.* ſi tamen fama is ſit notiſſima idoneus, aliud examen non eſt neceſſarium, Ioan. And. *c. conſtitutus. 2. de appel.* cùm populi teſtimonium pro examine ſufficiat. *c. nullus. 24. diſtinct.* Nam & licet in maioribus & in minoribus cauſis conceſſa ſit appellatio, vbi tamen euidentiſſimè de delicto conſtat, non eſt vlterius quicquam, quod rei pœnam differat concedendum. *d. c. conſuluit. de appel.* Sic & quoties cauſa appellationis manifeſta eſt, alia probatione non opus eſt. *l. ciues. C. de appel.* Et qui ad locum citatus eſt ſibi intutum, ſi id apertiſſimè conſtet, nec excuſationem quidem mittere tenetur, tantum abeſt vt ipſe coràm venire debeat. Cle. *paſtoralis. de re iud.* Solétque vulgò dici, in notoriis ordinem iudiciarium minimè obſeruandum. *c. ad noſtram. 2. de iureiur.* Vocant autem noſtrates doctores notorium voce minimè proba, id quod palàm conſtat: cùm veteres notorium pro denuntiatione facinoris acciperent, *l. ab accuſatione. §. nuntiatores. ad Turp.* cum in id publicè conſtituti Emiſſarij & Curioſi indicium perpetrati facinoris per elogium præſidi faciebãt. quod munus in pagorum ſyndicos, vt plurimum hodie tranſlatum eſt: nec eo caſu ſolennia accuſationum perpenduntur, ſed ſolùm (vt Gordianus Imper. conſtituit) falſis. *l. ea quidem. C. de accuſ.* necne quis ſit notoriis inſimulatus. Propterea quæ de nouo emergunt, fit & quandoq; huiuſmodi interpretatio. Ecce, tibi, poſtquam in cauſa concluſum eſt, licet alia inſtrumenta proferri nequeant, ſi tamen quicquam nuper ad litigatorum aures peruenerit indulgendum. Bart. *l. admonendi. de iureiur.* Nam & poſt litis conteſtationem (quod veteres iudicium acceptum dicebant) licet exceptiones dilatoriæ amplius opponi nequeant, nec vlli recuſationi ſit locus, ſi tamen eiuſmodi ſit præſcriptio, quæ in notitiam nuper delata fuerit, adhuc qualiſ-qualis ſit, admittetur. *l. eleganter. §. ſi quis poſt. de cond. indeb.* Sic & reſtitutionis in integrum poſtulatio, quamuis iterari nõ poſſit, ex noua tamen cauſa permittetur. *l. 1. C. ſi ſep. in inte.* Sic & in iudicio rei vendicationis abſolutus, quia non poſſidebat, poterit poſt rem iudicatam iterum conueniri. *l. ſi à te. de excep. rei iu.* ſi ad eum perueniſſe denuò poſſeſſio aſſeratur: quod etiam in aliis iudiciis dicendum eſt. Vnde qui ſoluto matrimonio per diuortium, dotem repetit, ſi, lite pendente, iterum matrimonium inſtauretur, exceptione ſubmouendus eſt. *l. ſi ſeruus. de cond. fur.* quinimò etiã qui actione caret, litem inſtituere poteſt, ſi accepto iudicio certum ſit ei actionem tunc competituram. *l. ſi Titius. vbi gloſ. de verb. oblig.* quod ex exemplo conſtat, cùm Titius & Meuius ſeparatim, ſi alteri fundus datus non eſſet, ſibi ſtipulati ſunt: adiuuantúrque hæc omnia regula generali, quæ interim accidunt nouo auxilio indigere. *de ætate. §. ex cauſa. de inter. actio.* & qui nouam rem deſiderat, nouum ei conſilium atque remedium ſuggerendum. *l. 1. de vent. inſpi.*

¶ Ex.

¶ Ex qualitate quoq; fit plerunq; legis reſtrictio. Vnde regulariter proditum eſt, ſecundum perſonę qualitatem verba accipi debere: & ideo qui aurigę, ſeu agitatori alicuius factionis equitij vſum legat, videtur conceſſiſſe vt his quoq; in Circenſib. vti poſſit. *l. plenum. §. equitij. de vſ. & ha.* dummodo teſtator ſciat eũ eſſe eius inſtituti vitæ: & ſi ex principis edicto quilibet miles armatus in Camp. Martium deſcendere iuſſus ſit, intelligitur, vt quiſquis iuxta conditionem ſuam armatus ſit, *Bar. l. ſi non ſortem. §. libertus. de cond. ind.* eques equeſtri, pedes peditum more. Si præſuli à Pont. R. indultum ſit, vt etiam interdictionis tẽpore ſacra celebrare, & miſſæ operari queat, ſolenniter, & cum honoris ſui inſignib. operabitur. *l. ex militari. de teſt. mil.* Sic ſeruus ſibi poſſidere licere ſtipulans, de ſola detentione ſtipulatus creditur. *l. ſtipu. iſta habere. §. hac quoque. de ver. ob.* Teſtator vxori ſtragula, & veſtem legans, non de ſericeis ſtragulis intelligetur, quoniam ea viduis non conueniunt: & veſtis atra debebitur qui color viduas ſolus decet. *Iaſ. ibid.* Lex quoque municipalis filiam dote contentam eſſe iubens falcidiæ vice, ex qualitate perſonæ de legitima iure naturæ debita declarabitur. *Bar. l. t. ad leg. Falc.* Rex Anglorum aliquid ſecundum ius fieri mandans, intellexiſſe de iure ſuo Anglico cenſebitur. Mulier feudum (vt vocant) ſibi & filiis ſtipulata, filiabus quoque cautum voluiſſe exiſtimabitur. *c. vnic. de feu. in vſ. feu.* & ſi qua ſimilia. ¶ His conſequens eſt, vt ſi quicquam cum aliqua qualitate cõſtitutum ſit, & ea non adſit, diſpoſitio quoq; locum ſibi non vendicet. Vnde edictum prętoris, quod eius bona poſſideri iubet, qui fraudationis cauſa latitat, in eum nõ obſeruabitur, à quo fraus abſit. *l. Fulcin. §. lex qui. ex can. in poſ.* Et lex in eum lata, qui vulnus cum ſanguinis effuſione fecerit, non habebit locum, niſi & ipſa effuſio probetur. *c. licet. de prob.* Sicut nec Pontificis conſtitutio aduerſus ſubornatum Chriſtiani hominis percuſſorem cuſtodienda erit, niſi id ipſum probetur, mandatum de Chriſtiano homine percutiendo factum. *c. 1. de hom. in 6.* Et qui aſſerit conſpiratione aduerſariorum teſtibus corruptis, religionem iudicantis circunuentam, qualitatem illam corruptionis probare debet, *l. diuus. de re iud.* cùm aliàs diui Hadr. reſcriptum, quo in integrum reſtitutio conceditur, locum non haberet. Eodem pertinet quod vulgò traditum eſt: quoties lex cum aliqua qualitate loquitur, vbi ea non conueniat, nec legem quidem conuenire. *l. mancipia. C. de ſer. fug.* vt quum in ea dicitur, qui damnum dederit, vel poſſidentem turbauerit, c. ſoluat & ablata reſtituat, non cenſebitur eum punire, qui inquietauerit, & nihil abſtulerit, cùm verbum reſtitutionis huic caſui non quadret. Sic Pontif. conſtitutio, *c. quanquam. de vſur. in 6.* vſurarij manifeſti teſtamẽtum irritum eſſe iubens, eiq; mortuo ſacram ſedem vetans, in Iudęo nullas vires habere exiſtimatur. *Aret. cõſ. 157. inc. copioſè.* quid. n. ad illum pœna ſepulchri faceret, qui omnino communem canib. tumulum habiturus eſt? Sed hæc tamen omnia intelligenda ſunt, cùm illa qualitas veriſimiliter ſubſtantiam rei reſpicit. *Bar. l. Titia. ſol. ma.* alioquin ſi extrinſecus addita proponatur, etiam abſq; ea actus valebit. Quapropter ſi loco exempli appoſita ſit, non arctabit regulam. *l. 1. §. quod vulgò. ff. de vi & vi ar.* Item ſi primò regula in lege generaliter poſita ſit, nõ reſtringetur ex qualitate, quæ in fine legis addita reperiatur. *l. regula. §. & licet. de iu. & fa. ig.* Nam etſi cõditio in lege aliqua reperiatur, non leuis momenti eſſe ſolet, & tamen quandoq; ex legiſlatoris mente nullius efficaciæ eſt. idq; & Iaſ. annotauit. *l. à diuo. §. in venditione. de re iud.* Cęterum illud non differẽdum eſt, cùm lex propter aliquam qualitatẽ quæ adſit, quicquam indulget, ea deinde ceſſante, diſpoſitioni quoq; legis locum nõ eſſe. Finge curatorem prodigo, vel furioſo datum eſſe, eosq; ad ſanos mores reuertiſſe, nónne curator munere ſuo defungeretur? *l. 1. ver. ſãdiu. de cu. fu.* Legib. multa aduerſus impudicas mulieres conſtituta ſunt: finge eam, quę male libidinis cauſa audiebat, mutaſſe viuendi inſtitutum, & probi exempli factam, nónne pœnis legum eximetur? *l. imperialis. C. de nupt.* Multa tẽpore belli etiam iniqua conſtituuntur: ſolent. n. præfecti militares non tam ius & æquum in cognitionib. quàm magnitudinẽ pecuniarum ſpectare, quòd hi bellorum (vt Mutianus aiebat) nerui ſint: nónne facta pace quod belli calamitate introductum eſſet, pacis temporib. abolebitur? *l. vnic. in pr. C. de cad. tol.* Qua ratione & legem Oppiam, cuius ſuaſor M. Cato erat, abrogatam T. Liu. eſt auctor. Sic & iudices quorum officia perpetua ſunt, ex defectu qualitatis expungentur, vt quia negligentes in iure reddendo dicantur. *l. ſi quos. C. de of. praſ. pra.* Sic decuriones deficientib. facultatib. albo eximẽtur. *l. cura. §. deficientium. de mun.* Sic ad monachos ſcribens Alex. iij. Pont. Max. Nunc (inquit) ita poſſeſſionibus ditati eſtis, vt multi probę opinionis viri de vobis querelã apud nos ſæpe proponant. *c. ſuggeſtum. de dec.* Nã & procurator quamuis re non integra reuocari nequeat, ſi tamen mores mutauerit, & improbus luſor, helluo factus ſit, ſubmonebitur. *l. cũ quis. de ſol. ff.* Sicut vice verſa tabellio, ſi ſacerdotio decurionatu, militia inſignitus fuerit, ſubire priſtinum munus nõ cogetur, *l. vniuerſos. C. de dec.* ſuperueniens. n. dignitas eum liberat. Verùm non promiſcuè & indiſtinctè hæc procedũt: in animaduerſione. n. huiuſmodi qualitas eſſe debet, vt ſi cauſæ, quæ finalis vulgò dicitur, coniuncta ſit, & effectus nondum perfectus, prędicta obſeruentur. *Corn. d. l. 1.* alioquin quod ex cauſa impulſiua conſtitutum eſt, ea deficiente, nihilominus durat. *l. 1. §. ſexum. de poſt.* Idem ſi finalis cauſę effectus ſit cõſummatus *l. fi. vnde li.* Hinc eſt, q ſi vxor in bonis mariti propter paupertatẽ quartã lege debitã cõſecuta ſit, *Aut. præterea. C. vn. vir et vx.* tametſi locuples deinde alienarũ hereditatũ acceſſione facta, nõ tamẽ accepta heredib. mariti reſtituet: cũ vt id lucrũ faciat, ſatis ſit, tẽpore, quo illud lex deſect. paupertatis qualitas adſit. *l. quæcũq. §. fi. de pub.* nec quicquã refert, id tũc cõſecuta ab herede fuerit, an minus cũ ſufficiat lucrũ à lege delatũ, quo caſo ipſo iure acquiritur, & ita pleriſq; viſum eſt, *Dec. cõſ. 24.* ¶ Propter aduerſam qualitatẽ ex aſpectu ſtatim deprenſam recedimus plerũq; à regula iuris, vt cũ lex tres ſentẽtias, tametſi allegẽtur nullę, iubet abſq; mora executionis effectũ accipere, *cle. 1. de re iud.* nõ continebũtur quę exactoru inſpectione euidẽtes nullę apparẽt, *Mod. l. 4. §. condemnatum. de re iud.* niſi, & id dubiũ probabili exceptione refricari poſſit. *Peruſ. c. dilecto. q. 52. in fi. de ap.* Si verò aliunde nullæ appareant, quãuis incõtinenti probaturũ ſe reus offerat, nõ tamẽ differendã executionẽ verius eſt, ne alias lex illa nullius ſit effectus. Sic agẽti interdicto de tabulis exhibẽdis, licet præſcribi nequeat tabulas nullas eſſe, tamen ſi id vitium ex earũ inſpectione pateat, admittetur exceptio. *gl. l. 1. §. ſiue ſuprema. de tab. exh.*

Quod & in noui operis nunciatione traditum frequentius eſt, cùm vſufructuarius nouum opus domino nuntiat, ſuperſedebit dominus, cum ex ipſius actus inſpectione appareat nuntiationẽ irritam. Bart. *l.1. in pr. de op. no. nun.* nam & libellus quo actor in iudicio quicquam intentat, ſi ex ſui lectura ineptus ſit, poterit non expectata rei recuſatione à iudice reiici. *l. ſi in ſi. C. vt nemo pri.* Quinimò receptum eſt, quoties iudici conſtat de iuſta rei exceptione, etiam ſi deducta in iudicium non ſit, tamen actorem reiiciendum, Bar. *l. ſi vnus. §. pactus. de pact.* ſi cum aliena iactura locupletaretur. Illud quoq; indubitati iuris, eſt probationib. per legem ſummotis, nunquam de ea actum videri, quæ ex inſpectione fieri proponatur. Finge, probatum eſt me vulnus Titio intuliſſe in caput, patefactaque teſtimonia, potero nihilominus à iudice petere, vt inſpiciat depręnſurum nullam Titio in capite cicatricẽ eſſe. Bal. *l. ſi quis teſtib. C. de teſt.* Sicut & vice verſa, ſi quiſquam ex aſpectu minor pronuntiatus ſit, eius non nocebit, *l. minor ex aſpectu. de min.* qui aliis argumentis veritatem ſe demonſtraturos aſſerẽt. Quapropter & Bal. *l. ſi minor. C. de in integ. reſt.* ſententiam de ætate ex aſpectu latam, nunquam in rem iudicatam tranſire credidit, quò minùs ſemper tractari certiorib. probationib. queat. In feriis quoque, quin ius dicatur, exceptionem non obeſſe certum eſt, cum illata eſt tam atrox iniuria vt ex aſpectu ęſtimari poſſit. *l. eadem. in fin. ff. de fer.* ¶ Propter ſubrogationis qualitatem fit etiam quandoque ſtrictior interpretatio. Cùm igitur lex ceu ſacrilegium damnat, qui dignitate ſua maiorem gradum aſcendere, & illuſtrioribus ſe præponere audet. *l. 1. C. vt dig. or. ſer. lib. 12.* cum diſtinguere non cenſebitur, qui eius, cuius perſonam gerit, ſedem tueatur. *l. comperimus. C. de prox. ſa. ſcr. lib. 12.* nam & qui propter aliquorum negligentiam in eorum ius à lege ſubſtituitur, non arbitratu ſuo ſe gerere, ſed id potiſſimum emendare debet, quod ex negligentia illi peccarunt. *c. quia de ſup. ne. prel.* Accedit reg. generalis, Id quod ſubrogatum eſt, eius naturam imitari cui ſubſtituitur *l. ſi eum. §. qui iniuriarum. ſi quis cau.* Videmus quoq; propter ſubſtituentis ipſius qualitatem aliter atque aliter in iure decerni. Regula eſt, etiam infamem procurationis munus aſſumere non vetari: & tamen epiſcopis permiſſum non eſt, huius notæ hominib. defenſionem ſuam credere. *c. quia epiſcopus. q. 3.* Et quod de procuratore diximus, in tutore quoque producendum eſt, vt is, ſi propudioſus ſit, nequeat eius pupilli tutor eſſe, qui dignitatis graduali quo illuſtretur. *Bal. l. Caſſius. de ſena.* Plurima. n. inferiorib. licent, quæ altioris gradus hominib. non conueniunt. Omne animi vitium, inquit ille, tantò conſpectius in ſe crimen habet, quantò maior, qui peccat, habetur. Hinc eſt, vt quorum induſtria electa eſt, alium ſubſtituere non poſſint. *l. inter. de ſol.* & quib. ſubſtituere permiſſum eſt, non quemuis, ſed æquè idoneum ſubſtituere debeant. Sic canonicus non niſi ex ordine aſſumet, quem ſui loco conſtituat. *c. ſi quis in ſto. in fi. de ele. lib. 6.* Cuius rei argumento, & doctor, cui per ſubſtitutum legere conceſſum ſit, non niſi doctorem ſubſtituet. Ius autem ſubſtituendi regulariter nemini cõpetit, niſi ex cauſa: vt ſi quis iuſtè eſt abſens. *l. ſuggerente. C. de of. om.* vel ad maioris dignitatis adminiſtrationem codicillis principis allectus, vel temporalium ægritudinem patiatur. *Bal. l. fi. de excu. tu.* Filium quoque a patre ſubſtitui lex quandoque ſuadente æquitate pręter iuris ciuilis regulas concedit *l. ſciendum. §. legat. de leg.* Priuilegia quoque ipſa propter aliquas qualitates firmiora exiſtimantur, vt quia in corpore iuris repoſita ſint: huiuſmodi. n. etiam generali omnium priuilegium derogatione quicquam detrahi credendum non eſt. *gl. l. 2. §. legatis. de iud.* Idem cum ei perſonæ quicquam indulgetur, quæ iam à lege multis beneficiis affecta ſit. non. n. hac generali derogatione quicquam ei pręiudicij fiet: vt cum viduis & religioſis fœminis princeps conceſſit, ne extraordinaria aliqua in dictione atterantur. *Cin. l. 1. C. quan. imp. int. pu.* Idẽ cum priuilegium concedentis iuramento confirmatum eſt. nam etſi particularis canonic. conſtitutio tali religione munita ſit, ei derogatum per generalem max. pont. legem non cenſebitur. *c. cum non liceat. in fi. de ele. in 6.* Conſtitutioni quoque per ſacroſ. ſynod. editæ, generalia Rom. Pont. diplomata nihil obſunt, *c. nonnullis. de reſc.* ſicut nec aliis priuil. quæ probabilib. adminiculis adiuuantur. *gl. cl. dudũ. §. nos etenim. de ſep.* Et ſacerdotij à ſed. apoſt. non obſt. quocunq; alterius priuilegio, facta collatio, nihil ſecularib. (vt vocant) patronis damni inſeret. *Rot. dec. 3. in no.* Cæterùm & ea firmiſſima ſunt priuilegia, quæ remunerationis cauſa indulta reperiuntur: vt ſi princeps ciues de ſe benemeritos aliqua immunitate donat, non cẽſebitur de hoc actum generali reuocatione. *l. ſi pater. §. fi. de don.* quod maximè procedit, cùm non ſobitò, vel in piam cauſam quicquam collatum eſt, nec enim ea reuocari facilè poſſunt. Sed & propter obligationem, quę ob antidota dicitur, plurima conſtituta eſſe conſtat, quæ ab his collecta cernere eſt, quos ea cura tetigit. *Iaſ. l. ex hoc iure. ff. de iuſt. & iur.* nos breuitate contenti ad alia feſtinamus. ¶ Propter paritatem quoque qualitatis non nihil lex concedit: vt ſi promiſerim tibi Titium fideiuſſorem dare, liberabor, dum æquè idoneum aliquem præſtem. *l. qui autem. §. ſed & ſi quis. de conſt. pecun.* Si domo tibi locata vti frui non liceat, excuſabitur locator qui æquè commodam aliam præſtare paratus ſit. *l. ſi quis domum locat.* Sic is cuius electa eſt induſtria, neminem ſubſtituere quamuis nequeat, ęquè tamen idoneum ex cauſa ſui loco quandoque deſignabit. *gl. l. 1. C. de man. & col. lib. 11.* ¶ Ex Quantitate quoq; non raro fit generalis legis reſtrictio, ad quam ea exempla hoc in tractatu pertinere arbitror, quę ad geminationem actuum, ad perſonarum ſeu rerum numerum, ad magnam cõtumaciam, ad criminis immanitatem attinent, de quibus pauca ſubiicienda duxi. Et in primis id ſciendum, iterationem quacunque in re plurimum pollere, cùm maiorem animi ſiue in bonum, ſiue in malum, deliberationem oſtendat. Hinc eſt quòd confeſſionem iteratam prætextu erroris aiunt reuocari non poſſe, *Iaſ. l. error. C. de iur. & fact. ig.* quod accipiendum, niſi erroris cauſa probabilis afferatur. Hinc ex nudo pacto *l. 1. de conſt. pecun.* quod iteratum fuerit, receptum eſt, actionem naſci: quod & in qualibet obligatione naturali, quæ geminata ſit, ferè dicendum eſt. *l. fin. C. ad leg. falc.* Hinc iterata confeſſio extra iudicium, iudicialis confeſſionis vim habet, *l. cum ſcimus. de agr. libr. 11.* ſicut geminata principis indulgentia, ea videtur excludere, quæ non niſi ex certa ſcientia, vel motu proprio abolentur. *§. & hoc. in Authentic. vt null. iudic.* cuius exemplum in vacantium bonorum conceſſione eſt. *l. 1. C. de per. bon. libr. 10.* Sed & qui ea cuſtodia

ſemel cu

ſemel euaſit, fideiuſſoribus amplius non credetur, *l. lege Cornelia ad Syl. ff.* ſed in vinculis cauſam dicet. Qui iterum deliquit, & quod dicitur, ad nauſeam redit, generali principis abolitione non fruetur. *l. 3. C. de epi. aud.* Mulier quæ obligationem iterauit, Sc. Velleiano non erit tuta. *l. ſi mulier. 2. C. ad Vel.* Quæ recepto conſenſu fundum doti addictum vendente marito diſſoluit, lege Iulia non iuuabitur. *Auth. ſine à me. C. eod. tit.* Sic leuia delicta propter vſum & conſuetudinem grauioribus adnumerantur. *vnum orarium. §. criminis. 25. diſtin.* Sic de geminationis huius effectu plura diſſerere ſuperuacuum eſt, cùm non pauci recentiorum huius argumenti etiam integros libros ediderint. ¶ Ex perſonarum, ſeu actuum multitudine fit arctior interpretatio, cum lex hoſpiti iubet, vt viatores ſuſcipiat, non eum coget, qui nimio aliorum numero occupetur. *l. vnic. ff. fur. aduerſ.* Cùm iudici prohibet, ne cauſas pedaneis demandet, *l. placet. 2. C. de pedan. iud.* aut ne nocte pronunciet, non procedet quoties multitudine litium præſes prægrauetur. *Bal. §. itaque. in proœ.* Sed & publico iudicio damnati bona, quæ aliàs fiſcus adnotaret, filiis plerunque relinquuntur. *l. fi. de bon. dam. ff.* ſi eorum magnus ſit numerus. Propter multitudinem quoque delinquentium, quo magis refrænentur, licitum proconſuli eſt leges tranſgredi, *l. aut facta. de pœn.* & pœnas augere: quod intelligitur, quando propter exemplum pœnæ ſiſti malum poteſt, *c. labores. de cler. exc.* alioquin ſi de plurimorum periculis agitur, & crimen leue eſt, faciliùs venia indulgetur, & conniuentibus oculis inultum iudex delictum ſinit. *c. vt constitueretur. 50. diſtinct.* ¶ Propter nimiam contumaciam plerunque ſtricti iuris ratio intenditur. Quapropter quamuis æquum non ſit, ex contumacia quenquam totius cauſæ damno mulctari, *c. quoniam. §. ſin autem. vt lit. non cont.* vel pluribus contumacem pœnis affici, *gl. l. ſed & ſi. §. ſed & ſi. ex quib. cau. ma.* nihilominus tamen ex nimia peruicacia aliter quandoque ſtatuitur. Sic & miſſus in poſſeſſionem rei ſeruandæ cauſa, in nimiæ obſtinationis pœnam antiquum poſſeſſorem deiicit. *l. 4. §. ſi fortè. de dam. inf.* & extra ædes deturbat. Ruſúſque ſolet dici, qui ex primo decreto in poſſeſſione ſit, ex nimia rei contumacia fructus acquirere. *l. Fulcinius. §. fin. ex quib. cau. in poſ.* ¶ Propter delicti atrocitatem regulariter quoque proditum eſt, ei licere, qui pro tribunali ſedet, pœnas augere. Quapropter tali caſu etiam in defunctum ſæuiet. *gl. l. 2. arb. fur. caſ.* quod in famoſis latronibus aliorum terrendorum cauſa fieri ſolet, diebus feriatis ius dicet. *l. prouinciarum. C. de fer.* mulieris vel aliàs impuri hominis teſtimonium non auerſabitur, *c. in fidei. de hær. lib. 6.* cùm & L. Catilinæ coniurationem Fuluia mulier detexerit, *l. in quæſtionib. ad leg. Iul. maieſt.* pro huiuſmodi quoque manifeſtè ſontibus, & nouiſſima meritis patronos non audiet. *Bal. l. per omnes. de def. ciuit. C.* Sunt autem grauiſſima facinora, quibus maieſtas offenditur, impietas item in Deum, & Simonia, viarumq; inceſſio occidendi hominis cauſa à latrone facta.

¶ Ex loco quamplurima quoq; conſtituta ſunt quibus à generalitate legis receditur. Vnde qui ex conſuetudine in aliquo loco certam formam obſeruare debet, ſi aliò eat, non tenebitur: quia (vt vulgò dicitur) *Cùm Romæ fueris, Romano viuito more.* *c. illa. 12. diſt.* Sic qui rure teſtamentum faciat, poterit citra ſolitam ſolennitatem teſtari. *l. fi. C. de teſta.* Idem in eo qui in hoſtico deprehenſus eſt: etenim iure militari quomodo voluerit, potueritq; diſponet. *l. reſcripto. de teſt. mil.* Sed & procurator qui quamuis infamis, non tamen à munere ſuo reiicitur, ſi coram principe, vel in eius prætorio ſit, ſubmouebitur. *l. ſi duas. §. philoſoph. & l. ſi milites. §. de excu. tut.* Nam & Rom. Pont. ius crucem ante ſe deferendi Patriarchis non concedit, quoties Romæ vel in comitatu ſuo reperiatur. *c. antiqua. de priuil.* ¶ Ad partes has attinet etiam, quod originе domiciliоq; variè ſancitũ reperitur: qua ratione fit, vt tametſi liberè fieri quælibet debeat electio, præferẽdi tamen ſint incolę alienigenis: & ideo ſi idoneus in propria ciuitate reperiatur, non eſt quiſquam ex aliena diœceſi aduocandus. *c. nullus. & c. nec emeritus. 61. diſ.* Quod & in eccleſiarum rectorib. ſeruandum, qui ex propria eccleſia, potiùs, quàm ex aliena ordinandi ſunt, *l. in eccleſiis. C. de epi. et cl.* etiam ſi quò ad Deum loci origo nullius momenti ſit: quod & pleriq; Philoſophi videre, qui rogati, cuiates eſſent, mundanos ſe reſpondebant. nam illud certiſſimum eſt,

[Summos (vt inquit Satyricus) poſſe viros, & magna exempla daturos,]

Veruecum in patria, craſſoque ſub aere naſci. Sed & receptum eſt, obreptum videri Rom. Pont. cùm quis ſacerdotio ab eo impetrato diſſimulauit aliunde ſe natales domiciliumque conſequi, quàm in ipſo ſacerdotij loco. *gl. c. ſi proponente. de reſcr.* Eum quoque, qui mediocris ſit nobilitatis in ampliſſima vrbe pręferẽdum ei tradunt, qui tenuioris ſit loci primarius. *Bar. l. vn. C. de Alex. prim. lib. 11.* In quã ſententiam puto non acceſſiſſet Iul. Cęſar, qui ignobili Alpium vico iter faciens, ibi malle ſe primum eſſe dicebat, quàm ſecundum Romę. Ex his probabilib. eorum ęſtimatio videtur, qui cum ciuitatis in qua ſtudium vigebat, originarij ſint, vt Bononienſes, Perusini, Ticinenſes, pręferendos ſe accerſitis in ſua gymnaſia doctorib. arbitrantur: quod & Ludouic. Pontan. ſenſit. *l. ſi vero. §. de viro. reg. 14. ff. ſol. ma.* Sed ego accepi hac in re minimum patriæ adſcribi, doctrinæ verò facundiæq; plurimum, nec dubium eſt quin alienigenę ſemper præcelluerint. Sic Bartol. Picens. Peruſij: Accurſ. Florentinos Alexanderq; Forocornelienſis, Bononiæ: Iaſon, Deciuſq; Mediolanenſes, Ticini: quo loco & Baldus Peruſio patria derelicta maluit conſeneſcere: apud exteros enim ſola virtus in pretio eſt, in patria verò plerunq; alia ſpectãtur. ¶ Loci quoq; vicinitas non tardò in cauſa eſt, vt ex ea legem reſtringamus. quapropter mortuo prouinciæ quæſtore, ſolennes largitiones proximæ prouinciæ quæſtori à ciuib. præſtabuntur. *l. 1. C. de can. larg. tit.* non. n. eas interim retineri fas eſt. Et qui aliud à iudice etiam iuſte petit, ſi impetrare nequeat, & in vicino loco alius ſit, eum adire debet: quòd ſi id minus faciat, ſibi imputet, non poterit id, quod ſua intereſt, ab eo qui concedere neglexit, conſequi. *l. 4. §. ſi tam vicinum. de dam. inſe.* Sed & ſi in territorio pupilli nullus iudex ſit, qui ius dandi tutoris habeat qui in proximo eſt proconſul adiri ipſe debet. *l. diuus. de tu. et cu.* Leges quoq; generaliter erogationem alicuius donatiui egenis fieri præcipientes ita interpretabuntur, vt proximis & vicinis prius detur. *l. 2. C. de ann. ciuilibus. libr. 11. & l. ſi quis ad declinand. in. C. de epiſcopis & cleric.* Quòd ſi certi loci incolis aliquid faciendum mandetur, ſi in eo idoneus nemo reperiatur, ex proximis pagis accerſiri debebit. *l. cum nauarchorum. C. de nauarc.*

Sed & ſi in vicinia quiſquam facinoroſus habitet, veriſimile eſt ab eo factum eſſe damnum, de quo vicinus conqueritur. *l.dominus hor.loc.* verus enim prouerbium eſt, [Aliquid mali propter vicinum malum.] Quapropter qui venditor fundi confinem vicinum celauerit, quem ſi emptor ſciuiſſet, non eſſe empturus, in id, quod intereſt, condemnabitur. *l.quod ſæpe.in ſi.de contr.emp.* nam & ea proximitate temporis, ſcripturæ, rei, pleraque introducta ſunt, quæ ab aliis coacta ſciens ego prætereo. His accedit & vulgaris regula, Ea vicinitate præſumi ſcientiam. Ad hæc etiam pertinet, quòd ab ipſo loco abſentia iuſtam plerunque præſtat excuſationem. quo fit, vt abſente patre, filiusfa. in iudicio eſſe poſſit. *l.ſi longius.§.ſi filius.de iud.* idem non expectato eius conſenſu legitimam vxorem ducet. *l.ſi nepos.in ſi.de iur.nup.* Filiamfa. iudex ex patris abſentis bonis dotem accipere iubebit *l.profectit.de iur.dot.* de dote eo caſu, abſque eius conſenſu filiam agentem audiet. *l.2.§.voluntate.ſol.ma.* Sed & ſi conſuetudine inductum ſit, ſacerdotium ſine alterius conſilio conferri non poſſe, intelligetur, dum ille ſit præſens, alioquin eo abſente libera erit collatio. *c.ne ſede vac.in 6.* Qua ratione, & ſi mulier abſque conſanguinei conſenſu lege municipij obligari nequeat, iſque abſit, poterit iudex decreto ſuo contractum firmare. *Bal.l.turp.§.1.de leg.1.* Sic enim & pupillus abſente tutore hereditatem adit. *l.bonorum. C.qui adm.* & Abbas deficientib. monachis de immobilib. monaſterij bonis diſponet, ſufficiétque eius, qui ſuperior illi gradu ſit, aſſenſus. *cle.1.de reb.ec.* quod & in alio rectore receptum eſt. *gl.c.porius.de loc.*

¶ Ea ipſo tempore multa quoque aliter atque aliter interpretamur, & quandoque à generalibus iuris regulis recedimus, idque variis in ſpeciebus contingit. Ecce: Lex generaliter quanquam cogi inuitum non debere iubet, vt rem ſuam vendat, & tamen caritatis, & penuriæ tempore ad ædiles ſpectat, vt annonam vrbi ſufficiant, *l.annonam.de extraor.cri.ff.* poſſeſſoréſq; cæteris æquo pretio copiam eius facere iubeant. Multa etiam beli, pacis, peſtilitatis tempore inducta ſunt, quæ hic recenſere longum eſſet. Ea diuturnitate quoque temporis omnis vſucapionum atque præſcriptionum materia vires trahit, latius digeſta quàm vt hic referri debeat. Is quoque qui patrato facinore toleratus, diúque impunè egit, ſi ad pœnam trahatur, mitiùs plectetur, aliquatenúſque ſubleuabitur: quod eius legis argumento admiſſum eſt, quæ pœnam eius temperari mãdat, qui diutino tempore in reatu fuit. *l.ſi diutino.de pœn.* Eſt autem reatus, habitus ipſe reorum, cum ſqualidi, promiſſa barba, de ſalore litigant, & rerum ſuarum anxij ſatagunt. Sed & decretum actui neceſſarium ea diuturnitate temporis interueniſſe præſumitur, *l.qui in aliena.§.1.ff.de acq.her.* & iuſſu patris filiumf. hereditatem adiiſſe eadem cauſa creditur *l.ſi filius.C.de pe.he.* Sed & ſi longo tempore fratres ſeparatim hereditatem paternam poſſederint, veriſimile fit, familiæ inter eos diuiſionem factam *gl 1.l.pen.com.di.c.* Vice verſa propter nimiam temporis celeritatem oritur mala præſumptio. Quapropter lex priuilegia Doctorib. concedens, de his non intelligetur, qui nec debito tempore ſtudiis operam dederint, nec ſeruato ordine, ſed per ſaltum promoti fuerint. *l pe.de ad.di.in.* Bruredium Nigrum (inquit Corn. Tacit.) artibus honeſtis copioſum, etſi rectum iter peragerer, ad clariſſima quæque iturum feſtinatio ſtimulabat, dum æquales, dein ſuperiores, poſtremò ſuaſmet ipſe ſpes antereparat: quod multos etiam bonos peſſumdedit, qui ſpretis quæ tarda cum ſecuritate, ad præmatura vel cum exitio properant. His igitu. iure illud carmen obiici poterit: *Tu nimium properas, & adhuc tua meſſis in herba eſt.*

Ad ſupradicta & illud pertinet, quòd qui diutiùs perſiſtere noluerit, & à munere ſibi conceſſo deſciuerit, priuilegio regis indignus plerunque exiſtimatur *l.3.C.de dom.& protect.lib.12.c.* Quapropter qui aduocati, vel protectores, vel id genus palatini, quinquennio deſtiterint, ab albo abraduntur, munetéque priuantur *l.fin.C.de ad.di.iud.* Nam & indulgentia principis milites hi non fruuntur, qui militiam non continuant *l.ne quidam.C.de teſt.mil.* quod & de immunitate artificibus conceſſa traditum eſt: ea enim indigni cenſentur, qui huiuſmodi artem amplius non exercent. *l.ſemper.de iu.im.* Quo exemplo & in ſcholaſtico receptum eſt, ſi vagus & deſes relictis ſtudiis vitam degat, ceu exauctoratum cæterorum priuilegiis vti non poſſe. Nam & collegij immunitatibus is non vtetur, qui quamois in collegium receptus ſit, artem tamen non exercet, *l.qui in collegio.de excuſ.* etiam ſi loco ſui alium ſubſtituit: non enim ideo meliorem ſuam conditionem efficit. Plurima quoque aduerſus eos, qui deſtiterunt, innouata ſunt: quoniam lex perſeuerantes adiuuat, ſopitos verò & deſides negligit. Sic filius inofficioſi teſtamenti accuſationem inſtitutam ad heredem tranſmittit, dum tamen ante obitum omnino non deſtiterit. *l.nam & ſi.§.hered. de inof.teſt.* Sic quamuis per litis conteſtationem actio perpetua fiat, ſi tamen iudicio accepto, quis circa iuſtam cauſam ſuperſedeat, tanquam deſtiterit, fruſtra rem in controuerſiam deduxiſſe exiſtimabitur. *gl.c.placuit.2.§.poteſt.16.q.1.* Nã & è contrario, lex generaliter pœnam imponens in eo, qui non perſeuerauerit, plerunq; limitabitur. Ecce qui accuſat teſtamentum ceu falſum, vel inofficioſum, eius omni commodo priuatur, niſi incœpta lite deſtiterit. *l.alia. C.de his qui.vt ind.* Patronus qui libertum capitalis facinoris reum detulerit, iure patronatus mulctatur, ſi non litem deſeruerit *l.in ſeruitutem.§.periſſe.de bon.lib.* Filius vel libertus qui ſine venia patrem, vel patronum in iudicium traxerint, ex edicto mulctam pendere iuſſi ſunt, niſi tamen omiſſa lite malint maiorum ſuorum humanitatem experiri. *l.quamuis.de in ius voc.* Qui ſe liti obtulit, cum non poſſideret, perinde condemnatur, atq; ſi poſſideret: quod ſi ante iudicium acceptum pœniteat, & ſe poſſeſſorem neget, contra eſt. *l.is qui ſe.de rei ven.ff.gl.in criminali.C.de iur.om.iu.* Quiſquis reum ad vetitum examen traxerit, & alieno foro litigare coegerit, actione cadit: niſi tamen & ipſe celeri pœnitentia, nimirum ante iudicium acceptum, ſibi conſuluerit. nã & generaliter, quoties quis ob mendacium mulctatur, ſi re integra pœniteat vanitatis, abſolutionem conſequitur. *c.1.§.porro.qua fu.pri.cau.be.am.*

¶ Propter periculum quoq; quod etiam in modici tẽporis mora verſatur, legis generalitati ſæpiſſimè derogatur. Quapropter etiamſi conſtitutũ ſit nuntiationẽ noui operis ſiue iuſtã, ſiue iniuſtã, contemni nõ debere, cũ tamẽ periculũ in mora eſt, rectè negliget *l.de pupillo.§.ſi quis ninos.de op.no.nun.* præpoſterè.n. hac ex cauſa nobis agere permittitur: quod in ea ſpecie apparet, cũ teſtamẽti ſubſcriptores abſũt, poterunt

poterunt tabulæ (ſi mora periculum allatura ſit) aperiri, deinde ſigilla recognoſci. *l. ſed ſi quis ex. ver. & ſi. ff. quemadm. teſt. ap.* Sic quoties mora damnum inferret, non obſtante appellatione, fit executio. *l. ſi. de ap. recip.* In meſſium, vindemiarúmque feriis ius dicitur. *l. eadem. de fer.* Is quoque, qui aliàs rem alienare prohibetur, ex hac cauſa tutò alienabit, vt in herede, qui adhuc hereditatem adire nondum decreuit. *l. Ariſto. de iure del.* vel qui iam adiit, ſed fideicommiſſo reſtituere iuſſus eſt. *l. mulier. §. ſi heres. ad Treb.* Sic qui in poſ. ex primo decreto miſſus eſt, vel qui tanquam ſequeſter depoſitum fidei ſuę accepit, fructus diſtrahet tempore perituros. *l. ſi magiſtratus. de priuil. cred.* Sic propria auctoritate ei, qui cum pecunia mea fugiat, manum iniiciam, *l. aut. §. ſi debitorum. de his qui in fran. cre.* quemlibétque fugitiuum etiam non citatum, in neruum traham. Sic iudex famoſum latronem neci dedet, quamuis ad iuriſdictionem ſuam non pertineat, *Iaſ. l. 1. de of. eius.* ſi interim dum præſidem moratur, periculum ſit, ne euadat. Cor. quoque Tacit. Seditionem, inquit, cœptantes præſenti duorum militum ſupplicio repreſſi ſunt. Iuſſerat id Memmius caſtrorum præfectus, bono magis exemplo, quàm conceſſo iure.

¶ Ex eo quoque reſtringitur legis regula, quòd in tempore res geſta non ſit, ſoletq; dici, [Serò ſapiunt Phryges.] nam & deiectus poſſeſſione cùm petitorio iudicio expertus fuerit, ſi poſt altercationes, probationéſque concluſum in cauſa ſit interdicto, amplius non erit audiendus, *c. paſtoralis. de cauſ. poſ. & propr.* quamuis aliàs ſpoliato ſoleat concedi, vt ſuſpenſo petitorio momenti cauſam proſequatur: hoc enim caſu ſerò ſapiens factus eſt. Sic & licet receptus inter eos interim alium accuſare poſſit, non tamen poſtquàm in cauſa ſua concluſum ſit, hoc iure vtetur. Bart. *l. is qui reus. ad ſi. de pu. iu.* Sic & ſententia aduerſus procuratorem mutatam lata, efficax erit, ſi mutationis non, niſi poſtquam in cauſa concluſum fuit, certior ſit factus. *c. audit. de proc.* Quo exemplo & illud in confeſſo eſt, quolibet tempore venditori denuntiari poſſe, vt liti adſit, ne res euincatur, dum tamen prope ipſam cõdemnationem id non fiat *l. ſi rem quam. 1. §. ff. de eui.* Sic & actori ius ſuperueniens ſolet, pendente lite, opitulari, dum tamen, poſtquàm in cauſa concluſum ſit, adeptum non proponatur. Bart. *l. ſi mater. §. eandem. de exc. rei iu.* Ceterùm ad hæc quoque pertinent, quæ propter ſenium, vel vetuſtatem inducta aduerſus communes regulas in iure noſtro frequenter leguntur: qualia ſunt, in re dubia confuſiſque teſtimoniis antiquioribus potiùs credendum eſſe: è contrario, patrato facinore cum quæſtione exquirendum eſt, à iunioribus incipi debere. *l. 1. §. 1. de qu.* Cùm inter plures heredes dubitatur, penes quos tabulæ teſtamenti deponendæ ſint, verius eſſe, vt antiquiorem præferamus. *l. ſi. de fid. inſt.* Sic inter agentes in rebus, gradu, inquit lex, cæteros antecedat, quem meliora ſtipendia, vel labor prolixior fecerit anteire. *l. 2. C. de of. mag. of.* Sic præfecto collegij abſente, eius vicem, qui ordine vetuſtior eſt, ſupplebit. *l. 2. C. de præfec. præ. ſi.* ſolet enim antiquioribus pluribus ex cauſis deferri, nã & plurimùm illi mente valent, licet iuniores ocyus addiſcant, quod *in probl. ſect. 30.* Ariſt. atteſtatur. Propter rerum quoque vſum callidiores habentur, vnde maior in ijs eſt prudentia, non ita rerum affectibus mouentur, & ideo certiora ſunt iudicio. Ad hæc & erga deorum cultum ſunt reuerentiores, tanquam ad eos quamprimùm tranſituri: vnde & Græcum carmen etiam adagio celebre,

Ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ δὲ γερόντων.

Vota ſenum, iuuenum facta, & conſulta virorum.

His igitur pleraque meritò indulta ſunt, quib. generalitate legum eximuntur: præſtat enim pleriſque in rebus ſenectus maiorem auctoritatem, præſtat excuſationem, præſtat maiorem obſeruantiam, quę omnia ſigillatim referre præſentis non eſt inſtituti. ¶ Ex bono quoque fit generalis reſtrictio variis ex cauſis, quarum potiſſima quæ ad Reipub. vtilitatem pertinet. Lex enim quantumuis amplis verbis concepta, interpretatione reſtringitur, ne publicæ vtilitati obſit: & ideo tali caſu nullum crimen incurrit qui reſcripto principis non obſequitur. *l. nec damnoſa. C. de prec. impe. of.* licet aliàs pro ſacrilego eſſet. Sic & iuniores impunè ſenectutem non venerabuntur, cùm ex hoc publica vtilitas læderetur. *l. potioris. C. de of. rect. prou.* quod ex oratione Scipionis apparet aduerſus Q. Fabium, lib. T. Liuij 38. Sic priuilegia immunitatis ampliſſimis verbis concepta ad tempus belli non protrahentur, cum ex hoc publica læderetur vtilitas *l. iubemus. C. de ſac. ſan. ecc.* Sic propter generales priuilegiorum derogationes, ea ſublata non intelliguntur, quę pro publica vtilitate vigilantibus conceſſa ſunt. *l. decurionibus. C. de ſil. lib. 12.* Sic quamuis ſolus princeps exuli veniam reuertendi indulgeat, ex cauſa tamen publicæ vtilitatis etiam legatus Cæſaris id iuris præſumet: vt cum veniam ſe exuli daturum edicit, qui alium exulem occiderit, vel tradiderit quod non niſi magna ex cauſa faciendum eſt. *l. non omnes. in ſi. de teſt. mil.* Sic lex generaliter ſeruum manumitti prohibens, de eo non intelligetur, cui ex cauſa publicę vtilitatis id præmium conſtitutum eſt. *l. 3. §. is quoque. ad Syll.* Sic aduerſus leges, rationémque naturalem receptum fuit, vt filius, tametſi non heres, pro primipili debito teneretur, vxórque in pignore poſteriorem cauſam habere cenſeatur. *l. 4. C. de primip. lib. 12.* cùm enim annona militaris apud primipilum reſideat, publicè intereſſuit, nullam eius ad diem dimenſioni moram fieri, & qualemcunque pro neceſſitate tam euidenti cogi. Sunt & id genus alia pleraque, quæ quod nominatim Bald. *l. 1. C. de hered. vel act. ven.* commemorat, à nobis recenſeri operæpretium non eſt. ¶ Ex hoc conſequens eſt, vt etiam propter pacem multa ſpecialiter permiſſa oſtendamus, quib. generalib. legib. derogatum eſt: & ideo poteſt Reſpub. ciuis ſui bona alienare, vt pacem cum hoſte redimat: reſpõſúmque eſt, valere fœdus, quo hinc & inde direpta inter hoſtes remittuntur in eorum damnum, quib. ablata ſunt, ſi aliter pax fieri non potuit. *Bal. Ang. l. bene à Zenone. C. de quad. præſc.* Sic & impuberes matrimonio coniungi prohibentur, niſi ſuadente pacis vtilitate hoc fiat. Hinc etiam traditum eſt, filium qui patri exuli alimenta pręſtare poteſt, ſi cui ob violatũ pacis fœdus pœnas pater luit, hac obligatione non teneri. *c. 1. §. ſi quis hominem. de pa. te. in feu.* Et quę de pace probantur, etiam tunc locum habent eũ de euitando periculo, ſeu offenſione (*σκάνδαλον* Gręci dicunt) agitur, quo caſu pręſes nec appellationem recipiet, nec nocentes pœnã remorabitur: vt quia latronẽ manifeſtum, vel ſeditioſum, & factione cruenta famoſum mi-

litem deprenderit. *l.ſi quis fil.§.quid tamen.de inin.rup.* nam & iuſſionibus principum impunè non parebitur, cùm inde publica quædam infamia ſcandalúmque exurgeret. *c.ſi quando.de reſcr.* cùm generaliter receptum ſit, diſpenſationem principis nullam eſſe, cùm ſine manifeſto ſcandalo adminiſtrationiſque decoloratione admitti non poteſt. 1.*q.*7.*de le.etſi illa.* Quinimò ipſe Rom.Pont.quem aliàs viuentium nemo iudicat, ſi manifeſtè tanti ſceleris reus ſit, vt apud eccleſiam malè audiat, ſcandalumq́; inde oriatur, poterit apud vniuerſale concilium accuſari, *gl.c.ſi Papa.*40.*diſtin.* itémque gradu deiici, quod & frequentiùs receptum eſt, *Dec.conſ.*158. Nec his diuerſum eſt, quòd propter futuri mali periculum, pleraque à ſummo iure remitti conſtat: vnde nepti nubenti ſolus aui conſenſus ſufficit, nec pater expectandus eſt, *l.oratione.§.pen. de rit.nupt.* ne interim, dilatis nuptiis, dedecus aliquod muliebri facilitate ſubeatur. Qua ratione & qui in prouincia officium adminiſtrat, in ea filias ſuas matrimonio collocare poteſt, *l.ſi quis officium.in fi.de rit.nupt.* licet in filio non idem reſponſum ſit: propter honeſtatem enim conſeruandam anguſtior aliquando fit interpretatio. *l.*2.*§.*1.*vbi Iaſ.de in ius voc.* Nam & alicui honori deſignatus ante confirmationem adminiſtrare non debet, niſi is ad quem ius confirmandi pertinet, tam longè abſit, vt interim periculum ſit, ne ad honorem facientia iura diſſipentur, & pereant. *c.nihil.de elect.in ant.* § Propter actus infirmitatem iniquitatémq́;, legis generalitas etiam quandoque minuitur. Quapropter confirmatio generalis ſtatutorum ad iniuſta non producitur. Idem in iuſſione, qua quis pro eorum obſeruatione iureiurando in verba Reipublicæ adigitur. *c.*1.*de iureiu.in* 6. Et conſtitutio pro contractibus ſolui centeſimam iubens, ad illicitos contractus non trahetur. *l.*2.*C.de eunu.* Et qui lege municipij prohibentur decurionibus aliquas actiones cedere, non tenebuntur lege, ſi actu nullo, vel irrito ceſſerint. Ad hæc generalis eſt regula, quoties lex de ſententia, teſtamento, contractu, inſtrumento verba facit, de validis vtriq; ſemper intelligi. *l.*4.*§.condemnatum. de re iud.* Sic quod dicitur, vltimis pactionib. priores extingui, intelligitur, ſi iure valeant. *l.ſi quis ante. de acq. poſ.* Sic prioris gratiæ mentione non facta, ſequens ſubreptitia cenſetur, niſi tamen prior inualida fuerit. *gl.c.ex tenore.de reſcr.* Sic familiæ erciſcundæ iudicio, omnium rerum inter heredes communium diuiſio fit: ſi qua tamen illicitè in his reperiantur, vt mala medicaméta, in ea actione non diuidentur. *l.cætera.§.mala.fam.erc.ff.* Nam & de re illicita ſocietas contrahi non poteſt. Mandatum quoque ſemper reſtringitur, ne quid aduerſus leges commiſſum exiſtimetur. *l.ſi procuratoris.de cond.ind.* Vnde & filius, qui peculio accepto, iuſſu patris negotietur, fœnore vel malis artibus quæſita non præſtabit: non enim id factum patris voluntate credibile eſt. *Bart.l.cum oportet.C.de bon.quæ lib.* Cęterùm & leges, quæ generaliter aliquib. dignitates, vel officia conferunt, propter delictum, vel mali futuri quandam pręſumptionem reſtringuntur. Quo fit, vt qui ſemel ab officio deiectus eſt, iterum recipi non debeat. *l.nullus.C.de pal.ſac.larg.* Quapropter Quęſtor propter ſordes à munere exclusus, non niſi ex certa principis ſententia amplius audietur, *l.ſi quis.C.de cohor.* quod & in tabellione. itémque tutore reſponſum eſt. *l.ſi cui.§.iiſdem.de accu.* Vnde & comes Palatinus, cui ex ſacro reſcripto tabelliones creandi ius ſit, ex crimine ſummotum non reſtituet. *l.*2.*& l.qui cum.C.de diuer.of.lib.*12. § Propter affectationem quoque fit huiuſmodi reſtrictio, quod in eo exemplo apparet, quo proditum eſt, priuilegia alicui propter officium indulta, ei non competere, qui ſumma affectatione per precum importunitatem obtinuerit. *l.vniuerſi. C.de lega. lib.*10. odio enim lex ambitioſos hoſce inſectatur, anxietudinémque omnem damnat. Vnde tametſi errori iuſtam excuſationem præſtet, ſi tamen ſit affectatus, non pręſtabit. *l.qui contra.C.de inc.nupt.* quod & ignorãtia admiſſum eſt. *l.ſi ſeruus plurium.§.ſi quis.de leg.*1. Idémque in eo, qui vltro abſens fuit, vt excuſari poſſet, reſponſum eſt. *l.& qui data.ex quib.cau.maio.ſi.* Sic & tutor qui tres tutelas affectauit, vt ab alia excuſaretur, audiendus non eſt, *l.ſpadonem.§.ſi.de excu.tu.* quod & generaliter ſtatutum eſt, in quibuſcunque cauſis, quibus tutores excuſari ſolent, vt affectare non poſſint. *l.vxoris.§.*1.*de fal.* Sic Bartolus, cùm propter pacem generalis abolitio cõceſſa eſſet, ea vti non poſſe reſpondit, qui hoc futurum præuidentes cõfidentius deliquerint. Bart.*l.*1.*§.hac auth.ſi quis teſt.* Huc etiam adferenda ſunt, quæ propter probabilem metus vel violentię ſuſpicionem, ex regulis iuris detorquentur: vt cùm formam, quæ in Rom.Pont.comitiis cõſtituta eſt, non ſeruari poſſe aiunt, cùm probabilis metus Cardinalib. perſuaſerit, vt aliò eant, quàm quo loco Pontifex fato functus ſit. *c.vbi.§.porro.de elect.in* 6. Sic prætor in proximo oppido ius dicit. cùm pro tribunali tutus in ſua vrbe eſſe non poteſt. *cle.*1.*de fo.com.* Nam & propter iuſtum timorem omiſſa appellatio non nocet: eiuſque denunțiatio, etiam ſi legitimè facta non ſit, damno non eſt. *c.ſi.de appel.* Generalitérque lex ait, in omnibus cauſis, pro facto accipitur id, in quo quis alium perhorreſcit, quò minus fiat. *l.in omnib.in tit.*1.

§ Ex iuſta quoque excuſatione legum iuſſa plerunque temperantur: qui tractatus latiſſimus eſt, ſed nos paucis exemplis contenti, cætera diffuſius pertractanda otioſioribus relinquemus. Et in primis iuſtus error, vel ignorantia meretur, vt ei ſuccurri debeat, ſi tamen probabilis ſit. Idq́ue in delictis, in contractibus, in vltimis voluntatibus receptum eſt. Quapropter ſacris ei non interdicetur, qui imprudens initiatum percuſſit. *c.ſi vero aliquis.*1.*de ſen.exc.in ant.* Lege Cornelia iniuriarum non tenebitur, qui matronam ſuſpicatus ex habitu meretricem eſſe, compellauerit. *l. item.§.ſi quis virg.de iniur.* Non cenſebitur receptator, qui ignorabat patratam cędem. *l.*1.*de recept.* Nõ erit inceſti ręus, qui ſibi cum ſtuprata intercedere neceſſitudinem neſciebat. *d.l.qui contra.* Qua ratione & tyroni delinquenti propter præſumptam militaris diſciplinæ ignorantiam, faciliùs indulgetur. *l.qui commeatus.de re mil.* Ei quoq; qui exulem occiderit ignarus, reſtitutum eſſe, cauſa cognita, noxæ reus non erit. Bart.*q.*1. Sicut nec ei qui abominato interdictóq; opem feret, dum eiuſmodi hominem illum ignoret. *c.inter.de ſent. exc.* Vice verſa, qui exulem neſciens occiderit, præmium non conſequitur à lege municipali his promiſſum, qui hoc hominum genus de medio ſuſtulerint. Bart.*l.*3.*§.verum.ad Syl.* Et generaliter fatendum, ignorantiam facti probabilem excuſare, quò minus pœnæ ſit locus. *l.ſemper.§.ſed et ſi is.in fi.quod vi aut clam.* In contractibus quoque idem dicendum eſt, quapropter qui canonem, ſtata die non ſolauit, ign

uit,ign

uit,ignotans rem emphyteuticam eſſe,à iure ſuo,effectu non cadet.*gl.l.2.C.de iu.em.* Sed & cliens aut emphyteuta,qui dominum non agnouit,& clientem ſe vel emphyteutam negat,eadem ratione excuſari poteſt.*c.vnic.§.ſi vaſallus.ſi de feu.fue.contr.* dum probabilis ſit is error. Heres quoque cum veriſimiliter,quid teſtator fecerit,ignoret,à pœna quam ille promiſerit, reſtitutione in integrum liberabitur.*l.cùm filius.§.in hac.de ver.ob.ff.* Senatuſconſulto quoque Macedoniano non excluderetur,qui filiofamilias mutuam pecuniam dedit,cùm ſe ſui iuris eſſe ille aſſereret,*l.2.C.ad Maced.* & ita ſe publicè gereret. Creditoribus quoque emphyteutæ ſuccurreretur aduerſus dominum,qui fuodo emphyteutico manum iniecit:quoniam canon ſibi non ſolueretur.*l.lex vectigali.de pign.* nam quamuis,reſoluto iure emphyteutæ propter legē contractus creditores excludātur,æquitas tamen ſuadet,vt recepto ab his canone, eos dominus in emphyteutæ locum reponat, cum veriſimiliter ipſi, ſi negligentiæ debitoris admoniti fuiſſent, vt pignoris ius conſeruarent, de ſuo ſatisfeciſſent, quod ex facto Alex.reſpondit, *conſ.45.in 5.* & iniquum nobis viſum non eſt, Sed & eadem ratione aduerſus præſcriptionem domino ſuccurretur, cùm iuſtè ignorauit rei ſe præſcriptæ dominum eſſe:quod etiam in xl.ann.præſcriptione receptius eſt.Bart.*l.1.§.ſi quis autem.de itin.act.pri.* Filius quoque quem ignoranter habere ſe neſciens teſtator præterierit,nec legata quidem ſoluet,Bart.*l.filio præterito.de iniu.ru.* hereditatis quoq; tranſmiſſio ab eo,qui probabiliter ſibi delatam ignorauit,in heredem fiet, decretóque prætoris illi prouidebitur,*l.Paronius.de acq.her.* Sed & miles,qui neſcius filium præterit,nequaquam exheredaſſe eum cenſebitur. Lex quoque alienationem rerum,quæ fideicommiſſo ſubiiciuntur, prohibens,non obſeruabitur,cùm heres iuſta ignorantia fidei nihil cōmiſſum fuiſſe credidit, *l.militis.§.miles.2. de teſt.mil.*

¶ Defectus quoque iudicis iuſtam pręſtat à lege generali recedendi occaſionem:quapropter poterunt decuriones propria auctoritate manus ei iniicere,quem curiali fortunę adſtrictum contendant,*l.fi.§.ſi.de leg.2.* ſi præſidis adeundi facultas non adſit.nam quamuis lex generaliter conſtituat ſibiipſi ius dicere poſſe neminem,ſi tamen iudicis copia deſit, propria auctoritate illatam iniuriam vlciſci fas eſt, *l.generali.C.de decu.* Vnde qui de poſſeſſione deiectus eſt,etiam poſt aliquod tempus propria auctoritate prædonem deturbabit,ſi præſes abſens proponatur.*l.nullus.C.de iud.* Sic vacante Rom.Imp.ſolio pontificis ipſius auctoritas exquirenda eſt. *l.ſi alius.§.belliſſime.quod vi aut clam.* Sic magiſtratibus municipalibus copiam ſui non facientibus,alij iudices tutorem dare poſſunt,*c.licet.de foro comp.* & ſi qua ſimilia. Cæterùm & iuſta ille excuſatione vtitur,qui ſuam vtilitatem alienæ præfert. *l.vbi.de cur. dat.ab his.* Nam(vt ait Accurſ.

Alpibus ille perit qui ſe plus diligit vllum.

Et Euripides,

Μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός.

Id eſt,Odi ſapientem, qui ſibi nihil ſapit. Quamuis igitur aduſque certum tempus domum tibi locauerim,ſi interim in vſum meum ea mihi ſit opus,potero te eiicere.*l.ædem.C.loc.* Quamuis procurationem rerum tuarum ad aliquod tempus ſuſceperim , ſi propriis negotiis occuper , iure rerum tuarum curam deprecabor. *l.filiusf.§.fi.de procur.* Quamuis ex lege lapides vel materiam,quæ in agro meo ſit, vendere cogar:ſi tamen ea mihi vſui ſit,nulla me ratio coget,*l.venditor.§.fi.com.præd.* vt alienum commodum proprio præponam. Sic & cùm ex flumine publico ius aquæ ducendæ princeps concedit,intelligitur eatenus conceſſiſſe,quatenus in publicum vſum neceſſaria non ſit. *l.ſi quis.2.C.de aquæduc.* Non enim thermis , non nymphæis aut balneis ex eo diplomate illarum damnum exiſtimari debet. Sic & conſuetudo,qua quis in nemore alieno ius arborem cędendi vel pecora paſcendi habet,reſtringitur,quatenus in vſum ſuum dominus non indigeat.*Io.And.c.dilect.de ar.* Sic & arbiter negotiorum ſuorum mole oppreſſus, aliena tutò omittet. *l.licet. de arb.ff.* nam & qui non niſi quatenus facere poteſt,conuenitur,eo priuilegio non vtitur,cùm auctor pari calamitate affectus eſt, *Rom.l.maritum. ſol. matr.* & qui aduerſus quemcunque hominem patrocinari promittit, vt aduerſus ſeipſum dicat, cogi non poterit. *c.petitio. de iureiur.* ¶ Excuſandus & ille eſt, qui officij ſui neceſſitate adactus aliquid facit,vt cùm filius vel libertus tutorio vel procuratorio nomine patremfamilias in ius vocant. *l.quæſitum.de in ius voc.* nec enim tum veniam eos impetrare oportet.quod in eiſdem perſonis receptum eſt, cum procurationis vel tutelæ muneri deſeruientes inofficioſum teſtamentum dixerunt, tameſi non obtineant,legato eis in tabulis ſibi relicto non priuabūtur.*l.aduerſus.§.1.de inof.teſt.* Vnde etſi in accuſatione huiuſmodi ex cauſa inſtituta ſuccumbant , non tamen calumniæ notam ſubibunt. *l.mater. C.de cal.* nam & qui iuſſu teſtatoris aliquem manumiſerit,*l.proximè.de rit.nupt.* qui legis imperio obſequēns facinoroſum cepit.præmio nullo dignus eſt,*d.l.3.§.vtrum.ad Syl.* cùm muneri impoſito vterq; potiùs rectè defunctus dicatur,quàm ſponte adactum,rem præmio dignam voluiſſe exequi.Sic & iudex qui ex officij neceſſitate inter partes de fundo ius dixit,non propriæ ſententiæ exceptione rejici, ſi alio iudicio fundum ad ſe pertinere intendat. *c.inter dile.de fid.inſ.* ſi verò alij iuriſdictionem mandare potuit,ſibi imputet.Nam & generaliter propter neceſſitatem à iure communi diſcedimus. cùm enim humanis in actionibus plurimum conſenſu tribuatur, qui ex neceſſitate agit,non ideo conſentire exiſtimatur.*l.cùm fides.de fid.lib.* quare nec pœna ſponte delinquentium plectetur.Sic qui adigente ſame propter neceſſitatem furtum facit,laqueo non præfocabitur,tameſi municipij lex generalibus verbis concepta ſit.*cap.ſi quis.de furt.* Sed & multa propter neceſſitatem conceduntur,quæ aliàs prohibentur : quapropter metu belli poterunt ciues diuinam domum vel ſacram turrim munire , & eis pro propugnaculo vti.*Inn.c.cum eccleſ.de im.ec.* Ead.ratione& in eccleſia fas erit hoſpitem recipere,*42.diſt.nulli epiſc.* & baptiſmi ſacramentum etiam à ſeculari conferri.*c.ſanctum.de conſ.diſt.4.* ex neceſſitate enim lex permittit, conſtitutos à iudicibus ordines negligi. Bar.*in l. cum nauarchorum. C.de nauic.lib.11.* Vnde & res prohibita alienari,quandoque propter neceſſitatem diſtrahitur. *l.2. C.de pat. qui fil.* &iudex qui merum imperium,ſeu gladij ius alteri demandare non poteſt,propter neceſſitatem

tamen

tamen iure ſubſtituit. *l.placet.C.de ped.iud.* Sic & ſpurij,& ignominia notati homines quandoque propter neceſſitatem ab honoribus non reijciuntur. *l.eos. l.ſpury. de decur.* Sed & quoties lex conſenſum aliquorum requirit,etiam eis inconſultis(ſi neceſſitas ſubſit) recte agetur. *l.tutor qui reper.de adm.tut.* quod pluribus exemplis à recentiorib. productum eſt. *Fel.c.cum accesſiſſent.de conſt.* Illud tamen ſciendum,quæ neceſſitate ſuadente conſtituta ſunt,ea ceſſante aboleri : quoniam quod contra regulas iuris pro neceſſitate ſtatuitur,ſolum ſibi locum vendicat,quatenus ſubſit neceſſitas. *l.ſenatusconſulto.de offic.præſ.* Sed & non ſolet hæc excuſatio his prodeſſe, qui ſe ſponte ei negotio intruſerunt, vnde neceſſitatem futuram proſpicere potuerunt. *l.ſi fideiuſſor. ff.qui ſat.cog.* quapropter, Agareni milites ex prætextu , quòd à principibus ſuis præter furandi impunitatem alia ſtipendia non percipiant , excuſandi non ſunt:quis enim eos compulit, vt talem militiam ſequerentur? quod & Angel.ſcripſit *in l.3. §.cum in eundem.ff.ad leg. Rhod.*

ANDREÆ ALCIATI IVRISC. MEDIOLAN.

DE VERBORVM SIGNIFICATIONE,

Liber Secundus.

SVperiore libro quo à nobis de eo intellectu tractatum fuit , qui ex proprietate ſermonis aſſumitur,potuit & quidnam improprium ſit, quod Græci ἄκυρον dicunt, M.Fabio auctore *lib.8.c.2.* cognoſci : nimirum vt improprium dicatur, cùm quámque rem non ſuo nomine appellamus:quo vitio tyronem ſuum M.Cic. *epiſt.lib.16.* arguit, qui valetudini fideliter inſeruiendo ſcripſerat, quod aduerbium alieno loco poſitum, vt impropriè dictum ipſe non probat. Illud etiam improprium cenſeri vulgò traditur , quòd cum aliqua adiectione , non autem ſimpliciter profertur, Bart. *§.quæſitum. l.Lucius. de leg.3.* vt cùm fratrem patruelem dicimus, cùm patruum magnum. Quapropter in lege municipali , quæ fratrem vel patruum matri præferat, huiuſmodi vocati non intelligentur. *Doct.in l.1.de ſuc.edict.* Sed quid in ſorore,quam vterinam appellant?& propriè ſororem eſſe cùm in ſecundo gradu ſit, receptius eſt, quæ vterina non propter improprietatem, ſed ratione differentiæ dicitur. *Soc.conſ.25.in 3.* Sicut & pronepos & proauus propriè nepos atque auus eſt: quoniam præpoſitio illa ordinem non abuſionem oſtendit. Ad improprietatem quoque dictiones illæ trahuntur,quæ ex larga quadam ſignificatione quippiam denotant:cùm enim proprium ſit,quod vni ſoli conuenit,non caret abuſu, qui latiore verbo id deſignat, quod peculiari voce dicendum erat,vt cùm lex Iulia quod adulterium eſt,ſtuprum dicit. *l.inter liberas. de adult.* vel cùm lex,manumittuntur, inquit,apud Proconſulem tam liberi quàm ſerui:quod enim ad liberos attinet,manumiſſio impropriè dicitur. *l.2.de of.procon.& leg.ff.* Sed & cùm emphyteuta, vel qui vectigalem fundum à municipibus habet,ſe dominum appellat, impropriè loquitur : quoniam verè dominium eſt,quod directum vocamus. *l.1.ſi ag.vect.ff.* Illud tamen dubium non eſt,ſub genere ſuo quamlibet ſpeciem propriè comprendi,quod à nobis *lib.1.ſup.* alibi diffuſius explicatum eſt. ¶ Igitur in hac ſpecie illud proditum pro regula eſt,verba ſecundum improprietatem intelligenda non eſſe. *gl.non aliter.de leg.3.* quod tamen perpetuum non eſt,ſed pluribus caſibus coarctandum:Quorum ille ampliſſimus, quando ſubiecta materia aliud ſuaderet, vt cum dominus remiſſionem colono ob ſterilitatem dans, verbo donationis vtitur. *l.ſi vno.loc.ff.* intelligetur enim potius tranſactum:& ideo ſubſequuta vbertate,repetetur. Sic emptor fundum dari à venditore ſtipulatus , ſecundum contractus naturam intelligetur, vt ſi venditor dominus non ſit, ſufficiat tranſlata vſucapionis facultas. *l.ſi ſtipulatus.de vſu.* Nam & qui vendere ſe tibi inſulam aſſeruit,vt aliam reficias,non ideo vendidiſſe cenſebitur,& idcirco præſcriptis verbis agendum erit. *l.inſulam. de præſcr.ver.* ſemper enim ſubiectæ materiæ ratio quid ferat,perſpiciendum eſt. Conſtituo Titium ſyndicum tuum, cùm procuratorem debuiſſem dicere, nihilominus erit procurator. Idem ſi,ſubſtituo,dixiſſem. *Fel.c.in tantum.de ſim.in antiq.* Sic monachus cum in profeſſione ſibi reſeruari proprietatem fundi dixiſſet, reſponſum eſt de vſu accipiendum. Sic, ſi iuſto pretio fundum in emphyteuſim me tradere dicam,non emphyteuſis,quæ modico pretio conceditur,ſed locatio erit. Eodem modo, cùm princeps, accepta pecunia, feudum ſe mihi donare dixiſſet, placuit venditionem eſſe. Sic cùm fœnerator oblatas vſuras donare ſe debitori dixiſſet, reſpondit Bald. *in l.fin. C.de vſur.* non donationem,ſed reſtitutionem cenſeri. ¶ Alius eſt caſus,quo verba impropriè accipiuntur,quoties mens contrahentium , vel teſtatoris hoc ſuadet : non enim ſemper proprijs vocabulis vti poſſumus, *l.ſi tibi.ſi cer.pet.* & intentioni verba ſubſeruire debent. Et ideo,ex contrahentium mente,vendidit, interpretabimur id eſſe, quod permutauit , & locationem pro conductione : & emit reditus annuos,pro eo quod eſt,conduxit. Sic & in teſtamento,cum dominus ſeruo ſuo legaſſet aureos quinque, quos tabulis rationum ei debebat,ſufficiet quod naturaliter tantùm debebatur. *l.quibus. §.dominus. de cond.& dem.* nam nec teſtatores omnes ſciunt iura. Et ideo non refert filio dicant ſe relinquere iure inſtitutionis,an ſolùm dicant ſe aſſignare. Et qui filio dixit, ſe Titium tutorem dare vſque ad xxv. annum,poſt annos pupillares non tutorem,ſed curatorem conſtituiſſe videbitur. *Ang.l.2.C.de confir. tut.* ¶ Alius eſt,cum ex proprietate intellecta verba contractum redderent nullum:vt enim actus ſuſtineatur,accipietur etiam impropria interpretatio. *l.is qui putat.de acq.her.* Quapropter filiusfamilias, defuncto patre,qui hereditatem ſibi delatam adire ſe dixerit, immiſcuiſſe ei ſe cenſebitur : quoniam vt actus valeat,fiet impropria interpretatio,nec ex illis verbis ſumetur coniectura,neſciuiſſe eum an neceſſarius eſſet. Sic & cum aliquis Titium & ſuos inſtituiſſet,de filijs intellexiſſe reſponſum eſt,tametſi extra poteſtatem ſuam eſſent : licet enim filij ſui heredes propriè ſint , qui in patris manu ex lege

xij. Tab

xij. Tab. erant, tamen ne ſubſtitutio corruat, etiam ſuos heredes in fœmina intelligemus, quos ipſa in poteſtate non habet, nec habere poteſt. *Guid. Pap. dec. 548.* Sic pater filium, & nepotes inſtituens ordine ſucceſſiuo contra naturam coniunctæ inſtituiſſe videbitur, tanquam id fecerit, ne, ſe viuente, mortuo filio, præteritione teſtamentum rumperetur. *l. Gallus. §. 1. de lib. & poſt.* In ſententiis quoque iudicum fit eadem interpretatio: vnde ſi alij fundus, alij vſusfructus adiudicatus ſit, non erit vſusfructus communicandus, ne videatur id iudicatum, quod in iudicis mandato non continetur. *gloſ. l. & puto. in prin. fam. erc.* qui enim familiæ erciſcundæ diſceptator aſſumitur, non communicare, ſed diuidere debet. Sic cùm proximum agnatum iudex tutorem ſe dediſſe in decreto aſſeruiſſet, reſpondit Bartolus, dediſſe, id eſt, datum confirmaſſe & declaraſſe intelligendum. *Bar. l. 1. C. de neg. geſt.* In libellis verò iudiciariis huiuſmodi expoſitio facilius admittitur, cùm ex partium intentione ſoleant declarari, *l. ſi quis intentione de iud.* quod & in teſtimoniis receptum eſt. *c. cum in. de teſtib.* fit enim ſemper interpretatio, ne diſcordes, & periuri teſtes ſint. Idem ne pugnantia inuicem dicta videantur: ſemper enim etiam in quacunque materia repugnantia huiuſmodi excludenda ſunt, & ſcripturæ ſcripturis concordandæ: & ſi qua diuerſa vel diſcrepantia videntur, conciliari inuicem debent. *l. fin. C. de edendo.* ❡ Sed & ne eluſoria diſpoſitio reddatur, verba impropriè accipientur: quod ea ſpecie conſtitutum eſt, cùm Rom. Pontifex alicui ciuitati ſacris interdixit: licet enim ciuitas propriè ſolùm intelligatur, quatenus mœnia ambiunt, tamen hoc caſu etiam de ſuburbiis actum credetur, *c. libr. 6. ſi ciuitas. de ſent. excom.* alioquin nullius effectus huiuſmodi eſſet abominatio. nam & eadem ratione vſu ſyluæ legato, Hadrianus conſtituit vſumfructum deberi. *l. diuus. de vſu & hab.* quia niſi liceret legatario cædere ſyluam, nihil ex huiuſmodi legato conſequeretur. Idem cùm qualitas perſonæ à proprietate verborum nos recedere ſuadet, vt cum pater filio pro falcidia ſua legat: intelligetur enim de triente iure naturæ debito. *Bar. l. 1. ad leg. Falc.* nam etſi vir imperitus quicquam dixerit, non propriè, ſed craſſa minerua accipiendum erit: quod maximè in his obſeruandum, qui vulgari & ſimplici modo quicquid in buccam venit effutiunt. *gl. l. quoties. fam. erc.* Sic ſeruus, qui ſibi licere poſſidere ſtipulatus eſt, de ſimplici detentatione, non autem ciuili poſſeſſione intelligitur. *l. ſtip. iſta. §. hi qui. de ver. obl.* quod etiam ad teſtes productum eſt, qui de his teſtimonium perhibent, quæ vident, nec poſſeſſionem, quatenus iuris eſt, diffinire ſciunt. ❡ Ex abſurdo quoque vt euitetur impropria ſignificatio, accipi poterit, quoniam regulariter traditur, ſemper ita legem interpretandam, vt abſurda non tolerentur. *l. nam abſurdum. de bon. lib.* Quapropter lex eum qui furti pactus ſit, ne damnaretur infamia notans, de pacto gratuito non intelligetur. *l. furti. §. pactus. de infa.* id quippe inhumanum eſſet. Sic vbicunque verba legis ad abſurdum trahi poſſunt, partes iudicis erunt decreto rem temperare: quoniam tali caſu non videtur hæc fuiſſe legis mens. *l. ſcire. §. aliud. de excuſ. tut.* Sed & in edicto prætoris, quo parentes ſine venia in ius vocari nequeunt, parentes non propriè tantùm vſque ad tritauum, ſed omnes in infinitum accipiemus. *l. 4. §. de in ius vocan.* quoniam huc honeſtius eſſe lex ait. Et ex his ſequitur, cùm lex dicit, in ambigua voce legis, eam potiùs accipiendam ſignificationem, quæ vitio caret, *l. in ambigua. de legib. ff.* cenſeri ambiguam vocem vocem quæ propriè vnum, impropriè aliud ſignificat. Propter vitium enim ad proprietatem illam non attendemus, cùm & generaliter receptum ſit, nunquam legem ita interpretandum, vt iniuſtum aliquid aut rationi contrarium inducat. *l. ſi. §. in computatione. de iure delib. C.* Sæpe, ait Iulianus, animaduerti hanc partem edicti habere nonnullas reprehenſiones. *l. Saluius. de leg. praſt.* decreto itaque iſta temperari debebunt, & quæ ſequuntur. ❡ Cæterùm illud generaliter fatendum eſt, ſemper fieri interpretationem verbis impropriè acceptis, quoties de mente veriſimili conſtat, quæ ex conſuetudine patrisfamil. vel loci in quo verſatur, poteſt deprehendi, itémque dignitate, charitate, neceſſitudine, ex his quæ præcedunt, vel deinde ſubſequuntur. *l. ſi ſeruus plurium. §. fi. de leg. 1. ff.* Idémque quoties aliqua ratio hoc ſuadeat. nam ſicut verba generalia ex quamplurimis a me ſuperiori libro expoſitis cauſis reſtringuntur (quod citra abuſiuum intellectum fieri non poteſt) ita etiam impropriè accipiuntur. ❡ Sed nunquis vt veriſimili menti obſequamur, poterunt verba non ſolùm impropriè, ſed impropriiſſimè quoque accipi? Et Aret. *in l. a Titio. de ver. obl.* & Iaſon. *in l. quoties. eo. tit.* negant, maximè improprietatis rationem vllam eſſe. quapropter ſi teſtator dixerit ſe filiis ſuis pupillis talem curatorem dare, non exiſtimabitur datus tutor. *l. tutores. §. 1. de admin. tut.* nam & ſi quis fundum leget, cuius ſolus vſusfructus ad ſe pertinebat, eo mortuo nihil debebitur. *l. quod in rerum. §. de leg. 1.* Sed tamen in contrariam ſententiam frequentius itum eſt, ea in ſpecie, quando pater filiæ relinquit pro ſua falcidia: impropriiſſimè enim de legitima iure naturæ debita intelligitur. *d. l. 1. ad leg. Falcid.* Idem cùm quis dicit ſe legare monumentum, intelligitur ius mortuum in illud inferendi. *l. monumenta. C. de leg.* Cùm pater ſe filiæ relinquere iure reſtitutionis dixit, de inſtitutione intelligitur. Bald. *l. ſi cum ant. C. de don. ante nupt.* nam non omnes ſciunt verbis inſtituendi vti. Vnde ſatis eſt, ſi id quoquomodo enuntient, quod æque polleat. In inſtrumento mandati dictum erat dominum conſtituere Titium aſinum ad defendendum cauſam: reſpondit Hoſtien. procuratorem rectè conſtitutum videri. Quo argumento cùm executor in teſtamento adiectus eſſet his verbis, [Titium dilapidatorem bonorum meorum eſſe iubeo,] *Iaſ. d. l. inſulam. de praſcr. ver.* reſpondit Baldus ſufficere: nam & teſtator, qui legatum reliquerat, dunec filius in tutelam ſuam perueniſſet, non de decimoquarto anno, ſed quinto & vigeſimo etiam per ſummam improprietatem intellexiſſe creditur. *l. cum filio. de leg. 3.* Accedit his, quòd etiam nutu legata vel fideicommiſſa relinqui poſſunt, *l. nuptu. de leg. 3.* quarò magis quomodocunque conceptis verbis poterunt? Quo fit, vt qui ſibiipſi legare ſe clientulum dicat, abſoluiſſe à clientulæ iure (vaſalitium vocant) hominem cenſeatur. *l. cætera. §. qui ab hoſte. de leg. 1.* & qui filium ſuum viuum & mortuum Sempronio legare ſe dicit, in vita tutorem Sempronium facere, poſt mortem illi ſubſtituere credatur. *Soc. l. qui duos. de reb. dub.* Vir locuples qui pauperratem ſuam Titio relinquere profeſſus ſit, de vniuerſis facultatibus intelligatur. *l. Lucius. §. heredum. ad Treb.* Nec me mo-

uent

uero quæ in ad aduerſam partem adducuntur: quoniam in eis coniectura voluntatis non ſuberat, vel error proferentis in aperto erat, *l.4.de leg.1.* vt meritò aliud cóſtituendum neceſſariò fuerit. Nam etſi verbis vtamur, quæ ſalua ratione Latini ſermonis alium caſum non comprendunt, non eſt dubium eis ſtandum eſſe. *l. Plautius.de aur.& arg.* nec enim aliter quam congruo ſermone voluiſſe quenquam loqui creditur, *l.fi.ad Treb.* ſi tamen alia mens appareat, ea præualere debet, præſertim cùm de ruſtici hominis, & bonarum artium imperiti, interpretanda voluntate agitur. Nam & ſacerdos qui in ſacri lauacri myſterio, [baptizo te (dixerat) in nomine patria, filia, ſpirita ſancta,] Chriſtianum rectè baptizaſſe exiſtimatus eſt. *c. retulerunt.de conſ.diſt.4.* ¶ Quid ſi ſermone aliquo vſus quis proponatur, qui ex obſoleta tantum antiquorum obſeruatione ſuſtineri pro idoneo poſſit? Et eius rationem non haberi duobus exemplis patet. Alterum eſt, cùm Iauolenus *d.l. Plautius.* veſte, mundo, ornamentiſque muliebribus legatis, omnem veſtem, & mundum deberi reſpondit: quia demonſtratio muliebria, neque veſti, neque mundo applicari ſalua ratione recti ſermonis poteſt, tamen ea Non. Marc. oſtendat veteres mundum etiam neutro genere dixiſſe. Lucilius, Legauit quidem vxori mundum omne. Alterum eſt, cùm filiis centum teſtator reliquiſſet, etiam de filiabus actum Vlp. ſcripſit *in l.ſi quis ita.de teſt.tut.* quia filiorum appellatione, etiam fœminæ continentur: & tamen veteres datiuum caſum non filiabus, ſed filiis dixerunt, quod exemplis Næuij, & Plauti Priſcianus oſtédit: vt appareat non ea eo quòd maſculinum concipiat fœmininum, ſed ex proprietate ſermonis ſententiam Vlp. potuiſſe defendi, niſi ille obſoletam veterum declinationem neglexiſſet: affectatus enim hic loquendi modus iuriſcóſultis noſtris *in l.2.§.poſt hos quoque.de orig.iu.* ſicut & ceteris prudentioribus, ſemper moleſtus fuit. Memoria teneo magni quendam nominis grammaticum, cuius etiam commentarij pleriqque extant, his verborum fœtoribus penitus immerſum, cùm Mediolano Bononiam eſſet iturus, equum à veterinario certa in dies mercede conduxiſſe, deinde remiſſo equo, per literas veterinarium certiorem feciſſe, vt in tale diuerſorium iret, equum ſuum accepturus. Veterinarius non iuerat, quòd chirographum non intellexiſſe aſſereret: integrámque lapſi temporis mercedem petebat. Eius epiſtolæ verba hæc extant, [Pegaſus qui me tollutim ſuccuſſit apud campanę peluis copam erit, inde petito, pheretrumque ex eo tempore præcidito.] Quæſitum eſt, vter æquiorem cauſam haberet: & eorum conſenſu, qui de re pecuniaria ius dicebant, placuit literatorem condemnari, qui ignorabili huiuſmodi ſermone vti non debuit: cùm traditum ſit, qui ad aliquem ſcribit, tali idiomate vti eum oportere, quod intelligi ab eo, ad quem literæ dantur, poſſit. *§.alterationis.in aut.de non al.* alioquin huiuſmodi reſtationes damnum ei nullum inferre. Quapropter Romanus homo, qui ad Græcum ſcribat, non Latinè, ſed Græcè conceptis verbis vti debet. *l.1.de exc.tut.* ¶ Sed an quod de improprio ſermone diximus, etiam in ficto obſeruandum erit? & ſi fictus caſus non ſolùm ratione effectus, ſed etiam nominis æquiparatus eſt, ſatis putauerim, quod de vero conſtitutum eſt, etiam in ficto obſeruandum. Vnde lex, quæ ingenuo priuilegium aliquod concedit, etiam in liberto obſeruabitur, cui ius ingenuitatis per natalium reſtitutionem, ſeu annuli aurei, indultum à principe ſit. *l.cum ex oratione.de excuſ.tut.* Et relictum Titio ſi legitimos filios ex ſe reliquerit ei præſtabitur, qui naturalem reliquerit, beneficio principis natalibus reſtitutum. *Bart.l.ſi is qui pro emptor.ff.de vſuc.* Sed & ciuibus à Republica conceſſum, eis quoque dabitur, qui & priuilegio ciues ſint, quantum ſit tamen eorum reſpectu, quæ ab ipſa Republica proueniunt. *Bar.l.ſi maritus.2.§.legis. de adult.ff.* Sic ſi lex municipij ad duumviratum neminem admittat, niſi ſit originarius, alienigena quoque recipietur: qui ius ciuitati hac forma impetrauit vt pro originario ciue habeatur. *Bart.d.l.omnes populi.ff.de iuſt.& iur.* Sic lex, quæ in herede loquitur, vt hereditatem adire cogi poſſit, & reſtituere, in bonorum quoque poſſeſſore locum habet, qui & effectu, & nomine pro herede habetur. *l.1.§.bonorum.ad Trebel.* Sed ſi reſpectu nominis ſolùm ſit æquatio, tunc aliud dicendum eſt, vt in filiofam. quem lex dominum interpretatur, etiam viuente patre, non intelligetur generali dominorum appellatione de eo actum. *l.in ſuis.de lib.& poſt. Bart.in l.ſciendum.qui ſat. cog.* Sed & ſi Cenſoria lege cautum ſit, ne vniones aut gemmæ in muliebri mundo habeantur, de adulterinis & ſuppoſitiis non exiſtimabitur vetitum. *l.1.§.hoc autem.de fonte.* Theodoſij tamen conſtitutio quæ vellera ſacro murice intingi non permittit, etiam adulterino colore fucari prohibet. *l.3. C. de veſt.olob.lib.11.* ſed id propter exiſtimationem hominum receptum eſt, & ne facilè rebellibus eſſet tyrannum Imperatoriæ maieſtatis purpura aut vera, aut fucata amicire: quod ex Am. Marcellino conſtat. qua ratione Andr. Siculus, *Barb.conſ.29.2.* cùm lege artificium caueretur, ne peregrinos pannos præterquam coccineos habere liceret, excuſari eum reſpondit qui fucato cocco intinctos habebat. Hinc eſt, quòd ſi alicui relictum ſit, cum legitimę erit ętatis, ante xxv. annum nihil debebitur, tametſi veniam ætatis impetrarit. *l.fi.C.de his qui ven.* is enim licet in his, quæ à principe proueniunt, omnino pro maiore habeatur, quantum tamen ſit ex teſtatoris voluntate, aliud eſt qui conſilij maturitatem in eo ſpectauit, quæ à natura, non à principe indulgetur. Potes (dicebat Phauorinus, ni fallor) Imperatorij hominibus barbaris ciuitatem Romanam dare, vocabulis nominibúſue barbaris non potes, quòd ea à naturali ciuium vſu vim atque proprietatem accipiant. ¶ Quid rurſus ſi non ratione nominis, ſed ſolùm effectu æquatio fiat? Et hic tractatus ad interpretationem pertinet: & regula eſt, quæ de caſu vero diſpoſita ſunt, ad fictum quoque extendi. *l.fi.de mag.conuen.* quoniam fictio veritatem imitatur, & æquè ac ipſa veritas pollet. Hinc eſt quod lex Aquilia, quæ datum hero, id eſt, domino damnum reſarciri iubet, etiam quod hereditati iacenti illatum eſt, vleiſcitur. *l.liber.2.§.ſi ſeruus.ad leg. Aquil.* Hinc edictum prætoris condemnatos iudicio publico notans, in eis quoque qui fictè condemnati ſunt, locum habet. *Bar.l.ictus.de infam.* vt quia quis ſit confeſſus, quem lex pro condemnato habet. Se. Macedonianum in Republica quoque obſeruabitur, quæ filiofam. mutuam pecuniam dederit, *l.nihil. ad Maced.* & tamen Reſpublica fictam perſonam ſuſtinet. *l.mortuo. de fideiuſ.* Sic leges pleræque pœnales, quæ ferientem gladio inſequuntur, etiam de eo intelliguntur qui per alium facit.

l.diuus

l.diuus.de ſal. Qui pecuniam à reo petere arbitri ſententia ſub pœna vetitus eſt, nec à fideiuſſore quidem eius petet *l.aduerſus.de arb.* Non tamen regula huiuſmodi perpetua eſt, ſed pleraſque habet exceptiones, vt cum diuerſa ratio aliud in caſu vero, aliud in ficto ſuadet. *l.illud.de pet.her.* Quapropter procurator ad exigendum accepto ferre non poterit, tametſi acceptilatio ficta ſit ſolutio. *l.non abſtulit.C.de nouat.* id enim donationem contineret, de qua huiuſmodi mandato non cenſetur actum. Sic Sc.Treb.de herede verba faciens, in fideicommiſſario locum non habet. *l.1.§.denique.ad Treb.* nec enim per fideicommiſſarium tabulæ teſtamenti, ſicut per aditionem heredis, ſuſtinentur: nec tamen negari poteſt, quin fideicommiſſarius effectu cenſeatur heres. *l.poſtulante.ad Treb.* Eadem ratione edictum prætoris, ei qui negotia alterius geſſerit, actionem eo nomine promittens, locum non habuiſſet in eo, qui hereditaria negotia geſſiſſet, niſi & id prætor expreſſim cauiſſet. *l.3.§.hæc verba.de ne.ge.* qui enim viuentis negotium curat, affectione quadam motus videtur, quæ ei obeſſe non debet. At, qui hereditatem vacantem extricare nititur, non videtur tam ex obſequio laude dignus quam ex curioſitate quadam nimia reprendendus *gl.c.culpa.1.tit.2.* ¶ Non procedit prædicta regula etiam, quando veriſimile eſt id actum, vt in caſu vero tantùm diſpoſitio perficeretur: veluti cùm qui iurat ſe ſoluturum, non poterit id compenſare, quod eo tempore ſibi debebatur, *c.ad noſtram.1.de iureiur.* quod ſi ex noua cauſa incipiat deberi, aliud fortè eſſet, quod Bart. ſenſit *in l.amplius.rem ra.ha.* Sic cùm verba perſonæ inhærentem qualitatem reſpiciunt, apparet id actum ne per alium fiat. *l.3. §.ſi procurator. quod quiſ.iur.* vnde & initiatus, qui publicè macellum, vel tabernam exercere prohibetur, pœnis legis non coercebitur, ſi per alium exerceat. *cle.1.de vi.& hon.cle.* Sic & lex collegij eum, qui exercuerit artem vilem, ab honore excludens, non intelligetur illi notam inferre, qui ipſe mercimoniis non præfuit. *l.humilem.C.de inceſt.nupt.* quamuis ſeruorum inſtitorúmque opera ea in re vſus proponatur: nam & M. Craſſus, hauddubiè Romanorum nobiliſſimus, huiuſmodi artificum ſeruorum opera diues factus eſt, vt Plutarch. tradit. Cenſetur autem perſonæ qualitatem reſpexiſſe, cùm natura rei hoc ſuadet, *d.l.3.* vel cùm verba hoc exprimunt, vt ſi dicatur. [Perſonaliter, per ſe, propriis manibus, ipſemet,] & ſi qua ſimilia *l.iubemus.C.de erog.mil.ann.* quamuis huiuſmodi verba non adeò efficacia ſint, vt tamen rei natura, ratióque legis non præualeat *l.diuus.de ſal.* Sic & teſtator appoſita conditione, ſi heres ſine filiis legitimis, & ex legitimo matrimonio conceptis deceſſerit, non intelligitur de his ſenſiſſe, qui per ſubſequens matrimonium, vel per reſcriptum principis, iuſti filij effecti ſunt, quia illa verba naturam reſpiciunt, non legis fictionem. *Alex.conſ.5.in 7. c.innotuit.de electio.* § In materia quoque ſtricta, & quæ ad literam debeat intelligi, non fiet huiuſmodi interpretatio. Quapropter Rom.Pont. ſi beneficium, quod morte vacauerit, conferri tibi mandauit, iſque ſacerdos non mortuus ſit, ſed aliàs priuatus exauctoratúſue, mandatum extinguitur, in quo de morte naturali actum, non de ciuili præſumitur. *c.ſuſceptum.de reſ.in 6.* huiuſmodi enim gratiæ ad beneficia anguſtè accipiuntur, nec in eis licita eſt extenſio. Sic Iuſtiniani conſtitutionem *in l.fi.C.vnde vi.* aduerſus eos latam, qui rei alienæ vacuam poſſeſſionem occupant, receptius eſt in eo non obſeruari, qui rem hereditariam occupauerit: hereditas enim impropriè vice perſonæ fungitur. Quapropter cùm lex municipalis rem venditam iuberet publico præconio præſcriptionéque certis locis diuulgari, & niſi intra ſex menſes contradictum fuiſſet, quamlibet perſonam, etiam ſi vniuerſitas eſſet, excludi: Reſpond. Raph. & Iaſ. *in d.l.ſi is, qui pro empt.7.not.* hereditatis iacentis illabefacta eſſe iura: quod & mihi placet, tum propter decreti duritiem, quo ſex menſium præſcriptio aduerſus iuris communis regulas inducitur, tum quòd hereditati ipſi negligentiam imputare non poſſumus. quòd ſi eo caſu lex iuberet, vt quicunque in re, vel ad rem ius haberet, illud oſtenderet, putarem excludi heredem: is enim ius ad rem habebat, nempe ius adeundi, quo rem conſequi potuiſſet. *l.vnde.§.idem Iul.ad leg. Aquil.ff.* Et ex his conſequens eſt, vt leges municipales, ſi correctoriæ ſint, vel limitatoriæ, ad caſum fictum non trahuntur, idque vulgò receptum eſt: cùm enim hæc interpretatio ex extenſione fiat, in his nullum eſſe extenſioni locum conſtat, *Im.l.2.Gallus.§.& quid ſit tantum.de lib.& poſt.* niſi in caſibus, quos j. loco ſuo attingemus. Qua ratione nec in pœnalibus, odioſíſue, caſus fictus comprendetur. *Rom.conſ.436.* Idem ſi diſpoſitio taxatiuè concepta proponatur, vt cum quis ſe pro facto ſuo tantùm obligauit. *Bart.l.ſi ſic.de ver.ob.* Idem in diſpoſitione hominis dicendum, cùm caſus fictus ſub verbis comprendi non poteſt. *l.ſi cum dotem. ſol.mat.* qua de re diffuſius ſeq. lib. tractabitur. § Et ex his quoque ardua illa quæſtio finiri poteſt, an appellatione mortis, de morte quoque ciuili accipiamus: in quo regula eſt, non accipi. *l.ex ea. §.inſulam.de verb.obl.* quia vis verborum talem ſenſum non patitur. Si tamen mors ciuilis omnino eiuſdem effectus, quo ad id, de quo agitur, ſit, tunc ex interpretatione de ea quoque actum cenſebitur. Vnde ſi ſit dictum, ſocietatem morte finiri, etiam publicatione finietur, *l.actione.§.publicatione.pro ſoc.* & ſicut mortuus non impedit, quominus ſequens agnatus proximus ſit, ita & deportatus *l.1.in fi.de contratab.* Et pactum de dote in caſum vxoriæ mortis lucriſacienda, etiam in eum caſum intelligetur, cum in religioſum monaſterium receſſit. *l.Deo nobis.C.de epiſc.& cl.* nec enim veriſimile eſt, voluiſſe maritum hoc caſu expectare exigendæque dotis moram pati, donec naturaliter vxor fato fungeretur, quæ indiuiduam vitæ conſuetudinem contempſit: ſicut nec tunc dilationis ratio habetur, cùm quis in eorum religioſorum albo ſe profeſſus eſt, qui omnino ex inſtituto ſuo ſint incapaces. *Bart.l.cum pater.§.heredit.de leg.2.* Idem in his, qui in metallum damnati ſunt, & ſerui pœnæ fiunt *l.aut cedit.in fi.de con.& dem.* nec enim ſperatur fore, vt hi vnquam liberentur, vt meritò eorum interſit mortem expectare. vnde ſeruitutem illam morti comparamus *l.ex facto. §.ſi quis rogatus.2.ad Treb.* & ſi fortè accidat, vt indulgentia principis reſtituantur, iam non illi, ſed alij nouique homines exiſtimantur. *l.1. §.filius.ad Tert.* In deportatis verò ſpes hæc reſtitutionis non omnino extinguitur, eorumque intereſſe exiſtimatur, vt mors vera expectetur: quod in eo reſponſum eſt, qui poſt mortem grauatus erat fideicommiſſum reſtituere. *l.Satius.§.fi.de iu.fiſc.* poſſidebit enim poſt publicationem fiſcus, donec morte extincto

eo, dies

eo, dies fideicommiſſi venerit. Cæterùm in caſibus quoque, quibus permiſſa non eſt extenſio, ſed verbis ſtatur, nunquam appellatione mortis de ciuili intelligimus, vt in Pont. Rom. gratia, qua in caſum mortis mandatur alicui prouideri, ſacerdotiúmque conferri. *d.c.ſuſceptum.de reſcr.* in his enim, præterquam ſi motu proprio indultæ ſint, *cle.ne Romani.§.ſanè.ver.moriente.de elect.* fit ſtricta interpretatio. Et hæc, quod ad impropietatem, fictionémque pertinet, hactenus.

¶ Ex vſu accipiuntur verba generaliter in quacunque materia, etiam pœnali: quoniam is communis loquendi vſus proprietati quoque verborum præualet: dum tamen ea auctoritate prudentium originem traxerit: nec enim dubium eſt, ex auctoritate doctorum, propriam quoque ſignificationem duci. *Bart.d.l.omnes populi.q.3.ff.de iuſt.& iur.* quantáque eius vis ſit, oſtendit Cicero, qui quandoque vſum optimum magiſtrum appellat, quandoque omnium magiſtrorum præcepta ſuperare aſſerit. Horatius quoque *in arte poet.*

Multa renaſcentur, quæ iam cecidere, cadéntque,
Quæ nunc ſunt in honore vocabula ſi volet vſus,
*aliàs vis. *Quem penes arbitrium ius eſt,* & norma loquendi.*

Quintil. *lib.1.c.5.* Auctoritatem, inquit, ſermonis conſuetudo ſuperat, *ead.lib.c.6.in fi. Et inferius:* Conſuetudinem ſermonis, vocabo conſenſum eruditorum. Sulpitius Apollinaris apud Aul. Gell. Non ſolùm verborum communium veræ & propriæ ſignificationes vſu mutantur, ſed legum quoque ipſarum iuſſa tacito conſenſu obliterantur. Bart. tamen, quod ex communi vſu dicitur, non eſſe ea propria ſignificatione aſſerit, ſed potius ἐσχηματισμένον, ſeu ex figurato ſermone dici: quoniam naturalis rei ſignificatio, auctoritate Senatus aut populi immutari nequit *l.2.de vſuf.ea.re.* Et ideo exiſtimauit Sal. cùm lege municipali caueretur, verba ex propria ſignificatione accipi debere, in eo inteſtatum non cenſere pupillum, qui etiam ſi voluiſſet teſtamentum facere, iure prohibetur. quoniam id ex communi loquendi vſu, non ex propria ſignificatione eſt *l.1.de ſuis & leg.* Addunt alij, idem eſſe ſi lex mandet verba nullo extrinſecus addito intelligi. *Fel.in proœm. Decr.* Sed in hanc ego ſententiam minimè iuerim, qui ſupra ex opinatiſſimis ſcriptoribus oſtẽderim, proprietatis verborum vim, & ius penes vſum eſſe: vnde enim vocabula inuenta, niſi ex hominum vſu? Siquidem vetuſtiſſimam linguam Chaldæorum, ſeu Hebræorum fuiſſe conſtat, quod & veteres ſenſiſſe veriſimile eſt, cùm apud Aſſyrios inuentas literas, & in Ægyptum per Mercurium, in Græciam per Cadmum Phœnicem, in Italiam per Pelaſgos adlatas, auctorum conſenſu traditum ſit. Id & eo argumento Euſebius Cæſarienſis confirmat, quòd literarum nomina apud Hebræos ſuam ſignificationem habeant, vt Aleph, doctrina: Beth, domus: Gimel, plenitudo: Daleth, tabularum, &c. cùm apud alias gentes nihil ſignificent, ſolúmque quædam in his peregrinæ linguæ imitatio appareat: ab eo ſermone alij orti, ex vſu & conſuetudine vim, argumentum, naturam ſuam acceperunt. Quapropter nequaquam credendum eſt naturalem rei ſignificationem non poſſe populi auctoritate imminui. Nec verum eſt figuratum huiuſmodi ſermonem dici, cùm contrà potius is figuratus ſit, qui præter vſum accipitur. vnde & κατάχρησις, figura, quam abuſum Latinè dicimus: arbitror igitur etiam in ſtatutis municipalibus, & quacunque alia materia communem hunc vſum obſeruari debere: ex quo conſequens eſt, vt licet appellatione beſtiarum ſolummodo feræ contineantur, *l.1.§.beſtia.de poſtul.* vt leones, vrſi, pantheræ, tamen propter communem vſum omnia etiam domeſtica comprenduntur. *Fel.d.proœm.* Sic in teſtimonio, quod quis poſſederit, intelligitur, id eſt, detinuerit. Sic in ſtatuto Titium & omnes de eius domo eiiciente, etiam naturales filij eiicientur. Sic arma ea communi vſu hodie dicimus etiam Iuriſconſulti diffinitione exploſa. *l.armorum.ff.eod.* Sic teſtator vxorem ſuam vſufructuariam, dominam, moderatricem relinquens, de ſolis alimentis, & ſolita prærogatiua intellexiſſe cenſebitur. Sic licet maledicere & blaſphemare idem ſignificent, tamen ex vſu alia fit interpretatio. Sic conductor pactus ne ad penſionem niſi quatenus gaudere potuerit, teneatur, ablatis præter eius aliquam culpam ab exercitu fructibus, non tenebitur: quia vulgò non dicimur gauiſi, niſi ea re, quæ in noſtram vtilitatem peruenerit. ſic lex pœnam conſtituens ei, qui rem alterius acceperit, non ſolùm de re aliena iure dominij, ſed etiam propter ſimplicem poſſeſſionem intelligetur. *Bar.in rub.de op.no.nun.ver.ſed circa vnum.* idque propter cõmunem vſum. Declaranda tamen hæc eſt concluſio quibuſdam modis. Et in primis viderentur ſupradicta in communi vſu procedere, quem periti introduxiſſent: idque Fab. Quintiliani ſententia aliqui affirmant, alioquin imperitæ multitudinis vſus nequaquam in animaduerſione eſſe deberet. nam & vulgi opinionem Iuriſc. reprobat, eum, qui promittere obligatus ſit, ſatiſdare debere exiſtimantes. & Bald. *in l.ſi de Eboru.in prin.de euict.* plerunque ſcripſit, idiotarum vſum pro abuſu eſſe. Felinus nec excellentiſſimos, nec item imperitiſſimos obſeruari iubet, ſed mediocres & ex eorum ſententia vſum communem conſtituendum. ¶ Sed cùm ex mente proferentis verba accipienda ſint, ego aliter finiendum cenſeo, vt ſicut in teſtamentis patrisfamilias conſuetudo ſpectatur, in contractibus ipſorum contrahentium: ita & in ſtatutis eam ſententiam ſequamur, de qua veriſimile eſt ipſos legumlatores intellexiſſe. Si igitur ab excellentiſſimis facta ſint, eo modo locutos illos veriſimile credemus, quo peritiſſimi ſolent. Si ab imperitis, craſſa minerua verba accipientur. nam & Celſus peculium pro repoſititia pecunia interpretatur, ex ruſticorum ſeorum auctoritate, qui pecuniam ſine peculio fragilem eſſe, peculiúmque quod præſidij cauſa ſeponatur, ſolent dicere. *l.ſi eborus.§.1.de leg.3.* Sed & quoties aliqua dictio ex comuni vſu latiùs accipitur, quàm ex proprietate ſoleret, in dubio ex proprietate accipienda eſt, ſi ratio legis non æquè ex communi vſu militet. exempli cauſa: Nepotes auo propriè dicuntur, qui eo viuente concepti ſunt: ex vſu tamen etiam qui poſt eius mortem concepti ſunt, eo nomine dici poſſunt: nunquid igitur edictum prætoris nepotibus bonorum poſſeſſionem aui decernens, etiam in his ſibi locum vendicabit qui concepti non fuerant? & cùm qui conceptus non eſt, non poſſit fingi

natus

fingi natus; ſequitur, inter eos nullam fuiſſe proximitatem: & ideo huiuſmodi nepos reiicietur. *l. item Prid. de ſuis & legit.* Quapropter in prædicta municipali lege, qui rem alterius acceperit pœniente, ſi apparet legem in fauorem eius latam, qui rei dominium haberet, non comprenderetur poſſeſſor, tametſi probaretur ex communi vſu rem alterius dici, etiam cuius ſola poſſeſſio ad alium pertineret, tum enim verbi proprietas potiùs, quàm vſus communis ſpectaretur. Si verò par ratio ſecundum vtramque ſignificationem ſit, tunc etiam communis attenditur. Vnde lex Iulia de adulteriis, non ſolùm in iuſta vxore, & quæ in manum viri conuenerit, locum habet, ſed etiam in iniuſta. *l. ſi vxor. de adult. ff.* id eſt, cum qua matrimonium eſt, licet non ſolenniter celebratum, idque propter communem vſum ex Homeri carmine *lib. 9. Iliad: ſic Paul. Flo. 8. & lib. 2. Prætermiſſ.*

Ἦ μοῦνοι φιλέουσ' ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων Ἀτρεῖδαι.

Quod alibi expoſuimus. ¶ Cæterum & illud ſciendum ex communi peritorum in Latino ſermone vſu, nihil ad vernaculum idioma inferri. quapropter ſi Latinè teſtator liberis ſuis tutores dederit, etiam nepotibus dediſſe intelligetur: ſi verò filius dixerit, aliud eſt, *l. ſi quid nepotes. de teſt. tut.* licet hæc differentia in vulgari ſermone conſtitui nequeat. Quapropter cum ex communi conſuetudine in lingua vulgari probatum eſſet, aliter filios legitimos, aliter legitimatos appellari reſpondit Alexander *conſil.* 2. non ideirco ad ſermonem Latinum quicquam inferri, cum Latinè etiam legitimus propriè dicatur, quem princeps natalibus reſtituit: quod frequenter in facto diſputarum vidi, In his quæ pro teſtimonio vulgari lingua dicta erant, vt à communi Latinè loquentium vſu interpretationem non acciperent. Qua tamen in re ego ſubſiſto, cùm videam & in hoc tractatu, & aliis in locis, à Græcæ linguæ ſignificatione ad Latinam argumentari Iuriſconſultum, vt in glande, & veneno: & longè maior ſit vulgaris noſtræ locutionis cum Latina, quàm illi cum Græco ſermone affinitas. Nec illud omittendum, communem loquendi vſum attendi qui eo tempore fuerit, quo lex ipſa municipalis lata eſt, non qui poſtea inoleuerit. *Soc. l. Gallus. §. ſi eius. in fin. ff. de liber. & poſthum.* ſicut & in teſtamentis, quum de interpretanda defuncti voluntate agitur, is vſus probandus eſt, qui tum erat, cùm ille teſtaretur, non qui deinde admitti cœpit, quem fortè teſtator ignorauit: tametſi enim lex ſemper loqui fingatur: id vtique verum eſt, vt id tamen loqui exiſtimetur, quod à principio legumlatores ipſi cenſuerunt. Quapropter qui hodie eſt communis vſus, olim fuiſſe non præſumitur: Bar. *d. l. Labeo.* niſi adeo antiquitus receptus probaretur, aut ante hominum memoriam inoleuiſſet. Damnat Tranquillus Claudium Imperatorem, qui filios libertorum in Senatum allegerat, idque exemplo Appij Claudij facere dixerat, qui & ipſe cenſor libertinorum filios curia non ſummouerat: ignarus, vt ille inquit, temporibus Appij & deinceps aliquandiu, libertinos dictos non ipſos qui manumitterentur, ſed ingenuos ex his procreatos. Putauerim tamen, ſi qua lex eo ſenſu, quem à principio habuerit, iniqua eſſet, poſſe ex præſenti vſu declarari, vt iniquitas illa emendetur: cuius rei exemplum in Valentiniani & Valentis Imperatorum conſtitutione habemus, *l. quidam. C. de decur. lib.* 10. qui monachos omnes ab eremis extrahi, & ad ciuitatũ munera ſubeunda compelli iuſſit: quod edictum adeò execrabile, & ab omnibus auctorib. damnatum, in corpore tamen iuris adhuc legitur, quoniam alio ſenſu accipi poteſt, nimirum vt hi ſoli plectantur, qui monazonio non ob Chriſti cultum ſed ad euitanda munera congregari proponuntur: atque hoc modo interpretatione prudentium legiſlatoris impietas conſtringitur. Efficax autem communis hic erit vſus, ſi per longum tempus eualuerit, puta decennio: nec enim veriſimile eſt, poſſe citius ciuitatem in alicuius verbi nouanda conſuetudine conſentire. Probandum igitur erit, quod ad huiuſmodi tempus attinet, itémque quod ad perſonas, quæ res ab arbitrio iudicis plurimam vim trahit: vt ſi de eo agatur, quod veriſimiliter ſæpiſſimè, & à quàm plurimis fieri vel dici ſoleat, idipſum neceſſariò probandum ſit: ſi verò de eo agatur, quod rarius contingere ſolet, ſufficiet, ſi non à plurimis, ſed ab his dictum conſtet, qui de ea re verba fecerunt, quamuis pauci fuiſſe proponantur: atque ita Bartolus ſenſit, *d. l. Labeo.* Nobis & illud placet, ſi ex Iuriſconſultorum libris de huiuſmodi vſu appareat, aliam probationem non requiri, vt in dictione inteſtatus, quæ non niſi ex communi vſu pupillos, & impuberes continet, *d. l. 1. in princ. ff. de ſuis & legit.* cùm enim tales quoque pro inteſtatis lex accipiat, etiam citra aliam probationem in quacunque lege municipali de his actum arbitrabimur: quod in his dictionib. quoque producendum eſt, quæ ex vſu contrariam antiquæ ſignificationem acceperunt vt tyrannus: olim enim boni principes ſic nominabantur, quo ſenſu & Homerus & Vergilius vſi ſunt: vt religioſus, & deuotus, quę olim in malam partẽ, hodie in bonam ex vſu accipiuntur. ¶ Ex interpretatione ſenſus legis accipitur, cùm vis verborũ id non ſignificat, ſed extẽſio inducit. de ſimilibus enim ad ſimilia ei qui iuriſdictioni præeſt, procedere fas eſt, *l. non poſſunt. de legi.* atq; ita ius dicere. Similis autem ille caſus exiſtimat, *l. non ſolũ. §. qui primi.* qui eadẽ vel maiore ratione nititur quiq; eiuſdem effectus eſt: tametſi verbis diſſimilis: ſatiſq; eſt ſi ſimilitudo ſit eius reſpectu, de quo agitur, licet in cæteris differat. *c. nõ poteſt. in fi. de praben. in* 6. In fauorabilib. quoq; pro ſimili habetur, etiã quod nõ ęquè tanta ratione fulcitur. *c. fin. de ſimo.* Igitur de ſimilib. ad ſimilia regulariter in lege fit extenſio (nã quod ad diſpoſitiones hominũ attinet, in ſequentẽ librum reſeruaui) præterquã tribus caſibus. Primus cùm legis correctio induceretur: quapropter ſolet dici, in correctoriis non permitti extẽſionẽ. Secundus caſus, cùm lex pœnalis eſt. Tertius, cùm lex limitatoria ſeu (vt noſtrates doctores dicunt) exorbitans eſt, vtraque voce non ſatis proba, niſi quòd à veterum ſermone limitatorium minus degenerat: eſt enim limitare, intra limites ſuos reſtringere: vnde limitati agri, Plinio *lib.* 17. Frontino, Aggeno Vrbico, Boethio, & iuriſconſultis: nam & Cicero ad Appium Pulchrum: De tua prolixa, inquit, beneficáque natura limitabit aliquid poſterior annus: Meritò & nos limitantia appellabimus ea, quæ à regulis iuris communib. recedunt, generalitatiq; legis derogant. De ſingulis igitur quibuſq; videndum. ¶ In primo caſu communiter ea ſententia approbatur, vt in correctoriis licita non ſit extenſio: quod enim

mutatum non reperitur, cur interim firmum eſſe non deberet? *l. præcipimus in fi. C. de app.* In vniuerſum enim ſolet dici, legum correctionem ſemper euitãdam, *§. ſi. in aut. de admin. §. quib. C. de nu. C. ſac.* quod ſi leges inuicem repugnare videntur, debent diſtinctionem fœdere conciliari: nec cenſebitur abſurda ſubauditio, vt huiuſmodi diſſidijs obuiam eatur, vt in abſque ſali interpretatione ne myſtica quidem Euangelia conſiſterent: nec quiſquam tam caute vel promiſcuo domeſticoque ſermone vti poſſet, qui non in aliquam repugnantiæ notam incideret: non enim protinus vociferandum, ſi quicquam contrarium videatur: cum iudicij examine adhibito facile ſit ambigua diſſolui, aduerſa ſeparari, varia diſcerni, obſcura dilucidari. *l. apud. C. de furt.* Hinc eſt, quod ne legum correctio inducatur, argumentum à contrario ſenſu tanquam ex ſubaudito intellectu non accipitur, & clauſula generalis tunc ad omnia præcedentia aduerſus naturam ſuam non refertur. glo. *c. cum ſingula. ver. prouationibus de præbend. in 6.* Hinc eſt quod in correctorijs, ſi adſit eadem ratio, non tamen eadem inducitur iuris diſpoſitio: quod in diſpenſationibus quoque procedit: non enim aliud eſt diſpenſatio, quàm iuris communis quædam in fauorem particularem relaxatio, ſeu correctio, quæ & priuilegium dici poteſt; In his igitur extenſio, etiam ſi eadem vel maior ratio adſit, locum non habet. *c. ſi. de poſtu. præla.* ſunt enim diſpenſationes odioſæ, & annexam mandati Pontificij formam habent, *c. cum de non: de præb. in 6.* a qua recedi non poteſt, meritò præfractè nimis, & ad literam tantùm accipiuntur.

§ Reſtringitur prædicta regula quando ratio in lege expreſſa eſt: tunc enim ex ea fit extenſio: Iaſon. *auth. quas actiones. C. de ſacroſanct. eccleſ.* quoniam omnis caſus in ea comprenſus cenſetur: cùm ratio legis ſit lex, generaliter quicquid ſub ea continetur decidens: & ita aliquibus videtur, quædam in ſui ſententiam adducentibus, quæ non in correctorijs, ſed in limitatorijs locum habent. Mihi haud ſanè veriſimilis, nec ex veterum mente videtur hæc ſententia: cùm enim in lege idem ſit, Imol. *l. ſi verò. §. de viro. ſol. ma. Gemin. c. 1. de temp. ord. in 6.* ſiue ratio exprimatur, ſiue infinita tantùm adduci queat, gl. *l. quamuis. C. de fideicom.* conſequens eſſet, vt regula nunquam procederet, niſi vbi lex ex plurimis rationibus ſancita eſſet, qui caſus rariſſimus eſt, imò exceptio inepta etiam eſſet, cùm tunc non omnia tractaretur de correctione, præciſa eſſet extenſio, ſed quia aliqua ex illis rationibus ceſſaret. Nam & ex eo confutatur hæc opinio, quod receptiſſimi iuris eſt, quoties eadem ratio id ſuadet, in correctorijs fieri extenſionem de ſtricta vocabuli ſignificatione ad latam: glo. *in §. hac omnia. in auth. vt hi qui oblig. verb. ad curationem.* quam ſignificationem quid opus eſſet reſpici, ſi etiam circa vocis generalitatem fieret extenſio? cùm vnica in ratione frequentiſſimum ſit omnem legis cardinem verſari. Senſere hoc iuris Pontificij interpretes, dum conſtitutionem eam quæ quemcunque religioſum in præſulem alterius religionis eligi prohibet, quoniam correctoria erat, non extendi tradiderunt, quò minus in collegam eligi poſſit: gloſſ. *cle. 1. de ver. prælatum.* tametſi eadem eſſet ratio, nempe ne diſparis conditionis homines ſocientur. Senſit & Bartolus: dum legem municipalem, qua ſtantibus filiis maſculis, fœminæ excluduntur, non extendi ex ratione agnationis conſeruandæ tradidit: Bar. *l. liberorum. eod.* quæ ſola probabiliter adduci poterat. Illud nõ diffiteor, ſi ex rationis in lege noua expreſſione appareret contrariam legis veteris rationem generaliter correctam, *l. maximum. C. de li. præ.* tunc extenſionem permitti debere. Quapropter cum ex lectione ſtatutorum conſtaret, maſculos fœminis vbique præferri, & ſic iuris communis rationem neglectam, reſpõdi prædictam Bar. ſententiam non procedere, & ideo ſi lex noua fœminis patruum præfert, etiam patri filios eſſe præferendos. Soc. *conſ. 30. in 1.* Nam & Iuſtinian. *aut. præterea. C. vnde vir & vx.* lex vxori inopi in bonis mariti quartam deferens, ſi tres ſint filij vel pauciores, extẽditur etiam, ſi nemo filiorum adſit, tametſi plures exſtent aſcendentes: apparet enim propter vxoris inopiam generaliter legis veteris rationem corrigi, liberos vel aſcendentes præferentis: imò tali caſu, cum ratio legis veteris per nouam corrigitur, etiam plerisq; reclamantibus, gl. *Cle. 2. de ætat. & qual.* putauerim non ſolùm in correctorijs, ſed etiam pœnalibus ſimul extenſionem permittendam. Abb. *c. ſi. de reſcr.* § Reſtringitur rurſus prædicta regula in his quæ relatione quadam coniunguntur. nam altero correcto alterum quoque corrigi cenſendum erit. *l. ſi. de ind. vidui. tol.* Quapropter lex noua legem Iuliam Viſcelliam de vxore loquentem corrigens, etiam in marito correxiſſe exiſtimabitur. Qua ratione & lex in actore corrigens, de reo quoque egiſſe creditur: gloſſ. *l. per interuallum. de ind. ff.* ſic pœna impoſita vendenti, intelligetur & emptorem diſtringere. *l. fin. de accept. ff.* Quod tamen declarandum eſt, ſi eadem ratio ſubſit, alioquin aliud obſeruabitur. *c. ſi. de ver. ſignif.* Ecce, lex prohibet marito, ne vxori vltra quartam bonorum legare poſſit, non cenſebitur viceverſa prohibuiſſe, quin quantumcunque velit, marito vxor relinquat: videtur enim virorum meliorem conditionem ſolùm feciſſe, & id cauiſſe, ne mulierbribus blanditiis ſeducti male heredibus ſuis conſulerent: quod Socinus rectè reſpondit, *conſil. 75. in 3.* Eadem ratione crebriùs traditum eſt, ſi lex ſororem à fratris hereditate excludat, non cenſeri ex aduerſo fratrem prohibitum quo minus ipſe ſororis hereditatem adipiſcatur: quamuis enim ius ſuccedendi reciprocum eſſe debeat, tamen veriſimilius eſt, voluiſſe legiſlatorem maſculis tantùm conſulere. Doct. *l. lege. 12. C. de legi. here.* Sic & quum lex iuberet quæcunque per fratres cohabitantes acquirerentur, eſſe communia, reſponſum eſt, æs alienum per alterum conflatum, alteri damno non fore, ne in poteſtate fratris ſit alium ad inopiam redigere: videmus enim plerunque permitti, vt per alium melior conditio noſtra effici poſſit, deterior non poſſit. *l. 3. C. de pact.* Quod in correlatiuis (vt vocant) dictum eſt, in his quoque procedit, quæ ex lege veteri regulariter inuicem æquiparantur, gloſſ. *l. ſi quis ſeruo. in ver. corrup. C. de fur.* Quapropter lex nouam inducens vt quarta quæ ex lege Falcidia detrahitur, quo minus detraheretur, prohiberi per teſtatorem poſſit, in ea quoque extendetur quam ex ſenatuſconſulto Trebelliano heredes retinere poſſunt: Bar. *l. Marcellus. ad Tr.* quod tamen intelligendum, cùm eadem in æquiparatis ſubeſt ratio, alioquin ex nuda principis voluntate abſq; alia ratione quicquam indulgentis cõtra regulas iuris cõceſſa, nec ad æquiparata quidem protrahentur: quod ea in conſtitutione

appar

apparet, quæ correcta antiquiore lege, centum annorum præſcriptionem ad quadraginta redigit, cum in eccleſia loquatur, ad Rempublicam non producitur. *auth. quas actiones. C. de ſacr. ſanct. eccleſ.*
¶ Rurſus hoc intelligendum, vt fiat extenſio, quatenus correctum fuerit, in eo in quo æquiparatio eſt facta tantùm. Vnde quamuis rei vendicatio, & actio publiciana iiſdem paſſibus ambulent, lex tamen noua in rei vendicatione bonam fidem autoris requirens, alioquin vſucapionem non admittens, ad publicianam experientem non protrahetur: non enim quo ad hoc æquiparantur. Bar. *l. cum qui. §. prætor. de publica. ff.* Huius autem extenſionis, quę in æquiparatis fit, ratio ea eſt, quòd propter paritatem caſibus illis a lege attributam, non nos eam correctionem, ſed lex ipſa videtur augere, ſicut in extenſione, quàm vulgò paſſiuam vocant, traditum quoque eſt. Cuius rei exemplum, cùm lex minorem viginti quinque annis teſtari prohibet, non poterit nec codicillos quidem facere: quoniam generaliter lege antiqua traditum eſt, qui teſtari nequeat, nec codicillis quicquam relinquere. Bartol. *l. 2. de leg. 1.*
¶ Ad hæc pertinent etiam, quæ de acceſſoriis dicuntur: fere enim receptum eſt, legem correctoriam ad acceſſoria quoque trahi, idque diſpenſationis exemplo, quo traditur, eum qui iure diſpenſationis ſacerdotia duo obtinet, vtroque in loco, cùm per collegas quicquam tractatur, aduocandum. gl. *c. quia in tantum. de preb.* ad enim conſequens eſt conceſſi ſacerdotij, quod pluribus aliis ſpeciebus declarari poſſet. Iaſ. *l. fin. de conſtit.* Idem in his dicendum, quæ ſequioris cuiuſdam naturæ ſunt, & alterius inſtar teguntur, glo. *c. non debet. de conſang.* vt in legitima, quæ ex inteſtatorum ſucceſſione formam accipit: nam ea ſucceſſione commutata, & ipſam quoque commutat dicimus, *aut. præterea. C. vnde vir.* Sic lege Iulia Papiæ correcta, quæ matrimonium Senatoris cum liberto prohibebat, illud quoque correctum cenſetur, quod ad hoc exemplum traditum erat, nec Senatoris filiam liberto nubere poſſe: cùm enim ex vna radice vitium naſcatur, conſequens eſt, vt vna lege tolli ſufficiat. *l. fin. C. de nupt.*
¶ Idem cùm extenſio ex vi eius regulæ fit, Cui licet plus, & id quod minus eſt: hoc enim argumenti genus etiam in lege correctoria non reiicitur. *l. nec in ea. verſi. ſed qui occidere. de adult. ff.* Et ideo ſi ex ſtatuto exules, & profugi poſſint impunè occidi, vtiq; & vulnerari poterunt. Cùm filius, qui patriam prodidit, occidi ceu hoſtis publicus poſſit, videtur & exhereditari. Aduertendum enim eſt, quoniam ſi argumentum inducitur in eadem ſpecie, cùm minus in maiori continetur, non videtur id tam per extenſionem fieri, quàm ex vi verborum deſcendere. Si verò in diuerſa ſpecie inducatur, non videtur in correctoriis id permittendum. Quapropter qui occidere poteſt, ſtuprare non poterit, neque exulis vxorem alio dedecore afficere: quod vtique crebriore calculo approbatum eſt. *l. in ſuis. de lib. & poſth.*
¶ Sanè in correctoriis quoque fit extenſio, cùm ad antiquum ius redigimur. Car. *cle. ne Romæ. 4. op. de elect.* Sed dubitatur, de quo iure antiquo intelligendum ſit. Ecce, lex municipalis agnatos præfert his, quæ è latere materno coniuncti proponuntur. *cap. olim tibi. de verb. ſig.* Filius ſororis gradu proximus hereditatem petebat, quoniam ex lege Iuſtiniani agnationis iura ei tributa ſunt, *l. lege. C. de legi. heredi.* hancque interpretationem, vt ipſe comprenderetur, ſumendam aſſerebat: quia hoc modo ad ius antiquum nimirum xij. Tab. reducebamur: nam & videbimus in legitimationibus fieri extenſionem. *c. per venerabilem. qui fil. ſint legi.* quia tametſi diſpenſationes ſint, tamen primæuum naturę ius reſpiciunt. Diuerſum videbatur: ſtatutum enim illud ideo reſtringitur, quia iuri communi contrarium eſt. Si ergo ad ius commune reducamur, ceſſabit reſtrictio, non ſi ad legem xij. Tabul. quæ iamdiu antè ſublata erat. *§. certum. de leg. agn. ſuc.* Iure autem communi filius ſororis agnatus non eſt, in quam partem & ipſe ex coniectura mentis legiſlatoris, aliiſq; rationibus tranſiit. Igitur ius antiquum hic accipiemus, quod ante legem correctoriam ex communibus iuris regulis vigebat. gloſſ. *c. ſtatutum. de preb. in 6.* Felin. *c. cum acceſſiſſent. de conſtit.* Nec legitimationem verum eſt eſſe fauorabilem, quia iuri naturæ conformis ſit: ſed quia beneficium eſt principis, in quo ſit lata ſignificatio. Barr. *l. a. in princ. de verb. oblig.* ¶ Ex mente quoque correctoriæ legis fit extenſio, cùm alias eluſoria eſſet, vel abſurdum aliquid induceret. Quapropter Pontificis conſtitutio, qua gratiam vacaturi beneficij, ad ea, quæ poſt indulgentiam eriguntur, trahi prohibet, in conceſſione quoque à ſedis apoſtolicę legato indulta ſeruabitur. *cle. ſi. de reſcript.* abſurdum enim eſſet plus auctoritatis legato, quàm Pontifici attributum: regulàque generali traditum eſt, leges, contractus, ſententias, teſtamenta, ſemper eam interpretationem accipere, ne quicquam abſurdi inducere cenſeantur. Cur. *conſi. 45.* Nam & lex ſuperflua eſſe non debet, nec facilè eludenda. Quapropter lex quæ fœneratores in ſacris cœmeteriis ſepeliri prohibet, & ſepultores abominatur, etiam ad eos producitur, qui funebri pompæ & fœralibus interſunt, & honoris cauſa funus proſequuntur. gloſ. *in cle. 1. de ſepul. in ver. ſepelire.* cùm alioquin non difficulter veſpillo aliquis humani, diuinique iuris contemptor, reperiretur, qui corpus tumulo conderet, eluſoriáque hoc pacto pœna legis redderetur: ſemper enim ita interpretamur, ne eluſoria ſit lex. Vnde vt id euitetur, argumentum à contrario ſenſu etiam in lege correctoria aſſumimus. auth. *ex teſtamento. C. de coll.* Addunt aliqui, hoc caſu per exceptionem in lege poſitam contra naturam ſuam regulam extendi, etiam ſi iuris correctio inducatur: Dec. *c. cum dilecta. de confir. vtil.* quod tamen mihi ſanè quàm dubium videtur, cùm ſatis ſit principalem legis diſpoſitionem vtilem eſſe, parúmq; referat, ſi ex abundanti in exceptionibus aliqua dicantur. Alexan. *l. fin. quod quiſque iur.* Cæterùm & ob ſalutem animæ fieri hanc extenſionem receptum eſt: ſemper enim & ea quoque interpretatio aſſumenda eſt, quę vel pro religione facit, vel nos à peccato liberat. Quapropter lex Federici, puberum ſacramenta in contractibus obſeruari iubens, etiam ad diſtractus extendetur. Bar. *auth. ſacramenta. C. ſi aduer. vend.* Sic & lex pontificum, ſub pœna clandeſtinas nuptias prohibens, tanquam fauorabilis ob æternam ſalutem lata, interpretatione declarabitur. *c. ex tenore. qui fi. ſint le.* Sũt & pleraq; ſimilia, quæ ab aliis tradita, Fel. *c. tranſlato. de conſtit.* recenſere hoc opuſculo operæ pretium non eſt. ¶ Nunc ad materiam pœnalem tranſeundum, in qua regula generalis eſt. *c. in pœnis. de regu. iur. lib. 6.* Pœnas interpretatione non adiuuandas, ſed reſtringendas eſſe, ſempérque in mitiorem partem deflectendum: ſoléreque

vulgò dici, pœnæ nunquam locum eſſe, niſi ea expreſſim à lege conſtituta ſit. *l. & ſi quis. §. diuus. de relig.* Quapropter quibus caſibus conſtitutio pœnalis extenditur, nunquam tamen reſpectu pœnæ locum habet. Ioan. Andr. *c. diſpendia. de reſcript. in 6.* Sicut & Pontificis decretum, quo etiam ignorantes malè afficiuntur, quantum ad pœnam pertinet eus non adigat. *c. ſibi qui. de reſcript. lib. 6.* Et conſtitutio declaratoria, licet etiam ad præterita trahatur, reſpectu tamen pœnę in ea expreſſæ non trahitur. glo. *cle. 1. de vſu. verb. de cætero.* Et prohibitio matrimonij ſub pœna infamiæ, licet ſponſalia quoque celebrari vetare credatur, non tamen pœnam infligit. *l. ſolet. de inf am.* Qua ratione & in contractibus, ſi pœna ex parte alterius adiecta proponatur, alterum tamen non coercebit. Bal. *c. 1. qual. don. feu.* Et ſubſtitutio, quæ de vno caſu ad alium extenditur, non habet locum ſi pœna apponatur. *l. pater Seuerinam. de cond. & dem.* Et pœna in capitulo aliquo contractus adiecta, alia in parte repetita non cenſetur. *l. in teſtamento. eod. tit.* ¶ Et quod de pœna dicitur, de priuatione quoque alicuius iuris intelligitur, nam & ea, quoties ex delicto vero vel præſumpto irrogatur, poteſt pœna appellari. *l. fin. C. de bo. liber.* vnde nec huiuſmodi priuationi locus erit, niſi quoties expreſſum hoc in lege cautum reperiatur. *§. cum igitur. in auth. de non alien.* Quapropter cliens qui in verba domini iurauit, & tamen aliquid minus obſeruauit, non ideo feudo, quod vocant, mulctabitur, *c. 1. § illud. quæ fu. pri. cau.* niſi expreſſum lege feudorum is caſus comprenſus ſit. Quod & ad ius patronatus ſacerdotiorum productum eſt, glo. *c. fin. de iure patr. in antiq.* vidíque quandoque ex facto dubitari: Titius fundum vendiderat, móxque à venditore eum in emphyteuſin acceperat, adiecta lege, vt quandocunque intra quinquennium pretium emptori redderet, fundus ſibi reſtitueretur: is Titius canonem non ſoluit, & dominus fundo manum iniecit, quærebatur an ſicut à contractu emphyteutico, ita etiam à pacto redimendi cecidiſſet? Et quibuſdam videbatur, ab vtroque cecidiſſe, *Cap. de ſimul contract. in 2. praſu.* cùm & ea pactio pars contractus eſſet. Sed hæc ſententia inhumana viſa eſt, ne pœna principalis contractus etiam ſeparatam redimendi pactionem afficeret, quæ quamuis contractui ineſſet, verè tamen ſeparatam cauſam habebat. Barb. *conſi. l. 1. in 1.* Cum igitur adeò odioſæ pœnæ exiſtimentur, conſequens eſt, veram eſſe regulam, in pœnalibus extenſionem non fieri. *l. cum quidam. de lib. & poſthum.* Iaſ. ¶ In his tamen caſibus, quibus legem correctoriam extendi à me ſuprà ſcriptum eſt, pœnalis quoque interpretatione adiuuabitur. Quapropter & in pœnalibus, ſi ratio in lege ſcripta ſit, fiet ex ea extenſio. Et in æquiparatis, pœna alterum afficiens, alterum quoque diſtringet. Idémque in correlatiuis, in acceſſoriis, in conſequentibus, ſi aliàs quid abſurdum conſequeretur, vel lex eſſet eluſoria, vel de animæ fauore tractetur: quę omnia ſimili caſu à nobis ſuprà tradita, nouis exemplis rurſus hîc oſtendere operæ pretium non duxi, cùm & apud alios hæc tractata, & nuſquam non repetita, facillimum ſit reperire. Gemin. *c. t. de tempo. ordin. in 6.* Pręter igitur eos caſus alij quoque annotari poſſunt, quibus lex pœnalis producitur. ¶ Primus, cùm maior ratio eſt in caſu omiſſo: fiet enim huiuſmodi extenſio. Vnde ex lege Iulia de adulteriis, cum mœchum deprenſum liceat interficere, multò magis iure poterit contumelia affici. *l. nec in ea. de adul. ff.* quod Attici ῥαφανίζειν vocabant. Sic & reſcriptum diuorum fratrum quo Præſidi prouinciæ, vnde quis incola eſt, permittitur ea prouincia reum interdicere, vnde oriondus eſt, ad eum quoque caſum trahitur, quo ei interdicitur, qui cùm incola eſſet, non in ea prouincia quid admiſit. *l. relegat. §. interdicere. de inter. & releg.* cum maior ratio vigeat, propter fugam à loco in quo deliquit: atq; ita pleriſque viſum eſt. Marheſil. *in tract. extenſ.* ¶ Hinc etiam communi ſententia receptum eſt, ſi ex lege municipij profugus poſſit impunè offendi, poſſe etiam occidi. Hinc qui in aliquem cauſa capitali ius dicere poteſt, eundem quoque ciuili iudicio condemnare poterit. *l. ex eo. in fi. C. de ag. in reb. lib. 12.* quod tamen in latrunculatore non procedit, cuius iuriſdictio ex mandati principalis forma certos fines habet. *l. ſolemus. in fi. de iud.* Videtur tamen, & fortè receptius eſt, etiam ſi maior ratio non ſubſit, ſed ſimilis ſeu ęqualis extenſioni quoque locum eſſe: quod eo exemplo probatur, quo communiter traditum eſt, filium à patre, non ſolùm ex illis quatuordecim in Iuſtiniani conſtitutione relatis cauſis, exheredati poſſe, ſed etiam ex aliis æquè grauibus. *doct. auth. non licet. C. de lib. præter.* Nam & iura clientelarum non ſolum adimi expreſſis ex cauſis conſtat, ſed etiam ſi qua ſimilis, ſeu maior proponatur. *c. t. §. pen. quæ fu. pri. cau.* Sed tamen aduerti æquum eſt, rationem horum exemplorum eſſe, ne filij vel clientis ingratitudo diutius impunita permaneat: quia ſicut ex meritis huiuſmodi beneficia conferuntur, ita iuſtum fuit ex culpa auferri: quæ ratio generaliter locum ſibi vendicat, cauſæque illæ exempla legis ipſius ſunt, quibus exemplis ratio reſtringenda non fuit. *c. ſi Papa. de priuil. in 6.* maximè cum ea ratio lege ſcripta proponatur. Melius itaque hæc ſententia aliis exemplis probatur, & in primis, Delata ex ſenatoſcõſulto Tertylliano ſucceſſione mater priuatur, niſi tutores filio petierit. Quid ſi curatores? Verba reſcripti (inquit Vlpian.) *l. 2. §. quid ſi curatores. ad Tertul.* deficiunt. ſed dicendum eſt, ſiquidem impuberibus curatores non petit, eandem eſſe rationem: ſi iam puberibus, ceſſare debere. Quid ſi cum prægnans eſſet, bonis curatorem dari nõ petiit? Et in ſententiam legis incidit. Sed & conſtitutio, quia indignum vltrò eligentes, ipſo iure in temeritatis pœnam priuantur, etiam ad eos, qui à Romano pontifice ſcienter indignum poſtulant, producitur. *c. 1. de poſt. præl. l. 11. glo. fin.* quoniam eadem vtroq; caſu ratio eſt. Sic & lex ad barbaricũ vini, olei, & liquaminis tranſlationẽ prohibens: ad arida quoq; protrahitur. *l. 1. C. quæ res export.* Sic mulier, cui dotem repetenti exceptio adulterij fruſtra à marito lenocinij reo opponitur, nec quidem ex ſententia legis accuſari poterit, *l. cum mulier. ff. ſolut. mat.* quod argumento eſt, in pœnalibus pro ipſa pœna euitanda fieri extenſionem. ¶ Secundus caſus eſt, cùm de criminis vindicta agitur: cùm enim publicè interſit maleficia impunita non eſſe *l. ita vulneratus. ad l. Aquil. ff.* (quia, vt eſt in Publij Mimi verſiculo, Bonis nocet, quicunq; parcit improbis) meritò ad caſus ſimiles ex huiuſmodi legib. extendemus. Bart. *l. quemadmodum. C. de agr. & cen. lib. 11.* quod tamen intelligendum, vt non idcirco augeatur pœnarum acerbitas. gl. *c. ſicut. de homic.* Hinc eſt, quòd lex quæ ab exercitu miſſum infamia notat,

eum

eum quoq; attingere creditur,qui ab aliquo numero militari miſſus eſt.*l.2.§.exercitum.de infa.* Hinc & Modeſtinus. Lubricum,inquit,linguæ ad pœnam faciIè trahendum non eſt,ſi nõ tale ſit delictum, quod vel ex ſcriptura legis deſcenderit,vel ad exemplum legis vindicãdum ſit. *famoſi.in fi.ad leg.Iul. maieſt.*Cornel.Tacitus *lib.*1.Auguſtus,inquit, cognitionem de famoſis libellis ſpecie legis maieſtatis tractauit, commotus Caſſij Seueri libidine, qua viros, fœmináſq; illuſtres procacibus ſcriptis diffamauerat:mox Tiberius conſulente Pompeio Macro prætore,an iudicia maieſtatis redderentur,exercendas leges eſſe reſpondit : hunc quoque aſperauerant carmina in ſæuitiam ſuperbiámque eius , & diſcordem cum matre animum.Quibus verbis apparet Modeſtinum de æquiparatis loqui,in quibus dubium non eſt fieri extenſionem.Bat.*l.quod verò.de leg.* Ad hanc ſpeciem propius accedit,quod ſæpius lectum eſt,in pœnis maleficiorum de ſimilibus ad ſimilia procedendum eſſe : Bald.*l.ſi quis id.de iuriſd.om.iud.*cùm enim facinus patratum impune eſſe non debeat,ea ſimilitudine aliarum pœnarum conſtituetur, quemadmodum & in hunc ſit animaduertendum. Quapropter cùm in lege municipali crimen præuaricationis arbitrio Præſidis vindicandum permitteretur,dixi inſtar pœnæ in S.C.Turpiliano comprenſæ,vel ſi qua huic ſimilis,condemnationem redigendam,& ideo plus minus,ea cauſa arbitratu Præſidis diſcernendum. ¶ Tertius caſus eſt,cum eadem ratio ſubeſt,& idem rei nomen hoc ſuadet,fiet enim extenſio à nomine vero ad nomen improprium, & quod tantummodo de facto dicitur:vt in lege Iulia de adulteriis,quę de vxore verba faciens,etiam in ea intelligitur quę de facto vxor ſit.*l.ſi vxor.§.1.de adult.*videtúrque id ea ex extenſione induci,quę de propria ſignificatione vocabuli,ad latam in quacunque materia fit.Illud tamen mirum legem,quæ nuptias inter pupillam, & tutoris filium prohibebat,ad eum non trahi,qui protutoris ſit filius,ſiue eius, qui hoc nomine vſurpatam adminiſtrat.*l.fin.C.de int.mat.*quod ſpecialiter indultum videtur prolis fauore,ne illegitima cenſeatur, itémque dotis , cuius alioqin conſtitutio nulla eſſet. Adde quòd non omnino eadem eſt ratio,cùm tutor efficacius pleniúſque adminiſtrandi ius habeat, protutori rerum alienandarum poteſtas nulla ſit,vt in ea nihil vereamur,ne in ſumma dotis modum excedat. ¶ Quartus caſus eſt cùm propter aliquem fauorem,pœnalis diſpoſitionis odium temperatur, vt quia tractetur de fauore animæ,quod & in correctoriis ſuprà à nobis probatum eſt.Idẽ ſi de diuinis ędibus,aut eccleſiæ vtilitate agatur. gl.*c.ſciant.de elect.in 6.* Idem ſi cultui Chriſtiano, fideique zelo expediat productionem fieri, quod & in quibuſcunque ſimilibus locum habet.*c.2. de diuor.* ¶ Vltimus caſus eſt in ſubrogatis, vel aliqua ratione cõnexis. Vnde diſpoſitio de vicario epiſcopi loquens,etiam in vicario collegij locum habet,quando ſede vacante ob interregnum ius ſodalitiu deuolutum eſt.gloſſ.*cle.etſi.de reſcript.verb. epiſc.*Idem quando id,ad quod fit extenſio,nõ eſſet penitus ſeparatum:vnde decretum ordinis ſacerdotalis,de clericis eligentibus loquens,etiam de hiſdem præſentantibus intelligetur, de ſecularibus non intelligetur *de elect.c.ſciant.lib.6.* Idem quando connectuntur quædam conſequentia:nam tunc altero mutato,& alterum interpolatur.Exemplum in reſcripto Traiani, quod Plinius Cæcilius *epiſt. lib.*10.refert:Lege Pompeia cauebatur, [ne quis capiat magiſtratum,neu ſit in magiſtratu minor 30. annis:*idem*,quicunque magiſtratum ceperit, ſit in ſenatu,] ſubſequutum eſt edictum Auguſti, quo permiſit maiores 22.annis magiſtratum capere , an iidem & in Senatum deligi poterunt? Et reſponſum eſt,ſi iam magiſtratus cœperant,poſſe, & hactenus nouatam legem Pompeiam:alioquin qui adhuc magiſtratum non ceperit,tametſi 22.annis maior ſit.non poſſe in Senatum adlegi. Quod ſi vice verſa edicto illo in Senatum cooptari maiores 22. annis poſſe ſtatutum eſſet, vtique & in magiſtratum potuiſſent eligi : nam & illud receptum eſt, cùm certa ætas dignitatibus ordinem annexum habentibus cõſtituta eſt,& certa ordini,ſi reſtringatur in dignitate ætas, reſpectu quoque ordinis mutatam exiſtimari.*c.cum in cunctis.de elect.*Eodem modo ſi ætas certa in presbytero neceſſaria ſit, alia in diacono,alia in ſubdiacono:facta in vno mutatione,cum gradatim hæc munera conferantur,cenſebitur in aliis quoque mutatum.glo.*cle.generalem.de ætate.* Item cum lex noua veterem interpretatur,licet interpretans vno in caſu ſimpliciter loquatur, tamen de cæteris quoque egiſſe intelligitur, qui in lege antiqua comprenſi proponuntur.gl.*c.diſpendia.de reſ.in 6.verb.perſonales.*Illud non omittendum, quamuis plurimis caſibus in pœnis extenſionem fieri ſuprà docuerimus, id intelligendum, cùm huiuſmodi pœnæ ex iuſta,& probabili cauſa inductæ ſunt:quòd ſi pœna ſupra delictum eſſet,& per terrorem, concuſſionémque potius , quàm ex ratione inducta, tunc verba nullo modo interpretatione adiuuanda ſunt,ſed potius reſtringenda : Quapropter lex Iulia quæ patri ius occidendi mœchum deprenſum concedit,in auo,& proauo,cæteriſque maioribus locum non tenet.*l.patri.de adul. ff.* Occidere enim aliquem propria auctoritate , perquam crudele eſt. Sic & conſtitutio pro crimine paterno etiam filios pœna afficiens, ad filias non extenditur. *l.quiſquis.C.ad l.Iul.ma.* quamuis enim & in odioſis maſculinum ad fœminas protrahatur,*l.ſi quis id.de iuriſ.om.iud.* in pœna tamen tam irrationabili non fiet huiuſmodi extenſio. ¶ De limitatoria diſpoſitione nunc videndum:& noſtrates interpretes materiam hanc exorbitantem appellant : cùm enim ex huiuſmodi extenſione derogationes legibus augeantur , meritò ab orbita , id eſt , communi , & lata via diuertere dicuntur : vnde & Auguſtinus *de ciuitate Dei libro nono.* Nihil approbantes , inquit , quod exorbitet ab itinere ſapientiæ.

Quicquid igitur præter communes regulas inductum eſt,id exorbitare dicitur. Nos etiam limitatorium ea ratione dicimus,quod intra certos limites communem regulam coerceat. quo fit,vt Iaſonis ſententiam minimè ſequendam arbitrer , inter has voces differentiam conſtituentis. Iaſon.*l.ſi conſtante. verſic. in iſta materia. iuncto verſic. ſequent. ſolut. matr.* Igitur in hac materia communiter receptum eſt , ſi ſubſit eadem ratio , extenſionem fieri debere. Quapropter Conſtantinus Imperator cum ius donationis ex ingratitudinis cauſa reuocandæ mulieri, quæ ſecundo nupſiſſet, aduerſus communes regulas abſtuliſſet. De cæteris,inquit,quæ portentuſæ vilitatis,abiectǽque pudici-

tiæ ſunt,ſatis etiam tacitè cautum putamus.*l.his ſolis.C.de renoc.* Sic & Rom.Poutifex,cùm quandoque propter malam teſtium valetudinem, eos ante litem conteſtatam aduerſus communes regulas tecipi aſſeruiſſet,eiuſdem æquitatis ſimilitudine etiam antiqua inſtrumenta renocari inſſit.*c.cum dilecla.de confir.vtil.* Qno fit, vt eius exemplo nos qnoq; huiuſmodi limitatas diſpoſitiones interpretatione poſſimus extendere,quod & tatio ſuadet: correctoria enim ſtrictius accipiuntur,qnoniam legi abrogant,& toram extinguunt: at hæc derogant tantummodo,& aliquantulum, ſuadente æquitate reſtringunt, qnod nullam uonitatem, nullum odium continet, meritò in his dilatio prohibenda non eſt. Imo.*l.1.ſi verò.§.de vire.ff.* Hinc eſt, quòd in caſibus ſpecialibns de armato milite ad ſacris initiatum aduocatúmque argumentamur,glo.*l.miles.de re iud.ff.* tametſi alius militiæ profeſſores cenſeantur:& de libertate ad piam canſam,de alimentis ad dotem. *l.ſi vnus.vbi Iaſo.C.de teſtam.* Sic ſuccurtendum tuſtico propter impetitiam,vel mulieri propter ſimplicitatem dicimus, *l.1.C.de iuris & facti ignor.* ſicut & militi.Sic de minoribus quæ conſtituta ſunt, ad furioſos plerunque producimus. *l.2.C.de cur.fur.*& quæ de furioſis aut mente captis,ad abſentes.*l.2.§.fin.ſol.mat.*& illi enim legis intellectu abeſſe exiſtimantur. Sic quæ fauore minorum indulta fuerunt, eccleſiis quoqne non denegari arbitramur,*l.3.quando ex fac.tut.* Sic quod in lege falcidia conſtitutum eſt,ad eam quoque pottionem extendi,quæ ex S.C.Trebelliano dednciturBart.*l.Marcellus.ad Treb.* Sic lex, quæ de poſſeſſione limitanda loquitur,etiam ad iura prottahatut,quæ tamen conſtat impropriè poſſideri.*l.regulariter.de pet.here.* Hinc Conſtantini ſanctio natis poſt donationem filiis,ins renocandi donatori concedens, ad omnem caſum extenditur,quo eadem ſubſit ratio.*l.ſi vnquam.C.de renoc.do.* Hinc Inſtiniani ſanctio, qua ex cauſa dotis alienatio rei,non obſtante probibitione paterna,permittitur,etiam tunc obſeruabitur,cùm prohibitio in matris vel fratris teſtameuto facta eſt,*auth.res quæ.C.com.de leg.* his ſcilicet caſibus,quibus mater filiæ,frater ſorori dotem dare cogeretur.Hinc etiam eſt,quòd licet ſoleat dici, ab exceptione tegulam confirmari,tamen,intelligendum ſit, non ſolùm boc in caſibus exceptis non procedere, ſed nec in his,qui pari ratione cum exceptis innituntur. Abb. *d.c.cum dilecla.* Fit autem huiuſmodi extenſio,etiam ſi non omnino tanta ratio,quanta in caſn expreſſo ſit: qnod boc exemplo inducitur, Theodoſij conſtitutione aduerſus communem tegulam, bereditas aſcendentis ex teſtamento deſcendentium delata,tametſi non adita, tranſmittitur: quid, ſi inteſtato deſeratur? & idem reſpouſum eſt,licet non æquè tanta ratio id ſuadeat:expreſſa enim voluntas teſtatoris id magis perſuadere potnit,quàm tacita,quę nullo facto teſtamẽto,ſolum præſumitur.*l.vnica.de his qui ante apertus tab.* ¶ Non procedit hæc principalis euuntiatio quatuor caſibns. Primus,cùm lex dictione taxatiua vtitur,tunc enim fieri non debere extenſionem, receptum eſt,qnoniam aduerſus legem fieret.*l.2.C.de pat.qui fil.* Quapropter etſi lege municipali caueretur, vt eius verba ad literam, vel abſque alia interpretatione intelligerentur,huiuſmodi extenſio vetita cẽſeretur. Sed tamen & boc iudicij acumine diſcernendum, vt deprendamus quam ob cauſam taxatiua dictio adiecta ſit: quid enim, ſi lex ipſa ſit,quæ bniuſmodi prorogationem inducat?*l.ob æs.C.de præd.mi.* nec enim ex taxatiua veriſimile eſt,legis diſpoſitionem emendari,Alex.*l.1.C.de bon.poſ.ſec.tab.* ſicut nec ea,quę conſuetudine inducta ſunt:quod in hac ſpecie Pontanum obtinuiſſe dicitur. *l.3.§.iurum.de iureiu.* Mandanerat quis procuratori,vt centum aureos tantùm mutuò acciperet: is ſub vſuris acceperat, quòd aliter non ſolerent pecuniæ id genus hominibus mutuò dari: reſponſnm eſt, dominum in fœnus quoqne propter conſuetudinem,obligatum videri.Quid item,ſi materia pia fauorabiliſqne ſit,nónne piæ cauſæ fauor dictionis illins limitationi præualebit?*l.illud.in fi.C.de ſacr.ſanct.eccleſ.* nam & priuilegia ſuapte natura ſtrictè accipinntur, & tamen in eis ex huiuſmodi fauore de perſona ad perſonam permittitur extenſio. Alex.*l.miles.de re iud.* nam & cùm ſtatutum eſſet, ne à ſententia diffinitiua tantùm appellari ad mettopolis Senatum poſſet,reſponſum eſt,nec ab interlocutoria qnidem poſſe, propter fauorem pnblicum. ne quis extra pattiam litium tricis implicetnr: & diffinitiuæ mentio cenſetur in lege facta, qnod in ea probabilior erat dobitatio.Quid turſus,ſi adeò inſtum,& vltione dignum ſit delinquentis odium,vt aduerſus taxationis vim operæpretium ſit pœnã extendere?quod in ea ſpecie traditum eſt, qua Iuſtinia.*l.ſi.C.de renoc.don.* certis tantùm ex cauſis donationes factas reuocari poſſe conceſſit:frequentius enim creditur ex aliis quoque ſimilibus eadem ęquitate reuocationi locum eſſe.Quod & in his cauſis receptum eſt,quibus patri permiſſum eſt filium exheredare: cuius ſententiæ ille eſt cardo, quod cum ratio in legibus generaliter ſcripta ſit, cauſæ illæ tanquam exempla regulam arctare non debent,quod & ſuprà à nobis tractatum eſt.*d.c.ſi Pupa.de priuil.in* 11. ¶ Sequens in bis,quæ ius perſonale inducunt,vel fauore certarum perſonarum conſtitnunt.*l.1.de conſtit.princip.* nõ enim ad conſequentias trahenda ſunt, quòd huiuſmodi cùm iuris ſpecialis ſint, à communi propriè exorbitant, *c.quæ à iure.de re iudic.in 6.* meritóque priuilegia dicuntur, qnaſi de priuis, id eſt, ſingulis lata. ad qnam ſpeciem pertinent etiam, quæ certo generi perſonarum indulgentur: vnde priuilegium militum, vt poſt ſententiam adhuc exceptione peremptoria tueri ſe poſſint, ad cæleſtis militiæ pugilem non produceretur. Battolus *dict.l.1.C.de iur.& fact.igno.* ¶ Tertius eſt cùm aliquid valde odioſum vel irrationabile inducitur: vt cùm lex patri filios filiáſve ſanguinolentos victus cauſa vendere conceſſit: non enim alia ex cauſa id fieri poterit: gloſſ. 2. *in verb. vendidens. C.de pat.qui fil.* opinor & ſi ſanguinolenti, id eſt infantes, & iamiam nati, non ſint, venditionem irritam futuram. Accurſius qnid ſanguinolentus in ea lege ſignificaret, ignorauit: nos ex Aniano, Codicis Theodoſiani interprete, in eius vocis notitiam peruenimus, hócque argumento arbitramur de iure non licere patri tametſi principi, filium ſnum innitum obſidem hoſti, etiam vt ſe redimat, dare. ¶ Quartus caſus eſt in ſtatutis ſeu legibus municipalibus, in quibus non videtur licita extenſio: Vnde & lex Iulia de maritandis ordinibns, quæ virum iubet, qnicqnid ad ſe peruenerit à ſeruo dotali, quem, volente vxore, manumiſit, reſtituere in ſocero non procedit. De viro, inquit

Vlpian

Vlpianus, heredéque eius lex loquitur. *d. l. ſi vero. §. de viro. ſol. mat.* de ſocero heredibúſque eius nihil in lege ſcriptum eſt, & hoc Labeo quaſi omiſſum adnotat. In quibus igitur caſibus lex deficit, nec vtilis quidem actio dabitur. Sed hoc ego reſponſo non moueor: cùm non ſit in viro, ſoceróque æqualis ratio: ſi quidem mulier marito manumiſſori conſentiens, cùm ob magnam coniunctionem poſſit alia præſumptio accipi, non facilè creditur voluiſſe donare: quod in ſocero eſt contrà: ſicut videmus & in extraneis, quibus ſi permittamus rem noſtram poſſidere, in poſſeſſorio nobis præiudicamus, quod non ita eſt in viro & vxore. *l. qui iure. de acquir. poſſ.* præſumitur enim alter ab altero iure quodam familiaritatis habere, nec ideo deteriorem in aliquo ſuam cauſam facere: quod maximè in caſu prędicto dicendum fuit, cùm donatio viro facta ab vxore regulariter prohibeatur, ſocero à nuru non prohibeatur. *l. 3. §. ſocrus. de do. int. vir. ff.* Verius eſt igitur in lege quoque municipali iuxta ſupradictas diſtinctiones extenſionem permittendam, vt ſi lex ſit iuri communi ſimilis, vel etiam limitatoria, interpretatione producatur: ſi correctoria vel pœnalis, non temerè extendatur. Vnde & aliquæ quæſtiones finiri poſſunt. Lex ait: Si quis triticum extra territorium ſuper equo, aſino, vel curru portauerit, deprenſus ſoluat centum. Salic. *l. ſi ſeru. C. de noxal.* exiſtimat, qui ſuper humeris geſtat, vel mulum agit, pœna quoque afficiendum: propius enim eſt, vt effectus ipſe exportationis conſideratus ſit, non auferendi modus. Cui & ego aſſentior, præterquàm in eo qui humeris geſtat: cùm enim eo modo longè minus exportari, quàm iumentis poſſit, non eſt veriſimile voluiſſe legiſlatorem talem afficere. Lex ait, Triticum extra territorium nemo deferat, nunquid farina poterit? Et receptius non poſſe, extenſionémque fieri, aliàs quippe prohibitio eluderetur. *Bart. l. quæſitum. §. illud. de leg. 3. & Guid. Pap. q. 373.* Sed an vinum, oleum, liquamina? Et non cenſebuntur vetita, non enim tanta eſt ratio. *Bald. d. l. omnes populi. verſic. tertiò quæro quæ ſunt. ff. de iuſtit. & iur.* Quid vice verſa, ſi vinum, oleum, liquamina deferri non ſinantur, an triticum? Et verba legis deficiunt, opinor, & mens, niſi cum lex ad Barbaricum transferri vetat: eius enim ratio eſt, ne ſuauitate frugum illecti barbari, impetum in nos faciant. *l. 1. C. quæ res expor.* quæ prima fuit Gallorum in Italiam aduentus cauſa, vt T. Liuius atteſtatur. Lex ait: Si quis deceſſerit inteſtatus, ei exiſtentibus maſculis, fœminę non ſuccedant: mortua eſt mulier. Salic. negat ſtatuto locum eſſe: Si quis, inquit, ergo, ſi quæ deceſſerit, ceſſant verba. Ego diſſentio, cùm abſurdum non ſit, voluiſſe legiſlatorem etiam in fœminarum ſucceſſionibus maſculorum vtilitati proſpicere: & dictio, ſi quis, non omnino ex extenſione, ſed ex vi quoque aliqua verborum fœminas complectitur. *l. 1. ff. eo.* Lex ait: Patrui in ſucceſſione præferantur conſanguinei, nunquid & in tutela? Et cùm hæc æquiparata ſint, & quo tutela redit hereditas pertineat. Salic. putat etiam in tutela conſanguineos præferri. Quapropter & ſi lex agnatos cognatis in ſucceſſione anteponat, in tutela quoque extendetur, præterquam matris reſpectu, cui tutela defertur, non propter ſucceſſionem, ſed propter præſumptum prolis ſuæ amorem: vnde tametſi ab hereditate excludatur, tutelam geret. *Dec. conſil. 16.* Lex: Stantibus maſculis, inteſtato patri fœminæ non ſuccedant, quid ſi teſtatus ſit, & eas præterierit? & cùm regula ſit iuris antiqui, Quæ ab inteſtato excluditur, ius dicendi nullum, vel bonorum poſſeſſionem contra tabul. prætendi non habere, ſequitur ex teſtamento quoque excluſas. *Bar. l. Gallus. §. & quid ſi tantum. ff. de lib. & poſthu.* Quid ſi teſtator exheredatis maſculis, ſolos extraneos inſtituit? Et putarem non eſſe locum legi, & fœminis bon. poſſ. contra tab. concedendam: huiuſmodi enim lex correctoria eſt. *l. maximum. C. de lib. præt.* & ideo ſtrictam ſolùm interpretationem recipit: Vnde cùm fauore maſculorum ab inteſtato fœminas excludat, non debet extendi condito teſtamento, quando maſculorum fauor non ſubeſt: & cum huiuſmodi lex duplici cardine inſiſtat, altero quo fœminæ excluduntur, altero quo mares vocantur, ſi incluſionum caput ceſſat: igitur & excluſiuum. *l. alteri. de adim. leg.* maximè cùm in hiſce tricis perplexiſve, humanius ſit pro his pronuntiare, qui iure communi, & naturali ratione potiores ſunt: & ita ſentio, licet alij contrà. *l. æquiſſimum. ad Tertull.* Lex ait: Exiſtentibus maſculis, mater excludatur. quid ſi ſoror etiam adſit? Et videbatur lex producenda, vt excluſa matre, quæ prior in grado eſt, ſoror quoque reiiciatur. ſed contrà reſponſum eſt. *Alex. l. illam. ff. de coll.* cum de diuerſo iure ſoror ſuccedat, meritò agnatum remotiorem excludet, & beneficio ſororis mater quoque fruetur. Qua ratione & lex amitam excludens, ad materteram non porrigetur, & ſi à patruelibus mater excludatur, non ideo amita erit excluſa. diuerſo enim iure ſuccedunt. *Dec. conſil. 71.* Lex ait: Iudici ſalarium non debeatur, niſi poſt ſententiam, quid ſi per iudicem non ſtat, quò minùs definiat? Et reſponſum eſt, ſalarium deberi. *Rom. conſil. 85. incip. euidenter.* Lex ait: Rem venditam agnatus intra annum ius redimendi habeat, quid ſi in ſolutum data ſit? Plerique deficere verba legis dixerunt, relatúmque extat pronuntiatum ſic fuiſſe. *Spec. tit. de emptione. §. nunc videndum.* Mihi durum hoc videtur, propter rationem legis. & quia verba omnino non deficiunt. nam venditionis appellatio ad omnem alienationem ex lege duodecim tabularum pertinet. *l. ſtatuliberi à cæteris. in fin. de ſtatulib.* Lex ait: Maritus vxori in vltima voluntate vltra quartam bonorum partem relinquere non poſſit, teſtator eam heredem inſtituit, cum clauſula, ſi teſtamentum non valeret, vt donatione mortis cauſa deberetur, atque ita ſtipulatus vxoris nomine erat notarius, cum teſtamentum irritum fuiſſet, reſpondit Decius valere donationem, *conſil. 196.* quoniam donatio cauſa mortis propriè vltima voluntas non eſſet. Contrarium obtentum fuit, propter rationem legis, ne facilè ægrotantes mariti (quo potiſſimum tempore teſtari ſolent) blanditiis muliebribus ſeducantur, & lata ſignificatio vocis non repugnabat, alioquin paratiſſima eſſet fraus legi. Lex ait: Mandatum teſtibus probari non poſſit, ſed ſolis publicis documentis, an ratificatio probabitur? Et Bald. poſſe credidit *in l. obſeruare. §. ſi. q. 11. de offi. procon.* quoniam lex illa correctoria & dura ad hunc caſum trahi non debet, quod & mihi videtur. nam quamuis quo ad effectum ratificatio mandato æquiparetur, non tamen quo ad probationis modum. Lex ait: Qui aliquem fuſcina ferrea percuſſerit, duplici pœna afficiatur, percuſſit quis tridente, vel caput ſecuri, quid ſtatuendum? Et Bald. *d. l. omnes populi. ff. de iuſtit.*

& iure

*& iure.*ſi iudici ſedetit tale inſtrumeotum æquè graoem plagam infligere,ſimiléque fuſcinæ eſſe,duplo puniendum rectè reſpondit. Lex ait: Adulter ducentis aureis puniatur,an trahatur ad ſtupratorem? Et Saliceros ait non trahi,quare eum grauiore iuris communis pœna plectendum,tametſi aliàs grauius ſtupro adulretium caſtigaretur. *§. item lex Iul. inſt.de publ.iud.* Ego ſubſiſto, quoniam ſuprà vidimus, in pœnarum ſimilitudine fieri extenſionem, & craſſa Minerua adulterium & ſtuprum promiſcuè accipiuntur. *d.l.inter caeteras.ff.de adult.* Lex ait: De omnibus delictis pax fieri poſſit,excepto adulterio,homicidio, furto: quid in raptore? Et receptius eſt poſſe fieri. nam alia in raptore, alia in fure conſtituta videmus. *Inſt.vi bon.rap.verſ.ridiculum.* Lex ait:Quoties litis æſtimatio viginti librarum maior eſt,probationes per teſtes non admittantur: quid ſi partim ex teſtibus, partim ex inſtrumentis quis probare velit? Et receptum eſt hoc permittendum eſſe, ceſſat enim ſubornationis metus. *Bart.l.certi conditio.§.quoniam ſi cert.pet.* Lex ait:Mulier abſque duorum agnatorum auctoritate ne contrahito, procurator mulieris contrahit, an quod ex ſe prohibita eſt per alium poterit? Et reſponſum eſt poſſe, dum auctoritas conſtitutioni mandati ſaltem generaliter affuerit. *l.apud.§ fin.ex quib.cauſ.in poſſ. Alex.conſil.189.in 6.* Lex ait:Qui in eccleſia aliquem percuſſerit,grauiſſime plectatur. percuſſit aliquis in cœmeterio,reſponſum eſt,legi locum eſſe:quoniam æquiparata hęc ſunt iure veteri. *Arch.12.q.1.nulla.* Lex:Vicinus ædificâti prætorium vendere teneatur,cum in fauorem ædificantis facta ſit, non imponet aliquam neceſſitatem emptori. *Bald.l.1.C de com.ser.* tametſi aliàs emptor & venditor correlatiua(vt vocant) ſint. Lex:Mulier ſine liberis decedens teneatur trientem hereditatis fratri relinquere,num & filio fratris? Et ſi ſolus extet,non puto,ſi adſit patruus,cum eo admittetur:licet Alexand.*conſil.36.in 6.*etiam ſi ſolus ſit putet legi locum eſſe.Lex:Agnati quocunque gradu cognatis præferantur, extat conſanguineus, itémque frater vterinus: Reſponſum eſt, vterinum non ſuccedere. *Bald.l.lege. C.de leg.hered.* qui proprie agnatus non eſt, licet iura agnationis ex lege Iuſtiniani conſequutus ſit. ceſſat enim in eo agnationis conſeruandæ ratio, quæ ſola legiſlatorem mouit. Lex: Frater in patris ſucceſſione ſororem excludat,auus deceſſit ſolis nepte, nepotéque relictis, quos ex duobus filiis ſuſtulerat. Reſponſum eſt,nepotem potiorem eſſe. *Bald.l.ſcimus.7.q. C. de inoff.teſt.*tum ex ratione legis,tum quod appellatione patris auus, appellatione fratris etiam patruelis contineatur, idque lata ſignificatione acceptis verbis. Lex: Frater defuncti excludat matrem de fratre patruele non intelligitur,quia in eo non æquè magna eſt ratio,ſicut in germano. *Alex.conſil.89. in 6.* Lex: Syngraphæ manu debitoris ſcriptæ plena fides adhibeatur,quid,ſi aliena manu ſcripta,ſed à debitore ſubſcripta ſit?Reſponſum eſt,idem eſſe,quoniam patia hæc eſſe lex exiſtimat.*l.ſi ita ſtipulatus.§.Chryſogonus.ff.de verb.oblig.* Lex: Quiſquis contractum aliquem iniuerit, quid ſi diſtractum? Et receptum, idem eſſe,ſi eadem ratio ſit vtroque in caſu. *Iaſ.l.ſi vnus.§.pactus ne.ff.de pact.* Lex præmium accuſatori decernit,quid in denuntiatore? & eidem quoque debebitur,fit enim extenſio fauore publicæ vtilitatis,ne crimen impune ſit.*l.§.is quoque.ad Syll.*Lex:Frater non poſſit propter æs ſibi debitum fratrem in carcerem trahere, quid ſi nomen alteri ceſſerit? Et verius eſt, ne ceſſionarium quidem poſſe.*l.poſt diuortium.ſol.mat.*qui creditoris loco ſubſtitutus eſt,alioquin fraus legi paratiſſima eſſet.Lex:Maritis dotis ſibi datæ tertiam partem lucretur,quid ſi ſolùm promiſſa ſit? Non extendetur.*Iaſon.l.1.ſi cert.pet.* niſi generalitas rubricæ ipſius legis aliud ſuadeat, & ita Baldo videtur.*ibid.* Lex: Exiſtentibus fratribus defuncti mater excludatur. quid, ſi extent ſorores ex latere patris tantum?Et à matre eas excludi verius eſt, *Alex.conſil.45.in 7.*nec ius commune hoc caſu correctum cenſebitur,cùm nec fratris appellatione vi verbi contineatur ſoror,ſed per extenſionem tantum,quæ in correctoriis locum non habet,præſertim cum non æqualis ratio ſubſit. Et hæc quidem exempla ſufficiant,cùm alioquin quamplurima alia potuiſſent adduci:ſed id mihi laborioſum magis, quam vtile lectori fuiſſet. ¶ Sed quid ſi alia lege caueatur, ne ſtatuta aliquam interpretationem gloſſámve accipiant? Et Bart. *d.l.omnes populi.* credidit ſolùm friuolam interpretationem rejectam cenſeri, cùm vera interpretatio,quæ ex ratione legis deſcendit, naturaliter ſit neceſſaria,*l.2.§.his legibus.de or.iur.* auctoritatéq; ipſorum legiſlatorum fiat, cui non eſt veriſimile verbis illis derogari, alioquin abſurda,inepta,iniquáque quamplurima adoleſcerent.*l.ſed & ſi.§.quæſitum.de leg.*nam & videmus demandata iudici cauſa.vt eam,appellatione remota, cognoſcat, ſolùm friuolas, calumnioſáſq, appellationes ſubmoueri.*l.1.§.fin.à quib.app.*Quæ verba Bart.vt in ſe vera ſunt,crebrioréque calculo approbata, indigent tamen clariore expoſitione.Et in primis cùm à verbis legis recedendum non ſit,ſi lex tollat interpretationem,de extenſiua intelligetur,quatenus vi verborum comprẽdi non poſſit. Vnde quod à contrario ſenſu deducitur, excluſum videbitur,quod Bald.ſenſit.*d.l.2.*qua ratione etiam in ſubſtitutione expreſſa vulgari non continebitur pupillaris.ex legis enim interpretatione,nõ ex verborum figura venit.*Bal.l.precib.C.de impub.*Cùm verò gloſſas fieri prohibet,reſtrictiones vel argumentationem prohibere intelligitur,non autem eam expoſitionem, qua verbum aliquod obſcurum grammatico more intelligibilius declaramus, Quintilianus tamen *lib.1.c.2.Inſtit.Orat.* interpretationem linguę ſecretioris γλώσσας dici à Gręcis auctor eſt.Dionyſius gloſſematicam dictionem eſſe ait priſcam, obſcuriorem circumloquutionibus conſtantem.Diomedes quoq; genera loquutionum quinq; facit, rationale,artificiale,hiſtoricum,gloſſematicum,commune.Quid,ſi dicatur ad literam verba intelligi debere?Et eodem modo fiet interpretatio,ne abſurdum ineptúmq; aliquid conſequatur,oéve extenſione vlteriùs verborum vim vtamur,quapropter & tunc diſpoſitio in caſu ſimplici loquẽs, ad mixtum non protrahetur. *Aug.l.ſi ita.de lib.& poſt.*quod accipiendum, cùm mixtũ ex vi ſermonis non prouenit,quod ſuo loco explicabitur.Sed an tunc maſculinum concipiet fœmininum? Et Fr.Curt.reſpondit,tunc quoq; concipere,idéq; exiſtimat, ſi lege municipali in hereditate fraterna agnati fœminis præponãtur, etiam in ſororis ſucceſſione potiores fore,tametſi verba ad literã intelligi debeãt,cuius ſentẽtiã ego tũ probarẽ,cũ ratio fauoris agnatorũ in lege expreſſa eſt.tunc.n.& iſte caſus ſub ratione

eiúſque

eiúſque verbis comprendi dicitur,ſicut ſpecies ſub genere. *Pet.Cyn.d.iura non in fing.3.de ll.*nec vi extenſiua producitur. quòd ſi ratio expreſſa non ſit,exiſtente ſuprascripta lege aliud cenſerem,& ita Bald.*conſil.*460.*in* 5. Corn.*conſil.* 14. reſponderunt , & frequentiore ſententia receptum eſt. Alexand. 45.*in* 7.Quid,ſi lex dicat ſtatutum præcisè intelligendum obſeruandúmque? & præcisè hic ſignificat ſine tectorio aliquo,& ſermonis inuolucro.Cicero *ad Attic.lib.*8. Nemini cuius cauſam non reciperem tam humili tam ſordido,tam præcisè negaui,quam hic mihi planè ſine vlla exceptione præcidit. Videtur metaphora ab his ducta , quibus imperatur , vt longis verborum ambagibus finem imponant,ſuperfluáque amputent,& (quod vulgò dicitur) ad punctum veniant:vnde & præcisè quandoque dicitur.quod propter breuitatem obſcurum eſt.Cicero *de nat. Deor.lib.*2.Id,inquit,præcisè dicitur,vt ſi quis Athenienſium Rempub.dicat conſilio regi,deſit illud Areopagi. *Ad Herennium quoq; lib.*4. Præciſio eſt,cùm dictis quibuſdam,reliquum quod cœptum eſt dici,relinquitur in audientium iudicium.Sed in caſu noſtro (vt dixi,) aliter intelligitur,doctoréſque noſtri ita accipiunt vt velit lex præcidi quæcunque aliæ quæ illi diſpoſitioni officiant , ambiguámque reddant. Iaſ.*d.l omnes populi.* aítque Bald.huiuſmodi verbis quæcunque gloſſemata reiici,niſi quę ex aliis legibus aſſumuntur.Legem tamen correctoriam , quæ extantibus filiis fœminam excludat , tum ad nepotem non produci, quia nec præciſus hic intellectus, nec ea litera ſed ἐν πλάτει eſt.Bald.*d.l.maximum.* ¶ Sed nunquid in ſtatutis argumento à contrario ſenſu locus erit? Et quia hic tractatus & ipſe ad extenſionem pertinet, non in his tantùm , ſed generaliter attingendus eſt. Videntur autem hoc nomine quatuor argumentorum genera contineri. Primum eſt,quod argumentum à ſpeciali dicimus.nam ſi lex aliquid ſpecialiter induci dicat,conſequens eſt,vt ius commune in contrarium ſit,& hoc caſu tale argumentum dicitur,non ex mentis coniectura,ſed ex ipſo contextu ſumi,vnde ex lege Iulia *l.qui teſtamento. §.mulier.de teſtam.*quæ damnatam adulterij dicere teſtimonium vetat,probatur regulariter mulieris teſtimonium recipi. tali igitur caſu putauerim etiam in correctoriis huic argumento locum eſſe, quia propriè ab extenſione non prouenit:cùm lex,quæ ſpeciale eſſe dicat,ex vi illius verbi negare in aliis cenſeatur , hácque in ſpecie eorum ſententiam probo, qui illud quod per huiuſmodi argumentum inducitur , verbis legis expreſsè comprendi exiſtimauerunt. *Dom.c.1.prim.diſt.* ¶ Alterum genus eſt quod ab incluſione vnius dicitur.lex enim vnum includens,aliud à contrario ſenſu excludere videtur. *l.maritus.C.de procur.* & vice verſa, *l.cum prætor.de iudic.* hócque caſu tacitè & per coniecturam verius eſt ſenſum talem accipi. *l. apud antiq. C. de fur.* & ideo hac ſpecie non vteremur ad iuris antiqui correctionem,niſi cùm alias lex ipſa municipalis eluſoria redderetur. *glo.l.nulla.C.de epiſc.& cler.* ¶ Aliud genus loci eſt , qui exceptione dicitur. vulgò enim aiunt ab exceptione regulam confirmari. *l.nam quod.§.ſi.de pen.leg.*nam quod in exceptione comprenſum non eſt,ſequitur ſub ipſa regula contineri, *c.cum dilecta.de conſ.vti.*& hoc caſu argumentum ex proprietate ſermonis deſcendit, & vi verbi vnde videtur quacunque in materia , etiam ſi correctoria ſit , aſſumendum , ídque aliqui probant. *Alex. auth.ex teſtamento.C.de colla.* Sed ex aduerſo obſtat quòd ſi lex ſacri ſodalitij eos fructibus ſacerdotiorum priuet,qui non reſident,præterquàm ſi infirmi vel in Pontificis Romani obſequio ſint,tamen non intelligetur eos priuaſſe,qui in epiſcopi ſui obſequio ſint,cum nec hi iure communi priuentur. *c.ad audientiam.de cle.non reſid.* Verùm reſpondendum eſt,exceptionem hoc caſu regulam non confirmare , tum quia regula à iure communi interpretationem recipit , tum quia exceptio de Romano Pontifici obſequentibus, ſatis oſtendit idem iuris obſeruandum in his, qui ſuo antiſtiti ſubſeruiunt : non enim minor eſt eccleſiæ vtilitas. ¶ Poſtremus locus qui ἐμφατικωτέρως contrario ſenſu ducitur,ſolétque ex diſpoſitione generali accipi.quæ certa ratione aliquid inducit,vt ea deficiente, mens quoque legis deficiat, & tale argumentum à coniectura vires ſumit. *c.cum Apoſtolica.de his quæ fiunt à Præl.* non autem directo ex vi verborum accipitur. Fortiſſimum autem ſemper eſt, quod ſic ducitur enthymema, dum tamen non ſimpliciter à contrario ſenſu literæ ſit , ſed etiam rationis, ſeu mentis ipſius legis. Quapropter cùm lex dicit,Caſſa ſint omnia per Italiam aduerſus libertatem ſacerdotum conſtituta,non ſequitur,ergo extra Italiam obtineant. *Auth.caſſ.C.de ſacroſan.* cùm Italiæ mentio non ideo ſit facta,vt prouinciæ excludantur, ſed quia frequentius id mali in Italia contingebat , in qua pleræque Reſpublicæ nullis ſubiectæ principibus ſæpiſſimè huiuſmodi plebiſcita ſanciebant.Quod dicitur,inquit Hieronymus *c.quod dicitur.extrà eo.de verb.ſignifi.*antequam conuenirent,non ſequitur vt poſtea conuenerint,ſed ſcriptura quòd factum non ſit, oſtendit. Sic in Euangelio Matthæi : Et non cognouit eam,donec peperiſſet:non ſequitur,poſtquàm peperiſſet, cognouiſſe,ſed quidam eſt loquendi modus,qui ab affectione ducitur. credebant enim fore,vt conuenirent,& vt eam cognoſceret. Galli,inquit Virgilius,per dumos aderant,arcémque tenebant,id eſt, credebant fore vt iamiam tenerent. Pleráque ſunt huius rei in myſticis libris exempla,quæ libro aduerſus Heluidium ἀντιρρητικῷ collegit Hieronymus. Sic & nos plerunque loquimur , cùm dicimus, Iudices priuſquā de cauſa cognoſcerent. reum condemnarunt, non ſequitur,ergo deinde cognouerunt,ſed ſumitur hic modus ex eo,quod fieri debuit. Si conuenerit, inquit Africanus *l.ſi conuenerit, de iuriſd.omn.iud.*vt alius prætor quam cuius iuriſdictio eſſet, ius diceret,& priuſquam adiretur mutata voluntas fuerit,nemo compelletur eiuſmodi conuentioni ſtare.non enim ſequitur,poſtquam aditus ſit , non licere vtrique parti ab eius iudicio recedere. Sic cùm teſtator iuſſiſſet fideicommiſſatio caueri ſi filia non diuerteret , reſcripſerunt Seuerus & Antoninus *l. 2. C. de cond. inſer. vbi Cinus* non videri remiſſam cautionem in cauſa diuortij,quia non eſt veriſimile teſtatorem ad turpem hunc caſum attendiſſe:imò potius credendum eſt, illa ab eo adiecta verba,quòd crederet filiam aliquo modo non diuerſuram,vt conditio vim cauſæ impulſiuæ reſpiciat. Ex qua ratione deducitur,huiuſmodi argumenta legitimè non ſumi à contrario cauſæ impulſiuæ ſenſu,ſicut nec verborum,quę narratiua vocant,vel quæ modum, non autem conditionem inducunt. *l.Titio centum.in prin.ff.de cond.& dem.*

Idémq

Idémqoe quoties pluribus rationibus,quas finales vocant,aliquid inductom ſit.*§.affinitatis. Inſtit.de nupt.* aliqua enim deficiente , non tamen diſpoſitio ménſque proferentis ceſſat.*l.1.§.ſexum.de poſtul.* Finge igitur,lex iubet quòd minor 18.annis non poſſit abſque certa ſolennitate obligari,non cenſebitur vt poſt illud tempus velit eum legitimè obligari. *Bald.l.1.C.de tant.ſtip.* ſed tantummodo prohibitio illios legis deficiet,& caſos ceu omiſſos ex diſpoſitione iuris communis limitabitur.talem enim eſſe mentem legiſlatoris credendum eſt, ne inducta ad probibendum,permittere videantur.*l.legata inutiliter.de leg.1.* Eodem modo finge,lea ait : Nemo ex mutuo vltra quincuncem vſuratum nomine accipiat , non ſequitur permiſſas eſſe quincunces vſuras, quas conſtat lege Pontificum probiberi , ſed ſimpliciter apparet , intra quincuncem nihil à lege municipij diſpoſitum. Ea his quoque conſequens eſt,qui vnum dicit, licet à coorrario ſenſu videator aliud excludere, vt propter mentem præſumptam non cenſeatur ea excludere, qoæ ei, quod dictum eſt, connexa acceſſoria, ſimilia ſunt, *Felin.c.nonne.de præſumpt.*cùm vt argumentum valeat non ſolùm à contrario verborum ſenſu, ſed & mentis accipi debeat.Concludendum igitur,cùm bic locus non ea verbis,ſed ex conectura oriatur, regulariter in ſtatutis correctoriis non aſſomi,niſi his in caſibus,quibus ſupra in eius extenſione locum eſſe docuimus, vt cùm aliàs diſpoſitio ſuperflua redderetur, vel eluſoria. Vnde cùm lex municipalis ſic ſcripta eſt:Non eaiſtentibus maſculis,fœminæ ſuccedant, receptum eſt eis eaiſtentibus fœminas excludi. *Alex.l.1.de offic.eius.* Sic & lex, quòd mulier filios non habens, poſſit de dote teſtari, à contrario ſenſu intelligitur,vt ſi habeat,non poſſit, oe alioqui ſuperflua eſſet. *Anchar.conſil.213.pro iſto prin.* Adſumetur tamen , quando non per exteoſionem , ſed ex verbis quoque aliquo modo comprenditur,vt in eo caſu dictum, qui à ſpeciali dicitur. *Bald.l.obſeruare.§.proficiſci.in 3.quæſt.* itémque in eo,qno ab exceptione regulam firmari docuimus.*Bald.conſil.173.in prouincia.in 3.quæſt.*Sed & quoties correctio legis nolla induceretur, non eſt dubiom tali argumento locom eſſe. *Felin.d.c.ſignificaſti. de foro compet.* nam tunc regolariter ſuprà oſtendimus permitti eſtenſionem, oiſi eſſet espreſſim prohibita,vt quia cautom eſt verba ad literam intelligi debere.*gl.clem.1.de vſur.*itémque niſi in pœnam legiſlator incideret,vel aliqoid buiuſmodi odioſum,abſurdum,ineptum conſequeretur : quæ omnia ſuperius declarata ſunt. Supraſcrip.quæſt.cobæret alia quoque regula,qua vulgò dicimus,contrariorum eandem eſſe diſciplinam.*glo.rubr.ff.de acquir.poſſ.*Videndum igitur quomodo intelligenda ſit, & an in legibus municipalibus locum ſibi vendicet. In qua re breuiter dicendum eſt , vbi eadem eſt ratio,ibi eandem eſſe contrariorum diſpoſitionem.*l.ab emptio. de pac.* vbi diuerſa ſit ratio, diuerſam,*l.inter ſtipul.§.ſacram.de verb.oblig.* vbi contraria,contrariam, *l.& ſi contra.de vulg.* túncque eſſe regulæ locum,quæ in Topicis traditur.Id propoſitum in propoſito operari,quod in oppoſito oppoſitum.*l.fi.§.fi.de leg.3.* Quapropter apparet hæc non ex vi verborum, ſed ex ratione ipſa procedere : & ideo in caſibus , quibus ſuprà oſteoſum eſt à verbis non tecedi , & eatenſioni locum non eſſe , huic quoque regulæ nihil tribueretur. Hincque eſt quòd ſi lex municipij ſororem excludit ab bereditate fratris, oon videtur vice verſa fratrem ſororis bereditate priuaſſe. *Bald.l.lege 12.C.de leg.hered.* ſicut videmus,quòd media iuris prudentia maſculos volebat fœminis ſuccedere,& uon ex aduerſo fœminas maribus,quoniam commodius viſum erat,ſic iure conſtituere, vt plerunque bereditates ad maſculos confluerent,obtinuitque diu hæc ſententia,donec per Iuſtinianum abrogata eſt.Sic Senatuſconſulto Tertulliano mater filio ſuccedebat,& non filij matri,donec deinde ex Orficiano ei quoque prouiſum eſt. Vnde apparet,quamuis æquum ſit ſucceſſiones eſſe reciprocas. *§.filium.in auth.quibus mo.nat.effi.ſui.* uon tamen boc ſufficeret vt eatenſio fiat , niſi quatenus noua lege caueator. nec enim id per regulam veterem generaliter ſtatotum eſt, vt ſicut ego tibi, ita & tu mihi ſuccedas,ſed certis tantum caſibos. *l.ſi ab eo.C.de leg.her.l.communium. C. de nat.li.* vnde extenſioni , quam paſſiuam vocant,locus non eſt. Quapropter ex fama pronunciatum ſcio, cum lea legitimatos prohiberet legitimis ſuccedere,non cenſeri viceuerſa veritum filio legitimo,quò minùs ipſe ei,qui natalibus reſtitutos eſſet, ſuccederet. Ceterùm & è conuerſo, ſi lex fratrem ab hereditate ſuroris alienum eſſe velit, non prohibetur ſoror fratris bereditatem adire. *Bald.l.teſtamentum non ideo.C.de teſtam.*verba enim legis obſeruanda ſunt,& qui eis non excluditur,iure communi potior erit,cùm ſi quicquam indecēs conſtitutum ſit, non ideo ad conſequentia ſit trahendum, vt aliud qnoque inducatur. Sic & Paulus Caſtrenſis *conſil.340.bereditas prædicta. Dec.conſil.71.in fin.* legem qua ſoror ab bereditate fratris reiicitur,reſpondit ea interpretatione nou accipiendam,vt etiam ab hereditate ſororis eacludatur:quæ ſententia eſt vera , niſi in lege ratio conſeruandæ agnationis expreſſa ſit , quo caſu ſuprà aduerſam huic Currij *conſil.9.*ſententiam probaui.Non tamen perpetuum eſt io lege municipali buic argumento ſedem non eſſe. Atqui in caſibus,quibus exteoſio fit,fortiſſimus hinc accipietur locus, qoo fit, vt in correlatiuis æquiparatiſque , etiam ſi de pœna agatur, non tamen tali cardine innixa ratio eaplodatur.*Iaſ.l.fi.C.de indi.vid.tol.*cuius rei exempla quamplurima Iaſoo refert.Hinc eſt quòd ſi lege cautum ſit,ne teſtibus eaceptio probari poſſit, nec actio quidem poterit. *Bald.1.c.de mut.petit.* cui enim damni actionem,multò magis exceptionem,& regola ioris antiqui eſt,in probationibus non plos actori fauendum qoàm reo.Hinc prohibitus à lege correctoria aliquem condemnare,cenſebitur prohibitus & abſoluere.*l.nemo qui.de reg.iur.*niſi legis ratio ſit,qoia ſuſpectam habeat iodicis ſæuitiam. Quaptopter berericæ impieratis quæſitor.*glo.cle.de beret.ver.eos.*delatom ad ſe reum abſoluere poterit,condemnare ſolus non poterit. Hinc ſi les legatum probari per duos teſtes poſſe cōſtituat,etiam ademptio , legati hoc oumero probabitur. *Bald.l.fi.C.de fideicom.* paribus enim paſſibus in iure ambulat datio & ademptio.*glo.l.cum proponebatur.de leg.2.* Et bæc quidem ſufficiant. ¶ Cæterùm cùm eatenſio etiam ex variis argumentorum generibus in iure noſtro fiat , erunt fortè qui hanc quoque partem à nobis attingi deſiderabunt.Sed hi velim ſciant, à pleriſque tam veteribus quàm recentioribus , adeò diligenter , etiam integris voluminibus materiam hanc explicatam , vt minimè noſtra

qpera

opera quiſquam indigere poſſit? Adde quòd omnino argumentandi ratio ad Iuriſconſultos non pertinet. Optimus erat legum interpres Trebatius, etiam priuſquam M. Tullius Topica eius nomini dicaret. qui enim iudicio naturali lepram à lepra (vt vulgò dicitur) diſcernere nequit, is legibus noſtris addictus, olei & ſomni iacturam facit. Spectant huiuſmodi ad dialecticos, quorum ars in contentione verborum conſiſtit. Iuriſconſultum verò id ſolum decet, vt rationem legis conſideret: vbi ratio diſſimilis eſt, ibi argumentum eſſe ineſficax ſciat: at vbi ſimilitudo rationis adeſt, etiam ſi alioquin res diuerſiſſimæ ſint, tamen ab vna ad aliam procedemus. Quid magis inuicem pugnat, quàm teſtatum eſſe, & inteſtatum? & tamen de vno caſu ad alium argumentamur. *d. l. Centurio. ff. de vulg. & pupill.* Quid amplius diſſidet, quàm ſacerdos & aſinus? & tamen de vno ad alium Alexander Pontifex, ceu de ſimilibus argumentando, proceſſit, quod Antonius Butrius adnotauit, *c. fin. de tren. & pac.* Quid curſos tam malè cohæret, quàm perplexitas, & verendorum nerui? & tamen Gregorius ſimilia hæc exiſtimauit, *c. neruos teſticulorum. 13. diſtin.* Ex ſimilitudine igitur rationis legum ſcientia porrò extendenda eſt, locorum argumentorúmve ſedibus hiſce, qui ſe logicos dicunt, derelictis.

ANDREÆ ALCIATI IVRISC. MEDIOLAN.

DE VERBORVM SIGNIFICATIONE, Liber Tertius.

SVPEREST nunc, vt ad actiones hominum deueniamus, & ſicut à nobis quemadmodum legibus extenſio fieri poſſit, ſupra expoſitum eſt, ita in præſentia declaremus, quemadmodum contractus, & vltimæ morientium teſtationes, ad caſum omiſſum per interpretationem produci poſſint. Nec abſque conſilio nobis viſum eſt materiam hanc ſeparatim tradere, non quòd inter contractus quoque & vltimas voluntates aliquæ non ſint differentiæ. *Iaſ. l. qua de legato. ff. de legat. 1.* ſed quòd multò maiores ſimul hæc habeant cum legum interpretatione diſcordias. Quarum eſt cauſa quòd legis diſpoſitio ex ſola mente vnumquemque obliget. neque enim legis mens aut ratio ideo minus pollet, quòd verbis non ſit expreſſa, cum non minus committat in legem, eique fraudem faciat, qui verbis obtemperans rationem negligit, *c. fi. de reg. iur. in 6.* quàm qui vtrunque negligat, at in humanis actionibus ſola mens nihil proficit, niſi aliquo modo expreſſa proponatur. *l. quidam cum filium. de hered. inſtit.* Ad hæc rationem legis perſcrutari plerunque facilè eſt, ex eáque argumentari conceſſum eſt, cum generaliter proditum ſit, id pro ſtatuto habendum, quod legiſlatores, ſi de eo caſu interrogati fuiſſent, veriſimiliter conſtituiſſent, *l. tale. §. fi. de pac. in glo.* quem ſenſum ἐκ τοῦ ἐπιεικοῦς, id eſt, ex bono & æquo accipi Ariſtoteles *Moralium 5.* auctor eſt. At rationes hominum in vltimis voluntatibus diſcernere difficile eſt, in contractibus longe difficilius, cùm ſemper debendi reus negaturus ſit, ne productio fiat, *l. ab initio. de acce.* creditor propter vtilitatem ſit affirmaturus: meritò igitur fatendum eſt, interpretationes huiuſmodi facilius in verbis legum fieri: quod non paucis quoque in ſpeciebus exempli cauſa demonſtrabo. In edicto prætoris, *l. 1. §. quod autem. de alea.* cùm de actione fiunt verba, & de pœnali, & de qualibet alia intelligitur. at cùm quis in iudiciis actionem intendit, de ſpeciali tantùm accipitur. *Bart. l. hoc legatum. de leg. 3.* In lege cùm diœceſis fit mentio, & de ciuitatis, & de agri adminiſtratione intelligitur *l. 1. C. de pri. car.* at in hominis diſpoſitione, extra ciuitatem tantùm diœceſis eſt. *c. Rodulphus. de reſ.* In lege ſingulari, quam ἀόριστον, id eſt, indefinitam vocant, ſemper vniuerſali æquipollet. *Bar. l. ſi pluribus. de leg. 2.* in diſpoſitione hominum non item. Lex de curatore loquens, etiam in tutore locum ſibi vendicat. *glo. auth. minoris. C. qui dare tut.* at ſi teſtator curatorem dare ſe impuberi dixerit, nihil agit nec tutor datus intelligitur. *l. tutores. §. 1. de admin. tut.* Sic quoties lex filij mentionem facit, non eſt dubium & nepotem contineri, cùm teſtator filiis tutores dat, nepotibus conſuluiſſe non videtur. *l. quid ſi nepotes. de teſt. tut.* Si lex vniuerſali termino etiam geminato vtatur, vt quicunque, quiſquis, ad idoneos regulariter reſtringitur. at in contractibus aliud eſt. *Bald. l. 1. C. ſi cert. Iaſ. l. 1. §. nunciatio. verſ. 3. de oper. non. nunt.* Vnde qui ſibi & quibuſcunque heredibus feudum, quod vocant, ſtipulatur, etiam de extraneis & aliàs incapacibus egiſſe præſumitur, idque receptius eſt. Quoties tamen voluntas in obſcuro non eſt, nulla conſtitui differentia debet, quin ſicut verba legum generaliter, quatenus ratio ſuadet, intelligitur, ita ſi & hominum diſpoſitiones, regulâſque illas obſeruemus, quibus traditum eſt de placitis hominum ad legum ſcita argumentum valere ſicut de contractibus ad vltimas voluntates, *l. non impoſſibile. de pact.* & vice mutua de hiſce voluntatibus ad contractus. *d. l. qua de legato.* cúmque inter hos aliqua differentia ſit, leges municipales vltimis voluntatibus potius quam contractibus accedere. *glo. l. 1. C. de his quib. vt indign.* ¶ Igitur vt ad rem deueniamus, puto quinque axiomatis, ſeu concluſionibus materiam hanc omnem extricari poſſe. Prima eſt: Prouiſio qua quid purè diſpoſitum eſt, in vno caſu facta, ad alium non producitur. Quapropter ſi alij fundum, alij vſumfructum eiuſdem fundi teſtator legauerit, vſus fructus communicabitur, quia fundi appellatione etiam vſusfructus continetur, *l. ſi alij. ff. de vſufruct. leg.* nec error teſtatoris faciet, vt alij ſolus vſusfructus detur, niſi aliter verba conceperit. Sic & teſtator, quia tutores filiis dedit, de eo non intellexiſſe cenſebitur, quem habere ſe ignorabat, tametſi veriſimile ſit, ei quoque, ſi ſciuiſſet, daturum *l. ſi quis ita. §. ſi quis cum. de teſt. tut.* Sic cum dotem pater daret, ſi in alterum caſum vel diuortij vel mortis ſtipulatus ſit, in alterum, in quem non pepigit, mulieris actionem eſſe reſponſum eſt. *l. ſi cum dotem. ſol. mat.* Et concluſionis ratio illa eſt, quòd in dubio ſtandum eſt verbis, nec videtur quis aliud ſentiſſe, quam quod verbis expreſſit. ¶ Non obſeruatur prædictum axioma quatuor caſibus. Primus eſt, cum id quod omiſſum eſt, virtute expreſſi intellig

telligi poteſt, vel ex natura actus, *l.ſi non fuerit pro ſoc.* vel ex antecedente, conſequentéve neceſſario, *l.illud de acquir.hered.* vel propter connexitatem, *l.Lucius.§.Paulus.de admin.tut.* vel quia inuicem ſe reſpiciant, *l.alteri.de adim.leg.* vel quia per argumentum à contrario ſenſu id ſuadeatur, *l.aliquando. de cond.& demon.* vel quia prouiſum in ſimplicibus eſſet, & de caſu mixto agatur, *l.ſi ita.de lib.& poſt.* vel quia teſtator plus expreſſerit. nam & de eo quod eſt minus, vtique veriſimile eſt prouiſum. *l.qui quartam.de legat.2.* quod & quandoque viceuerſa accipitur, & ex minori per coniecturam ad id, quod maius eſt perducimur. Sane & quædam propter fauorem vltimarum voluntatum pro conſequentibus, ſeu connexis habentur, quæ in contractibus ſeparata cenſentur. Ecce: Qui vendit fundum, iter ſeu viam ad eum præſtare non tenetur, niſi expreſſim ita conuentum ſit, *l.in vendendo.de contrahend. empt.* & tamen heres fundum à teſtatore dare iuſſus, viam quoque ad eum præſtabit, *l.binas.de ſeruit. vrb.præd.* Qui mandat numerum Canonicorum coerceri, quia reditus diminuti proponantur, non cenſetur id mandaſſe, vt auctis facultatibus, augeatur, *c.fin.de verb.ſignific.* quod tamen in vltimis voluntatibus contrà eſt. *l.fin.§.fin.de leg.3.* His non abſimile, quod in diſpoſitione legis Bartolus ſcripſit in cauſa læſæ maieſtatis, famoſi, itémque alij teſtes reprobi admittuntur. Qui igitur eo crimine legatum accuſat, quia ſucceſſorem non admiſerit, hoc ipſum hiſce teſtibus probare poterit. Quod ſi negetur eum legitimum ſucceſſorem eſſe, non poterit, nec huiuſmodi conſequentia adminicula idem priuilegij habebunt. *Bart.in quæſtionibus.ad l.Iul.maieſt.* ¶ Secundus caſus eſt, quando veriſimilis mens teſtatoris eſt, vt idem ſit in caſu omiſſo. Quod in eo reſponſum eſt, qui nepotem filiæ prægnantis inſtituit, cùm ſe inſcio ruri albeſcente cœlo, iam enixa eſſet. erit enim infans ex eo teſtamento heres. *l.Titius.§.fin. de lib. & poſthum.* Sic & qui poſthumum inſtituit, quem credebat in lucem ſe mortuo venturum eo quoque caſu inſtituiſſe cenſebitur, quo, ſe viuo, naſcatur. *l.fin.C.de poſt.hered.* Sed tamen hoc ita intelligendum, vt procedat, cùm de eadem perſona agitur: idem enim ille nepos eſt, ſiue iam natus, ſiue poſt naſcetur, ſiue viuo, ſiue mortuo teſtatore. At ſi alia perſona ſit, caſus pro omiſſo habebitur. cùm enim teſtator de ea non cogitauerit nec diſpoſuerit, ſaluis regulis iuris non poſſumos aliter conſtituere *d.l.ſi quis ita.§.ſi quis cum.* cùm præſumpta teſtatoris mens, niſi in aliquam diſpoſitionem tranſierit, non obſeruetur. *d.l.quidam cùm.* nam actus hominum vltra eorum præſentem cogitationem non operantur, *l.non omnis.ſi cert.pet.* & receptum eſt, teſtantium voluntatem ex eo interpretationem accipere, quod ipſi opinabantur, non ex eo, quod ex ſe verum ſit, *l.quo loco.§.1.de hered.inſtit.* maximè cùm regulariter vlla perſona extrinſecus aſſumi non ſoleat. *l.ſi ita ſtipulatus.§.Chryſogonus. de verb. oblig.* nam etiam in ſubſtitutione vulgari nunquam videmus omiſſum verbis caſum ex mente comprendi, cùm ſubſtituti perſona variatur. *l.ſi pater ſ.impub.vbi Imol.de vulg.* mandatum quoque ad aliam perſonam non producitur, tametſi idem effectus conſequi inde poſſit *l.mandati.de neg.geſt.* Nec me quicquam mouet, quod à Seuero Imp. conſtitutum eſt, poſthumum teſtamento matris præteritum, quæ in puerperio repentina morte deceſſerit, coniectura mentis maternæ cum fratribus cenſeri inſtitutum: nec eo caſu teſtamentum ceu inofficioſum expugnari poſſe, *l.3.C.de inoffic. teſtam.* quia arbitror propter iuſtam impedimenti cauſam, & quia nullum filiis damnum inde oritur, atque etiam odio querelæ, ita conſtitutum. Minus quoque moueor Papiniani reſponſo, *d.l.tale.§.fin.* quo pactionem dotis mihi vel fratri heredi meo reſtituendæ, non prodeſſe fratri reſpondit, ſi heres non ſit, ſed filiis potius meis, quos poſtea ſuſceperam, heredéſque ſcripſeram. nam ibi mentio fratris demonſtratiuè addita erat, cùm crederet ſtipulator fore, vt is eſſet heres: vnde ſuſceptis poſtea filiis, ipſi agnnt: quia pacti verbis non excluduntur, cùm heredes ſint. Non ergo is caſus poteſt omnino omiſſus dici. Et licet Accurſius ex eo reſponſo generaliter cenſeat, id pro ſtatuto habendum, quod veriſimiliter conſtitutum fuiſſet, ſi de eo cogitatum foret: vt demus verum eſſe in legibus, quarum mens ſola obligat *l.nominis.§.1.ſ.eo.* in actionibus certè hominum aliud eſt, & ex hic tractatu diſtinguendum. Quo fit, vt etiam recentiorum quorundam ſententiam probare non poſſim, mentem teſtatoris obſeruari arbitrantium, etiam ſi aduerſus verba faciendum ſit. *l.heredes.§.cum ita.ad Treb.l.Publius. §.ſi.de cond.& demonſt.* Si enim id ſequeremur, ſola mens abſque vllis verborum adminiculis ſufficeret, quod ſupra falſum eſſe oſtendi. ¶ Ad mentem igitur attendimus, non quando aduerſatur verbis, ſed quando præter verba eſt, cùm ſcilicet caſus omiſſus eſt, non quando aduerſus. Quod & ex ea communiter recepta ſententia deprendi poteſt, qua traditur in ea conditione, ſi Titius deceſſerit ſine filiis, non cenſeri filios aliquo modo ex teſtamento vocatos. *glo.in l. Lucius.de hered.inſt. Curt.conſil.45. Corn.conſil.*118. cùm quæ in conditione ſunt, ad diſpoſitionem non referantur. nam etiam ſi aliqua coniectura adſit vt quia huiuſmodi filij grauari à teſtatore fuerint, vel interdicta illis alienatio, non tamen à verbis recedimus, & ſolum in conditione poſitos arbitramur: huiuſmodi quamplurimas coniecturas in Socini *conſil.*126.3. reſponſis confutatas cernere eſt, quæ in præſentia referre operæpretium non eſt. Poſſet tamen tam euidens coniectura mentis allegari, vt ad caſum quoque omiſſum diſpoſitio teſtatoris meritò producenda videretur. Quo argumento in ſubſtitutione vniuerſali, caſu quo nullus filiorum teſtatoris ſit ſuperſtes, reſpondit *Alex.conſ.*17.7. ſubſtitutum etiam à fœminis legatariis excludi propter quaſdam coniecturas. ¶ Tertius eſt quando caſus non omnino omiſſus eſt. tunc enim ex mente fiet extenſio. Cuius rei exemplum eſt, quando teſtator in ſimplicibus diſpoſuit. non enim mixtum caſum omnino omiſiſſe creditur, qua de re infrà quinto axiomate diffuſius agetur. Sed & ſi ſub verbis aliquo modo contineri poteſt, pro omiſſo non erit quod in ea ſpecie à Decio *conſil.*227. reſponſum eſt, cum teſtator Titio ſubſtituiſſet, & eius filius deficientibus, ſeu decedentibus. licet enim non dicatur decedere, qui non natus eſt, dicitur tamen ὡς παχύτερον & craſſa Minerua, deficere. Sed hoc via mihi perſuaderi poteſt, vt deficere dicatur, quod nunquam incœperit *l.Titio vſusfruct.de cond.& demon.* & ideo verius arbitror, nullo modo ex verbis ſed ex coniectura mentis ſolùm intelligi. Ceterùm & caſus ille omiſſus non cenſebitur, qui ex verbis ſaltem impropriè acceptis

compren

comprendi poſſet *l.diuus. de vſu & hab.* Idem quoties teſtator vnicum caſum expreſſiſſet, veriſimiliter credens alium non euenturum, alioquin illum etiam expreſſurus is pro omiſſo non habebitur. *l. mulier. in fin. prin. ad Trebell.* Quod & in conditionibus procedit, quamuis ſpecialiter & ad vnguem obſeruari debeant. Idem opinarer quoties id eſſet expreſſum, quod frequentius ſolet euenire, vt non cenſeatur rarius contingentem caſum excluſiſſe, in quo eadem ratio idémque effectus ſit. *glo. authen. caſſa. C. de ſacr. ſanct. eccleſ.* Idem quando id expreſſiſſet, cui aliquid ex conſuetudine ſoleat accedere. nam de eo, quod ex ſequela eſt, actum quoque interpretabimur. *l. cuicunque. §. pen. de inſtitor.* Quapropter cùm negotiator Titio mandaſſet, vt mutuò centum ſola acciperet, reſponſum eſt ſub vſuris accipi poſſe, quòd non ſoleant negotiatores, inueuite, qui alia conditione mutuare pecuniam velint. *Roman. l. 3. § vſuras. de iureiur.* ¶ Quartus eſt, cum caſus omiſſus eſt ſimilis expreſſo, & eundem effectum habet: fit enim ad eum extenſio. Quapropter ſi mandauero, vt pro Titio fideiubeas, & tu non fideiuſſeris, ſed creditori mandaueris, vel aliter egeris, quàm quod mandatum ſit, nihilominus tenebor. *l. fin. §. fin. mand. Iaſon. l. ſi procurator. C. de procur.* Vnde & Iaſon cum diligenter ſeruandos mandati fines docuiſſet, ab eiúſque forma non recedendum, ſubdidit tamen, poſſe plenius, vberiúſque adimpleri: poſſe formæ ſuperficiem negligi, dum effectus ſeruetur poſſe quod mandatum non eſt, ſed mandato vicinum, expediri. Itémque quod connexum, quod antecedens quod conſequens, quod acceſſorium, ſiue de iure ſiue de conſuetudine, quæ latius apud eum legenda relinquimus. Hinc prohibita à teſtatore alienatione, omnis modus vetitus cenſetur, vnde aliquo caſu dominum transferri poſſit, *Bart. l. in quorum. de pignor. ff.* conceſſáque executori facultate vendendi, vt creditoribus ſatiſfaciat, poterit & in ſolutum dari, pignori opponi, cæteráque fieri: vnde huiuſmodi cauſa ſatisfactionis obſeruetur. *Bart. l. alio. de alim. leg.* Qua ratione in quæſtione facti obtentum vidi. Romanus Pontifex præpoſito cuidam conceſſerat, vt ex eccleſiæ immobilibus bonis vſque ad quingentos aureos alienaret: is cenſus quoſdam vendiderat, reſponſum fuit, quamuis huiuſmodi iura appellatione bonorum immobilium ſtricto ſermone non contineantur, *l. à diuo. §. in venditione. de re iud.* tamen propter effectus ſimilitudinem, non eſſe dubitandum, quin alienatio fieri potuerit. ¶ Quandoque tamen etiam ſi idem effectus ſuadeat: non fit huiuſmodi extenſio, vt cùm prætor tutoribus permittit vendere, ſi illi obligent, nihil agunt. *l. ſi pupillorum. §. ſi prætor. de reb. eor.* ſi enim voluiſſet prætor vt eis obligare liceret, non rectè partibus ſuis functus diceretur, qui venditionem conceſſiſſet. meritò decreti forma ſeruanda fuit. In materia quoque ſtricta, in qua à verbis non recedamus, quales ſunt gratiæ ac beneficia, quæ propter ambitionem ſacerdotum reſtringuntur, non accipietur huiuſmodi interpretatio. *c. ſuſceptum. de reſcript. in 6.* Sed & extenſio non fiet ad caſum principis diſpenſatione indultum, tum quia de tali teſtatorem cogitaſſe non eſt veriſimile, *l. apud Iulianum. §. ſi. de leg. 1.* tum quia idem omnino effectus inde non prouenit. *l. fin. C. de his qui ven. æta.* Qui enim aliquid filio prohibet antè quàm legitimam ætatem habuerit, de eo, qui veniam ętatis impetrarit, non intelligitur. non enim princeps reſcripto ſuo maturitatem conſilij illi dare poteſt. *l. 1. de minor.* Hinc quoque illud inductum quidam arbitrantur, vt ſi pro tutore fideiuſſero, iſque non adminiſtrauerit, tametſi adhuc iſte conueniri poſſit, ego tamen non poſſim: ipſe enim conuenietur, tanquam ſocij qui adminiſtrauit fideiuſſor. *l. ſi. C. ſi tut. non geſſ.* at ego pro eo ſolum promiſiſſe cenſeor, quod propria obligatione, non quod aliena debeat. cum ergo idem effectus non ſit, ad hunc caſum fideiuſſio mea non protrahetur. *l. 3. § illud. rem pup. ſal.* Quo exemplo cum miles in procinctu ſocietatem prædæ de hoſtibus faciendæ cum Titio contraxiſſet, dixi, in hanc cauſam id non protrahendum, quod is ab alio ſocio conſequuturus erat, ſed id ſolum, quod ipſe manu, virtute bellica cepiſſet. nam & ſolet dici, *l. nam ſocy. ff. pro ſoc.* Socius ſocij mei, mihi ſocius non eſt. ¶ Secundum axioma in hoc tractatu eſt: Prouiſio conditionalis in vnum caſum, non trahitur ad omiſſum, qui expreſſo diſſimilis ſit. *l. ſi cùm dotem. ſol. mat.* Quapropter pater dotẽ ſibi reddi in caſum mortis filiæ ſtipulatus, in caſum diuortij integram filiæ actionem reliquiſſe cenſebitur: & viceverſa. ſi in caſum diuortij ſibi ſtipulatus ſit, filiæ heredes in caſum mortis dotẽ repetent: caſus enim hi diſſimiles ſunt, cùm qui ſibi diuortio ſequuto, paciſcitur, mulierẽ retrahat, ne facilè aut ipſa diuertat, aut marito diuertẽdi cauſam præſtet. Qui verò ita caſum mortis ſtipulatur, mulieri facultatẽ relinquit, vt eadẽ dote poſſit iterũ nubere. Nec obſtat, quod extraneus dotẽ ſibi reddi in caſum facti matrimonij, & quoquo modo ſoluti, ſtipulatus in eũ quoq; caſum agat, quo matrimoniũ à principio nõ valuerit. *l. ſi extraneus. de con. cau. data.* & ſic factũ non ſit. nam hoc ex mente inductũ eſt. cõſtabat enim de errore extranei matrimoniũ valere exiſtimantis, vnde datum ad cauſam ea nõ ſequuta, cõdici debuit. Cõfirmatur axioma illud eo quoq; reſpõſo, quod traditum eſt, poſthumũ ſuũ heredẽ cõmodiſſimè inſtitui, ſiue viuo me, ſiue mortuo natus ſit, quia ſi alteruter caſus omiſſus fuerit, eo qui omiſſus ſit, natus rũpet teſtamẽtum: ex mente. n. teſtatoris apparet, hoſce caſus eum pro diuerſis habuiſſe, vt qui fortè cuperet vel videre ſibi heredẽ, vel ſuppoſititium partum poſt mortẽ vereretur, vel alia ſimili cauſa. Quod ſi appareret cõditionem ſe mortuo appoſitã, quia exiſtimaret ſe tunc moriturũ, cũ præter ſpẽ ſuperuixerit, aliud ex Iuſtiniani ſanctione eſſet. *l. ſi. C. de poſth. her.* Ego tamẽ Iuſtiniani deciſionẽ proprietate verbi defendi arbitror. quia dictio, *intra decem menſes* ſignificat vſq; ad decẽ menſes, quod alibi declaraui. *l. ſi quis ſic. de ver. ſig.* Pro eadẽ ſententia etiã illud inducitur, quòd fideicõmiſſum alicui relictũ, ſi heres ſine liberis deceſſerit, adoptionis cõmento non extinguitur. *l. fideicõmiſſum. de con. & dem.* non. n. naturalis & adoptitius hoc caſo vidẽtur ſimiles, quia cùm cõditio à teſtatore appoſita ex incerto euẽtu pẽdeat, nõ debet in poteſtate heredis eſſe adoptando ſibi filios, fideicõmiſſariũ eludere. *l. nec ei. §. 1. de adop.* Quapropter exiſtimauerunt quidã, ſi filij antè iam adoptati fuiſſent, tũc cõditionẽ pro defecta haberi. *Ruy. d. §. & quid ſi tantũ.* deficit. n. hoc caſu ratio, ſolẽneq; in iure adoptiui pari in caſu cũ iuſtis filiis eſſe. *l. nec in ea. de adul.* & id nõ nominis ſolùm reſpectu *l. ſi. de bo. dam.* (nã & ipſi filij ſũt) ſed & effectus. Quã ſententiã defẽdi poſſe opinor, cũ teſtator

huius rei conſcius erat,ſcilicet heredi filios adoptiuos eſſe.*l.ſi te parens.Cod.de ſuis & legit.* Idémque certius adfirmandum,cum verba conditionis de filiis legitimis tantùm concepta ſunt: qua tamen in re aliter Decio *conſil.* 418. viſum eſt. Sanè operæpretium eſt Senatuſconſultum referre ad has adoptiones pertinens,Pub.Mario L.Aſinio Coſſ.tempore Neronis factum,quod hiſce verbis Cornelius Tacitus *lib.*15.refert. Percrebuerat ea tempeſtate prauiſſimus mos,cùm propinquis comitiis,aut ſorte prouinciarum plerique orbi fictis adoptionibus adſciſcerent filios , præturáſque aut prouincias inter patres ſortiti , ſtatim emitterent manu quos adoptauerant. Qui magna cum inuidia Senatum adeunt,ibi naturæ munus,labores educandi aduerſus fraudem & artes, & breuitatem adoptionis enumerant : ſatis pretij eſſe orbis,quod multa ſecuritate , nullis oneribus, gratiam, honorem cuncta prompta & obuia haberent : ſibi promiſſa legum diu expectata in ludibrium verti, quando quis ſine ſolicitudine parens,ſine luctu orbus, longa patrum vota repentè adæquaret. Factum ex eo Senatuſconſultum,ne ſimulata adoptio in vlla parte muneris publici iuuaret,ac ne vſurpandis quidem hereditatibus prodeſſet.Quibus verbis ſatis oſtenditur,quantam differentiam antiqui inter iuſtos filios, & adoptiuos conſtituerint. ¶ Hincque conſequenter deducitur, an grauatus ſine filiis deceſſerit,ſi filios legitimatos, hoc eſt,natalibus beneficio principis reſtitutos, relinquat, reſtituere teneatur? Et crebrior ſententia eſt,conditionem defeciſſe, ſiue per ſubſequens matrimonium ſiue per reſcriptum legitimati fuerint.Quod etiam in ea ſpecie receptum eſt,cum conditionis verba ſunt.Si ſine filiis legitimis & naturalibus deceſſerint.Lex enim huſce iuſtis filiis æquiparat:nihilque à legitimis legitimatos differre iubet:nec hi inuicem diſſimiles à legitimis & naturalibus cenſentur,*§.illud.verſi.quis ergo.quib.mod.nat.effi.ſui.*cum non ex ſola legis imagine, ſed etiam ex origine naturæ filij ſint. *Alex. conſil.*5.*in* 1. ¶ Sed quid, ſi verba conditionis concepta ſint , ſi deceſſerit ſine filiis ex ſe legitimè natis, vel ex legitimo matrimonio procreatis ? Tunc enim non eſt dubium per reſcriptum legitimatos excludi. Quid ſi per ſubſequens matrimonium? & iſte videtur caſus diſſimilis,cùm teſtator tempore originis voluerit legitimos naſci : qualitas enim adiecta verbo, ſecundum verbi tempus regitur, *l.in delictis.§.ſi extraneus.de noxal.*& hac ratione ita Anton.Butr.decidit, & reſpondit in quæſtione facti Bald.*conſil.*367*in* 5.Alexand.*conſil.*5.*in* 6. nam & idem,inquit ille,in feudo traditum eſt, quod aliquis ſibi & filiis legitimè deſcendentibus ſtipulatus eſſet. nam legitimati per ſubſequens matrimonium legitimè deſcendere non dicuntur, idque Baldus probauit. Accedit , quod & ea conſuetudine, quæ hereditatem primogenito defert, non admittetur naturalis maior natu,in iuſti filij poſtea nati damnum,quamuis deinde per ſubſequentes nuptias legitima iura conſecutus proponatur.*Io.And.reg.ſine culpa.* Sunt tamen qui in contrariam ſententiam tranſierunt. *Imol.c.innotuit.Dec.*155. quia hi, qui ſecutis nuptiis legitimi fiunt , inſtar iuſtorum filiorum habentur , léaque huiuſmodi pro omnino ſimilibus habet, *l.*1. *in fin. iuncta l.fin. §.ex bonis. de bon.damn.* nec crebriore calculo recepta videtur ea ſententia,*c.tanta.qui filij ſint leg.* vt accepto feudo pro ſe & legitimè deſcendentibus reiiciantur,imo plerique omnes admitti cenſuerunt. Ego hac in re ſic arbitror diſtinguendum. Aut enim loquimur in naturali,qui per matrimonium ſubſequens legitimatus ſit, & verius eſt nõ deficere conditionem, quia lex præſumit legitimè natum : ex actu enim ſubſequuto præſumit vſque à principio affectu maritali concubinam cognitam, *l.cum quis.verſic.nec enim.C.de nat.lib.* quæ præſumptio veritati innititur,*l.fin.de probat.*& in hoc à fictione diſtat,quòd ea aduerſus veritatem eſt.*l.filio quem.de lib.& poſthum.* meritò igitur ex illis verbis non exiſtimabitur tanquam illegitimè natus ſummoueri. Aut loquimur in ſpurio & ſi fideicommiſſum ab aſcendente factum ſit, idem iuris putarem, idque paternæ pietatis coniectura.*l.generaliter.§.cum autem.C.de inſt.& ſubſt.* Nec me mouet, quòd legitimè natus non dicatur , qualitáſque verbi repugnet, quia reſpondeo ſatis eſſe, ſi ex interpretatione legis ſuſtineatur: lex enim pro legitimè nato habet,interpretatióque huiuſmodi fauore filiorum capienda eſt. *§.ſed & hac præſenti.in auth.de ſanct.epiſc.*Sicut etiam videmus eorum fauore disiuncta pro coniuncta, & viceverſa coniuncta pro ſeparata, aduerſus propriam ſermonis vim accipi. *argu. d. l.generaliter.in princ.*nam & licet qualitas adiuncta verbo, ad verbi tempus referatur, fauore tamen deſcendentium aliud quandoque obſeruari ſcimus. *c.ſi.§.item opponitur.*20.*q.*2. Nam & reſcriptum Romani Pontificis,Cùm impuberi,inquit,ſuccederent,ſi abſque liberis moreretur,*c.Raynutius.de teſtam.*eam interpretationem non habet,vt verbum,*Succederent,* ſecundum dictionem impuberi reſtringatur. *Bart.l. Centurio.*2.*q.*3.*membri prin.de vulg.*Aut loquimur in fideicommiſſo quod ab extraneo relictum eſt,& tunc probabilior eſt Alexandri ſententia. hic enim ex fictione legis ſolùm legitimè natus dicitur,*d. c.tanta.*vnde ad hunc caſum diſpoſitio teſtatoris produci non debet, *d.l.ſi.C.de his qui ven.* cùm proprietas verborũ repugnet,à qua vt recedamus non eſt vlla cauſa.Aliud tamen eſſet in feudo:propter fauorabilem enim principalis beneficij naturam, propius eſt, vt etiam huiuſmodi admittantur.*c.*1.*§.pen.quib.mo.feu.amitt.*præſertim cùm in re dubia non erret ,qui aduerſus fiſcũ iudicat.In diſpoſitione quoque legis,quæ legitimè natos ſolùm ad dignitatem admittit,idem reſpondendũ eſt, vt hi admittantur,quos lex pro legitimè natis habet.*c.innotuit.de elect.* ſit enim latior interpretatio,vt ſuprà diximus.Et ideo quum ea lege ordinis non niſi legitimo matrimonio nati in collegium admitterentur, reſponſum eſt,hos quoq; ſubſequutis, legitimorũ iuri reſtitutos recipiẽdos eſſe.debet enim ea in lege benignior fieri interpretatio? *Bal.conſ.*183.2.niſi cùm ſtatuto cautum eſſet, vt verba ad literã intelligerentur.id enim non ex litera,ſed ex fictione legis eſt. ¶ Aduerſus ſecundũ hoc principale axioma quatuor exẽpla plurimũ vrgent. videtur enim conditionẽ in vno caſu,ad diſſimilẽ quoq; produci debere.nã pupillaris expreſſa ſubſtitutio ad vulgarẽ tacitã trahitur, & è contrario vulgaris expreſſa ad tacitã pupillarẽ,*l.iam hoc iur.de vulg.* & tamẽ hi caſus omnino diſſimiles ſunt, cũ tẽpore,tũ modo,tũ etiã effectu.*l.ſed ſi plures.§.ad ſubſtitutos.de vulg.*Sed cõmuniter in hoc deuentũ eſt,vt dicamus haſce ſubſtitutiones natura ſui cõditionẽ habere:nõ enim aliud eſt ſubſtitutio, quã cõditionalis inſtitutio.

Expreſſio

Expreſſio igitur vnius conditionis aliam non excludit: quoniam lex præſumit, ſi de alia cogitatum fuiſſet, eam quoque teſtatorem æquè expreſſurum fuiſſe. Quòd enim pupillaris contineat vulgarem, eſt ipſius teſtatoris fauor: quòd vulgaris pupillarem, pupilli vtilitatem reſpicit. meritò igitur vtriuſq; fauore & propter paterni pupillariſque teſtamenti coniunctionem, hæc interpretatio admiſſa eſt. Nam & ſi voluit teſtator tam ſuam quàm impuberis hereditatem eo decedente ad ſubſtitutum pertinere, multò magis ſuam voluiſſe illi deferre credendum eſt, caſu quo filius repudiaret. Adde etiam quòd vt vulgaris pupillarem contineat, aliquo modo vi verborum inducitur. conditio enim illa, ſi filius heres non erit, poteſt intelligi immutabiliter. *l. ei qui. de cond. inſti.* & ideo adita hereditate à pupillo non prorſus extinguitur ſpes ſubſtituti, quia quamuis heres ſit, poteſt nuda voluntate vſque ad pubertatem abſtinere, ſententiámq; mutare, quod rectè Pileus & veteres cenſuerunt *l. impuberibus. l. neceſſariis. de acquir. hered. l. pen. de aut. tut.* licet Accurſius & poſt eum alij manifeſto cauillo diſſenſerint, quorum rationibus haudquam difficile eſt reſpondere, cùm maiore facilitate ſe paternæ hereditati quam extraneorum impuberes immiſceant, quod & alibi attigimus. *l. ex contractu. de re iu. l. ſi filius qui patri. de vulg.* Rurſus obſtat, conditio ſi intra decem menſes proximos mortis meæ naſcetur, illi eſt diſſimilis, ſi me viuo naſcetur, & tamen ad hanc producitur. *l. fin. C. de poſth. her.* Sed ex his, quę ſuprà retuli, ſatis conſtat fieri hanc extenſionem, quia teſtator ſe tunc moriturum credebat. vnde ſi præter ſpem ſuperuixit, non ideo rumpitur teſtamentum. *Bart. l. Gallus. in prin. de lib. & poſthum.* Rurſus inſtari poteſt, conditio, ſi nubere noluerit, ab ea plurimùm differt, ſi nubere potuerit. nolle enim & non poſſe, perquàm diſſimilia ſunt. *d. l. pater Seuerinam. de cond. & demon.* & tamen in ſubſtitutionibus conditio, ſi heres eſſe noluerit, intelligitur, vel non potuerit, & viceverſa. *d. §. & quid ſi tantum. l. fin. C. de inſtit. & ſubſtit.* Sed reſpondendum eſt, hos caſus ex præſumpta teſtatoris voluntate abſimiles non eſſe. Cùm enim de ſubſtitutione vulgari agatur, per quam ipſi teſtatori ſucceditur, & ſic de eius fauore tractetur, veriſimile eſt, quod de altero expreſſit, ad alterum quoque, cùm eadem ſubſit ratio, trahi voluiſſe. Quapropter ſi appareat teſtatorem non ad teſtamenti ſui fauorem attendiſſe, ſed ad heredis pœnam, aliud dicendum eſſet: vt ſi in hac ſpecie, Titium inſtituit. & ſi Titius, eiúſque filij nolent nomen, & gentilia teſtatoris inſignia deferri, ſubſtituit Caium: ſi is Titius liberos nullos ſuſcepit, vnde non potuerunt nomen & inſignia deferri, nunquid ſubſtitutus admittatur? Et Socin. *in conſil.* 258. reſpondit, ſubſtitutioni locum non eſſe, quoniam is caſus diſſimilis ſit, & de pœna agatur. Quæ tamen deciſio penes me dubia eſt, cùm ex natura conditionis appareat, fauorem ſuum, ſiue ſuæ familiæ, in animaduerſione teſtatoris fuiſſe, & ideo nomen & ſtemmata geri voluerit, quòd ſi in hoc Titium cum liberis decedentem grauauit, quantò magis caſu. quo ſine liberis decederet? Et ex his in alia quoque quæſtione quid ſentiendum ſit, diſcerni poteſt. Teſtator inſtituit ventrem vxoris, & ſi maſculus naſcatur, & in pupillari ætate decederet, ſubſtituit Sempronium: ſi naſcantur fœminę, inſtituit eas in 400. aureis: venter nihil peperit, nunquid ſubſtitutus admittetur? Ex facto conſultus Alexand. *conſil.* 188. reſpondit, ſubſtitutum non admitti, & hunc caſum omiſſum cenſeri, cùm altero caſu naſcentium fœminarum Sempronio nihil reliquerit. *l. ſi ita ſcriptum. de lib. & poſthu.* Ego hac in re vereor, ne ſententia eius vera non ſit, pupillaris enim illa ſubſtitutio vulgarem continet. *l. pen. de ventr. in ſpic.* vnde non nato maſculo, potuit teſtamentum à ſecundo gradu, id eſt, à ſubſtitutione vires adſumere. *l. 3. §. fi. de lib. & poſth.* & ideo hic caſus non videtur omiſſus eſſe. accedit defuncti mens, qui fœminis ſolùm 400. reliquit, quoniam reliquum hereditatis ad ſubſtitutum pertinere voluit, & licet particularis inſtitutio, ſi alius heres non ſit ſcriptus, legis diſpoſitione ad ius vniuerſale trahatur, cùm tamen vniuerſalis ſubſtitutus hic adeſſet, ipſe admitti debuit, & fœminis præferri, *l. filius à patre. eo. tit.* receptúmque Baldi auctoritate eſt, etiam qui ex tacita vulgari ſubſtitutione vocatus eſt, in re certa inſtituto præferendum. *Bal. l. fi. q. 33. C. de her. inſtit.* Sed iterum tandem obiicitur. Communiter recepta eſt ſententia, ſi quis filio impubere herede ſcripto pupillariter Titium ſubſtituit, & ſi Titius quandocunque ſine liberis decedat, Titio ipſi Sempronium, mortuo Titio viuente pupillo, Sempronium pupillo heredem fore, *Bart. l. quandiu. 2. de acq. her.* ex quo apparet, Sempronij ſubſtitutionem factam Titio, & ſub conditione deficientium liberorum, ad caſum penitus diſſimilem trahi, tum reſpectu perſonæ, quia pupillo ipſi ſucceditur, tum reſpectu conditionum, quia etiam ſi Titius cum liberis deceſſerit, nihilominus erit ſubſtitutioni locus. *Paul. de Caſtr. conſil. 352. præſens dubit. videtur formari in 1. in nouiſſ.* Sed reſpondendum eſt, hunc caſum non omnino eſſe expreſſo diſſimilem: hæc enim verba, *Quandocunque deceſſerit ſine liberis*, verborum compendio vulgarem quoque ſubſtitutionem continent: vnde Titio prædecedente, caput illud, ſi heres non erit, dicitur eueniſſe, meritò ſubſtitutos ceu hoc caſu vocatus admittitur. Verum igitur non eſt, ex perſona diſſimilitudinem vllam eſſe. Ex conditione quoque diſſimilitudo non eſt, quia cùm ſecundus gradus morte Titij peremptus ſit, & conditiones in illo adiectæ perierunt, perindéque eſt, ac ſi Sempronium ſolum pupillo teſtator ſubſtituiſſet, *l. coheredi. in princ. de vulg.* nec vlla conditionis illius ratio habetur. Quod & hac ratione confirmare poteſt: adpoſuit enim teſtator illam conditionem in Titij fauorem, *Bart. l. ſi liberis. de cond. & demonſt.* vt ab inteſtato ſe derelictam hereditatem accipere filij poſſent. vnde ſi heres non ſit, quia ante pupillum moriatur, deficit ratio fauoris: nec hoc prodeſſe heredi legitimo debet, cui manifeſta teſtatoris voluntas ſubſtitutum prætulit. *l. Publius. §. fin. eod. tit.* Et licet regula ſit, Conditione defecta, ſubſtitutum excludi. *l. in teſtamento. eo. tit.* tamen non procedit, quando alias teſtator etiã fuiſſet relicturus. *gl. l. 1. C. de inſt.* at in propoſita ſpecie, cõditio illa ſolius Titij fauorẽ reſpiciebat, de quo ampliùs nõ quæritur, cũ ſatis ſit hereditatẽ cũ inſtituti, cui ſucceditur, onerib. ad Sempronĩu peruenire, nõ autẽ cũ Titij oneribus, qui de medio ſublatus eſt. Et ideo in quæſtione facti, cũ quis heredi quãducũq; ſine filiis fato fungeretur Titiũ ſubſtituiſſet, iſq; heres, viuo teſtatore, liberis ſuperſtitib. deceſſiſſet, dixi ſubſtitutũ admittẽdum, nec legitimo prodeſſe cõditionis in caduco gradu

deſectum tametſi bac in te poſt Oldtad.*conſil.*141.alitet Socin.reſpooderit,*conſil.*76.

§ Tettium huius tractatus axioma eſt: Conditio neceſſaria ſiue actum ipſum ſiue effectum teſpiciat,ad caſum ſimilem porrigitur,túncque non refert,quid ex æquipollentibus fiat. Quapropter cùm mater filiis ſuis legaſſet,ſi morte patris iuris ſui effecti fuiſſent,diuus Marcus cum emácipati eſſent, legatum deberi iudicarit, *l.mulier. ad Trebel.* ea enim conditio effectui actus neceſſaria erat. nempe vt illis legatum acquireretur,nihilque ad patrem pertineret.*l.ſi mater.C.de inſtit.& ſubſtit.*Quod & viceuerſa in ea ſpecie reſpóſum eſt,cum mater ſub conditione emancipationis reliquiſſet,vel etiam donaſſet. nam & filiis morte patris , ſui iuris effectis debebitur, *l.ſin.C.de do.quæ ſub.* effectum enim ſolum mater reſpexiſſe creditur. Vnde etiam ſolet dici,non de itinere,ſed de meta curandum. *Bart.l. cum ſeruus.de verb.* Sed tamen hiſce aduerſatur Vlp.teſponſum,ſi cui ita relictum ſit,ſi morte patris ſui iuris effectus fuerit,& emancipatione ſui iutis effectus fuerit,non videri defeciſſe conditionem, *l. fideicommiſſa. §.ſi cui ita. de leg.3.* ſed & cùm mots patri contingat, quaſi extante conditione, ad fideicommiſſum admittitur. Quibus verbis apparet non ſolùm emancipato deberi fideicommiſſum, ſed mortem patris nibilominus expectandam. videtúrque hæc fortiſſima eſſe ἀντινομία vt Accurſius, Battolúſque non citra cauillum diſſoluere eam potuerint. Mihi ea ſententia placet, in quam iuiſſe multos video,vt Vlpiani reſponſum intelligatur, cùm ab extraneo ſub ea conditione relictum eſt. is enim videtur odio patris hanc adieciſſe conditionem,ne quicquam omnino io eum peruenire poſſit: vnde expectāda erit mors,nec à verbis recedendum.In matre verò alia interpretatio aſſumitur, quæ ſub tali conditione legaſſe magis creditur, vt liberis ſuis conſuleret, quàm quòd patrem odio haberet. Aduerſatur rurſus reſponſo ſuo Pomponius,*d.l.commodiſſimè.* mihi ſæpe,vt ille inquit,vocandus ad partes. pater enim ne præteritione teſtamentum rumpatur, neceſſariò poſthumum inſtituere debet. Ea inſtitutio duplicem conditionem continet,ſi ſe viuo, vel ſe mortuo naſcatur, & tamen alterius horum caſuum expreſſio ad alterum non trahitur. Nec cum Bart. ſentiendum eſt talem conditionem voluntariam appellante:quia ſimpliciter potuit inſtitoi. nam & in ſententia diui Marci, *d. l. mulier.* potuit mater ſimpliciter filiis legare, & io conſilio Galli Aquilij , potuit teſtator ſimpliciter inſtituere , & tamen caſus mortis ad deportationem emancipationémque producitur. Igitur vt pugnantia ſubmoueamus, ſciendum eſt, omnem hanc materiam à coniectura mentis teſtatoris vim & robur accipere.*l.in conditionibus.de cond.& dem.* Et ideo vbi probabilis huiuſmodi coniectura eſt,ad caſum omiſſum fit extenſio,ſiue voluntaria,ſiue neceſſaria ſit conditio. promptius tamen in neceſſaria ſumitur bæc præſumptio,quòd in ea ſolùm effectum reſpiciamus.Vnde in boc Pomponij reſponſo,cùm ooo ſatis conſtat,quę mens patris ſam.eſſet,à verbis non debuit recedi,qui fortè alterum caſum expreſſit,quia magis hoc animo ſuo ſedebat,vt ſuperius oſtendi,nam ſi propter neceſſitatem inſtitutionis motus fuiſſet,quid oportuit alterum caſum omittere? & dum anxiè moroſus eſt.alterum exprimere, cùm ſatis illi fuiſſet, ſi ſimpliciter eum, qui naſcetur, inſtituiſſet. Iure igitur qui alterum dixit, de altero potius negaſſe cenſebitur. *l.maritus.de procur.* Quod & in ea ſpecie cenſendum, cùm teſtator ſic verba concepit , Si quis filius mihi poſt mortem filij mei impuberis naſcetur. *l. ſi pater filium.de vulg.*indicatur enim mens patris nolentis hunc cum filio iam nato ſimul admitti, vnde conditio ad eum caſum non producitur , ſed potius tabulæ teſtamenti præteritione rompuntur. Cuius rei alia quoque exempla adſerti poſſent,*l.ſi ita quis.de vulg.*niſi prædictæ ſat ſupérque eſſe arbitrarer. Sed quid ſi limitatiua (vt ita dicam) dictione vſus ſit teſtator? exempli cauſa: Si filij mihi naſcentur, heredes ſunto,& ſi ſine liberis deceſſerint,tunc Sempronius heres eſto:nemine nato, reſponſum eſt, ſubſtitutum non admitti , propter dictionem Tunc, quæ ita reſtringit, vt ad caſum omiſſum productio fieri nequeat, & ita hanc vocem plerique reſponſis ſuis declararunt. Anch.Socin.*conſil.*257.Decius *conſil.* 332. & ſi qui alij. Nam & vulgaris ſubſtitutio cui taxatiua dictio adiecta proponatur , pupillarem in ſe nullam habet, vt ferè receptius eſt, *Alex.l.quamuis.C.de impub.* Sed nobis dubia videtur horum ſententia , cùm Galli Aquilij verba ſic concepta ſint. Qui nepos me mortuo intra decem menſes naſcetur,tunc &c. tamen in eis fit extenſio & ad caſus omiſſos,& ad tempora. Item vulgaris ſubſtitutio hac formula concipitur:Si Titius heres non erit,tunc Seius eſto,*l.1.de vulg.*& tamen pupillarem in ſe habet. Alij non banc vim illi dictioni attribuunt , *Dec.conſil.*315. ſed geminationi , vt cùm dictum eſt , & tunc & eo caſu: ſed & hæc opinio veriſimilis non eſt. quis enim credat dictis iuribus locum non futurum,ſi præter aduerbium illud temporis,adiectum quoque fuiſſet,eo caſu:Mihi certè non fit veriſimile.cum enim teſtator eo caſu dicit,per argumentum à contrario ſenſu videtur cæteros caſus excludere: quod argumentum ex coniectura ſumitur,& ideo in primis coniectura ſpectanda eſt,quia vna præſumptio aliam tollit.*l.diuus.de in integ.reſt.*Et ex his illa decidi controuerſia poteſt.Teſtator ventrem vxoris inſtituit,ſi maſculum pareret, eique Seium ſubſtituit,& ſi fœminam vel neminem,ptochotrophium:vxoris in puerperio cæſo ventre,extractóque fœtu maſculo,deceſſit, qui etiam aliquantulum ſuperuixit , quæritur an Seius admitti poſſit? Et videbatur pleriſque excludendum. non enim maſculum peperit, cui cæſo ventre infans extractus eſt.*l.anniculus.§.fi.ī.eo.* Sed tamen cùm hæc conditio,ſi maſculum peperit,neceſſaria ſit, propius eſt effectum conſiderari,& ſubſtitutioni locum eſſe,idque crebriore calculo approbatum eſt, *Alex.l.quod dicitur.de lib.& poſth.* Rurſus & illa vetus quæſtio definiri poteſt: Teſtator vxori vſumfructum reliquit , ſi vidua permanſerit,& poſt eius mortem Titio: vxor ſecondò nupſit, diſceptatur inter Titium & beredem, vtrius, donec vxor morietur , vſusfructus eſſe debeat: & frequentior ea videtur ſententia. *d. l. mulier.* vt ſtatim Titius vſumfructum habeat , vt conditio mortis etiam ad ſecundas nuptias porrigatur , cùm huiuſmodi dilatio in fauorem vxoris adiecta, beredi prodeſſe non debeat. *l.à filio.§.alumno.ad Treb.* vnde ſi ad ſecundas nuptias properauerit,legatario locum faciet.

Sed hæc me deciſio dubium,ancipitémq; reddit:cùm enim teſtator in conditione poſuerit,ſi vidua

permaa

permaneret,ſatis id cogitaſſe videtur, potuiſſe eam ſecundò nubere: vnde cùm Titium non niſi poſt eius mortem vocauerit, maniſeſtè apparet, in caſu nuptiarum voluiſſe interim excludi: ſicut aliàs quoque traditum eſt,cùm teſtator in conditione filios maſculos ſcripſiſſet, ſi deinde in alia ſubſtitutione filiorum ſimplicem mentionem faciat,non cenſeri de maſculis tantùm egiſſe.*Inſ.l.qui filiabus.de leg.*1.cùm enim eorum rationem ſemel duxerit, ſi de maſculis quoque alio in loco ſenſiſſet, vtique & tunc expreſſiſſet.*l.vnic.§.fin autem ad deficientis.C.de caduc.toll.* Nam & diui Marci ſententia non tam communem ſententiam adiuuat,quàm proſternit,expugnátque.in ea enim mater mortis caſum expreſſerat,quia non crediderat fore,vt pater eos emanciparet.*l.mulier.verſ.quæ quia.*ſi igitur crediſſet id futurum, caſus pro omiſſo haberetur. At in hac quæſtione cogitauit teſtator eam ſecundò nupturam. igitur omiſſus eſt caſus, hincque apparet, non ſolius vxoris cauſa dilationem adlectam, ſed heredis quoque, cuius vtilitati in caſu omiſſo proſpexit.*l.vxori vſumfruct.villa.de vſufruct.legat.* Quapropter non temere arbitror hoc caſu à verbis recedendum, adhærendúmque regulæ, qua proditum eſt pœnam priuationis à teſtatore iuſſam,ad heredem potius quàm ad eum, cuius fauori indicitur,pertinere.*l.vxorem.§.heres.de leg.3.*Communem igitur in hac quæſtione ſententiam minimè ſequendam cenſerem,cum vxor ipſa iuuenis eſſet, & quam veriſimiliter potuit teſtator credere alium thorum appetituram. Sed & ſi in legato diceretur. poſt mortem vxoris, tunc & eo caſu Titio vſumfructum,clarius eſſet,propter vim geminationis,interim illi non deberi.*d.l.vxori.* quod & ferè receptius eſt.Sed quid è conuerſo ſtatuendum? Reliquit vxori vſumfructum,ſi vidua permaneret,& ſi alias nuptias celebraret, Titio: non celebrauit, ſed periit, Titiúſne admittetur? Et admitti ſutilibus quibuſdam rationibus Socinus reſpondit,*conſil.30.in 3.conſil.5.eo.lib.*Sed idem alibi alia ſentit.puto enim verius eſſe, eum non admitti, cùm non euenerit conditio, vnde meritò heredi remanebit. diſſimilis enim eſt nuptiarum mortíſque caſus.

¶ Quarta principalis regula eſt: Conditionem ſpontaneam præciſè & ad vnguem ſeruari, nec ad ſimiles caſus extendi debere. Vnde conditio, ſi ſeruo dederit, *l. qui heredi.§.1.de cond.& demonſtr.*ad dominum non prorogabitur, & conditio vt heredi detur, non eam interpretationem accipiet, vt fideicommiſſariis dari poſſit.debet enim factum ipſum obſeruari,vt ſi quis incapaci dare iuſſus ſit det, licet nummos accipientis non faciat.*l.Mæuius.eo.tit.* Et conditio, ſi deceſſerit ſine liberis, non deficit,ſi liberos ſuperſtites relinquat,licet mox decedant,vel ſuccedere nolint, aut non poſſint.*l.filius ſ.§.cùm quis. de leg.*1. ſeruatur enim conditio vti ad literam ſcripta eſt, nec fit extenſio. Cui etiam rei illud accedit,quòd ex ea actus indiuiduus redditur,*l.cùm fundus.de cond.& demonſt.*alioqui non diceretur in ſpecie obſeruata. ¶ Non procedit axioma hoc quando actus per omnia ex diſpoſitione legis exæquatur,ſubrogatúrque illi quem Teſtator expreſſit.Quapropter conditio de herede in bonorum poſſeſſore locum tenet, *l.in conditionibus. §.ſi patronus.eo.tit.*quoniam is & nomine & effectu heres exiſtimatur. Eadem etiam in eo, cui prætor contra tabulas bonorum poſſeſſionem dedit, obſeruabitur *l.is qui.§.fi.de leg.præſt.* Item in herede quoque heredis,nam & is heres cenſetur.*l.pater ſu.de vulg.*Sed & in eo,cui libertatis cauſa bona ex diui Marci conſtitutione addicuntur,idem reſponſum eſt. *l.3. §.ſi ſub conditione. de fid.lib.* Sic conditionem, vt pupillo detur, ſatisfaciet qui tutori dederit, quoniam is pro pupillo accipit, *l.ſi fundus.de cond.& demon.* imò cautius ei ſoluitur. Sic illa verba, ſi centum ſoluerit,accipiuntur,vel compenſauerit.qui enim compenſat, ſoluit, id eſt, liberat. *l.ſi peculium.§.1. l.ſtatuliberi. §.1.de ſtatulib.* Adde quòd cui compenſatur, iuſtè contradicere non poſſet, cùm per eum ſtet,quo minus ſoluatur.dicet enim debitor,ſi mihi ſoluiſſes,& ego tibi conditionem adimpleſſem.*l.3.verſ.inde.de ſtatulib.*Sic & eadem conditio per acceptilationem obſeruatur, quoniam acceptilatio diſpoſitione legis ſolutio eſt. *l.Iulianus ait. de cond.& demonſt.* Quæ tamen omnia intelligenda ſunt,niſi alia mens ſit teſtatoris,vt quia inter caſum expreſſum & eum qui à lege ſubrogatur, aliqua ſit differentia,quæ veriſimiliter teſtatorem retrahat, vt ea in quæſtione ſuprà a nobis dictum eſt, cùm Titio relinquitur, ſi heres ſine filiis legitimè natis deceſſerit. nam legitimatus per ſequens matrimonium defectum conditionis non inducet. Quod & in ea conditione conſtitutum eſt,ſi legitimæ ætatis erit,vt qui veniam ætatis impetrauerit,nihilominus excludatur. *l.fin.Cod.de his qui ven.* Rurſus non procedit regula,quando conditio iure adimpleri non poteſt, idque teſtatorem non præteribat.ſufficiet enim ſi de facto ſeruetur.*l.ex facto.§.ſi quis rogatus.2.ad Trebel.* Quapropter qui filiæ furioſæ fideicommiſit, ſi ſine liberis decederet, de filiis etiam naturalibus intellexiſſe creditur, cùm furioſa mulier matrimonium contrahere nequeat,nec filios legitimos habere.*l.heredib.§.fi.ad Treb.* Si qui hereditarium ſeruum iuſſus eſt manumittere, & deinde heres eſſe, ſatis eſt ſi de facto manumittat,*l.mulier.§.1.de cond.inſtit.*de iure enim quo modo poteſt,cum adhuc heres non ſit? Sic,ſi pater ſacerdotis fideicommittat,ſi deceſſerit abſque filiis,de naturalibus & legitimis intelligi non poterit, cùm vxores ducere lege Pontificia ſacerdotes prohibeantur, & ideo de adoptiuis intelligetur, *l.ſi quis poſthumus.de lib.& poſt.*vel ſi monachus ſit,de ipſa eccleſia.*§.ſed & hoc præſenti.de ſanct.epiſ.capt.conſil.20.* Nam & illud receptum eſt, ſi pro ſacris celebrandis centum teſtator myſtis reliquerit, nec propter diras,abominationéſque Pontificis celebrare illi poſſint, in aliud honeſtæ deprecationis genus erogationem conuertendam.*l.legatum.de vſuf.leg.* ¶ Non procedit tandem regula,cùm ex coniectura aliqua deprendi poteſt,non modum,ſed finem ipſum in teſtatoris animaduerſione fuiſſe.tunc enim ſpontanea conditio a neceſſaria non differet. Vnde conditio ſi tutela per pubertatem, ſeu per quatuordecim annos finiatur, etiam eueniſſe cenſebitur, ſi morte tutoris finita fuerit. *l.liberto.§.fin.de ann.leg.*idq; ex coniectura mentis teſtatoris. Sic & conditio,ſi centũ Arethuſæ dederis per alium adimpleri poteſt,*l.Arethuſa.de ſtat.ho.*ſic & faciendi cõditio,niſi cùm perſonæ electa ſit induſtria. Eodẽ pertinet & illa cõditio,ſi me mortuo,poſthumus naſcatur.nam ſi teſtator eã adiecit,ꝙ crederet ſe illa ægritudine moriturũ,nihil oberit quò minus & qui,ſe viuo,naſcetur,heres ſit.*d.l.ſi.ff.de poſt.her.*

Cui non abſimile, in conditione, ſi quis prior diem ſuum ſine filiis obierit, quam receptum eſt etiam extendi, cùm poſterior abſque prole decedat *l. heredes. §. cum ita. ad Trebel.* Quarum definitionum illa eſt ratio, quòd in conditionibus potiſſimùm defunctorum mens ſpectanda ſit. Igitur cùm caſus veniet, diligenter animaduertendum eſt, quæ fuerit teſtatoris ſententia, vt ex ea ad caſum omiſſum vel progrediamur, vel intra cancellos verborum conſiſtamus. ¶ Decipimur tamen plerunque, vt Bald. loquit, *l. precib. C. de impub. & alus.* dum ſcrupuloſè nimis, & anxiè coniecturis ceu exploratis rebus vtimur, quod vt manifeſtius fiat, aliquibus etiam quæſtionibus oſtenſuri ſumus. In primis igitur dubitari conſueuit an æquè in directis ſubſtitutionibus atque in fideicommiſſis ad caſum omiſſum fiat extenſio. Et Pontanus *Rom. d. l. ſi cum dotem.* in fideicommiſſis quidem fieri cenſuit, quòd in eis ſola teſtatoris mens obſeruetur: in ſubſtitutionibus verò non idem eſſe, quòd hæ expreſſis verbis concipi debeant *l. iubemus. C. de teſtam.* Quapropter, inquit, videmus, ſi pluribus heredibus ſcriptis, aliquis poſt mortem omnium directo ſubſtitutus ſit, non videntur inuicem heredes ſubſtitui, *l. vel ſingulis. de vulg.* & tamen in fideicommiſſo poſt mortem omnium relicto aliud eſt, *l. Titia. §. Seia libertis. de leg. 2.* in quam ſententiam Dinus, Paulúſque Caſtrenſis conceſſit. Idem Socinus *conſ. ex lan* 1. quodam reſponſo cenſuit, hoc potiſſimùm argumento vſus, quòd heredi, cuius nomen inconſulto deletum eſt, prætor bonorum poſſeſſionem non decernit, quia ex coniectura tantùm conſtat eum heredem. *l. 1. ſi tabul. teſta. ex tab.* In aduerſam penitus ſententiam alij iuêre, *Corn. conſil.* 320. *an* 4. potiúſque ad iuuandam extenſione directam ſubſtitutionem, quàm obliquam cenſuerunt. fauorabilior enim directa eſt, meritò benigniùs accipi debet. *c. ſi pater. de teſtam. lib. 6.* Nam & Bartolus faciliùs extendi ad caſum omiſſum conditionẽ in perſona inſtituti credidit, quàm in ſubſtitutionibus extendatur. *Bart. l. Gallus. in prin.* Sed has ego opiniones à veritate longè latéque abeſſe arbitror: cùm enim omnis vltima voluntas à mente teſtatoris pendeat, non videtur inter hos caſus probabilis eſſe differentia, ſolúmque id erit obſeruandum, an mens illa aliquo modo ex verbis accipi poſſit. *l. 1. §. ſin autem. de here. inſtit.* confutatúrque maximè ex prædictis axiomatis, quibus apparet non recipi communiter huiuſmodi diſtinctionem: quin etiam veterum probatiſſimi nominatim eam repudiauerunt, vt Bald. Alex. Aret. Iaſ. *d. l. vel ſingulis.* Nec verum eſt in fideicommiſſo poſt mortem relicto cenſeri heredes inuicem ſubſtitutos, niſi non ſolùm poſt omnium mortem, ſed etiam in tota hereditate ſubſtitutum ſit. non enim poſſet tota hereditas per eum, qui vltimus moriatur, reſtitui, niſi ad eum peruenerit, peruenìſſe autem non potuit, niſi inuicem factam ſubſtitutionem proponamus. Nulla igitur inter ſubſtitutionem fideicommiſſúmque hoc caſu eſt differentia. Nec me mouet, quòd ex coniectura prætor bonorum poſſeſſionem heredi ſcripto, cuius nomen inconſultò deletum eſt, non decernit: quia ſatis eſt ei iure ciuili prouiſum eſſe, *l. 1. §. ſed ſi legi. de his quæ inteſt.* coniecturámque in hoc ſufficere: prætorij enim edicti verba huic non conueniebant, quibus ei, qui ſcriptus eſt, bonorum poſſeſſio datur: at hic ſcriptus non dicitur, cùm nomen eius deletum ſit. ¶ Secundò quæritur, an ſubſtitutus poſthumo, caſu quo ille moriatur, cenſeatur etiam ſubſtitutus ſi non naſcatur? Et in vulgari ſubſtitutione crebrior eſt ſententia, huiuſmodi quoque caſu vocatum cenſeri. *Ray. in tract. ſubſtit.* Si igitur teſtator filium, qui ſibi naſcetur, heredem inſtituit, & ſi heres erit, & impubes deceſſerit, Caium ſubſtituit, non nato filio, Caius admittetur. *l. fin. C. de inſtit. Curt. conſil.* 55. idque ex veriſimili mente inductum eſt. In ſubſtitutione verò fideicommiſſaria idem quoque Socin. *conſ.* 52. reſpondit cum nulla ratio differentiæ afferri poſſit. Quod enim teſtatorem mouit, vt caſu, quo adita hereditate, filius decederet, ſubſtitutum certis præferret, idem & mouere veriſimiliter debuit, ſi filius non naſceretur. nam, vt inquit Decius *conſil.* 227. quod poſtea, re cœpta, permittitur, à principio quoque permittendum. In quam ſententiam & nos quoque tranſeundum putamus. Imò etiam ſi filius naſcatur, & heres eſſe nolit, adhuc ſubſtitutioni locum eſſe arbitramur. eadem enim ſemper ratio mentis ſubeſt. Audentiùs reſpondit Pontanus, ſubſtitutionem, ſi filius in rerum natura non eſſet, ad caſum quoque producendam quo viueret impubes decederet. *Rom. conſil.* 56. *in caſu. Mod. d. l. 1. de vulg.* ¶ Tertio dubitabitur: Teſtator inſtituit vario modo poſthumos, tam maſculos, quàm fœminas: deinde poſthumis, ſi omnes in pupillari ætate morerentur, amitam ſubſtituit: vnus tantùm poſthumus natus, & impubes mortuus eſt, an ad amitam pertinebit hereditas, an ad matrem, quæ filio inteſtato legitima eſt heres? Et Oldrad. *conſil.* 142. reſpondit, amitam excludi, cum in caſum plurium naſcentium ſubſtituta ſit, vnde vno tantùm in lucem edito, caſus pro omiſſo eſt: quod maximè fauore matris ſtatuendum eſt, ne à luctuoſa filij hereditate repellatur, cum æquum non ſit tacita coniectura eam priuari, & in hanc ſententiam plerique tranſiuere. Sed verior eſt aduerſantium opinio. *Aret. l. placet. de lib. & poſth. Ray. d. §. & quid ſi tantum.* ex Pauli reſponſo, qui his verbis, cæteri omnes filij, filiæque meæ exheredes ſunto, rectè vnicum filium exheredatum ſcribit. *l. Titius. in prin. de lib. & poſth.* Nam etſi nullos natus eſſet, prædicto caſu receptius eſt, *Bart. d. l. 1. verſ.* 5. ſubſtitutæ amitæ locum futurum, idque etiam in matris damnum, dum omnino tacita non eſſet vulgaris ſubſtitutio, quantò magis vnico nato, & ante pubertatem mortuo, excludi non debet? ex mente enim teſtatoris apparet, matri ipſi prædilectam fuiſſe amitam. *Bart. d. §. cum ita. in fin.* Quod & in ea ſpecie à me reſponſum eſt, cùm in inſtitutione teſtator ſe vnum vel plures qui naſcentur, inſtituere dixiſſet: quamuis enim in ſubſtitutione ſubiiciatur, *& caſu quo omnes moriantur*, intelligetur tamen vnus, vel plures ſecundum inſtitutionis formam, à qua declarationem ſubſtitutio accipit *l. 1. C. de impub.* Quarto hæſitatum eſt, cùm teſtator iuſſiſſet, ſi filij abſque maſculis morerentur relictis fœminis, hereditatem ſuam in partes tres diuidi, ex quibus vna fœminis daretur, duæ Titio & Sempronio, & contigiſſet, vt hi filij abſque maſculis, fœminíſque decederent, num ſubſtitutioni locus eſſet? Et Decius *conſil.* 89. reſpondit non eſſe: quia deficit conditio, cùm nec fœminas quidem ſuperſtites filij reliquerint. At alij aliter crediderunt, *Rayn. & Lanc. d. §. & quid ſi. d. l. Gallus.* propter mentem teſtatoris, in quam ſententiam & ego pedibus eo.

Si enim

Si enim voluit teſtator Titium, Semproniúmque etiam in neptum ſuarum damnum admitti, quantò magis eis non natis, & omni hoc damno ceſſante? Nam & Angelus *conſil.93. in fin.* non diſſimili quæſtione cùm omiſſum eſſe hunc caſum vi verborum præfatus aſſet, non tamen ſe audere aduerſus ſubſtitutos iudicium ferre dixit: quoniam recti conſcientia abſterreretur, ne contra voluntatem defuncti reſpondeat, quę in conditionibus primas partes ſuſtinet. ¶ Quintò in hac quoque ſpecie non parum altercatum fuit. Teſtator maſculos, qui ſibi naſcerentur, inſtituit, & ſi ſine filiis decederent vxorem vulgariter, pupillariter, & per fideicommiſſum ſubſtituit: ſi verò non naſcerentur maſculi, ſed fœminę inſtituit vxorem, fœminis dotem conſtituit: cùm nec mares, nec fœminæ nati eſſent, reſpondit Ancha. ſubſtitutioni locum non eſſe, vxorémque excludi, Anchara. *conſil.356.* quoniam hic caſus omiſſus eſſet: & quia teſtator caſu naſcentium filiorum noluit à luctuoſa eorum hereditate matrem excludi, quæ ratio eis non natis, deficit: in quam ſententiam & Fulgoſ. tranſiit, *conſil.49.* quia cùm inſtitueret paterfamilias vxorem, dotémque fœminis relinqueret, veriſimiliter crediderit fore vt ex perſona matris ſua quoque hereditas tandem ad ipſas deuolueretur. Quid, ſi teſtator vxorem excitare voluit ad ſobolis procreationem? nam & conſtat eas ex fœcunditate magis amari: atque ita recentioribus pleriſque placuit. Mihi hæc ſententia omnino menti teſtatoris aduerſari viſa eſt, & non parum verbis, qui cùm vulgariter vxorem ſubſtituerit, ſatis eam videtur potiorem feciſſe, etiam nemine nato: & cùm eam vocauerit, etiam exclusis filiabus, quantò magis hoc caſu vocaſſe cenſendus eſt? Et quæ ſuprà pro Ancharani ſententia inducuntur, adeò leuia ſunt, vt ea ſe ipſis ceu folia farfari, quod Plau. inquit, diffiari poſſint. ¶ Sexto dubitatum fuit: Pater filium iuſſit, ſi ſine liberis & inteſtatus decederet, fundum Sempronianum Titio dare: hunc fundum vxori legauerat, filio ſub certa conditione reſtituendum: interim mortuus eſt ſine liberis filius, condito teſtamento, nunc legatum Titio debeatur? Et Socinus deberi reſpondit, *conſi.92. in 3.* quoniam eam conditionem pater appoſuit, quod volebat, vt filius de eo prædio poſſet diſponere: quod vbi non faceret, quia nollet, aut non poſſet, conditio debuit poſſe per æquipollens adimpleri, hoc autem caſu non poterat de eo prædio diſponere, quia adhuc ad matrem pertinebat: dicitúrque is inteſtatus, qui quo ad rem de qua agitur, teſtatus non eſt. §. *quod autem. de leg. ag. tut. inſt.* Sed hæc ſententia ſanè quàm futilis mihi videtur, cùm coniunctim ſub geminis conditionibus fundus ſit legatus, & altera, nempe quòd inteſtatus non deceſſit, defecerit: clarum eſt legatum non deberi. *l. ſi heredi. de cond. inſtit.* Nequicquam facit quod de illo fundo teſtati non potuit, quia debuit intelligi fuiſſe legatum caſu, quo ad eum perueniſſet, id eſt, conditio qua ſibi à iure reſtituendus erat, iam eueniſſet: vnde cùm ante eius aduentum deceſſerit, euaneſcit legatum, idque alij rectè probant. Ray. *d. §. & quid ſi tantum.* ¶ Septimò quæritur: Pater filium inſtituit, & ſi is ſacerdos efficeretur, iuſſit vt poſt mortem Seio hereditatem reſtitueret: eſt initiatus; ſed ſine liberis deceſſit, an locus erit fideicommiſſo? Alex. reſpondit, *conſil.100. in 4.* hereditatem Seio reſtituendam: quoniam videtur teſtator ſacerdotij conditionem appoſuiſſe, propter filiorum defectum: vnde ſatis eſt ex æquipollenti adimpletam. Iaſon contrà, cùm hæc conditio ſpontanea ſit, ergo præciſè obſeruanda, alias defeciſſe videtur. Quid enim, ſi liberis ſuperſtitibus ante ſacerdotium ſuſceptis deceſſiſſet, nónne verba expreſsè Seium admittunt? mihi hæc Iaſonis ſententia verò propior videtur, ne facilè, cùm ratio in obſcuro ſit, à verbis recedamus. Poſſent tamen tot coniecturæ mentis adferri, vt Alexandri opinio pręualeret. Nec refert conditionem eſſe voluntariam, quia tum quoque ex coniectura ad caſum omiſſum protenditur, vt ſuprà docui. ¶ Octauo, quæſtionis fuit: Teſtator fratrem heredem inſtituit, & ſi ſe viuo moreretur, vulgariter, & per fideicommiſſum præfectos ptochotrophij ſubſtituit: deinde mortuus eſt, viuo quidem fratre, ſed abſente, qui huius rei inſcius, relictis liberis & ipſe deceſſit: petebant à filio hereditatem, qui ptochotrophium curabant. Et Fulgo. pro eis reſpondit, quoniam illa conditio, *ſi ſe viuo moreretur*, extendi ad eum quoq; caſum debuit, quo ſe mortuo ante aditam hereditatem, decederet: quod & Iaſon probauit *l. cùm proponas. C. de hered. inſtit.* Sed hęc opinio ſanè quàm ridicula eſt: vulgaris enim illa ſubſtitutio, ſi heres non erit: intelligitur, vel alium heredem non fecerit: vnde cùm in filium frater iſte ius adeundi tranſmiſerit. *l. Pamponius. de acq. here.* non video, cur præfecti excludendi non ſint: manifeſta enim eſt differentia, ſi viuo teſtatore decedit, nihil habet quod tranſmittat, meritò præfecti erunt potiores: ſi mortuo teſtatore, tranſmittet. *l. vnica. §. cum autem. C. de cadu. tol.* Quid ergo illi aduerſus verba mentémque defuncti ſatagunt? Senſere communiter id doctores, Alexan. *l.1. verſ.2. modo. de vulg. & 3. q.1. effectus.* dum prædicto caſu admitti ſubſtitutum tradiderunt, quando frater hereditatem repudiaſſet: tunc enim caſus non omnino diſſimiles ſunt, nimirum innuentes, ſi repudiatum non ſit, aliud iuris eſſe.

¶ Quintum principale axioma eſt. Diſpoſitum in caſibus ſimplicibus, ad mixtum quoque porrigitur. In qua re ſciendum eſt, tripliciter mixtum id ſolere diſtingui: aut enim in caſu ſimplici diſpoſitum eſt: cui alia qualitas annexa proponitur: aut in caſu mixto, ſed ſeparabili: aut in mixto inſeparabili: de omnibus igitur videndum. ¶ Et primo caſu vera eſt regula, diſpoſitum in caſu ſimplici, in eo quoque locum habere, cui qualitas addita eſt: vnde quod de ſenatore ſtatuitur, in eo quoque ſenatore intelligitur, qui ſe plebeio in adoptionem dedit. *l. per adoptionem. de adopt.* non enim ideo deſiit ſenator eſſe. Et ſeruis lecticariis legatis, is qui & lecticarius & coquus eſt, debetur *l. ſeruis verba. §. pen. de leg.3.* & ſi lege municipali cautum ſit, vt macellarij ſint immunes, is quoque qui & macellarius & piſcator ſit immunis habebitur, Bald. *§. omnium. Inſti. de act.* & ſi qua ſimilia. Non procedit tamen hæc concluſio, quoties qualitas illa ſimplici diſpoſitioni repugnat. *l. cùm ex oratione. §. fin. de excuſ. tut.* Quapropter his quæ vxoris cauſa parata ſunt legatis, ea non continebuntur quæ patrisfamiliæ promiſcuo quoque vſu erant. *l. hoc legatum. de lega.3.* Cùm enim maritus principaliter ſit, videtur potius pro vſu ſuo paraſſe, vxorémque in ſequelam admiſiſſe, nec ſecerni poteſt quid principaliter vxori in eis parauerit, meritò qualitas hæc naturam ſimplicis legati immutat. Sic & conſtitutio Rom.

Pont.

Pontificis, quæ iubet parochiarum rectores intra annum ſacerdotij gradu inſigniri, alioquin ipſo iure ipſos priuat, *c. ſtatutum. de elect. in 6.* in rectore cui dignitas adſit, vt quia collegiatæ (vt vocant) eccleſiæ ſit æditus, locum non habet, tum quia non ita facilè dignitate quiſquam priuandus ſit: tum quia qualitas addita eſt dignior: vnde via eſt vt iuxta alterius ſimplicis naturam regatur, idque præſertim cùm de pœna agitur. Sic lex Iulia, quæ adulterij crimen quinquennij præſcriptione ſubmoueri ſinit, *l. vim paſſam. §. præſcriptione. de adult.* ad adulterium, cui inceſtus iungatur, non protrahitur: qualitas enim illa aggrauat. Hincque decidi aliquæ quæſtiones poſſunt. Lege municipij mulier abſque agnati conſenſu contrahere prohibetur, num & donare cauſa mortis? Et prohiberi quibuſdam viſum eſt: Aret. *conſi. 384.* quia huiuſmodi actus, dum fit, formam contractus habet, licet poſtquam inductus eſt vltimas potius voluntates imitetur. glo. *l. 1. de dote præleg.* Ipſe in contrariam eo partem, & Ro. Socinum, Iaſonémque ſequor: hæc enim qualitas, cauſa mortis, rationem contractus immutat: lex enim agnati conſenſum requiſiuit, ne fragilitate ſexus dolis obnoxia eſſet mulier: quæ ratio in hoc contractu deficit, qui ex ſimplici voluntate reuocatur, & ambulatorius eſt. *l. ſed interim. §. 1. de donatio. inter vir.* Quod & in adulto videmus, cui teſtator datus ſit: is enim ſine curatore non contrahet, & tamen non minus cauſa mortis donare prohibetur, quàm teſtari, vel codicillos facere. Bald. *in de tut. & cur.* Poſſet ergo prior ſententia ſuſtineri, quando mulier ex lege non ſolùm contrahere prohibetur, ſed etiam teſtamentum facere, quo caſu plerique loquuntur. Lex prohibet fundos aliquo contractu extraneis alienari: heres iuſſu teſtatoris extraneo vendidit, an in legem commiſit? Et cùm iſte propter iuſſum teſtatoris alienet, propius eſt, vt lex de ſimplici loquens, ad hunc caſum non trahatur: hæc enim qualitas, nempe iuſſus teſtatoris, repugnat. Alex. *l. ſi dignum. ad leg. fal.*

Lex concedit priuilegia ſcholaribus; quid in ſcholaſticis ciuibus? Et non videtur, quia hi amore ſcientiæ nõ ſiunt exules, quæ cõſtitutionis Federici ratio eſt. Auth. *habita. C. ne fil. pro pat.* Bal. Sal. ibi. Sed tamen in aliis legibus municipalibus, vel aliquorum ordinum humanius eſt arbitrari, priuilegia huiuſmodi fauore ſtudiorum indulgeri, *l. 1. C. de aſſ.* & ideo ciuibus quoque non deneganda. Rurſus quæritur: Comes Palatinus cui illegitimos natalibus reſtituere ius eſt, quendam pleniſſimè reſtituit, ab alio citra ſpem ſucceſſionis legitimatum, num id potuerit? Socinus negat, *inter conſilia Curtij, 18.* quoniam illegitimos reſtituere poterat, is illegitimus ſimpliciter non erat, licet quantum ad hereditatem patris capeſſendam attineret, pro illegitimo eſſet. Ipſe contraria ſentio, cùm hæc qualitas diſpoſitionem ſimplicem non mutet, ſed adiuuet potius. Qui enim legitimum quod ad perſonam, & quo ad ſucceſſionem, facere poteſt, etiam illum, quantum ad bona, reſtituere poterit, qui iam (quantum ad perſonam attinet) reſtitutus eſt. ¶ In ſecundo caſu cùm mixta ſunt ſeparabilia, vnumquodque ſua natura ſuóque iure regitur. *l. ſi vna. in fi. C. de bon. mater.* Quapropter ſi in contractu innominato adſit donatio, quatenus donatum erit, non reuocabitur: quod ſuprà eſt, poterit ea pœnitentia ſecundum contractus innominati naturam aboleri. *l. Ariſto. de dona. ff.* Et ſi ita facta ſit exheredatio *ſi filius natus natáve erit, exheres eſto*, vtriſque natis non rumpitur teſtamentum, quia vterque ſeparatim exheredatum ſe reperit. *l. ſi ita. de iniuſto rupt.* Quo fit, vt appareat hæc etiam in ſtricta, atq; odioſa materia obſeruari. Cor. *conſi. 66. in 1.* propter enim cum hoc caſu ſub ſimplicibus mixtus continetur. *l. ſi ſtatulib. §. final. de ſtatulib.* Et ex his conſequens eſt, quòd ſi domum quis vendiderit modico pretio, vt quod dimidiam iuſtæ æſtimationis non attingeret, quatenus pretium conuentum eſt, cenſeatur venditio, quatenus ſupra pretium valet, ſi donatio, *l. ſi ſponſus. §. circ. de dona. inter vir.* ſi tamen actum hoc ſit: ita frequentiùs receptum eſt: cùm enim ſeparationem hæc materia recipiat, vtrunque de ſe cenſendum eſt, tametſi alij contra. And. Sic. *l. 2. de verb. obl.* Sic ſi quis plurium artium magiſter ſit, ſub eius artis iudice conuenietur, ob quam in ius vocatus, ad cauſámque actionis attendemus. *l. 1. §. fi. de tributo.* Sic & in hac quæſtione diſcernẽdum eſt, vendo tibi domum acceptis centum aureis & etiam vinea, quę aliis centum aureis æſtimatur: quem contractum hunc arbitrabimur? Baldus omnino eſſe venditionem, Bal. *in proœ. feu do.* Romanus omnino eſſe innominatum contractum cenſuerunt. Roma. *d. l. Ariſto.* Ego duos eſſe cõtractus magis arbitror, & domũ partim venditam, partim permutatã eſſe: quòd ſi diſparis ſit valoris res, & pretium, quod maius erit, obſeruabimus. Bar. *d. l. Ariſto.* Quapropter cùm ea cõſuetudine dominis directis in permutationib. laudationis pretiũ nõ ſoluatur, in venditionib. ſoluatur, in prædicto caſu nõ niſi dimidium laudatiui pẽdetur: quòd ſi pars permutata maior ſit, nihil pręſtabitur. Guid. Pap. *q. 92. in fi.* quod & in iure prælationis recipiendũ videtur, cùm & partẽ tantùm potuiſſet incola vẽdere, nec ideo dominus in toto iuſte petiiſſet ſe pręferri. ¶ In tertio caſu cùm mixtum ſeparari nõ poteſt, primò videndũ eſt an propriè ſub ſimplicib. contineatur. Et receptum eſt non contineri. *l. quid ergo. §. aſt. de his qui not. infam.* ſed ea ſententia legis tantùm intelle: nõ tamen expreſſis ſimplicibus penitus omiſſum hunc caſum Bart. cenſet: indéque eſt quòd in fauorabilib. procedat axioma, vt ſub ſimplicibus de mixto quoque actum humanitate ſuggerente exiſtimemus. *l. ſi ita ſcriptum. de lib. & poſt.* Quapropter cum pater libros legales filio, ſi doctor iuris ciuilis fieret, leganiſſet: & philoſophicos, ſi in philoſophia & vtrunq; gradum filius aſſumpſiſſet, vtrunque legatum conſequi debere, Bal. reſpon. *l. fin. C. com. de leg.* Sic & Alexander cum legi municipali iuriſdictio in actionibus in perſonam vni iudici tribueretur, in actionibus in rem alteri, vtrunque de mixtis poſſe cognoſcere reſpondit. *l. Gallus. §. ille caſus. ff. de lib. & poſthu.* quoniam hic de fauore ordinariæ iuriſdictionis agitur. quod tamen intellige, niſi huiuſmodi actio in altero præualeat. Sig. *conſil. 48.* Si tamen appareret non niſi in caſibus ſimplicibus voluiſſe teſtatorem prouidere, mixtúmque pro omiſſo haberi, tunc aliud obſeruandum eſſet: cuius rei exemplum apud Bartolum eſt *in l. cùm auus. de condit. & demonſt.* In odioſis verò crebrius receptum eſt, ſub ſimplicibus mixtum non contineri: quæ tamen ſententia perquam dubia eſt, cum in exheredatione contineri ſuprà docuerimus *d. l. ſi ita facta.* Nam & legata ſtrictè accipiuntur, & tamen in eis regula procedit. *l. Titia textores. de leg. 1.* Sic & priuilegia.

quam

quamuis à iure communi deflectant, tamen in eis quoque regula obſeruabitur. *l.2.§.amplius.de excu. tut.* Sic & edictum prætoris infamia notans, qui binas nuptias vel bina ſponſalia contraxerit, quamuis pœnale, tamen ad caſum mixtum porrigitur. *d.l.quid ergo.* Sic in cõtractibus, ſi vaccam prægnantem tibi vendam, pacto ſi vitulum pariat, ſit meus: ſi vitulam, fœtus ſit tuus: vtroque nato, ſuum quilibet habebit. Bart. *l.ſi extraneus.de cond.cau.dat.* Quid cenſendum? & cùm mixtum ſeparationem recipit, vel ſimplici annexa eſt qualitas non repugnans, quia tunc propriè ſub ſimplicibus continetur, non dubitauerim in odioſis quoque regulam procedere. Quapropter & in prædictæ exheredationis exemplo, & in vaccæ venditione non puto dubitandum, ex vi verborum caſum mixtum aliquo modo contineri. Sed cum mixtum inſeparabile eſt, quia ex ſententia legis ſolum ſub ſimplicibus continetur, putarem verius eſſe in odioſis non contineri & crebriorem ſententiam ſequerer, ita tamen vt quibus in caſibus ſuprà docui in pœnalibus fieri extenſionem, in his quoq; caſibus ſimplices ad mixtum trahantur, & ex his quàm plures quæſtiones finiri poſſunt. ¶ Et in primis illa, qua dubitari conſueuit, an in contractu, quem feudi volgò appellamus, caſus mixtus ſub ſimplicibus comprendatur. Et Pontif. non comprendi credidit, cùm in cõtractibus eius, quod omiſſum eſt, nulla ratio habeatur. *l.quicquid.de verb.ob.* Sed in hoc ego diſſentio: feuda enim beneficia ſunt, vnde latam, fauorabilémque interpretationem accipere debent: quapropter in eis appellatione filiorum etiam nepotes continentur. *c.1.§.& ſi clientulus. de ali.feu.* Vnde & traditum eſt, naturam bonæ fidei hunc contractum ſeruare. *c.1.de benef.frat.* Quod maximè admittendum, ſi cum principe initus ſit, omnes enim eius contractus propter perſonæ qualitatem, in qua bonæ fidei exiſtimantur. Bal. *de pace Conſt.verſi. ſi qua verò.* Secundò dubitatur, an in compromiſſo, cui adiecta ſit pœna, diſpoſitum in ſimplicibus ad mixtum caſum producatur? Et Cornæus reſpon. *conſil 63.in 2.* non produci: quod tum verum arbitror, cùm veriſimile non eſt de caſu mixto à partibus cogitatum. Tertiò, an ſi iudex terminum conceſſerit cauſa omnium exceptionum dilatoriarum, hæ quoque comprendantur. quæ licet negotium perimant, tamen interim pro dilatoriis opponuntur? *c.paſtoralis.de exce.* Et aliqui non comprendi dixerunt: quoniam exceptiones hæ mixtam naturam habent, ideóque in materia iudiciorum, quæ ſtrictè accipitur, ſub ſimplicibus cõtineri non debent: qua tamen in re amplius ipſe quærendum reor. Quartò, an conſuetudo feudalis, qua maſculi in beneficiariis illis poſſeſſionibus fœminis præferuntur, in hermaphrodito locum habeat? Et ſi maſculino ſexu magis incaleſcat, certum eſt cõſuetudini locum eſſe. *l.quæritur.de ſta.hom.* At cùm planè dubium eſt, vter ſexu ſit potior, reſpondit Bald. beneficio excludi, *conſil.237.in 3.* quòd huiuſmodi conſuetudo ſtrictè accipi debeat. Nec eſt veriſimile id actum, vt huiuſmodi naturæ ludibria ad ea beneficia admittantur, quæ non niſi nobilibus et & ſtrenuis viris ſolebant indulgeri. Quintò lex erat, in cauſis motis, vel mouendis ſportulæ prius deponantur: quid in cauſa appellationis, quæ mixtam quodammodo naturam habet? non enim cum principali eadem eſt, nec tamen penitus diuerſa. Cin. *l.iubemus.qu.11.C.de procur.* Et Alexander ex facto interrogatus, locum non eſſe legi reſpondit, Alex. *conſil.96.in 2.* quoniam plebiſcitum id à iuris communis orbita recedit, & ſtrictè accipi debet, meritò caſus mixtus non cõtinebitur. Sed ego in primis ad rationem legis attendendum opinor. quæ ſi vtroque caſu eadem ſubſit, fiet extenſio. quod ſupra à nobis traditum eſt. Sextò lex municipij in cauſis ciuilibus actionibus triom mẽſium ſpatio exami iubet, in criminalibus duorum termino concludit, quid in actione mixta, quæ ciuilem ſimul capitalémque controuerſiam contineat? Et Angelus non comprendi ea lege reſpondit, Ang. *conſi.257.* & ideo non niſi vltra triennij metas ſecundum veterem iuris ſanctionem perimi. *l.properandum. C.de iudiciis.* Septimò, lex de iudicio ciuili & criminali verba facit, num in eo iudicio obſeruabitur, quo pœna partim fiſco, partim actori exolui debet? Et cùm tale iudicium ſit mixtum, non comprendi hunc caſum Alexander ſcripſit, *in rub.C.de indi.* ſi tamen maior ea ſit pœna quæ fiſco debetur, magis eſt vt criminale potiùs exiſtimem, ſicut quę priuato, ciuile erit. *c.tua.de procura.* Octauò, Comes Palatinus eos, qui ex adulterio nati ſunt, natalibus reſtituere poteſt: itémque eos, qui ex inceſtu ſunt geniti: quid de eo, qui vtroque vitio laborat? Et cùm hic de principis beneficio tractetur, materiáque ſit fauore digna, cenſuerunt pleriqne, eum, qui adulterio, inceſtoque partu natus ſit, nihilominus legitimum fieri poſſe: Bart. *d.l.2.de verb.* at alij contrà: qui enim vtroque næuo maculoſus ſit, odioſior cenſeri debet. Cui ergo quod minus eſt conceditur, id conceſſum non intelligetur quod plus eſt. *l.cui pact.de ſer.exp.* Sed ego primam ſententiam, quæ receptior eſt, ſequor. Si enim quis plures filios, quorum aliqui ex adulterio, aliqui ex inceſtu procreati eſſent, ſuſtuliſſet, vtique omnes hac comitis indulgentia natalibus reſtitui curare poſſet. *l.4.C.de Epiſ.aud.* & tamen dubium nõ eſt, magis deliquiſſe ob delicti iterationem in his omnibus patrem, quàm qui in vno tantùm peccauerit. Quapropter ſi delictum parentum reſpiciamus, caſus mixtus minor eſt expreſſis: ſi ad filios ipſos attendamus, cùm eorum reſpectu conceſſio ſit fauorabilis (miſericordia enim digni ſunt, qui alieno laborant vitio) *l.lege.C.de nat.lib.* dicendum eſt, ad hunc quoq; conceſſionem extendendam: quia in fauorabilibus fit extenſio, etiam ſi æquè tanta ratio non ſubſit. *c.fin.de ſimon.* ¶ Non dubitatur, quoties in aliquo actu duæ qualitates inuicem contrariæ concurrunt, conſtat potentiorem attendi. *c.per hoc.de hæ.in 6.d.l.quæritur.* quęnam igitur qualitas validior exiſtimabitur? & in primis quæ dignior erit. Vnde ſi in eadem cauſa ſacerdos ſecularíſque litigent, beneficio initiati etiam profanus fruetur. *l.præcipimus. §.eodem.C.de app.* Sic ſi maior 25. annis communem cum minore cauſam habeat. & ipſe minoris priuilegio vtetur. *l.ſi communem.ff.quemadmo.ſer.amit.* Sic cùm Romanus Pontifex extraordinarium æruſcationis munus quibuſcunque adminiſtratorib. indixiſſet, non comprendi Cardinales eius purpuratos, reſponſum eſt. Rom. *conſi.498.incip.in caſu.* talis enim qualitas, tanquam dignior, cæterorum adminiſtratorum nomenclatione eos eximit: qua de re poſſent quamplurima exempla adduci, quæ paſſim apud recentiores collecta reperiuntur. Fel. *c.2.de iud.* ¶ Potentior quoque ea cauſa exiſtimanda eſt, quæ benignior ſit: quam

quamobrem ſi pupillo legatum ſit ea conditione, vt decem quę heredi naturaliter debebat, ſolueret, eámque pecuniam heres acceperit, potius iure obligationis datam, quàm conditionis adimplendæ cauſa creditur, quia id benignius eſt, *l. ſi pupillus. ad leg. fal.* tum vt legatarij integra legata ea voluntate defuncti conſequantur, tum vt videatur pupillus bonafide omne quod debebat, reſtituiſſe. Nec me mouet quòd in lege Aquilia, ſi elephantes vel cameli occiſi fuerint, ſit condemnatio tanquam iumentis occiſis, cum tamen mixtum ſit genus: natura enim eorum fera eſt: quæ feritas ſi reſpiceretur, legi Aquiliæ locus non erat. *l. impoſſibilis. de verb. oblig.* nam id inductum credibile eſt: vt domino elephantis vel cameli damnum reſarciatur, quod certè benignius eſt, ne impune in re aliena damnum dent. ¶ Rurſus potentior ea eſt cauſa, quæ iure communi iuuatur, quàm quæ iure ſpeciali, vel commentitio ſuſtinetur. Quapropter miles in dubio voluiſſe ſecundum ius commune teſtari magis creditur, quàm militari priuilegio vti. *l. nam ſi. de iniuſt. rup.* Hinc eſt, quod ſi lex municipij nō permittit aduerſus doctorem inquiri, aduerſus verò militem concedit. Si quis idem & doctor & miles ſit qui crimine promiſcuo deliquerit, ea reſpicietur qualitas, quæ iuri communi magis accedet. Bald. *l. ſi quis dec. C. de fal.* Cauſa quoque naturalis fortuitæ, & extrinſecus accidenti quoties contrarij inuicem effectus erunt, præualebit. Bart. *l. qui habet. de in.* niſi tamen aliud ex ſubiecto argumento appareat, vt cum frater miles alium fratrem militem heredem inſtituit, ea cauſa militiæ, & auctu ob contubernium amore, reliquiſſe potius creditur, quàm iure ſanguinis, caſtrenſéque id peculium exiſtimabitur. *l. cum allegas. C. de caſ. pec.* quod arbitror fauore militiæ conſtitutum. Specialis quoque cauſa potentior generali exiſtimanda eſt, *l. ſeruus vrba. §. fina. de leg. 3.* ſicut & cauſa prohibitiua permiſſiuam ſuperat. *l. Sabinus. ff. com. diui.* & qualitas quæ nocet magis in animaduerſione eſt, quàm quæ poſſit. *l. ſi quis in grauam. §. ſi. ad Syll.* Vnde ſi ordinis lege cautum ſit, vt nullus doctor poſſit ſcholaſticorum rector eſſe, qui philoſophię doctor ſit, medicinę verò auditor, legis prohibitione ea Bald. *in proœm. Decret.* reſponſo continebit. Sed hæc & huiuſmodi ab aliis diffuſius tradita in præſentia non vlterius pertractanda duxi. Et hæc quidem, quod ad extenſionem attinet, ſatis ſunt. ¶ Supereſt, vt pauca illa affinia attingamos. Et regula eſt generalis, quod vt agimus non valet, ſaltem eo modo valere, quo facere poſſumus. Ea ſub ſe quaſdam ſpecies continet, qualis illa: Si diſpoſitioni impoſſibile aliquid per conditionem addatur, omnia vitiantur. *l. impoſſibilis. de verb. obliga.* per modum, modus reijcitur, diſpoſitio ſuſtinetur. Rurſus alia: Qui actus propriè intellectis verbis non valet, ea improprietate ſuſtinebitur. Item alia: In ambiguis ea ſemper fit interpretatio, vt actus valeat potius quàm pereat. Rurſus quarta: Actus nullus nullius effectus eſt, niſi quòd ea eo quoque mens teſtatoris declaratur, *l. ſi. de reb. eo.* ex qua quandoque eandem vim habet, atque ſi validius eſſet: vt quando conditionem de facto impleri ſufficit. *l. mulier. §. 1. de cond. inſt.* quod ſuprà attigimus. Idem in pœnis, quando quis ita ex actu nullo inquietatur, ac ſi validus eſſet. *l. vbi. C. de tranſact.* Quod & in criminibus quoque receptum eſt, cùm enim iure fieri nequeat, ſequitur vt ſiquis de facto committat, legitimis pœnis ſubijciatur. *l. nemo martyres. C. de ſacr. ſanct. eccl.* Sed an actus nullus nomen ſaltem ſeruet? Et non videtur. Quapropter ſtipulatio nulla, propriè ſtipulatio non eſt. *l. 1. §. ſed ſi mihi. de ver. oblig.* teſtamentum nullum non eſt teſtamentum: ſententia nulla non eſt ſententia, Sic in citatione, in inſtrumento, in ceſſione, quod procedere Bald. cenſuit in actibus iuris, *l. 3. de teſt. tut.* aliàs actus facti etiam propriè nomen ſeruant, tametſi perperam fiant. *d. l. mulier.* Sed quid in contractibus iuriſgentium: hi enim facti ſunt. Et videtur venditionē nullam poſſe vēditionem appellari. *l. Labeo. l. 1. in verb. emere. § eo.* ſicut & matrimonium nullū, matrimonium dicitur: *l. quod Seruius. de cond. cauſ. da.* quod & in diuortio receptū eſt. Sed cum à iure ciuili fomentum recipiam, verius reor, non niſi impropriè & demonſtrationis cuiuſdam cauſa ſic appellari. His accedit, quòd paria exiſtimantur, nō habere, & inutilem habere. *c. 1. de praſcri.* Quapropter idem eſſe Accur. ſcripſit, ſiue mulier maritum nō habeat, ſiue habeat quidem, verùm inutilem. gl. *l. ſi. C. de plag.* Sed hoc ex effectu accipitur: quantum enim ad verba attinet, certum eſt maritum habere. Sed de his ſpeciebus ſatis eſt. Nunc iſtam principalem declaremus, in qua à Bar. eiúſque in hoc crebriore calculo recepta ſententia neceſſariò recedendum mihi video, quòd omnes caſus non comprenderit, & etiam non omnino vera ratione innitatur. Igitur ſciendum, non generaliter hic nos quærere, vtrum actus nullus aliquem effectum pariat, quod ſupra declarauimus, nec de quocunque effectu nos loqui, ſed de eo tantùm, qui actui attentato confinis eſt, qualis eſt pactio ſtipulationi, codicilli teſtamentu, fideicommiſſum ſubſtitutioni, actus viæ, & ſiqua huiuſmodi affinitate quadam iunguntur: in his ergo adfirmandum, actum qui ea forma & modo, quo agitur, non valet, in eum, qui poſſibilis ſit, modum ſuſtineri, ſi modò teſtatoria, vel contrahentium voluntas eiuſmodi præſumatur: nam & hoc credere humanius eſt, & ex eo ſuadetur, quod ſemper id interpretatione agendum, ne irriti omnino & eluſorij ſint contractus. Quod maxime abſq; dubio procedit, cùm expreſſum eſt per partes, mentis ipſorum eſſe, vt omni meliori modo, quo poſſunt, actus valeant. *l. 1. de iure codicil.* Quæ clauſula ſi in tabulis addita ſit, teſtamentum præteritione filij nullum, ſaltem iure codicillorum ſuſtinebitur: & ſi pater filio certam rem reliquerit, propter hanc clauſulam iure inſtitutionis reliquiſſe cenſebitur. Alex. *conſil. 112. in 3.* Non tamen tanti effectus eſt, vt actum ſuſtineat in caſum à partibus non cogitatum, vt quia deinde inſperatò euenit, Rom. *conſil. 293.* Fel. *c. cum ſuper. de offic. deleg.* vel perquam tardò accidere ſoleret, nec ſola generalitas verborum ſufficeret, ſi mens veriſimiliter ab eo caſu abfuit. *l. fiſtulas. §. frumenta. de contrahen. emp.* Quod in ea ſpecie receptum eſt, cùm teſtator. ſi non valebit teſtamentum, iuſſit iure codicillorum obſeruari: præterito enim poſthumo rumpetur, nec in vim quidem fideicommiſſi poterit ſuſtineri: non enim veriſimiliter id voluit teſtator: Soc. *conſi. 93. in 4.* poſſunt tamen id agere partes, vt etiam in caſum non prouiſum valeat, vt cum aliquis ex cauſa quacunque etiam incognita liberatur: Alex. *conſil. 11. in 4.* quod tamen adhuc temperatur, ne dolum remiſſum facilè credamus. *l. tres fratres. de pact.* & hæc quidem cum mens partium

clara

clara eſt. Cæterùm etiam in dubiis (vt prædixi) potius credendum eſt, voluiſſe partes actum non omnino inutilem facere: & ideo pro regula affirmandum eſt huiuſmodi quod geritur, prout fieri poteſt ſuſtineri. ¶ Quæ regula tunc non procedit, cùm alicuius diſponentium mens aduerſatur: veluti cùm apparet quem voluiſſe teſtamentum facere: non enim ſi irritum ſit, interpretabimur ſaltem iure codicillorum defendi. *l. non codicillum. C. de teſtam.* Id ea ratione nititur, quòd non videtur teſtator, qui de toto voluit diſponere, id egiſſe, vt diuiſa in partes re, aliter atque aliter cenſeatur, qui heres ex teſtamento eſt, ſolidum conſequitur, qui ex codicillis, partem iure fideicommiſſi, cùm aliam partem legitimus heres directè ex S.C. Trebelliano retineat: quæ diuiſio cùm diuerſa ſit ab eo, quod teſtator egerat, non arbitrabimur id ſenſiſſe, vt actus in hunc modum ſuſtineatur. Qua ratione & libertas directa ſeruo alieno in teſtamento data in vim fideicommiſſi non firmabitur. *l. ſi ſeruus legatus. §. ſi ſeruus alienus. de leg. 1.* tranſiret enim in penitus diuerſam ſpeciem, cùm per directam ſoli ſeruo prouideatur, per fideicommiſſariam etiam heredi propter ius patronatus, quòd quidem in bonis teſtatoris nec verè eſt, nec produci quidem poteſt. Bart. *l. 2. de leg. 1.* Vnde & ad extraneos heredes non tranſit: quòd ſi in bonis teſtatoris eſſet, non ita diuerſa ſpecies exiſtimaretur. Qua ratione ſubſtitutio directa in fideicommiſſariam quandoque flectitur, nempe quoties à principio ceu directa valere non potuit *l. Scæuola. ad Treb.* ſi enim potuiſſet, quia actus non dicitur irritus, qui valere potuit, non fiet hæc interpretatio. *l. verbis. de vulga.* In contractibus quoque quum aliquem nobis obligamus, regula non procedet: cùm enim non niſi ex vtriuſque partis conſenſu contractus vim accipiant, non eſt veriſimile eum, qui obligatur, in alia ſpecie conſenſurum. *l. 1. §. ſi quis ita. de verborum obligatio.* quinimo credendum eſt, qui inutiliter ſe obligat, delectari actum inutilem ſe facere; nec creditorem admoniturum. *l. an inutilis. de accep.* Quapropter dominus pro ſeruo inutiliter fideiubens, quaſi iuſſerit non obligatur. *l. 1. §. deinde. quod iuſſu.* Sic fideiuſſor eo tempore datus, quo in peculio nihil eſt, niſi ſic acceptus ſit vt in futurum tempus, quo in peculio aliquid erit, obligaretur, fruſtrà acceptus cenſebitur. *l. eo tempore. verſ. ſed ſi fideiuſſerem. de pecul. ff.* Sic inutiliter tranſigens, non videtur voluiſſe ex pacto obligari: quis enim credat aduerſario, qui cùm litigatum eſt, voluiſſe quicquam donare? *l. ſuus. C. de rep. her.* Cæterùm & vbi lex pro forma aliquid requirit, ea non ſeruata, omnino actus perimitur. Vnde ſtipulatio, cuius forma ſeruata non ſit, nec in vim pacti quidem valebit. *l. 1. §. eum qui. de conſti. pec.* fauore tamen liberationis receptum eſt, vt ſi acceptilatio inutilis fuit, tacita pactione id actum videatur, ne petatur, quod Paulus ſcripſit. *l. ſi vnus. §. ſi acceptilatio. de pactis.* non quòd ea tacitum pactum in ſe habeat (cùm enim acceptilatio cauſa liberationis fiat, vinculum obligationis nullum debet inducere) ſed ex quadam æquitate naturali, qua quis obligatur non petere: Bart. *l. vbi. C. de tranſactio.* ſed & ita ego ſentio, licet aliter. Et hæc omnia quidem ex coniectura mentis inducuntur, quę tempore initi actus fuiſſe præſumuntur. ¶ Sed quid, ſi caſus aliquis deinde ſuperueniat, quem ſi partes euenturum credidiſſent, aliud conſtituiſſent? Et in hoc breuiter diſtinguendum eſt, cum quæritur, an voluntas intelligatur rebus ſic ſtantibus? Aut in his loquimur quæ ex vnius arbitrio pendent, & tunc ſi res incidat in eum caſum, in quem veriſimiliter ſcit eum aliter diſpoſiturum, mutata voluntas intelligitur, *l. Paulo. §. 3. de leg. 3.* Qua ratione ſi pater filio tutorem dederit, iſque improbus factus fuerit, non ſequetur magiſtratus iudicium teſtatoris, *l. Mæuia. §. fi. de an. leg.* quem veriſimile eſt, ſi hoc præuidiſſet *l. in confirmando. de confirm. tut.* tutorem non fuiſſe huiuſmodi filio daturum. Quo exemplo & procurator conſtitutus ſi prodigus, negligens, ſtupidus fiat, reuocatus cenſebitur. *l. cum quis. de ſol.* Sic legatum de inimicitia deinde contracta, vel per alienationem reuocatur. *l. rem legatam. de ad. leg.* Sic teſtamentum natiuitate liberorum. Authent. *ex cauſa. C. de liber. præter.* Sic cùm teſtator alienationem fauore pupilli prohibuiſſet, deindéque conſtituiſſet pupillo eam expedire, reſpondit Aret. iudicis auctoritate venditionem concedendam. Aret. *conſil. 22. incip. diligenter.* Sic cùm teſtator iuſſiſſet, ne in fundo inſtitutus eo amplius quicquam peteret, cenſuit Bartolus accreſcendi ſublatum non videri. Bar. *l. quoties. §. ſi duo. in fi. de her. inſti.* Sic priuilegia monachis conceſſa propter exuberantem eorum numerum reuocantur. *c. ſuggeſtum. de decim.* Hinc ex facto cùm quidam vnicum filium heredē ſcripſiſſet, & conſanguineæ puellæ pro dote 100. legaſſet, quę ſumma tēpore teſtamenti propter amplas eius facultates minima videri poterat, deinde ad paupertatē redactus, eodē teſtamento deceſſiſſet, legatum arbitr. iud. moderandum pleriſq; viſum eſt, ne plus filio extranea puella conſequatur. ¶ Aut in contractib. loquimur, qui ex duorum volūtate interpretationem recipiunt: & tunc non intelligetur rebus ſic ſtantib. tantùm facta promiſſio; nec alterius volūtas mutata quicquam innouabit. *l. ſicut. C. de act. & obl. l. Lucius. de eunc.* quod tamen perpetuum nō eſt. Quid enim, ſi prior cōtractus ex errore proceſſiſſet? Bar. *l. fi. §. Idem quæſiuit. de cond. ind.* quid ſi ex fiducia? *l. fi. C. de non nu. pec.* quid ſi aliqua cauſa hoc ſuaderet, de qua à partib. nihil cogitatū fuiſſet? vt ſi promiſerim tibi gladiū reſtituere, deinde furens petas? 22. *q. 2. ne quis.* Quapropter & in ſcholaſtico reſponſum eſt, quamuis in aliqua Academia lauream Doctoratus (vt vocant) accipere etiam ſub iurandi religione promiſerit, nihilominus ſi in aliud gymnaſium tranſeat, & ibi examine facto approbetur, non cenſeri periurum. Imol. *c. inter P. de renunciat.* Sed & conditiones quæ tacitè ex natura contractus inſunt, ſemper intelliguntur. Si igitur tibi domum locauero, & habere licere promiſero, intelligetur rebus ſic habentibus: & penſione interim recepta. *l. quæro. loca. ff.* Sed & cùm lex ex noua cauſa reſciſſionem contractus inducit, vel reuocatoriam actionem concedit, apparet, rebus ſic ſe habentibus, promiſſum tantummodo fuiſſe: vt cùm quis donat, deinde liberos ſuſcipit, reſcinditur ex Conſtantini reſcripto contractus. *l. ſi vnquam. C. de reuoc. do.* Cæterùm & quando tacitum pro expreſſo habendum ſit, eodem ferè modo diſtinguitur: in his enim, quæ vnius ex ſententia conficiuntur, non eſt dubium haberi, *l. inter veſtem. de auro & argen.* In contractibus verò non haberi, ſi ab altero tantùm id actum ſit. *l. ſi repetendi. C. de cond. ob cau.* ſi ab vtroque, ſecus eſt: tunc enim idem eſt, quod in vltimis voluntatibus

bus diximus, niſi actus in forma peccauerit, *l.1.de verb.oblig.* eum enim forma ex neceſſitate legis requiratur, *l.iubemus.C.de teſta.* voluntas partium in nulla animaduerſione eſt, idem cùm hæc voluntas probari nó poteſt. Sumitur autem probatio ex natura rei, vt quia quod amiſſum eſt ex natura rei, in eum contractum accedere. *d.l.quæro.* ſumitur & ex conſuetudine, quæ in actionibus humanis potiſſimam vim habet. *l.quod ſi nolit. §.quia aſſiduas.de ædil.edic.* ſumitur & ex præfationibus, huiuſmodique aliis coniecturis legitimis, quas omnes referre præſentis inſtituti non eſt. *d.l.ſi ſeruus plurium. §.fi.ff.de leg.1.* ¶ Sed nunquid tacita hæc diſpoſitio ex lege inducta, an potius ab homine cenſebitur? Et diſcernendos tres caſus arbitror. Primus quoties lex aliquid à partibus actum præſumit, nec huic partes ipſæ renuntiare poſſunt, *l.ſi paterfa.in prin.de adop.* tunc huiuſmodi legis diſpoſitio, non autem hominis cenſebitur. Quapropter ius adcreſcendi, tametſi ex tacita quoque teſtatoris mente proueniat, tamen ex legis diſpoſitione magis procedere exiſtimatur. *l.quidam teſtamento. in fi.de vulg.* non enim poteſt quis partim teſtatus partim inteſtatus mori. Sic Bart.in actione tutelæ, diem ex diſpoſitione legis ineſſe, non autem ex hominis credidit. Bartol.*l.ita ſtipul.q.1.* quoniam ſi partes agerent, vt ante diem ex actio oriretur, vtique fruſtrà agerent *l.cerdonem.de oper.lib.* Sic idem tradidit, procuratorem ad agendū legali diſpoſitione, ad defendendum quoq; conſtitutum cenſeri: vt enim id faciat, à lege ipſa etiam præter domini voluntatem adigitur. Bar.*l.non ſolum.de proc.* Sic receptum eſt tempus quod à lege iudicatis confeſsiſve indulgetur, tametſi in ſententia iudicis ſit expreſſum, *l.4.§.ſi quis condemnat.de re ind.* pro legali tamen dilatione accipi, cum in arbitrio iud.non ſit, qualem terminum conſtituat. *l.2.eod.tit.* Nam & generaliter idem Bart.definiuit, illam obligationem à lege deſcendere, cùm præter veriſimilem contrahentium voluntatem inducitur. Quæ enim ex præſumpta voluntate oritur hominis obligatio, non legis eſt. Bart.*l.ſtip.non diuiduntur.q.8.ff.de verb.oblig.* Nec obeſt, ſi quis dixerit nónne legibus voluntatem ſuam regere quilibet creditur? *l. quidem.cum fil.de verb.oblig.* Reſpondeo, verum id eſſe in his, quæ libero partium arbitrio relicta ſunt, alioquin non ſponte facere, ſed legis iuſſu partes creduntur. *l.4. de reg.iur.* Quapropter legi Falcidiæ aduerſus voluntatem teſtatoris locum eſſe ſcriptum eſt. *l.Titia.ad leg.Falc.* nec enim facere potuit teſtator, quo minus ea lex locum in teſtamento ſuo haberet. ¶ Secundus caſus eſt, cum lex aliquid præſumit, cui partes renuntiare poſſunt, & tunc huiuſmodi diſpoſitio hominis, nó legis dicitur: vt quòd in mutuo æquè bonum reddatur in promiſſione dandi Carthagini, tempus quo illuc iri commodè poſſit: & ſi qua ſimilia. Senſit & hoc Bartolus. *l.qua extrinſecus. de cond.& demonſtr.* dum alias eſſe conditiones tacitas ſcripſit, quę ea lege deſcendunt, alias quæ ex natura rei, alias quæ ex præſumpta voluntate. Quapropter cùm lex municipalis conſanguineos de controuerſiis compromittere iuberet, ſi compromiſſum fuerit, neceſſariò id dicetur factum non ſpontè, cùm huic legi per alterum renuntiari nequeat: licet Salicetus, & Alexander hac in re aliter ſenſerint. *in l.ſi quis maior. C.de tranſact.* Ex hoc quoque conſequens eſt, vt contractui depoſiti clauſula dolum malum abeſſe, legis diſpoſitione ineſſe credatur, non ſponte contrahentis. Paul. Aret.§.*Cat.5.opp.* non enim illi renuntiari poteſt, cùm dolus malus in futurum remitti nequeat. *l.iuriſgentium.§.pen.de pactis.* ¶ Tertius caſus eſt, quoties lex abſque partium reſpectu aliquid inducit, & tunc quoque diſpoſitio cenſebitur legalis. Bar.*d.l.ſtipulationes.q.8.* Qua ratione id quod intereſt, rectè pœnam legalem appellauerimus. *l.cum ſtipulatus ſim mihi, è Proculo.eo.titul.* inducitur enim in obligationibus faciendi, vt quanti ea res eſt ſoluendo, debitor liberetur, tametſi de hoc nihil actum ſit. Et hæc ſcitu vtilia ſunt, tum quòd mitiùs cum lege agitur, quàm cum homine, tum etiam quòd diſpoſitioni legis contra faciens inſolidum condemnatur, diſpoſitioni verò hominis, pro hereditariis portionibus tantùm. *l.in depoſiti.ff.depo.* Poſſent & aliæ differentiæ referri, quas in præſentia recenſere nihil attinet. ¶ Poſtremò videndum eſt, quoniam ſuperius dictum à nobis fuit, non ſolum diſpoſitiones hominum à legalibus differre, ſed inter ipſas quoque humanas actiones plerunque non parum intereſſe, cur aliud conſtitutum in vltimis voluntatibus, aliud in contractibus non rarò reperiamus. Exponendum itaque, quomodo certiùs hæc quoque diſcerni queant. Et regulariter ſolet affirmari, eodem iure vltima morientium mandata, viuentiúmque contractus accipienda eſſe, déque altero ad alterum ceu ad ſimilem rem, interpretatione procedendum. *l.ita ſtipu.de ver.oblig.* niſi tamen diuerſa in his ratio afferatur: ea diuerſitas quinque vt plurimum cauſis ſolet oriri. ¶ Prima, quòd in teſtamentis fauorabilior interpretatio, quàm in contractibus fiat. *l.in teſta.de reg.iur.* Hinc eſt quòd inſtitutis teſtamento filiis, etiam fœminas admitti indubitati iuris eſt: cùm tamen ſi quis pro ſe & filiis emphyteuſim recipiat, maſculos tantùm admitti ferè receptius ſit. *l.1.§.de verb.ſig.ff.* Eodem modo inſtitutis filiis dubium non eſt nepotes quoque contineri, cum in contractibus contrà reſponſum ſit. Bart.*l.liberorum.de ver.ſig.* Sal.*l.2.C.de iu.emph.* Sic à legato quod filiis relictum ſit, monachi non excludentur, in quorum album nomina filij dederint. authen.*niſi.C.ad Treb.* cùm in contractibus huiuſmodi interpretatio minimè accipienda videtur. Spec.*tit.de loc.ver.*180. Sic ſi fidei filio commiſſum ſit, coniectura paternæ pietatis plus dictum, minus ſcriptum creditur, conditióque ſi ſine filiis deceſſerit, extrinſecus ſumitur? *l.cum acutiſſimi.C.de fid. vbi Bald.in fi.* quod in contractu locum ſibi non vendicat. Sic legata domo, aditum quoque deberi reſponſum eſt. *l. teſtatrix.§.ſi ſer.vend.* at vendita, vel familiæ erciſcundæ iudicio diuiſa non deberi. *l.in vendendo.de contrah.empt.* Sic conditio impoſſibilis vltimas voluntates non vitiat, ſed ipſa reiicitur, *l.1.de cond.inſtit.* cum tamen contractus ratos eſſe non ſinat. *l.impoſſibilis.de verb.oblig.* ¶ Secunda cauſa eſt, quia vltimæ voluntates promptius executioni mittuntur: pluribus enim actionibus in his ſuccurritur, nunc rei vendicatione, nunc pignoratitia ob hypothecam, quandoque & officio iudicis, quod perſecutionem vocant, vt alibi docui *in c. quod ſedem. de officio ordinary, in antiq.* &. hoc videtur dicere Vlpia. *l.fi. C.commu.de leg.* inferius his verbis, Perſecutionis verbo extraordinarias perſecutionis puto contineri, vt puta fideicommiſſorum, & ſi qua alia ſunt, quę non habent iuris ordinarij executionem. Sed & interdicto

plerun

plerunque ſuccurritur poſſeſſionis adipiſcendæ cauſa, *l.fi.C.quor.bo.* quam ob cauſam & edictum diui Adriani olim in vſu erat. *l.fi.C.de edict.diui Adr.* quæ omnia in contractibus aliter ſe habent: ex his enim ordinaria actione experiendum eſt, nullâque executio præſtatur. *l.minor.cus fid.de min.* Eadem ratione & illud dicimus, vltimas voluntates poſtquàm dies ceſſerit, in pendenti eſſe non poſſe: cùm in contractibus aliud ſit iuris. *l.receptu.com.præd.* Vnde & illud receptum eſt, legatarium, qui partem ab altero herede petierit, non cenſeri ius crediti diuiſiſſe, *l.fin. ex tot.§.1.de leg.1.* cum in contractibus conſtet diuiſionem fieri *l.ſi creditores.C.de pa.* facilius enim hoc modo teſtatoris voluntas exitum habebit *l.vel negare.ff.quemad.ſeſt.aper.* nec ſuſpendetur quatenus alius coheres non ſoluat. Sic & ſi tibi ſeruum arbitratu Seij legauero, eo intra annum non eligente, nihilominus legatum debebitur, nec vlterius erit expectandum, *l.fi.§.ſed & ſi quis.C.commu.de leg.* cùm in contractibus à perſona non recedatur, longiórque præſtetur dilatio. *l.ſi quis arbitratu.de verb.oblig.* cui rei conſequens eſt quòd cautioni Mucianæ in contractibus locum non eſſe vulgò traditum eſt. *l.Muciana. de cond.& demon.* (quod & Bartolus prodidit ex Accurſio non ſemel: tametſi Gulielmus de Coneo, non leuis auctoritatis vir, contrà exiſtimarit variis argumentis & rationibus fretus, quas optimis fundamentis diluit Bartolus & ἀντινομίας conciliat.) cùm & debitor in diem ex cauſa legati cauere debeat, quum dies venerit ſe ſoluturum. *l.inter. l.ſeq. qui ſa.cog.* quod in contractibus admiſſum non eſt, niſi magna ex cauſa *l.in omnibus.de iud.* ❡ Tertia cauſa, quòd vltimæ voluntates ab vnius tantùm nempe teſtatoris, iudicio pendent, contractus non niſi omnium contrahentium conſenſu perficiuntur. in illis igitur ſola defuncti mens in animaduerſione eſt. Quapropter, ſi bona ſua alienari prohibuerit, ex cauſa tamen dotis diſtrahi poterunt *auth.res quæ.C.ad leg.Falc.* quoniam veriſimile non eſt, voluiſſe eum à ſe deſcendentes fœminas indotatas agere: quod in prohibitione, quæ in contractu addita ſit, non procedit. *l.nulla.C.de iur.dot.* Eadem ratione vltima voluntas poſterior, tametſi non omnino perfecta priorem extinguit, *l.legatum ſub conditione.§.fin.de adim.leg.* cùm aliud ſit in contractibus. *l.1.de noua.* ex actu enim inutili voluntas tamen perſpici poteſt, quod in legatis ſolum ſufficit. *l.fin.de reb.credit.* Item annuum legatum iuris interpretatione plura legata, plures obligationes continet: at ſi annuum quid dari nobis ſtipulemur, vna erit obligatio. *l.ſi Stichum.§.1.de verb.oblig.* Cuius rei ea videtur ratio, quòd in legatis voluntatem ſpectamus, quæ præſtationem pluries fieri decreuit, meritò plura ſunt legata: in ſtipulationibus ad formam verborum attendimus, quæ vnica eſt.

❡ Quarta cauſa originem à præcedenti ducit: ea eſt, quòd in vltimis voluntatibus pœnitentiæ, reuocationique locus eſt, cum in contractibus quod factum eſt, infectum: quod ratum, irritum, altero diſſentiente, fieri non poſſit. *l.ſicut.C.de act.& oblig.* Hinc, ſi libertus de ſe bene merentem amicum donatione aliqua remunerauit, non fiet cauſa patrono, vt in ſui fraudem id factum conqueratur, *l.vinus.ſi quid in fran.patron.* cùm ſi cauſa mortis dederit ſecus ſit. *l.1.§.eo.tit.* quòd enim huiuſmodi abeuatio ex nutu eius reuocari poſſit, faciliime fraudis coniecturam tunc accipimus. Sic adoleſcens cui curator datus ſit, abſque eius auctoritate contrahere non poteſt. *l.ſi curatorem.C.de in integ.reſt.* cùm tamen teſtari, legare, cauſa mortis donare poſſit. *l.Aurelio.§.Gaius.de liber.leg.* nec enim hîc vllum ſubeſt periculum, ne damnosè agat, cùm arbitratu ſuo omnia reuocandi ius illi ſit. *l.ſed interim.§.1.de donat.inter vir.* Quapropter ſi municipali plebiſcito cautum ſit, ne abſque agnati conſenſu mulier contrahat, id tamen valebit, quod donatione cauſa mortis tradiderit: non enim legis ratio, ne mulier decipiatur, locum hoc caſu ſibi vendicat, cum pœnitere poſſit. Iaſ. *l.2.de leg.1.* quo exemplo & illud quoque reſponſum fuit, cùm conſuetudine quadam peregrinorum facultates quæcunque eorum vltima voluntate, reiecta ad principem pertinerent, ſi donationis nomine quicquam ab his alienatum eſſet, non videri fraudem fiſco factam. *d.l.vinus.* quod eo magis recipiendum eſt, quoniam illud in confeſſo ſit, diſpoſitionem ſtricti iuris in vltima voluntate inductam, ad contractus minimè producendam eſſe. *l.non dubium.C.de teſtament.* nec è conuerſo.

❡ Quinta cauſa eſt, quia contractus etiam ex ſummi iuris rigore effectum habent, quod de re ſua quemlibet diſponere poſſe iuſtum eſt: at vltimæ voluntates indulgentia ſolùm quadam, diſpenſationéque legis ſuſtinentur. *l.1.C.de ſacr.ſanct.eccl.* cùm in id tempus earum effectus conferatur, quo quis mortuus eſt, nec res amplius ſua eſt: quo fit, vt ſuprema hęc iudicia ceu ſpecialius quoddam auxilium à legibus conſecuta, legum ipſarum naturam magis, quàm contractum imitentur. *§.diſponat.in authen.de nup.* Quapropter & in legatis, & in legum iuſſionibus, ſi quicquam factum non ſit addita pœna, ſtatim fieri debet, ne in pœnam incidamus: glo. *l.1.C.de his quib.vt indig.* cum in contractibus non prius pœnæ locus ſit, quàm declaratum fuerit amplius fieri nõ poſſe. *d.l.ita ſtipulatus.* Inde quoque eſt, quod prohibita à teſtatore alienatione, non magis dominium transferri non poteſt, quam ſi lex expreſſim vetaret, *l.Marcel.§.res quæ.ad Treb.* cùm tamen in contractu prohibitio eam tranſlationem non impediat, ſed in id quod intereſt agendum ſit. *l.ea lege.C.de con.ob cau.* Cæterùm & contraria ratione inſtitutum eſt, vt antequam vltimæ voluntates legis fomento conualuerint, contractibus ipſis imbecilliores cenſeantur: quapropter ante conditionis euentum, in eis tranſmiſſioni locus non eſt, *l.vnica.§.ſin autem ſub.C.de cad.tol.* cùm ſtipulatio conditionalis nihilominus ad heredes tranſeat. *§.ex conditionali.Inſtit.de verb.oblig.* firmius enim vnicuique acquiſitum id cenſeretur, quod propria ope conſecutus eſt, quàm quod alieno beneficio adipiſcitur. gl. *l.1.C.ſi aduerſ.ven.* Vnde alimentis mihi ex contractu debitis, poſſum ex ſententia mea tranſigere: cùm ſi poſtremo alicuius elogio debeantur, abſque Prætoris decreto non poſſim *l.cum hi.§.plane.de tranſact.* Qua ratione ſunt, qui putent, in ambiguo diſiunctiuæ obligationis caſu ad legatarium electionem ſpectare *l.Lucio.de leg.2.* cùm in contractibus ad debitorem ipſum pertineant. *l.plerunque.in fin.de iu.dot.* differentiæque rationem eſſe, quòd heredis hac in re damnum in animaduerſione non eſt, qui & de lucro agit & alieno facto fortunatus eſt, vt cui contigerit (quod poëta ille ait) Res non parta labore, ſed relicta. Cui tamen ratio-

ni illud obeſſe videtur, quod traditum eſt, ſi manumiſſus à domino ſuperſtite ſeruus fuerit, peculium illi conceſſum cenſeri: ſed ſi teſtamento ab herede libertas ei legata ſit, non cenſeri: quod argumentum tripliciter benè ſanè diſſoluit Accurſius. *l.1. C.de pecul. eius libe.* Ego etiam illud dici poſſe arbitror, ideo ita conſtitutum, ne dominus quicquam illi vlterius impendendi cauſam haberet, ſed peculium illi pro alimentis ſufficeret. Si quidem & apud Plautum Epidicus ait: *Nouo liberto opus eſt quod pappet.* Cui reſpondet ſenex: *Soccos, tunicam, pallium tibi dabo, præbebo cibum.* Sed an potius id inductum credamus, quoniam qui heredi ſeruum relinquit, neceſſariò relinquit? at in neceſſitatibus non ita ſit liberalitatis & munificentiæ larga interpretatio. *l. rem legatam. de adi. leg.* nam & traditum eſt alienationes, quæ teſtamentis fiunt, non ita facilè in fraudem cuiuſquam factas videri, quoniam neceſſariò fiunt *l. ex hoc edicto. de ali. iud. mut. l. reos. de ſol.* vulgò enim dicitur, ſuperſtitis eſt mancipium, & morientium ſedes viui occupant, nec niſi nudos orcus recipit. itaq; qui heredē inſtituit, aut legat, tametſi alienet in edictum de alienatione mutādi iudicij cauſa facta, non incidere eum Paulus ſcribit. Rationem ibidem adfert Accurſius: quoniam in his, quæ neceſſitate fiunt, dolum abeſſe tradit. Nam, vt refert ibidem Bart. *d. l. ex hoc. §. alienare.* confertur poſt mortem alienatio.

ANDREÆ ALCIATI IVRISC. MEDIOLAN.

DE VERBORVM SIGNIFICATIONE,

Liber Quartus.

CVM ſuperioribus libris à nobis de quadruplici verborum ſignificatione non indiligenter ſit ſcriptum, ſupereſt vt de figuris & tropis aliqua ſubiiciamus: quæ cùm mixtæ cuiuſdam ſint naturæ, operæpretium viſum fuit in hunc locum eas reſeruare, quòd ſat commodè non videbantur poſſe ſupradictę diſtinctioni coniungi: nam figurarum quædam ſolum ornatum reſpiciunt, & hæ ad proprietatem ipſam pertinent: imò elegantiorem, & magis perſpicuam orationem, quàm ex ipſa proprietate deprompta verba faciunt, vt meritò Fabius Quintil. ſcripſerit, Quæ benè tranſlata ſint, etiam propria dici ſolere. Quædam ad improprietatem penitus pertinent, & in vitium orationis inclinant, eſt earum maxima pars. aliæ ab vſu prudentium auctoritatem ſumunt: nonnullæ ferè nihil à verbis mutuantur, ſed ex interpretatione vim omnem accipiunt, veluti vt plurimum ſunt parœmię. Meritò igitur in vltimum librum recipiendum hunc tractatum cenſui, præſertim cùm ſic quoque gratiorem me rem facturum hiſce opinarer, qui iuris ſcrupuloſitatibus offenſi, in amœniora ſtudia diuertere deſiderant: his enim hic libellus magis arridebit, qui non pauca ex humanioribus ſtudiis contineat, quantáque veterum Iuriſconſultorum in eis diligentia fuerit, declaret. Velim tamen hi ſciant, me non omninò ea Grammaticorum, aut Rhetorum declarationibus, ſed craſſiore minerua, quod noſtratibus Doctoribus magis placere deprendi, huiuſmodi ſchemata, & tropos interpretari: & ſicut apud Annium Neoptolemus philoſophari ſibi ait neceſſe eſſe, ſed paucis. nam omnino, haud placere: ſic & ipſi mihi video cum Rhetoribus aliquantiſper conuerſandum eſſe, omnino, haud placet. Quòd ſi ipſi in hoc argumento à Grammaticorum traditionibus receſſerunt, æquo animo ferre debeor, ſi Iuriſconſultus eos & ipſe nō omnino ſequar, ſed aliqua conſultò innouanda duxerim, quæ huic noſtræ profeſſioni magis conducere exiſtimaui.

¶ Ex his igitur longè frequentiſſima eſt, quam μεταφορὰν, id eſt, tranſlationem vocant, ſine qua nec quotidianus quidem ſermo conſiſteret, cùm propter vocabulorum anguſtiam ſimilibus plerunque vti cogamur, vel quia proprium deficiat, vel quia tranſlatum proprio elegantius ſit: vt cùm Iuriſconſulti adulterinam monetam, adulterinam ſcientiam vocant, & adulterari rationes dicunt, id eſt, conturbari, vel falsò deſcribi. *l.1. in fin. de ſeru. corrupt. ff.* Sic ambulatoriam voluntatem, actionem. legis poteſtatem, ſtipulationem dicimus: ſic viam aperire, ſic calcem pro fine, cunabula pro initiis plerunque reperire eſt: hinc anfractus litium antiquare, id eſt, extinguere: hinc deflorata ſpecies, enucleatum ius, fræni temperies, nuda conuentio. ſic in promptu dicimus, ad manum, in pendenti, prima facie, laquei legum: ſic inhiare commodis, quod à lupis tranſlatum eſt: ſic rempubl. florere, dotem & donationem propter nuptias æquis paſſibus ambulare, *l. fin. §. ſi autem. C. de don. ante nupt.* tempora largiri cauſam capitalem, quæ ad ſtatum pertinet, dicimus, & ſi qua ſimilia, quæ nuſquam in quocunque auctorum genere non occurrunt.

¶ Ab hac non multum diſtat quæ κατάχρησις, id eſt, abuſio dicitur: cùm omiſſo proprio & peculiari nomine aliud apponimus: vt cum lex Iulia adulterium ſtuprum appellauit, generaliſſimo nomine vſa, cùm ſpeciale crimen inſequeretur: meritò Paulus, lex, inquit, Iulia ſtuprum, & adulterium promiſcuè (vt habent vulgati codices) ſed καταχρηστικῶς appellat φθορὰν: qua figura etiam parricidam dicimus. qui matrem interfecit: Sic & Gaius inter geſtum & factum, inquit, καταχρηστικῶς nihil intereſt. Sunt qui generaliter catachreſin diffiniant, quæ nomen ſuum proximo accommodet.

¶ Metaphoræ quoque affines ſunt parœmiæ, de quibus Eraſmus Roterodamus locupletiſſimum, & immortalitate dignum opus iamdiu edidit, in quo ſolus videtur mihi veteres omnes ſupaſſe: is enim ſic diffiniuit: Parœmia eſt celebre dictum, ſcita quapiam nouitate inſigne. Sunt autem in iure id genus quamplurima adagia, quorum inſigniora vir ille diligentiſſimus perquam eleganter explicuit: qualia ſunt, Glauci & Diomedis permutatio. *l. ſolert. ff. de offic. procõſul.* Nec omnia, nec paſſim, nec ab omnibus: Non ſoli Atridæ vxores amant. Pecunia abſque peculio fragilis. Officere luminibus

bus:Cum ſaceo adire:Manu longa,manu breui: Actum ne agas: Leonina ſocietas: Illotis manibus: Longè lateque: Sarta tecta: Ruta cæſa. Cæterum quædam & nos ab eo, forte conſultò, prætermiſſa adnotauimus,quæ quamuis non ita forſan elegantia ſint, non tamen eiuſmodi viſa fuerunt,vt ſilentio omittenda duceremus. Ea ſunt, Herculis Clypeus,in Plexaltico quod Iuſtinianus ipſis Digeſtis præpoſuit:

Οἷα τις Ἡρακλῆι παναίολος ἀσπίδα τεύξει.

Dicitur autem de re pulcherrima, & variis ornamentis inſigni: ab Heſiodo ſumptum, *in opere cuius titulus ἀσπίς*. Dupondij iuuenes: ſtudiis tantùm initiati, in proœmio, à dupondio nummo,quaſi duobus aſſibus æſtimarentur: ſeu à pondere dupondio,quod & ſtater dicitur,& *τετράδραχμον*:ſunt enim adhuc modici valoris, nos pupillos vulgò dicimus. Eòdem pertinent, Lytæ & Prolytæ: quo nomine vocantur poſtquàm perfecti,abſolutiq; in ea diſciplina fuerint. Sic eodem loco edictum perpetuum, ſparſim & quaſi per Satyram collectum dicitur prouerbiali ſchemate, à ſatyra lance ex variis ferculis nullo ordine collatis compoſita. Vnde & Salluſtius in Iugurtino, Quaſi per Satyram ſententiis exquiſitis in deditionem accipitur,id eſt, non ſeruato ordine, vt ſeniores priùs ſententiam rogarentur: ſed vt ipſi Imperatori libuiſſet. Eodem pertinet, quod Sabinus a Pomponio Cato ſui temporis dictus eſt. *l.2.de orig.iur.* Sic Saturninum recentiores quidam vice verſa vulgò dicunt, qui phantaſticas,abſurdáſve opiniones in iure ciuili ſectatur, *l.1.de ſexa.* Bald. *l.1.C.de ſacr.ſanct.eccl.* ab huius nominis Saturnino, quem Vlpianus notat. *πρὸς ἔπος*, id eſt, ad verbum prouerbialiter Vlpianus dixit, *l.de ætate.§.quod autem.de interrog.act.* de his qui congruenter interrogationi ſibi factę reſpondent,quod à nobis *in diſpunctionibus lib.3.cap.*10. diffuſius explicatum eſt. Id Cicer. reſpondere ad rogatum dixit *in oratione pro L.Flacco.* Nunquam nobis ad rogatum reſpondent, ſemper accuſatori plus quam ad rogatum. Eremodicium Iuriſconſulti appellant *l.& ſi ſine.§.fi.ff.de mi.* quoties in iudiciis,abſente altera parte, ius dicitur. Vnde qui facile & citra contradicentem victoria potiuntur, eremodicio potiri dici poſſunt. Lucianus etiam ad calumniatores tranſtulit. Demoſthenes ſeparatim *ἐρήμην δίκην* appellat. In periuros quoque prouerbiale eſt dictum Vlpiano auctore. *προχειρῶς μὴ ὀμνύειν*, temerè ne iura:quòd illis ſuperindici ſolebat, *l.ſi duo.in fi.de iureiu.* cum fuſtium vel flagellorum ictibus ſubiicerentur. Dubius euentus litis ex Scęuola dici ſolet, *l.quod debetur.de pec.* apúdque nos ferè prouerbij loco vſurpatur,apertiſſimámque habet ſignificationem. Probationes de domo vocantur non tam ſuſpectæ *l.pe.de teſti.ff.* quòd domeſtici teſtes non recipiantur, quàm confeſſiones, & ipſius accuſationes,cùm quis proprio ore conuincitur,& ſuo,quod dicitur, gladio iugulatur:quo ſenſu & Græcum adagium accipi poteſt, *οἴκοθεν ὁ μάρτυς*. Veſpertilionem. *Sic ut vulgo in Pand. Flo. viſpellionem.* appellatio iure apparet eum, qui ne creditoribus ſatisfaciat, latitet, & veſpere tantum exeat, vel rationes conturbauerit: opinor ex Æſopi fabula. *l.ſi ita quis.de euict.* qua inter cætera proditur veſpertilionem cum mergo ſocietatem nauticam contraxiſſe, & ſummerſa naui, cum vterque decoxiſſet, veſpertilionem non niſi noctu,metu creditorum vagari,mergum frequenter in vndas ſe demittere, mercimonia amiſſa perquirentem: vt proculdubio male ſentiant, qui veſpillonem, *Viſpellionem in Pand. Flor.* vel verſipellem pro veſpertilione legunt. Traditur & quandoque iactus retis, *l.ſi iactum. de act.emp.* pro re dubia,& mera ſpe, qua plerunque homines decipiuntur. A manu quoque variæ parœmiæ deduci videntur,vt cùm dicimus,de manu in manum,& per manus tradi, *l.quod per manus.ff. de iure codic.* & ad manum non habere, & extra manum demiſiſſe, & manus iniectionem retinuiſſe. Emiſſam quoque manum Modeſtinus dixit, *l.quidam. de probat.* pro cautione manu facta. Dicitur & manus pro arte vnde & manus pretium Caio. *l.mulieris.§.eod.* Domum quoque ſuam vnicuique tutiſſimum refugium Caius ſcripſit. *l.plerunque.de in ius voc.* ex notiſſima teſtitudinis opinor fabula, *οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος*. Omnem fortunam in ſinu meo habui. *l.qui teſtamentum.de probatio.* prouerbialiter etiam dixiſſe videtur Scæuola,non ſolum eo ſenſu quo in manu,id eſt,poteſtate habere dicimus,ſed etiam vt occultam,& ſibi ſoli creditam rem oſtenderet:vnde & in ſinu gaudere Ciceroni 3. *Tuſculanarum*: quamuis & alio ſenſu alibi accipiatur. Erronem quoque, frequenter vagantem,& rebus nugatoriis tempora conſumentem ex Vlpiano dicere poſſumus, *l.quis ſit.§.erronem. de ædil.edict.* metaphora ab erronibus ſeruis ducta. Ouidius in Epiſtola Saphus:

Nec vos erronem tellure admittite noſtrum. Cui non multum abſimilis eſt & miles qui Emanſor dicitur,hoc eſt,vt Modeſtinus interpretatur, *l.3.§.2.ff.de re milit.* qui diu vagatus ad caſtra reuertitur. Felici diplomate vti dicuntur, *l.continuus.§.1.de verb.oblig.* qui omnia præpropere agunt. ab his ducto prouerbio, qui curſu publico per diſpoſitos equos, omni tempeſtate contempta, nocte diéque iter agunt: quod abſque principis diplomate (tractatoriam recentiores Cæſares appellant) facere minime conceſſum erat:cuius rei præter Iuriſconſultos Plinius quoque ad Traianum,& Cornel. Tacit. meminerunt. *Εἰς πλάτος* quoque frequenter Iuriſconſulti dicunt eo ſenſu quo nos largo modo ſolemus dicere, *l.vero procurator.ff.de ſolut.* veteres non ad liquidum appellabant,id latius a nobis *Diſpunct.lib.2.cap.*11.tractatum eſt.Cui ſignificationi non abſimile eſt,quod Vlpianus *l.quam Tuberonis.§.1.de pecu.* *παχυμερέστερον* dixit,id eſt,craſſius & pingui minerua: quo ſenſu & Aulus Gell. *lib. 14.cap.*1.vtitur. Pedem in fouea habere,id eſt, in periculo mortis eſſe, Pomponius *l.apud.de fid.lib.ff.* dixit his verbis: Ego dicendi cupiditate, quam ſolam viuendi rationem optimam in octauum & ſeptuageſimum annum ætatis duxi,memor ſum eius ſententiæ,quam dixiſſe fertur Iulianus:Et ſi alterum pedem in ſepulchro haberem: adhuc addiſcere quædam vellem. Color quæſitus dicitur, *l. ſed Iulianus.ff.ad Maced.* cùm id quod vere agimus,ſimulatione aliqua obtegimus, ſiue fraudandæ legis gratia,ſiue alia ex cauſa id fiat,ſolentque hoc loquendi modo Iuriſconſulti plerunque vti,metaphora (vt opinor) a Rhetoribus accepta, qui verborum coloribus veritatem plerunque offuſcant. Factum tranſactum eſt, *l.tranſactio.§.eo.* de re finita, & quæ amplius in dubitationem deduci non poſſit.

Cicero *in Catil.lib.*3. Atque illud quod ſaciendum primum fuit, ſactum atque tranſactum eſt: tranſlatione ab eo ducta, quòd finis litibus per tranſactiones imponatur: Conniuentibus oculis Vlpianus ſcripſit, *l.*4.*in princ.de manumiſ.* id eſt, per diſſimulationem, cùm is qui videt, oculos interdum claudit, dum perſpicere non curat. Accurſius ſtricta iuris ciuilis ratione non inſpecta interpretatus eſt.

De Plano apud eoſdem fieri dicitur, *l.ne quicquam.* §.*de plano.de offic.procon.* quod facilè & abſque cauſæ cognitione conceditur, origine prouerbij à iudicibus ducta, qui grauiores & arduas cauſas pro tribunali ſedentes cognoſcunt, vbi verò deſcenderint, in plano conſtituti: leuiora negotia decidunt. Honorius Imperator leuato velo id fieri dixiſſe videtur. *l.pe.C.de naufr.lib.*11. Cùm cauſæ, inquit, huiuſmodi leuato velo cognoſcantur: quod & ipſum prouerbiali figura non caret. In folle offerre Calliſtratus intellexiſſe videtur eum, *l.cum ſeruus.C.de con.& demonſt.* qui ad liquidum rationes non reddit, metaphora ab his ducta, qui pecuniam intra marſupium oſtentãt, ita tamen, vt nec qualis quantáve ſit agnoſcatur: vnde vulgari ſermone circumfertur, in folle merces non emendas. ¶ Illa quoque à prouerbij vſu diſſidere non videntur, cùm omni exceptione maiorem, dicimus integerrimæ fidei hominem. Iſauricum pro atroci latrone, à vitio generis. Vſuras nauticas, pro centeſimis & magnis. Spargere aquam, pro demulcere & blandiri, metaphora ab aquis ducta. Humanitus contingere, id eſt mori. Sed & eodem pertinet, quod alibi dicitur. Sitientibus agris tuis alienos irrigas. *l.praſes. C.de ſeruit.* Æqua quoque lance dicimus, & paſſibus æquis, de his quæ ſimilia ſunt: vnde & lance vna trutinare apud eoſdem reperitur. Iuſtinianus etiam κατ' πόδα, *l.*2.*C.de vet.iur.enu.* fieri dixit, quod alienis veſtigiis inſiſtere veteres dicere conſueuerunt, cùm quis de ſuo nihil addit, ſed aliena ſolùm recitat: vnde & veſtigiis inhærere ductum eſt. Vſurpatur eiuſdem Imperatoris exemplo, *l.ne in arbitris. C.de recept.arb.* de re quæ amplius in vſu non ſit, vt ab Aula receſſiſſe dicamus, translatione ab emeritis Palatinis iudicibus accepta. Idem quoque prouerbialiter locutus videtur, cùm ſub finem Inſtitutionum, ſufficiat, inquit, hæc ſummo digito, & quaſi per indicem tetigiſſe: vbi Accurſius indicem digitum intelligit: ego poſſe etiam de tabula, ſeu, vt Græci dicunt, elencho accipi arbitror. Sed & Gratianus *l.ſingul.C.de accu.* Valentin.& Theodoſ. emendicata ſuffragia appellauère, quæ leuiter cauſam adiuuant, vt potentium commendationes, & ciuitatum in alicuius honorem decreta. Prouerbialiter quoq; Gordianus dixit, *l.licet.C.an ſer.pro ſuo ſact.* noxa caput ſequitur: quoniam, vt Marcus Cato ait, nequiter factum ſemper durat, & reum comitatur. Sic & Ouidius,

Pœna poteſt demi, culpa perennis erit.

Sed & Conſtantinus Imperator *l.*1.*C.ne lic.pot.* ſuo marte, inquit, cauſæ diſcurrant: id eſt, ſuis viribus, non autem aliunde accerſitis adminiculis. In iure quoque pontificio eiuſdem monetæ pleraque leguntur, quorum aliqua referre nõ omnino extra rem erit, qualia ſunt: Collyrio vno omnibus morbis mederi. 29.*diſt.neceſſe.* Facibus ſolem adiuuare: 6.*quaſt.*1.*ſi omnia.* quod de ſuperuacuis & abſurdis dici conſueuit.

Falcem in alienam meſſem mittere. *cle.venerabilis.de elec.* de cognitione, quæ ad alios pertinet, ſibi arrogantibus. Paries dealbatus, ex Actis Apoſtolorum pro diſſimulatore, & fœdo homine. 21.*qu.*1. *paratus.* Labyrinthus, de re confuſa & inexplicabili. vnde Labyrinthus erroris. 29.*diſt.c.*1. Margaritæ ante porcos. Altare ſpoliat, vt aliud operiat. Mingere ad parietem. Mus in pera, ſerpens in ſinu. *c.etſi. de Iud.* Fruſtatim lupus comedit agnum. §.*quia ergo.*13.*q.*1. Malus choraules, bonus ſymphoniacus: 16. *qu.*1.*leg.* & ſi qua ſimilia. ¶ Cæterùm & vulgo ex Accurſio recentioribúſque interpretibus quædam nobis in vſu ſunt, non omnino indecora, vt quibus ſola vetuſtatis opinio deſit, cætera quę prouerbio neceſſaria ſunt, abundè ſuperſit: vt cùm de re difficili, Africani legem dicimus, Iaſ. *l.qua dotis.ſol.mat.* quòd huius Iuriſconſulti reſponſa quæ paſſim in corpore leguntur, obſcura ſint, & interpretatione indigeant. Quid ad rhombum? glo. *authent.licet. C.de na.li.* de his quę ad collationem admitti non debent, vel nihil ad rem propoſitam faciunt: videtur à piſce rhombo optimi ſaporis deductum, cuius cognitionem ex Iuuenalis carmine habuit. Accurſius. Rem non nouam aggredi: gloſſ. *l.rem non nouam.C.de iud.* de his qui vxores vetulas accipiunt, obiectum riſus cauſa ab auditoribus Bulgaro, cùm huiuſmodi vxorem duxiſſet, & manè conſtitutionem, cuius initium illis verbis conceptum erat, auſpicaretur,

Ob ſolum punctum caruit Robertus Aſello. Alber. *in dict. cap.punctus.* Ortum ex hiſtoria, quam Albericus Roſat. recenſet. Robertus opulenti ſacerdotij, cui Aſinus nomen, vt vocant, Abbas erat, cæterùm auarus, & inhoſpitalis, quapropter carmen, quod pro foribus monaſterij proſcriptum erat, commutato puncto inuertit,

Porta patens eſto nulli, claudaris honeſto.

Id cùm Pontifex Romanus reſciuiſſet, ſacerdotio hominem priuauit: vnde in fabulam vulgi tranſiit, prouerbialéque carmen ortum, de modico momento rem magnam amittentibus.

Oua hodie praſtant, quos lux det craſtina pullos. *l.his cum. de tranſact.* Vulgare carmen repræſentationis vtilitatem aduerſus procraſtinatores oſtendens, quale eſt apud Plautum, Nihili coactio *in Aulularia.* Sunt coactores, qui in iure Collectarij dicuntur. *l.quiſquis.C.ſi certum petatur.* hi in auctionibus reliqua publicanorum ſolent emere, quæ illi ob grauiores curas, vel ob debitorum procraſtinationem nequiuerunt exigere. væneunt autem huiuſmodi nomina, quum mala ſint modico pretio, quod vſu etiamnum videmus. Horat. Si præco paruas, aut vt fuit ipſe coactor Mercedes ſequerer, Meminit & Suetonius in Veſpaſiano itémque Seneca: Cui aduenit vnum, non aduenit ſolum: gloſſ. *in authent. vt iud. ſin. quo. verbo illicito.* prouerbialiter dixit Accurſius quòd vno ex malo plura conſequantur, vnde & poetis Catenati labores dicti. Dominus quum rogat, præcipit: gloſſ. *l.prima, quod iuſſu.* & id habet apertam ſignificationem. Qualis veruex, talis offa: gloſſ

gloſſ. *l. quæ in herede. §. eligere. de tribut.* videtur non abſimilis ſignificationis eſſe IIII, Similes habent labra lactucas: cùm par pari refertur, aſinus aſinum non prendit. gloſſ. *l. 1. §. veteres de acquir. poſſeſ.* de æmulatione, quæ inter æquales eſt, cùm alteri quis cedere negat, quia paris fuerit cum eo conditionis. Hebræus nihil Hebræo, Catilina Cetego: glo. *l. quoniam. C. de Iud.* cùm idcircò alteri quis obiicere aliquid criminis nequit: quòd & ipſe eodem laboret morbo, non adſimile illud Iuuenalis carmen, Clodius accuſet mœchos, Catilina Cetegum. Tempore quiſque duos lepores ſectatur eodem, gloſſ. *l. nemo. C. de aſſeſ.* Aut neutrum, aut certe non capit ille duos. Vulgatum carmen, illi Iuuenalis non diſſidens. Pectora noſtra duas non admittentia curas. Nec item illi Palladæ in Epigrammate,

Τινώμβρος πάντων, οὐδ' ἐν ἔχεις ἴδιον.
Omnia quæ guſtas, nil proprij ſed habes.

Tanti offa, quanti panis intinctus: Iaſ. *l. qua extrinſecus. de verb. oblig.* de his quæ diuerſa exiſtimantur, cum eadem effectu ſint, Citantur & prouerbij nomine ab Accurſio Ouidij illi verſus:

Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris.
Vicinúmque pecus grandius vber habet.

Sicut & ab Iaſone. *l. re coniunct. de leg. 3.* illud Vergilianum:

Apparent rari nantes in gurgite vaſto.

In materia difficili & latiſſima ad quam tamen extricandam pauci Interpretes acceſſerint. Sed & Picus quoties Bartolum, aut alium magni nominis doctorem inceſſeret, ſolebat hoc Ouidij afferre.

A cane non magno ſæpe tenetur aper.

Reuoluto mantelo, ea vulgari ſermone dixit Accurſius, glo. *l. Papinianus. §. ſed nec imp. ff. de inoff. teſtam.* cùm contrariis exceptionibus quis aduerſus diuerſos vtitur ab his ducta metaphora, qui vt ſcenæ ſeruiant, mutant pallium. Et hæc quidem quod ad parœmiam attinet, ſatis & ſuper, ne de fæce (quod ille inquit) haurire videar. Ad reliquas igitur figuras transeundum.

¶ Apoſiopeſis, id eſt, reticentia apud nos eſt, quum tacemus, quod dicendum erat, ſed ita tamen vt ſubintelligi poſſit. Hæc apud oratores habet affectū vel iræ, ſolicitudinis, vel id genus ſimilem, apud nos non item, quare quoties Iuriſconſultus quæſtionem refert, nec expreſſè decidit, ſi affirmatiuè thema proponit, cenſetur etiam affirmatiuè decidere: ſi negatiuè, cenſetur & negatiue reſpondiſſe. *l. cùm fundus. §. ſeruum. ſi cert. peta.* Ἓν διὰ δυοῖν, quoties ea duobus vnum dicitur: vt, Pateris libabat & auro, id eſt, pateris aureis. Sic Scæuola. *l. Lucius. §. Cæte. ad ſenatuſ. Treb.* Semiſſem patrimonij & portionis reſtituant, id eſt, patrimonij in portiones diuiſi. Sic Iuſtinianus, Exigat quod legitime, vel quod pacto debetur, id eſt, legitimo pacto. Cui non abſimile, cùm lex, Arguamus, inquit, id eſt, arguendo conuincamus. *l. 3. §. poſſumus. naut. caup.*

¶ Prolepſis, quædam anticipatio, quæ fit ea mente defuncti, credentis id aliquo tempore futurum quod prius acciderat. vnde dicitur poſthumus, etiam qui viuo teſtatore poſt teſtamentum natus eſt. *l. 4. §. 1. de inoff. teſt.* Cui non abſimile, cùm inſulam appellamus, quæ amplius non eſt, ſed fuit. Sed & ea deſtinatione, animi nomen attribuitur, quum dos dicitur, quę vere dos non fuit. *l. ſi ſeruus. ff. de fundo.* ſed deſtinatione tantùm: & cùm venderes, interpretamur, id eſt, vendere velles. *l. ſi rem. §. ſi cum mihi. de præſcr. verb.* Cæterùm & quandoque diuerſas res præcedentes neutro adiectiuo omnes terminamus, quod Zeugmatis genus eſt, vt cùm dicimus, vxori veſtem, ornamenta, mundum aurum, argentum, quod eius cauſa paratum eſſet, omne lego, *l. heres. §. vxori. de lega. 3.* intelligitur legata etiam veſtis eius cauſa non parata.

¶ Antonomaſia eſt cum ius ciuile Romanorum appellamus, per excellentiam. *§. ſed ius. Inſt. de iur. nat.* κατ' ἐξοχὴν. Sic vrbs abſolute pro Roma: quæ & quandoque vrbs æterna dicitur. *l. 1. C. de ſuaſ. lib. 11.* Auſonius:

Vrbis ab æterna deductam rege Quirine.

vt errent qui ibi Hectoreæ legunt.

¶ Synecdoche, cùm pro toto lego portionem domus, In qua conſueuimus morari, *l. vxori. in princ. de leg. 3.* intelligitur etiam de tota: nam & plerunque de parte ad totum in iure ratiocinamur: Huc pertinet etiam cùm totum pro ſingulis ſuis partibus ponimus, *l. qua de tota. de rei vend.* vt quo anno, pro qua anni portione: pro tempore, id eſt, pro quacunque temporis parte: ſic & eodem die dicimus, pro eius diei quacunque parte.

¶ Protheſis, vt cùm dicimus, de dote prælegata. glo. *in rub. de do. præl.* præabundat.

¶ Hyſterologia, conuerſus ordo, vt cùm Iuriſconſultus prius determinat ſecundam quæſtionem, quam primam, *l. 3. §. Labeo. de incend.* dicitur etiam hyſteron proteron.

¶ Syncopa, cum de medio tollitur, vt heres meus dare damnas eſt, id eſt, damnatus. alij tamen *damnes* legunt. ea ratione qua & copes dicitur copioſus. Sed ego veterem lectionem magis probo.

¶ Lyprote, id eſt, defectiua cùm minus dicimus, plus intelligimus: vt quum Scæuola interrogatus de eo, *l. ſi. de probat.* quem mater in actis profeſſa erat ex alio, quam ex marito ſibi natum, reſpondit veritati locum ſuperfore. intellexit enim non ſtari dicto matris: & præſumi filium mariti, ſi in domo, vicinis ſcientibus natus ſit. Idem eſt, quum non ademit legatum dicimus, *l. legata. de adi. leg.* dedit. ¶ Eius contraria Auxeſis, i. augmentatiua, vt quum Papinia. *l. 1. de eff. eius.* huius inquit rei fortiſſimum argumentū eſt, quum loqueretur de argumēto à cōtrario ſenſu. quod tamen plerunq; ſubuertitur: ſic & quandoq; euidentiſſimū dicitur, quod ſolis coniecturis cōſtat. *l. ſi conſtante. ſol. mat.* ¶ Pleonaſmos, quum dictio abundat: vt quum quis dicit, ſe oculo vidiſſe monachum. *20. qua. 2. præſens.* Cui non multum apud grammaticos diſſidet Parelcon, quæ eſt ſuperflua vocis additio: ſed apud nos frequentior

eſt, quæ Græcè *παρεργῶν* dici poteſt, id eſt, vt dicam otioſitas, quum aliqua dictio vel etiam clauſula additur quæ minime ad rem de qua agitur, neceſſaria ſit, ita vt etiam ſi ea deſit, nihilominus idem iuris fuerit conſtituendum. *l. qui Romæ. §. Callimachus. de verb. oblig.* & propterea vulgò ſolet dici, ex verbi facti narratiuis enuntiatiſve non ſumi argumentum, gloſ. *in l. 1. C. quando non per.* niſi in eis ſpecialiter lex deciſionem ſuam conſtituat. Huc pertinent Vlpiani verba, *l. quod ait lex. de adult.* quod ait lex, cum filia adulterum deprenderit, otioſum non eſt: voluit enim in ipſa turpitudine deprendi, quod Solon & Draco dicunt *ἄῤῥεν ἐν ἄῤῥεσιν ἔχοντα*, id eſt, obſcœna in obſcœnis habentem: veteres tamen codices *nempe Pa. Flor. ἐν ἔργῳ* caſtigatius habent. Intelligit Vlpianus otioſum, id eſt (vt nos non ſatis eleganter ſolemus dicere) non ſine myſterio: quo ſenſu & Fab. Quintil. frequenter vtitur Plinius *ad Traianum*: itémque Scæuola otioſam pecuniam dixit repoſitam, *l. qui ſemiſſes. de vſur.* ex qua quis lucrum non faceret aliquando etiam vacua dicitur, *l. quintus. depoſi.* Epanodoſis eſt quædam correctio vt cùm dicimus Stichus, *l. Stichus. de man. teſtam.* imò Pamphilus liber eſto. ¶ Cauillatio, cùm quis ſcienter falſo argumento vtitur, *l. 1. de reg. Cat.* aut verba captat: nam, vt inquit Cicero *oratione pro Au. Cecinna*: Sermo hercle familiaris & quotidianus, non cohærebit, ſi verba in nos aucupabimur: denique imperium domeſticum nullum erit ſi ſeruulis hoc noſtris conceſſerimus: vt ad verba nobis obediant, non ad id, quod ex verbis intelligi poſſit, obtemperent. Extat & facetus Æſopi mythologi iocus, qui ſimulans domini iuſſus parere, vnicam lentem emit, quum ille indefinitè lentem emi mandaſſet. Quintilianus metaphoræ ſpeciem eſſe arbitratur, quum indefinita pro vniuerſali, ſingulare pro plurali ponitur. ¶ Hyperbole, exceſſus, vt quum lex probationes luce clariores requirit, *l. fi. C. de prob.* vel momento fieri iubet, quod ſatis eſt, ſi nullo extraneo actu interueniente fiat. *d. l. continuus.* Item quum Antonius Imperator ſe totius mundi dominum dixit, *l. deprecatio. ad legem Rhodiam. de iact.* qui nec Perſis, nec Scythis, neque Sarmatis vnquam imperauerit. Eodem pertinet & Conſtantij conſtitutio. *l. 2. C. de Fabricenſ. lib. 11.* Qui adorant, inquit, Fabricenſes noſtram æternitatem: quam hyperbolem Ammianus Marcellinus *Hiſtoriæ libro* 15. irridet. Fit quandoque hyperbole etiam diminutionis cauſa, vt quum locationem dicimus vno nummo fieri. vel quum fundum appellamus palmum terræ: cuius rei Accurſius meminit. *l. cùm poſt. §. gener. de iure do.* & hac ratione dicit conſtitutum ne ſtipulatio fundi in genere valeat, quia dandu palmum terræ debitor liberaretur: videtur, opinor, ipſe Accurſius Ciceronis carmen in ioculari libello, *Fundum Varro vocat, quem poſſim mittere funda. Ni tamen exciderit, quà caua funda patet.* Hyperboles etiam exemplum eſt in contractibus, vt cum qui venditor commendans, dicit, meliorem eſſe equum, qui ſit in Italia: huiuſmodi enim generalitas tanquam *ὑπερβολικῶς* dicta non obligat, idque pleriſque videtur. ¶ Eſt & Anaphora id eſt relatio, cuius varia exempla in iure habemus, cùm & ipſa varijs modis fiat: quandoque non fit relatio ad eandem dictionem in principio orationis, *l. 2. in prin. C. de off. præfect. præt.* quandoq; nõ fit ad dictionem, ſed ad tẽpus: vt cùm lex dicit, *l. suõ. de ſuis & leg.* nepotes poſt aui mortem conceptos illis agnatos dici non propriè, ſed per abuſionẽ, vel potius *ἀναφορικῶς*. quandoq; alijs modis. ¶ Eſt & Epanalepſis, cum maiore ſignignificatione facta repetito, *l. Baliſta. ad Treb.* quam ſimpliciter nos geminationẽ dicimus: & multi effectus eſt ſiue clauſulam geminatã dicamus, ſiue ſolam vocem, vt ſi princeps iudici dicat, tu tu cognoſcas, nõ demandabit alij cauſam, vt Baldus putauit. *c. ſi. de off. de leg.* Illud non dubium geminationem ex interuallo factam maiorem vim habere, quod & communiter proditum eſt. Iaſo. *l. 1. de offi. eius.* Eſt & alia geminationis ſpecies, quæ in vitium tranſit, & nullius effectus eſt, vt Periſſologia, id eſt, verborum adiectio ſuperflua, quam & Conculcationem noſtrates vocant, gl. *l. decl. q. ſi cer. pe.* cuius quoque exempla plurima in Iuſtiniani Authenticis habemus. Vlpianus. *l. 1. de ædil. edic.* Vitium morbúmque ædiles dixerunt tollendæ dubitationis gratia *ἐκ παραλλήλου*. id etiam à grammaticis *τὸ αὐτὸ* dicitur. Quandoque eorundem verborum inducitur repetitio, quæ Battologia eſt, cuius exemplum apud Ouidium *Metamorph. lib. 11.*

Et me mihi perfide prodis,
Me mihi prodis ait.

Quandoque huiuſmodi geminatio diuerſam ſignificationem inducit, *l. gerit. de acqu. her.* vt cum dicimus, qualis pro qualicunque: vbi vbi, pro vbicunque. ¶ Eſt & quæ Nugatio dicitur, gl. *l. ſi. debitor. §. 1. quibus mod. pig.* cum quis verbis quidem aliquid dicere videtur, efficitur verò nihil: vt cùm creditor alienationi pignoris conſentit, ſaluo iure ſuo. ¶ Eſt etiam Parallage, quæ per literarum tranſmutationem fit, vt in eo, qui cùm Cratinum ſeruum ſolum haberet, Craſtino libertatem legauit. *l. qui habebat. de fid. li.* valet enim legatum. Cui non abſimile quod dicitur de eo, qui monumentum inſtar illius, quod erat Publ. Septimij Demetrij, fieri iuſſerat, cùm ſolùm reperiretur, quod erat Publ. Septimij Damæ. *l. an teſtamento. de condit. & demonſt.* ¶ Eſt & ſubauditio, qua ſæpe Iuriſcõſultus vel taxatiuam vel augmentatiuam dictionem ſubintelligit. In taxatiua exemplum eſt apud Venuleium, *l. fi. ff. de ædil. edict.* cùm morbum ſonticum dixit, qui perpetuus noceret, non qui tempore finiretur: ſubauditur, tantùm. Sed quid ſi, ex tempore cum antiquis codicibus legas, id eſt, ſtatim? Melius itaque Vlpianus, Furti actionem, *l. 1. furt. aduer. naut.* non dominus rei ſubreptæ, ſed & ipſe habet: intelligitur enim nõ dominus tantùm. Sic Cice. *lib. de Offic. 2.* eam orationem ſuſceptam dicit, non de filio, ſed de toto genere: ſubauditur, de filio tantùm. Augmentatiuæ exemplum eſt apud eundem Vlpian. *l. 3. §. fi. de mun.* dum ſcripſit, Si duo filij in poteſtate patris ſunt, eorum munera patrem non ſubire: intelligitur enim, maximè ſi in poteſtate: nam nec emancipatorum quidem ſubit. Idem apud Calliſtratũ. *l. ſcio. de in integ. reſti.* Scio, inquit, propter rem minimam vel ſummam quemque non reſtitui, ſi maiori rei præiudicetur: ſubauditur, maximè. ¶ Eſt & Amphibologia cùm ambiguitas oritur, vel ex ſingulis vocibus, vel ex coniunctis, de qua elegantiſſimè per Fab. Quintilianum *lib. 7.* noſtri Iuriſconſulti ſub rubrica, de

rebus

rebus dubiis, pleraque attigere. Huic affinis eſt & ille locus quem tractatum περὶ ἀπόρων veteres dixerunt, *l. qui.* 400. *ad legem Falcidiam.* fit, quoties quicquid conſtituerimus verum eſſe, falſum reperitur. Eòdem etiam pertinent quæ perplexa dicuntur, quorum exemplum & in ſucceſſionibus & in ſtipulationibus habemus. *l. æquiſſimum. ad Tertul. l. ſi Titij. de verb. oblig.* ¶ Eſt & τμῆσις, id eſt, ſectio cùm vox in duas partes diuiditur: vt cùm lex iubet ſatis poſſeſſorem dare, *l. quo ſi de ſpecial. de minor.* vel vſu hominem cepiſſe ait, id eſt, ſatiſdare, & vſucepiſſe. *l. ſi poſt accep. de iudic.* ¶ Eſt & Dialyton, cùm ſine coniunctione aliqua clauſula conficitur, noſtri appellant ſolutam orationem. *l. ſæpe. ǁ. eod.* figura non ſolùm nobis cum Grammaticis communis, ſed etiam cum Rhetoribus. ¶ Eſt & quandoque Ironiam reperire, cùm verba oppoſitum eius indicant, quod nos reuera ſentimus: Latini etiam diſſimulationem vocant: vt cùm lex, Pater, inquit, filium exheredauit, *l. cum quidam. C. de legat.* maximam ſcilicet ad illum affectionem oſtendens. Videtur & quandoque Iuriſconſultus per Oxymorum ſeu Gryphum, qui ænigmatis eſt ſpecies, voluiſſe lectorem morari: vt cum dixit. *l. anniculus. ǁ. eod.* ante diem 10. Kalendarum, & poſt diem 10. Kalendarum: vtroque ſermone 11. dies ſignificari, quod loco ſuo explicaturus ſum. ¶ Eſt etiam παρυπόνοιαν, cùm præter expectationem aliquid reſpondetur: vt promittis centum? tu reſpondes. Arma virúmque cano. *l. qua extrinſecus. de verb.* eius exempla apud Ariſtophanem pleraque. Sed & Plautus *in Aſin.* Ad pedes quando alligatus es, æquum centupondium vbi manus manicæ complexæ ſunt, atque adductæ ad trabem, nec dependens, nec propendens, quin malus, nequámq; ſis: hæc enim verba. quin malus, nequámq; ſis, ſunt per παρυπόνοιαν dicta. non multùm illi abſimilis ἀπόπτωσις. cùm à propoſito quis cadit, hoc eſt, ἀπὸ τοῦ, Malum eſt, inquit Auguſtinus, cadere à propoſito, 7. *q.* 1. *certè.* ſed peius ſimulare propoſitum. In id vitium incidiſſe videtur Modeſtinus. dum ſub rubrica de pignoratitia actione. C. Seium, quem prius creditorem appellauerat, debitorem dicit: ſi tamen fidelia ſunt exemplaria. ¶ Eſt & Tractus, cùm verbo vtimur quod non ſolum ad præſens tempus refertur, ſed futurum quoque comprendit, quod Iuriſconſulti ſolent παρατατικῶς dicere. *l. Caius. de pigno. act.* id eſt, cum extenſione: vnde apud Græcos præteriti perfecti nomen. Vlpianus: Si inteſtatus mortuus eſſet, *l.* 1. *vnde leg.* παρατατικῶς non ad mortis tempus referuntur. Sed & alibi hæc verba, neque defenderetur, *l.* 3. *ex quibus cauſ. in poſſ.* παρατατικῶς ſcripta ſunt, vt neque ſufficiat vnquam defendiſſe, ſi non duret defenſio: neque obſit, ſi nunc offeratur, Qua ratione, egerit, quandoque interpretamur, id eſt, agere perſeuerauerit. ¶ Eſt & δύναμις quæ & poſſibilitas. Sabinus. *l. aduerſus. de arbi.* qui à fideiuſſione petit τῇ δυνάμει, à reo petit: nam pleraque verba, quæ effectum ſignificant, ad potentiam ſolùm referuntur, vt cùm lex dicit: Si aqua pluuia noceat, id eſt, nocere poſſit. *l.* 1. *in princ. de aqu. plu.* Sic committunt ſe partes prætori, *l.* 1. *§. & poſt. de oper. no.* id eſt, committere poſſunt. Sic competit, id eſt, competere poterit. *l. ſi quis prioris. in princ. C. de ſecun. nupt.* Sic finitum dicitur, quod finiri potuit. *l.* 1. *C. de pœn.* Is quoque modus loquendi ad figuram pertinet, cùm præſumptum pro vero ponitur: vt magnum damnum non eſt in mora modici temporis, *l. ſi debitori. de iudic.* id eſt, eſſe non præſumitur. Et natus in domo vicinis ſcientibus eſt filius, id eſt, eſſe præſumitur. Et ratio eſt, quoniam præſumptio pro veritate in iure accipitur. *l. fin. de probat.* Sed & quandoque id appellamus eo nomine, quo prima fronte videtur, licet eiuſmodi non ſit: vt cum lex accuſatum arbitrio iudicis, *l.* 1. *de cuſt. reor.* pro innocentia perſonæ remittit: intelligitur enim prima facie innocentem, licet diſcuſſa cauſa reus appareat. Sic & quandoque ab eo quod fieri debet, quid nomen accipit: vt cum dicimus, intelligi, id eſt, intelligere debeo. 22. *q.* 5. *quacunque.* Appellauit propter violentiam iudicis, *l.* 1. *§. ſi quis ipſius. quando appel. ſit.* id eſt, appellare debuit. ¶ Allegoriam autem non temere apud Iuriſconſult. reperies: cùm enim perpetua & remota ſit tranſlatio: apud nos in vſu eſſe nequit, qui ex verbis voluntatem coniicimus: alioqoin quot capita, tot eſſent ſententiæ, veſúmque id carmeo faceremus quod à Iaſone audiui, cùm de recentioris cuiuſdam in tractatum de pactis, interpretationibus ſentẽtiam rogatus eſſet: Campana ſonat, *l. pelnis.* phantaſticus quod ſomniat. Sunt tamen qui huc trahant cum Iuriſconſultus ait: *l. imperium. de iuriſdi. om.* Imperium eſt gladij poteſtas, nec enim de fabrili gladio materialiter, vt ita loquar, dicitur. ſed ἀλληγορικῶς de iure puniendi facinoroſos homines. ¶ Sunt & alia figurarum genera, quibus etiam Iuriſconſulti vtuntur, veluti quod vni rei proprium eſt, alteri damus nomen, quale eſt apud Iuſtinianum in procemio Inſtitutionum: is quod armis proprium eſt, legibus tribuit. & vice verſa. Sic enim apud eum ſcriptum eſt, Imperatoriam maieſtatem non ſolùm armis decoratam, ſed etiam legibus oportet eſſe armatam. Sed eo figuræ dicendíque genere ideo vſus eſt Imperator, vt oſtenderet leges, & arma mutuis indigere auxilus, ſicut in ea re teſtis eſt idem Imperator. *l. vnica. C. de Inſtit. eod. confi.* Iſtorum enim (inquit) alterum alterius auxilio ſemper eguit, & tam militaris res legibus, quàm ipſæ leges armorum præſidio ſeruatæ ſunt. Idem penè quoque expreſſiſſe mihi viſus eſt diuinus ille Pſaltes, Non in curru meo ſpetabo, ſed per arma legéſque cuſtodit Dominus. Conſimili ferè figura vſus eſt præcipuus apud Latinos Poeta Vergilius *lib.* 9. *Æneid.*

Vngere tela manu, ferrúmque armare veneno.

Sed & armari iura gladio dixêre Imp. Conſtantius, & Cõſtans. *l. cùm vir. C. de adul.* ad pop. Romanum in hæc verba reſcribẽtes, Cũ vir nubit in fœmina viros paritura quid cupiatur, vbi ſexus perdit locũ? vbi ſcelus eſt id, quod nõ proficit ſcire? vbi Venus mutatur in alteram formã? vbi amor quæritur, nec videtur: Iubemus inſurgere leges, armari iura gladio vltore, vt exquiſitis pœnis ſubdantur infames qui ſunt, vel futuri ſunt rei. ¶ Vtuntur & Iuriſconſulti & Impp. Anaſtrophe, quam Fabius Quintil. reuerſionem vertit, qualia ſunt vulgò, mecum, tecum, ſecum, apud Oratores & Hiſtoriographos, quo de, qua de re, quibus de rebus agitur. Exẽpla ius ciuile diligẽtiſſimis oculis perluſtranti fient obuiam. ¶ Plurimus quoq; gnomarum eſt (quas ſententias dicimus) vſus apud Iuriſcõſultos. Huius eſt hæc ad rem tantum relata. Vlpianus, *l.* 1. *de pact. ff.* Quid enim (inquit) tam congruum humanæ fidei, quàm ea

quæ inter eos placuerint ſeruare? idem *lib. 27. ad Edictum. l. 1. de conſtit. pecun. ff.* Hoc (inquit) edicto prætor fauet naturali æquitati, qui conſtituta ex conſenſu facta cuſtodit. Quoniam graue eſt fidem fallere.

¶ Gnomatum ornatu, grauitate ponderéq; omnia ferè M. Ciceronis ſcripta ſunt: ex quibus excerpti ſunt ſelectiorum ſententiarum libri. ¶ Epiphonemate etiam vſus eſt Imperator Iuſtinianus. *l. 2. §. qui omnes. de veter. iu. enucle. C.* Is enim poſt narratam Digeſtorum, ſeu pandectarum diſtributionem, ita acclamare mihi viſus eſt: & à nobis (ait) ad tanti operis conſummationem electa ſunt. Simili figura vſus eſt & Vergilius *lib. 1. Æneid.*

Tanta molis erat Romanam condere gentem.

Noemate ſæpiſſimè vtuntur Iuriſconſulti: dum ea, quę non dicunt, intelligi volunt. Huius ferè generis ſunt permulta Scæuolæ reſponſa. Eo etiam vtimur in ſeruitutibus. Nam ſi quis mihi ius hauriendæ aquæ conceſſerit, ius adeundi conceſſiſſe intelligendus eſt, idque Neratius Priſcus *lib. 3. Membranarum.* apud Vlpianum ſcribit. *l. 3. §. qui habet. ff. de ſeruit. ruſt. præd.* Huc pertinent quæ de ſubaudito intellectu edilleruerunt variis in locis interpretes.

¶ Porrò Viſcelius, & Celſus apud Marcum Fabium enthymema figuram faciunt. Eſt autem enthymema (diffinitore Fab.) commentatio: habétque vnum intentum, quo omnia mente concepta ſignificat. Huius tria ſunt genera: vnum de quo iam nunc dicebamos: alterum, quo ſententiam cum ratione, aliquando etiam ſine ratione: tertium, quo certam quandam argumenti concluſionem, vel ex conſequentibus, vel ex repugnantibus: quanquam (inquit Fabius) de hoc parum conuenit. Hoc figuræ, aut (ſi malis argumenti) genere permultæ leges conſtant extántque in Codice Iuſtinianeo. Huius generis eſt Imper. Diocletiani, & Maximiani ad Menelaum conſtitutio *l. actor. C. de probat.* Actore (aiunt) quod aſſeuerat probare ſe non poſſe, reum neceſſitate monſtrandi contrarium non adſtringi: cùm per rerum naturam factum negátis probatio nulla ſit. Efformemus igitur enthymema. Propoſitio. Reus, quod adſeuerat actor, probare non debet. Ratio. Nam is, qui negat probare, non debet per rerum naturam. Pronuntiatum ſiue propoſitio probatur ſuperiùs adducta conſtitutione. Hoc diui Antonini reſcripto iuuatur. *l. 3. C. de edend.* Qui accuſare (inquit) volunt, probationes habere debent. Sed & ei, qui dicit, incumbit onus probandi: vt ait Iulius Paulus *l. 2. ff. de probat.* Innumera extant reſcripta enthymemate circumacto conſcripta. Perſpiciet igitur Iuriſconſultus futurus quantum ſibi adiumenti adſerant artium miniſtræ. Grammatica ſcilicet, Rhetorica, & diligens diſſerendi ratio, quam Dialecticen appellant. Nam ſi his deſtitutus, iuri operam dederit quis, ſenſus ſuos ludię inertes, oleum & operam perdit: & illotis (vt eſt in prouerbio) pedibus manibúſque ad iuris ciuilis ſtudium fruſtrà ſeſe confert.

Schematum anacephalæoſis.

¶ Quum ſchematum vſus verbis iucundúſue ſit, ſi modò velut parcè aſperſo condimento vtamur, meritò virtutis nomen ea meruêre. Defendi autem poſſunt, auctoritate, vetuſtate, conſuetudine & ratione. Schematôn tria ſunt genera, figura, virtus, vitium. Figura aut ſunt λέξεως aut διανοίας. Schematon lexeos duo ſunt genera: alterum loquendi rationem vocant: alterum, quod ad collationem maximè exquiſitum eſt: illud Grammaticum, hoc Rhetoricum eſt. Ad Grammaticum pertinet orthographia. Orthographiæ ſpecies ſunt, prothesis, epenthesis, paragoge, ſyncope, apocope, ectaſis, ſyſtole, ſynalepha. Ad Grammaticum ſchema referri poteſt prolepſis, zeugma, ſyntheſis, ſynecdoche, &c. Ad Rhetoricum ſchema pertinent, Epanalepſis, paronomaſia, aſyntheton, ſimiliter deſinens, complexio, &c. Figuræ autem διανοίας, mentis ſunt, vel Fabio teſte. Ad virtutes pertinent tropi. Eſt autem tropus (vt M. Fabius definit) verbi vel ſermonis à propria ſignificatione in aliam cum virtute mutatio, vt metaphora, &c. Qui à figuris differant, tradit idem *lib. 9. c. 1. Inſtit. Orator.* ¶ Ad vitia tandem deueniendum eſt, qualia ſunt κακόφωνον, μείωσις, ταυτολογία, μακρολογία, πλεονασμός, Solœciſmus quoque rarò occurrit, tametſi ſunt qui à Solone legumlatore dictum putent, quòd is in legibus ſuis pingui minerua loquutus ſit: noſtri enim auctores, puri ſermonis obſeruantiſſimi fuêre: niſi quis ſolœcum putet cùm Vlpia. *l. 5. ad Syl.* ſi quis in graui valetudine affectus: præpoſitio enim abundat. Cúmque Caius teneri venditorem ad intereſſe dixit, *l. quod ſæpe. in fin. de contrah. emp.* cùm id in quod intereſt dicendum fuiſſet. Sed excuſatur exemplo Græci ſermonis: ſicut & Perſius, *Noſtrum iſtud viuere triſte.* Et Vergilius: Donat habere viro. Quod & Fab. Quintilianus annotauit. Eſt & ſolœci ſpecies, quam ἀντίπτωσιν dicere poſſumus, cùm caſus pro caſu ponitur: vt eam quam frater inſtituit, *l. eam quam. C. de fideic.* nihil prohibet fideicommiſſum peti: pro ab ea qua. Cui ſimilis ἀλλοίωσις, cùm numerus pro numero ponitur, *l. qui cum tutoribus. in fi. de tranſact.* cuius exemplum non rarò occurrit. Barbariſmus verò procul omninò abeſt, tametſi vulgari conſuetudini non parum tribuiſſe Iuriſconſultos appareat: vt cùm liberum pro filio ſingulari numero dixerunt. *l. agnationis. ff. de pact.* & exorciſare, cantaminibus mederi, *d. l. 1. de var. cog.* ex vulgari impoſtorum verbo: & denaria neutro genere. *l. Publia. dep.* ſed vtrunque à Græco acceptum eſt. Quapropter & in Modeſtini reſponſis de excuſatione tutorum, & in Iuſtiniani authenticis, non ſpectandam Latinitatem faterer, quandoquidem eos conſtat Græcè ſcripſiſſe, eorúmque libros in Latinum ſermonem ab homine verſos, qui nec Græcè, nec Latinè ſciuerit, Laurentius tamen Valla, vt maximæ vir doctrinæ, ita & ſupra vires ſuas audax, nec à Iuriſconſultis quidem temperauit, quo minus illis diem diceret, & de verborum quorundam ſignificatione, ceu Latinæ maieſtatis læſæ reos faceret: cuius accuſationis nouem & viginti capita breuiter ego confutanda duxi, tum vt tantam eius arrogantiam neſcio certè φιλαυτίαν, aliquatenus retunderem, tum vt hi literatores non eſſe temerè à noſtris recedendum cognoſcerent. & verior à Iuriſconſultis, etiam in alienis profeſſionibus tradi, quàm ipſemet Valla alioquin Grammaticorum præſtantiſſimus, in propria arte commentari potuerit.

APOL

¶ Primò Iuſtiniani ſententiam non approbat, noxam appellantis ipſum quoque ſerui corpus quod nocet, noxiam verò maleficium, qua in re & Beroaldum ſectatorem habuit. Ego apud veteres Noxam à nocendo dictam inuenio, vnde præter pœnam etiam nocomentum ſignificare. Ouidius, Sine ooxa luce bibuntur. Meritò ergo ſeruus qoi nocuit, noxa dici poteſt, ſicut & [illegible] illa Homerica, noxa appellatur. Noxia verò, ipſa eſt culpa ſeu maleficium. Plautus *Bacchid.* Sat ſic ſuſpectus ſum, cùm careo noxia. M. Manl. Quintiam infelix virtus & noxia felix. Vnde meritò Seruius Virgilium ooxam pro noxia dixiſſe ſcripſit, Vnius ob ooxam. quo exemplo & alij veteres ſæpius vtuntur, quod & alibi attingam. *l. plebs. §. fi. de ver. ſig.* ¶ Secundò Iuſtinianum irridet, qui teſtamentum dixerit, *Inſtit. de teſta. ordin. in prin. & ibi Viglius*, teſtationem mentis eſſe, auctoritatéque A. Gell. *lib. 6. c.* 12. vtitur, alioquin & ornamentú, veſtimentum, pauimentum, idq; genus ſimilia à mente deducerentur. Quod argumentum diluit Viglius *lib. 2. Inſtit. ſub tit. de teſtam. ordin.* optima ſanè ratione, aitque Seruium Sulpitium & Iuſtinianum non etymologiam tradere, ſed tantùm ad ſimilem vocem alludere voluiſſe. Quæ ſententia plurimis eruditiſſimis viris probata eſt. Reſpondro, non etymologiam ibi Iuſtinianua adducit, ſed alluſionem, qualem Grammatici paronomaſiam, Rhetores pariſon habent, cóformitas ſpectatur: quod & Fabium Quintilianom non latuit, cùm non ad originem vocis, ſed ad ſoni ſimilitudinem referatur, vt hoc caſu eò melior ſuit alluſio, quod veritatem etiam reſpicit: io teſtameotis enim meoa potiſſimùm dominatur. ¶ Tertiò oegare videtur mulieris appellatione virginē cótineri, quod Caius *l. mulieris. ǰ. eo.* affirmauerat. at ego idem aio, cùm ad ſexum hæc vox refertur. quandoquidem oec etymologia repugnat, cùm Lactãtio auctore, à mollitie mulier dicatur. ¶ Quartò aduerſari Martianum Vlpiano ait, quòd ille munus rectè dici, quodcunque dooom ſit. hîc donom generis nomen. munus ſpeciei aſſeruerit. ſed difficillima non eſt reſolutio, cùm munus generaliter acceptum. etiam officia & onera comprendat, tum etiam qoamconq; largitiooem ſignificet, ſioe cum cauſa, ſiue abſque cauſa: at ſi ſpecialiter pro largitione tantum ponatur, tunc largitionem cum caoſa. Nec mirom eſt eandem vocem & ſpecialiter & generaliter accipi, vt in iuriſdictione adoptionéqoe dicimus: quam rem ſicut & alias pleraſque alibi, nimirum locis ſuis, diffuſius tractabo. ¶ Quintò, Vlpiani ſententiam confutat, *l. depoſit. §. peculium. de verb. ſign.* peculium poſillam pecuoiam appellantis: confingítque abſqoe aliquo auctore peculium id eſſe, quod quis iodustria ſua lucratur: at aliter ex auctoribus dicẽdum eſt, qui peculium patrimonium teſtatoris appellant, quia olim cenſus Romanorom in pecore erat, vnde & pecunia dicta: cæterùm quoniam diminutiua forma peculium profertur, pro parte cenſus accipi cœptum eſt, qualem ſeruis domini concedunt, qualémq; filijfamiliàs à patre ſeparatim habent. addit & Celſus *l. ſi chorus. ff. de leg. 3.* ex cóſuetodine ruſticorum ſenum ſic eam partē patrimonij dici, qoam quis in numerato, & ad caſus repentinos repoſitam habet. Græci theſaurum dicunt, quòd repoſita ſit [illegible], id eſt, io craſtinú ſeu futurum tempus ſrueoda: vnde & [illegible] reponere eſt. ¶ Sextò iu Modeſtinom inuehitur, qui poſſeſſionem dixerit ab agro iuris proprietate diſtare: ridiculúmque & imperitom eom aſſerit, qui ſubſtantiam rei definire volens, de qualitate diſſeruerit. At ego (Valla) reſpondeo, quod alij obiicis vitiom, id tibi eſt, qui neſcis veteres poſſeſſionem appellaſſe fundum per vſucapionem acquiſitum, quo caſu oon iure dominij in eius vſu defendimur, ſed auctoritate legis: atque ita in lege XII. Tab. accipi Feſtus quoqoe Pompeius auctor eſt. Vnde apparet, non qualitatem, ſed ſubſtantiam à Modeſtino diffiniri: quod in eius reſponſi declaratione infrà latius oſteodetur. ¶ Septimò, io Nouali viſus eſt à Paulo diſſentire, *l. ſylua. §. nouális. de verb. ſign.* dum terram proſciſſam eſſe, quæ anno ceſſet, Paulos ait: Valla etiam Nooale dici, aruum nuper, & cum magna cura ad culturam redactum: ſed & id, opinor, non negaſſet Paolus. ¶ Octauò librum interpretator partē operis, vt puta duodecim ſunt libri Æneidos: volumen verò minus eſſe libro, ex Plinij auctoritate: Qui tres, inquit, libri ſunt in ſex volumioa propter amplitudinem diuiſi. & ideo Vlpia. *l. librorum. §. ſi cui. de leg. 3.* ſeotentiam confutat, qui, Si cui centum, inquit, libri legati ſunt, centum volumina ei dabimus, non centum quę quis ingenio ſuo meritus eſt, vt Homeri 48. Sed ſcieodum eſt, non de ſignificatione verbi agere Vlpianum ſed de mente defuncti: quam, nemo eſt tam à naturali ratione abhorrens, qui probaturus non ſit talem eſſe, qualem Vlpianus credidit. quòd ſi in modò loquendi eum Valla reprobat, rectè Iuriſconſoltum loqoutum aſſero, & quid ſibi vellet neſciuiſſe Vallam, ſiquidem ſolebaot veteres in pugillaribus ſcribere, quos inoolutos, & duobus incluſos vmbilicis manu geſtabant: vnde & enchiridia Græcis dicũtur, nobis à pugno pugillares, & ab inuolutione volumina: fiebant autem non ſecundum librorom diſtinctionem, ſed ſecundum geſtantis commoditatem, quod ſatis Plinius ipſe oſtendit. Cùm igitur Vlpianus non de diuiſione librorum ab auctore facta, legatum illud ex mente teſtatoris intelligeret, ſed ex diuiſiooe qoam teſtator in concinnando, vnicóque corpori conglutinando fecerat, dixit 48. libros, id eſt, vnum Homeri volomen pro libro accipiendos, nimirum voluminis voce metaphoricòs vſus, vt ſicut vnum corpus in pugillaribus, etiam non obſeruata auctoris in libros diuiſione, volumen dicitur: ita in codicibus, cum aſſerculis tabuliſve conciunatis, vnum corpus etiam volumen dicitur, cum nec etymologia repugnet. vnica enim inuolutione conſtat. Qoòd ſi probatur Virgilij, Valeríjque Max. loquutio, qoi volumen in cauda ſerpentis dixerunt, quantò magis probandus eſt Iuriſconſulti ſermo, propter maiorem rei affinitatem longè clarior? cùm & Cicero librum pro corpore accepiſſe videatur, *Epiſt. ad Quint. frat. lib.* 2. Sed vtros eius habueris libros (duo enim ſunt corpora) an vtroſque neſcio. ¶ Nono, probrum & opprobrium Vlpian. *l. probrum. de ver. ſig.* idem eſt, ioquit: Valla Probrum ipſum dedecus eſſe, opprobrium dedecoris exprobrationem: non tamen negat & apud Ciceronem ad Atticom, & apud Liuium, probrum etiam pro ipſa dedecoris exprobratiooe poni: vnde ſatis defeoditur Vlpianus, qui non generalem definitionem horum verborum poſuit, ſed in edicto prætoris declarauit idem ſignificare. ¶ Decimò, Modeſtinum *l. ſtuprum.*

de adult

de adult. inſectatur, qui adulterium in nuptam committit, ſtuprum in viduam, virginem, puerúmve ſcripſit. nam eaſtimat Valla etiam adulterium ſtuprum dici poſſe auctoritate Quintiliani. Sed vt ego non negauerim generalius eſſe ſtupri nomen, vt quod à turpitudine dicatur, vnde & Plautus *Amphit.* Stupri dedecoris à viro argutam meo: ita Modeſtini verba nõ rectè intellecta affirmauerim: cum enim concubitus cum nupta ſpeciale adulterij nomen habeat, non fuiſſe ſatis generali ſtupri voce vti: id enim propriè dicitur, quod peculiari, & ſibi tantum conuenienti voce appellatur, vnde & proprium pro peculiari doctiores accipiunt. *Virgil.*

Hunc mihi da proprium virgo ſata noćte laborem.

Quintilianus quoque optime id proprium interpretatur, quo nihil inueniri poteſt ſignificantius. ¶ Qua ratione & vndecimum accuſationis caput non conſiſtit, dum Paulum damnat, *l. Iuriſconſultus. §. parentes. de gradib.* qui parentes vſque ad Tritauos proprio vocabulo dici aſſeruit, vlteriores verò maiorum appellatione contineri. nam quamuis etiam maior dicatur pater, auus, proauus, tamen hoc non eſt proprio, id eſt, ipſis tantùm conuenienti nomine, ſed generali. Iuriſconſultus autẽ de propriu vocabulo agit. ¶ Duodecimò, Vlpianum improbat, *l. initratum. de verb. ſign.* qui dixerit non dubium eſſe, quin ſtragula veſtis ſit omne pallium: ſed incidit Valla in deprauatos codices. Vlpianus enim nõ omne pallium, ſed omne ὑπόστρωμα ſcripſit, certiſſimum autem eſt, Græcè ſic dici omne quod inſternitur, & circum iniciatur. ¶ Decimotertiò, Officij apud Vlpianum differentiam damnat, qui Verberare dixit, *l. Cornelia. ff. de iniuriis.* eſt cum dolore cædere. Pulſare ſine dolore: atque verberare potius eſſe cum verbere, ſeu flagello cædere: pulſare cum graui & vehementi ictu. Sed profectò Iuriſconſultum non latuit: verberare à verbere, flagello, ſeu ferula dici, vt qui alibi atteſtatus ſit, verberaſſe abuſiuè dici & eum qui pugnis ceciderit, ſed in lege Cornelia, quam tũc interpretabatur, quæ actionem iniuriarum ei dabat, qui ſe pulſatum verberatumve diceret. nõ potuit alia capi interpretatio. ſi enim Vallam ſequeremur, qui ſine graui impetu ſaxo percuteret, verbis legis non contineretur, quia ſaxo non diceretur verberaſſe, qui ſine impetu non pulſaſſet, quæ ſententia oppido quàm futilis eſt. Meritò Iuriſconſultus maluit verberare cum dolore in ea lege accipere, verbo illo lata ſignificatione accepto: & pulſare ſine dolore, cùm frequentatiuum ſit a verbo pello, vnde fit pulto, pulſo. impellitur autem quis etiam ſine dolore. ¶ Decimoquartò, *l. Maſurius. ff. de ver. ſig.* Maſurij Sabini ſententiam non omnino videtur ſequi, pellicem pro concubina accipientis, quod apud Oratores pellex dicatur, quæ cum eo, cui vxor ſit, iungitur. Sed ego veram quoque Sabini ſententiam arbitror: ſiue enim à Græco παλλακὴ veniat, ſiue Latina ſit vox, à pelliciendo, quod auctoritate Plauti *in Pænul.* magis probo, qui Allex fieri ab alliciendo dixit, vtraque etymologia interpretationi Sabini conuenit, cui & Q. Curtij & Iuſtini auctoritas accedit: quorum veterem ſcripturam interpollauere pleríque Vallam ſecuti: cùm eos ex antiquis codicibus conſtet pellicum ſcripſiſſe, non pallacarum, quæ vox ante Plinium Tranquillum in ſermone Latino nulla erat: in Græco verò non aliud ſignificat quàm pellicem, vt appareat Vallam quíque ei conſentanea tradiderunt, pellicis ſignificationem non ex auctoribus accepiſſe, ſed regula planè Lesbia vſos, auctores ipſos inuertiſſe: vt id quod ipſi ſentiebant, atteſtarentur. ¶ Decimoquintò, *l. ſi calumnietur. ff. eo.* Caium obliquè perſtringit, qui ſentire videatur, idem eſſe cauillari & calumniari, ſed quomodo hoc Valla collegerit, non video: cum enim Caluiri verbum apud veteres eſſet fruſtrari, metaphora a caluis militibus ducta, quãuis & Cauillatio, & Calumnia inde deducatur, non tamen conſequens eſt, alterum cum altero idem eſſe: ſicut cùm dicimus, à verto fit verſus, & verſura, non ſequitur verſuram idem quod verſum eſſe. Rurſus impetit Vlpian. *l. natura. ff. eo.* quoniam Cauillatio dicatur etiam ſi ab euidenter veris ad falſa non fiat tranſitus. Reſpondeo, Vlpianum loqui quando cauillatio pro argumento ſophiſtico accipitur, quod Græcè non σκῶμμα, vt ipſe credidit, ſed σόφισμα eſt. ¶ Decimoſextò, præuaricari, tergiuerſari, calumniari, generalius accipienda eaſtimat, quàm Iuriſconſulti docuerint, nimirum oblitus, non docere eos ſimpliciter eorum verborum ſignificationem, ſed ſpecialiter in Se. Turpil. quomodo accipi debeant, vt eius pœnæ locus ſit. ¶ Decimoſeptimò, portare ait id etiam ſignificare, quod quis corpore ſuo baiulat, cùm tamen Iuriſconſultus aliter docuerit. Sed ego arbitror ex origine verbi Iuriſconſultum adiuuari: ſiquidem περαιοῦν Græcè, traiicere eſt, vnde Portus, in quem naui res deportantur: ſic & exercitũ nauibus deportari Liuius plerunque dixit. Quapropter etiam ſi quis iumento ducat, hac ſimilitudine portare dicitur, quod ſi ipſe ferat, non propriè, ſed μεταφορικῶς putauerim portare dici. ¶ Decimooctauò, Conuicium negat a vocum concertatione quaſi conuocium dici, & aduerſus Labeonis ſententiam, *l. item apud. ff. de iniur.* etiam ſine vociferatione conuicium fieri putat: ſentitque à vitio potius, vel a vitando deduci: qua in re, opinor, egregiè fallitur. quid enim tunc coniunctiua illa particula operaretur? Cur item ſi à vitio deducitur ſecundam ſyllabam producit conuicium? cùm conſtet vitium corripi: nam & Cicero, quem ipſe adducit, petulantiorem iactationem in conuicio requirens, pro Labeone eſt: vt miror eum tam leuibus argumentis, à recepta vbique Labeonis ſententia deſciuiſſe, quæ & orthographiæ ratione defenditur, cùm per c, conuicium non per t, ſcribatur. ¶ Decimonono, verſicolores Vlpianus appellat lanas, *l. cui. §. 1. de leg. 3.* quæ natiuum colorẽ mutarunt, ſiue purpura, ſiue cocco, ſiue alio colore infectæ ſint. Valla ex variis auctoribus oſtendit, verſicolorẽ aliquam rem dici, quæ variorum colorum ſint. Sed Vlpiani locum à Valla non intellectum arbitror, alioqui quæ à ſe dicuntur, ſatis agnouiſſet Valla, nihil Vlpiani ſententiæ aduerſari. Igitur ſciendum, ex origine vocabuli eam rem eſſe verſicolorem, cuius color in alium verſus ſit, ſicut & verſipellis, non cui varia pellis, ſed quia in aliam pellem verſus eſt, vnde homines in lupum mutati, verſipelles Plinio appellantur: Eadem ratione lanæ verſicolores dicuntur, quæ per tincturam in alium colorẽ ſunt verſæ. Dubitat igitur Iuriſconſultus, lanis verſicoloribus legatis quid contineatur: & primò reſpondet, legatis ſimpliciter lanis, verſicoloria apud veteres non comprenſa: legato verò lanarum verſicolorium,

eas

eas intelligi, quæ tinctæ ſunt & (quod dubitabilius erat) etiam netæ, dummodò neque detextæ, neque contextæ adhuc ſint: tunc enim non lanæ, ſed veſtimentorum appellatione continentur. *l. veſtimentum. de aur. & arg. leg.* Neta lana dicitur, quæ ſtamen & ſubſtamen eſt: detexta dicitur, cùm perfecta eſt, & à textrinis inſtrumentis detrahi poteſt: vnde & detexere, auferre eſt. Plautus: hunc ego hominem detexam pallio. Quapropter & Virgilius 10. *Æneid.* Dum texit Imaona Haleſus, id eſt, ſpoliat. Contexta eſt, quæ quidem in opere conſummato eſt, ſed, cui tamen deeſt prætextura, quam *Cimoſiam* vulgò vocamus. Ex his apparet verſicolores veſtes varij coloris idcirco dici, quia ex verſicoloribus lanis conficerentur: à qua ſimilitudine, & verſicoloria arma Virgilius, & verſicolorem plumam Propertius, & verſicolorem caudam Cicero dixit. ¶ Viceſimo penes, *l. penes. ff. de verb. ſig.* idem quod apud, ſignificare oſtendit, quum tamen Vlpianus ſcripſerit penes te, amplius eſſe, quam apud te. Sed nec Vlpianus puto negaſſet differentiam illam ſuam ab auctoribus quandoque confundi, quę tamen ex vi verbi veriſſima ſit: deducitur enim à dictione penitus, vnde & peniſſimus, & penitiſſimus, vt Plautus, cæterique antiquiores dixerunt. ¶ Viceſimoprimò, Vlpiani ſententiam confutat, qui victus appellatione etiam veſtem contineri ſcripſerit, cùm plurimæ gentes in Æthiopia abſque veſtibus æuum degant: quaſi Vlpianus Æthiopum leges interpretaretur, & non Romanorum, qui abſque veſtibus non viuunt, & quaſi qui in Italia victum amico legauerit, de eiuſmodi victu ſentiat, quo Æthiopes ſe tolerant, & non ipſi Itali, quo nihil abſurdius dici poteſt. ¶ Viceſimoſecundò, Pignus & Hypothecam idem eſſe cum Martiano ſentit, *l. res. §. inter. ff. de pig.* ſed alteram Græcam, alteram Latinam vocem: cùm tamen Vlpianus propriè eſſe pignus id dixerit, *l. ſi plures. §. pignus. de verb. ſignific.* quod creditori traditur, hypothecam cùm interuenit traditio: & ideo in mobilibus pignus, in immobilibus hypothecam eſſe. Sed hæc non tam Vallæ oppoſitio, quam ipſorum inter ſe Iuriſconſultorum quædam quaſi antinomia eſt: ea ſic diſſoluitur. Ex proprietate quidem ſermonis veram eſſe Vlpiani ſententiam, ſi quidem à pugno pignus dicitur, & ideo in rebus mobilibus oppoſitis ſic dici, in immobilibus verò ſolitos veteres Iuriſconſultos potius Græca voce vti, id eſt, hypotheca, quæ Latinè ſuppoſitio dici poteſt: & ad vtraque eorum ſermone trahitur. Catullus oppoſitionem dicit: Furi villula noſtra non ad Auſtri flatus oppoſita eſt, nec ad Fauoni, Verùm ad millia quindecim & ducenta: ſubaudiuntur autem ſeſtertia. ¶ Viceſimotertiò. Ferruminare dixit eſſe conſolidare, & conglutinare, non ſolum per eandem materiam, vt Iuriſconſulti tradiderunt, ſed etiam per aliam idque plurimis Plinij exemplis probat, qui ferruminari ſurculum, ferruminari aqua muros ferruminari in lapides dixit. Sed cum ferruminatio propriè ſit ferri ipſius vi ignis liquefacti conglutinatio, apparet metaphoricè hoc verbo vti Plinium, & ideo Iuriſconſulti ſententiæ nihil aduerſari. ¶ Viceſimoquartò, Pomponium, inquit, atque Vlpianum corrumpere linguam Latinam, qui quot menſibus, vel quot diebus ſcripſerint, pro ſingulis menſibus, ſingulis diebus: cui ego dixero, tale conuitium Plauto quoque M. Catoni, & denique doctiſſimo omnium Varroni commune eſſe. Plaut. *in Stich.* Meminiſtis quot Calendis petere demenſum cibum. Cato *de re ruſtica*, Capita oleagina quot menſibus fodere oportet. Varro, Sacra quot menſibus feruntur in arcem: quod ante nos & alij notarunt.

¶ Viceſimoquintò: Turbam non multitudinis hominum perturbationem, vt Labeo ſcripſit, ſed ſimplicem perturbationem, etiam duorum exiſtimat, & à tali perturbatione turbam pro multitudine dictam, quòd multitudo non ferè vacet perturbatione: vnde vulgatum carmen: Septem conuiuium, ſunt nouem conuitium. Sed mihi hæc controuerſia non admodum ei abſimilis videtur, quam Cenſorinus tradidit, priúſne ouum fuerit an gallina. Labeo prius ſignificatum turbæ id eſt multitudinis, atque inde factam poſteà perturbationem: tu perturbationem priorem contendis: ſed nec quos adducis auctores, ſententiam tuam adiuuant, qui μετ' ἐμφάσεως potuerunt turbam etiam duorum dicere: nec etiam Græcus ſermo τύρβη, in quo eadem poteſt eſſe hæſitatio: vt & demus opinionem tuam veriorem, in edicto certè prætoris, quod Labeo interpretatus eſt, probabilior eſt Iuriſconſulti ſententia. Verba edicti ſunt, *l. prætor. ſuprà de incend. ruin. nau.* [Cuius dolo malo in turba damnum quod factum eſſe dicetur:] ea non poſſunt commodè de perturbatione intelligi, quæ ſemper eum afficit, cui damnum infertur: neceſſario igitur de multitudine accipiendum.

¶ Viceſimoſextò, *l. 2. de iis qui not. infam.* Iulianum improbat, qui exauctorationem à principe ſimpliciter factam, ignominiæ notam inurere ſcripſit: contra Valla, cùm exauctorare ſit ſimpliciter militem miſſum facere, quod T. Liuij teſtimonio variis locis probatur. Reſpondeo, in veteri Republica hæc ſententia poſſet procedere, quo tempore ex ſolo commeatu vel ducis licentia milites exauctorabantur: verùm ordinata ab Auguſto ſucceſſoribúſque militia, à qua non niſi poſt viginti ſtipendia mittebantur, tributa quoque illis ſunt militaria inſignia, quorum detractio infamiam irrogat, quoniam non niſi turpi miſſione dimiſſis detrahuntur.

¶ Viceſimoſeptimò, Depectum ſimpliciter pactum ſignificare ait, ex auctoritate Terentij *Phorm.* Depaciſci mortem cupio: cùm tamen Vlpianus in edicto de calumniatoribus, depectus, dicat, eſt turpiter pactus. Sed mihi videtur & verba Terentij, & Vlpiani declaratione poſſe intelligi, *l. 3. de calumn.* & etiam Cicero *ad Her. lib. 2.* Depectus cum hoſtibus vt arma relinqueret. Sed & idem auctor *in Verrem actione 5.* Scito te biduum cibo tectóque prohibitum biduum in foro cuſtodiis detentum, neque antè dimiſſum, quàm ad conditiones eius depectus eſt. His accedit, quòd huiuſmodi præpoſitio, *de*, quandoque in malam partem accipitur, vt deſperatus, demens, dedecet, deformis, degener.

¶ Vigeſimooctauò, Lapillum ſi magnus eſt, gemmam eſſe adſerit: quo nomine & margaritam dici poſſe arbitratur, aduerſus Sabini, Vlpianique ſententiam, *l. etſi non ſunt. §. peruentamus. ff. de aur. & argent. leg.* gemmas pellucidæ materiæ eſſe exiſtimantium, vt ſmaragdos, chryſolithos, amethyſtos: non tranſlucentes verò, lapillos, vt obſidianos, & veientanos: at margaritas nec lapillos, nec gemmas eſſe, ſed conchas, ſeu vniones. Verùm vt in ſententiam Iuriſconſultorum ego tranſeam, illud

me in

me in primis mouet, quòd etymologia pro illis eſt: videtur enim gemma dicta quaſi gemina, propter tranſlucentem naturam. deinde videmus à ſimilitudine gemmas dici, vt Fa. auctor eſt, & in Catone Maiore M. Cicero. Vnde oſtenditur, non ideo dici gemmas, quia magnæ ſint. Idem & Plinij auctoritate conſtat, in annulis gemmas deferri adfirmantis: vnde & dactylothecæ dictæ, quod profectò maioribus non conuenit. Ad hæc, quæ rationes à Valla adducuntur, ſanè quàm frigidæ ſunt: Lapillus, inquit, generale nomen eſt: bene ſanè, ſed cum tranſlucet, peculiariori nomine gemma dicitur. Rurſus: Gemmas, inquit, accipimus multorum cubitorum inueniri. Accepit forte à Luciano de veris narrationibus: miraculi certè loco refertur alueolus trium pedum in triumpho Pompeij ex duabus gemmis. Subiicit: Quid ſi non pelluceant, quia adhuc incomptæ & imperfectæ? atqui ſatis eſt, ſi natura ſui pelluceant, poſſintque manu artificis in hunc vſum poliri. Addit, hac ratione etiam marmor Parium gemma eſſet, quia tranſlucidæ eſt naturæ: quaſi Iuriſconſultus omnia tranſlucentia definiat gemmam eſſe, & hunc honorem etiam ſpeculis tribuat, qui de lapillis, non de marmoribus loquitur.

¶ Poſtremò, inquit, reperiuntur qui partim pelluceant, partim non pelluceant. Reſpondeo, de his nihil à Iuriſconſulto dictum, & fortè ex regula iuris qualitas potentior in his obſeruaretur. Addit ſecum ſentire Q. Curtium, itémque Horatium. quorum alter, Lapilli, inquit, ex auribus pendebant candore & magnitudine inſignes: alter, Niueos, inquit, viridéſque lapillos. Ipſe quid horum verba ſententiæ noſtræ obſtent, non video, puto nec ipſe Valla ſatis norat, cùm abſque ſcrupulo ex Iuriſconſultorum diſtinctione poſſint intelligi. Illud non diffiteor, differentiam hanc inter gemmam & lapillum non ſemper ab auctoribus obſeruari, vt cùm Catullus dixit: Aut pelluciduli delitiis lapidis: aut Plinius cum generaliter ſub capite de gemmis, omnes lapillos deſcripſit: ſed Iuriſconſultus de proprietate loquitur, non de abuſu & tranſlatione.

¶ Viceſimunonò, Venuleij diffinitionem confutat, *l. fin. de ædil. edict.* qui veteratorem ex Celſi ſententia non ſpatio ſeruiendi, ſed ex genere & cauſa eſſe exiſtimandum ait: magiſque approbat hac in re Vlpianum, *l. pracipimus. eod. tit.* qui veteratores, trita & veterana mancipia appellat, quæ difficile ſit reformare. Quibus verbis apparet ſpatio ſeruiendi diffiniri veteratorem, ergóque hoc loco in Iuriſconſult. cornua tanquam contraria inuicem ſcripſerint: quem & alij recentiores ſequuti, pro antinomia nominatim hunc locum citant. Sed profectò æquius fuiſſet, & etiam magis nomini ſuo conſuluiſſent hi Grammatici, ſi intra profeſſionis ſuæ cancellos conſtitiſſent: quandoquidem vulgò dicitur, Quam quiſque norit artem, in hac ſe exerceat: non enim ſutores ſupra crepidam iudicaſſent, nec ceu teſtudines porrecto extra teſtam capite, periculis ſe obnoxios feciſſent. Igitur diſtinguendi tres ſunt caſus: Aut loquimur in venditore, ſeu mangone, qui mancipium diſtrahit, ex edicto ædilium non poteſt veteratorem pro nouitio vendere, túmque nouitius, ſecundum Vlpiani ſententiam, ex tyrocinio ſeruitutis accipitur, veterator qui diu ſeruiuit, & iam ea in conditione callum fecit. Aut loquimur in ipſo patrefamilias de ſeruis ſuis nouitiis. *l. fin. §. quoties. de public. in.* veteratoribúſque diſponente, & quia hoc omne ab eius ſententia dependet, pro nouitio habuiſſe videtur, quem nulli miniſterio præpoſuit: rurſus pro veteratore duxiſſe, quem in veteratorum numero habuit, vt quia muneri alicui præpoſuit, in quod veteratores deſcribi ſolent. Meritò igitur Celſum ſequemur, vt ex genere & cauſa conſtituamus, quem dominus pro veteratore habuit. Aut de cauſa vectigalis agitur: & cùm Reſpublica hac in re voluntatem emptoris ſeu patrisfamilias non ſequatur, ſimpliciter Veterator accipietur, qui anno ſeruiuit, Nouitius, qui minus anno: vt hic vectigal pendat, ille non pendat, & hoc caſu Marciani ſententia eſt probanda. Ex his igitur conſtat, non inuicem pugnantia ſcripſiſſe Iuriſconſultos, ſed diuerſa diuerſis caſibus tradidiſſe.

¶ Poſtremò fuere ex Grammaticis: qui Iuriſconſultos noſtros manifeſti furti arguerent, quòd bonam partem legis ſecundæ de origine iuris, itémque pleráque de officio præfecti prætorio, proconſulis, præſidis, a Feneſtella ſubripuerint, eius nuſquam facta mentione. Sed hi velim mihi eius rei fidem faciant, à Feneſtella Iuriſconſultum accepiſſe. qui enim titulo Feneſtellæ liber circumfertur, à Pomponio Læto ex variis auctoribus in quandam farraginem compoſitus fuit, eo indito titulo, vt vendibilior hoc nomine, impreſſoribúſque lucroſior fieret: idque ego à Iano Parrhaſio non ſemel accepi, qui ſuam quoque hac in re operam illi adhibuiſſe ſe teſtabatur: ſtylúſque ipſe planè indicat, vnius actoris opus illud non eſſe.

¶ Et hæc quidem in Laurentium præter animi mei ſententiam, vt qui minimè litigator, aut φιλέρτης ſim, ſcribenda duxi, quoniam eius exemplo adeo excreuerat quorundam grammaticorum inſolentia, vt in ſuis commentariis vbique errorem aliquem Iuriſconſultis noſtris impingerent, nimirum quod ipſi non perceperant, errori ſtatim adſcribentes. Spero autem cùm viderint, quibus hoc in argumento ipſorum primipilus Valla tenebris offuſus eſt, modeſtiores eos, & alieno exemplo cautiores fore. Sed hæc hactenus.

¶ Non negauerim tamen apud Iuriſconſultos quædam reperiri, quæ delicatum lectorem poſſint aliquantiſper remorari, ſed ſi qua vitium ſonant, librariorum incuriæ proculdubio tribuendum: nam & Gaij, [Intereſſe.] cuius ſupra meminimus, in antiquis codicibus non repetitur, in quibus ſimpliciter venditorem teneri ſcriptum eſt, apparétque à gloſſematico aliquo margini adſcriptum, deinde ſcriptorum imperitia in ipſo contextu relatum. Vnde & Vlpianum ſcripſiſſe. *l. 3. ad Senatuſc. Syllanian.* ſiquis graui valetudine affectus, arbitror non in graui, tametſi ſint, qui ingrauem iunctim dictum putent, quaſi valde grauem, ſicut incanamenta Virgilius dixit: & [in difficilem caſum] Scæuola *l. Gallus. §. fin. de liber. & poſthum.* in quo tamen veteres codices refragantur, in quibus ſcriptum eſt, ille caſus. [In difficili eſt.] quam lectionem caſtigatiorem arbitror. Nam & in diui Seueri reſcripto, *l. filiusfam. §. diui. de legat.* 1. quo vulgò legitur, eos qui teſtamento quid alienari vetant,

nullum

nullius momenti ſcripturam eſſe, correctoria exemplaria, [Eorum,] ſcriptum habent. Sicut & in Pauli reſponſo, *l. ſi inter. de donat. inter vir.* dum dicitur, [Econtrà] ſi inter virum & vxorem facta ſit donatio, ſimpliciter [Contrà,] ſcribendum eſt, [Ad inſtar verò,] quod Iuriſconſulti quandoque ſcripſerint, non inſtat tantùm, exemplo veterum non caret. ſuntque huiuſmodi controuerſiæ non eam doctrinæ, quàm iudicij. ſicut cùm, [Exequi] paſſiua ſignificatione Vlpianus dixit, *l. cum quædam. de iuriſdict. omnium iudic.* Quærebatur an iudicis ſententia [exequi] poſſit, vel idoneior Modeſtinus, ſic & quod in meo fundo naſcitur eſt, dixit Pomponius. *l. quod in rerum. de legat.* 1. ſic &, [Præſtauimus] verbo, pro, [Præſtitimus,] vti Tribonianus non erubuit. Erunt & quibus omnino non placebit, [Deuirginare ancillam,] dixiſſe Paulum *l. fin. de offic. præſid.* & à Modeſtino ſcriptum, decreto Adriani plectendos, qui menſuras & pondera, [falſaſſent.] *l. pen. de falſ.* Idem & ſordidum verbum exiſtimabunt, [Certiorare,] pro eo quod eſt, certiorem facere, quo paſſim Iuriſconſulti vtuntur, eadem ratione deductum, qua & veteres, [Meliorare] dixerunt. vnde L. Columellæ, [Meliorefcere.] Sed &, [Coloniam] agrum colono locatum quandoque appellant, cum alio ſenſu antiqui ea voce vtantur.

¶ Sanè illud diffitendum non eſt, apud eos quaſdam dictiones eſſe, quæ aliis in auctoribus nuſquam eo ſenſu reperiantur, vt cum [Exhibere,] verbo plerunque pro eo vtuntur, quod eſt alere, [Donare ad proceſſus,] *l. nam Imperator. de donat. inter vir.* id eſt, vt eo donatarius vtatur in pompa, vel cum in principis eſt comitatu. id enim ſignificat proceſſus, vnde & alibi dicitur, *l. 1. C. de ſent. paſſ.* Cùm [Proceſſiſſet, Imperator ſalutatus eſt, &c.] Et [Copiarum] negotium pro mercimoniis earum rerum, quæ ad victum pertinent *l. ob negotium. de comp.* & ad exercitum deferuntur, & [Dardanarij,] pro his, qui annonam flagellant, qui & a Græcis προπῶλαι dicuntur. Eſt & apud eos, [Fribuſculum.] *l. cùm hic ſtatus. de donat. inter.* pro digreſſu temporario vxoris ob iurgium cum marito, vox nuſquam alibi à me lecta, vt forte frigusculum dicendum ſit, cum maritalis amoris ardor aliquantiſper refrigeſcit. [Friuola,] *l. ſolutum. de pign. act.* pro ſuppellectili inquilini, tametſi & hac voce vſus videri poſſit Iuuenalis. Iam friuola transfert Vcalegon, *l. ſed ſi vi. de don. inter.* [Lanipendia] mulier, pro lanifice, ſeu quæ lanificibus ipſis penſa diuidit. [Latrunculator,] pro iudice rerum capitalium ſeu (quod magis arbitror,) præfecto apparitorum & militum, qui latrones conquirunt, [Notaria,] pro denuntiationibus delictorum, quas Irenarchæ deferebant, [Panoicularia ratio,] *l. diuus. de bon. damnat.* quæ ad eas veſtes viliores pertinet, quas rei & damnati rerum capitalium habent, cum ad ſupplicium ducuntur [Perfunctoriè,] eſt leui cura, & aliud agendo, vnde perfungi, & defungi, pro eo quod eſt vtcunque explicare, [Peſſundat,] pedibus percutit, nouè dixit Paulus, cùm in edicto ædilitio, Bouem, inquit, qui cornu petit, vitioſum, item mulas, quæ pellum dant. [Spectabiles] quoque & [Speciosæ perſonæ,] gradu quodam dignitatis inſignes in iure plerunque dicuntur, cùm hoc ſenſu hæ voces apud Ciceronem & antiquiores nullæ ſint. [Reliquare] quoque apud eos dicitur, qui æs alienum integre non ſoluit, vnde reliquatores vectigalium, qui reliqua publico debent. [Sequiotia vitæ] eum appellant *l. cùm hi. de tranſact.* qui ſibiipſi alimenta ſuppeditare nequeat, ſed de alienis laboribus pendet: vnde & Sequior ſexus, ni fallor, Apuleio, id eſt, muliebris. [Solarium] *l. 2. ne quid in loco publico.* pro vectigali, quod publico præſtatur, ob ſoli publici occupationem, ſed idem quoque in priuatis videtur. Vlpianus *l. ven. com. præ.* Si quis in lapidicinis cædere voluerit, non aliter hoc faciat, niſi prius ſolitum ſolarium domino præſtet, quamuis Accurſius nunc ſalarium, nunc ſolarium legat. [Schemata cognationum] in antiquis codicibus dixit Paulus emendatius, vt arbitror, quam ſtemmata Iuuenalis. Imagines enim in gentilitiis armariis vſui erant, at coronæ non erant, cùm enim ſtemma vox Græca eſſet, mirum ſit apud Græcos pro gradu cognationum, vel imaginibus nunquàm reperiri. [Venenarij] ſunt, qui aliquem veneno ſuſtulerunt, eiúſque criminis ſunt rei.

¶ Sunt & apud eos aliæ dictiones, vtique & ipſæ raræ, ſed tamen ab aliis quoque auctoribus vſurpatæ, quas ſimul referre operæ pretium duxi, [Auerosinæ locare, affirmatores, antapocha, antidora, antipherna, apocha, archiuium, arrogatio, auditorium. Baſilica, belliſſimè, breuiarij rationes, calciarium, Kalendarium, chloacarium, cœnacularium, cœnaticum, cancelli, cancellarij, capſarius, captioſus, captatorius, caſtratus, charelus, chaſma, commentarienſis, coactio, collectarius, colonarium, conturbare chorus, pro congregatione, decidere, decretalis poſſeſſio, damnas eſto, decoctor, dominica pecunia, delicatus debitor, depoſitarius.] eadem forma qua, [Alimentarium,] dixerunt, [commodatarium, donatarium, mandatarium, legatarium,] & ſimilia, [Dilapidat bona, dimiſit creditores,] id eſt, ſoluit, [diarium, dietarij, diffiſus dies, deſultor, emanſor, equitium, errones ſerui, extorris, exiguiores res fœnebris pecunia, fœnerauit,] id eſt, accepit fœnera, [fiduciaria hereditas,] id eſt, fideicommiſſaria. [Functiones,] pro tributis. [Genuina pietas,] *l. 3. de lib. hom. exhib.* quamuis vulgati codices habeant gemina. [Hamæ,] pro inſtrumento ad arcendum ignem. Debet, inquit lex, *l. 2. de offic. præfect. vig.* præfectus vigilum noctu coerſare cum hamis. Sic Iuuenalis, Diſpoſitis prædiues hamis. Meminit & Cæcilius Plinius. [Imaginaria venditio, incontinenti, informatur actio, in pendenti iuriſdictio reſtituenda, impoſſibilis, imperſonalis, inſolidum,] id eſt, pro parte, *l. ad ea. de reg. iur.* [in ſumma,] id eſt, breuiter, [in tantum, inuentarium, largitur annus, largiuntur tempora, licentia, lucratiuus titulus, manuaria mola, medianum cœnaculum, miſſilia magis eſt, nudus ſermo, nudum pactum, nugatoriæ res, in necem] id eſt, in damnum, [optiones: obrepere iudici, officiales, *l. præſidis. ſi cert. pet.* opiſthographum, orcinus libertus, pantheron rete paraferna partiar, ius colonus, pedanei iudices, peregrini pro deportatis periculum.] quandoque pro ſpe nautici fœnoris, quandoque aliter vt in rubrica codicis de ſententiis ſine periculo recitandis. [*ex breuiculo recitandis. Budæus.*] Sic enim

habet

habet & codex Theodoſianus, vt appareat de periculo, ſeo experimento memoriæ accipiendum, [perpetuarius emphyteuta, pagani,] pro quibuſcunque non militantibus, [plaga,] pro parte fundi, [polia,] pro grege equorum, [præbenda locare, præiudicium, prætorium,] pro domo ruſtica, [promercalis res, perſona: potitus hoſtium,] id eſt, captus ab hoſtibus, exemplo Plauti in Captiuis, licet in titulo de Captiuis à quibuſdam male ſit immutatum: [pulſare,] id eſt, agere, vel conuenire: [quæſtuarius.] de quo agitur per inuerſionem, reatus, receptia dos, regimenta Reipublicæ, [repertorium, repetita die, repedare, reſtaurari, religioſiſſimus princeps, in ſacris patris, ſynteria nauis, ſtrata, terrena, ſtrena, ſuſpendioſi, ſuus heres,] de cuius vocis ſignificatione interrogatus à Socino Angelus Politianus, obmutuit, quum tamen gloriatus eſſet in gloſſematis iuris ciuilis, ſe vel Accurſum ſuperare poſſe. [Simplaria venditio, topia eius ſeruus, temporaneus tutor, teſtamentarius] pro tabellione, qui teſtamentum ſcripſerit: [teſtimonium,] pro ipſius teſtis aſſeueratione in ſcripturam redacta: [velamentum, operæ venalium ſeruorum, venter] pro infante necdum nato: ventrem facere, paries, cum in vicini ædes porrigitur: [veſtiarium, viaticum, vinarij] qui & [vinoſi,] vinacia, [voluntarium, voluptuarium, vſia,] Græca vox pro ſubſtantia, [vſurpare,] id eſt, vſucapere, [vtenſilia.]

*

FINIS.

INDEX GENERALIS

RERVM, VERBORVM, AC SENTENTIARVM MEMORABILIVM quæ in his Commentariis ſecundum ſingulas leges continentur.

A

A,ab.&ad.prepoſitiones qualiter ſint incluſiuæ *Bre.l.133*
Abalienari quid *Brec.l.28 in princ.*
Abalienatio quid *ibid. & Forn.l.67.in princ.*
Abbas deficientibus monachis de immobilibus monaſterij diſponere poteſt *Alc.de verb.ſign.lib.1. fol.544*
Abbates qui *Alc.l.57.in princ.*
Abdicatio veteribus, recentioribus exheredatio eſt *Forn.l.220*
Abeſſe verbum variè accipitur *Alc.l.13.§.vlt.199*
res & perſonæ variè dicuntur *Forn.l.199*
videtur qui animo non adeſt *Alc.l.209*
neceſſaria ex cauſa qui cenſeantur *Brec.l.199*
ex probabili tantum cauſa qui dicantur *ibidem*
dicitur qui extra continentia vrbis eſt *Alc.l.173 §.1.199*
furioſus ex cauſis non dicitur *Alc.l.vlt.in princ.*
ab hoſtibus & latronib.capti dicuntur. *Forn.l.199*
mortui dicuntur *Brec.Forn.l.13.§.vlt. Alc.l.199*
Reip.cauſa qui,& quot modis dicantur *Br.l.199*
Reip.cauſa publicani non dicuntur *Alc.l.16*
non cenſetur qui in ſua prouincia in qua requirendus eſt agit *Br.l.199*
Abeſſe dicitur id quod dandum eſt *Alc.l.14.in pr.*
videntur quæ materia manente ſola forma mutata vitiantur *Brec.ibid.*
dicitur quod transfiguratum eſt *Br.l.13.§.1*
tabula raſa videtur *Brec.l.14.in princ.*
res cenſetur cuius forma mutata & corrupta eſt *Brec.l.13.§.1*
res furtiua dicitur etiam ſi dominus poſtmodum eam furtiuam neſciuerit *Brec.l.14.in princ.*
res furtiua ab ignorante domino empta dicitur *ibidem*
res ei dicitur cui pretium abeſt *Forn.ibidem*
res vendita ab emptore euicta dicitur *Brec.ibid.*
res deſinit ſi rei domini poteſtatem reuertatur *Alc.Br.l.13.§.2*
res mutatione pretioſior facta non dicitur *Alc. ibidem*
res non videtur cuius perſequenda actio eſt. *Alc. l.14.in princ.*
res non videtur ei cui libera eſt ad pretium repetendum via *Brech.ibid.*
Abeſt non ſolum qui ad tempus abeſt, ſed etiam qui perpetuò *Alc.l.13.§.vlt.*
domino emptum præterquam à fure *Alc.l.14 in princ.*
Ablatiui abſoluti natura eſt, vt conditionem inducat *Alc.l.240*
Ablatiui variè ex re accipiuntur & proferuntur *ibidem*
abſoluti principalius ad tempus quam ad conditionem referuntur *ibidem*
Abnutiua & inficiatiua oratio in affirmatiuam reſoluitur *Brec.l.189*
Abortionis aut amatorium poculum exhibentis pœna *Forn.l.236.in princ.*
qui dat.l.Cornel.de ſicar.punitur *Forn.l.226*
Aboſtiui præteriti teſtamentum patris non rumpuns *Alc.l.129.Brec. ibid.*
Abortus eſt qui viuus editus non eſt *Brec.l.129*
etiam quarto conceptionis menſe fieri poteſt *ibidem*
Abortus cauſæ variæ *ibidem*
ſigna *ibidem*
Abrogare & derogare quomodo differant *Brec. l.102*
legem eſt eam omninò tollere *Brec.& Forn.ibid.*
legem Solon prohibuit,niſi alia ſubrogetur *For. ibidem*
Abrogatio quid *Brec.l.102*
eſt quæ totam legem tollit *Alc.ibidem*
vnde dicta *Br.ibidem*
Abſens abſolui, & præſentem aduerſarium vincere poteſt *Forn.l.199*
ſecundum ſubiectam materiam accipitur *Alciat. ibidem*
habetur,qui quamuis corpore adſit,animo peregrinatur *Forn.l.209*
qui extra continentia vrbis eſt quando habeatur *Forn.l.199*
cui denunciatur, is eſt qui vadimonium deſerit, iudicémque negligit *Brec.l.39.§.1*
quis ſit an præſens multum refert *Br.l.199*
Reip.cauſa inter reos referri non debet. *For.ibid.*
extra territorij fines programmate publico citandus *Alc.l.13.§.vlt.*
non cenſetur qui modico interſtitio abeſt *Brec. l.99.§.1*
Abſens loco furioſus perpetuò habetur. *For.l.209*
procurator rem ratam haberi cauere debet *Alc. l.173.§.1*
Abſenti epiſcopo ſumptuum & viatici iniicere nihil præſtatur *Forn.l.2.in prin.*
Abſentem & non monitum damnare iniquum eſt *Forn.l.199*
damnare non oportet niſi per contumaciam abeſſe pronuncietur *ibidem*
Abſentes ex iuſta & probabili cauſa qui dicantur,&

tur,& quomodo eis ſubueniatur Brec.l.199
Abſentibus ex cauſa voluntaria reſtitutionis beneficium non competit ibidem
Abſentia duplex eſt,animi & corporis Forn.l.209
fraudulenta authorem ſuum nihil iuuat Br.l.199
longa morti æquiparatur ibidem
& morbus comparantur Forn.l.113
Reip.cauſa eatenus excuſat quatenus omninò ad publicam vtilitatem ſpectat Brec.l.199
Reip.cauſa nemini damnoſa eſſe debet For.l.ibid.
Abſentiæ ratio in reſtituendo quæ habentur Br. l.199
cauſa iuſta & neceſſaria mora habetur ibidem
cauſa vt iuſta & probabilis videatur dolus malus procul eſſe debet ibidem
Abſentiarum genera quinque ibidem
Abſolui etiam nocens ſi cauſam adferas poteſt Forn.l.99.in prin.
Abſolutus rei vendicationis iudicio, poterit poſt rem iudicatam iterum conueniri Alc.de ver.ſign. lib.1.fol.540
Abuſio vſurpatio nominis alieni eſt. Brec.l.15
Abuſionis & tranſlationis differentia ibidem
Abuſiuis verbis vti quid Alc.l.101.in prin.
Abuſus quando locum habeat Alc in præfat.
Acceptilatio donationis inſtar obtinet Forn.l.76
vinculum obligationis non inducit Alc.de ver. ſign.lib.3.fol.575
diſpoſitione legis ſolutio eſt Alc.de ver.ſign.lib.3 fol.569
ficta ſolutio eſt Alc.de ver.ſig.lib.2.fol.551
Acceptilatione ſolutio fieri poteſt Brec.l.47
Acceſſiones rei quandam rei partem conſtituunt Forn.l.242.in prin.
rei petitæ non actionis iure, ſed iudicis officio præſtari ſolent Brec.l.35
Accidentis vitio qualitate in propoſitionum partibus immutata fallacia committitur Forn.l.177
Accidere homini variè dicitur Forn.l.162.§.1
pro vita defungi Alc.ibidem
Accipere minus eſt quàm capere Forn.l.71.in pr.
& capere diſtant plerunque tamen confunduntur Alc.ibidem
& id dicimur quod in dominium noſtrum non tranſit Forn.ibidem
non frequenter ad effectum refertur Alc.ibidem
Accola quis Alc.l.239.§.2
Accreſcendi ius inter re & verbis coniunctus valet,etiam ſi alter pro non ſcripto habetur Forner. l.142
ex legis magis diſpoſitione,quam teſtatoris mente prouenire exiſtimatur Alc.de ver.ſig.lib.3.fol.576
auferendæ partis ius eſt Forn.l.142
inter eos eſt qui ab initio ſolidum, concurſu partes habent ibidem
non perſonam,ſed rem reſpicit Alc.l.227
inter coniunctos verbis ceſſat Forn.l.142
verbis coniuncti non habent Alc.ibidem
in damnationis modo coniunctis non obtinet Forn.ibidem
in contractibus non valet ibidem
in feudis non indulgetur ibidem
Accreſcendi iuri inter coniunctos ſaltem locus eſt ibidem
Accreſcen.iure pars deficiens alteri coaleſcit. ibi.
pars deficiens cum onere in inuitum tranſcribitur ibidem
Accuſare qui volunt,probationes habere debent Alc.de ver.ſig.lib.4.fol.583
Accuſationi tempus præſcriptum Alc.l.233.in pr.
Accuſatione non omnia obiicere licet,quæ exceptione Forn.l.8.§.1
ab Accuſatione propter paupertatem quis reiicitur Alc.l.234.§.1
Accuſator crimine non probato pœna talionis efficitur Forn.l.244
de quouis crimine quod intenderit,nec probarit, accuſare amplius non poteſt Forn.l.212
in præuaricatione conuictus,in poſterum non accuſat ibidem
Accuſatori præmium decretum, denuntiatori quoque debetur Alc.de ver.ſig.lib.2.fol.560
Accuſatores infames & odio habiti Brec.l.197
Accuſatorum temeritas tribus modis detegitur, totidémque pœnis ſubiicitur Brec.l.212
Acetabula quæ Brec.l.15
in Acquiſitione effectus ſpectari debet Alc.l.140
Acquiſiuiſſe filiusfam.& ſeruus videntur,etiamſi rem in alium transferant ibidem
Acta ſunt commentarij rerum memoratum digniſſimarum Brech.l.19.in princ.
in contractib.inprimis obſeruanda ſunt Alc.l.219
& geſta quomodo differant Brec.l.19.in prin.
memoria publica teſtata eſſe debent ibidem
Acti inter partes deprehendendi modus Alc.l.219
Actio quid Forn.l.8.§.1.36
eſt cauſæ agitatio Brec.l.36
eſt ius quo agimus & perſequimus Brec.l.138
omnis in genere iudicium appellatur Brec.l.34
contracto ſcelere ſemel quæſita vix amittitur Forn.l.12.in prin.
qualiter & quando criminoſa, vel ciuilis,vel priuata cenſeri debeat Brec.l.200
non datur iis caſua, in quibus lex deficit Alc.de ver.ſign.lib.2.fol.558
ab his quæ facti ſunt differt Brec.l.34
exceptionem impropriè continet Alc.l.8.§.1
ab exceptione differt Brec.l.34
cui datur eidem & exceptio tribuitur Forn.l.8.§.1
à iudicis officio ſecernitur Brec.l.34
ſine iudicio inutilis eſt Forn.l.36
multa iura continet Brec.l.34
lis,& cauſa re parum diſſident Brec.l.36
& lis pro eodem promiſcuè ſumuntur Forn.ibid.
lis, & cauſa à Græcis vnico vocabulo notantur Brec.ibidem
ex obligatione oritur Alc.l.19.ver.contractum
non niſi ex antegreſſa obligatione oritur Forner.l. 178.§.7
ex pacto nudo quod iteratum fuit,oritur Alc.de ver.ſig.lib.1.fol.542
per litis conteſtationem perpetua fit Alc.de ver. ſig.lib.1.fol.544
perſequendi ius dicitur Brec.l.34
à perſecutione quomodo differat ibidem
petitionem & perſecutionem continet Br.l.178.§.2
pluribus competens ei tribuitur, cui maximè intereſt Forn.l.12.in princ.
quid amplius eſt quam perſecutio Forn.l.10
tam ſpeciei quam generis nomen eſt Brech.l.178 §.2
ſucceſſorem ſingularem non tranſmittitur Brec. l.24
teſtibus probari non poteſt Alc.de ver.ſignific. lib.2

lib.2.fol.562
Actio ciuilis ex publicis quoque iudiciis oritur Br.l.200
exercitoria vnde orta Al.l.182
familiæ erciſcundæ vnde For.l.195.§.1
furti in furem competit vindicatio rei in malè poſſidentem Br.l.26
furti domino rei depoſitæ datur, vt pœnam a fure conſequatur For.l.171
iniuriarum ad heredes quando perueniat Br.l.24
inſtitoria vnde orta Al.l.182
inſtitoria ab æquitatis ratione proficiſcitur For.l.185
legis quid Al.l.178.§.2
non profeſſi metalli apud Athenienſes Forn.l.37 §.1
inſcripti metalli apud Athenienſes For.ibid.
noxalis qualiter ex publicis iudiciis oriri dicatur Br.l.200
noxalis in publicis iudiciis locum non habet Br. ibidem
de pœnali & qualibet alia intelligitur 563
in rem & perſonam generaliter competit Forn.l.170.§.2.& §.3
in perſonam propriè dicitur Brec.& Forn.l.34
perſonalis eſt, quæ ex perſonali obligatione nata eſt Br.l.178.§.2
perſonalis vnde Br.ibid.
proprie de perſonali cur dicatur Br.ibid.
receptitia vnde Br.l.205
rerum amotarum marito in vxoris mortuæ patrem qualiter detur For.l.171
realis eſt, quæ oritur ex iure quod quis in re habet Br.l.178.§.2
realis vnde dicta Br.ibid.
ſepulchri violati cui competat For.l.70.§.1
pro ſocio finita ſocietate datur Forner.l.239 in princ.
tributoria æquitate nititur Forn.l.207
tutelæ finita demum tutela datur Forner.l.239 in princ.
tutelæ directa famoſa eſt: contraria non item Brec.& Forn.l.42
Actionis definitio Brech.l.34.& 36.& Forn.l.178.§.1
definitio cum ſuo definito conuerti poteſt Brec.l.34
nomen generale eſt Brec.l.178.§.2. Forn.ibid.§.3
nomine exceptio non venit Brech.& Forn.l.8.§.1
nomine etiam rei vindicatio continetur Forner.l.34
nomine omnis ratio qua debitum iudicio perſequi poſſumus continetur Forn.ibid.
exercitium quando concedatur in ſtipulatione pura Br.l.213 in pr.
furti formula Forn.l.53.§.1
& litis diſcrimen Forn.l.36
& obligationis diſcrimen Brec.l.138
petitionis,& perſecutionis diſcrimen Forn.l.34
in perſonam formula Alciat.l.178.§.2
in rem & in perſonam diſcrimen perpetuò obſeruatur Forn.l.70.§.1
popularis effectus Alc.l.12.in princ.
à prætore dandæ forma Alc.l.178.§.2
Actioni inſtitoriæ quando locus ſit Forner.l.185
Actionem ſibi competentem quiſquis vendere, donare,& legare poteſt Forn.l.219
perpetua exceptio dirimit Brec.l.10
habere deſinit,qui dominium eius rei, cuius gratia actio competit,in alium transfert Forner.l.70.§.1
habere minus eſt quam rem Alc.l.14.in prin.
Alc.& Forn.l.143.Forn.l.188.in prin.
qui habet,rem habere intelligitur Forn.l.41
Brec.l.57.§.1.Forn.l.91.Alc.l.93.Alc.Brec.& Forn.l.143.Forn.l.188.in prin.Brec.l.215
habens, quibus caſibus rem non habere dicatur Alc.l.143
nullam eſſe ipſo iure,& actionem exceptione ſubmoueri differunt Br.l.55
qui orditur is legi de ea verba facienti ſe adſtrinxiſſe videtur 535
præſcriptio excludit Alc.l.8.§.1
rerum amotarum qui ſoluendo,non euitat Forn.l.218
ſuſpendentia verba Alc.l.213 in prin.
Actione cadit, qui reum ad vetitum examen, aut alienum forum traxerit 544
qui caret quando litem inſtituere poſſit 540
cedens debitor cogendus eſt Brec.l.14.§.1
commodati eadem res repetitur Brec.ibid.
in Actione in diem ante diem actio nulla eſt Alc.l.213.in prin.
furti iurare quomodo oporteat Forn.l.192
iniuriarum condemnatio fit officio iudicis Brec.l.34
Actione iniuriarum tenetur qui quenquam re ſua vti prohibet Forn.l.43
iniuriarum tenetur, qui vincto debitori victum vel ſtratum inferri non patitur Forn.ibid.
tributoria conuenitur is qui vt minus tribuatur dolo malo fecit Brec.l.32
ſaltem vnica experiri licet Forn.l.8.§.1
Actiones ab eo dictæ ſunt quod creditores negantes debitores in iudicium agerent Forn.l.24
cur bonorum appellatione veniant Forn.l.49
ciuiles trium menſium ſpatio exprimi debent, criminales duorum 571
iis competunt,quorum intereſt Forn.l.70.§.1
ex conceſſione actiuè,paſſiuéque dantur Alciat.l.21
in diem quando ſuſpendantur Alc.l.213.in prin.
directæ ex verbis ducendæ Forn.l.6.§.1
extraordinariæ quæ Forn.l.178.§.2
fiſco competentes quando intereant Forn.l.4
hereditatem augent Forn.l.49
mixtæ quæ Alc.l.178.§.2
mixtæ quando concludi debeant 571
quæ ad mobilia competunt, inter res mobiles computantur Alc.l.142
olim iure gentium nullæ erant Alc.l.178.§.2
ſi ſunt perſonales indefinite leges ferendæ Forn.l.6.§.1
populares quæ Forn.l.12.in prin.
legibus xij.tabul.repertæ ſunt Alciat.l.178 §.2
rerum ipſarum ad quas competunt naturam æmulantur Forn.l.143
vtiles ex mente & ratione ducendæ For.l.6.§.1

Actionum formulæ *Alc.l.37.& 178.§.2*
formolis verba vſitatæ *Forn.l.188.in princ.*
genera *Alc.l.178.§.2*
præparatoriæ *ibid.*
Actionibus in factum extraordinariè ſubueniſtur *Forn.l.10*
in Actionibus temporalibus tempus præſcriptum à momento in momentum computatur. *Brec. l.154. Forn.ibid.*
Actor non ſtatim quicquid iurare paratus ſit coo ſequitur *Forn.l.57*
Actoris in poteſtate eſt actione furti, aut vi bonorum agere *Forn.l.9*
Actorem dominum eſſe oportet *Forn.l.178.§.2*
iudex irrequiſitus ex cauſis ſubmouet 542
Actuarij qui *Brec.l.89.§.2*
Actus quid *Brec.l.19.in prin.*
triplex *ibid.*
ab agendo dictus *Alc.l.157*
ſine itinere eſſe non poteſt *Forn.l.149*
nihil adimit *ibid.*
Actum quid legato itinere adimit, nihil adimit *ibidem*
Actus in caſum à patribus non cogitatum, non ſuſtinetur 574
nullus, nullius effectos eſt *ibid.*
nullus, nomen nun ſeruat *ibid.*
reſoluitur in potentiam *Brec.l.125*
ſtipulantis contiouus eſſe non debet *Brech. l.2 §.1*
qui propriè intellectis verbis noo valet, ab improprietate ſuſtinebitur 574
qui vt agitur non valet, in eum qui poſſibilis eſt modum ſuſtinetur *ibid.*
Actus verbum generalius eſt qoam contractus *Brec.l.19.in prin.*
conſummatio pet verbom prçteriti tempotis denotatur *Alc.l.53 §.1*
infirmitate & iniquitate lex limitatut 546
inutilis ſuſtinendi, & ſpectaodi modus 574
ex cauſis contra 575
rerum ſumma & cura *Brec.l.19.in princ.*
Actum, quæ leuis ſolenoitatis ſunt, oon vitiunt 540
in Actu hominom ex verbis potius qoam mente iudicandum *Alc.in præfat.*
Actus facti, propriè nomen ſeruant, tametſi perperam fiant 574
iuris plerunque ſub vero nomine deſignantur: licet caſſi & inutiles ſint *Alc.l.221*
taciti legis an homiois ſint, quomodo diſtinguendum 576
Actuum humaoorum & legum diſcrimen multiplex 563
multitudine arctior ſit legum interpretatio 543
Actus valere intelliguntor 546
Adagia Glauci & Diomedis 578
à Des. Eraſ. Roterodamo omiſſa *ibid.*
Adam quid ſignificet *Brec.l.152*
de vtroque ſexu acсipitor *Alc.& Brec.ibid.*
Adamum antiqui Grçci cœli & terrę filium dixerunt *Alc.l.152*
Adelianotum hereſis *Forn.l.128*
Adeſpota qoæ *Brec.l.17.§.1*
in Cæſaris patrimoniom recedunt *ibid.*
Adeundi ius modus eſt per qoem hereditas acquiratur *Alc.l.24*
Adgnatio quid *Alc.l.53.ver. Nam cum*
iuris ciuilis eſt *Brec.l.195.§.1*
plebeiorum eſt *Brec.l.53.ver. Nam cum*
Adgnationis & cognationis differentia in ſuccedendo ſublata *Forn.ibid.*
& gentilitatis diſcrimen *Brec.ibid.*
Adgnatus rem venditam intra annum redimendi ius habet 559
Adgnati qui *Brec.& Forn.l.53.ver. Nam cum*
in fideicommiſſo familiæ vſque ad decimum gradum admittuntur *Alc.l.195.§.1*
cognatis in ſucceſſione qui præferantur 559
Agnatorum melior quam cognatorum conditio *Forn.l.195 in prin.*
Adiectiuum demonſtrationis loco ſubſtantiue accedit *Alc.l.2.in prin.*
Adiiſſe non cenſetor qui defuncti manibus parentauit, & iuſta funebria perſoluit *Brec.l.24*
qui heredem ſe dicit, hereditate tameo non vtitur *ibid.*
Aditionem rei hereditariæ occupatio vel inhabitatio non arguit *ibid.*
Aditione ſola hereditatis dominium transfertur *Alc.l.24*
hereditatis omnia iura io heredem tranſeunt *Br. ibidem*
Adiudicare eſt iudicio peractorem controuerſam actori additio *Alc.l.131.§.1*
Adiudicatio corporum debitorum qui non erant ſoluendo olim frequens *ibid.*
merom mixtúmque imperium reſpicit *ibid.*
Adminiſtratores qui *Alc.l.203*
Admooete pro percurere *Forn.l.239.§.8*
Adoleſcens ſine curatore contrahere non poteſt: teſtari, legare, & mortis cauſa donare poteſt *folio* 577
etiam iouenis appellatione contioetur *Brech. l.15*
Adoleſcentia *Brech.l.204*
Adoptare eunuchi poſſunt *Forn.l.122*
mulieres poſſunt *ibid.*
Adoptandi formæ *Alc l.102*
Adoptati in familiam aliepios filiifamilias ſunt *Brec.l 195.§.1*
filiorum iura quando conſeqoantur *Forner. l.147*
Adoptatis naturales liberos taoquam res ipſas imagini præferre debemus *ibid.*
Adoptio ficta bonorum. dignitatem non conciliat *ibid.*
Adoptionis generale nomen etiam arrogationem continet 531
commentum non prodeſt *Forn.l.147*
remedio pœnæ non obliteraotur *ibid.*
ſimulata inefficacia *Alc.l.218*
Adoptiuo excluſo fideicommiſſarius ſub ἀπαιδίας conditiooe inſtitutus admittitur *Forn.l.147*
Adoptiui filiorum appellatione continentur *For. l.84*
patrem non excuſant *Forn.l.147*
Adſignificare *Brec.in præfat.*
Adtubernales vnde dicti *Forn.l.184*
Aduena quis *Forn.l.239.§.4*
cor ſic dictus *Alc.ibid.*
vbi conueniendos *Alc.& Forn.ibid.*
& incola idem *Brec.l.239.§.2*
munera ciuilia non ſubit *Forn.ibid.*

Aduenæ

Aduenæ & Incolæ diſcrimen Alc.l.235 §.4
Aduenæ populo non continentur Alc.l.239 §.4
Aduenarum apud Athenienſes conditio Forn. l.239.§.4
cui Aduenit vnum,non aduenit ſolum fol. 580.in fin.
Aduerbium quid Alc.l.183
Aduocatus quis Brec.l.52
Aduerſus cognatos vſque ad quartum gradum cauſam dicere cogi non debet. 538.& 539
qui cum priori parti renuntiaſſet, aduerſæ parti acceſſit,præuaricator non eſt Alc.l.212
Aduocati officium nobile Brec.l.199
Aduocato cauillari non licet Alc.l.177
bonam cauſam falſis rationibus tueri licere receptum eſt Alc.ibid.
Aduocati defenſores accuſatorum Brech. l.197
inertes iure reprobantur Forner.l.2.in princip.
Adulter vnde dicatur Forner.l.101 in princ.
Adulteri aliarum nuptiarum temeratores dicuntur ibid.
Adulteros in ipſo adulterio deprehenſos impunè occidere licet Forn.l.5.§.1
Adulteris partus adulterini plerunque ſimiles ſunt Alc.l.135
Adultera vnde dicatur Forn.l.101.in princ.
Adulteram patri occidere, non marito lex Iulia permiſit,& quare Forn.l.220
Adulterium propriè quid Brech.l.101.in princ.
cum aliena vxore propriè dicitur fol. 538
cur præcipua diuortij cauſa Brec.l.191
tam ethnicis quàm Chriſtianis exoſum ſemper fuit ibid.
in nupta propriè committitur Alc.& Brec.l.101 in princ. & fol.586
natura probrum eſt Alc.l.42
pro ſtupro 578
& ſtuprum idem ſignificare Brec. l.42
in vxore grauius eſt quàm in viro Forn.l.101 in prin.
Adulterij etymon Brec.l.101.in princ.
accuſandi copia neceſſariis, & proximus ſolummodo defertur Alc.l.155
accuſare patruo licet,etiam ſi frater exiet Alc. ibidem
accuſati ſe excuſant, ſi coniugium contraxiſſe aſſeuerent Alc.l.174
accuſatio quamdiu competat Forn.l.133
impuniti incommoda Alc.l.42
pœna Alc.l.101.in prin.& fol.560
pœna antiquiſſima Brec.l.101.in prin.
ab Adulterij pœnæ ignorantiæ prætextus neminem liberat Forn.l.42
Adulterij & ſtupri differentia Alc.& Brec.l.101 in prin. & fol.559
vindicati exemplum Brec.l.191
Adulterio crimina paria aut etiam grauiora quæ, & quando matrimonium dirimant ibid.
in Adulterio deprehenſam vxorem occidere marito licet Brec.l.191
de Adulterio paciſcens infamis efficitur Forner. l.42
in Adulteriis ſolam voluntatem Sylla vltus eſt Forn.l.225
Adultus ſine curatore non contrahit 571
Ædes quæ Forn.l.211
vnde dictæ Brec.l.198
vrbana prædia ſunt, quæ ſolo ſuperficiéque conſtant Alc.l.211
Ædes perfeciſſe quis videatur Forn.l.5.§.1
Ædium appellatione omne ædificium continetur Forn.l.203
ſunt, quæ terræ ſe tenent: quæ baſibus tantum, non item Forn.l.245
& domorum differentia Alc.l.211
ornamenta quæ a domo ſeparari poſſunt, non ſunt Alc.l.245
partem veſtibulum non eſſe ibid.
ſtatuæ non niſi ex cautis ſunt Alc.& Forn.ibid.
tabulæ pictæ non, niſi tectoriis inlitæ cenſentur Alc.ibid.
vicinarum dominus ſi non caueat, vicinus in earum poſſeſſionem mittetur Forn.l.72
Ædibus ſpecularia non cedunt Alc.l.242.§.4
Ædificantis in ſolo publico ius Forn.l.112
Ædificanti vicinus prætorium vendere tenetur 559
Ædificantes in littore ædificij domini ſoli efficiuntur Forn.l.112.
Ædificaſſe Romæ dicitur qui in continentibus ædificarit Forn.l.139.in prin.
Ædificaturo locurè vendere nemo cogitur Alc. l.139.§.1
Ædificium vnde Brec.l.198
Ædificium inchoatum fructuarius conſummare non poteſt Forn.l.139.§.1
Romæ faciens ciuis habebatur Alc.ibid.
Ædificij eſſe ea cenſentur,quæ perpetui vſus cauſa in ædificiis habentur Forn.l.206.& 242.§.4
non ſunt, quæ parata ſunt, vt ædificiu imponantur Forn.l.167
excreſcentes ſumptus apud Epheſios de ſuo implere architectus cogebatur Alc.l.139.§.1
hypæthria non ſunt Alc.l.242.§.2
tegulæ nondum impoſitæ non ſunt Alc.ibid.
Ædificio diruto dominus materiæ poteſt eam vindicare Brec.l.62
Ædificia antiquorum ſolis tabulis conſtabant Alc.l.184
incontinentibus exſtructa Romæ facta videntur Forn.l.147
pſeudourbana quæ Brec.& Forn.l.198
omnia vrbana dicuntur Brec.ibid.
apud veteres Romanos quibus rebus tecta erant Brec.l.184
Romæ ſunt etiam quæ in continentibus verbis fiunt. Alc.l.139.in princ.
Ædificiorum iura ibid.
penſio quando & cur inſtituta ibid.
perfectio vnde cenſenda Forn.l.139.§.1
Ædificiis exſtruendis tria artificum genera adhiberi ſolita Forn.l.235.§.1
in Ædificiis quæ ſpectentur Forn.l.86
Ædiles qui Alc.l.239.§.5
Ægrotatio morbus eſt cũ imbecilitate Br.l.101.§.2

Ægrotationis, morbi, & vitij diſcrimen *Alc.l.101 §.2*
Ægypti fertilitas & præſtantia *Forn.l.236.in prin.*
Ægyptij primi horologia inuenerunt *Brec.l.2.§.1*
ſolem adorabant *ibid.*
Æqua lance 578
Æqualis habitus eſt optimus ſtatus *Brec.l.86*
Æquè verbum in heredum inſtitutione adiectum diuerſitatem non admittit *Forn.l.142*
Æquis paſſibus 578
Æquitas à iuris auctoribus commendatur *Forn. l.76*
Æquiuocatio quid *Forn.l.177*
quomodo fiat *ibid.*
Æquiuocationis exempla varia *ibid.*
Ærarium propriè populi eſt *Brec.l.17.§.1*
populi fiſco principis olim cedebat *Alc.ibid.*
Romanum in Saturni æde ob locum tutum reponebatur *Brec.ibid.*
populi Rom. tributa & vectigalia erant *Brec.l.17 §.1*
